10014

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

IVRECONSVLTI QVONDAM CELEBERRIMI, AC CONSILIARII

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS BORVSSICAE

INTIMI,

OPERVM

TOMVS QVARTVS,

CONTINENS

I. ANTIQVITATVM ROMANARVM SYNTAGMA:

II. HISTORIAM IVRIS CIVILIS ROMANI ET GERMANICI.

GENEVAE,
Apud FRATRES DE TOURNES.

MDCCLXVII.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS
quondam a Conſil. Sanctior., Iur. ac Philoſoph.
in ill. Frideric. Profeſſoris publ. ord.

ANTIQVITATVM ROMANARVM IVRISPRVDENTIAM ILLVSTRANTIVM SYNTAGMA,

SECVNDVM ORDINEM
INSTITVTIONVM IVSTINIANI
DIGESTVM.

In quo multa IVRIS ROMANI *atque* AVCTORVM VETERVM
loca explicantur atque illuſtrantur.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

PRAEFATIO
PRIORI EDITIONI PRAEMISSA.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
IO. GOTTL. HEINECCIVS
I. C.

QVANTVM vtilitatis in iurisprudentia nostra Antiquitatum Romanarum adferat notitia, nemo, nisi qui nunquam est hisce sacris initiatus, ignorat. Equidem iam eo tempore, quo adhuc florebant res Romanae, vix quisquam praeclarum iureconsulti nomen tueri videbatur, qui erat ab hoc insigni praestantissimoque praesidio destitutus. *Plurima erat, teste* CICERONE (*a*), *in omni iure ciuili antiquitatis effigies, et prisca verborum vetustas, et actionum genera quaedam, quae maiorum consuetudinem, vitamque declarabant.* Haec vero omnia quis quaeso intelligat, nisi qui interiorem sibi antiquitatis scientiam comparauerit? Hinc in

 maxima

(*a*) Cic. *de Orat.* I. 43.

Source : BIU Cujas

maxima plerumque ac praecipua veterum iureconsultorum laude ponebatur accuratior antiquitatum notitia. PLINIVS (*b*), ARISTONEM iureconsultum laudaturus, nihil in eo magis, quam illam prisci moris peritiam, admiratur. *Quam peritus*, inquit, *ille et priuati iuris et publici? Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum* ANTIQVITATIS *tenet? Nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, instar thesauri est.* Idem reconditarum litterarum praesidium etiam in ANTISTIO LABEONE celebrat GELLIVS (*c*), ex quo discimus, *nihil eum ratum pensumque habuisse, nisi quod iustum sanctumque esse, in Romanis* ANTIQVITATIBVS *legisset.* Quum ergo iam ii iureconsulti, qui florentem viderant rempublicam, hoc praesidio carere haud posse viderentur: quid de nostris dicamus temporibus, quibus ita exstincta est Romana respublica, nullum vt exstet, nisi in hominum memoria, veteris illius formae vestigium? Aliae hodie sunt consuetudines, alia religio, alii magistratus, alia iudicia, alia denique imperiorum et rerumpublicarum facies. Et tamen peregrinis adstricti legibus viuimus, easque interpretari et obuenientibus hodie negotiis adplicare iubemur. Quis hoc praestiterit, nisi qui impressam animo circumferat veteris illius Romanae reipublicae effigiem, et, vt IVSTINIANVS (*d*) alicubi monet, *nihil* ANTIQVITATIS *penitus ignoret*?

Equidem si cui hoc dubium videbitur, eum ego ad Glossatores remittam, ad illud, inquam, hominum genus, cui, exstincto litterarum lumine, tantum statuebatur pretii, vt quasi Atlantis humeris coelum, ita eorum auctoritate iurisprudentiae dignitas videretur sustineri. Quid enim aliud eminentissima illa ingenia in tot ridiculos ac paene pueriles errores abripuit, quam antiquitatum Romanarum omnisque politioris litteraturae igno-

(*b*) PLIN. *Epist. I.* 22.
(*c*) GELL. *Noct. Att. XIII.* 12.
(*d*) §. 1. *Inst. de testam. ordin.*

Source : BIU Cujas

ignorantia? Fieri enim profecto haud poterat, *quin homines, eius reipublicae ignari, cuius leges et iura tractabant, tamquam illuni nocte sine lumine oberrantes, saepe offenderent, saepe laberentur, saepe quouis potius, quam quo instituerant, peruenirent*, vt eleganter ait M. ANTONIVS MVRETVS (*e*). Non pudebat ergo tum legi *Fusiae Caniniae* a *canina* inuidia (*f*); legi *Hortensiae* a nescio quo *Rege Hortensio* (*g*); *calatis Comitiis* a Graeco καλὸς (*h*); quartae *Falcidiae* a *defalcando* (*i*); et libertis *orcinis* a nescio quo Graeco *orcos*, quod *rectum* significet (*k*), nomina arcessere. Neque religio tum erat, ea quae de antiqua in ius vocatione in iure Romano repererant, ad hodiernam citationem; et quae de albis praetorum legerant, ad edicta iudicum nostrorum referre. Quin, ne quid deesset ineptiarum, ex veteribus istis praesidibus et praefectis praetorio imperii nostri principes atque electores deriuare haud dubitabant. Quas ridiculas interpretationes ex crassa antiquitatum Romanarum interioriſque litteraturae ignorantia subnatas, quum posteri, nugis istis tamquam glebae adscripti, tantum non consecrarent: tantus sensim succreuit errorum grauissimorum proventus, vt exstirpando huic luxurianti lolio ne eminentissimorum quidem iureconsultorum sufficeret diligentia.

Enimuero, condonandum id forsan fuerit magis illis, qui tam infelici saeculo adoleuerant, ingeniis. Illud vix ferendum, quod

(*e*) MVRET. *Part. I. Orat. XVII.*

(*f*) Glossa *ad princ. Inst. de Lege Fus. Can. toll. edit. antiquiss. ex saeculo XV.* Quam legem Fusiam Caniniam forte a quodam, qui Caninius nominabatur, inductam; vt in publiciana dicitur infr. de *actionibus §. aliae.* Nam canis seruabat naturam, qui stat in palea, qui nec sibi potest habere paleam, nec alii permittit accipere. Sic nec sibi poterat tenere seruos, quod moriebatur; nec libertatem patiebatur iis dari. Vnde merito *canina* dicitur, vt sit consequens nomen rei.

(*g*) Glossa *ad §. 4. Inst. de Iure nat. gent. et ciu.* Sed hoc sublatum est per legem, latam ab Hortensio Rege.

(*h*) Glossa *ad §. 1. Inst. de testam. ord. Calatis*, id est, bonis initiis vel conuentibus, καλὸς enim bonum interpretatur.

(*i*) Glossa *ad princ. Inst. de Lege Falcid.* Falcidia sic dicta, quod vt falx foenum, sic et lex legata resecat.

(*k*) Glossa *ad §. 2. Inst. de sing. reb. per fideicom. rel.* Orcinus sic dictus ab orco, quod est rectum, vnde orcinus, id est, directe manumissus, vel ab orco, id est, capio.

Source : BIU Cujas

quod in felici illa temporum reparatione, quum vbique ferue-rent elegantiorum litterarum ſtudia, non deeſſent, qui in illa gloſſatorum barbarie quaererent delicias, frugeque reperta, glan-de tamen veſci mallent. Nemo ignorat, quantum in iurispru-dentia repurganda illuſtrandaque deſudauerint praeſtantiſſima ſu-periorum temporum ingenia, ALCIATI, BVDAEI, CVIA-CII, BALDVINI, HOTOMANI, CHARONDAE, CON-TII, BRISSONII, FABRI, AVGVSTINI, GIPHANII, PITHOEI, RAEVARDI, RITTERSHVSII, qui omnes cum iuris peritia admirabilem quamdam atque inuſitatam anti-quitatis notitiam coniunxerant: ſed eorum tamen labores adeo ſorduerunt pleriſque, vt vir quidam doctiſſimus, qui Balduini opera coniunctim edere inſtituerat, non reperiret, qui ſumtus facere ſuſtineret. Si qui etiam, eorum excitati exemplo, eam-dem docendi rationem ſequerentur in academiis, iis publico ex-poſitis odio, barbaroque *humaniſtarum* nomine traductis, tantum non aqua et igni interdicebatur (*l*). Certatim ergo tum iuue-nes in Italiam, tamquam ad iurisprudentiae mercatum quemdam confluebant, audituri ibi iureconſultos *magiſtraliter*, ſi Deo pla-cet, docentes, (*m*) et redituri inde rabulae haud poſtremi, confidentes, acres, contentioſi, et quod palmarium tum vide-batur, multarum legum, ſibi non intellectarum principia vno ſpiritu citare gnariſſimi.

Verum ſuppuduit demum iureconſultos tantae barbariei, Deus-que hanc eis mentem dedit, vt cum illo legum ſtudio praeter ac-curatiorem ratiocinandi artem aliaque praeſidia, etiam antiquita-tum in primis Romanarum peritiam coniungerent. Viderunt po-ſtrema haec ſaecula iureconſultos humaniſſimos, MERILLIOS, GROTIOS, GOTHOFREDOS, AVERANIOS, VINNIOS, FREHEROS, HERALDOS, OISELIOS, BRUMME-ROS,

(*l*) Exemplum eſt in MELCH. von OS-SEN Teſtamento *Part. II. cap. VIII. §. 2. p.* 385. *et §. 14. p.* 403.

(*m*) Magiſtralem hanc docendi metho-dum luculenter ex Panciroli de *Clar. leg. Interpr. II. 6.* exponit THOMAS. *ad Melch. de Oſſen Teſtam. p.* 398.

Source : BIU Cujas

ROS, MENAGIOS, HVBEROS, SPANHEMIOS, BYNCKERSHOECKIOS, NOODTIOS, SCHVLTINGIOS, qui nihil fecerunt reliqui, vt legibus ex ipsa status Romani veterumque rituum contemplatione lucem suffunderent. Sed plerique tamen duntaxat singularia quaedam iuris nostri capita illustranda susceperunt, nemoque adhuc, quantum memini, exstitit, qui per omnes iuris partes eundo hoc antiquitatis iter, vt CICERO (*n*) vocat, confecerit. Equidem IACOBVM GOTHOFREDVM iustum antiquitatum iuridicarum corpus meditatum esse, auctor est MORHOFIVS (*o*), id quod, si vidisset lucem, tamquam Phidiae aliquod signum omnium procul dubio cordatiorum admirationem meruisset. Verum inuiderunt nobis fata tam luculentum opus, neque quisquam adhuc in tanti viri labores succesſit.

Quum vero et ego, quantum vtilitatis haec antiquitatum notitia iuris Romani cultoribus adferat, experiundo didicissem, et olim ita ferente studiorum meorum ratione, in peruoluendis melioris aetatis auctoribus indagandisque antiquitatibus haud parum insumsissem operae: facile a me impetraui, ut hac re cupidae legum iuuentutis studia pro virili mea parte iuuare anniterer. Eo consilio superiore aestate in publicis, quas indixeram, praelectionibus ad singulos Institutionum titulos ea explicaui, quae ex antiquitatibus ad intelligendam illam iuris materiam obseruanda videbantur. Quum vero, auditorum memoriae consulturus, breuissimis, quantum licebat, positionibus omnia conclusissem: dignae illae quibusdam visae sunt, quas reuocarem sub limam, et publicae luci exponerem. Et inde subnatum mihi est hoc antiquitatum Romanarum, quod nunc publici iuris facio, syntagma, interioris iurisprudentiae studiosis non ingratum, ut spero, futurum. Equidem et in antiquitatum studio suauis nonnumquam latet insania. Non desunt hodienum, Damasippi illius similes de quo HORATIVS (*p*):

(*n*) CIC. *de Orat. I. 60.* *Sect. III. §. XL. p. 83.*
(*o*) MORHOF. *Polyhist. Tom. III. Lib. VI.* (*p*) HORAT. *Sermon. II. 3. v. 64.*

Source : BIU Cujas

Insanit veteres statuas Damasippus emendo.

Non desunt, qui Protei baculum, aut Epicteti fictilem lucernam talentis coemerent, dummodo essent qui decipere vellent. Sed hos ego homines suauiter rideo, et si recte ab HENR. STEPHANO (*q*) obseruatum, Graecos olim simplices homines ἀρχαίους et ἀρχαικοὺς; stultos vero πρόνους, προνίους, προνολήρους, et βεκκεσελήνους vocasse: nulli mihi magis hoc nomen mereri videntur, quam qui antiquitatis quisquilias auro mercantur. Numquam mihi placuit antiquitatis studium, nisi quod sublimioribus scientiis lumen praeferret. Non ergo vulgaria ac trita hic quaeres, non λεπτολογίας illas, quas plerumque in antiquitatum scriptoribus rident, quotquot sunt cordatiores eruditi. Non hic de veterum calceis, non de eorumdem tricliniis, epulis, ianuis, ludis, hastis, tibiis, coronis, laruis, thermis, torquibus, lucernis agitur: (cui enim non dictus Hylas?) sed de iis, quae ad statum reipublicae Romanae, ad legum origines et rationes, ad ritus, formulas, et sollemnia populi Romani verba, ipsumque veterum iudiciorum ordinem pertinent, sine quibus intelligi haud possunt leges Romanorum. In consilium vbique adhibui auctores praestantissimos, quos omnes ipse euolui, et, quantum licuit, bona fide citaui. In prioribus titulis multum me fateor profecisse ex illustris THOMASII dissertationibus, quibus institutiones illustrare coepit (*r*), quae si omnes vidissent lucem, supersedere potuissem hisce lucubrationibus. Multum quoque adiumenti mihi attulerunt aeterna CVIACII, HOTOMANORVM, BRISSONII, BALDVINI, PET. FABRI, BRVMMERI, M. VERTRANII, MAVRI, SIGONII, SALMASII, IO. FRID. GRONOVII, EZECH. SPANHEMII, MENAGII, NOODTII, BYNCKERSHOECKII, PERIZONII, HVBERORVM, BVRMANNI, SCHVLTINGII, aliorumque doctissimorum virorum opera, quae diurna nocturnaque versaui

(*q*) HENR. STEPH. *Apolog. Herodot.*
(*r*) *De vsu practico Institutionum*, in quibus tamen adhuc non longius, quam ad *Lib. I. Tit. XII.* progressus est.

Source : BIU Cujas

ſaui manu. Legem tamen hanc ego mihimet ipſe dixi, vt ſemper ad fontes recurrerem: eaque re factum eſt, vt haud pauca obſeruarem, quae aliis in mentem haud veniſſe arbitror. Quum vero in praelectionibus, quarum memini, publicis, ordinem Inſtitutionum ſequutus eſſem: nolui poſtea ab eodem recedere, ſed eumdem in toto opuſculo ſeruandum exiſtimavi, ea tamen lege, vt potiores, quae in pandectis occurrunt, materias iuſto loco atque ordine inſererem, multaque, quae in vtriſque deſiderantur, hinc inde ſupplerem. Sic quum verbi cauſſa diſtinctiones perſonarum omnes neque in Inſtitutionibus, neque in latiore Digeſtorum opere explicatae ſint: de illis accuratiſſime egi in adpendice libri primi, vbi ſimul dedi operam, vt quae a CAR. SIGONIO in libris *de antiquo iure ciuium Rom. Italiae et prouinciarum*, vt et EZECH. SPANHEMIO in *Orbe Romano* paullo prolixius traduntur, tanquam in nucleo exhiberem. Eadem cura et diuiſionem illam *rerum mancipi* et *nec mancipi*, de qua altum eſt in iure noſtro ſilentium, expoſui *Libro II. Tit. I.* Multa quoque dicta inuenies de iuriſdictione et imperio, de ordine iudiciorum, de feriis et dilationibus, de edendo, poſtulando, procuratoribus, de iure dotium, diuortiis, aliiſque iuris capitibus, quae ſicco pede in Inſtitutionibus praetereunda putauit TRIBONIANVS. Vt paucis dicam, ita in hoc opere verſatus ſum, vt liceat mihi fructum vberrimum ad conſcientiam meam referre. Illud vnum doleo, inter concatenatos labores non licuiſſe mihi eſſe tam felici, vt paulo ſeueriore lima menda omnia tollerem. Ea TV, LECTOR BENEVOLE, tantiſper aequo animo feras, rogo, dum in calce poſterioris partis indicem eorum, in quibus operae aberrarunt, confecero. Interim fruere his, et ANTIQVITATES GERMANICAS, quae ad illuſtrandum ius Germanicum hodiernum faciunt, et quas ego iam a plurimis annis perpoliui, eadem methodo expoſitas, breui, ſi Deo viſum fuerit, exſpecta. VALE. Ex Academia Fridericiana, ipſis KAL. SEPT. cIↃIↃccxviii.

Source : BIU Cujas

PRAEFATIO

Sequentibus Editionibus adiuncta.

LECTORI BENEVOLO

S. P.



RAETER ea, quae olim huic libello verbosius praefatus sum, iam quoque sunt, LECTOR, quae paucis te volo. Qua occasione ille mihi olim subitanea veluti opera natus sit, ex vetere praefatione, si memineris, didicisti. Fata tunc illi longe alia, quam quae expertus est, ominabar. Non dubitabam enim, quin, quum plerique alieno ab his studiis animo esse soleant, libellus non nisi meis, quibus illum destinaueram, auditoribus vtilitatem aliquam adlaturus, adeoque extra academiae in qua tunc publice docendi munere fungebar, Halensis pomoeria non multum consequuturus esset celebritatis. Enimuero aliter accidit, ac quidem existimaueram. Vix enim praelo exierat opusculum, quum et exteri in ephemeridibus publicis institutum meum probarent, et ipsum libellum commendarent vnice. Fuerunt etiam qui se eo non parum adiutos esse, litteris ad me datis, significarent. Fuerunt, qui illum in hac ac exteris academiis publice enarrarent, suisque illustrarent interpretationibus. Fuerunt denique, vt fit, qui in libellis et schedis suis, mea, vel suppresso auctoris nomine, exscriberent, vel cum honoris praefatione citarent, vel naeuos quosdam, siue veros, siue sibi ita visos, candide

Source : BIU Cujas

dide indicarent; quibus ego me magis obstrictum fateor, quam illis, qui mihi laudes, quas non agnosco, admetiri non dubitarunt. Inter haec, omnia libelli exemplaria paucos intra annos distracta sunt, meque iam monet bibliopola, in quem, dissipato bibliopolio nouo, ius vendendi opusculum, translatum est, vt si quid in scriniis esset, quod addendum putem, id secum communicare non dubitem, ast ita tamen componam rationes, vt forma libri non multum immutetur. Statim ergo sub incudem illum reuocaui, et nihil feci reliqui, vt multo concinnior emendatiorque prodiret in lucem. Quid praestiterim, paucis accipe. Naeuos, qui vel operarum incuria vel culpa mea, quamuis leuissima, priori editioni haeserunt, seueriſſima cura sustuli; Auctorum loca accuratissime citaui: quaedam non satis firmata, nouis nunc testimoniis stabiliui: Adieci hinc inde obseruationes, quae deesse videbantur: quibusdam, de quibus amplius deliberandum censui, induxi lituram. Mutaui etiam nonnunquam sententiam, a nemine monitus, et solo veritatis studio, quod rebus omnibus anteferre soleo, adductus. Quaedam amicorum, doctorumque virorum monitu correxi, si quando eos acu tetigisse deprehendi. Numquam enim mihi adeo placui, vt humani quidquam a me alienum ducerem. Denique quum a quibusdam non ex merito vellicari me animaduerterem, operam etiam dedi, vt mea vindicarem modeste. Exemplo esse poterunt, quae contra Virum Clarissimum, B. BRANCHV, iureconsultum Lugdunensem disputaui. Bis me Vir doctus erroris postulauit in elaboratissimis, quas euulgat, obseruationibus iuris. Sed vtroque loco eum non errorem deprehendisse, sed coniecturam coniecturae oppositisse animaduerti, et quidem parum verisimilem verisimillimae. Vnde quum non liceret mihi esse tam beato, vt ab eo proficerem, committendum mihi haud putaui, vt errasse me faterer, vbi ipse errori propior videbatur. Denique, ne id ignores, indicem auxi quam maxime, insertis iis, quae in no-

Source : BIU Cujas

va hac editione acceſſerunt. Ita vere adfirmare poſſum, auctiorem emendatioremque proditurum eſſe libellum, ſi is, qui emendationi plagularum impreſſarum praefuerit, tantum induſtriae attulerit, quantum ego ad illius recognitionem attuli. Diligentiam enim operarum, quamuis exactiſſimam a bibliopola, viro integerrimo, ſtipulatus ſim, ipſe praeſtare nequeo, plus quam centum milliaribus Argentorato remotus. Haec ſunt, quae ſcire te volui, LECTOR, antequam te ipſius libri lectioni dares. Tu lucubratione, quam in tui gratiam ſuſtinui, vtere, fruere, et mihi, tua cauſa omnia volenti, et antiquitates Germanici iuris multo maiore ſtudio adornanti, et breui eidem praelo commiſſuro, faue. Halae Kal. Sextil. cIↃIↃccxxiii. Haec ante biennium. Iam ſcito, iterum diſtractis exemplaribus, me denuo libellum recognouiſſe, emendaſſe, nihilque feciſſe reliqui, vt prodiret et auctior et emaculatior. Eſt hoc ſtudium huiuſmodi, vt quotidie aliquid obſerues: nec quiſquam tam bene ſubducta ad ſcribendum ratione eſt, quin res, aetas, vſus ſemper aliquid adportet noui, aliquid moneat, vt illa, quae te ſcire credideras, neſcias, et quae tibi putaras prima, in experiundo repudies. Quod et mihi, quoties mea relego, euenit, euenietque fortaſſis et in poſterum, ſi me viuo libellus quartum praela exercuerit. Sed haec Deo curae erunt, cui te, LECTOR, aeque ac me ipſum meaque omnia commendo. Franequerae Friſiorum x. Kal. Febr. cIↃIↃccxxvi.

IO. GOT.

Source : BIU Cujas

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

IVRECONSVLTI QVONDAM CELEBERRIMI, AC CONSILIARII

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS BORVSSICAE

INTIMI,

HISTORIA IVRIS CIVILIS ROMANI AC GERMANICI,

QVA VTRIVSQVE

ORIGO ET VSVS IN GERMANIA

EX IPSIS FONTIBVS OSTENDITVR,

COMMODA AVDITORIBVS METHODO

ADORNATA,

MVLTIS OBSERVATIONIBVS HAVD VVLGARIBVS

PASSIM ILLVSTRATA.

NOTISQVE IO. DAN. RITTERI,

ET IO. MART. SILBERRADI,

formâ ſupplementi aucta.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

HONORATISSIMO LECTORI

S. P. D.

IO. GOT. HEINECCIVS.

QVOD plerosque facere animaduertimus, qui praefationes scribunt, vt vel rerum, quas explicant, vtilitatem ac praestantiam verbis ornatissimis commendent, vel vino alioquin minus vendibili veluti hederam suspendant: eorum ego hic nihil facere constitui. Quemadmodum enim incredibilem HISTORIAE IVRIS vtilitatem satis perspiciunt harum rerum intelligentes, eamque re ipsa experiuntur quotidie: ita apud imperitos et veteris barbariei statores frustra verba facerem, neque vlli mortalium tantum est flumen ingenii, tanta scribendi dicendique vis ac copia, vt his hominibus, vel ad ipsum elegantiorum litterarum nomen cohorrescentibus, non dicam persuadere, sed verosimile tantum facere possit, earum vllam in iuris prudentia vtilitatem esse. Et sane qui fieri possit, vt illi harum deliciarum suauitatem salubritatemque percipiant, qui quotidie carduelibus sentibusque vescuntur, asperumque illum victum calceatis istis dentibus suis facillime subigunt? Quare quum et rem in se commendatissimam verbis extollere, supervacuum; et surdis narrare fabulam, molestissimum videatur: de vtilitate praestantiaque huius studii, vt prae-

Source : BIU Cujas

diximus, iam non differemus, sed instituti tantum nostri rationem reddemus iis, quibus nos, nostraque studia, vigilias ac labores probari quam maxime cupimus.

Placuit nuper REGI nostro longe clementissimo, vt, relicta illustri Viadrina, in Fridricianam hanc celeberrimam me conferrem, docendique munus, quo iam olim ibi non sine fructu studiosae iuuentutis perfunctus fueram, postliminio obirem. Parui ego, prout decet, OPTIMI PRINCIPIS voluntati, et quamuis nouam illam migrationem, decliui iam aetate, quantum fieri potuit, deprecarer, eiusque taedio conditiones splendidissimas, a REGIBVS ac REBVSPVBLICIS potentissimis mihi propositas, aliquoties repudiassem, Halam tamen familiam ac supellectilem transtuli, operamque dedi, vt obsequio erga PRINCIPEM nec prius mihi, nec antiquius quidquam esse, re ipsa ostenderem. Inciderat haec profectio mea in illud anni tempus, quo Halae praelectionum publicarum priuatarumque iam pridem factum fuerat auspicium, nec integrum mihi erat, a disciplinarum quarumdam interpretatione munus meum auspicari, nisi turbare vellem ordinem, quem doctores celeberrimi iam inde a felicissimis academiae huius primordiis religiose seruarant. Ne tamen paucos hos menses otio ac silentio transirem, statui iuuentuti studiosae publice ea praelegere atque inculcare, quae tortuosum iuris prudentiae iter ac veluti Labyrinthum ingressurae instar fili Ariadnei esse possent. Expensis itaque, quae huc facere videbantur, vniuersis, subductisque rationibus, hanc feci cogitationum mearum summam, nihil illis fore vtilius, nihilque fructuosius, quam si iis iuris tum Romani, tum Germanici, origines ac progressum paullo adcuratius enarrarem, ex ipsaque historia ostenderem, quis vtriusque illius iuris in foro vsus sit, et quantum decipiantur ac decipiant, tum qui, vt ius Romanum in exsilium agant, Germanicum nescio quod, in tribunalibus vnice regnare contendunt, tum qui, recepto in subsidium illo iure, tantam rerum conuersionem factam esse existimant, vt moribus

Source : BIU Cujas

moribus patriis foro, ac veluti aqua et igni interdictum sit. Ne vero auditoribus, qui magno numero ad has acroases confluebant, deesset libellus, quem et in auditorio, et domi, prae manibus haberent, breues has positiones in chartam conieci, calamo tam festinante, vt saepenumero schedae adhuc madidae in officinam mittendae essent. Quamuis autem mihi veniam paratam fore putem apud aequos rerum arbitros, si quaedam vel praeteruisa, vel non satis ad amussim facta perpolitaque deprehenderint: adfirmare tamen possum, me haud pauca obseruasse mihi videri, quae non omnibus in mentem venerunt, ac proinde breuiter perstrictis iis, quae iam ab aliis adcuratius tradita noueram, ea, quae vulgo vel omitti, vel perperam proponi solent, diligentius explicasse, meque multo plura atque exquisitiora eius generis additurum, si eo vsque vitam produxerit summum Numen, vt limam iterum subeat libellus paene extemporarius. Ita enim comparatum est hoc studiorum genus, ad quod nos horis tantum subcesiuis furtim veluti referimus, vt quotidiana lectio multas nobis obseruationes nouas sufficiat, quibus ea, quae olim in chartam conieceramus, mirifice illustrari locupletarique possint. Cuius rei vt quaedam specimina hic demus, pauca, quae interea, dum prelum feruebat, animaduertimus, veluti per lancem saturam recensere iuvabit, ita tamen, vt chartae habeamus rationem, et temporis, quod nobis ob imminentes nundinas conceditur, perquam exigui.

Libro priore (1) fusius egimus de edictis magistratuum, solideque, nisi fallimur, demonstrauimus, dictatores, consules, censores, praetores, aediles curules, tribunos plebis, quin et praefectos praetorio, adeoque omnes fere magistratus, edicta de rebus ad curationem suam pertinentibus reddidisse, quin ideo HONORARIVM illud ius dictum esse, quod omnes, qui Romae honoribus fungerentur, ipsique adeo sacerdotes, nedum ma-

 gistra-

(1) §. 61. pag. 54. hui. edit.

Source : BIU Cujas

giſtratus, ius illud edicendi ſibi arrogarent. Fruſtra adhuc deſideraueram aliquot magiſtratuum, qui edicta propoſuerint, exempla, veluti praefectorum vrbi, praefectorum Auguſtalium, et quaeſtorum, in quae tamen interea, dum plagellae hae typis deſcribebantur, aliud plane agens, incidi. Praefecti enim vrbi, Turcii Aproniani, edicta bina, alterum de carnibus, non micatione, ſed ad exagium vel ſtateram vendundis, alterum de ſuariis eorumque canone vinario, integra exſtant apud Gruterum (2): ſimiliaque aliorum praefectorum paſſim memorat Ammianus Marcellinus (3), eo notatu digniora, quo magis ex illis patet, etiam poſt edictum perpetuum hos praefectos edicta iuriſdictionis ſuae cauſſa promulgare non deſiiſſe. Ita et praefectos Aegypti Auguſtales eo iure vſos eſſe, numquam quidem dubitaram, qui non ignorabam, eos ab Arriano (4) ob proconſulare imperium ὑπάρχες Αἰγύπτε vocari, quique apud Tacitum (5) legeram, illos *loco regum in Aegypto egiſſe*, apud eoſque et *lege agi* potuiſſe, et *eorum decreta perinde habita eſſe, ac ſi magiſtratus Romani conſtituiſſent.* At nondum tamen occurrerat locus, quo diſerta fieret edictorum ab iiſdem propoſitorum mentio. Talem poſtea praeter ſpem atque opinionem reperi apud Philonem (6), qui Auidium Flaccum, praefectum Auguſtalem, crudelem alioquin et flagitiis omnibus coopertum hominem, eo tamen maxime nomine laudat, quod primis praefecturae ſuae annis τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν ἀνέπλησεν εὐνομίας, *quod bonas leges in vrbem Alexandrinam, et totam prouinciam, induxerit.* Quod profecto non aliter, quam propoſito edicto prouinciali, fieri potuit: vt iam non dicam de edictis repentinis, quae, prout res inciderent, promulgaſſe eumdem Flaccum, idem Philo (7) teſtatur. Denique et quaeſtores

(2) *Inſcript. pag. 747. num. 6. 7.*
(3) *Hiſtor. Lib. XXVII. cap. 9. et Lib. XXVIII. cap. 4.*
(4) *Expedit. Alex. Lib. III. cap. 5. pag. 310.*
(5) *Hiſtor. Lib. I. cap. 11. et Annal. Lib. XII. cap. 60.*
(6) *In Flacc. pag. 966.*
(7) *Ibid. pag. 972.*

Source : BIU Cujas

ſtores eo iure vſos eſſe, mihi perſuaſit locus Ciceronis (8) *L. Octauio et C. Cottae coſſ. ſenatus permiſit, vt vini et olei decimas, et frugum minutarum, quas ante te quaeſtores in Sicilia vendere conſueſſent, Romae venderent, legemque his rebus, quæ ipſis videretur,* EDICERENT. Ex eo enim manifeſto patet, conſules tum Romae feciſſe, quod antea quaeſtores in prouinciis, id eſt, vendidiſſe decimas, legemque venditioni, propoſito edicto, dixiſſe, vt dubitari non poſſit, quin et quaeſtoribus commune ius edicta reddendi fuerit cum reliquis magiſtratibus omnibus.

Alio loco (9) de SCHOLA IVRIDICA ROMANA, Conſtantinopolitana et Berytenſi diximus, ad eaſque ad ſaeculum ſextum vſque magnum concurſum factum eſſe oſtendimus. Subdubitaui adhuc, an et ſub Gothicis, et Langobardicis regibus, itemque ſub imperatoribus Francicis et Germanicis, florem ſuum conſeruarit Romanum iſtud gymnaſium. Sed reperi quaedam veterum teſtimonia, quae id adfirmandum eſſe ſuadent. Apud Caſſiodorum (*) enim Athalaricus, rex, profeſſoribus Romanis ſtipendia integra perſolui iubet, in illiſque numerat etiam *iuris expoſitorem.* Et in pacto, inter Leonem PP. VIII. et Ottonem M. in ſynodo Lateranenſi anno 1464. inito, a Theodorico de Niem (10), Melch. Goldaſto (11), Io. Schiltero (12), aliiſque edito, ſub finem dicuntur ea omnia facta eſſe *in patriarchio Lateranenſi, in eccleſia S. Saluatoris, ſynodo conſtituta a pluribus viris catholicis, epiſcopis et abbatibus, inſuper iudicibus et LEGIS DOCTORIBVS,* per quos quum intelligi nequeant doctores, ſollemni ritu in academiis creati, (quos aetas illa ignoraſſe omnino videtur,) manifeſtum eſt, intelligi profeſſores legum, qui Romae tum docendi munere fungebantur. Quo quantivis pretii teſtimonio ſimul confirmatur, quod alibi obſerua-

(8) *Orat. in Verr. III. cap. 7.*
(9) *Lib. 1. §. 36.*
(*) *Varior. Lib. VIIII. cap. 21.*
(10) *De iure et priuil. imp. pag. 248.*
(11) *Conſtit. imp. Tom. I. pag. 34.*
(12) *Inſt. iur. publ. Tom. II. Lib. II. tit. 10.*

Source : BIU Cujas

vimus (13), iuris ciuilis in foris Italiae a Iustiniani temporibus ad Lotharii Saxonis imperium permagnam fuisse auctoritatem, quamuis postremis temporibus defuerint, qui cupidae legum iuuentuti viam ad iuris prudentiam monstrarent, et ob eam potissimum caussam desertam hanc ab aliis prouinciam PEPO, IRNERIVS, aliique Bononienses, occuparint.

Libro posteriore (14) obseruauimus, omnes prouinciales, Italos, Gallos, Hispanos, qui sub Francorum, Ostrogothorum, Wisigothorum, Burgundionum, Langobardorum imperio vixerint, iuris Romani vsum retinuisse. Eam obseruationem mirifice illustrat doctissimus Ant. Matthaeus (15), qui multis demonstrat, eos, quamuis a populis istis Germanicae originis oppressos, se tamen adhuc *Romanos* et *ciues Romanos*; omnesque prouincias, in quibus degerent, quantumuis a barbaris perdomitas, *Romaniam* vocasse. Ex quo facile patet, cur in manumissionum formulis apud Marculfum alioque, manumissis etiam ea tempestate praeter libertatem concedatur *ius ciuitatis Romanae* (16), quod tamen tum in eo tantum constitisse arbitramur, quod iure Romano, si vellent, vterentur, neque inuiti adstringerentur barbarorum, ceu vocabant, legibus. Dixi, iure Romano eos, si vellent, vti potuisse. Optionis enim ius vnicuique dabatur, qua potissimum lege viuere vellet, idque constituerat Lotharius imp. (17) cuius haec est sanctio: *volumus, vt omnis senatus & populus Romanus interrogetur, quali vult lege viuere, vt sub ea viuat.* Ac proinde saepenumero factum est, vt sententiam mutarent, et, qui se antea iuri Romano submiserant, postea aliam aliamque eligerent: id quod apud Langobardos potissimum viduae faciebant, viuis quippe maritis horum legibus adstrictae, iisdem vero solutae, simulac solutum esset matrimonium (18). Quae

(13) *Lib. I. §. 414.*
(14) *Lib. II. §. 15.*
(15) *de Nobilit. Lib. I. cap. 27. pag. 107. sequ.*
(16) *Form.* Lindenbrog. *91. 96. 98. 101.* Baluz. *Append. Capitular. num. 105. Tom. II.*
(17) *Capitul. ann. 824. cap. 5.*
(18) *Capit. Lothar.* apud Baluz. *Tom. II. cap. 14.*

Source : BIU Cujas

Quae de vsu iuris Romani in Germania, qualis saeculo XIIII. fuerit, differuimus, (19) ea iam multis illustrari possent, maxime ex insigni eius aeui monimento, puta PHIL. DE LEYDIS *libro de cura rei publicae et sorte principantis*, primum *Leidae* 1516. impresso, posteaque nitide recuso *Amstelod.* 1705. 4. Floruit hic Belga, testibus Desselio (20) et Io. Meursio (21), adulto iam saeculo XIIII. impetratisque Aureliae doctoris Decretorum honoribus, primum ius pontificium Parisiis aliquamdiu explanauit, posteaque in Belgium redux, circa annum 1369. in Guilielmi Bauari, Hollandiae comitis aula consenuit, fato functo anno 1380. Ex eius libro passim adparet, quae tum fuerit iuris in Belgio ac Germania facies. Quantae tum dignitatis fuerint Doctores iuris ciuilis, quantumque splendorem, vel potius πολλὴν φαντασίαν adfectarint, discimus ex *casu* 33. (22) vbi proponit speciem: *quidam legista, non doctorizatus, nec legum dominus, nec professor, impetrauit ab imperatore, vt insignia doctoralia deferret, videlicet AVRI ORNATVM in FRAENIS, CALCARIBVS, et SELLIS EQVESTRIBVS; numquid concessum valet? Hic patet, quod non.* En doctores eius saeculi, auspiciis imperatorum creatos, qui iure nobilibus proprio, fraena, ephippia, et calcaria auro exornandi vtebantur. Quumque suo loco ostenderimus, iuris peritos tum nihil reliqui feciſſe, vt vsum ac praestantiam artis suae vbique commendarent, quin eo factum esse, vt in vrbibus celebrioribus sequente saeculo syndicorum munere fungerentur: (23) idem multo citius in Gallia, Anglia, et Belgio factum esse, ex eodem libello discimus. Ait enim (24): *similiter ad habendum initium legalis experientiae, esset et alia via, vt in quolibet bono oppido esset per principem statutus vnus iuris peritus, cui prouideretur de congrua pensione, cuius prouidentia deciderentur singula,*

(19) *Lib. II. §. 68.*
(20) *Biblioth. Belg. pag. 775.*
(21) *Athen. Batau. Lib. I. pag. 72.*
(22) *pag. 99.*
(23) *Lib. II. §. 98.*
(24) *Cas. 60. pag. 128.*

Source : BIU Cujas

singula, vt fit in Francia, Anglia, Flandria, et aliis ordinatis patriis. Non adiungit auctor Germaniam, cui potius alibi (25) ideo male ominatur, quod minor ibi sit iuris peritorum copia, minorque auctoritas. *Notum est tamen*, inquit, *quod istud priuilegium pluribus priuatis concessum est, et obseruatum propter defectum iuris peritorum, qui magnus est in regno Alamanniae, quod principibus istis ad magnum cedit iuris et honoris detrimentum.* Non dicit, nullos ibi iuris peritos esse, (id enim falsum fuisset, ceu in opusculo (26) demonstrauimus), sed minorem tantum numerum, quam tanti imperii amplitudo exigere auctori videbatur. Fortassis etiam multos Germanorum principes ciuitatesque adspernari audiuit ciuilem illam sapientiam, *miratos*, quod de maioribus nostris memoriae prodidit Velleius Paterculus (27), *solita armis discerni iure terminari.* Id enim ipse subinnuere videtur Philippus noster, dum porro scribit (28): *et igitur bene felix patria, in qua plurimi praesunt sapientes. Hic sumas argumentum, multum expedire rei publicae, viros habere litteratos, qui LEGES nouerint et IVRA MAIORVM. Et facit pro regno Franciae, et contra ALEMANNOS, qui studia litterarum minus frequentant, in ipsius rei publicae maximum incommodum, ruinam, et iacturam. Hinc VIOLENTIA MAGNA publica deformatur vrbanitas: praesidet LVPORVM RAPACITAS, et ipsi principes ignominiae subiacent, nec honorem et statum cognoscunt sibi ipsis et subditis suis imperandi. Vnde in politicis dicitur: felix illa ciuitas, in qua philosophi sunt praesides.* Nimirum maior tum erat Germanorum ferocia, quam vt statim nouitate incognitae disciplinae mansuescerent, sibique extorqueri paterentur arma, in quibus ius omne positum habebant, neque aequo animo ferebant, mores patrios a iuribus peregrinis in exsilium agi. Quod et ipse Philippus iniquum ratus eius modi

(25) *Cas. 38. pag. 121.*
(26) *Lib. II. §. 68.*
(27) *Histor. Lib. II. cap. 118.*
(28) *Cas. 6. pag. 24.*

Source : BIU Cujas

modi iuris peritos rem publicam capeſſere volebat, *qui LEGES noſſent, et IVRA MAIORVM*, id eſt, qui iuris patrii peritiam cum adcuratiore iuris prudentia coniunxiſſent.

Sed ad alia properamus. In libro priore (29) de LIBRIS FEVDORVM, nec non de ANT. MINCVCCII et BARTH. BARATERII operibus feudalibus; in poſteriore (30) de IVRE FEVDALI SAXONICO et SVEVICO ſeu ALAMANNICO egimus. Sed et hic quaedam tunc ſe nobis ſubduxerunt, quae addita mallemus. Dici enim quaedam debuiſſent de IVRE FEVDALI OSNABRVGENSI, quod edidit IO. PETRVS A LVDEWIG (31), cuius in has litteras merita grato animo agnoſcent poſteri, quamdiu iſtis ſuus honor erit, pretiumque, quo dignae ſunt, ſtatuetur. Notitiam praeterea dare potuiſſem IVRIS FEVDALIS FLANDRICI, cuius codex MSC. membranaceus, ſaeculo circiter XIIII. nitide exaratus exſtat in bibliotheca publica Franequerana, haud parum illuſtraturus ea, quae de feudorum illorum indole a Iac. Curtio (32), Iac. Marchantio (33), Friderico a Sande (34), aliiſque traduntur. Denique, quod maxime nollem, neſcio quo fato contigit, vt nihil dixerim de libro inſigni DE BENEFICIIS, quem ab Eybenio acceptum, tamquam ἀνέκδοτον cum eruditis diſſertationibus de libri huius veteris auctore, fato, vetuſtate, raritate, et uſu anno 1708. in *Selectis feudalibus* edidit CHR. THOMASIVS, edoctus poſtea ab aliis, eum iam pridem cum Franc. Duareni *Commentario in conſuetudines feudales* editum eſſe a Io. Hauichorſtio, *Colon. Agripp.* 1569. 8. ſub titulo: *Liber vetuſtus de feodis, ſiue feudis, item de ordine placitationis et vrbano beneficio, per aphoriſmos diſtinctus* (35).

Tom. IIII. Heineccii Hiſt. Iur. Ciu. ** Lauda-

(29) *Lib. I. §. 421. et §. 424.*
(30) *Lib. II. §. 77. et §. 83.*
(31) *Reliqu. MSC. Tom. II. pag. 297.*
(32) *Conjectur. ad Viuid. I. 18. II. 6.*
(33) *Deſcript. Flandr. libr. de feudal. Flandr. morib.*
(34) *Conſuet. Feud. Gelr. Tract. I. tit. 3. §. 12.*
(35) *Summariſche Nachr. von auſerleſenen Büchern, Part. XXIIII. pag. 1007.* Thomaſ. *Adpend. Select. feud. Tom. II. pag. 429. ſequ.*

Source : BIU Cujas

Laudauerat eum iam Marquardus Freherus (36), qui ſub Saxonicis imperatoribus ſcriptum putabat, quod in eo feuda ſemper beneficia vocarentur. Eidem hac in re ſuffragatur laudatus Thomaſius (37), eo inprimis motus argumento, quod nepotibus ius ſuccedendi in feudo negetur (38), quos tamen ad ſucceſſionem iam admiſerit Conradus Salicus imperator (39). Contra Lotharii Saxonis temporibus auctorem vixiſſe cenſuit Nic. Hier. Gundlingius (40). At rem omnem conficere videtur locus inſignis iſtius libelli, (41) vbi dicitur, *regem, quem eligant Teutonici, quum Romam vadat ordinari*, ſecum adducere debere *ſex principes, qui primi ſint in eius electione, vt pateret apoſtolico regis iuſta electio.* Hinc enim manifeſtum eſt, librum hunc paullo poſt Lotharium ſcriptum ſub Conrado III. vel Fridrico Ahenobarbo. Ante Lotharium enim neminem imperatorum iudicium de electione ſua pontifici Romano detuliſſe, ſed ipſos potius imperatores de pontificum electione cognouiſſe, pluribus iam demonſtrauit Gundlingius (42). Ex quo autem Lotharius ille pontifici plurimum tribuere coeperat: hoc arbitrium ſibi vnice arrogabat curia Romana, adeo vt in *Caerimoniali Romano* (43) legamus, *electum regem, futurum Romanorum imperatorem, debere decretum electionis pontifici oſtendere, hunc vero ſolere, viſo decreto, & examinata electione in ſacro ſenatu, habitaque ſufficienti informatione, tam ſuper forma electionis, quam ſuper idoneitate et habilitate perſonae electi, per commiſſarios a ſe conſtitutos, ad inſtantiam dicti electi ipſum electum in ſpiritualem filium ſuum et eccleſiae Romanae ſuſcipere.* Sed notatu dignum eſt, auctorem *Caerimonialis*, dum ſubiungere voluit exempla imperatorum, qui hoc obſeruarint, non

(36) *Not. ad Conſt. de expedit. Rom. ad verba: feodo ſuo.*
(37) *Diſſ. de libri vet. de benef. auct. §. 25. & 26.*
(38) §. 5. 20. 24. 25. 44. 76.
(39) *I. Feud. I. 1. 2.*
(40) *Diſſ. de vnione elector. §. 21.*
(41) §. 6.
(42) *Gundlingian. Part. III. pag. 216. ſequ.*
(43) *Caerimon. Rom. Lib. I. ſect. 5. cap. 1.*

Source : BIU Cujas

non nisi *Carolum IIII. et antea Henricum VII. et Albertum, eius praedecessorem, et Rudolphum*, nominare potuisse, adiecisseque quidem *et plures alios* id feciisse, sed non alios procul dubio intellexerit, quam Lotharium, eiusque aliquot successores. Et quibus, quaeso, temporibus magis conuenit numerus ille principum senarius, quam Conradi III. quibus, proscripto Henrico Superbo, et dubia aliquamdiu Saxoniae et Bauariae possessione, vnus ex primariis Germaniae principibus deerat, adeoque sex tantum supererant, quorum suffragia in eligendis imperatoribus praerogatiua donari iam tum solebant. His ergo demum temporibus prodiit monimentum praestantissimum, ex quo pleraque decerpsisse iuris feudalis Saxonici et Alamannici auctores, iam ab aliis obseruatum est. Nec in eo ego quidem quidquam deprehendo, quod isti tempori minus conveniat, quum et *beneficii* vox sequioris aeui scriptoribus non ignota sit, et nepotes disertis verbis a successione excludantur nusquam, sed sub *filiorum* vocabulo commode satis comprehendi posse videantur.

Sed haec quoque scribentem, et plura tecum, lector, confabulari volentem interpellant me operae, et praefationem non sine conuicio flagitant. Abrumpendum itaque fuit filum, reliquis, quae dicenda supererant, alii occasioni sepositis. Tu itaque vale, meisque conatibus faue. *Halae* e museo *prid. Kal. Octobr.* CIↃIↃCCXXXIII.

Source : BIU Cujas

PRAEFATIO ALTERA.

QUAE mihi hunc adornandi libellum octavo abhinc anno fuerit occasio, amice lector, *quamque paene praecipiti festinatione ille a me tunc in chartam coniectus sit, ex ea, quam primae editioni praemisi, praefatione, satis, vt opinor, perspexeris. Non potui ergo non tum vereri, ne ea scriptione satisfeciſſe videar quam pauciſſimis, iique saltim, quibus nihil, niſi quod eximia quadam cura ſcriptum perpolitumque ſit, placere ſolet, perfectius quid atque elegantius ſint a me deſideraturi. Quum enim ea ſim tenuitate ingenii, vt et ſi adnitar, omneſque animi neruos intendam, vix quidquam, quod oculis tuis dignum videatur, proferat: quanto minus mihi ſperare licuit, ſubitaneum hoc et vix ſatis praemeditatum opuſculum vlli viro docto, maxime in tam vbere, quem ſaeculum noſtrum vidit, talium librorum prouentu eſſe placiturum? Enimuero multo aliter, quam metueram, res accidit. Tantum enim abeſt, vt Hecyrae Terentianae fato exploſus ſit hic libellus, vt tametſi auditorum tantum vſibus initio deſtinatus, tamen et extra academiae noſtrae pomeria inuenerit lectores, et diſtractis paene diuenditiſque exemplaribus omnibus, noua eaque nitidior editio iam pridem flagitari coeperit. Cur ea non prius prodierit, illi norunt, quibus bibliopolarum res paullo ſunt perſpectiores. Demum tamen moras omnes, egregii publici ſtudio ruperunt viri integerrimi, IO. et HERM. VERBEEKII, qui alieni ab exſecrabili illo libellos alienos furtim recudendi conſilio, cum priore bibliopola ita compoſuerunt rationes, vt eis iure recudendi hanc iuris hiſtoriam vltro cedere non dubitarit. Quum ergo hi operis redemtores nullis ſibi parcendum ducerent ſumtibus, vt et ſplendidiſſimis typis chartaque prodiret in lucem: debere ego hoc mihi viſus ſum lectoribus aequis, vt, qui antea*

Source : BIU Cujas

antea imperfectum illud opusculum tam aequo animo tulerunt, ii iam aliquid si non perfectius, at adcuratius tamen limatiusque a me accipiant. Itaque tot licet occupationibus distractus, infirmaque valetudine prope oppressus, me recensendo huic libello accingo, multa, quae deesse videbantur, suppleo, quaedam nouis veterum testimoniis firmo, quaedam, vt fit, emendo ac muto, idque tanto studio, vt si quis opus hoc nouum esse crediderit, eum ego non aberraturum a vero esse existimem. Fecerimne operae pretium, tuum, beneuole lector, erit iudicium. Me certe noua haec opera nauata iuris prudentiae maximopere delectauit, ut adfirmare possim, illam mihi et curas, quibus tum excruciabar, pleraſque absterſisse, et ad amissas difficili morbo vires recuperandas firmandasque mirifice profuisse. Ceterum ne sic quidem dubito, quin alii eamdem rem acturo permagnum reliquerim spicilegium. Experiundo enim didicisse mihi videor, nullam esse difficiliorem veteris historiae partem, quaeque pluribus egeat, paucioribusque instructa sit subsidiis, quam historiam iuris prudentiae. Siue enim veterum rerum publicarum, siue ecclesiae Christianae res et fata quis scribere constituerit, tot exstant incorrupta veteris aeui monimenta, vt se copia fere inopem reddi animaduertat. At quis, quaeso, veterum vel ad historiam iuris scribendam, vel vitas iureconsultorum enarrandas adpulit animum? Quotus quisque tot doctorum hominum, qui rei publicae Romanae annales adcuratissima industria condiderunt, ea, quae ad artem nostram pertinent, non obiter attigit? Solus fere DIONYSIVS HALICARNASSENSIS ea, quae de iure et legibus, earumque interpretatione obseruatu digniora esse animaduertebat, diligentius videtur persequutus. Sed inviderunt nobis fata maximam operis incomparabilis partem, vt, quae ab anno ab V. C. 312. acciderunt, hodie fere sciamus iuxta cum ignarissimis. Liuius enim, et si qui alii res Romanas tradiderunt, res potius bello praeclare gestas, quam

Source : BIU Cujas

quae circa leges euenerint, memoriae prodiderunt, et, si quid de his quoque memorant, illas, quæ ad rem publicam pertinere viderentur, quibusque tamquam seditionum flabellis populum agitabant tribuni plebis, paullo diligentius descripserunt, plerisque, quae ad ius priuatum amplificandum perlatae fuerant, vel praetermissis, vel leui saltim brachio tactis. Plura eius generis, eaque praeclara procul dubio in tot libris suis obseruauerant veteres iureconsulti, qui, si exstarent integri, non magnopere fortassis laboraremus. Sed hos quoque siue Triboniani industria, siue illaetabili quodam artis nostrae fato amisimus, vt pro instructissimo adparatu et ferculis delicatioribus, hodie reliquiis dumtaxat, tamquam parasiti, perfruamur. Solum POMPONII fragmentum nobis seruauit Tribonianus, si seruatum dici potest, quod nobis vbique, vt videtur luxatum, mutilatumque supersit. Saltim plura ac pleniora non scripsisse iureconsultum, nemo sibi temere persuaserit, nisi simul totum Enchiridii libellum duabus tribusue plagulis constitisse, velit existimare. Ita fere omnia interciderunt, ex quibus veteres, quorum aetas in beationa saecula inciderat, iuris originem, progressum, fata, legum auctores, eorumque finem ac consilia, edictorum, senatusque consultorum aetatem, iuris consultorum vitam, ac quae eorum in iuris prudentiam exstiterunt, merita, discere potuerunt. Iacent hodie tot excellentissimi ingenii viri paene omnes illacrymabiles et obruti multa nocte, quia carent vate sacro, et, si dicendum quod res est, nondum iuris historiam, sed eius paucissima squallidaque rudera, post tot eruditissimorum virorum lucubrationes, habemus. Sed qualecumque istud sit, quod in communi tot veterum monimentorum naufragio interitum euasit, aequi profecto bonique consulendum, et quidquid vel in veterum annalibus, vel in ipsis libris nostris, de iuris prudentiae fatis vel obiter notatum occurrit, in rem vertendum videtur. Quod ego quidem hoc libello an praestiterim nescio, conatum

Source : BIU Cujas

rum me saltim esse id praestare, nullique propterea labori, nullisque vigiliis parsisse et scio, et quemuis, qui libellum perlustrare voluerit, facile perspecturum, arbitror. Quandoquidem vero, qui adhuc in eo argumento versati sunt, plerique non nisi Romanae iuris prudentiae fata descripserunt: me idem agentem facile subegit patriae caritas, studiumque, quod iam a multis annis enucleando iuri patrio impendi, haud mediocre, vt et huius historiam cum illa coniungerem, maxime quum post HERM. CONRINGIVM, qui primus Germanorum Germanici iuris origines exposuit, pauci fere reperti sint, qui inuentis ab eo aliquid adderent, iisque, quae CONRINGIO defuerant subsidiis ad locupletandam pulcherrimam hanc historiae partem vterentur. Iam innumera viderat CONRINGIVS; (quid enim scire quisquam vellet, quod docere non posset ingenium istud sine exemplo maximum?) at sexcentis qui post eum e situ et puluere in lucem protracti sunt, rerum Germanicarum scriptores, innumeraque, quae postea prodierunt, diplomata ille non viderat. Ex quibus sane permulta suppleri posse, a viris doctis, quae in opere illo Conringiano *desiderantur, facile intelligitur. Ipse sane, cui per alia negotia non tantum fuit otii, vt irem per omnes Germanorum annales, omnesque veteres chartas et diplomata perlustrarem, plura tamen huius industriae specimina in breui hoc opusculo mihi videor dedisse, neque dubito, quin multo plures eiusdem generis obseruationes colligi possint ab iis, qui vel maiore instructi adparatu, vel otio magis abundantes, vel feliciore ingenio praediti studium, industriamque ad illustrandam patrii iuris historiam conferent. Quibus si me mea hac scriptione veluti igniculos quosdam iniecisse animaduertero; nae ego mihi operae feciſse pretium, vberrimumque lucubrationum fructum cepisse videbor. Interea, dum alii meliora dederint, vtere meis, tuamque beneuolentiam, quae mihi et senescenti*

Source : BIU Cujas

nescenti paullatim ad quidlibet in rei publicae litterariae commodum conandum incitamento erit, mihi integram, quaeso, conserua, atque illibatam. Vale, lector benevole. *Halae, prid. Id. Mart.* cIↃIↃccxxxx.

IO. GOT.

Source : BIU Cujas

IO. GOT. HEINECCII, IC.

ANTIQVITATES ROMANAE

IVRISPRVDENTIAM ILLVSTRANTES.

PROOEMIVM.



VVM Iuſtinianus Imperator in Inſtitutionum prooemio ſuae potiſſimum collectionis texat hiſtoriam : facturi videbimur operae pretium, ſi et nos illius exemplo IVRIS ROMANI COLLECTIONES, tum ante Iuſtinianum, tum poſtea confectas, veluti per indicem recenſuerimus.

§. I.

Vrbem Romam principio reges habuere, qui manu initio omnia regere, poſtea vero et leges quaſdam curiatas ad populum ferre coeperunt. Tacit. *Annal. III. 26. l. 2. §. 2. D. de orig. iur.* Has leges regias, maxime ſacras, Legum regiarum collectio ſeu ius Papirianum.

Source : BIU Cujas

primus collegit C. Papisius (*a*), non multo post exactos reges pontifex maximus, vt patet ex Dionys. Halicarn. *Antiqu. Rom. III. p.* 187. ex quo etiam discimus, C. Papisium illum leges Numae, dudum abolitas, in lucem reuocasse. Et haec quidem collectio IVS CIVILE PAPIRIANVM (*b*) vocatur a Pomponio, *l.* 2. §. 2. *D. de orig. iur.* de eoque, tempore Caesaris (vt eleganter obseruauit V. C. Car. Andr. Duker. *de Latinit. vet. Iuriscons. p.* 156.) librum integrum composuit Granius Flaccus, laudatum in *l.* 144. *D. de verb. signif.* (Add. *Dissert. nostr. de iure Papiriano, in Opusc. nostr. minor.* *)

* Extat in Syllogе IIIa. Opusc. Miscell.

(*a*) Pomponius *l.* 2. §. 2. *et* 36. *D. de O. I.* modo *Sextum*, modo *Publium*; Dionysius vero Halicarnasseus, cui plurimum ea in re credendum, *Caium* adpellat. (Meminit Dionys. Halic. *Lib. V. Cap. I.* et *Manii Papirii*, qui eodem fere tempore floruit. Sed is non fuit pontifex, sed rex sacrorum. Nec adsentimur Perizonio *Animadu. Hist. Cap. II. p.* 89. qui *Spurium* vocatum esse existimat, non ob aliam rationem, quam quod hoc frequens Papiriorum praenomen fuerit). Quum autem Cuiacius obseruet, in codicibus MSC. legi VI. pro *Sextum*: non dubito, quin ex nota numerali Sexti praenomen sibi finxerint scribae. Significare vero videtur numerus iste, Papisium, quem Dionysius Halicarnasseus praecipue sacras Numae leges collegisse refert, sexto demum libro reliquas leges regias, veluti adpendicem, adiecisse: Vnde ita forsan legenda verba Pomponii: *Quae omnes conscriptae exstant in libro sexto C. Papisii.* Bynkersh. *Praetermissa ad l.* 2. *D. de O. I. p.* 17.

(*b*) *Papisii* olim dicti, qui postea *Papirii*, Cicero Lib. VIIII. *Epist. ad famil.* 21. Primus Appius Claudius, (siue Coecus, siue Centummanus, siue Crassus), circa annum V. C. cccv. litteram R reperit, ex eoque tempore dici coepit, *Papirius*, *Furius*, *Valerius*, pro *Papisio*, *Fusio*, *Valesio*, *l.* 2. §. 36. *D. de orig. iur.* et ibi Bynkershoeck in *Praetermissis*. Petr. Faber *Semestr. I.* 11. *p.* 52.

§. II.

Eius interitus et restitutio.

Dudum vero, praeter pauciſſima fragmenta (*c*), Papiriana illa collectio periit. Et hinc renatis litteris de colligendis legibus regiis cogitarunt Valentinus Forsterus in *historia Iuris Romani*, *Lib. I. Cap. VI. et sequ.* (in cuius temeritatem grauiter animaduertit Chr. Ad. Rupert. *ad Pompon. Enchirid. Lib. III. Cap.* 1.) Fuluius Vrsinus, Ant. Augustinus, et Iustus Lipsius *de legibus regiis et decemuiralibus*. Pardulphus Prateius *in iurisprudentia vetere Draconis*

et

Source : BIU Cujas

et Solonis, cum Romano iure legum regiarum et decemuiralium collata. Lugd. MDLVIIII. 8. itemque Franc. Modius, Steph. Vin. Pighius, Ant. Syluius, et, qui reliquis omnibus palmam praeripuit, Paulus Merula *de legibus Romanorum, Capite II. et sequentibus.* Romuli leges singulari opusculo collegit expositque Franc. Balduinus (*d*), quod in *Iurispr. Rom. et Attic. Tom. I. p.* 15. cum aliis Balduini operibus relatum est.

(*c*) Fragmentum bene longum e iure Papiriano exstat apud Macrob. *Saturn. III.* 11. Quamuis, quum illud non tam legum, quam commentarii, faciem prae se ferat, magis Granio Flacco, quam Papirio, videatur tribuendum. Forsan etiam huc pertinet *l. 2. D. de mort. infer.*

(*d*) Sequutus est Balduinus tabulam Capitolinam, cuius apographum a Io. Barth. Marliano acceperat. Sed eam genuinam, certe antiquam haud esse, vel primo intuitu adparet. Vid. Eric. Maurit. *Dissert. de libris iur. comm. p.* 92. Ge. Schubart. *de Fatis Iurisprud. Rom. Exerc. I.* 38. *p.* 64.

§. III.

Eiectis regibus, leges quoque eorumdem exoleuisse (*e*), et ius maxime incertum esse coepisse, nouimus ex *l. 2. §. 3. D. de orig. iur.* Post diuturnas patriciorum plebisque simultates, anno V. C. CCCI. tres legati in Graeciam missi, qui variarum ciuitatum leges describerent. Postea decemviri, legum ferendarum caussa creati, e moribus antiquis (*f*), et iure, quod legati attulerant, peregrino, et praecipue Attico (*g*), decem initio, ac paullo post duodecim tabulas compilarunt, quas deinde populus in comitiis centuriatis probauit. Liu. *Hist. III.* 31. 34. 37. 57. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Rom. X. p.* 676. Et hae sunt illae tabulae, quas omnibus omnium philosophorum bibliothecis anteponendas (*gg*) putabat Crassus apud Ciceron. *de Orat. I.* 44. Hae sunt illae tabulae, *fons vniuersi publici priuatique iuris.* Liu. III. 34. Naeuis tamen eas non caruisse, ostendere conati sunt Phauorinus philosophus apud Gell. *Noct. Att. XX.* 1. *et* Thomas. *de naeuis iurisprud. Rom. Anteiustin. l. 2.* et *Dissert. annexa p.* 158. *seq.*

Leges XII. Tabularum.

Source : BIU Cujas

(e) Leges omnes regias semel simulque lege tribunicia abrogatas esse, vulgo colligunt ex l. 2. §. 3. *D. de orig. iur. Exactis regibus lege tribunicia, omnes leges hae exoleuerunt.* Ex hoc enim loco palam esse putant, lege quadam, vel a Iunio Bruto, Tribuno adhuc Celerum, lata, vel tributim a populo scita, leges regias omnes fuisse proscriptas. Vid. Ge. Eberlin. *de orig. iur. IIII.* 11. *p.* 22. Ge. Schubart. *de fat. iurispr. Rom. Exerc. II.* 4. 118. At leges lege non exolescunt, sed abrogantur: neque Pomponius ait, leges regias lege illa tribunicia exoleuisse, sed reges ipsos proscriptos esse lege tribunicia. Rittershus. *ad Leg. XII. Tab. p.* 9. Bynkersh. *ibid. p.* 10. Tribunicia vero illa lex non alia est, quam Iunia *de imperio consulari*, quippe quam Brutus, adhuc Tribunus Celerum, ad populum tulit. Exoleuerunt vero regiae leges desuetudine, et quidem omnes. Nam si quae in vsu manserant, eae non tanquam leges regiae, sed tanquam mores patrii, postliminio in vsum reuocati, obseruabantur, vt discimus ex Dionys. Halic. *Antiq. Rom. X. p.* 627.

(f) Multas leges regias in XII. Tabulas migrasse, prolixe demonstrant Iac. Cuiac. *Obseruat. III.* 40. Guil. Maran. ad *l. 2. D. de orig. iur. p.* 107. 120. Et satis id constat exemplo patriae potestatis, de qua legem Romuli in quarta tabula exstitisse, testatur Dionys. Halic. Ant. Rom. *II. p.* 97. qui etiam *Lib. X. p.* 681. obseruat, XII. Tabulas ἐκ τε τῶν ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σφετέρων αὐτοῖς ἀγεράφων ἐθισμῶν, *tum ex Graecorum legibus, tum ex suis moribus non scriptis*, esse compilatas. Sed et Liuius IIII. 1. post incensam a Gallis vrbem etiam leges regias cum XII. Tabulis conquisitas fuisse, refert. Plura non addo de re certissima.

(g) Solonis leges adeo primas tulerunt, vt eas solas commemorent auctores quamplurimi. At Liu. III. 31. legatos illos *iussos esse* ait, *inclutas leges Solonis describere, et aliarum Graeciae ciuitatum instituta, mores, iuraque noscere.* Et Gell. *Noct. Attic. XX.* 1. duodecim tabulas *inquisitis exploratisque multarum vrbium legibus*, eleganti atque absoluta breuitate verborum scriptas testatur. Tacitus denique *Annal. III.* 27. a decemviris *quae vsquam egregia*, accita esse docet. De Lacedaemonum legibus vulgo hoc negant, ob testimonium Augustini *de Ciuit. Dei II.* 16. Sed illi opponi possent Symmachus *Epist. III.* 11. Ammian. Marcellin. *Hist. XVI.* 5. et Athenaeus *Deipnos. VI. p.* 273. qui Romanos τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν elegisse, sanctiusque ipsis Lacedaemoniis custodiuisse, scripsit. Fortasse tutelam agnatorum legitimam Laconum moribus debent Romani. Sane enim Spartae eam tutelam vsitatam fuisse, patet ex Herodot. l. 65. Nec dubitandum, quin ex Charondae quoque legibus nonnulla adoptarint decemuiri, inprimis legem de supplicio falsi testis, ceu ex Arist. *Polit. II.* 10. docet Rittershusius. Ab Aequis Falisci quoque decemuiros iura fetialia et nonnulla XII. Tabularum supplementa accepisse, putat Seruius *ad Virgil. Aen. VII. v.* 695. Sed erasse Seruium, palam est ex Liu. *I.* 32. vbi iura fetialia iam Ancum Marcium, desumta a Falisci, Romanis tradidisse, legimus.

(gg) [At temporibus barbaris scriptae sunt. Sed adhibitus est vir insignis Hermodorus, qui Epheso pulsus in Italia exsulabat, vir rerum ciuilium longe peritissimus. *l. 2. §. 4. D. de orig. iur.* Strabo *Lib. XIIII. p.* 951. *Histor. nostr. iur. ciuil. I.* 25.]

§. IIII.

Source : BIU Cujas

§. IIII.

Quamuis vero hae leges decemuirales tabulis aeneis (*h*) inſcriberentur a Romanis, Dionyſ. Halicarn. *Ant. Rom. X. p.* 681. et loco vrbis celeberrimo, id eſt, pro roſtris, adfigerentur in perpetuam rei memoriam: (Liu. III. 57. Diodor. Sicul. *Biblioth. XII. p.* 87.) anno tamen V. C. CCCLXVIII. Gallicano incendio vna cum ipſa vrbe perierunt, reſtitutae paullatim, conquiſitis vndique fragmentis et apographis. Liu. VI. 1. Poſtea, vt eo minus eſſet eas amittendi periculum, non ſolum aeri incidebantur, in quo, tertio ſaeculo Chriſtiano adhuc publice exſtabant teſte Cypriano *Epiſt. II.* 2. verum etiam pueris ipſis ab incunabulis ediſcendae proponebantur (*i*). Cicero *de legib. II.* 4. et 21. Verumtamen ne ſic quidem aetatem tulit nobiliſſimum illud legum decemuiralium corpus, quod iam inde a ſaeculo VI. periiſſe, non ſine ratione exiſtimamus (*k*). Earum interitus et reſtauratio.

(*h*) Pomponius *l.* 2. §. 4. *D. de orig. iur.* meminit tabularum *eborearum*, vel, vt alii legere malunt, *roborearum*, quod ſane conuenientius videtur priſcae Romanorum paupertati. Sed forſan hae leges in tabulis *roboreis* primum promulgatae, ac dein, vbi populus eas iure ſciuerat, vel eboreis, vel aeneis demum, inſcriptae ſunt. Sane Anci Marcii adhuc temporibus leges inſcribi conſueuerunt tabulis quernis, notatque Dionyſius Halicarn. *Lib. III. p.* 108. χαλκίαι γὰρ στῆλαι ἔτι πότε ἦσαν. *Nondum enim tum erant columnae aereae*, Ge. Schubart. *de Fat. iuriſpr. Rom. Exerc. II.* 35.

(*i*) Pueris ediſcendae erant hae tabulae, iſque mos tamdiu durauit, donec lege Cornelia Praetores ex edictis perpetuis ius dicere iuberentur. Ex eo enim tempore iuris ſtudia non a legibus XII. tabularum, ſed a Praetoris edicto auſpicabantur adoleſcentes, ceu ex Cicer. *de legib. l. 6.* erudite oſtendit V. C. Iac. Perizonius *Diſſ. de Lege Vocon. p.* 193.

(*k*) Rittershuſius *ad XII. Tab. p.* 13. tabulas has periiſſe putat ſub irruptionem Gothorum. Aſt ſaeculo adhuc Iuſtiniani integri exſtiterunt Commentarii Caii, quibus integrum XII. tabularum textum inſertum fuiſſe, ex fragmentis, quae in digeſtis paſſim exſtant, ſatis intelligitur.

§. V.

Poſt renatas litteras, collectis vndique fragmentis, reſtituere eas tentarunt Aymarus Riuallius, Io. Oldendorpius, Valentin. Forſterus, Ant. Auguſtinus, Fulu. Vrſinus, Franc. Balduinus, Ant. Contius, Franc. Hotomanus, Iac. Raeuardus, Collectiones XII. Tabularum recentiores.

Source : BIU Cujas

dus, Cael. Calcagninus, Io. Crispinus, Steph. Vin. Pighius, Theod. Marcilius, Fr. Pithoeus, Dionys. Gothofredus, Iustus Lipsius, Paulus Merula, Conr. Rittershusius, Ludou. Charondas, Basinstochius, Pardulph. Prateius, Hadr. Turnebus, Iul. Pacius, Car. Sigonius, Ant. Clarus Syluius, Ricardus Vitus, Ian. Vincentius Grauina, et, qui reliquis omnibus videtur praeferendus, Iac. Gothofredus, cuius absolutissima collectio exstat in *quatuor fontibus iur. ciuilis*, qui prodierunt *Geneuae MDCLIII.* 4. (et nuper cura V. C. Trotzii *in fol.* Attamen post huius quoque messem supersse spicilegia non contemnenda, ostendit V. A. Euer. Otto *in praefat. Tom. III.* Thesaur. iur. ciu.)

§. VI.

Legis actiones earumque formulae et fasti.

Ex interpretatione XII. Tabularum LEGIS ACTIONES natae sunt, id est, certi exercendi iuris ritus, certaeque verborum conceptiones et formulae, quibus neglectis, susceptum quoduis ciuile negotium irritum habebatur. Quamvis enim actus legitimi nonnumquam in sensu latiore acciperentur pro omnibus actionibus, quae coram magistratu explicabantur, adeo, vt et lictores *lege agere* dicerentur: Schulting. *Iurispr. anteiust. p.* 85. 602. *sequ.* strictius tamen hic vocem accipimus partim pro formulis actionum, partim pro actibus voluntariae iurisdictionis, sollemniter explicandis, partim pro actibus sollemniter, non tamen in iure, peragendis. Hinc ACTIONES LEGIS sunt manumissio, emancipatio, in iure cessio, adoptio, et similes; ACTVS LEGITIMI, tutoris datio, mancipatio, hereditatis aditio et repudiatio, aliique plures. Horum omnium proprium erat, I. vt vel in iure, vel certe sollemniter (*l*), fierent. II. vt nec diem, nec conditionem, admitterent. III. vt vno actu fierent, et iterari nequirent. IIII. vt per procuratorem explicari non possent. Ian. Vinc. Grauina *de XII. Tab. LXXX. p.* 442. Brisson. *Antiq. Rom. III.* 20. *p.* 76. Petr. Faber *Semestr. II.* 23. 24. *et ad L.* 77. *D. de reg. iur. p.* 344. *seq.* Iac. Raeuard. *de Auctorit. pru-*

Source : BIU Cujas

prudent. II. p. 952. seq. Accedebant Fasti, seu consignationes dierum fastorum, nefastorum, interciſorum, quibus lege agere vel licebat, vel plane non, vel ex parte tantum licebat. Harum rerum omnium notitia initio penes solos patricios, et pontifices potiſſimum, erat, qui tamquam oracula adibantur a populo: neque e re sua hi esse putabant, eas formulas et fastos euulgari. Cicero *de Orat. I.* 41. et *pro Muraena XI.* Quinctilian. *Inst. Orat. III.* 8. Pomponius *l.* 2. §. 6. *D. de orig. iur.*

(*l*) Omnes actiones legis et actus legitimos in iure factos putat Grauina, *l. c.* sed id falsum de hereditatis aditione, repudiatione, aliisque actibus legitimis, qui et extra ius recte explicabantur. Sollemniter tamen omnes fieri debebant.

§. VII.

Egregiam ergo plebi operam nauabat CN. FLAVIVS, qui arcanas istas formulas, et fastos pontificios (*m*) ab Appio Claudio (*n*) in librum collectos, anno circiter CCCXXXX. primus euulgauit. Vnde natum IVS FLAVIANVM, de quo Pompon. *l.* 2. §. 7. *D. de orig. iur.* Cicero *de Orat. I.* 41. *pro Mur. XI. et ad Attic. Epist. VI.* 1. Liu. *VIIII.* 46. Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 1. Gel. *Noct. Att. VI.* 9. Valer. Max. II. 5. 2. Addunt Pomponius, et Plinius, Flauium eo beneficio aedilitatem a plebe meruisse. Sed constat ex Valerio Maximo, eum iam tum, quum ista patriciorum arcana euulgaret, aedilem fuisse, et deinde praetorem factum, idque vel inde colligas, quod ipse Pomponius fastos illos *populo traditos*, id est vti ego ex Liuio, VIIII. 46. interpretor, *in albo* (*o*) *propositos*, refert. [Antea vero erat Scriba aedilitius. Erant enim Scribae consulares, praetorii, aedilitii, quaestorii, in certas decurias descripti. Lipſ. *ad Tacit. Annal. Lib. XIII. cap.* 27. Sigon. *de iure ciu. Rom. II.* 9. et nos ad Briſſon. *de verb. signif. p.* 1229. edit. nou.]

Collectio earum in iure Flauiano.

(*m*) Solos fastos a Flauio cum plebe communicatos dicit Cicero *pro Muraena XII.* Sed formulas addunt reliqui auctores, vt puta, Valerius Maximus, Liuius, Gellius, Plinius et ipse Cicero *Epist. ad Attic. VI.* 1. An hi fasti sint iidem cum illis apud Gruterum *Inscr. p. CXXXIII.* nondum liquet.

(*n*) Non

Source : BIU Cujas

(*n*) Non decemuiro illo, ceu existimat Guido Panciroll. *Var. Lect. II. 2.* sed Appio Claudio Caeco, cuius scriba fuerat Flavius. Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 1. Cicero *de Orat. I.* 41. Bynkersh. *in Praeterm. p.* 46.

(*o*) In albis aliquid proponere, non priuatorum erat, sed Praetorum atque Aedilium.

§. VIII.

Et ius Aelianum.

Quanto gratius hoc plebi fuit officium, tanto minus illud placuit patribus, qui nouas subinde excogitarunt formulas, easque ne in vulgus manarent, occultioribus quibusdam notis consignarunt. Eas vero denuo euulgauit Sex. Aelius Q. F. P. N. Paetus Catus (*p*), anno circiter V. C. DLIII. vnde enatum IVS AELIANVM. *l.* 2. §. 7. D. *de orig. iur.* Cic. *pro Muraen. XI.* An hoc ius Aelianum idem sit cum S. Aelii Tripartitis, nondum expeditum est. Negant Bertrand. *de Iurisper. II.* 4. *p.* 171. Guil. Grot. *Vit. Iureconsl. l.* 3. *p.* 17. Mihi tamen ea de re dubitandum vix videtur ob l. 2. §. 38. *D. de orig. iur.* ex qua patet, in Tripartitis illis praeter XII. tabulas earumque interpretationem, *legis* etiam *actiones* occurrisse. Vid. Beieri *Posit. ad tit. D. de orig. iur. p. m.* 10.

(*p*) Sextum hunc Aelium ob iurisprudentiam mirifice collaudant Cicero *in Bruto XX.* et *de legib. II.* 23. Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 11. et Ennius apud Cicer. *de Orat. I.* 45. cui vocatur

Egregie cordatus homo, Catus Aeliu' Sextus.

Conf. *l.* 1. *pr. C. de comm. seru. manum.* De gente Aelia egregie disserit Henr. Norisi. *Cenotaph. Pisan. Dissert. III. 9. p.* 419.

§. VIIII.

Vtriusque interitus et restauratio.

Vtramque collectionem fata nobis inuiderunt. Formulas tamen actionum antiquas stupenda plane industria collegit Barn. Brisson. libro *de formulis et sollemnibus populi Romani verbis*, edito *Francof. MDXCII.* 4. (et nuper cura V. C. Franc. Car. Conradi *in fol.* 1735.) quo tamen non has tantum, sed et alias, sacras, militares, forenses familiaresque formulas complexus est. (Nec minus egregiam hac in re operam iuris studiosis nauauit Car. Sigon. *de Iudic. Lib. I. Cap. 9. sequ.*) Fastorum exemplum non vnum exstat in antiquis marmoribus, ex quibus quaedam aeterno inscriptionum operi inseruit Gruter.

Source : BIU Cujas

ter *p. CXXXIII.* et cum Petri Ciacconii aliorumque explanationibus recudenda curauit Io. Ge. Graeuius *Thesaur. Antiq. Rom. Tom. VIII.* Veterum denique notarum iuridicarum specimina post Valerium Probum, Petrum Diaconum et Mangonem dedit Io. Nicolai in libro *de figlis veterum*, qui prodiit *Lugd. Batau. MDCCVI.* 4.

§. X.

Romana iurisprudentia mole sua laborat.

Ab iis temporibus multae subinde leges, multa quoque plebiscita, multa edicta praetorum atque aedilium prodierunt, quibus accesserunt varia responsa prudentum, et sub Imperatoribus senatusconsulta quam plurima, Edicta perpetua et Imperatorum rescripta, adeo, vt in magnum *aliarum super alias cumulatarum legum cumulum* excresceret Romana iurisprudentia. Liu. III. 34. [Status reipublicae Rom. post bellum Punicum III. corruptissimus fuit. Vellei. Paterc. *II.* 1. Fieri autem non potest, quin perturbatissimo reipublicae statu plures leges ferantur: quemadmodum id indicium adfectae valetudinis luculentissimum est, si plurimis pharmacis vtantur homines. Isocrat. *Areop. p.* 292.] Romanarum legum Senatusque consultorum historiam plures dederunt, in quibus eminent Paulus Manutius, Anton. Augustinus, Paulus Merula, Franc. Hotomanus, Ianus Vincent. Grauina: sed hi omnes tamen in tanta messe haud leue aliis reliquerunt spicilegium.

§. XI.

De Vniversali iuris Rom. collectione cogitat Cicero,

In tanta legum Romanarum farragine haud pauci de vniversali quadam iuris Romani collectione cogitare coeperunt. Agitaverat hoc consilium Cicero (*q*), cuius integrum ea de re librum laudat A. Gellius *Noct. Attic. I.* 22. Quinctilian. *Inst. Orat. XII.* 3. Ipse quoque luculentam illius operis σκιαγραφίαν sub Crassi persona dederat libro *de Oratore I.* 42. Sed in spongiam incubuit hic Ciceronis Aiax.

(*q*) Ciceronem non fuisse in Romana iurisprudentia hospitem, vel scripta illius demonstrant. Q. Scaeuolae Auguri se operam dedisse, testatur ipse *in Bruto, Cap.*

Source : BIU Cujas

Cap. LXXXVIIII. quamuis postea, eo mortuo et Q. Mucium Scaeuolam, pontificem, aliquamdiu audierit. Idem *de Leg. I.* 4. Et in *orat. pro Muraena Cap. XIII.* minatur, se, si sibi homini occupato stomachum mouerint, triduo iureconsultum professurum. Vnde et inter iure consultos Ciceroni locum dedit Guil. Grot. *Vit. Iureconsult. I. 9. p. 61.* Sed an magnus in hac arte fuerit, adhuc sub iudice lis est. Vid. Schulting. *Orat. de iurispr. Ciceronis*, et Bynkersh. *Praeterm. ad l. 2. §. 38. D. de O. I. p. 85. seq.*

§. XII.

vt et Iul. Caesar, et Cn. Pompeius et Constantinus M.

Idem labor, teste Suetonio *Iul. XXXXIIII.* Iulium Caesarem, idem et iam antea Cn. Pompeium exercuit, si vera refert Isidorus Hisp. *Orig. V. 1.* et, qui hunc exscripsit, Gratianus *can. 2. distinct. 7.* Ita enim ibi Isidorus: *Leges autem redigere in libros primus consul Pompeius instituere voluit, sed non perseuerauit, obtrectatorum metu. Deinde Caesar coepit id facere, sed ante interfectus est (qq).* Sunt etiam, qui Constantinum M. de eiusmodi corpore iuris compilando cogitasse ferunt: Beier. *Posit. ad Digest. I. 1. 146.* sed nescio quo autore. Id certius, horum omnium consilia fuisse irrita. In primis dolendum, Caesari, huic operi quam maxime pari, per fata non licuisse tam praeclare de Romana iurisprudentia mereri. Hüber. *Auspic. domest. V. p. 177.*

(*qq*) [Immo procul dubio falsa est haec Isidori narratio, quia nemo veterum hoc adnotauit, Isidorus vero demum Saeculo VII. floruit, tum quia Pompeius nec iurisconsultus fuit, nec scribendo famam quaesiuit, nec reipublicae constituendae caussa dictator creatus.]

§. XIII.

Edicta Praetorum primum collecta ab Ofilio.

Edicta praetorum, Augusto imperante, diligenter colligere interpretarique coeperat C. Aulus Ofilius, Iureconsultus (*r*) *l. 2. §. 44. D. de orig. Iur. l. 1. §. 2. D. ne quis eum qui in ius vocabitur.* Sed priuatim susceptum fuerat hoc opus, (quicquid hic obuertat Henr. Dodwell. *praelect. Cambden. p. 780.*) neque adeo publicam vmquam auctoritatem videtur obtinuisse. Menag. *Amoenit. Iur. 447. et p. 98.* Vnde eo facilius periit, postquam edictum Iuliani eius luminibus offecit.

(*r*) Iam ante C. Ofilium ad Edictum quaedam commentari coeperat Ser. Sulpicius, quae Bruto dedicarat, *l. 2. §. 44. D. de Orig. iur.* ex quo Sulpicii commentario

Source : BIU Cujas

tario fragmentum exstat *l.* 5. §. 1. *D.* hoc opus fuisse, obseruat Pomponius. *de institor. actione.* Seo breuissimum

§. XIIII.

Postea, Hadriano imperante, edicta praetorum in vnum codicem coaluere, vel ex multis potius edictum vnum, quod perpetuum vocabatur, concinnatum est, circa annum, (vti Ant. Pagi in *diss. Hypat. P. II. p.* 209. et in *Crit. Baron. p.* 128. *Tom. I.* computat,) CXXXII. Eutrop. *Hist. Rom. VIII.* 9. *L.* 10. *C. de condict. indebiti.* Auctor operis non Didius Iulianus, Imperator, ceu ex loco quodam Aurelii Victoris, male intellecto, coniecerat Hugo Grot. *Florum-sparsa.* p. 641. sed Saluius Iulianus, Didii proauus, teste Spartiano *vit. Iulian. I.* gente Africanus, Adrumeti natus, ceu colligitur ex Spartian. *Iulian. Cap. I.* et Grut. *Inscript. pag. CCCCLVIII.* de quo iureconsulto praeter Bertrandum et Guil. Grotium, Aegid. Menag. *Amoenit. iur. XXIIII.* et Henr. Dodwell. *Praelect. Cambden. VIII. p.* 333. [Singulari libello egimus de Saluio Iuliano, * cuius adhuc pleniorem historiam dedimus in *Historia* † *Edictorum et Edicti perpetui Lib. II. cap.* 3.] Quamuis vero mirifice Iulianum collaudent veteres, adeo, vt eum vocent *virum sapientissimum*, *Nou. LXXIIII. praef. pr. maximae existimationis virum, et disertissimum iurisperitum, l.* 5. *C. de bonis quae lib. iuris sublimissimum testem, summae auctoritatis hominem, et praetorii edicti ordinatorem, l.* 10. *C. de condict. indeb. summum auctorem iuris scientiae, l.* 15. *de vsufr. et habit.* et quae alia passim sunt eius elogia: non tamen naeuis caruisse, aiunt, hoc edictum. Quaedam enim addidit de suo, quae praetor numquam edixerat *l.* 3. *D. de coni. cum emanc. lib.* Quaedam detraxit, veluti illa, quae de iureiurando, Vestalibus et Flamini Diali remittendo, edixerat praetor. Gell. *Noct. Attic. X.* 15. Quaedam correxit pro lubitu *l.* 1. §. 1. *D. commod. l.* 1. *D. quod met. cauſſa.* Vid. Io. Bertrand. *de Iurisperit. l.* 1. *p.* 31. Guil. Grot. *de Vit. Iureconſ. II.* 6. *p.* 127. Iac. Gothofred.

Edictum perpetuum Saluii Iuliani.

* Vid. Opusc. Miscell. Sylloges prioris Exercit. XXIIII. p. 798.

† Reperietur in Tom. VIII. huiusce Edit.

Source : BIU Cujas

Manual. Iur. III. p. 14. 15. Nihilominus tamen facile eum excusat Hadriani Imp. auctoritas. Huius enim auspiciis scripsit. Et laudi sibi duxisse Hadrianum, si noua iura condidisse diceretur, quin ideo alterum Numam videri voluisse, ex Aurelio Victore Schotti praeclare obseruauit Henr. Dodwell. *Praelect. Cambden. VII. p.* 294. Ceterum tantam hic Iuliani labor auctoritatem in foro obtinuit, vt Diocletianus et Maximianus Imperatores illud IVS PERPETVVM adpellare non dubitent, in *l.* 5. C. *de appellat.* vnde non mirum, quod ex eo tempore Furius Anthianus, Pomponius, Callistratus, Caius Paullus, Vlpianus aliique clarissimi iureconsulti, certatim ad Edictum perpetuum commentati sint.

§. XV.

Edictum prouinciale.

Eodem exemplo etiam Edictum prouinciale nescio (*s*) quis concinnauit, quod tamen ab edicto perpetuo praetoris parum discrepasse, immo cum illo vnum idemque fuisse videtur. Caii sane fragmenta ex commentariis ad edictum prouinciale tantum non vbique fragmentis aliorum ex libris ad edictum praetoris respondent: adeo vt Gothofredus in ordinando edicto perpetuo etiam Caii fragmentis vti non dubitarit. Immo Caius promiscue scripsit: AIT PROCONSVL, et: AIT PRAETOR. *l.* 4. *D. quod quisquis iur. l.* 1. §. 2. *D. quod cuiusc. vniu. nom.* Ceterum hanc vtriusque edicti similitudinem nemo mirabitur, qui nouerit, iam olim proconsules vrbana edicta in iure dicundo plerumque esse sequutos. Cicero in *Verr. I.* 46. et *ad Attic. Epist. VI.* 1. Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II.* 12. *p.* 97.

(*s*) Eidem ergo Hadriano non male hoc edictum prouinciale tribuit Henr. Dodwell. *ad Spartian. Had. II. p.* 395.

§. XVI.

Restitutio edicti perpetui.

Periit vtrumque edictum, magno iurisprudentiae incommodo. Fragmenta tamen, hinc inde in Digestis reliqua, tamquam fractas e naufragio tabulas, collegerunt Eguinarius Baro in libris *Manualium* (*t*), Guil. Ranchinus, cuius labor

Source : BIU Cujas

bor ad edictum prodiit Pariſ. MDLXXXXVII. 8. recuſus in Io. Herm. Schminckii *Syntagm. critico. Marp.* cIↃ IↃcc xvii. 4. et, qui in digerendo ordinandoque potius, quam concinnando edicto, omnium ſuperauit induſtriam, Iac. Gothofredus, cuius *Series librorum edicti perpetui* inter *quatuor fontes iuris ciuilis* exſtat.

(*t*) Parum honorifice de hac Eguinarii collectione ſentit Iac. Gothofr. in *Biblioth. Iur. I. p. 46.* vbi obſeruat, auctorem ſaepe data opera fingere edicta, quae numquam fuerint, multaque eo referre, quae ex iureconſultorum placitis, moribus antiquis, nouiſque principum inſtitutis deſcendant.

§. XVII.

Codices, in quibus collectae conſtitutiones principum.

Ex quo Imperatores non amplius ſenatus conſultis, ſed epiſtolis, noua iura condere coeperant: intra ducentos annos in tantum cumulum haec excreuere Principum reſcripta, vt etiam de iis in codices (*u*) colligendis cogitarint Gregorius et Hermogenes, ſeu, vt aliis vocantur, Gregorianus et Hermogenianus, quorum codices, priuata auctoritate concinnati, etiam a Iuſtiniano celebrantur. *Conſt. ſumma reip.* §. 1. *de Iuſtin. cod. confirm.* (*uu*)

(*u*) *Codices* quum ſemper vocentur huiuſmodi Reſcriptorum principalium collectiones: obſeruandum, codices olim a voluminibus diſtinctos, atque ita adpellatos libros, quadrata vel quadrangula forma, (nam et triangularis formae mentio fit apud Dionyſ. Perieget. p. 36.) quamuis alias, vulgari vſu omnes libri vocentur codices. *l.* 52. *pr. D. de legat.* 3. Salmaſ. *de mod. Vſur. X. p.* 413. Schulting. ad *Paull. p.* 377.

(*uu*) [Ante hos tamen PAVLLVS iuriſconſultus Libros VI. edidit conſtitutionum Imperialium *l.* 113. *D. de condit. et demonſtr.* et PAPIRIVS IVSTVS libros XX. conſtitutionum *l.* 60. *D. de pactis*].

§. XVIII.

Codex Gregorianus.

Ad GREGORIANVM codicem quod attinet, eum recentiorem Hermogeniano credit Guido Pancirol. *de claris legum Interpret. l.* 65. 66. qui et auctorem eſſe ſuſpicatur Gregorium, ſub Valente et Gratiano praefectum annonae, Africaeque procoſ. cuius mentio fit *l.* 15. *C. Theod. de piſtorib.* At Gregorio alii hunc codicem tribuit Gothofredus *Proleg. Cod. Theod. I. p.* 183. qui ſub Conſtantino M. fuerit Praefectus

Source : BIU Cujas

praetorio, cuiusque mentio fiat *l.* 3. *C. Theod. de annon. et* l. 2. *C. Theod. de contrah. emt.* vt et in *l.* 1. *C. de natural. lib.* Neutrum adeo certum atque expeditum videtur. Augustinus sane *ad Pollent. II.* 8. auctorem non Gregorium vocat, sed Gregorianum: eodemque modo eundem laudat Auctor *collationis legum Mosaicarum et Romanarum* I. 8. 9. et 10. *VI.* 4. 5. nisi vtrobique subintelligi oporteat *codicem.* Continuisse vero hic codex videtur constitutiones ab Hadriano vsque ad Diocletianum et Maximianum (*x*).

(*x*) In fragmentis sane codicis Gregoriani, quae etiamnum exstant, legimus constitutiones Antonini Caracallae et Severi, Alexandri, Gordiani, Philipporum, Valeriani et Gallieni, Cari et Numeriani, immo et Diocletiani et Maximiani. Ex quo patet, errasse virum summum, Iac. Cuiacium, dum in *princ. paratitl. Codicis* Gregorianum codicem in Valeriani et Gallieni Constitutionibus desiisse, scripsit.

§. XVIIII.

Codex Hermogenianus.

Nec certior auctor est codicis HERMOGENIANI. Eugenio Hermogeniano, qui, teste Baronio, sub Diocletiano, Praefectus praetorio fuit, atque ad senatum retulit de persequutione Christianorum, hanc compilationem tribuit Pancirolus *de clar. leg. Interpret. l.* 65. Alii Hermogenianum iureconsultum auctorem fuisse coniiciunt, quem sub Constantino M. eiusque liberis floruisse, erudite demonstrat Aeg. Menag. *Amoen. Iur. XI.* Conf. Iac. Gothofred. *Prolegom. Cod. Theod. l. p.* 183. *seq.* Reines. *Epist. ad Rupert. LXVIIII. p.* 640. Constitutiones vero principum, quorum Gregorianus rationem habuerat, in Hermogeniano etiam codice fuisse recte existimat Iac. Gothofredus, sed ita, vt in nonnullis inter se dissenserint. Quamuis vero de dissensu eorum res certa sit, neque dubitare nos ea de re patiatur Auctor *Collationis legum Mosaicarum* et *Rom. VI.* 5. qui vnam eamdemque Diocletiani et Maximiani Constitutionem in vtroque codice, ast *aliis tamen diebus et consulibus* lectam, testatur: nihil tamen est, quo certo demonstres, Hermogenianum etiam ab Hadriani temporibus auspicatum fuisse. In fragmen-

Source : BIU Cujas

mentis sane illius non nisi Diocletiani et Maximiani Constitutiones occurrunt (*xx*), si à tribus primis discesseris, quae Aurelio (*y*) nescio cui tribuuntur. Sed, quum hanc inscriptionem sinceram haud esse vel primo intuitu pateat, nec ratio vlla adpareat, cur post Gregorianum actum agere voluerit Hermogenianus: non praeter rem suspicari mihi videor, Codicem Hermogenianum non nisi supplementum aliquod Gregoriani fuisse, adeoque praeter ea, quae Gregorius omiserat, superiorum principum rescripta, Diocletiani solum et Maximiani, vt et eius successorum Constitutiones complexum esse, vsque ad quarti saeculi Christiani initium (*z*).

(*xx*) [At plura ex vtroque codice fragmenta supersunt in codice nostro repetitae praelectionis, omnes nempe constitutiones ab Hadriano ad Constantinum M. *princ. Const. Haec quae necessario, de nouo Cod. fac.*]

(*y*) Nemo veterum Imperatorum solo Aurelii nomine dictus est. Vnde adparet Inscriptionem harum constitutionum minus esse sinceram. Sed certum est, has quoque constitutiones aut Diocletiani, aut Maximiani esse. Nam prior C. AVRELIVS VALERIVS DIOCLETIANVS vocatur in marmoribus apud Gruterum *Inscript. p. CCLXXVIIII et MLXXVIIII.* Posterior vero M. AVRELIVS VALERIVS MAXIMIANVS non solum in numis, sed et inscriptionibus apud Gruter. *p. CLVIIII. et CCLXXVIIII.* Accedit, quod haec constitutionum fragmenta in subscriptione habeant Sirmium, ex qua Pannoniae vrbe quam plurimas horum Imperatorum Constitutiones emanasse patet ex *l. 19. l. 24. l. 39. C. de transact.* aliisque plurimis. Vid. Schulting. *Iurisprud. Anteiust. pag. 709.*

(*z*) In Codice Iustinianeo constitutiones quaedam occurrunt, post Diocletianum scriptae, et anteriores tamen epocha Codicis Theodosiani, qualis est *l. vlt. C. de tutor. et curat. qui satis non ded.* edita anno CCCVI. et *l. 1. C. de feriis* priore illa paullulum antiquior. Hae, quum ex Codice Theodosiano desumtae non sint, procul dubio ex alterutro horum codicum in corpus Iustinianeum migrarunt: Adeoque probabile est, Hermogenianum saltim Codicem pertigisse ad annum CCCVI. Schulting. *ibid.*

§. XX.

Vterque collector profano deorum cultui addictus fuisse videtur Gothofredo. De Hermogeniano sane iureconsulto contra Io. Bertrandum (*zz*) id demonstrarunt Aegid. Menag. *Amoenit. Iur. ciu. XI.* et Guil. Grot. *Vit. Iureconsl. vet. II.* 12. *p.* 178. Nec a veritate abludere videtur sententia Gothofredi, Cur hi Imperatorum gentilivm constitutiones collegerint?

di, hos Auctores ideo tantam operam in colligendis vetustiorum Principum epistolis posuisse existimantis, vt veteris iurisprudentiae anteconstantinianae, quae tum Constantini M. et successorum constitutionibus quotidie euertebatur, faciem posteritati contemplandam sisterent.

(zz) [Is enim Christianum fuisse colligit ex *l.* 60. *D. de donat. inter vir. et vxor.* vbi diuortia ob sacerdotia fieri dicuntur. Sed id apud ethnicos quoque fieri consueuisse constat. vid. *obseru. nostr. ad Brisson. de verbor. signif. p.* 1216.]

§. XXI.

Codicis vtriusque fragmenta.

Periit vterque codex, praeter fragmenta, quae initio Iac. Sichardus edidit cum *Codice Theodosiano*, *Basileae* MDXXVIII. *fol.* deinde Petrus Gregorius Tholosanus *Lugduni* MDLXVI. et Iacobus Cuiacius, *Colon. Allobr. MDLXXXVI.* et eodem anno *Parisiis.* Nouissima absolutissimaque editio est Antonii Schultingii, cuius simul adnotationibus illustrata vtriusque Codicis fragmenta prodierunt in *Iurisprudentia vetere anteiustinianea p.* 683. *seq.* Lugd. Bat. *MDCCXII.* 4. [ac rursus Lipsiae MDCCXXXVII.]

§. XXII.

Codex Theodosianus.

Quum vero hi codices et priuatim collecti essent, et gentilium tantum Imperatorum rescripta complecterentur: Christianorum quoque imperatorum a Constantino M. vsque ad suam aetatem constitutiones in vastum satis opus collegit THEODOSIVS IVNIOR Imp. (*a*) circa ann. CCCCXXXVIII. Vnde etiam hunc Codicem inscriptum fuisse aiunt; *Nouas leges legitimorum Principum.* Quod tamen non adeo certum, quum et Iuliani τῶ παραβάτε constitutiones in hoc codice vtramque faciant paginam, et legitimi principes potius tyrannis opponendi, videantur. Iac. Gothofr. *Prolegom. ad Cod. Theod. I. et II.* [*Histor. nostr. iur. I.* 379.] * Exstat etiamnum hic codex, qui post Sichardi, Tilii, Cuiacii, Puteani, Pithoei et Sirmondi curas luculento commentario Iac. Gothofredi, illustratus prodiit *Lugd.*

* *Tom. II. huiusce edit.*

cIↃ

Source : BIU Cujas

cIↃ IↃ CLXVIII. *fol. tom. VI.* [et Lipsiae cura V. C. Ritteri, 1743.]

(*a*) Cum hoc Theodosiano Codice cave confundas *Alarici* Gothorum Regis *Codicem*, Aniani opera compilatum ex particulis codicis Theodosiani, Gregoriani, Hermogeniani, itemque ex Institutionibus Caii, et Sententiis Paulli, hinc inde tamen interpolatis manu eiusdem Aniani. Nam et haec farrago saepe *Codicis Theodosiani* vel *legis Romanae* nomine laudatur a medii aeui scriptoribus. Oiselius *Proleg. ad Caii Inst.* Iac. Sirmond. *Quaest. tripl. ad calcem Var. Opusc. Tom. III.* Iac. Gothofred. *Proleg. Cod. Theodos. V.* Car. du Fresne *Glossar. Lat.* voce *Lex Romana Tom. II. p. 269.*

§. XXIII.

Nec tamen hic Theodosianus etiam codex sine naeuis est, quos accurate recenset Gothofred. *Proleg. II. p.* 187. Imo nec integer satis ad nos peruenit. Nam CCCXX. circiter constitutiones occurrunt in Codice Iustinianeo, quas in Theodosiano frustra quaesiueris, quarumque indicem confecit Anton. Maruillius, editioni Gothofred. subiectum, sub titulo *Supplementi Codicis Theodosiani*, post Glossarium nomicum. Naeui huius codicis.

§. XXIIII.

Adiectae etiam huic Codicis Theodosiani editioni constitutiones *nouellae* Theodosii, Valentiani III., Marciani, Maiorani, Seueri et Anthemii, a Pithoeo primum vulgatae *Paris. MDXXXI.* nec non a Conr. Rittershusio *Francof. MDCXV.* Nouellae illi adiectae.

§. XXV.

Quum ergo nemo ante haec tempora legibus compilatis feciſſet operae pretium, iurisprudentiaque esset ὡς ἂν ἄχθος καμήλων πολλῶν, *multorum camelorum onus*, vt lepide ait Eunapius in *Vit. Aedesii pag.* 32. factum est, vt Iustinianus Imp. de noua vniuersi iuris collectione cogitare coeperit, laudandus sane hoc nomine, quod dignum persona imperioque suo ceperit consilium, felix quoque eo, quod opus a multis ante se frustra tentatum perfecit, sed a multis reprehensus, quod non prudentius hoc negotium conficiendum curauit, et in eo infeliciſſimus, quod in ea incidit tempora, quibus ob gliscentem barbariem vix licebat orbi litteraCollectio Iustiniani.

Source : BIU Cujas

terario magnum quid atque excellens a iureconsultis eius aetatis exspectare.

§. XXVI.

Huius Imperatoris genius.

Est hic princeps ancipitis admodum famae, et, si eius ingenium ex Procopii iudicio aestimes, laudibus, quas ei vulgus iureconsultorum admetitur, vix dignus. Fuisse enim dicitur varius in omni genere vitae, cleri pariter ac Theodorae, mulieris scenicae, quam vxorem duxerat, ludibrium, ad euertendas pretio leges paratissimus, a prudentia denique legislatoria parum instructus. Sic eum describunt fide Procopii *in Anecdotis* (*aa*) a Nic. Alemanno vulgatis, cui tamen ab Eichelio, Gabriele Triuorio, Io. Petr. Ludeuigio aliisque acriter contradictum est.

(*aa*) [At homini illi eo minus tuto credere licet, quo maius odium prodit aduersus Iustinianum et Theodoram, quoque magis in reliquis libris suis illos laudat. Immo aliquando res incredibiles narrat, animumque prodit ab omni fide abhorrentem. *Dissert. nostr. de philosoph. semichrist.* §. *XXIII.* in *Opusc. Miscell.* Sylloge I.]

§. XXVII.

ICtorum quorum opera vsus, indoles.

Nec opera vsus dicitur virorum huic labori parium, sed *Dorothei*, *Theophili*, aliorumque huius commatis iureconsultorum, et maxime *Triboniani*, cuius indolem post Suidam in voce *Tribonianus*, viuis coloribus depinxit Franc. Hotomanus in *Antitriboniano*, *cap. XI. et XII. p.* 146. *seq.* (*aaa*) Et sane quum huius viri imprudentia et subtesta fides ex ipsis operibus elucere videatur, (quamuis et quaedam ei perperam vitio vertantur,) mirati olim sumus, Io. Chiffletium *de vtriusque iuris architectis*, et Ianum Vincentium Grauinam *de ortu et progr. iur. ciuil. CXXXVII. p.* 159. *seq.* tanto molimine eius caussam egisse. At, re paullo accuratius expensa, non magis eo nomine indignamur Triboniano, quam Iuliano. (§. XIIII.) Nihil enim illum, nisi ex praescripto principis, egisse, satis constat.

(*aaa*) [Sed hunc Hospitalio palpum obtrudere voluisse, et hinc nouam iurisprudentiae sectam instituere non dubitasse, ostendimus *in praefat. praemissa Wissenbach. Emblem. Tribon.* Halae 1735. 8. Tom. VII. huiusce Edit.]

§. XXVIII.

Source : BIU Cujas

§. XXVIII.

Huius ergo viri opera, auſpiciiſque Iuſtiniani, A. C. DXXVIII. Id. Febr. primo loco prodiit CODEX IVSTINIANEVS, qui, quam parum diligenter fuerit a decemuiris huic operi praefectis collectus, vel inde patet, quod poſtea vna litura videretur inducendus (*b*). *Conſt. Haec quae fin. de nou. C. fac.* Codex Iuſtinianeus.

(*b*) Interim laudatur prior iſte Codex in Inſtitutionibus, in quibus adeo ad multas Conſtitutiones remittimur, quae in noſtro *Codice repetitae praelectionis* deſiderantur.

§. XXVIIII.

Deinde XVII. viris datum negotium, conficiendi PANDECTAS, vel DIGESTA (*c*), in quae Tribonianus eiuſque ſocii, quidquid ex veterum iuriſconſultorum ſcriptis excerpſerant, coniecerunt. Sed quam parum diligenter iſto quoque labore defuncti ſint, et breuitatem temporis oſtendere, aiunt, (intra triennium enim tantum opus abſoluerunt,) et parum commodam excerpendi methodum et ordinem rerum perturbatiſſimum, ne ad edicti quidem perpetui ſeriem per omnia redactum (vid. Bynkersh. *Obſ. II.* 25.) et tot denique emblemata, quae iamdudum Pandulphus Prateius *in iurisprudentia media*, et Iac. Wiſſenbachius *ſingulari tractatu* notarunt. Quamuis et hic aliquando iniuria fiat Triboniano, [quemadmodum eius cauſſam ſolide egit V. C. Io. Wybo, et nos egimus *in Defenſione Iuſtin. Tribon. et corporis iur.* vid. *Opuſcul. noſtr. minor. p.* 218. *ſeq.* in Tom. VII. huiuſce Edit.] Pandectae.

(*c*) *Digeſtorum* vocabulum iam olim iureconſultis familiariſſimum fuit. Exſtiterunt *Digeſta* Iuliani, Alpheni Vari, Iuuentii Celſi, Vlpii Marcelli, Ceruidii Scaeuolae, Pauli. Ita vero vocati ſunt libri, in quibus deciſiones et diſputationes iuris continerentur, ac veluti digeſtae eſſent. Bertrand. *de Iurisp. I.* 1. Ita et pandectas ſcripſere Vlpianus, et Modeſtinus.

§. XXX.

Tum porro ſequutae ſunt INSTITVTIONES, a Triboniano, Theophilo et Dorotheo, (tantillum ſcilicet compendium a tribus viris) conſcriptae. In iis et diuiſionem librorum, et Inſtitutiones.

Source : BIU Cujas

materiarum ordinem aliquando auctorum ἀκρισίαν arguere, contendunt. In plerisque tamen sequuti sunt Caium (*d*), quem Imperator, vel potius Tribonianus, ideo *suum* vocat. Conf. de eo Caio Menag. *Amoenit. iur. p.* 464. Bertrand. *de Iurisperit. I.* 29. Guil. Grot. *Vit. Iureconf. II.* 7.

(*d*) Exstat etiamnum CAII *institutionum* siue epitome, siue ἀποσπασμάτιον, ab Aniano Wisigotho seruatum, atque hinc inde interpolatum, quod cum aliis eius fragmentis luculentoque commentario edidit Iac. Oiselius et suis, aliorumque adiectis notis, Ant. Schulting. *in iurisprud. vetere anteiustinianea, Lugd. Bat.* 1717. 4. Saeculo tamen XI. integriores adhuc superfuisse Caii institutiones, ex Cyni loco memorabili ostendit Bynkersh. *de reb. manc. cap.* 7. p. 107.

§. XXXI.

Codex repetitae praelectionis.

Sed ne hic quidem substitit Iustiniani diligentia. Quum enim prior ille Codex parum placeret, et in multis pandectae ab eo discreparent: denuo V. viris eius emendationem commendauit. Vnde prodiit CODEX *repetitae praelectionis*, promulgatus anno DXXXIIII. XVI. Kal. Dec. qui etiamnum exstat.

§. XXXII.

Nouellae.

Denique Iustinianus, vt erat ad mutandum emendandumque ius procliuis, multa in superioribus libris promulgata ipse sustulit et mutauit, editis subinde nouis constitutionibus, quas NOVELLAS adpellant. Nouem earum collectiones, vel, vt barbare vocantur, *collationes*, a cuiusnam manu sint, parum constat (*e*). Nec omnes Iustiniani, sed quaedam etiam Tiberii Imp. sunt: vti CLXI. CLXIII. CLXIIII. quaedam etiam Iustini, vti CXVII. CXXXX. CXXXXIIII. CXXXXVIII. CXXXXVIIII. Id saltim vel ipsa versio ineptissima indicat, eas collationes e barbaris seculis esse. [Ineptum enim est, verba verbis reddere, vt fecit interpres, qui saepe tamen sensum optime adsequutus est. Cuiac. *Obseru. VIII.* 40.] Vnde de Graeco restituendo textu iam dudum soliciti fuere eruditi (*f*). Nouellas CXXXXIIII. Graece edidit Greg. Haloander *Norib. MDXXXI. fol.* alias XXIII. e codice Fuggeriano extulit Henr. Scrimgerus Scotus, quae prodiere *ex Stephaniana MDLVIII. fol.*

Source : BIU Cujas

fol. Exstant et versiones Latinae cultiore stilo adornatae partim a Iuliano (*g*), Patricio et Anteceſſore Constantinopolitano, partim a Gr. Haloandro, quarum haec cum corpore iuris Haloandrino, illa e bibliotheca Pithoeorum prodiit *Baſ.* 1576. *f. et Pariſ.* 1689. *f.*

(*e*) Ipsum enim Tribonianum, qui *Nouellarum* collectionem promisit §. 4. *Const. de Emend. Cod.* auctorem haud esse, vel ex stilo adparet. Nec magis de Berguntione liquet.

(*f*) Nec omnes tamen nouellae Graece conceptae. Vid. *Nou.* 9. 11. 17. 23. 33. 34. 35. 41. 62. 65. 114. 138. 143. 150. quae manifesto Latine editae a Iustiniano.

(*g*) Ad hunc Iulianum pertinet epigramma Thaeeteti, quod exstat in *Antholog. IIII.* 1.

Τῦτον ἰσλιανὸν νομικῆς φάος, ἴσμον ἰδῆσαι
Ῥώμη καὶ Βερυτὸς πάντα φύσις δύναται.
Roma et Berytus, conspecto hoc lumine legum,
Quantum, aiunt, virtus, ingeniumque potest!

Quod elogium ad Saluium Iulianum, Edicti perpetui conditorem, frustra retulerunt Alciat. *Dispunct. II.* 27. et Bertrand. *de Iuris perit. I.* 1. *p.* 30. merito hinc notati a Menagio *Amoen. Iur. Ciuil. XXIIII.* et Guil. Grot. *vit. Iureconſ. II.* 6. *p.* 122.

§. XXXIII.

Authenticae.

AVTHENTICAE ex nouellis desumtae adiectaeque codici iam saeculo VI. a Gregorio M. *Epist. XI.* 54. et Iuone Carnot. *Part. III. Cap. CLXXXV.* citantur. Vnde nec ab Irnerio solo sunt, vt vulgo creditur, nec a Iureconsultis Papiensibus, qui tamen forsan eas auxerunt. Vid. Strauch. *Diss. Acad. IIII. Cap.* 1. 2. Beyer. *Posit. Pandect. I.* 2. *p.* 30. *seq.* [V. Ill. Corn. van Bynkershoek *de auctorib. authent. Cap. II. sequ.*]

§. XXXIIII.

Vsus iuris Iustinianei in occidente.

Post Iustiniani tempora in occidente non adeo magnum iuris Iustinianei vsum fuisse comperio. *Wisigothi* Codicem Theodosianum compilationi Iustinianeae praeferebant (*gg*). In *Italia*, quo Langobardorum arma non pertigerunt, *Codex* tantum et *Nouellae* in aliquo pretio erant. Postea Francis permissum Italis, iure vel Langobardico vel Romano vel Francico vti. Demum ab Irnerii temporibus renatum est

Source : BIU Cujas

ſtudium iuris ciuilis in ſcholis Italicis. De quibus omnibus videndus Conring. *de origine iur. cap. XX. ſeq.*

(*gg*) [Immo et Alaricianum, quem Alaricus rex ex Caii Inſtitutionibus, Paulli receptis ſententiis et fragmentis Codicum Hermogeniani et Gregoriani compilari iuſſit. Conring. *de orig. iur. Germ. Cap. IIII. et V.* Io. Selden. *Diſſ. ad Fletam V. 2. ſequ.*]

§. XXXV.

In oriente ius Iuſtinianevm primo Graece verſum.

At in oriente non ceſſatum a compilandi ſtudio, ſiue quod Imperatores Iuſtiniani gloriae inuiderent, ſiue quod eius compilationes, ob inſignem prolixitatem, odiſſent. Et primo quidem de graece vertendo corpore iuris cogitatum, imperante Phoca. Inſtitutionibus ergo eam operam nauauit Theophilus, ille ipſe, qui inſtitutiones cum Triboniano et Dorotheo elaborauit. [*Praef. noſtr. ad Vinnium*, et Io. Henr. Mylii *Vindic. Theophil.*] Eius enim paraphraſin iam laudari a Thalelaeo ipſe obſeruat Fabrott. *in Praefat. ad Theoph.* vid. Gundlingiana *Part. II. obſ. II.* [et Boehmeri *praefat. ad Inſtitut.* vbi id falſum eſſe docet.] Pandectis et Codici Thalelaeus, Theodorus Hermopolita, Anatolius et Iſidorus. Vid. Suares. *Notit. Baſilic. Tom. I. praemiſſ.* Vinc. Grauina *de ortu et progr. iur. ciu. n. CXXXVIII. p.* 163. *ſeq.* Theophili *paraphraſis* potius, quam verſio, etiamnum exſtat, edita primum a Viglio Zuichemo, inſigni Friſiae ornamento, Baſ. anno MDXXXIIII. deinde a Chriſtiano Wechelio Pariſ. *eodem anno*, hinc a Iodoco Petro Neithardo, anno MDXXXIIII. porro a Iac. Curtio anno 1545. Dionyſio Gothofredo anno MDLXXXVII. et denique a Carolo Hannibale Fabrotto *Pariſ.* 1634. et 1657. Thalelaei opus pandectarum nondum adſpexit lucem (*h*).

(*h*) Vidiſſe ſe tamen alicubi hanc verſionem MSC. teſtatur Greg. Haloand. *in praefat. Nouellar.* Quemadmodum et codicem Graecum viſum eſſe in Creta inſula, tradit Suallenb. *in proleg. Harmenop.*

§. XXXVI.

Deinde noua col-

Poſtea Baſilius Macedo nouam collectionem inſtituit, deſide-

Source : BIU Cujas

ſiderans in Iuſtinianeo corpore breuitatem, perſpicuitatem, ordinemque concinnum. Cedren. *Annal. p.* 568. Leon. Imp. *prooem. ad Baſilica.* Sed morte praeuentus, non niſi epitomen edidit codicis Iuſtinianei, quam πρόχειρον τῶν νόμων appellauit. Periit hoc opus praeter fragmenta quaedam de nuptiis Io. Leuncl. *Iur. Graeco-Rom. Lib. II. p.* 86. aliudque apud Baron. *Ann. DCCCXXVI. n. XII.* lectio tentata a Baſilio,

§. XXXVII.

In labore illo Baſilio, idem, qui in imperio, ſucceſſit Leo (*hh*), filius, inſigni rerum ſcientia σοφῦ vel φιλοσόφυ cognomen adeptus. Et is quidem edidit βασιλικὰ νόμιμα vel διαλάξεις βασιλικὰς ex pandectis et codice, omiſſis tamen iureconſultorum et Imperatorum nominibus, compilata. Suares *l. c.* et Leone,

(*hh*) [Eſt idem auctor nouellarum Leonis, quae Latine addi ſolent corpori iuris. Eas primus edidit Scrimger. 1568. fol. Quae an vſum in foro habeant, diſquirit Bynkersh. *Obſerv. IIII.* 2.]

§. XXXVIII.

Denique Conſtantinus Porphyrogenneta, frater Leonis natu minor, edidit repetitam βασιλικῶν praelectionem, quae et πρόχειρον μέγα, vt et τὸ πλάτος τῶν νόμων, nec non τὸ πλάτος abſolute appellatur. Et haec ipſa ſunt illa βασιλικά, quorum libros XXVIII. XXVIIII. XXX. XXXXV. XXXXVI. XXXXVII. XXXXVIII. edidit Gentianus Heruetus. Pariſ. cIↃ IↃLVII. Librum LX. Iac. Cuiacius, vtraque coniunctim ſub titulo βασιλικῶν διατάξεων Dionyſ. Gothofredus *Hanou.* 1606. *fol.* Libr. XXXVIII. et XXXVIIII. ex Cuiacii ſchedis emiſit Car. Labbaeus Pariſ. cIↃ IↃCVIIII. Integra βασιλικὰ (*i*) Graeca et Latina debemus Car. Annib. Fabrotto, qui ea publicauit *Pariſ.* 1607. *f. Tomis VII.* nec non Conſtantino Porphyrogenneta. Vnde natum opus βασιλικῶν.

(*i*) Libri tamen XVIIII. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIIII. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXXIII. XXXXIIII. XXXXVIIII. et LVIIII. non ſunt authentici, ſed a Fabrotto ex Synopſi βασιλικῶν, et Theodoro Hermopolita, Conſtant. Harmenopulo et Cuiacii Commentariis vtcunque compilati. Forſan ii etiamnum in bibliotheca quadam latitant. Ita ominabar, ſecun-

Source : BIU Cujas

ſecundam editionem quum pararem. Varem me fuiſſe haud vanum, nuper demum intellexi Amſtelodami ex V. A. Corn. a Bynkershoek, qui ſe bonam horum partem a iuuene nobili, Pariſiis redeunte, nactum referebat. Gratulamur ſaeculo hunc theſaurum, maxime ſi obſtetricias viri doctiſſimi manus experietur.

§. XXXVIIII.

Variae epitomae inde confectae.

Succeſſere variae epitomae, quales ſunt I. πρόχειρον μικρὸν ab iiſdem Imperatoribus confectum, quod et ἐκλογῆς καὶ ἐπιδιορθώσεος nomine venit (*k*). II. Index νομικῶν κατὰ στοιχεῖον per alphabeti ſeriem digeſtus, a Io. Sambuco Pannonio Tarenti repertus et ſub titulo ἐκλογῆς βασιλικῶν editus a Io. Leunclauio *Baſil.* 1576. Auctor fertur Romanus Lacapenus. Vid. Cuiac. *Obſ. XVIII.* 37. III. Mich. Attaliotae, iudicis et Procoſ. πόνημα ſeu πραγματικὴ tempore Michaëlis Ducae compilata (*l*). IIII. Michaëlis Pſelli *ſynopſis*, qua ius compendiarium verſibus politicis complexus eſt (*m*). V. πρόχειρον Conſtantini Harmenopuli, qui circa annum cIↃ CCCXXXXV. floruit (*n*) ex Baſilicis contractum, et nuncupatum ἑξάβιβλον. Ei non abſimile VI. Antiochi Balſamonis πρόχειρον, et ſi qua ſunt huius generis alia.

(k) Eius titulos priores XXVIII. exhibet Io. Leunclau. *Iur. Graeco-Rom. Tom. II. p.* 79. Conf. Lambec. *Bibl. Vind. Lib. V. p.* 162. *et Lib. VI. p.* 24. 25.

(*l*) Edidit illud ποιήμα ſub titulo σύνοψις ὡσανεὶ συνόψεως Io. Leunclau. *Tom. II. p.* 1.

(*m*) Prodiit ea ſynopſis cum aliis quibuſdam Mich. Pſelli *opuſculis*, cura Franc. Boſqueti *Pariſ.* 1632. 8.

(*n*) Editus eſt Harmenopulus Graece et Latine cum notis Io. Merceri et Dionyſii Gothofredi *Gen.* 1587. 4.

§. XXXX.

Finis iuris Iuſtinianei in Oriente.

Denique Turcae, capta Conſtantinopoli, et Graecorum imperio, et iuris Romani in oriente ſtudio finem fecerunt, dubiumque eſt, an in Turcicis dicaſteriis quaedam iuris Iuſtinianei reliquiae ſeruentur. Vid. Groeneweg. *ad prooem. Inſt. num. I.* Feltmann, ad *l.* 2. §. 3. *D. de orig. iur.* Pagenſtech. *Sicilim. Manip.* 2. *p.* 105. [Io. Leunclau. *in praef. parat.* et Iſm. Bulliald. apud Menag. *Amoenit. iur. ciu. Cap. XXVI. p.* 150.] Leonis certe nouellas hodienum in Graecia

Source : BIU Cujas

cia non extra vsum esse, patet ex Christ. Angeli *de statu eccl. Graecae p.* 112. *et* 115. et obseruauit id Bynkersh. *obs. IIII.* 1. *p.* 385.

§. XXXXI.

Eius incrementa in occidente.

At in occidente a saeculo XII. magis magisque in academias et fora irrepere coepit ius Iustinianeum, cuius tot ex eo tempore prodierunt editiones, glossae, commentarii, paratitla, systemata, compendia, vt eorum mole et multitudine laboremus. [Remansisse tamen et antea iuris vsum in Italia, nec Irnerium ius Rom. restituisse, ostendimus ex instituto in *Histor. iur. ciuil. Lib. I.* §. *CCCCX. sequ.*]

§. XXXXII.

Ratio veterum tractandi ius ciuile.

Quum Iustinianus §. 3. huius prooemii et §. 2. sequentis tituli nonnulla quoque de docendae discendaeque iurisprudentiae ratione moneat: licebit et nobis ea de re ex antiquitatibus differere. Iuris scientiam olim in latenti habebant patricii (*o*), nec temere solebant quemquam, nisi sui ordinis, hisce sacris initiare. Cicero *de offic. II.* 19. *Cum multa praeclara maiorum, tum quod optime constituti iuris ciuilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio. Quam quidem ante hanc confusionem temporum in* POSSESSIONE SVA PRINCIPES *retinuerunt: nunc, vt honoris, vt omnis dignitatis gradus, sic huius scientiae splendor deletus est.* Addi poterit eiusdem Ciceronis *Oratio pro Muraena XII.* et *de Oratore I.* 41. (*oo*) Et videtur sane antiquissimis temporibus iurisprudentia veluti traditione quadam conseruata inter patricios, vsu magis, quam institutione, addisci consueuisse. Quod non difficile erat in tanta Romanarum legum paucitate.

(*o*) Hinc est quod iureconsulti adpelantur *principes ciuitatis.* Cuiac. *ad* Pompon. *l.* 3. §. 35. *D. de Orig. iur. p.* 1188. *maximique viri,* Pompon. *d.l.* 2. §. 35. Hinc lla Mucii obiurgatio: *Turpe esse patricio et nobili, et causas oranti, ius, in quo versaretur, ignorare. l.* 2. §. 43. *eod.* Conf. G. Schubart. *de Fatis Iurisp. Rom. Ex. I.* 16. p. 28.

(*oo*) [Ostendit enim Cicero, ideo in latenti iurisconsultos habuisse iurisprudentiam, vti ipsi ciuium rebus interessent.

Source : BIU Cujas

essent. Nec enim instituebatur actio, nec contrahebatur, nec testamentum fiebat sine iureconsultorum consilio. Arrian. *Dissert. Epictet. II.* 13. Cic. *de Orat. II.* 6.]

§. XXXXIII.

Methodus eorundem tradendi iurisprudentiam.

Primus veterum hanc consuetudinem migrauit Tiberius Coruncanius, primus e plebe Pontifex Maximus, anno V. C. Io. Is enim odio patriciorum iuris cognitionem, quam alii in latenti habuerant, paullo amplius diuulgauit, et discentibus se dare coepit. l. 2. §. 35. *D. de O. I.* Eius exemplum deinde sequuti sunt alii, veluti Q. Mucius Scaeuola, C. Aquillius Gallus, L. Lucilius Balbus, T. Iuuentius, Q. Cornelius Maximus, et in primis Seruius Sulpicius, quorum ex aedibus, tamquam ex equo Troiano, magna praestantissimorum iureconsultorum frequentia prodiit. Quum vero hi omnes amplissimos in vrbe honores gesserint: facile est ad existimandum, eos non scholas aperuisse, aut levi didactro inuitatos, subsellia posuisse discentibus. Sed solebant, quum de iure consulentibus responderent, admittere iuuenes, qui audirent, notarentque responsa, rationemque tradendi atque interpretandi iuris, adeoque vna opera et consulentibus, et discentibus satisfacere. Cicero in *Oratore ad Brut. XXXXI. Ius ciuile docere, semper pulcrum fuit, hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus.* Et paucis interiectis: *Alteros respondentes audire sat erat, vt ii qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent, sed eodem tempore et discentibus satisfacerent, et consulentibus.* Ac denique *in Bruto LXXXVIIII. Ego autem, iuris ciuilis studio, multum operae dabam Q. Scaeuolae, P. F. qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat.* Ex quibus patet, vsu magis atque exercitatione, quam doctrina, veteres ad tantam de iure respondendi facultatem adspirasse.

§. XXXXIIII.

Schola iuridica Romnaa.

Sub Imperatoribus publica Romae schola floruit, iuris-

pru-

Source : BIU Cujas

prudentiae etiam ſtudiis conſecrata, de qua infra dicemus *Lib. 1. Tit. XXV. n. XX. ſeq.* Docuerunt in ea ſchola iureconſulti vel Anteceſſores duo, tempore Theodoſii iunioris *L. vn. C. Theod. de ſtud. lib. vrb. Rom. et Conſt.* Antea tamen eodem inſtituto, quo veteres erant vſi, iuuenes domi habuiſſe videntur Papinianus, de cuius diſcipulis Lamprid. *in Alex. Seu. LXVIII.* quamuis in quibuſdam codicibus multi ab illis temporibus remotiores immiſceantur, Vlpianus, aliique iureconſulti egregii, quorum in digeſtis fragmenta exſtant.

§. XXXXV.

Methodus docendi in ſcholis iuridicis ante et poſt Iuſtinianum.

Denique a tertio ſaeculo tres praecipue ſcholae floruerunt iuridicae, ROMAE, CONSTANTINOPOLI, et BERYTI, hoc priuilegio munitae, vt non liceret alibi cuiquam ius docere, ceu infra docuimus *Lib. I. Tit. XXV. n. XX. ſeq.* In his ſcholis ea ſeruata methodus, vt primo anno non niſi ad limina legitimae ſcientiae admitterentur, dicti ideo DVPONDII, quaſi nullius pretii homines (*p*). Secundo anno Edicti audiebant interpretationem, vnde et EDICTALES cognominati. Tertio anno ad praelectiones in priores octo libros Reſponſorum Papiniani admittebantur, atque inde dicebantur PAPINIANISTAE, quo nomine adeo ſibi placebant iurium ſtudioſi, vt diem, quo eius doctrina primum fuerant initiati, feſtum ſollemnemque haberent. Bertrand. *de Iuriſperit. I. 2. p. 38.* Quarto anno Reſponſa Pauli in manibus erant, eaque tunc ipſi recitabant, et tum dicebantur λύται, quaſi ſoluendis quaeſtionibus idonei, vel vt ait Iuuenalis *Satyr. VIII. Qui iuris nodos legumque aenigmata ſoluunt.* Vnde errant, qui λύτας vertunt ſolutos: ſic enim

(*p*) Seneca *Controu. X. 1. Itane peribunt decem iuuenes propter dupondios duos?* Hieronym. *ad Heluid. p. 12. Tom. VI. Op. Quis te, oro, dupondio ſupputabat?* Et Petron. *p. 13. dupondium* pro pretio viliſſimo accipit, vbi addendae virorum doctorum obſeruationes, et Cuiac. *Obſeru. XII. 40.* Nemo non hic deprehendet ſpeciem quamdam monſtri illius ſcholaſtici, quod recentiore aetate Penaliſmi nomine academias inuaſerat.

Source : BIU Cujas

dici debuissent λύτοι, vt recte obseruat Turneb. *Aduers. VIII.* 19. Quinto anno, quo Constitutiones addebant, προλύται, dicti. Sed mutauit nonnulla Iustinianus, qui primo anno Institutiones suas et τὰ πρῶτα legum praelegi, novitiosque IVSTINIANEOS *nouos* dici voluit: [vel vti V. C. Ch. Gottl. Schwarz. *in Diss. an omnia Pand. exemplaria e Florentinis manarint?* §. *XVI.* in suo codice reperit, IVSTINIANISTAS] secundo quosdam digestorum libros, quos ipse praescribit, per vicissitudinem interpretandos, audiebant, seruato EDICTALIVM cognomine. Tertio anno PAPINIANISTAS vocari concessit, sed audire eos iussit libros digestorum XX. et XXI. Reliquos digestorum libros adiiciebant anno quarto, quo λύται dicti, quemadmodum quinto codicem iungebant, et προλύτων nomen eo ipso merebantur. Vid. Iustin. *Orat. ad Antecessores* §. 2. 3. 4. 5. et ibi interpretes.



LIB.

Source : BIU Cujas

LIB. I. TIT. I.

DE

IVSTITIA ET IVRE.

TItulo hoc inſtitutionum non inculcantur leges quaedam Romanae, ſed principia generalia, et quae ad ideam iuſtitiae et iuris concipiendam faciunt. Quum ergo in definitione IVSTITIAE et IVRIS a recentioris ſcholae placitis ſe procul ſeiunxerint veteres iureconſulti: ratio eius rei ex antiquitate erit reddenda.

§. I.

Iuriſconſulti, quod inter omnes conſtat, plerique cum legum ſtudio philoſophiam olim coniunxere, ex eiuſque principiis leges ſunt interpretati. Vnde recte Cicero *de Legib. I. 5. iuriſprudentiam non à praetoris edicto, vt plerique ſua aetate fecerint, neque e XII. Tabulis, ſed penitus ex intima* PHILOSOPHIA, *petendam*, putabat. Iuriſconſulti operam dabant philoſophiae.

§. II.

Quamuis vero non eidem omnes ſectae nomen dederint, et Epicurea inprimis fauiſſe dicantur C. TREBATIVS TESTA (*a*), (*Cic. VII. Epiſt. 12. Gaſſend. de vit. & morib. Epic. Tom. V. op. p.* 188. Aegid. Menag. *Amoenit. iur. p.* 80.) ALFEN. VARVS, (*l. 76. ff. de iudic.* et ibi interpretes) et alii: plerique tamen, veluti Scaeuola, Tubero, Rutilius, teſte Athenaeo, *Deipnoſ. VI. 21. p.* 274. ſtoicam philoſophiam maximi habebant, vel quia Zeno minime, vt aliae ſectae philoſophorum, a rebus gerendis auocabat, (Diog. Laert. VII. 122. et 130.) eaque ſecta *turbidos et negotiorum appetentes* facere videbatur; Tacit. *Ann. XIIII.* 57. vel quia iſti ſapientes philoſophiam practicam felicius, quam alii, excoluerant. Et hinc ſtoica philoſophia *ſumma* dicitur *ſapientia. l. 2. D. de leg.* (*b*). Multis id demonſtrarunt Schilterus in *Manuductione philoſoph. moral. ad iuriſprud. Cap. I.* Vinc. Grauina *de ortu et progreſſu iur. civil. num. XXXXIIII. p.* 80. Em. Merill. *Obſeru. I.* 8. et ſingulari ac pererudita oratione V. C. Euerardus Otto. Maxime Stoicae.

(*a*) Diſſentit Schilter. *Manud. phil. mor. ad iurispr. I. 6. p.* 7. Sed Trebatius initio ſtoicus, poſtea Epicureus factus videtur. Cic. *Epiſt. VII.* 12.

(*b*) Fallitur ergo Paganin. Gaudent. *de ortu et prog. philoſ. ap. Rom. cap. XXXXIII. p.* 106. qui pleroſque ICtos cum Ariſtotele potius et Platone ſenſiſſe, putat. Conf. *obſ. Hal. VII. p.* 252.

Source : BIU Cujas

§. III.

Vnde multa in iure Stoica.

Hinc frequentissimae in iure nostro I. *deriuationes nominum* satis contortae, quales stoicis erant sollemnes, e. g. testamentum quasi testatio mentis *pr. Inst. de Testam. ord.* mutuum, quasi quod ex meo fit tuum. *l.* 2. §. 2. *D. de reb. cred.* peculium, quasi pusilla pecunia: Siue pusillum patrimonium, *l.* 5. §. 3. *D. de pecul.* diuortium, quasi diuersitas mentium, qua in diuersas partes itur: *l.* 2. *pr. D. de diuort.* adgnati, quasi a patre cognati: *l.* 7. *D. de legit. tut.* Vid. Cuiac. *Obs. XI.* 37. Em. Merill. *Obseru. I.* 8. *seq.* Frequentissimae II. *definitiones* mere stoicae, qualis est etiam in hoc titulo definitio iuris naturae. Frequentissimae III. *diuisiones stoicae*, qualem esse illam rerum corporalium et incorporalium, ex Sexti Empirici *VII. adu. Mathem.* et Senec. *Epist. LVIII.* obseruauit Oiselius *ad Caii Inst. II.* 1. 1. *p. m.* 73. Frequentissimae denique IIII. *decisiones* ex interioribus philosophiae stoicae principiis deriuatae, quales collegerunt Vinc. Grauina *l. c.* Schilterus *l. c.* et V. C. Euerardus Otto *de philos. Stoica iurecons.* [Eo vero in primis pertinent decisiones de promissis, vi et metu extortis. *l.* 21. §. 5. *D. quod met. caussa.* et de αὐτοχειρία *l. vlt.* §. 4. *D. de iis, qui ante sent. mort.*]

§. IIII.

Aemulatio inter iureconsultos et philosophos.

Quamuis vero philosophiae amantissimi essent Romani Iureconsulti: semper tamen inter eos reliquosque philosophos ἀπράκτους, imprimis Epicureos, quaedam intercessisse videtur aemulatio. Eoque pertinere arbitramur verbosam illam Vlpiani declamationem de *vera non fucata iureconsultorum philosophia. l.* 1. §. 1. *D. de iustit. et iure*, non absimilis illis, quae Horatius *Lib. I. Epist. I.* canit: *Nunc agilis fio, et mersor* CIVILIBVS VNDIS, *Virtutis verae custos rigidusque sacerdos.* Conf. Cic. *Epist. III.* 9. et 10. vbi Epicuri philosophia ἄπρακτος, *astuta* vocatur. Locum praeclare explicari memini in Gundlingianis.

§. V.

Cur iureconsulti multa philosophorum propria iuri adplicarint.

Et ista quidem aemulatione factum est, vt iureconsulti ea, quae philosophorum erant propria, ad se raperent, e. g. vt definitionem philosophiae iuri suo adplicarent: §. 1. *Inst. h. t.* vt loco iuridicae definitionis iustitiae darent mere moralem et philosophicam: et denique ipsa illa iuris praecepta §. 3. *Inst. h. t.* ex philosophia morali stoicorum in ius transferrent. Conf. Schilter. *l. c.* Christ. Thomas. *Adnot. ad Inst. h. t.* Ger. Noodt *Iul. Paull. X. p.* 365. et quae nos obseruauimus in *Elem. Iuris ciuil. h. t.*

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. II.

DE

IVRE NAT. GENT. ET CIVILI.

AGitur hoc titulo de *diuersis speciebus iuris*. Quum vero iam superiore titulo, cur hanc potissimum de iure naturae et gentium sibi ideam formarint, abunde explicatum sit: iam ex antiquitate varia iuris ciuilis genera sunt explicanda, docendumque quid LEX fuerit, quid PLEBISCITVM, quid PRAETORES et AEDILES, quid item IVRECONSVLTI ad locupletandum ius Romanum contulerint, quid denique IMPERATORES in legibus Romanis, earumque ferendarum ratione immutarint.

§. I.

Leges proprie sic dictae a quibus latae?

LEX Romanis, libera adhuc republica, vocabatur, quam populus Romanus, superiore magistratu rogante, constituebat (*a*). §. 4. *Inst. h. t.* Eiusmodi magistratus superiores, quibus cum populo agendi ius esset, praeter Reges, Interreges, Dictatores, Consules, erant Tribuni militum cos. potestate, Censores, Praetores. Hinc non ignotae leges *Regiae*; non ignota lex Aemilia de censura a *Dictatore*; lex Aelia Sentia, a *Coss.*; lex Pinaria de ambitu a *Tribuno mil. cos. pot.*; lex Caecilia de fullonibus a *censoribus* (*b*), (Plin. *Hist. Nat. XXXV.* 17.); lex Aurelia iudiciaria a *Praetore* (Epit. Liu. CXVII.) latae.

(*a*) Libera ergo republica ad legislationem omnes concurrebant, et hinc patet ratio, cur lex *communis reipublicae sponsio* vocetur Vlpiano *l.* 1. *D. de Legib.*

(*b*) Alioquin non negatur, saepe etiam *leges censorias* adpellari Censorum edicta, quibus conditiones locationum publicarum proponebantur. Gell. XV. 11. Vid. Gundlingiana *Part. XVI. Obs.* 1. §. *XXVI. p.* 61.

§. II.

Earum scriptio.

Ab his ergo magistratibus, lex, si qua opus videretur, primo domi *scribenda* erat. Quod fiebat adhibitis viris prudentibus et necessariis, cum quibus expendere solebant, an lex esset e republica, maiorumque moribus conueniret. Vnde plerumque additae formulae: SI QVID IVS NON FVIT ROGARI, EIVS HAC LEGE NIHIL

Source : BIU Cujas

NIHIL ESSET ROGATVM: itemque: SI QVID CONTRA ALIAS LEGES EIVS LEGIS ERGO LATVM ESSET, VT EI, QVI EAM LEGEM ROGASSET, IMPVNE ESSET (*bb*). Cic. *ad Attic. III.* 23. Conf. Briſſon. *de Form. II. p.* 138.

(*bb*) [Non enim impune eſſe leges contra rempublicam ferre, ſuo malo experti ſunt Gracchi fratres. Appian. *de Bell. ciu. Lib. I.* Flor. *Lib. III. cap.* 14. *et* 15. item Apuleius et Liuius Druſus, de quibus idem Flor. *Lib. III. Cap.* 16. *et* 17.]

§. III.

Communicatio cum ſenatu.

Scripta lex *communicabatur cum ſenatu*, ſine cuius auctoritate cum populo agere nefas habebatur. Liu. *I.* 17. Plutarch. *in Coriolan. p.* 227. Quum vero Senatus nonnumquam difficilior eſſet in permittendis comitiis, lege Maenia cautum eſt, *vti, rogatore comitiorum iuſto poſtulante, patres ante inita ſuffragia fierent auctores eius rei, quam populus iuſſurus eſſet.* Cic. *in Bruto cap. XIIII.* In eamdem ſententiam legem tulit Q. Publilius Dictator apud Liu. *VIII.* 12. Et poſtea quum iſte mos deſuetudine obumbraretur, illum denuo in vſum reuocauit L. Cornelius Sulla. Vid. Appian. *de bello civil. I. p.* 650.

§. IIII.

Promulgatio.

Hinc porro legis ſequebatur *promulgatio.* Publice enim lex proponebatur, vt quilibet e populo eam legere, expendere, et, ferendane eſſet, an antiquanda, ſecum ſtatuere poſſet. Spacium promulgationis erat *trinundinum*, vt lex noua etiam a ruſtica plebe, quae ſingulis nundinis rure in vrbem veniebat, legi ponderarique poſſet. Cic. *pro domo cap. XVI.* et *Phil. V. cap.* 11. Manut. *de Leg. p.* 839. Addebatur edictum, vt populus in proximum trinundinum in campo Martio (*bbb*) conueniret. Gell. *Noct. Attic. XIII.* 14. Quum tamen ipſis nundinis cum populo agere haud liceret: comitia plerumque in ſequentem diem indicebantur. Macrob. *Saturn. I.* 16. Et his demum omnibus obſeruatis, magiſtratus quis POPVLVM IVRE ROGASSE, POPVLVSQUE IVRE SCIVISSE dicebatur. Cic. *Philipp. I.* 10. (*c*).

(*bbb*) [At ſaepe alibi comitia habita etiam in foro, comitio, immo et Capitolio. Quin et in caſtris lex lata eſt a Cn. Manlio A. V. C. CCCLXXXXVIII. de viceſima manumiſſionis. Liu. *VII.* 16.]

(*c*) Neque tamen promulgatio ſola faciebat legem, ſed populi ſuffragium. Sola lex Didia Licinia tanto ſtudio patrum lata eſt, vt SCto caueretur, vt eam promulgatam omnes ſeruarent. Macrob. II. 13.

§. V.

Source : BIU Cujas

§. V.

Recitatio per praeconem, nec non suasio et dissuasio.

Lex ipsa ferebatur in *comitiis*, olim in curiatis, postea et *centuriatis*, et *tributis*, ad quae vbi populis in *campum Martium* vel in comitium ad rostra confluxisset, praeco primum legem *recitabat*; dein is plerumque, qui rogaturus erat, eandem *suadebat*, quod et alii faciebant nonnumquam. Nec deerant, qui *dissuaderent*, id quod cum tribuni plebis, tum etiam priuati, si quibus a magistratu concio dabatur, facere poterant. Liu. *XXXXV.* 21. Nonnumquam et ii ipsi, qui legem rogaturi erant, eam dissuadebant, si forte non ex sua, sed senatus sententia, legem ferrent. Exemplum Pisonis consulis refert Cic. *Epist. ad Att. I.* 14. cui cum fructu addes, quae nos nuper disseruimus *in Comment. ad Leg. Iul. et Papiam Lib. I. cap.* 4. *p.* 54. (Tom. VIII. huiusce Edit.)

§. VI.

Auspicia et sortitio.

Auditis orationibus, praesentibusque sacerdotibus et diuina exponentibus, (Dionys. X. *p.* 681.) *sitella* vel *vrna* deferebatur, in quam coniiciebantur centuriarum nomina. Deinde sortibus aequatis fiebat *sortitio*, quaeque prima centuria, quae secunda, quae tertia de sitella exiisset, ea eumdem in suffragiis locum atque ordinem obtinebat (*d*). Quae prima sorte exierat prima ferebat suffragia, atque inde PRAEROGATIVA, proxime sequentes PRIMO VOCATAE vocabantur. Reliquae IVRE VOCATAE dicebantur, Ascon. Paedian. *in* Cic. *diuinat. p. m.* 1819. Liu. X. 22. XXVII. 6. Exemplum est in lege Thoria apud Sigon. *de ant. iure Ital. II.* 2. *p.* 638.

(*d*) Sequiorum temporum est haec *sortitio*. Sub Tullio enim Rege primae ad suffragium vocabantur maximi census centuriae, in prima et secunda classe descriptae, quae, quia reliquas numero superabant, plerumque rem conficiebant, vt adeo raro vocarentur reliquae. Dionys. Hal. *Antiqu. Rom. VI. p.* 224. *seq. VII. p.* 460. Liu. I. 43.

§. VII.

Intercessio facta a tribunis, auguribus, coss.

Interim licebat iis, quorum intererat, legi *intercedere*. Faciebant id *Tribuni plebis* sollemni illo VETO. Liu. VII. 17. XXVII. 6. XXXXV. 21. Faciebant et Consules, vel intercedendo, Dionys. Hal. *VIII. p.* 557. vel comitiales dies eximendo, vel supplicationes decernendo, vel ferias Latinas indicendo. Cic. *ad Quint. Fratr. II. Ep.* 7. Faciebant idem et *augures et magistratus*, quorum erat, de coelo seruare. Qui si quidquam aduersi visum auditumque obnunciarent (*e*), comitia impediebantur, reque infecta discedebatur.

 (*e*) E. g.

Source : BIU Cujas

(*e*) E. g. si fulsisset de coelo, si tonasset, si bubo volasset a sinistra, si aues triste quid portendissent, si quis morbo comitiali repente correptus concidisset: de quo morbo Sammonicus Serenus *Cap. LVI.*

Et subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia iusta recusat.
Saepe etenim, membris acri languore caducis,
Concilium populi labes horrenda diremit.

Longa enim est fabula, de qua Paul. Manut. *de Legib. p.* 848. Paul. Merula *de comit. III. p.* 17. *sequ.* Struu. *Antiq. Rom. Synt. VI. p.* 269. Ceterum haec omnia ideo inuenta, vt magistratus, vel collegarum, vel populi, consilia periculosa bonis rationibus turbare possent. Dio Cass. *XXXIII. p.* 66. Cic. *de Leg. III.* 12.

§. VIII.

Rogatio. Si nihil sinistri obnunciabatur: ipsa iam fiebat *rogatio*, sollemni formula: VELITIS IVBEATIS QVIRITES HOC ITA VTI DIXI ITA VOS QVIRITES ROGO. Cic. *pro domo XVIII. seq.* (*f*). Tum addebatur: SI VOBIS VIDETVR, DISCEDITE QVIRITES. Quo facto, in suam quisque centuriam tribumue discedebat, in qua erat suffragium laturus. Ascon. Paedian. in Cic. *Orat. pro Corn. Balbo p.* 1310.

(*f*) Notanda hic quaedam vocabula, quae subinde confundi solent ab iis, qui sunt in Antiquitatibus Romanis hospites. Lex ROGATVR, dum fertur: ABROGATVR, dum tollitur: DEROGATVR eidem, dum quoddam eius caput aboletur, SVBROGATVR dum aliquid adiicitur: OBROGATVR denique, quoties aliquid in ea mutatur. Vlpian. *Fragm. I.* 3.

§. VIIII.

Suffragia per tabellas lata. Facta discessione ferebantur *suffragia*, olim quidem viua voce; post tabellariam vero legem *tabellis*, quarum alteri inscriptum V. R. *vti rogas*, alteri A, id est *antiqua probo*. Cic. *Epist. ad Attic. I.* 14. Tulit eiusmodi legem tabellariam L. Cassius (Longinus) Trib. pleb. C. Mario VI. et I. Valerio Flacco Coss. (A. V. C. DCXVI.) Cic. *de Legib. lib. III.* (*Cap.* 16.) sed de iudiciis publicis. Vnde et in numis familiae Cassiae egregium tabellariae istius legis monimentum occurrit. Vid. Fulu. Vrsin. *de Famil. Rom. p.* 67. *edit. Patini.* De comitiis iam antea similis exstabat lex Gabinia. Cicer. *in Laelio cap. XII. Agrar. I.* 2.

§. X.

Modus et ordo suffragandi in pontibus. Distribuebantur hae tabulae per *diribitores*, quibus nongenti *custodes* adstabant, daturi operam, ne qua fraus in distribuendis tabellis admitteretur. Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 11. Et exstructi quidem in campo Martio erant *pontes* centum nongenti tres, totidem

Source : BIU Cujas

dem ſcilicet, quot numerabantur centuriae (*ff*). Hi nihil aliud erant, quam anguſtae quaedam ſubſtructiones, opere ſubitaneo, e tabulatis ſolo editis, adornatae, per quas iis, qui ſuffragia ferrent, viritim eſſet tranſeundum. His ergo in capite pontium miniſtrabantur binae iſtae tabellae, quarum alterutram deinde in extremo ponte *ciſtulae* immittebant. Plutarch. *in Mario p.* 407. Fiebat id ita, vt praeco ſingulas centurias, eo ordine, quo ſorte exiiſſent, ad ſuffragia vocaret. Quicunque vero ex ea centuria primus rogabatur, PRIMVS nuncupabatur. Cic. *pro Plancio XIIII.* Reuerſi e ponte intra *cancellos* concludebantur, quos *ouilia* vocat Lucanus, *Pharſal. II. v.* 197.

- - et miſerae maculauit ouilia Romae.

Conf. Nic. Gruch. *de Comit. Rom. I. p.* 688. Omnia haec accurate depicta ſiſtit egregius P. Licinii Neruae numus, quem exhibent Fulu. Vrſin. *Famil. Rom. p.* 149. edit. Patin. et Ezech. Spanhem. *de vſu et praeſtant. numiſm. Diſſ. VI. p.* 579.

(*ff*) [Ex Plutarch. *Mario p.* 407. conſtat, auctorem pontium fuiſſe C. Marium Trib. pl. eoque inuento obuiam itum in magiſtratibus creandis crimini ambitus. Saepe enim ſuffragantibus adſtabant candidati, et eblandiebantur ſuffragia. Hinc idem ait: C. *Marium hac lege de pontibus potentium opes, tum in ferendis ſuffragiis, tum in creandis magiſtratibus imminuiſſe.* Manut. *de Legib. p.* 809.]

§. XI.

Latis hoc ordine ſuffragiis, *diremtio* fiebat. Numerabantur enim tabellae vtriuſque generis a ſingulis cuſtodibus, numeruſque earundem *punctis* (*g*) notabatur, Cic. *Philipp. II.* 33. et *pro Planc. XXII.* vt ea centuriarum ſententia renunciaretur, in quam plurima ſuffragia conueniſſent, et reticeretur illa, quae paribus eſſet diſtracta ſuffragiis. Si plures ſententiae legem probaſſent: SCITA vel PERLATA; ſin plures eandem reieciſſent, ANTIQVATA dicebatur. Manut. *de Legib. p.* 842. Suffragiorum diremtio.

(*g*) Inde nata phraſis: *omne punctum ferre.* Horat. Art. poët. *v.* 343. *Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.* De qua loquutione, ipſoque hoc ritu, conferri meretur Sauaro *ad* Sidon. *Carm. II.* 20. *et Epiſt. vlt.*

§. XII.

Perlatam legem primo *iureiurando* firmatam, deinde *aeri inciſam* (*gg*) *delatamque in aerarium* legimus. Manut. *de Legib. p.* 843. Vnde patet, quaenam ſint illa apud Ouid. *Metam. I.* 3. Legum confirmatio.

Source : BIU Cujas

- - Verba aere minacia fixo.

Exstant eius ritus vestigia in *l.* 8. *pr. D. ad L. Iul. pecul.* Conf. Iust. Rycqu. *de Capitol. cap. XXX. p.* 374. *seq.*

(*gg*) (Antea et roboreis et eburneis tabulis vtebantur. Dionys. Halicarn. *Lib. III. p.* 108. Schubart. *de fat. iurisp. Rom. Exerc. II.* §. 35.)

§. XIII.

Earundem cognomina.

Nomina leges plerumque accipiebant ab vtroque consule, e. g. lex *Aelia Sentia*, *Papia Poppaea*, *Fusia Caninia*. Nonnunquam vnicum iis cognomen dabatur, si a dictatore, vel praetore, vel censore latae essent. Tales sunt lex *Aemilia*, lex *Aurelia* et aliae. Immo et Pompeii, qui consul sine collega fuit, et C. Iulii Caesaris, et Augusti leges vnum nomen *Pompeiarum* et *Iuliarum* tulerunt. Addebantur interdum alia cognomina, a materia legis desumta, veluti lex *Cornelia sumtuaria*, lex *Gabinia tabellaria*, lex *Cassia agraria*. [Aliquando et alia cognomina. Inter haec et legis *Saturae*, quae diuersa capita complectebatur. Gronou. *ad Stat. Papin. p.* 64. itemque *Miscellae*, *l.* 2. *l.* 3. *C. de viduit. indict.* vid. *Comm. nostr. ad leg. Iul. et Pap. II.* 16. 3. *p.* 303. Tom. VIII. huiusce Edit.]

§. XIV.

Quo stilo consignatae?

Quo *stilo* scribi concipique solitae sint leges, ex multis antiquis monimentis adparet. Qualia sunt leges antiquae apud Reines. *Inscript. CCCCLXXIII.* vt et egregium fragmentum legis Serviliae apud Car. Sigon. *de Iudic. II.* 27. *p.* 422. nec non legis Thoriae apud eumdem *de Iure Ital. II. p.* 638. Adde Barn. Briss. *de Form. p.* 141. *seq.*

§. XV.

Plebiscita.

Haec de legibus. Sequuntur PLEBISCITA, quae et ipsa LEGES vulgo vocantur, ceu exemplo legum Iciliae, Voconiae, Aquilliae, Cinciae aliarumque adparet, quamuis id more antiquo non fieret (*h*), teste Gellio *XV.* 27. *XX.* 20.

(*h*) Primo, quum patricii plebiscitis teneri nollent, *plebiscita* vocabantur. Post leges Horatiam, Publiliam et Hortensiam *leges* dicebantur, vel *leges tribuniciae*. Cic. *de leg. Agrar. II.* 8.

§. XVI.

Eorum differentia a legi-

Erant plebiscita, quae plebs, plebeio magistratu interrogante, constituebat. §. 4. *Inst. de iure nat. gent. et ciu.* Ea quum eodem fere

Source : BIU Cujas

fere ritu, quo ipſae leges, conderentur; differentiae tantum legum et plebiſcitorum erunt notandae. *Lex* ergo a ſuperiore magiſtratu, *plebiſcitum* a plebeio, id eſt, tribuno plebis, rogabatur, et eo quidem, cui illud e collegio ſorte vel reliquorum collegarum conſenſu (*hh*), obtigiſſet. Liu. *III.* 65. *Lex* ſuffragante vniverſo populo, *plebiſcitum* ſuffragante plebe condebatur. Liu. H. 56. Dionyſ. Hal. VIIII. *p.* 598. Tribuni enim nec aduocare patricios, neque ad eos referre vlla de re poterant. Gell. *Noct. Attic. XV.* 27. *Leges* in campo Martio ferebantur et in comitio; *plebiſcita*, non in eo tantum, ſed et nonnumquam in circo Flaminio, aut in Capitolio, maxime vero in comitio, vbi ex *roſtris* tribuni ad plebem concionabantur (*i*). Docent id exempla apud Ciceronem *Epiſt. ad Attic. I.* 1. *ad familiar. VII.* 30. Plutarch. *in Gracch. p.* 832. Liu. *III.* 54. *XXV.* 3. *XXXXV.* 36. *Leges* in Comitiis centuriatis et tributis, *plebiſcita* in ſolis tributis condebantur, vbi non opus erat vel SCto vel auſpiciis. Dionyſ. Halic. *VIIII.* p. 598. et 605. Solebant tamen nonnumquam et Tribuni plebis aues conſulere, et de coelo ſeruare, quando legem erant interrogaturi. Exempla ſunt apud Plut. *in Gracchis p.* 832. et Cicer. *in Vatin. Cap. VII. Leges* plerumque tribuni plebis, *plebiſcita* patricii et poſtea magiſtratus diſſuadebant, quamuis eam facultatem coſſ. adimere conaretur Volero, tribunus plebis. Dionyſ. Hal. *VIIII. p.* 598. Sortitio etiam in plebiſcitis duplex fiebat, quarum altera, in qua tribu Latini ſuffragium ferrent, explorabatur, altera inter ipſas tribus fiebat ſortitio. Liu. *XXV.* 3. Quidquid ergo tributim plebs ita iuſſiſſet, id ratum habebatur, et deinde tabulis inſcriptum, aedilibus plebeiis in aliqua aede cuſtodiendum dabatur. *l.* 2. §. 21. *D. de orig. iur.*

bus proprie ſic dictis.

(*hh*) [Vni enim e collegis fas erat, alterius rogationem interceſſione ſua turbare. Quamuis ſaepe manu magis, quam auctoritate tribunitia res ageretur. Exemplum Cn. Octauii a Tib. Gracho e roſtris vi depulſi et metu mortis exterriti, vt magiſtratu ſe abdicaret, habet Flor. *III.* 14.]

(*i*) *Roſtra* inter praecipua tribuniciae poteſtatis inſignia ſunt. Hinc M. Lollius Palikanus, quum tribuniciam poteſtatem a Sulla abrogatam reſtituiſſet, noſtra in numis ſuis ſignari iuſſit. Vid. Fulu. Vrſin. *de famil. Rom. pag.* 158. *edit. Patini.*

§. XVII.

Quamuis vero plebiſcita non ab vniuerſo populo, ſed a ſola plebe, conderentur: tamen non plebem tantum, ſed et patricios obligabant. Id quod poſt multas patriciorum tergiuerſationes cautum eſt lege primum Horatia, anno V. C. CCCVI. Liu. *Hiſt. III.* 55. Dio-

Quos ea obligauerint.

Source : BIU Cujas

55. Dionyſ. Hal. *XI. p.* 725. deinde Publilia, anno CCCCXIIII. lata a Q. Publilio dictatore, ac denique, quum plebs anno CCCCLXVI. in Ianiculum ſeceſſiſſet, lege Hortenſia, lata a Q. Hortenſio, dictatore. Gell. *Noct. Attic. XV.* 27. §. 4. *Inſt. de iur. nat. gent. et ciu.* [Non a rege, vti Accurſius *ad* §. 6. *Inſt. de iur. nat.* ſomniat, de quo iam in praefat. diximus. Adde Rupert. *ad Pompon. Enchirid. p.* 90.]

§. XVIII

Ius honorarium.

Praeter leges et plebiſcita, etiam EDICTA praetorum atque aedilium (*k*) certam iuris ſpeciem, quam IVS HONORARIVM vocabant, conſtituere coeperunt. Quare et de praetoribus atque aedilibus et vtrorumque edictis nonnulla monenda ſunt.

(*k*) Quin et cenſores edicta de locandis vectigalibus et operibus publicis propoſuiſſe, patet ex Gell. *Noct. Attic. XV.* 11. quae vocabantur etiam *leges cenſoriae*, ſed improprie. Vid. Gundlingiana XVI. *Obſ.* I. §. XVI. p. 61. ſeq. Cum his tamen non confundendae rogatae a Cenſoribus, de quibus ſupra §. I.

§. XVIIII.

Praetoris origo.

Creari primum praetor coepit anno V. C. CCCLXXXVIIII. quum paullo ante plebs obtinuiſſet, vt alter conſulum plebeius eſſet (*kk*). Male haec ſummae poteſtatis iactura habebat patricios: hinc dabant operam, vt penes conſules eo minus eſſet poteſtatis. Fraudibus itaque adorti plebem, facile id conſequebantur, vt redhoſtimenti loco e patriciis crearetur praetor, in quem deinde omnem, quae penes conſules adhuc fuerat, iuris dicundi poteſtatem transferebant. Liu. *Hiſt. VI. vlt. VII.* 1. Vnde fallit Pomponius, vel praecipuam ſaltim rationem diſſimulat, quando ideo creatum ait praetorem, *quia conſules auocarentur bellis finitimis, neque eſſet, qui in ciuitate ius reddere poſſet. l.* 2. §. 27. *D. de orig. iur.*

(*kk*) [At ante ipſos conſules praetores Romae fuiſſe contendit Iuſtinianus *Nou. XXV. praef.* Sed praetores vocabantur omnes magiſtratus, quaſi praeitores. Feſt. voce *Praetoriana porta.* Plin. *Hiſt. natur. XVIII.* 3.]

§. XX.

Variae in praetura mutationes.

Non diu tamen iſte honor patriciorum manſit proprius. Non multo poſt enim, anno V. C. CCCCXVI. primus e plebe praetor creatus eſt Q. Publilius Philo. Liu. *Hiſt. VIII.* 15. Sub belli deinde Punici primi tempora duo fieri coeperunt Praetores, quorum alter *vrbanam*, alter *peregrinam* ſortiebatur iuriſdictionem. Flor.

Source : BIU Cujas

Flor. *Epit. Liu. XVIIII.* Vnde hic vocatur PRAETOR QVI INTER CIVES ET PEREGRINOS IVS DICIT. apud Reines. *Inscript. Class. VII. n.* 10. et ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΕΠΙ ΤΩΝ ΞΕΝΩΝ apud Grut. *Inscript. p. DIII.* Insequentibus temporibus hic numerus non semel auctus est, siquidem initio quatuor, (Liu. XXIII. 30.) tum sex, (Liu. XXXII. 27.) postea octo, mox decem, (Dio XXXXII. p. 209.) hinc porro duodecim, immo et quatuordecim, ac denique sedecim, a Iulio Caesare creati, Praetores ius dixere, Dio *Lib. XXXXIII. p.* 237. *p.* 239. Quo factum, vt patrem imitatus etiam Augustus sedecim expleret numerum, mox ad XII. eundem reduceret, quem se non excessurum, Tiberius iureiurando pollicitus est. Dio Cass. *Lib. LVI. p.* 586. Tacit. *Annal. I.* 14. quamuis eius sibi gratiam feciſſe videatur princeps parum religiosus, siquidem et illo imperante modo XV. modo XVI. Praetores creatos nouimus. Idem *Lib. LVIII. p.* 634. Claudius porro iurisdictionem de fideicommissis, quotannis, et tantum in vrbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum, atque etiam in prouinciis potestatibus demandauit. Sueton. *Claud. XXIII.* nouosque creauit *praetores fideicommissarios* (*l*) duos *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* ex quibus tamen vnum detraxit Titus *d. l.* Accessit sub Nerua *praetor fiscalis. ibid.* nec non *praetor tutelaris* sub M. Antonino Philosopho, Iul. Capitolin. *vit. Marci Anton. X. l.* 6. §. 13. *D. de excus. tut.*

(*l*) In marmoribus etiam mentio fit PR. DE FIDEICOMMISS. apud Gruter. *Inscript. p. CCCLXXXXIII.* 6. Illud addendum ex Quinctilian. *Instit. Orat. III.* 8. fideicommissariam iurisdictionem ita diuisam esse inter praetorem et consules, vt ille ad certam summam, hi de maiore cognoscerent. Vnde lucem capit locus Vlpiani *in Fragm. XXV.* 12. Videatur Cuiac. *Obs. XXI.* 34. Merill. Obs. V. 36. p. 112.

§. XXI.

Praetoris vrbani praerogatiua.

Ex his praetoribus iisdem, quibus Consules, auspiciis creatis vrbanus reliquos anteibat. Hinc consulibus instar collegae erat, Gell. *Noct. Att. XIII.* 14. Plin. *paneg. LXXVII.* 4. iisque absentibus, summum penes Praetorem erat in vrbe imperium, ceu patet ex Ciceron. *Epist. ad Fam. X.* 12. Liu. XXIIII. 9. Dio Cass. LVHI. *p.* 622. Vtebatur enim praetor, sicuti consules, praetexta, sella curuli, ministris, scribis et accensis. Cicero *de lege agrar. aduers. Rull. II.* 13. *Lictores* eum praeibant duo cum fascibus. Quamuis enim de sex lictoribus subinde loquantur Plutarchus, Polybius, Appianus, qui ideo etiam praeturam ἀρχὴν ἑξαπέλεκυν vocare solent: intelligendum tamen hoc non est de praetura vrbana, ceu suspicatur Petr.

Source : BIU Cujas

Petr. Fab. *Semestr. I. p.* 169. sed de prouinciali (*ll*), vti obseruatum est a Car. Sigon. *de antiquo iure Ciu. Rom. I.* 20. *p.* 227. Non postremum vero praeturae insigne erat hasta, quam decemuiri litibus iudicandis regere dicebantur. *l.* 2. §. 29. *D. de orig. iur.* Sueton. *Aug. Cap. XXXVI.*

(*ll*) [In vrbe itaque duo lictores, in prouinciis sex anteibant praetores, illic cum fascibus et securibus, hic cum fascibus tantum. Rem optime exposuit Ez. Spanhem. *de vsu et praestant. num. Dissert. X. Cap.* 3. §. 6. *p.* 116. *Tom. II.* Adde et tribunal, de cuius forma Vitruuius *Archit. V.* 1.]

§. XXII.

Praetoris iurisdictio.

Totum praetoris munus tribus hisce verbis continebatur, DO, DICO, ADDICO, Ouid. *Fast. I. v.* 47. *seq.* Varro *de Lingu. Lat. V.* 4. *Dabat* enim Praetor actionem et exceptionem, dabat bonorum possessionem: *dabat* iudices, arbitros, recuperatores, *dabat* tutores ex lege Atilia. *Dicebat* viam in vindiciis: *dicebat* interdicendo, quoties de possessione agebatur, indicebat, aduocata concione, ferias, si quando terra in vrbe tremuisset. Gell. *Noct. Attic. X.* 24. Sueton. *Claud. XXII. Addicebat* denique, veluti facta in iure cessione, mancipatione, ceteris. [Sed an et in crimina animaduertit Praetor? Neganda videtur quaestio ob §. 10. 11. *Inst. et l.* 1. *pr. D. de susp. tutor.* Nec obstat *l.* 1. §. *vlt. D. de aleator.* quia ibi lautumiae sunt carcer. Noodt *ad Pand. p.* 259. Praetores tamen qui quaestionibus et provinciis praefuerint, imperium merum habuisse, existimat Io. Dan. Ableing *Diss. de praetor. Rom. Cap. II.* §. 16. Sed non id habuerunt tamquam praetores, sed ex lege speciali *l.* 1. *pr. D. de offic. eius cui mand. iurisd.*]

§. XXIII.

Edicta praetoria.

Mos autem erat, vt praetor, creatus centuriatis comitiis priusquam ius diceret, EDICTO in albo (*m*) proposito denunciaret, quo-

(*m*) *Album* quid fuerit, adhuc sub iudice lis est. Theophilo §. 12. *Inst. de action.* album est edictum, διὰ τὸ λευκοῖς γεγραμμένον γράμμασι, *Albis literis scriptum.* Enimuero non ipsum edictum album vocabatur, sed edictum in albo ptoponebatur. Accursii sententia, existimantis, fuisse parietem dealbatum, plerisque hodie vapulat. Sed videtur tamen idem colligi posse ex Plauto *Pers. I.* 2. *v.* 21. modo codices MSS. addicerent:

Nae isti faxim nusquam adpareant,
Qui hic ALBO PARIETE *aliena oppugnant bona.*

Et Suidas *voce* λεύκωμα album interpretatur *parietem, gypso obductum, ad inscriptionem ciuilium rerum aptum.* Iac. Raeuard. *Protribun. VI. p.* 887.

Source : BIU Cujas

quomodo eo anno ius esset dicturus. At quis? Vrbanus tantum, an peregrinus etiam? De prouincialibus enim, nulla est dubitandi ratio. Praetori peregrino sane hoc ius negant Hotoman. & V. C. Io. Ge. Schubart. *de Fat. Iurisp. Rom. p.* 399. At eidem id vindicat V. C. Henr. Bern. Reinold. *Var.* XXXVII. *p.* 267. ob *legem* 9. §. 4. *D. de dol. mal.* vbi memorantur Labeonis *libri Praetoris peregrini.* Sed illis non tam videtur Labeo edictum Praetoris peregrini interpretatus, quam exposuisse officium Praetoris peregrini, quemadmodum etiam de officio Praetoris vrbani egit in *libris Praetoris vrbani*, quorum mentio fit in l. 19. *D. de V. S.* Sane libros ad edictum singulares scripsisse Labeonem, & ab illis diuersos, patet ex *l.* 1. §. 5. *D. de fugitiu.* & Gell. IIII. 2. Certiora itaque sunt testimonia Boethii *ad Cic. Topic.* & Theophili §. 7. *Inst. de I. N. G. & C.* qui & Praetores peregrinos edicta proposuisse, diserte scribunt, eiusque rei auctores procul dubio habent veteres & satis idoneos. Edicebant itaque omnes Praetores. Idque fiebat habita concione, dictoque in leges iureiurando (*n*), ceu adparet ex Ciceron. *de Finib. II.* 22. Erant vero praetorum edicta vel *generalia* vel *specialia.* Illa, quam iuris dicundi rationem per annum sequuturus esset praetor, indicabant, vnde & *leges annuae* dicuntur Cicer. *Verr.* I. 42. Haec, obuenientibus quibusque negotiis, vel, vt *l.* 7. *pr. D. de iurisd.* habet, *prout res incideret*, dabantur, ad similes causas non extendenda. Vnde vberrimus natus est iniquarum sententiarum prouentus, qui occasionem dedit edicto: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVERIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR. Exemplum reperies apud Tacit. *Annal. II.* 30. Quum vero generalia edicta subinde mutarentur, nec leuis inde nasceretur iuris confusio: obuiam huic praetorum licentiae itum est lege Cornelia (*o*), lata A. V. C. Ioc LXXXVII. a C. Cornelio tribuno plebis, C. Pisone & Man. Glabrione coss. qua cautum est,

(*n*) Praetores edicta scripturos etiam tribunos plebis adhibuisse in consilium, patet ex Cic. *de Offic. III.* 20. [At non si scriberent edicta perpetua, sed si quid obueniret, quod ad communem praetoris & tribunorum officium pertinebat.]

(*o*) Antea A. V. C. Io. LXXXI. SC. ea de re factum, patet ex actis diurnis, quae in bibliotheca Is. Vossii fuerunt, in quibus & haec exstant:

HORA OCTAVA SENATVS COACTVS IN HOSTILIA.

SC. FACTVM EST VTI PRAETORES EX SVIS PERPETVIS EDICTIS IVS DICERENT.

Vid. Dodvvell. *ad Spartian. Hadr. p.* 333. & *in Adpend. p.* 665. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. II.* 12. *p.* 97. Sed hoc SC. si genuinum est, mox procul dubio elusit praetorum potentia, vt centum annis post, noua opus esset lege Cornelia.

Source : BIU Cujas

vt praetores ex edictis perpetuis ius dicerent, neque per integrum annum quidquam in iis immutarent. Dio Cass. *Hist. XXXVI. p.* 19. Ex eo tempore paullo certius esse coepit ius praetorium (*p*), adeo, vt iam tempore Ciceronis plerique non, vt olim, a XII. Tabulis, sed a praetoris edicto iuris disciplinam auspicarentur, ceu ex Cicer. *de Legib. I.* 6. obseruat Iac. Perizon. *Diss. de Leg. Vocon. p.* 193. Quamuis vero post legem Corneliam praetori haud liceret edictum suum per annum mutare: nihil impediebat tamen, quo minus successor anteceſſorum edicta, inito magistratu, vel augeret vel immutaret. Vnde, quae retinebat successor, *edicti* TRALATITII; quae addebat vel immutabat, *edicti* NOVI nomine veniebant. Cic. *Verrin. I.* 44. Non prius ergo edictum vere perpetuum prodiit, quam temporibus Hadriani, de quo diximus in *prooem. §. XIII. & seq.*

(*p*) Vnde iam ante edictum perpetuum ad edictum commentari coeperunt iureconsulti, veluti Seru. Sulpicius, A. Ofilius & alii.

§. XXIV.

Quibus artibus praetores ius immutaverint?

Quamuis vero praetores initio magistratus in leges iurarent: reuera tamen leges edictis suis euertebant sub specie aequitatis. Quod iam Dio Cass. Hist. *XXXVI. p.* 10. obseruans: ὁ γὰρ, inquit, οἱ στρατηγοὶ, πάντα τὰ δικαιώματα, ἃ περὶ συμβόλαια διετεταγμένα, ὅτε ἐσάπαξ τεῦ ἐποίουν, ὅτε τὰ γραφέντα ἑτέρως, ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μετέγραφον, καὶ συχνὰ ἐν τούτῳ πρὸς χάριν ἢ καὶ ἔχθραν τινῶν, ὥσπερ εἰθισμὸς, ἐγίνετο. *Neque enim praetores id ius, quod ad contractus dirigendos positum erat, obseruarant, neque scripto iuri steterant: sed saepenumero ea variauerant, crebroque per gratiam & odium certorum hominum, veluti fieri adsolet, multa gerebantur.* Vtebantur hanc in rem variis artibus, veluti I. FICTIONIBVS, quando, verbi gratia, fingebant, rem vsucaptam, quae vsucapta haud esset, vel contra. §. 4. & 5. *Inst. de actionib.* immo, quod magis ridiculum videri posset, quando fingebant, filiam patroni esse filium, cuius παλαιᾶς ὑποκρίσεως ἢ παρατηρήσεως mentio fit in *Basilic. Lib. XLIX. tit. I. p.* 594. *Tomo VI.* Addantur, quae diximus in *Comment. ad L. Iul. & Pap. Lib. II. cap.* 22. *p.* 355. [Huc pertinet etiam fictio negotii defunctorum gesti per curationem funeris *l.* 1. *D. de relig. & sumt. fun.* Virgil. *Aeneid. VI. v.* 325.] Vtebantur II. *nouis* NOMINIBVS, veluti quum *bonorum possessionem* darent iis, quibus leges *hereditatem* negabant. Vtebantur III. EXCEPTIONIBVS quibus actiones legibus datae elidérentur. Vtebantur

Source : BIU Cujas

tur IIII. RESTITVTIONIBVS *in integrum*, quibus non modo leges, sed & res iudicatas rescinderunt praetores. Vt adeo vere summa penes Praetores esset non quidem leges ferendi, sed euertendi potestas, quamuis edicta *adiuuandi, supplendi, corrigendique iuris ciuilis gratia* proponi, prae se ferrent. *l.* 7. §. 1. *D. de iust. & iur.* Thomas. *Naeu. Iurispr. Anteiust. I.* 7. *p.* 31. Ge. Beyer. *Posit. Pandect. I.* 2. *p.* 14.

§. XXV.

Aediles plebeii & curules.

Praetorum exemplo AEDILES quoque edicta sua proponebant, quae & ipsa pertinebant ad ius honorarium. Erant aediles vel PLEBEII vel CVRVLES. Plutarch. *in Mario. p.* 408. Illorum duo vna cum tribunis plebis creari coeperunt anno V. C. CCLX. vt Tribunis essent ad manus, eorumque iussu caussas leuiores litesque priuatas diiudicandas susciperent, aedium sacrarum, locorumque publicorum, & annonae, curam gererent, matronarum denique ciuiumque mores obseruarent. Dionys. Halic. *Antiqu. Rom. VI. p.* 411. Curules vero, de quibus hic agimus, e patriciis initio legebantur. Quum enim discordia, de consule plebeio creando inter plebem & patricios exorta, sedata videretur, ludique ob eam rem decernerentur diis patriis, detrectantibus hanc curam aedilibus plebeiis, obtulerunt se bini iuuenes patricii, polliciti, se hoc munus suscepturos. Collaudauit populus hoc de republica bene merendi studium, &, denuo delusus patriciorum artibus, hos patricios iuuenes aediles creauit, sellamque curulem honoris caussa concessit, vnde & AEDILES CVRVLES dici consueuerunt. Liu. *Hist. VI.* 42.

§. XXVI.

Penes hos ergo erat annonae (*q*) viarumque publicarum curatio, tutela vrbis, ludorum institutio, de rebus venalibus promercalibusque cognitio, & praecipue sacrarum aedium cura, a qua & AEDILIVM nomen sunt consequuti. *l.* 2. §. 21. *D. de orig. iur.* Varro *de Lingua Lat. IIII. p.* 30. Cicero *Verrin. VII.* 14. Iisdem quoque demandata erat ἐπισκοπὴ in fornices, lupanaria, cauponas, ipsasque mulieres, quae quaestum corpore faciebant, quae nomina solebant apud aediles profiteri, vt suo loco docebimus.

(*q*) Hanc annonae procurationem postea Iulius Caesar demandauit duobus aliis Aedilibus, qui CEREALES vocabantur, Dio Cass. *Hist. XXXXIII. p.* 271. *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* pro quibus perperam *Praetores Cereales* sibi fingunt Rosinus, Alex. ab Alexandro & Ian. Vinc. Grauina, quibus satisfecit V. C. Henr. Bern. Reinold. *Var. cap. III. p.* 27.

Source : BIU Cujas

§. XXVII.

Edictum Aedilitium.

De rebus hisce ad iurisdictionem suam pertinentibus ipsi quoque, vt iam diximus, edicta proponebant, ad quae adludit suo more Plautus *Capt. IIII. 2. v. 43.*

Eugepe EDICTIONES AEDILITIAS *hic habet quidem.*

Et ex hoc quidem aedilitio edicto descendunt actiones contra venditores rerum vitiosarum, & eos qui bestias feroces habent, vbi iter fit, veluti redhibitoria, quanti minoris, & aliae, quarum fragmenta tria etiamnum exstant in pandectis. Primum scilicet *l.* 27. §. 28. *D. ad leg. Aquill.* alterum *l.* 1. §. 1. *& l.* 38. *pr. D. de aedil. edict.* tertium *l.* 40. §. 1. *& l.* 41. 42. *D. eod.* Fr. Pollet. *For. Rom.* III. 2. Barn. Brisson. *de Formul.* III. *p.* 289. Ceterum, de quibus edicebant aediles, de iisdem plerumque & praetores cognoscere consueuerant, & illis deficientibus, caussae ad hos transferebantur. De qua concurrente praetorum aediliumque iurisdictione (*r*), disserit Iac. Cuiac. *Obseru.* VIII. 38.

(*r*) Ob hanc concurrentem iurisdictionem factum videtur, vt & Aediles haud raro PRAETORES dicantur. Sic Paullus *Recept. Sent. I.* 15. 2. aedilitium edictum diserte tribuit Praetori. Quin & generale fuit hoc magistratuum nomen. Nam & consules, procoss. praesides, legati Caesaris, dicti nonnumquam a praeeundo PRAETORES. In notis quoque Valerii Probi exstat PR. VIGILVM, id est, vti interpretantur, *Praetor Vigilum*, qui & *Praetor plebis* vocatur Iustiniano *Nou.* XIII. Quamuis nulla sit ratio, cur apud Valerium Probum non potius legere malimus *praefectus* VIGILVM. Conf. Ger. Noodt. *Probabil. I. 6. p.* 16. 17.

§. XXVIII.

Responsa prudentum.

Pergimus ad RESPONSA PRVDENTVM, quae & ipsa partem iuris constituebant. Dicebantur ea speciatim IVS CIVILE, Cicer. *pro A. Caecina XXIII. L.* 2. §. 5. *D. de orig. iur.* non vero IVRISPRVDENTIA MEDIA: §. 3. *Inst. de legit. agnat. succeff.* qua potius totius iurisprudentiae Romanae periodus lege XII. tabularum iunior, Imperiali autem dispositione anterior intelligitur. Addi tamen potest V. C. Iac. Perizon. *ad L. Vocon. p.* 198. Multa iuris capita post XII. Tab. per interpretationem inuexerunt ICti, ob eam rem IVRIS AVCTORES, *l.* 3. *D. si pars hered. pet. l.* 39. *D. de act. emt. l.* 17. *D. de iure patr.* vt & IVRIS CONDITORES adpellati. *l.* 23. *C. de procurat.*

§. XXVIIII.

Iureconsultorum origo.

Iureconsultis Romae originem dedit institutum a Romulo IVS PATRONATVS. Patriciorum enim erat, parentum munere fungi erga plebeios, vnde & *patroni* dicebantur, quasi patres, quemadmodum matro-

Source : BIU Cujas

matronae quasi matres sunt. Optio ergo cuiuis erat e plebe, quem vellet, sibi patronum legendi e patriciis. Hunc vero oportebat clientibus respondere de iure, cuius illi rudes erant, absentium aeque ac praesentium negotia curare, lites pro iis suscipere, in ius vocatos defendere, & quietem eis pro virili parare a publicis priuatisque negotiis. Vicissim *plebeiorum* erat, patronos in elocandis filiis iuuare, captivos vel ipsos, vel eorum filios, redimere, litium aestimationes & mulctas pro iis soluere, in magistratibus muneribusque eos argento subleuare, & quae sunt alia huius generis officia. Vnde & *clientes* dicti, quasi *colentes* vel κλειθντες. Dionys. Halic. *Ant. Rom.* II. *p.* 84. Plutarch. *vit. Romuli p.* 24. *Tomo* I. *op.* Polyb. *Hist.* I. *p.* 459. Ea porro mutua obligatio tanta necessitudine ac fide adstringebatur, vt proximum patrono locum secundum parentes concedat Cato *apud* Gell. *Noct. Att. V.* 13. [quin Romulus teste Seruio *ad Virgil. Aen.* VI. *v.* 622. eum patronum *sacrum esse* iusserit, qui quid in clientis fraudem egerit. *Sacrum* vero *esse* quid sit, pluribus ostendit Dionys. Halic. II. *p.* 84. Raeuard. *ad* XII. *Tab. Cap.* IIII. *p.* 22.] Nec priuati tantum, sed & coloniae, vrbes sociae, gentes amicae & deuictae, suos Romae patronos eligebant ex patriciis, & postea senatoriis familiis, quibus saepenumero senatus controuersias illarum decidendas commisit. Dionys. Hal. II. *p.* 85. Cicero *de Offic.* I. 11. Immo nullum temere erat negotiatorum corpus, nullum artificum collegium, quod non patronum sibi Romanam quamdam familiam adoptasset. Sic in marmore Surretino apud Reines. *Inscript. Classe* VI. *n.* 39. *p.* 412.

FLAVIO FVRIO FAVSTO V. C. TRIBVNO.
AB ORIGINE PATRONO
OB MERITA LABORVM SVORVM
VNIVERSVS ORDO ET POPVLVS SVRRETINORVM
STATVAM NOBILITATI EIVS
FACIENDAM CVRAVIMVS.

Ita & municipes Ciuilitani *L. ARCADIVM PROCVLVM V. C.* LIBEROS POSTEROSQVE EIVS SIBI POSTERISQVE SVIS PATRONOS COOPTAVERVNT. Gruter. *Inscript. p. CCCLXII.* 1. Sic & alibi laudantur PATRONVS CAPVANORVM LONGE A MAIORIBVS ORIGINALIS, Idem *p. CCCLVIIII.* 1. SVESSIANORVM COMMVNIS AB ORIGINE PATRONVS, *p. MXXVII.* 3. PATRONI COLLEGIORVM CENTONARIORVM, Reines. *Class. I.* 302. DENDROPHORORVM, Idem I. 283. FABRORVM, Idem II. 17. LENVNCVLORVM OSTIENSIVM, Idem I. 33. NEGOTIATORVM OLEARIORVM EX BAETICA, Idem

Source : BIU Cujas

VI. 123. PAGI TOLENTINES. Id. *Adpend. num. VIII.* Horum patronorum in eo consistebat officium, vt coloniarum, vrbium, collegiorum, pagorum, negotia in senatu & vrbe sese curaturos, reciperent. Quo officiorum genere ita plerumque aere emungebant clientes, vt legibus nouis opus esset ad hanc patronorum rapacitatem coercendam. *Tit. C. Theod. de patrocin. vicor. Lib. XI. tit.* 24. & *Cod. Iust. Lib. XI. tit.* 53. Liban. *Orat.* περὶ τῶν προστατῶν. *p.* 14. *seq. edit.* Iac. Gothofr. Alias veteri iure gratuita erant inter patronos & clientes officia, & vt illi gratis plebeiorum curabant negotia, ita & hi pecunias sine foenore credebant. Dionys. Halicarn. II. *p.* 48. [Add. Tacit. *Annal. VI.* 16.] Quum ergo initio e patriciis suis quisque clientibus de iure responderet: postea omnibus consulentibus promiscue se dare coeperunt, & quidem mercede conducti: & inde obsoleuit antiquum illud ius patronatus, natique sunt iureconsulti, qui iam respondebant de iure, causasque egerunt, atque adeo omnia, quae olim patronorum fuerant, in se transferebant officia. Vid. praeter Fr. Brummerum V. C. *ad Legem Cinciam*, Ge. Schubart. *de Fatis Iurispr. Rom. I.* 15. *p.* 29. Vnde facile reddi poterit ratio, cur plerique Iureconsulti veteres ordinis fuerint patricii? cur *patroni* dicti, qui causas agebant; cur iureconsulti atque aduocati eos, a quibus adhibebantur in consilium, *clientes* vocarint? Cur iure veteri & per legem Cinciam gratuitum esse oporteret aduocatorum officium? Brummer. *l. c. cap. III. vsque ad XI.*

§. XXX.

Quale ius iureconsulti condiderint.

Tria vero sunt summa capita, quibus iurisprudentiam locupletarunt iureconsulti: I. ACTIONES LEGIS, II. INTERPRETATIO legum, & III. NOVVM IVS quod interpretando inuexerunt, petitum plerumque ex mediis philosophiae moralis principiis, & iuri XII. Tabularum veluti adpendicis loco adiectum, vt loquitur Iac. Raeuard. *de Auctorit. prudent. I. p.* 952. *Tomo I. op.*

§. XXXI.

Actiones legis a iureconsultis inventae.

ACTIONES LEGIS quid fuerint, iam supra est a nobis explicatum. Eas vero a iureconsultis maximam partem esse inuentas, adparet ex *l.* 2. §. 6. *D. de orig. iur.* Cicer. *pro Muraena XI. XII.* Et hinc eae ad singulare veluti iureconsultorum peculium (*s*) pertinebant, quod seruabant tanto diligentius, quanto magis hac arte plebem habebant sibi obnoxiam. Cicero l. c. & *de Orat. I.* 41.

(*s*) Equidem penes Pontificum collegium fuisse legis actiones docet Pomp. *L.* 2. §. 6. *de orig. iur.* sed caue cum vulgo existimes, ad omnes legis actiones

Source : BIU Cujas

actiones vniuersamque interpretandi rationem hunc Pomponii locum pertinere. Aliud docet Cicero *de Legib. II. 19. Saepe ex patre audiui, pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset.* [Totumne?] *Quid ita? Quid enim ad pontificem de iure parietum, aut aquarum, aut vllo similium? Ergo quod cum religione coniunctum est. Id autem quantulum est? De sacris, credo, de votis, de feriis, de sepulchris, & si quid eiusmodi est.* Conferatur & *cap. XXI.* Quaecumque ergo cum religione coniuncta erant, ea demum erant cognitionis pontificiae. Hinc eorum erat, dies signare, & litigantibus indicare, quibus diebus lege agere vel fas, vel nefas esset; *Liu. I. 19.* Cicero *pro Muraena XI.* respondere de iuribus domus, nam & domi sacra priuata erant, in quibus quum constitutae quoque essent vxores & liberi, etiam nuptiae, adrogationes, adoptiones auctoribus fiebant pontificibus. Denique de omnibus rebus sacris & religiosis iura interpretabantur Pontifices. Georg. Schubart. *de Fat. Iurispr. Rom. II. 59. sequ. p. 296.*

§. XXXII.

Idem leges interpretati sunt I. scribendo dorendoque.

INTERPRETARI porro iurisconsulti solebant leges, partim libris scriptis, partim editis responsis, partim disputatione fori. Et initio quidem a docendo non modo, sed & scribendo sese abstinebant, ne mysteria sua cum plebe communicarent. Postea, vbi Cn. Flauius & Sex. Aelius horribile illud actionum secretum euulgarant, multi se ad scribendum commentandumque certatim contulerunt, quorum interpretationes sensim auctoritatem iuris vsu fori sunt consequutae. *l. 2. §. 38. seq. D. de orig. iur.* Vnde illud ius *sine scripto venire*, ait Pomponius *l. 2. §. 5. D. eod.* siquidem libri iureconsultorum non eo fine eoque instituto fuerant conscripti, vt instar legum promulgarentur; sed tantam auctoritatem eorum sententiae tacito populi consensu erant consequutae. At postquam Theodosius [*l. vn. C. Th. de respons. prud.*] quibusdam iureconsultorum libris legum accommodauit auctoritatem, & Iustinianus eorum loca in Pandectas relata ita promulgauit, vt *quidquid ibi scriptum est, hoc Iustiniani adpareret, & ex eius voluntate compositum* existimaretur; *l. 2. §. 10. C. de vet. iur. enucl.* coeperunt eae iureconsultorum decisiones iuri scripto accenseri. Et huc referenda *§. 3. Inst. h. t.* Ger. Noodt. *de pact. & transact. XVIII. p. 715.*

§. XXXIII.

Vt & II. de iure respondendo.

RESPONSA iureconsulti vel partibus dabant consulentibus, vel iudicibus, vel vtrisque; & tunc quidem vel scripto, vel verbis, quid sibi videretur, exponebant. Solebant enim iureconsulti frequenter medio foro inambulare, veluti obuii & communes iis, qui haererent incerti, & remedium sibi consulendi ignorarent. Cicero *Topic. XVII. Priuata iudicia maximarum quidem rerum in iureconsul-*

Source : BIU Cujas

reconſultorum mihi videntur eſſe prudentia. Nam & adſunt multum (in medio puta foro) *& adhibentur in conſilium* (a magiſtratibus,) *& patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus* (domi) *haſtas miniſtrant.* Vnde facile patet, cur & ADVOCATI dicti ſint. Deinde & domi ſuae ſibi conſtituere ſolebant ſolium, ex quo confluentibus ad ſe clientibus, tamquam ex tripode, reſponderent. Cicero *de Leg. I.* 3. Et ad hoc ſolium reſpicere arbitror eumdem Ciceronem, quando per iocum ſcribit: *C. Aquillium iureconſultum iuraſſe morbum, & illud ſuum* REGNVM IVDICIALE *oppoſuiſſe. Epiſt. ad Attic. I.* 1. Mane ergo quotidie ad aedes eorum ventitabant clientes, & veſtibula eorum maxima ſemper frequentia ciuium celebrabantur, vt non immerito iureconſulti domus totius oraculum ciuitatis videretur Ciceroni *de Orat. I.* 45. Quo pertinent illa Horatii *Serm. I.* 1. *v.* 9. 10.

Agricolam laudat iuris legumque peritus,
Sub galli cantum conſultor vbi OSTIA PVLSAT.

Et alibi *Epiſt.* II. 1. *v.* 103.

Romae dulce diu fuit, & ſollemne, recluſa
Mane domo vigilare, clienti promere iura.

Immo & Tibullus *I.* 4. quaſi amatorii iuris ſcientiam ſibi adrogans, ſeque ad priſcam iureconſultorum imitationem componens:

--- Me, inquit, *qui ſpernentur, amantes*
Conſultent: cunctis ianua noſtra patet.
Tempus erit quum me Veneris praecepta ferentem
Deducat iuuenum ſedula turba domum.

Ge. Schubart *de fat. iuriſp. Rom.* II. 52. *p.* 265. Ceterum & hoc fiebat formulis quibuſdam & verbis ſollemnioribus. Venia enim prius petebatur his verbis: LICET CONSVLERE? Adnuente iureconſulto, & reſpondente: CONSVLE, plerumque breuiſſime referebatur negotium, addita quaeſtione; QVAERO AN EXISTIMES? vel: ID IVS EST, NECNE? Reſpondebat Iureconſultus: SECVNDVM EA QVAE PROPONVNTVR, EXISTIMO, PLACET, PVTO, id ſemper dans operam, vt quam modeſtiſſime loqueretur. Horat. *Serm.* II. 3. *v.* 192. *ſeq.* Turneb. *Adverſ.* VII. 10. Briſſon. *de Form.* III. *p.* 331. Franc. Duaren. *Diſp. Anniu.* II. 11. *p.* 1064. Ger. Noodt. *de dolo malo* XII. *p.* 507. *& de pact. & tranſact. p.* 733. Conſulebantur etiam nonnumquam iureconſulti a iudicibus, quibus vel abſentes ſcribebant, quid eſſet iuris, *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* vel coram iura explicabant. Plerumque enim iudices in conſilium adhibebant aliquot iureconſultos, vt patet ex Gellii

Noct.

Source : BIU Cujas

Noct. Attic. XII. 13. Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom.* II. 18. *de antiquo iure prouinc.* II. 5. *p.* 198.

§. XXXIV.

Reſponſorum forma.

Erant reſponſa illa breuiſſima, & nullis munita rationibus. Seneca *Epiſt.* LXXXXIV. *Quid? quod etiam ſine probationibus monentis auctoritas prodeſt, ſic, quomodo iureconſultorum valent reſponſa, etiamſi* RATIO NON REDDITVR. Nonnumquam tamen & rationes quasdam addebant, vel ex legum verbis, vel ex aliorum prudentum auctoritate, vel ex vſu fori, vel ex decretis denique ſeuerioris philoſophiae depromtas. Hortled. *Diſſ. de vero ſenſu l.* 20. *D. Legib. n.* XXXXVIII. D. Okel. *Diſſ. de iureconſulto rationali* III. & VII. *p.* 154. [Id in primis fiebat in reſponſis ſcriptis & epiſtolis. Solebant enim iuriſconſulti ſe inuicem conſulere, qui rationes ſibi reddi volebant. *l.* 29. *D. de ſtatulib.* De differentia *quaeſtionum & reſponſorum* vid. V. A. Eu. Otton. *in Papinian. Cap.* XII. §. 1. 2.]

§. XXXV.

Denique III. Diſputatione fori.

Pertinet etiam ad interpretationem DISPVTATIO FORI. Nonnumquam enim de grauibus perplexiſque quaeſtionibus diſſidentes iureconſulti, rationibus ſubductis, deciſionem communi ſuffragio inueniebant, adeoque prius in commune conſulebant, eaque dicebatur DISPVTATIO FORI, cuius meminit Pomponius *l.* 2. §. 5. *D. de orig. iur.* In dubium quidem id vocat Ge. Schubartus *de fat. iuriſprud. Rom. Ex. II.* 57. *p.* 292. ſed ſexcenta adſunt rei teſtimonia. Auguſtum ob quaeſtionem de codicillis, conuocaſſe prudentes viros, interque eos Trebatium quoque, cuius tunc maxima erat auctoritas, notum eſt ex *pr. Inſt. de codicill.* Pari ratione divi fratres, quum quaeſtio eſſet de excluſione nepotis a bonis auiti liberti, *cum Maeciano, aliiſque amicis ſuis iuriſperitis adhibitis, rem plenius tractarunt*, teſte Vlpiano *l.* 17. *D. de iure patron.* Sed & Paullus ait, *quum de quodam quaereretur, an recte exheredatus videretur, Scaeuolam reſpondiſſe, non videri, & in* DISPVTANDO reſponſi ſui rationem eumdem Scaeuolam adieciſſe. *l.* 19. *D. de lib. & poſtum.* Nec alio videtur reſpexiſſe Aſconius Paedianus *in* Cicer. *Verrin.* III. *p.* 1849. quando ait: *Maleficia ſponte, & non* DISPVTATIONE IVRISCONSVLTORVM, *ſed naturali interpretatione, fugienda ſunt.* Denique eodem referenda illa veteris Scholiaſtae, qui explicaturus illa Iuuenalis *Sat. I. v.* 128.

---- *Iuriſque peritus Apollo.*

addit *p. m.* 26. *Quia iuxta Apollinis templum iureconſulti ſedebant,*

Source : BIU Cujas

& TRACTABANT. Vbi tractare idem ac disputare est. Plura dabit Iac. Raeuard. [*de auctorit.*] *prudent.* XIIII. *p.* 1031. Reperta vero eiusmodi disputatione definitio, quamuis non haberet vim iuris, nisi simul vsu recepta, magnae tamen auctoritatis habebatur; &, si vel vsus fori, vel noua auctoritas accederet, etiam ad similes extendebatur casus. Ger. Noodt. *ad Leg. Aquill. XV. p.* 106. *de Pact. & Transact.* XVIIII. *p.* 718. Et tum demum vocari solebat RECEPTA SENTENTIA, RECEPTVM IVS, RECEPTVS MOS, POST MVLTAS VARIATIONES RECEPTVM (*t*). *L.* 115. §. 2. *D. de verb. obl. l.* 3. *C. in quib. causs. in integr. restit. necess. non est. l.* 41. *D. de reb. credit.* RECEPTVM *enim*, inquit Festus, *dicitur, quidquid a plerisque prudentibus adprobatum est.* Conf. Barn. Brisson. *de verb. signif. voce Receptum.* & Guil. Budaeus *in Comment. ad l.* 11. §. 1. *D. de verb. signif.* Quin & REGVLAE IVRIS, quarum toties ius nostrum meminit, nihil aliud sunt, quam breues quaedam positiones, quae rem fori disputatione definitam, & iureconsultorum consensu receptam concise enarrant. Raeuard. *de Auctorit. Prudent. XV. p.* 1036. *seq. & Comment. ad l.* 1. *de reg. iur. p.* 125.

(*t*) Frequentissima in iure nostro loquutio: *Post magnas varietates obtinuit.* *L. vlt. D. pro Legat. L.* 32. *D. de oblig. & act. L.* 55. §. 1. *D. de legat.* 2.

§. XXXVI.

Iureconsulti ius suppleuerunt.

Tertium, quod iureconsultis ius Romanum debet, caput veluti adpendicem quamdam XII. Tabularum & reliquarum legum complectitur. Vbi enim deficere videbantur leges, & praetorum aediliumque edicta, ibi iureconsultorum erat, ius ex aequitate supplere. Hinc permulta nata sunt in iureconsultorum scholis ac disputationibus decreta, quae ex nulla scripta lege, nulloque edicto descenderunt. Sic adquisitio, verbi gratia, per adrogationem inventa fuerat a iureconsultis. *princ. Inst. de adquisit. per adrogat.* Eamdem originem fuisse nouimus codicillorum, exheredationis postumorum, differentiae inter exheredationem filiorum, filiarum & nepotum, stipulationis Aquillianae, regulae Catonianae (*tt*), actionis rei vxoriae, querelae inofficiosi testamenti, aliorumque huius generis capitum iuris. Luculentum hanc in rem exstat testimo-

(*tt*) [Addideramus in prioribus editionibus *substitutionis pupillaris, donationis inter virum & vxorem prohibitae*; sed de his iam aliter sentimus. Nam substitutio pupillaris vere est ex XII. Tabulis, lege: Paterfam. vti legassit. cet. Donationum inter viros & vxores prohibitio ex natura in manum conuentionis fluit.]

Source : BIU Cujas

simonium Ciceronis in *orat. pro Muraena XII. Quum permulta praeclare legibus essent constituta, ea iureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac deprauata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt: hi inuenerunt genera tutorum, quae potestate mulierum continerentur. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemtiones faciendas interimendorum sacrorum caussa reperti sunt. In omni denique iure ciuili aequitatem reliquerunt: verba ipsa tenuerunt.* Sic multa inuenere iureconsulti, multa disputationibus suis ac responsis inuexerunt in forum, quae nec lege vlla, nec praetoris edicto constituta fuerant. Et haec decreta ob auctorum duntaxat celebritatem vim quamdam legum obtinuere, & postea rerum iudicatarum constantia firmius haeserunt. Vid. Vinc. Grauina *de ortu & progr. iur. ciu.* §. XXXXIII.

§. XXXVII.

Eorum auctoritas initio minor.

Quantacunque vero esset veterum ICtorum auctoritas: iudices tamen non obligabant eorum responsa. Hinc Cicero *pro Mur.* XIII. *Iureconsultorum responsa & decreta saepe ab oratoribus dicendo euerti*, testatur. Et in *orat. pro A. Caecina* XXIIII. exemplum adducit Crassi, qui in iudicio centumuirali obtinuerit, vt Scaeuolae responsum minime valeret. Quare tunc ne signabant quidem responsa. *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* (certe id non videbatur necessarium,) & plerumque vtebantur verbis SVADEO. *l.* 3. §. 1. *D. de minorib. vig. quinque ann.* VIDETVR, PVTO, SENTIO. &c. Duaren. *Disp. ann.* II. 11. *p.* 1064. vt ne iudici praescribere sententiam viderentur. Immo ob eamdem caussam omnibus, quibus esset studiorum fiducia, de iure respondere licebat. *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iuris* (*u*).

(*u*) Errat ergo Theophilus §. 8. *de iure nat. gent. & ciu.* vbi iureconsultos vocat σοφὰς, οἷς τὸ νομοθετεῖν ἢ δῆμος ἢ σύγκλητος, ἢ βασιλεὺς ἐπέτρεψε, *sapientes, quibus iura condere aut populus, aut senatus, aut princeps concessit.* Numquam enim in libera republica vel populi, vel Senatus concessione, opus fuisse responsuris de iure, inter omnes constat.

§. XXXVIII.

Augustus quibusdam priuilegium dedit de iure respondendi.

Sed ista mutauit Augustus, qui primus respondendi de iure facultatem certis tantum hominibus beneficii loco indulsit, adstrinxitque iudices, vt ne ab eorum responsis discederent. §. 8. *Inst. h.t. l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* Quamuis enim in dubium id vocet Iac. Gothofredus *in Comment. ad C. Theod. Lib.* I. *Tit.* 4. *p.*32. 35. vbi hanc iureconsultis auctoritatem partim iam ante Augustum saluam fuisse, partim denique a Valentiniano III. Imp. sta-

Source : BIU Cujas

bilitam esse putat : satisfecit tamen eius argumentis Thomas. *de naeuis iurisp. anteiust.* II. 2. *p.* 67.

§. XXXVIIII.

Ratio huius instituti.

Caussa huius sanctionis non ea erat, quam prodit Pomponius *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur. vt maior esset iuris auctoritas*, nec solum, vt noua responsa vetus edictum & iudiciale praetoris regnum euerterent, ceu acute coniecit V. A. Vlr. Huber. *Auspic. domest. V. p.* 178. nec, vt plebs, otii delinita dulcedine, atrocem reip. memoriam exueret, quae eiusdem est Huberi sententia : sed partim, ne plebs innumeris implicita litibus, de excutiendo iugo consilia conferret : (Thomas. *l. c.* II. *p.* 70.) partim vt eo ipso Augustus legislatoriam potestatem callide sibi vindicaret, legesque pristino reip. statui adcommodatas, per iureconsultos paullatim corrigeret, & ad praesentem reipublicae faciem detorqueret (*x*). Vnde & eam potestatem primo Ateio Capitoni, aliisque suarum partium ICtis, concessisse videtur.

(*x*) Praecipua Augusti cura fuit, *legum munia in se trahere.* Tacit. *Ann. I.* 3. Quum ergo nouis omnino legibus opus esset, nouo hoc statu reip. plures quidem initio rogationes tulit ad populum, seruato veteri reip. more, & inde natae tot *leges Iuliae*, quarum pleraeque Augusto debentur, itemque *Falcidia, Aelia Sentia, Fusia Caninia, Papia Poppaea, Iulia & Titia*, & aliae : sed non integrum tamen erat Augusto, omnes antiquas leges eadem facilitate euertere, qua illas, sub triumuiratu latas, *vno edicto*, aboleuerat. Tac. *Ann. III.* 28. Quum ergo refigi non possent leges antiquae, eaeque tamen non conuenire viderentur nouo isti statui reipublicae : illud vnum supererat, vt per interpretationem eae ad praesentem reip. formam sensim deflecterentur. Iam magistratibus hoc permittere, non videbatur tantum : sibi soli id vindicare, & inciuile, & inuidia plenum erat, & molestissimum. Reliqui ergo erant iureconsulti, tanto ad hoc negotium aptiores, quanto magis iam in vetere rep. potestas quaedam interpretandi penes ipsos fuerat. Quemadmodum vero hoc maximum erat Augusti arcanum politicum, quod, priscis vocabulis retentis, res nouas inueheret, *eadem magistratuum* rerumque *vocabula; nihil vsquam prisci atque integri moris* relinqueret : Tacit. *Annal. I.* 3. ita & iureconsultis, specie antiqui moris, instrumentis nouae dominationis vsus est, ita scilicet leges interpretaturis, quemadmodum id suo expediret imperio. His praestructis, totius nouae constitutionis reddi poterit ratio. Promiscuam istam respondendi licentiam sustulit, eamque concessit paucis. Cur vero ? nisi vt eos seligere posset, quos sciret sibi fore obnoxios ? Iussit eos non priuatim, sed publica auctoritate, respondere. Quamobrem ? vt legum interpretatio ita penes se esset. Iudicibus eam legem dixit, ne ab istis responsis discederent. Quam ob caussam ? ne, obseruata legum antiquarum ruina, intercedere, & Augusti consilium turbare conarentur. Signo opus erat, non rationibus. Cur vero ? vt ne per rationum infirmitatem palam fieret, id agi, vt leges antiquae

Source : BIU Cujas

tiquae euerterentur. Ceterum vera esse haec omnia, vel ex iis patet, quae inter eum Antistiumque Labeonem acta sunt. Eminentissimi ea aetate ICti erant Antistius Labeo, & Ateius Capito, adeo vt non immerito *duo pacis decora* eos adpellet Tacitus *Ann. III. 75.* Quare operam dabat Augustus, vt hos potissimum sibi conciliaret. Labeoni ergo consulatum offerebat, hoc videlicet auctoramento calamum eius redditurus obnoxium. Sed *quum incorrupta libertate gauderet, ab ambitione honorum vacuus*, Tacit. *Ann. l. c.* quumque *nihil ratum pensumque haberet, nisi quod iustum, sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset*: Gell. *Noct. Attic. XIII. 12.* honorem istum plane respuit. Animaduertens vero Augustus, Labeonis sibi operam parum vtilem futuram, Ateium Capitonem adortus, hunc modis omnibus ornare coepit, consulemque creauit. Tacit. *Ann. III. 75.* Erat enim hic eo ingenio, *vt eius obsequium non posset non dominantibus magis probari*, iudice Tacito *Ann. III. 75.* Egregia sane adulationis specimina eum dedisse, obseruant Tacit. *III. 70.* Sueton. *de illustr. Gramm. XXII.* Ergo maximo hunc studio sibi adiungebat Augustus, vt eius opera in nouo dominatu vteretur. Haec historia egregie coniecturam nostram firmat. Intelligimus enim inde, I. Augustum de iureconsultis primariis sibi conciliandis magnopere laborasse. Quod sane non fecisset tantus princeps, nisi eorum operam perutilem sibi in nouo principatu constituendo, legibusque ad praesentem statum flectendis, futuram, animaduertisset. II. Talibus iureconsultis amicis eum vti voluisse, quorum sibi obsequium probaretur, id est Capitonis similibus, qui non antiquo iuri mordicus inhaererent, sed callide inseruirent temporibus. Ex quo denique colligimus, III. non alia de caussa eum respondendi facultatem quibusdam tantum iureconsultis dedisse, quam vt eorum calamis vteretur, ad leges veteres & in libera republica receptas euertendas, & nouae imperii sui formae tanto facilius adcommodandas. Plura de Augusti prudentia νομοθετικῇ diximus in *Praef. Comment. ad L. Iul. & Papiam* *, quam euoluisse non poenitebit.

* *Tom. VIII. huiusce Edit.*

§. XXXX.

Sequentes imperatores, si a Caligula discesseris, qui totum iureconsultorum ordinem aboliturum se minabatur, [*& mehercle effecturum, ne quis* (ita enim recte legit Ios. Scaliger) *respondere possit, praeter eum*,] teste Suetonio *Calig. XXXIIII.* hoc Augusti institutum diligenter seruabant, saltem vsque ad Hadrianum. De Tiberio id patet ex *l. 2. §. 47. D. de orig. iur.* ex quo loco etiam adparet, Hadrianum iterum more maiorum vnicuique dedisse facultatem respondendi, qui sui haberet fiduciam. Rogatus enim a viris praetoriis, vt sibi liceret respondere, rescripsit, *hoc non peti, sed praestari solere.* Itaque ab Hadriano ad Alex. Seuerum libera denuo esse coepit respondendi facultas. Dodw. *Prael. Cambden. IX. 11. p. 355.* Postea denuo reductum Augusti institutum, ceu patet exemplo Innocentii, iureconsulti, quem respondendi facultatem ab Imperatoribus accepisse, tradit Eunapius *in vita Chrysanthii p. 286.*

Idem placuit imperatoribus sequentibus.

Source : BIU Cujas

§. XXXXI.

Valentiniani III. & Theodosii constitutio de auctoritate iureconsultorum.

Non poterat non hoc Augusti priuilegium sectas, summamque iuris incertitudinem inuehere. Hinc de remedio cogitarunt Valentinianus III. & Theodosius iunior Imperatores, qui Papiniani tantum, Paulli, Caii, Vlpiani, & Modestini scripta iusserunt valere in iudiciis, & plura eorum praeualere paucioribus, ex paribus vero ea, inter quae Papiniani essent testimonia: si sententiae denique sine Papiniano pares essent, iudicis arbitrio locum esse. *L. vn. C. Theod. Responsa prudent. & ibi* Gothofredus. Addatur Thomas. *de Naeu. iurisprud. anteiustin. II. 7. p. 112. sequ.*

§. XXXXII.

Iustiniani institutum.

Denique & id incommodum visum Iustiniano, qui Iureconsultorum sententias hinc inde decerptas in pandectas recepit, corpusque conficiendum curauit, aliquando non optime cohaerens, quippe e membris sibi dissimillimis compositum. *l. 1. §. 5. 6. C. de vet. iure enucl.*

§. XXXXIII.

Facultas interpretandi iureconsultis ademta.

Quin & omni interpretandi facultate interdixit iureconsultis, eosque ad conscribendas metaphrases & paratitla conficienda, condemnauit. *§. 2. Const. de concept. Digest. Paratitla* quid sint, explicat Aeg. Menag. *Amoenit. iur. ciuil. Cap. XV.*

§. XXXXIIII.

Principes initio veteri ritu leges tulerunt.

Restat, vt quas symbolas PRINCIPES, mutata reip. forma, ad ius Romanum contulerint, paucis dicamus. Initio Imperatores veterem leges ferendi morem aliquamdiu retinuerunt. Hoc enim ritu sub Augusto, centuriatis comitiis ad populum latae sunt leges *Iuliae*, *Aelia Sentia*, *Papia Poppaea*; sub Tiberio *Iunia Norbana*. Claudius quoque veteri ritu rogauit legem, vt Domitius in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret. Tacit. *Annal. XII. 26.* (*xx*). Quin ne sub Galba quidem plane exoleuisse veterem leges curiatas, saltim de adrogatione, ferendi ritum, patet ex Tacit. *Hist. I. 15.*

(*xx*) [At proprie hae non erant leges, sed adrogandi ritus. Adrogationes enim olim fiebant per legem curiatam. Gell. *Noct. Attic. Lib. V. cap. 19.*]

§. XXXXV.

Deinde vsi sunt Senatusconsultis.

Quemadmodum vero habita illa sub Imperatoribus comitia nonnisi quaedam pristinae libertatis simulacra erant: ita Tiberius, princeps astutus, tyranniciſque artibus magis, quam quisquam alius, instru-

Source : BIU Cujas

instructus, nouum commentus est leges ferendi morem. Vt enim populo ius omne eriperet (*y*): comitia, magistratuum creandorum caussa habenda e campo transtulit in curiam, id est, & honorum conferendorum arbitrium non amplius populi suffragiis, sed senatorum sibi obnoxiorum sententiis subiecit. Tacit. *Annal. l.* 5. Sueton. *Tiber. XXX.* Restituit populo comitia Caius Caligula. Dio Cass. LVIIII. *p.*647. sed illa paullo post ipse iterum illi eripuit. Idem *p.* 665. Ex eo tempore rarius vel magistratus creati, vel leges latae populi suffragiis: ast eo frequentius prodierunt SENATVSCONSVLTA, quibus plerumque praemittebatur *oratio principis*, non quidem semper ab ipso principe, sed saepius (*z*) a *quaestoribus*, qui *candidati* vocabantur, recitata. Brisson. *Antiqu. Rom. I.* 17. Vnde *oratione Principis cautum* dicitur, quod erat Senatus consulto constitutum *l. pen. D. ad SC. Tertull. l.* 8. *pr. D. de transaction. l.* 52. §. 10. *D. pro soc. l.*60. *pr. D. de ritu nupt. l.* 32. *pr.* §. 1. *seq. D. de don. int. vir. & vx. l.* 1. *l.*7. *C. de praed. min. non al.*

(*y*) Falluntur ergo, qui cum Pomponio *l.* 2. §. 9. *D. de orig. iur.* & Triboniano §. 5. *Inst. h. t.* existimant, ideo in curiam e campo translata esse comitia, *quia difficile esset, tantam populi multitudinem in vnum conuenire.* Quasi difficilius id fuisset sub Tiberio, quam libera republica, quando tota Italia ad comitia confluebat. Cic. *Orat. ad Quirit. post redit.*

(*z*) In marmoribus saepe legimus QVAESTOR KANDIDATVS, Reines. *Inscr. II.* 26. *VI.* 4. ΤΑΜΙΑΣ ΚΑΝΔΙΔΑΤΟΣ, Gruter. *Inscrip. p. ccccxxv.*2. Vocabantur ita, qui libris, epistolis & orationibus principum in Senatu praelegendis praeerant. *L.*1. *D. de offic.Quaest.* Dio Cass. *LIIII. p.* 617. Tacit. *Annal. XVI.* 27. Suet. *in Tito VI.* eosque iam ab Augusto adhibitos, constat ex Dione Cass. *LIIII. p.* 539. & Sueton. *Aug. LXV.* Ideo vero dicti videntur candidati, quia post quaesturam statim praetores fiebant, & inde regebant prouincias. Lamprid.*Vit. Alex. XXXXIII.* Vnde haec dignitas ingressus erat & quasi primordium gerendorum honorum, & sententiae in senatu dicendae. Immo recentiore aeuo saepe cum aliis dignitatibus coniungebatur haec quaestura. Sane Anicius Auchenius Bassus in marmore Romano praeter hanc quaesturam etiam alios gessisse honores dicitur. Reines. *Inscript. VI.* 4.

ANICIO. AVCHENIO. BASSO. V. C.
QVAESTORI. CANDIDATO.
VNO. EODEMQVE. TEMPORE. PRAETORI. TVTELARI. PROCONSVLI.
CAMPANIAE. PRAEFECTO. VRBI.
TRINI. MAGISTRATVS.
INSIGNIA. FACVNDIAE. ET. NATALIVM.
SPECIOSA. LVCE. VIRTVTIS. ORNATI.

Talis etiam est Inscriptio, posita

M. NVMMIO. ALBINO. V. C.
QVAESTORI. CANDIDATO.
PRAETORI. VRBANO. COMITI.
DOMESTICO. ORDINIS. PRIMI. ET.
CONSVLI. ORDINARIO ITERVM.

Reines. *Inscr. VII.* 132. Legendus de hac dignitate idem Reines. *Var. III.* 16. *p.* 600.

§. XXXXVI.

Source : BIU Cujas

§. XXXXVI.

Differentia SC. in libera rep. & sub Imperatoribus.

Equidem & libera republica fiebant SCa: sed ea vim legum non habebant. Quamuis enim initio, pulsis regibus, aristocratiam meditarentur patres, & hinc apud Dionys. Halicarn. *VI. p.* 329. legem esse dicerent, iam inde ab vrbe condita, *quae omnia in senatus potestate ponat, praeter magistratuum creationem, legum lationem, & bellum inferendi deponendique arbitrium*: id tamen non persuaserunt plebi, libertatis popularis adpetentissimae. Vnde non erat penes Senatum potestas legislatoria: sed quaedam tantum erant negotia, quae senatus populi iussu ad curam suam reuocaverat, vt puta, aerarium & pecunia publica, quae Senatus arbitrio dispensabatur: controuersiae in Italia suscitatae, publicaque obiurgatione vel grauiore decreto componendae: legationes aut ad indicendum bellum, aut alia grauiora negotia obeunda decernendae, aut exterorum excipiendae: prorogationes imperii & provinciarum: conuocatio populi: ac denique indictio feriarum & supplicationum (zz). Haec enim omnia Senatus solius curationi suberant, nisi tribuniciis intercessionibus res deuolueretur ad populum: ceu praeclare suo more docet Polyb. *Hist.* VI. 12. *seq.* & ex eo Zamosc. *de Senatu Rom.* II. *p.* 174. *& seq.* De his ergo solis in libera republica SCa condebantur, vt recte obseruatum a Bachouio *in πρώτοις*, *p.* 38. *seq.* Sed maxime senatus potestas excellebat in trepidis rebus ac turbatis, quibus triste illud fieri solebat senatusconsultum: DARENT OPERAM CONSVLES, NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPERET. Quod decretum summum ac latissimum in consules transferebat imperium, vt suo iure possent exercitum parare, bellum gerere, coercere, etiam iniussu populi, unde *extremum* & *vltimum* hoc *senatusconsultum* vocatur. Liu. III. 4. Sallust. *de bello Catilin.* XXVIIII. Cic. *Catilin.* I. 2. & *pro Milon.* XXVI. Caesar. *de Bello Ciuili* II. 1. Barn. Brisson. *de Form.* II. *p.* 212.

(zz) [Immo & cura religionis. Hinc quum Bacchi sacra detestanda inveherentur in rempublicam, SCo gravissimo Marciano ea coercebat Senatus. Liu. *XXXVIIII.* 8. *sequ.*]

§. XXXXVII.

Source : BIU Cujas

§. XXXXVII.

Fiebant SCa non nisi in sacro auspiciisque dedicato loco (*a*). Romulus in templo Vulcani extra vrbem Senatum coegit. Plutarch. *Quaest. Rom.* XXXXVII. *p.*276. Tullus Hostilius in curia Hostilia. Libera republica aedes Apollinis, Martis, Bellonae, Quirini, Castoris, Concordiae, Virtutis, Fidei, vt & curiae Hostilia, Pompeia, Iulia, senatui habendo inseruiebant. Gell. *Noct. Attic.* XIIII. 7. Nam & in curiis templa erant per augures dedicata. Gell. *Noct. Att.* VI. 7. Ordinaria tamen senacula erant aedes Concordiae, aedes Bellonae, & locus ad portam Capenam. Fest. *voce Senaculum p.* 431. Conueniebat Senatus statis temporibus, hoc est, singulis Kalendis, Nonis & Idibus, exemtis tamen diebus comitialibus, (quibus conuenire nefas habebatur per legem Pupiam. Cicero *ad Fam. I.* 4.) nec non diebus atris, quibus senatum non nisi in rebus trepidis habere licebat. Dio Cass. XXXXV. *p.*278. Et hi ordinarii conuentus *senatus* LEGITIMVS dicebantur. Si vero vel legatis vel aliis ob quamcumque caussam Senatus extra ordinem dabatur: ille vocari solebat INDICTVS. Fr. Hotom. *de Senatu V.* Et tunc quidem conuocabantur plerumque senatores per edictum, quo olim frequentes adesse iubebantur QVI PATRES, QVIQVE CONSCRIPTI: Liu. II. 1. postea vero edici coepit: QVI SENATORES, QVIBVSQVE IN SENATV SENTENTIAM DICERE LICET. Fest. *voce conscripti* & *Senatores*, ibique Dacer. *p.* 496. Gell. *Noct. Attic.* XIIII. 18. Brisson. *de Form.* II. *p.* 264.

(*a*) Immo & non nisi peractis sacris, captisque auguriis, fiebant. Appian. *de bello ciu. II. p.* 216. Exempla exstant apud Liu. *XXII.*11.*XXIIII.*11. Non addicentibus auibus, negotium in alium diem differebatur. Cic. *Epist. X.* 12. Augustus hac molestia liberaturus senatores, instituit, *priusquam consideret quisque, thure & mero supplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur.* Sueton. *August. XXXV.*

§. XXXXVIII.

Relatio facta a Consule, Dictatore, Praetore.

Frequens si aderat senatus, tum Consul, quem penes fasces eo mense erant, aut eo absente Praetor, aut Dictator, si quis erat, aut Interrex aut Praefectus vrbi, ad senatum referebat. Gell. XIIII. 7. Si quando id recusaret consul: eas in se partes suscipiebat aliquis tribunus plebis, cui etiam ius erat, addere relationi consulis, quod e re videbatur, aut nouam de integro ordiri. Paull. Manut. *de Senatu V. p.* 859. Relationibus plerumque praefari solebant solemni illa formula: QVOD BONVM FAVSTVM, FELIX,

Source : BIU Cujas

FORTVNATVM SIT. Sueton. *Calig.* XV. deinde addebant : REFERIMVS AD VOS, PATRES CONSCRIPTI. Briſſon. *de Form.* II. *p.* 165.

§. XXXXIX.

Rogatae ſententiae.

Finita relatione, ſententiam rogabantur ſenatores (*b*), non verbis precatiuis, qualibus in comitiis vtebantur rogatores, ſed imperatiuis; DIC, SP. POSTVMI, QVID CENSES? Liu. VIIII. 8. vel QVID FIERI PLACET? QVID VOBIS VIDETVR? Briſſon. *de Form.* II. *p.* 165. Qua in re non idem ſemper, at plerumque is obſervabatur ordo, vt ante comitia princeps ſenatus, poſt comitia vero conſules deſignati primo loco dicere iuberentur ſententias. Sequebantur eos viri conſulares, hos praetorii, tum aedilicii, quaeſtorii, ac denique tribunicii (*c*), inter quos tamen reliquos anteibat, quem conſul priorem rogaſſet, modo gradus magiſtratuum non turbarentur. Cic. *Phil. V.* 13. Solebant vero conſules, quem ordinem initio magiſtratus inſtituerant, eumdem per totum annum tenere, donec eum morem antiquum C. Iulius Caeſar migraret. Sueton. *Iul. XXI.* Immo Auguſtus omnem ordinem plane ſuſtulit, promiſcue perrogans ſententias, vt magis quisque attenderet. Sueton. *Aug. XXXV.*

(*b*) Qui rogabant, CONSVLERE, nec non PERROGARE SENTENTIAS dicebantur. Liu. XXII. 60. XXVIIII. 19. Suet. *Aug. XXXV.*

(*c*) Tribuni plebis non erant olim ſenatores, nec ius iis erat dicendae in ſenatu ſententiae. Ante curiam itaque ſedebant in ſubſelliis, donec SCa ad ſe ferrentur, quae ipſi vel adprobabant deinde, vel reiiciebant. Val. Max. II. 2. 7. At etiam ſenatoria dignitas iuſque dicendi ſententiam iis data ſunt lege Atinia Gell. *Noct. Att. XIIII. vlt.*

§. L.

Eaedemque ordine dictae.

Sententiam ſinguli dicebant ſtantes, formula vſi : QVOD C. PANSA VERBA FECIT DE -- DE EA RE ITA CENSEO. Briſſon. *de Form.* II. *p.* 169. Integrae eiuſmodi ſenatorum ſententiae exſtant apud Ciceron. *Philipp.* III. 15. V. 4. VIII. 11. VIIII. 7. & apud Liuium paſſim. Nec licebat conſulibus interpellare dicentes, quamuis aliena multa immiſcerent, quod data opera nonnumquam faciebant, qui ſenatus conſultum fieri nollent (*d*). Quum enim ante & poſt occaſum ſolis illud fieri non poſſet : Gell. XIIII. 7. ſolebant *diem dicendo eximere*, vel *noctem poſtulare*, vt ita re infecta diſcedendum eſſet Senatui. Cicero *Epiſt. ad Quint. Fratr.* II. 1. *Epiſt. ad Att.* IIII. 2. Gell. IIII. 10. Qui plura capita vna oratione complectebatur, is iubebatur DIVIDERE SENTENTIAM.

Source : BIU Cujas

TIAM. Cic. *ad Famil.* l. 2. *pro Milon.* VI. Senec. *Epist.* XXI. Qui alterius sententiam sequebantur, ADSENTIRI se, vnico verbo aiebant. Et hoc erat *verbo adsentiri*, quod opponitur alteri muto adsensui, quo quis *pedibus ibat in alterius sententiam.* Vtramque loquutionem iungit Liu. XXVII. 34. L. *Veturius & Licinius censores eum tonderi & squallorem deponere, & in senatum venire, fungique aliis publicis muneribus, coëgerunt, sed tum quoque aut verbo adsentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat.* Nonnumquam non omnino adsentiebatur quis sententiis antea dictis, sed aliquid praeterea addendum censebat, & tunc vtebatur formula: SERVILIO ADSENTIOR, ET HOC AMPLIVS CENSEO. Cicero *Philipp.* XIII. 21. (*e*)

(*d*) Erant & aliae artes, quibus SCa impediebant Senatores. Postulare enim poterant, *vt consulerentur singuli*, vel, si tot non adessent senatores, quot praesentibus licebat perscribi SC. clamabant: *Numera Senatum.* Festus *hac voce p.* 338. Coelius apud Cic. *Epist. VIII.* 11. SC. enim a iusto paucioribus factum per INFREQVENTIAM FACTVM dicebatur, & irritum erat. Liu. XXXVIII. 44. Tempore Ciceronis ducenti senatores frequentem senatum constituere videbantur. Cicero *ad Q. Fratr. Epist. II.* 1. Postea cccc. quod sublatum ab Augusto. Dio Cass. *Lib. LIIII. p.* 545. qui tamen sequente libro *p.* 550. eumdem Augustum senatorum numerum secundum singulas SCi formas definiuisse ait.

(*e*) Aliquando etiam in altercationem abibant senatorum sententiae. Cuius rei exempla collegit Brisson. *de Form. II. p.* 184. *seq.*

§. LI.

Pronunciatio sententiarum, factaque discessio.

Dictis denique sententiis, consulis erat, vel pronunciare aliquam vel eas supprimere. Licebat ei in tanta varietate sententiarum, earum auctores & principes edere, simulque iubere, vt quisque ex pronunciatis sententiis vnam amplecteretur. Et id sibi vult sollemnis illa loquutio: PRONVNCIARE SENTENTIAM, apud Ciceron. *ad Famil. X.* 12. *I.* 2. Formula, qua tunc vtebatur consul, haec erat: QVI HAEC SENTITIS, IN HANC PARTEM, QVI ALIA OMNIA, IN ILLAM ITE, QVA SENTITIS. Quae verba, lege praescripta, explicat Plin. *Epist.* VIII. 14. His dictis senatores mutabant locum, & singuli eo discedebant, vbi recitata fuerat, quam probarent, sententia. In quamcunque vero partem frequentior concesserat Senatus, de ea dicebat consul: HAEC PARS MAIOR VIDETVR, & in eam sententiam deinde conficiebatur Senatusconsultum. Brisson. *de Form.* II. *p.* 184.

Source : BIU Cujas

§. LII.

Senatusconsulta quotuplicia.

Varro equidem apud Gellium *Noct. Attic.* III. 18. Senatusconsulta vel *per* DISCESSIONEM vel per exquisitas singulorum SENTENTIAS facta scribit, quum contra Ateius Capito & Tubero nullum sine discessione SC. fieri potuisse, censerent. Sed salua res est. Ad omne SC. fiebat discessio : sed non semper singuli rogabantur sententias, & hinc illa demum SCa, per discessionem facta dicebantur, ad quae non singulorum fuerant exquisitae sententiae. Huber. *Digress. l. p.* 87.

§. LIII.

Scripta Senatusconf.

Denique *SC.* sollemniter scribebatur, ita, vt primo dies, deinde locus, vbi Senatus habitus, tum porro, qui scribendo adfuerint (*f*), postea, quis ad senatum retulerit, & denique, quid placuerit senatui, referretur. Integra SC. verbis suis legitimis perscripta exstant *in l.* 20. §. 6. *D. de hered. petit.* (vbi tamen plura mendose scripta esse, animaduertimus,) & apud Ciceron. *ad Fam.* VIII. 7. Frontin. *de Aquaeduct.* II. Brisson. *de Form.* II. *p.* 198. Omnium vero integerrimum est SC. Marcianum de Bacchanalibus, [primum a Gronouio cum Cicerone editum Lugd. Bat. 1692. deinde a Fabretto *Inscr. antiqu. Cap. VI. p.* 427.] egregie illustratum a viro amplissimo, Corn. van Bynkersh. *de relig. peregr. Diss.* II. *p.* 259. *Opusc.*

(*f*) Scribendo enim aderant aliquot Senatores. Nonnumquam si scribis publicis hoc committere nollent, ipsi viri amplissimi hanc in se operam suscipiebant, idque SC. TACITVM vocabatur. Iul. Capitolin. *Gordian. XII.*

§. LIIII.

Confirmata a tribunis & illata aedi Cereris.

Verum ne sic quidem ratum erat SC. nisi Tribunis etiam placuisset, qui, eo perlecto & probe expenso, litteram T, si e republica videretur, addebant. Valer. Maxim. II. 2. 7. Sin minus placeret : suo illo sollemni VETO intercedebatur, moramque faciebant SCo, & tunc AVCTORITATES perscribi solebant. Cicero *ad Attic. V.* 2. *ad Fam.* VIII. 7. id est, vt explicat Dio Cass. LV. *p.* 629. ὁ μέντοι καὶ τέλος τὶ ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλὰ αὐκτώριτας ἐγίγνετο, *non vim SC. obtinebat, sed auctoritas senatus dicebatur.* Haec vero auctoritas non vim legis habebat, sed efficiebat, vt eadem de re iterum referri posset ad Senatum. Coel. *apud* Cic. *Epist.* VIII. 8. (*ff*) Postremo scriptum SC. in aedem Cereris, Liu. III. 5. vel in aerarium deferebatur, Sueton.

Source : BIU Cujas

ton. *Auguſt.* LXXXXIIII. & tunc Senatus dimittebatur formula ſollemni: P. C. NEMO VOS TENET, vel NIHIL VOS MORAMVR. Cicero *ad Quint. Fratr. I.* 2.

(*ff*) [At aliquando tamen temporibus inſequentibus auctoritas dicebatur ipſum ſenatusconſultum. Exempla dedit Iac. Gothofred. ad *l.* 9. *D. de leg. Rhod. de iact.* quamuis eam auctoritatem genuinam non eſſe oſtendat V. A. Corn. van Bynkersh. *ad leg. Rhod. Cap. VIII.*]

§. LV.

Hoc ritu SCa etiam ſub Imperatoribus facta.

Eodem ritu & ſub Imperatoribus condita ſunt SCa, niſi quod princeps orationem praemitteret, & ſenatores plerumque pedibus irent in principis ſententiam. Quin eo prolapſa erat patrum adulatio, vt orationes principum non niſi adclamationibus excicperent. Plin. *Epiſt.* IIII. 9. &, ne periret eius adulationis memoria, in acta referebantur. Idem *Panegyr.* LXXV. Plura exempla occurrunt in ſcriptoribus hiſtoriae Auguſtae, quae collegit Briſſon. *de Form.* II. *p.* 187.

§. LVI.

Reſcripta principum.

Enimuero, haec ſenatusconſulta non niſi ideo inuenerant Imperatores vt viderentur veterem ſenatus auctoritatem libertatemque reipublicae tueri. Itaque ea fictione tantisper opus fuit, dum ſeruituti paullatim adſueuiſſent Romani. Hinc coeperunt ſenſim Imperatores reſcribere, editisque conſtitutionibus leges veteres abrogare, nouas inducere, irrogare priuilegia, omniaque, vt paucis dicam pro lubitu decernere. Reſcriptis illis principum vel ad libellos ſiue magiſtratuum, ſiue vniuerſitatum, ſiue priuatorum, reſpondebatur, & tunc iſta EPISTOLAE ſeu LITTERAE, *l.* 3. §. 1. *D. de teſt. l.* 31. *D. de re iudic.* illa SANCTIONES PRAGMATICAE, *l.* 7. §. 1. *C. de diu. reſcript.* (Graecis enim πραγματικὰ dicuntur reſcripta, vti Latinis *facta*: Iul. Capitolin. *in Macrin. Cap.* XIII.) haec denique ADNOTATIONES vel SVBNOTATIONES dicebantur. *l.* 6. *ſequ. C. de diu. reſcr. l.* 1. *C. de prec. Imp. offer.* Libellorum integra exempla exſtant tum *l.* 9. *D. de lege Rhodia*, tum in marmore Romano apud Briſſon. *de Form.* III. *p.* 292. [& Gruter. *Inſcript. p.* DCVII.] Aliquando a principibus vel de plano decernebatur, vel ſententia cum plena cauſſae cognitione ferebatur. Illae dicebantur INTERLOQVVTIONES, qualis *l.* 13. *D. quod met. cauſſ.* haec DECRETA, quale exſtat *l.* 2. *D. de his quae in teſtam. del.* Denique aliquando nouum ius conſtituebatur, & tunc dici ſolebant EDICTA (*g*) vel CONSTITVTIONES. De quo diſcrimine plura diſſerunt iureconſulti.

Source : BIU Cujas

(*g*) Id hic obseruari iuuabit, artificiose admodum Principes sibi potestatem leges per edicta ferendi sensim vindicasse. Initio enim ea, quae SCis sanxerat Senatus, edictis promulgabant, postea firmata satis auctoritate, etiam inconsulto Senatu quid fieri placeret, edicere coeperunt. V. C. Burmann. *de Vectig. pop. Rom. VI.* p. 113.

§. LVII.

Primus rescripsisse videtur [Vespasianus Imp.]

Primus ita rescripsisse videtur Vespasianus, cuius edictum exstat in *l.* 4. §. 6. *D. de legation.* At hic & successores rarius id ausi videntur: multo frequentius vero Hadrianus. Nam praeterquam quod sub eo principe noua quaedam forma iuri publico aeque ac priuato accessit, in tantum, vt Latin. Pacatus *Panegyr. ad Theodos. Cap.* XI. eum legibus imbuisse rempublicam dicat: nullius sane Principis antiquioris in Codice exstant constitutiones, quam Hadriani, a cuius temporibus etiam Gregorium codicem suum orsum esse, iam supra ostendimus. Plures etiam Hadriani Epistolae & sententiae Graece etiamnum exstant, collectae a Dositheo Grammatico, ex quibus satis constat, quam rationem in rescribendo respondendoque tenuerit Imperator. Eius deinde exemplum sequuti sunt Antonini, ceterique Imperatores omnes, quorum rescripta quamplurima in codice Iustinianeo, Theodosiano, vt & Gregoriani & Hermogeniani fragmentis exstant.

§. LVIII.

Senatusconsulta tamen etiam post Hadriani tempora facta.

Neque tamen ob rescripta illa statim desierunt SCa fieri, quamvis illa ex eo tempore rariora esse coeperint. Sane sub ipso Hadriano, vt alia exempla praetermittamus, prodiere SC. Iuuentiana *l.* 20. §. 6. *D. de hered. pet. l. vlt. C. de seru. reipubl.* Apronianum, Vlp. *Fragm.* XXIIII. 8. *l.* 26. *D. ad SC. Trebell.* Tertullianum, §. 2. *Inst. de SC. Tertull.* sub M. Antonino Orficianum. Memoratur etiam Oratio M. Antonini & Commodi, *l.* 16. *D. de rit. nupt. l.* 9. §. 3. *D. de iure dot.* Orationes D. Seueri & Antonini Caracallae, *l.* 32. *pr. &* §. 19. *D. de don. int. vir. & vx.* Antonini Caracallae solius oratio *l.* 3. *D. de donat. int. vir. & vx.* Orationes vero principum pro SC. accipi, supra §. XXXXV. monuimus. Recentius, quod de iure priuato agat, SC. mihi non succurrit (*gg*). Et sanè, qui ex eo tempore demum plane desiisse Senatusconsulta, quibus noua iura constituebantur, existimant, eis nos non inuiti nostram adiungemus sententiam.

(*gg*) [Alioquin enim multa SCa memorant scriptores historiae Augustae, sed ad rempublicam pertinentia. Exemplum habes apud Vopiscum *in Probo Cap. XI.* Non tamen valebat huiusmodi SC. nisi lege Augusta, id est, rescripto firmatum. Symmach. *Epist. X.* 21.]

§. LVIIII.

Source : BIU Cujas

§. LVIIII.

Et hae sunt leges proprie sic dictae, quae Romae, cum libera adhuc republica, tum sub Imperatoribus, viguerunt. Iam & de aliis quibusdam rebus, quarum obiter hoc titulo meminit Imperator, quaeque ex antiquitatibus lucem aliquam desiderant, paucis agendum. Eodem enim, §. 6. *h. t.* quo de Principum differit constitutionibus, etiam PRIVILEGIORVM, vt & LEGIS REGIAE, qua populus imperium omne in Principem transtulerit, facit mentionem. De vtrisque nonnulla monere operae fuerit pretium.

Transitio ad materiam de priuilegiis & lege Regia.

§. LX.

Nonnumquam Imperatores quaedam statuebant, quae ad personam singularem pertinebant, neque trahenda erant ad exemplum, quae, siue poenam duriorem irrogarent, siue quid alicui indulgerent ob meritum, PRIVILEGIA adpellabantur, quasi *priuae leges*, vt tradit Gell. *Noct. Att. X.* 20. Isidor. *Orig. V.* 18. Et olim quidem priuilegii vocabulum fere semper in deteriorem partem acceptum videtur pro poena extraordinaria, quae certae personae tantum extra ordinem & exempli caussa infligebatur. Lex sane sacrata aeque ac decemuiralis dum PRIVILEGIA IRROGARI vetuit, poenas eiusmodi duriores quibusdam hominibus extra ordinem infligi prohibuit, ceu vel ex verbo IRROGARI colligas, quod ad poenas pertinere nemo ignorat. Vid. Ger. Noodt. *ad Pandect. tit. de legibus senatusc. & long. consu. p.* 18. Enenckel. *de Priuil. iur. ciu. I.* 1. 2. & 3. qui etiam obseruat, Ciceronem vocem privilegium plerumque in deteriorem, rarius in meliorem partem accipere. Ast iam libera republica, saepius hanc legem migrabant tribuni plebis, &, quicunque e ciuibus ad maiorem potentiam adspirauerant. In Milonis odium Pompeius, in Ciceronis Clodius multa statuerat, quae a legibus abhorrebant, quaeque ipse Cicero *privilegia* vocat, in oratione *pro domo* XVII. Postea saepe eo iure vtebantur etiam Imperatores, eoque pertinet exemplum Hadriani, qui herae cuiusdam saeuitiam poena satis rigida relegationis in insulam vindicauit. *l.* 2. *in fine D. de his qui sui vel al. iur.* Id vero non mirum in herili imperandi ratione. Theodosius tamen iusserat, vt si Imperator odiosum eiusmodi priuilegium irrogaret, poena triginta dies differretur. *l.* 20. *C. de poen.* Quam legem auctore Ambrosio, occasione tumultus, in ludis Circensibus Thessalonicae excitati, latam, illustrat Ad. Rechenb. *Dissert. Hist. polit. Tom. II. Dissert. X.*

Priuilegia quid fuerint? cum odiosa,

§. LXI.

Source : BIU Cujas

§. LXI.

tum favorabilia.

Aſt ſolebant tamen & beneficia vel certo ſtatui, vel hominum generi conceſſa, PRIVILEGIA vocari. Vnde ſaepe in iure noſtro occurrunt *priuilegia creditorum*, *pupillorum*, *militum*, *fiſci*, reliqua: quamuis ea a priuilegiis diſcernenda, & *beneficia* potius legum vel iura ſingularia dicenda exiſtiment, qui paullo accuratius rem expendunt. Cuiac. *Obſ. XV.* 8. Quin & ſingularibus hominibus conceſſa contra ius commune beneficia *priuilegia* audiunt, tum apud auctores, tum in iure noſtro, in quo etiam adpellantur *priuata priuilegia. l.* 4. *C. Theod. de itiner. mun.* vt & *perſonalia reſcripta l.* 5. *eod.* Talia priuilegia fuerunt leges de Menandro *l.* 5. §. *vlt. D. de captiu.* de Hoſtilio Mancino *l.* 17. *D. de legationibus.* Conf. Iac. Gothofred. *ad XII. Tab. tab. VIIII. p.* 228. [nec non lex Manilia, quam Cicero ſingulari oratione ſuaſit.]

§. LXII.

Lex Regia qua poteſtas legislatoria translata in Principes.

Vere ergo extremis temporibus ſumma poteſtas legiſlatoria penes principes fuit, quibus eam delatam eſſe per LEGEM REGIAM, conſentiens eſt iureconſultorum opinio. Vlpianus *l.* 1. *pr. D. de conſtitut. princ. Quod principi placuit, legis habet vigorem: vtpote quum* LEGE REGIA, *quae de imperio eius lata eſt, populus ei, & in eum, omne ſuum imperium & poteſtatem conferat.* Quae totidem verbis repetit Imperator §. 6. *Inſt. h. t.* Meminit quoque eiuſdem legis Alexander Imperator *l.* 3. *C. de teſtam.* vbi ait: *Licet enim LEX IMPERII ſollemnibus iuris imperatorem ſoluerit: nihil tamen tam proprium imperii eſt, quam legibus viuere. Legem* enim *Imperii* hic eamdem eſſe, ac legem regiam, iamdudum obſeruarunt eruditi. Sed & *l. vn.* §. 14. *C. de caduc. tollend.* AVGVSTVM PRIVILEGIVM adpellatur a Iuſtiniano.

§. LXIII.

Variae de hac lege ſententiae.

Aſt ea de lege dici non poteſt, quantae enatae ſint inter eruditos controuerſiae. Eam Hotomanus eamdem eſſe putat cum ea, quae de regno Romuli lata fuerit, quam REGIAM etiam vocat Liu. XXXIIII. 6. Aſt eamdem in Triboniani cerebro fuiſſe natam ſuſpicabatur Mart. Schookius in *diatrib. de lege regia Triboniani*, quam repetitis curis auctiorem edidit ſub titulo *de quadruplici lege regia Francof.* 1668. 12. Quum enim Regium nomen peroſi ſint Romani, neque vmquam Auguſtus titulo tam inuidioſo ſe paſſus ſit ornari, nec veroſimile fiat, populum Romanum, qui Caeſare interfecto, feſſus ciuilibus diſcordiis, tolerabat magis monarchiam,

Source : BIU Cujas

narchiam, quam perpetuam optabat, tam inimica libertati lege in seruitutem se ipsum addixisse: non abs re suspicari sibi videbatur Schookius, quidquid de lege regia in iure nostro legitur, ex Triboniani natum esse ingenio. Nec multo aliter sentiunt Connanus *Comment. I. 16. 3.* Vultei. *ad §. 6. Inst. h. t.* Sed Hotomano iam Scipio Gentilis singulari *de lege regia* oratione; Schookio abunde satisfecit doctiss. Huberus *Digress. I. 16. sequ.*

§. LXIIII.

Quid de ea vero statuendum.

Res ita se habet. Quum Augustus omnia intestinis fessa dissidiis nomine principis in potestatem suam recepisset: Senatus aeque ac populus ei sensim plures honores decreuit, & modo hanc, modo illam τῆ̃ κυρίᾳ partem detulit. Sic anno V. C. IↃCCXXIIII. ei concessa tribunicia potestas per omnem vitam; cautumque, vt ad Augustum prouocare ius esset, vtque ipse in omnibus iudiciis suffragium Mineruae ferret. Dio Cass. *Hist.* LI. *p.* 513. Mox anno V. C. IↃCCXXVII. consulatu septimo, solutus est Augustus legibus, idque denuo repetitum anno V. C. IↃCCXXX. Dio LIII. *p.* 582. & LIIII. *p.* 591. Quod tamen non de omnibus omnino legibus, sed de lege Cincia intelligendum esse, recte monet Ger. Noodt *de iure summi Imp. & leg. reg. p.* 777. Porro anno V. C. IↃCCXXXI. eidem, vndecimum consuli, permissum est a senatu, vt proconsul semper esset, liceretque ei, quotiescumque vellet, ad senatum referre, denique in prouinciis maior esset eius, quam proconsulum, auctoritas. Dio LIIII. *p.* 594. Quin anno IↃCCXXXV. facultatem ei dederunt, emendandi omnia suo arbitrio, ac leges, quas vellet, ferendi. Dio LIIII. *p.* 604. Vt alia praetermittam huius generis, quae ab aliis ac potissimum Io. Fridr. Gronouio in *Orat. de lege regia* collecta sunt diligentius.

§. LXV.

Lex Regia repetita, quoties Princeps nouum auspicabatur imperium.

Haec itaque, aliaque SCa in gratiam Augusti subinde facta, postea repeti consueuerunt quotiescumque noui Imperatores inchoabant imperium. Sic de Vespasiano Tacit. *Hist. IIII. 3. Tum Senatus omnia, principibus solita, Vespasiano decreuit.* Quae de lege regia recte interpretatur Pichena. Vnde adparet, quaecumque sensim Augusto detulerat senatus, ea postea Tiberio, aliisque principibus fuisse decreta. Omnia ergo illa SCa, non vno eodemque tempore facta, saepiusque deinde repetita, simul sumta, LEX IMPERII vocari consueuerunt a iureconsultis, vt & LEX REGIA, exemplo, vt opinor, veterum Romanorum, qui, vrbe

Source : BIU Cujas

vix nata, Romulo supremam potestatem concesserant LEGE REGIA, cuius meminit Liu. XXXIIII. 6. Quamuis Huberus *Digr. l. c.* posterius nomen Antoninorum demum temporibus, alii adhuc serius, inualuisse existiment. Conf. Io. Fridr. Gronou. *Orat. de leg. regia.* Ian. Vinc. Grauina *de Orig. iur. ciu.* CXIIII. *p.* 139. *seq.*

§. LXVI.

An, hac lege dominatus Imperatorum stabilitus?

Caue vero existimes, hac ipsa *lege regia* in seruitutem se addixisse Romanos, seque omni omnino abdicasse imperio. Minime gentium. Quamuis enim id vulgo colligant ex Dione LIII. *p.* 582. *l.* 1. *D. de const. princ.* & *l.* 31. *D. de leg.* falsissimum tamen id esse, vniuersa docet historia. Sane post omnia illa SC. in gratiam Augusti facta, Caligulae Senatus vacationem legis Papiae Poppaeae caducariae dedit, teste Dione LVIIII. 747. Quid vero opus erat hac indulgentia, si iam lege regia Imperatores legibus omnibus fuerint soluti? Ergo iis legibus soluti erant principes, quibus eos nominatim soluerat S. P. Q. R. vt paullo post ex fragmentis tabulae Capitolinae adparebit. Conf. Ger. Noodt *Dissert.* III. *de iure summi Imp. & lege reg. p.* 778. & *Obs.* I. 3. *p.* 411. *seq.* Ian. Vinc. Grauina *de orig. iur. ciu. l. c.*

§. LXVII.

Fragmentum legis Regiae.

Ceterum regiae illius legis, sub auspicia Imperii Vespasiani repetitae fragmentum bene longum ac egregium exstat in tabula aenea Capitolina quam in Lateranensi basilica primus initio saeculi XVI. descripsit, & *Lib.* II. *de mirand. vet. Rom.* edidit Franc. de Albertinis, ex eo vero postea recusam dedit Gruter. *Inscript. p.* CCXXXXII. cuius γνησιότητα in dubium a nonnullis vocatam Hotomanus, pluresque viri doctissimi, & nuper etiam clarissima Romanae antiquitatis lumina Blanchinus, Fabrettus, nec non postea Iustus Eccardus, qui ipse hoc monimentum descripsit & luculenta explicatione illustrauit, agnouerunt. Illorum epistolae hanc in rem scriptae exstant apud Ian. Vincent. Grauin. *l. c. p.* 231. *sequ.* Ipsum vero illud legis fragmentum ita se habet:

FOEDVSVE. CVM. QVIBVS. VOLET. FACERE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG. TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE.

Source : BIU Cujas

VTIQVE. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. SENATVSCONSVLTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQVE. FACERE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG. TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. CVM. EX. VOLVNTATE. AVCTORITATEVE. IVSSV. MANDATVVE. EIVS. PRAESENTEVE. EO. SENATVS. HABEBITVR. OMNIVM. RERVM. IVS. PERINDE. HABEATVR. SERVETVR. AC. SI. E. LEGE. SENATVS. EDICTVS. ESSET. HABERETVRQVE.

VTIQVE. QVOS. MAGISTRATVM. POTESTATEM. IMPERIVM CVRATIONEMVE. CVIVS. REI. PETENTES. SENATVI. POPVLOQVE. ROMANO. COMMENDAVERIT. QVIBVSQVE. SVFFRAGATIONEM. SVAM. DEDERIT. PROMISERIT. EORVM. COMITIS. QVIBVSQVE. EXTRA. ORDINEM. RATIO. HABEATVR.

VTIQVE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE. PROMOVERE. CVM. EX. REPVBLICA. CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. QVAECVMQVE. EX. VSV. REIP. MAIESTATE. DIVINARVM. HVMANARVM. PVBLICARVM. PRIVATARVMQVE. RERVM. ESSE. CENSEBIT. EI. AGERE. FACERE. IVS. POTESTASQVE. SIT. ITA. VTI. DIVO. AVG. TIBERIOQVE. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE. CLAVDIO. CÆSARI. AVG. GERMANICO. FVIT.

VTIQVE. QVIBVS. LEGIBVS. PLEBISVE. SCITIS. SCRIPTVM. FVIT. NE. DIVVS. AVG. TIBERIVSQVE. IVLIVS. CAESAR. AVG. TIBERIVSQVE. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERMANICVS. TENERENTVR. IIS. LEGIBVS. PLEBISQVE. SCITIS. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. SOLVTVS. SIT. QVAEQVE. EX. QVAQVE. LEGE. ROGATIONE. DIVVM. AVG. TIBERIVMVE. IV-

Source : BIU Cujas

LIVM. CAESAREM. AVG. TIBERIVMVE. CLAVDIVM. CAESAREM. AVG. GERMANICVM. FACERE. OPORTVIT. EA. OMNIA. IMP. CAESARI. VESPASIANO. AVG. FACERE. LICEAT.

VTIQVE. QVAECVNQVE. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATA. ACTA. GESTA. DECRETA. IMPERATA. AB. IMPERATORE. CAESARE. VESPASIANO. AVG. IVSSV. MANDATVVE. EIVS. A. QVOQVE. SVNT. EA. PERINDE. IVSTA. RATAQVE. SINT. AC. SI. POPVLI. PLEBISVE. IVSSV. ACTA. ESSENT.

SANCTIO.

SI. QVIS. HVIVSCE. LEGIS. ERGO. ADVERSVS. LEGES. ROGATIONES. PLEBISVESCITA. SENATVSVECONSVLTA. FECIT. FECERIT. SIVE. QVOD. EVM. EX. LEGE. ROGATIONEVE. PLEBISVESCITO. S. VE. C. FACERE. OPORTEBIT. NON. FECERIT. HVIVS. LEGIS. ERGO. ID. EI. NE. FRAVDI. ESTO. NEVE. QVID. OB. EAM. REM. POPVLO. DARE. DEBETO. NEVE. CVI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. IVDICATIO. ESTO. NEVE. QVIS. DE. EA. RE. APVD. SE. AGI. SINITO.

Hoc eſt monumenti illius quantiuis pretii fragmentum, ex quo ſatis adparet, quod ſupra oſtendimus, legem regiam ex multis SC. in honorem Auguſti, Tiberii, Claudii aliorumque Imperatorum factis, fuiſſe conflatam.

TIT. III.

DE IVRE PERSONARUM.

PRima apud Romanos hominum diuiſio erat in LIBEROS & SERVOS. Illi iterum vel INGENVI erant, vel LIBERTINI. Hoc titulo de libertate & ſeruitute, ſequentibus de ingenuis & libertinis agitur. Tametſi vero ſeruitus ſit iuris gentium: Romanorum

Source : BIU Cujas

rum tamen ſerui in pleriſque differebant a reliquarum gentium mancipiis, ceu Germanorum Romanorumque comparatione oſtendit Tacit. *de moribus Germ. XXV.*

§. I.

Obſeruandum ergo initio, Romanos captos bello hoſtes rede giſſe in ſeruitutem (*a*). Quemadmodum enim, qui, poſitis armis, vltro ſeſe dedebant, ſub iugum mittebantur, ſaluaque retinebant ingenuitatis iura: (quem ritum accuratiſſime, vt ſolet, deſcribit Dionyſ. Halic. *Ant. Rom. III. p.* 159.) ita capti in acie, vrbium expugnatione, ſub corona venibant. Gell. *Noct. Attic.* VII. 4. Illi DEDITITII, hi SERVI vocabantur, quod eſſent in bello ſeruati, itemque *mancipia*, quaſi manu capti. §. 3. *Inſt. h. t.* Serui fiebant captiuitate.

(*a*) Ita agebatur cum hoſtibus. Excipiebantur ergo bella ciuilia, in quibus capti non in ſeruitutem redigebantur, l. 21. §. 1. *D. de capt. & poſtl.* ſed *proſcribebantur* a victoribus. Quam proſcriptionem, ita dictam a tabula, qua nomina proſcriptorum proponebantur, primus inuenit L. Sulla, Veilei. Paterc. *Hiſt. II.* 28.

§. II.

Redacti in hanc conditionem non pro perſonis, ſed pro rebus, immo pro nullis habebantur. Hinc non ſolum in iure rebus mancipi accenſebantur: Vlpian. *Fragm.* XVIIII. 1. ſed & Iuuen. *Sat.* VI. *v.* 221. adludens ad mores Romanorum ſcribere non dubitat: *O demens, ita ſeruus* HOMO *eſt?* ὑπερβολικῶς, vti ſolet, nec tamen ſine ratione. Quamuis enim ſerui eſſent *homines*, quamuis ratione ſtatus naturalis etiam *perſonae* dici poſſent: *l.* 22. *pr. D. de reg. iur.* non tamen erant *perſonae ciuiles*: & hinc dicuntur ἀπρόσωποι Theophilo *pr. Inſt. de ſtip. ſeru. perſonam legibus non habentes*, Caſſiod. *Var.* VI. 8. denique *ſine capite*, οἱ ὁλεμίαν πάλαι ἔιχον κεφαλήν. Theoph. §. 4. *Inſt. de cap. demin.* Nihil ergo ſibi adquirebant: non matrimonia contrahebant, ſed in contubernio viuebant cum ancillis: nec gaudebant iure teſtamentifactionis & contractuum, nec vlla in perſonam ſeruilem cadebat obligatio, *l.* 22. *pr. D. de reg. iur.* Vnde *ſecundum genus hominum* vocantur a Floro *Hiſt.* III. 20. Et quia non pro perſonis, ſed pro rebus habebantur.

§. III.

Ex quo ſequebatur, vt nec liberi ſeruarum melioris, quam mater, conditionis haberentur. [*l.* 19. *l.* 24. *D. de ſtat. hom.*] Fructus enim, tamquam rerum acceſſiones, non ſecus ac ipſae res, ad dominos Etiam naſcebantur ex ancillis.

Source : BIU Cujas

minos pertinere videbantur. Et eiusmodi quidem serui, domi nati, *vernae* adpellabantur.

§. IIII.

Et erant in commercio.

Porro & hoc inde fluebat, seruos aeque ac alias res posse legari, donari, immo & vendi: vnde perpetua Romae erat seruorum nundinatio, quotidiana comparatio. *l.* 44. *princ. D. de vsurp. & vsucap.* Qui seruos vendebant, promittere tenebantur eorum sanitatem. *l.* 43. §. 1. *D. de contr. emt. L.* 16. §. 2. *& L.* 31. *D. de euict.* [Add. Io. Frid. Gronou. *in Diatr. ad stat. Papin. Cap.* XXV. *p.* 85.] Nonnumquam tamen mancipii sanitatem explorabant accensi gagatis lapidis odore, maxime si seruum morbo caduco laborare suspicarentur. Apulei. *Apolog. p.* 303. Sed & nudos venum exponebant seruos, ne quod vitium corporis latitaret. Seneca filius *Epist.* LXXXI. & pater *Controu.* I. 2. Immo de animi vitiis caveri solebat in eiusmodi venditionibus seruorum. Horat. *Serm.* II. 3. *v.* 285. *sequ.* veluti, nec furem esse, nec fugitiuum, nec lenonem, noxis solutum esse, & quae sunt huius generis alia. Singulorum enim seruorum titulos scribi iusserant aediles, vt quid cuique morbi vitiique esset, intelligeretur. Gell. *Noct. Attic.* IIII. 2. Seneca *Epist.* XXXXVII. Turneb. *Aduers.* XXIII. 2. quamuis postea ea omnia essent palam pronuncianda. *l.* 1. §. 1. *D. de Aedil. edict.* Ceterum serui, quorum nomine nihil promittebatur, *pileati* veniebant. Gell. *Noct. Att.* VII. 4. quemadmodum bello capti *sub corona.* Varro *de re rust.* II. 10. trans mare aduecti, *cretatis* vel *gypsatis pedibus*, Plin. *Hist. Nat.* XXXV. 17. *&* 18. Tibull. III. 3. [Iuuen. I. *v.* 111.] Alia quae in seruorum venditionibus obseruata sunt, explicauit Brisson. *de Form.* VI. *p.* 492. *sequ.*

§. V.

Saepe & in poenam fiebant servi.

Saepe & poenae loco in seruitutem detrudebantur facinorosi, veluti I. qui censum vel militiam subterfugerant, quippe qui, bonis in aerarium redactis, virgis caesi trans Tiberim venibant. Dionys. Halic. *IIII. p.* 221. Cic. *pro Caecin. XXIIII.* II. Damnati ad metalla vel bestias, aliaque extrema supplicia. Hi enim serui poenae fingebantur. §. 3. *Inst. quibus modis ius patr. pot. solu.* (*aa*) Vid. infra *Lib. I. Tit. XVI.* §. *V.* III. Liberti ingrati, quippe qui etiam in seruitutem reuocabantur. Suet. *Claud. XXV.* (*b*) IIII. Mulieres liberae,

(*aa*) [Poena autem hic non sunt furiae, vti Cortio *in vindic. Praetoris Rom.* visum est, sed supplicia capitalia, quibus subesse non poterant ciues Romani ob legem Porciam. Liu. *X.* 9. Gronou. *Obseru. I.* 8. *p.* 77. *sequ.*]

(*b*) Plura de huius iuris historia notabimus infra *Lib. I. Tit. VI.* §. 9.

Source : BIU Cujas

liberae, amore seruorum alienorum bacchantes, quam poenam tamen, earum commodo, sustulit Iustinianus. *L. unic. C. de SC. Claud. tollendo.* V. Qui ab alio adserti, praestitaque cautione edictis citati, per annum se haud stitissent. *L. 1. §. 2. C. de adsert. toll.*

§. VI.

Libertas non erat in commercio.

Quemadmodum vero nihil erat seruitute durius, nihil miserabilius: ita tantus erat libertatis fauor, vt illa non crederetur esse in commercio, neque adeo liceret ingenuis, se ipsos addicere in seruitutem (*c*). Multo minus rata habebatur venditio, si quis extraneus (*d*) hominem liberum venumdedisset. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom.* I. 6.

(*c*) Quod licebat Ebraeis, vt docet Selden. *de iure nat. & gent. VI.* 7. vt & Germanis, teste Tac. *de mor. Germ. XXIIII.* non item fas erat Romanis. Vnde errat Raeuard. *Coniect. II.* 8. fingens Tuscum vicum, vbi homines se ipsi vendiderint. Plautus equidem *Curcul. IIII.* 1. *v.* 19.

Sub veteribus, ibi sunt, qui dant, quique accipiunt foenore:
Pone aedem Castoris, ibi sunt, quibus credas male:
In Tusco vico, vbi sunt homines, qui ipsi sese venditant.

Et Horat. *Serm. II.* 3. *v.* 228.

---- *Ac Tusci turba impia vici.*

Sed ibi de improbis meretricibus & lenonibus sermonem esse, iampridem obseruarunt eruditi. Vid. Taubmann. *ad Plauti Curcul. l. c.*

(*d*) Patribus equidem licebat filios, quos habebant in potestate, ter venumdare: sed saluo tamen ingenuitatis iure. Manumissi enim ex ea seruitute non libertini erant, sed ingenui. Vid. infra *Lib. I. Tit. IIII. n.* 1.

§. VII.

Serui tamen fiebant, qui se pretii participandi caussa venumdari passi erant.

Ast hinc mirae fraudes. Solebant enim adolescentes male feriati se ipsos aliis vendendos dare, pretii participandi caussa, ac deinde proclamare ad libertatem. Exemplum huiusmodi fraudis in scenam produxit Plaut. *in Perf.* I. 3. *v.* 55. III. 1. IIII. 3. *v.* 9. Quare SCo demum cautum est (*e*), vt, qui essent [maiores XX. annis,] seque pretii participandi caussa venumdari siuissent, in seruitute manerent. *l. 1. l. 3. D. quibus ad libert. proclam. non licet.*

(*e*) SC. Claudiano hoc ius esse inuectum nescio quo auctore tradit Dionys. Gothofr. *ad §. 4. Inst. h. t.*

Varia seruorum ministeria.

Quamuis vero in seruorum conditione nulla sit differentia: *§. 5. Inst. h. t.* reuera tamen si eos, tamquam familiae partem consideres, discrimen haud vnum occurrit. Ratione *munerum* alii erant atrien-

Source : BIU Cujas

atrienſes, alii diſpenſatores, alii medici, topiarii, piſtores, capſarii vel ἐμβλοφύλακες, ſcoparii, lecticarii, ſtructores, ſciſſores ſeu carptores, inſularii (*f*), & quae alia erant ſeruorum miniſteria, de quibus accurate actum a Laur. Pignorio *in libro de ſeruis eorumque apud veteres miniſteriis*, & Tito Popma in Tractatu de *operis ſeruorum* coniunctim editis *Amſtelod. MDCLXXII.* 12. Ratione dominorum *priuati* alii erant, alii *publici* (*ff*). Illi priuatis ſerviebant, hi ad publica adhibebantur miniſteria & potiſſimum magiſtratibus adparebant. Publici vel in poenam ſeruiebant, vel tamquam captiui redigebantur in ſeruitutem. Prior mos non caret exemplis, quamuis minus probaretur a recti exempli viris. Vid. Plin. *Epiſt. X.* 40. 41. Poſteriore conſuetudine nihil eſt frequentius. Et hi captiui, redacti in ſeruitutem, nomina plerumque accipiebant vel a prouinciis, vt *Brutiani*, *Cyprii*, vel a victoribus, a quibus in acie capti, veluti *Gelliani*, *Clodiani*. Lipſ. *Elect.* I. 12. & *Adnot. ad* Tacit. *Annal.* II. *p.* 95. Eorum alii erant tabelliones, alii actores, alii notarii populi Romani. Et longe tolerabilior erat eorum, quam priuatorum ſeruorum, conditio, ſiquidem & ante manumiſſionem iure gaudebant, pro parte dimidia teſtamentum faciendi. Vlpian. *Fragm. XX.* 16. P. Pithoeus *Schol. ad Collat. Leg. Moſ. & Rom. V.* 2. *p.* 752. edit. Ant. Schulting. Denique alii erant ſerui proprie ita dicti, alii ſtatuliberi, qui deſtinatam in tempus vel conditionem habebant libertatem. *l.* 1. *D. de ſtatuliberis.* Sane & hi ſerui diſerte dicuntur. *l.* 9. *pr. & l.* 29. *pr. D. de ſtatulib. l.* 12. §. *vlt. D. famil. erciſc.* Sic & ſerui ruſtici & vrbani diſtinguuntur in *l.* 99. *D. de legat.* III. Vbi videndus Merill. *Obſ.* III. 5. *p.* 143. Alii denique adſcriptitii, vel glebae adſcripti. Quamvis enim & hi quibuſdam ingenui videantur, ob *l. vn. C. de colon. Thrac.* eo quod iure connubii gauderent, & aliquid poſſent habere proprii: Thomaſ. *de vſu pract. diſtinct. inter liber. & ſeru.* I. 16. *ſequ.*

(*f*) Et horum profecto diuerſiſſima erat in domo conditio. Nam ſeruorum quidam lautius habebantur in familia: alii contra neruis ac compedibus vincti ſeruiebant. Tales erant ianitores & oſtiarii, quos in catena fuiſſe, docet Sueton. *de clar. Rhet. III.* Sic & ruri quidam vincti faciebant opus. Columella *de re ruſt. I. vlt.* Plin. *Hiſt. Nat. XVIII.* 3. Seneca *de Benef. VII.* 10. Huc comparata erant ergaſtula domeſtica ſubterranea, quae diligenter exploranda eſſe a circumſpectis patribusfamilias, monet Columella *de re ruſt.* I. 8. Conf. Barn. Briſſ. *Amiqu. Rom. II.* 9. Lipſ. *Elect. II.* 15.

(*ff*) [Erant & *ſerui vicarii*, qui ſervis ſeruiebant, Senec. *de tranquill. Cap. VIII. l.* 25. *D. commun. diuid. l.* 44. *D. de inſtr. vel inſtrum. leg.* Immo & vicariorum vicarii *l.* 25. *D. de pecul. legat.*]

Source : BIU Cujas

Sequ. erant tamen in commercio *d. l. vn. C. eod. l.* 21. *C. de agric. & censit.* Vnde saepe serui vocantur in iure nostro, nec a seruis differre, hinc inde dicuntur. *l.* 21. *fin. C. de agric. & censit. Novell. CLXII. cap.* 3.

TIT. IV. ET V.

DE

INGENVIS ET LIBERTINIS.

LIberi homines subdiuiduntur in INGENVOS & LIBERTINOS. Vtrorumque conditio denuo ex antiquitatibus Romanis eruenda est.

§. I.

INGENVI erant Romanis, qui numquam iustam seruiuerant seruitutem. Iniuste enim in seruitutem detrusi, impetrata libertate, non ad libertinorum, sed ad ingenuorum statum redibant. §. 1. *Inst. h. t.* Idem obseruandum de filiis, quos patres in seruitutem vendiderant, quod ter facere poterant ex instituto Romuli. Dionys. Hal. II. 28. Nam & hi manumissi non libertini erant, sed ingenui. Paull. *Recept. Sent. I.* 1. Et ita interpretanda *l.* 2. *pr. Cod. Theod. de liberali causa.* vbi Constantinus M. negat, *libertatem*, id est, ingenuitatem, *filiis eripi posse a parentibus* (*a*). Ingenuos enim κατ' ἐξοχὴν dictos esse *liberos*, ex *l.* 4. *D. de iust. & iure* patet. Immo ne ciuitatis quidem iura penitus perimebantur hac venumdatione, Cic *pro Caecin. LXXXXV.* nec iis iure postliminii opus erat, si manumitterentur. Idem *de Orat. I.* 181. Bynkersh. [*de iure occid. liberos Cap. I.*] *p.* 149. *sequ.* Denique & illi, qui ob aes alienum addicebantur creditoribus, itemque filii familias noxae dediti, seruiebant quidem, sed manumissi ingenuitatis iura recuperabant. Quintilian. *Inst. Orat.* VIII. 3. & Declam. CCCXI. Iac. Cuiac. *Obseruat.* XIII. 9. (*aa*) Ingenui qui?

(*a*) [Quamuis enim iuste in seruitute essent, quippe permittente lege venditi, non tamen erant in seruitute iusta. Nec enim venumdatio liberi hominis erat iustus titulus, quo quis verum dominium consequi posset, praeterquam si liber homo maior XX. annis pretii participandi caussa sese venumdari passus esset.]

(*aa*) Signum ingenuitatis apud pueros & puellas erat bulla aurea, collo adpensa, postea toga praetexta. Theodor. Marcil. *ad* Pers. *Sat. V. v.* 35. *p.* 111.

Source : BIU Cujas

§. II.

Et quinam libertini?

Si qui vero e iusta seruitute erant manumissi, eos vocabant LIBERTINOS. Quamuis enim *libertini* vetustioribus auctoribus sint libertorum liberi: Suet. *Claud.* XIIII. sequiore tamen aeuo id maxime apud iureconsultos inualuit, vt & manumissi dicerentur libertini, Casaub. *ad Suet. Aug.* XXV. Obseruatur tamen differentia, vt ratione patronorum dicantur *liberti*, ratione status *libertini*. Oisel. *ad Caii Instit.* I. 1. *p.* 7.

§. III.

Ritus manumissionis per censum.

Manumissiones antiquitus fiebant sollemniter I. CENSV, quando seruus iussu domini nomen suum in censum lustralem conferebat. Vlpian. *Fragm.* I. 8. *p.* 564. Non sine caussa vero Vlpianus meminit census lustralis. Non statim enim, atque eum censeri iusserat dominus, plenam libertatem consequebatur, sed exspectandum erat, dum lustrum conderetur: interim enim domino poenitere licebat, ceu ex Cic. *de Orat.* I. *cap.* 40. ostendit Lud. Charond. *adnot. ad Vlpian. l. c. p.* 564. *edit.* Schulting. Adde *Adpend. Lib. I.* §. 48.

§. IIII.

Manumissionis per vindictam origo.

Deinde quum Vindex vel Vindicius, Vitelliorum seruus, coniurationem Brutorum aliorumque iuuenum ad senatum detulisset, praemium ei decernebantur libertas & ciuitas. Vnde & II. sollemni illi manumissioni, quae coram magistratu fiebat, VINDICTAE nomen inditum Liu. *II.* 5. *l.* 2. §. 24. *D. de orig. iur.*

§. V.

Eiusdem ritus.

Fiebat haec manumissio coram Consule (*b*), Praetore, Procos. adhibito

(*b*) Et consules quidem etiam sequioris aeui statim, vt consulatum inierant, manumissiones solebant explicare ad renouandam manumissionis illius a Bruto factae memoriam. Id quod ex Cassiodori *Var. VI.* 1. *p.* 227. Ammiani Marcell. *Hist. XXII.* 9. aliisque locis egregie demonstrat P. Faber. *Semestr. I. vlt. p.* 194. Pertinent huc illa Sidonii *Carm. II. ad Anthim. v.* 545.

Nam modo nos iam festa vocant, & ad Vlpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites:
Quorum gaudentes exspectant verbera malae.

Vt & illa Claudiani *Consul. IIII. Honor. v.* 613.

Adspice, mox laetum sonuit clamore tribunal.
Te fastos ineunte quater, sollemnia ludit
Omnia libertas, deductum Vindice morem
Lex celebrat, famulusque, iugo laxatus herili,
Ducitur, & grato remeat securior ictu:

Vbi conferri merentur Casp. Barthii *Adnot. p.* 706.

Source : BIU Cujas

adhibito lictore, qui seruo percusso, addebat verba: HVNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO. Quo facto in girum actus seruus, inflicta alapa liber dimittebatur (c). Hinc Pers. *Sat. V. v.* 75. de Dama seruo, in girum acto:

-- Heu steriles veri, quibus vna Quirites
Vertigo facit: hic Dama est, non tressis agaso,
Vappa & lippus, & in tenui farragine mendax.
Vertit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

Virga, qua seruus percutiebatur, [quamue *festucam* vocat Plaut. *Mil. glorios.* IIII. 1. 15.] *vindicta* vocata est, ab eodem, vt putatur, Vindicio. Et de ea idem Persius *Satyr. V. v.* 88.

Vindicta postquam meus a Praetore recessi.

Conf. Claud. *Paneg. de* IIII. *Conf. Honorii v.* 612. De alapis in manumissione inflictis legi meretur Casp. Barth. *ad* Briton. *Philipp. p.* 406. De formula manumittendi Fest. voce *manumitti* & Brisson. *de Form. VIII. p.* 724. Singulare est, quod notauit Appianus, *de bello ciu. Lib.* IIII. *p.* 669. Labeonem moriturum seruum quemdam, quem sibi fidissimum putabat, in tabernaculo dextra adprehensum circumegisse, moxque ei praebuisse iugulum. Ea sane manumissio non fuit haec sollemnis per vindictam peracta, quippe quam in iure fieri oportebat, sed alia priuata, & mortis caussa facta, quae tantum libertatem Latinam tribuebat: vti rem recte explicat Merillius *Obs. VII.* 14. *p.* 25.

(c) Substituunt alii formulam: AIO TE LIBERVM MORE QVIRITIVM. Oisel. *ad* Caii *Inst.* I. 1. *p.* 11. 12. *edit.* Schulting. Initio ipse dominus haec verba pronunciabat; postea, tacente domino, lictor, vel ea [licet non dicantur,] vt dicta accipiebantur. *l.* 23. D. *de manum. vindict.*

§. VI.

Manumissio per testamentum.

Accessit porro III. ex legibus XII. Tabularum manumissio PER TESTAMENTVM, qua, si quibus libertas daretur verbis directis: DAVVS SERVVS MEVS LIBER ESTO: liberti eiusmodi vocabantur *Orcini*, seu *Charonitae*, quasi, qui nullum patronum, nisi in orco, haberent. Iac. Cuiac. *Obs.* III. 23. Sin verbis precatiuis vsus esset testator: ROGO HEREDEM MEVM, VT DAVVM MANVMITTAT; heres fiduciarius retinebat iura patronatus. Sin denique in certum diem vel sub conditione cuidam daretur libertas: is *statuliber* audiebat, nec plenam libertatem, nisi veniente die, vel existente

Source : BIU Cujas

conditione, consequebatur. *l.* 1. *pr. D. de statulib.* Fest. voce *statuliber.*

§. VII.

Et in sacrosanctis ecclesiis.

Et hi quidem sunt antiquissimi manumittendi modi. Loco manumissionis per censum Imperatores Christiani (*d*) introduxerunt aliud manumissionis genus, quod fiebat IN SS. ECCLESIIS, vt recitatis iussu domini tabulis, a clero signatis, seruus libertatem consequeretur. Ita ritum exponunt Augustin. *Serm. V.* a Sirmondo edit. Papian. in *Respons.* III. *p.* 829.

(*d*) Et quidem Constantinus M. ceu patet ex *l.* 1. *&* 2. *C. de his qui in eccl. manum.* Conf. Sozom. *Hist. eccl. I.* 9. Videtur tamen quibusdam Constantinus exemplum gentilium sequutus, qui & ipsi subinde vel in templis, ad aras Deorum, vel in publicis populi coetibus manumittebant, ceu obseruat Iac. Gothofred. *ad l. vn. C. Theod. de manum. in SS. ecclesiis.*

§. VIII.

Nec non per epistolam, inter amicos, & per conviuium.

Paullo ante ea tempora inualuerant manumissiones variae minus sollemnes, quales I. PER EPISTOLAM & II. INTER AMICOS. Illa initio sine omni sollemnitate expediebatur, donec Iustinianus quinque testium exigeret subscriptionem. *l. vn. §.* 1. *C. de Lat. libert. toll.* Haec ita fiebat, vt dominus seruum, praesentibus quinque amicis, liberum esse iuberet. Sufficiebat etiam ad libertatem, si seruum dominus III. CONVIVIO adhiberet. Glossae nomicae Labbaei, παρ μένσαν ἐλευθερία, ὅταν συνεσθίηαι μοι κελεύσω τὸν δοῦλον μου. *Per mensam libertas est, si mecum epulari seruum iussero.* Indecorum scilicet olim habebatur, cum seruis vilibusque hominibus accumbere, iisque non lecti, sed subsellia, erant parata. Hinc parasitus apud Plaut. *in Sticho* III. 4. *v.* 32.

Haud postulo equidem, me in lecto accumbere:
Scis tu, me esse imi subsellii virum.

Et in eadem Comoedia serui duo: *V.* 4. *v.* 21.

- - - Potius in subsellio
Cynice accipiemur, quam in lectis.

Quod si ergo seruus iuberetur adcumbere, signum hoc erat datae libertatis. Plin. *Epist.* VII. 16. Quo & locus Luc. XII. 37. a nonnullis refertur. Sed & hic Iustinianus quinque amicorum, tamquam testium, exegit praesentiam, *l. vn. §.* 2. *C. de Lat. lib. toll.* Sunt & alii modi innumerabiles Latinae libertatis, vti ait Iustinianus *l. vnic. C. de Latin. libert. toll.* Sic, imposita puero bulla & praetexta, ille manumissus credebatur, Sueton. *de clar. Rhetor. cap.* I. Manumissus censebatur seruus, quem dominus actis interuenien-

Source : BIU Cujas

venientibus filium vocauerat, quamuis id non sufficeret ad adoptionem. §. 12. *Inst. de adopt.* Item, si ancilla a domino matronali habitu donata fuisset, vel seruus, domino volente, signasset tabulas. Quinctilian. *decl. XXXIIII.* Immo & mortis caussa datam esse eiusmodi libertatem, ex *l.* 15. *D. de manumiss.* probat Merill. *Obs. LVII. cap. XIIII.*

§. VIIII.

Serui nonnunquam ipso iure libertatem sunt consequuti.

Denique & ipso iure, nolente licet domino, seruis nonnumquam libertatem competiisse, nouimus. Causssas a Iustiniano fere inuentas accurate recensset Thomas. *Diss. de vsu pract. distinct. hom. in ingen. & libert. I.* 12.

§. X.

Libertinorum vnum initio genus.

Ceterum antiquissimis temporibus vna erat eademque omnium manumissorum libertas: siquidem manumissione non solum libertatem, sed & ciuitatis iura consequebantur, idque instituerat Seruius Tullius, qui & ipse libertinae fuerat conditionis. Dionys. Halic. *IIII. p.* 126. Quam in rem Cicero *pro Corn. Balbo Cap. VIIII. Seruos denique quorum vis, fortuna & conditio infima est, bene de republica meritos, persaepe libertate, id est,* CIVITATE, *publice donari, videbamus.* Ciuitatem ergo vna cum libertate consequebantur serui, sed ita, vt in quatuor vrbanas tribus, tamquam ignobiliores, describerentur. Flor. *Epit. Liu. XX.*

§. XI.

Quod mutatum lege Aelia Sentia.

Enimuero quum ciuitas deinde tota scelestissimorum hominum colluuie impleretur, nequissimique homunciones, a dominis manumissi, ciuium iura inuaderent: (Dionys. Hal. *l. c. p.* 228.) primum sub Augusto, lege Aelia Sentia cautum est, ne serui sceleris causssa publice caesi, vincti, aut torti, aut stigmate vsti (*e*), impetrata a dominis libertate, melioris essent conditionis, quam dedititii. Sueton. *Aug. LX.* Dio Cass. *LV. p.* 556. Vlp. *Fragm. I.* 11. Caius *Inst. I.* 1. 3. *p.* 15.

(*e*) Solebant enim serui ob leuia crimina flagellis caedi, dominisque reddi. *l.* 10. *princ. D. de poen. l. vlt. D. de iniur.* Paull. *Sent. Recept. V.* 4. 22. Nonnumquam etiam ea lege reddebantur dominis, vt aliquamdiu in vinculis haberentur. Paull. *l. c. & v.* 18. 1. Fugitiuis vero seruis epigramma in facie scribebatur, & talibus quidem plerumque litteris: F. H. E. L. T. *Fugitiuus hic est L. Titii.* Quibus de notis multa congessere Oisel. ad Caii *Inst. I.* 1. 3. *p.* 16. *sequ.* Lips. *Elect. II.* 15. Rader. *ad* Martial. *Epigr. II.* 25. *& VIII.* 70. Rad. Forner. *Rer. Quotid. VI.* 26. Tit. Popma, *de operis serv.*

Source : BIU Cujas

Ioan. Rhod. *ad* Scribon. Largum *cap.* 231. Io. Nicol. *de Sigl. vet. XXV.* Stigmata eiusmodi vultibus imprimi vetuit Constantinus *l.* 17. *C. de poen.* ex eoque tempore seruis fugitiuis circumdata collaria ferrea, vel laminae collis adpensae, quibus epigrammata inscripta. Delineatas eiusmodi lamellas dedit Iac. Spon. *Miscell. Erud. Antiq. p.* 300. 301.

§. XII.

Et postea lege Iunia Norbana.

Postea A. V. C. DCCLXXI. M. Iunio Silano & L. Iunio Norbano Balbo Coss. lata est lex Iunia Norbana, qua cautum, vt manumissi per epistolam aut inter amicos, aliisque modis minus sollemnibus, de quibus supra §. VIII. non ciuium, sed Latinorum tantum iura consequerentur. Vlpian. *Fragm. I.* 10. Cai. *Inst. I.* 1. 2. *& ibi viri docti* (*ee*). Hinc non desunt exempla manumissionum per epistolam aut inter amicos, per vindictam deinde ideo confirmatarum, vt liberti iura ciuitatis consequerentur. Plin. *Epist.* VII. 16. Nonnumquam & ab Imperatoribus Latini Iuniani iura Quiritium impetrabant. Plin. *Epist. X.* 4. Introducti subinde & alii modi, quibus iura Quiritium consequerentur Latini Iuniani, velvti, si quis vxorem duxerat, testatione interposita, quod *liberorum quaerendorum causa* id fecerit, ex eoque matrimonio natus erat filius: si quis Romae triennium inter vigiles militauerat: si naue X. M. modiorum frumentum Romam deportauerat. Suet. *Claud.* XVIIII. si aedificium Romae construxerat. Vid. Vlpian. *Fragm.* III. 2. *sequ.*

(*ee*) [Immo & omnes, quos lex Aelia Sentia in libertate morari patiebatur, veluti qui minores XXX. annis testamento manumissi. Vlpian. *Fragm. I.* 12. in fraudem foeneratorum manumissi. *Fragm. vet. Iurisconsult.* §. 16.]

§. XIII.

Hinc libertini, alii ciues, alii Latini Iuniani, alii dedititii.

Ex eo ergo tempore trium generum erant libertini. Alii enim fiebant CIVES ROMANI, alii sola consequebantur iura Latinorum, dicti hinc LATINI IVNIANI. Alii denique vtriusque iuris expertes ad DEDITITIORVM tantum conditionem adspirabant. Iac. Cuiac. *Obs.* IIII. 5.

§. XIIII.

Quinam Latini Iuniani?

Iura ciuitatis quaenam fuerint, inter omnes constat, & infra ostendetur accuratius. LATINI IVNIANI eiusdem erant conditionis cum Latinis, in colonias deductis. Vlpian. XVIIII. 4. *Fragm. Regul. ex vet. Iureconsult.* VIII. *p. m.* 805. quales coloniae passim in orbe Romano exstabant, etiam aeuo Imperatorum. Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc.* I. 9. Libertate igitur gaudebant, participes erant commerciorum,

Source : BIU Cujas

merciorum, & mancipationum cum ciuibus, Vlp. XVIIII. 4. & familiae emtores, & teſtes, & libripendes fieri, (*Vlp.* XX. 8.) quin & fideicommiſſum capere poterant. (Vlp. XXV. 6.) Sed tamen nec teſtari licebat (*f*), nec ex teſtamento quidquam capere, niſi intra centum dies cretionis iura Quiritium conſequerentur. Vlp. XVII. 1. Hinc vulgo dicitur, vixiſſe Latinos Iunianos vt liberos, deceſſiſſe vt ſeruos. *l. vn. C. de Lat. lib. toll.*

(*f*) Videntur tamen & Latini Iuniani teſtari potuiſſe, volentibus concedentibuſque patronis. Nam & domini permittere poterant ipſis ſeruis teſtamenti factionem, ceu adparet ex Plin. *Epiſt. VIII.* 16.

§. XV.

Quales dedititii?

DEDITITII vero vix vmbram libertatis conſequebantur. Nam & iuris commerciorum, mancipationumque erant expertes, & teſtamenti factione, tum actiua, tum paſſiua, plane carebant, &, quae miſerrima erat eorum conditio, nulla ipſis ſpes ſupererat, vllo modo ad ciuium Romanorum, vel Latinorum ſaltim, conditionem adſpirandi, Suet. *Aug.* XXXX. Caius *Inſt. I.* 1. 4. adeoque eiuſdem erant conditionis cum populis dedititiis (*g*).

(*g*) Qui ſe, diuinaque & humana omnia dedebant, mittebantur ſub iugum, de quo ritu videndus Dionyſ. Halic. *Ant. Rom. III. p.* 159. Qua formula deinde facta fuerit deditio; ex Liu. I. 38. oſtendit Barn. Briſſon. *de Form. IIII. p.* 354. Pet. Fab. *Semeſtr. I.* 7. *p.* 36. Effectus vero erat, vt populi eiuſmodi ingenuitatis quidem iura retinerent, at nullo modo ad ciuitatis commoda adſpirarent. Conf. Car. Sigon. *de antiq. iur. Ital.* I. 1. *p.* 47.

§. XVI.

An ea differentia ſublata ab Antonino Caracalla?

Et haec differentia libertinorum fuit etiam ſub imperatoribus inſequentibus obſeruata. Quamuis enim Antoninus Caracalla in nota illa lege *in orbe Romano* 17. *D. de ſtatu hom.* ciuitatis iura cum omnibus, qui in orbe Romano viuerent, communicarit: id tamen beneficium non ad libertinos, ſed ad ingenuos tantum pertinuit, ut recte obſeruarunt Ez. Spanh. *Orb. Rom.* II. 5. Ant. Schulting. *ad* Caii *Inſt. I.* 1. 2. *p.* 13.

§. XVII.

Iuſtinianus eam primus ſuſtulit.

Primus Iuſtinianus diſcrimen iſtud ſuſtulit, *l. vn. C. de dedit. lib. toll. l. vn. C. de Lat. lib. toll.* quibus conſtitutionibus omnibus libertinis iura ciuitatis indulſit. Quinimmo, quae erat Imperatoris liberalitas, denique omne diſcrimen inter ingenuos & libertinos ſuſtulit, ſaluo tamen iure patronatus, omnibuſque libertis ius aureorum

Source : BIU Cujas

reorum annulorum & natalium reſtitutionem (*h*) dedit. *Nou. LXXVIII.* Quam parum prudenter id conſilii ceperit Imperator, alii oſtenderunt. Vid. Wiſſenb. *ad Tit. C. de iure aur. p.* 360. Thomaſ. *de vſu pract. diſt. hom. in ingen. & libertin. I.* 31. *ſeq. p.* 18.

(*h*) De iure aureorum annulorum & reſtitutione natalium a principe impetrari ſolitis vid. Lipſ. *Elect. II.* 8. Io. Kirchmann. *de annulis XV. XVI.* Thomaſ. *de uſu pract. diſt. in ingen. & libert. I.* 26. 27. *p.* 14. *ſeq.*

§. XVIII.

Inſignia libertinorum.

Certum inter inſignia libertinorum erat, quod veſte alba & annulo donarentur a patronis. Tertull. *de reſurr. cap. LVII.* & deinde pileati & capite raſo incederent. Et capillos quidem radere ſolebant in templo Feroniae (*i*). De quo ritu videndi Taubm. *ad Plaut. Amphitr. I.* 1. *extr.* Alex. ab Alex. *Genial. dier.* IIII. 20. Dalechamp. *ad Plin. II.* 55. Adſumebant etiam praenomen, nomenque patroni ſuo addebant. Vid. infra *Lib. III. Tit. VIII.* §. 1. Quo alludens Perſius *Sat. V. v.* 77.

Verterit hunc dominus: momento turbinis exit
MARCVS Dama.

Add. Arrian. *Diſſ. Epictet. II.* 1. Ceterum, quia, iam libertatem conſequuti, non amplius pro rebus, ſed pro perſonis habebantur; hinc in iure noſtro qui ſtatum mutarunt, & vel ex ſeruis liberi, vel ex liberis ſerui facti, non iidem cenſentur, ſed vocantur *noui homines l.* 27. §. 1. *D. de adim. vel transfer. leg.* Itemque *alii homines. l.* 98. §. 8. *D. de ſolution.*

(*i*) Qui mos ponendi capillos vtrum ad exemplum naufragorum introductus ſit, an ab Athenienſibus Romam manarit, diſputat Briſſon. *Ant. Form. I.* 11. *p.* 13.

Source : BIU Cujas

TIT. VI.

QVI ET EX QVIBVS CAVSSIS MANVMITTERE NON POSSVNT.

LIcentia manumittendi reſtricta primum eſt per legem AELIAM SENTIAM, cuius adeo hiſtoria, occaſio, et materia ex antiquitate erunt explicandae.

§. I.

Lata ea lex, imperante Auguſto, Sex. Aelio Cato (*a*), (ita enim cognomen ex vetuſtis monimentis primus reſtituit Henr. Noriſ. *Cenot. Piſ. Diſſ. III. cap. VIIII.*) et C. Sentio Saturnino Coſſ. anno ab V. C. DCCLVII. Dio Caſſ. *LV. p.* 557. Vnde fallitur Mynſingerus *Comment. ad Inſtit. h. t.* dum mentionem huius legis fieri putat a Cicerone *in Topic. II.* Illa enim lex *Aelia Sentia*, cuius Cicero meminit, ſi genuina eſſet vulgaris lectio, a noſtra foret diuerſiſſima. Sed coniicit Noriſius, ab indocti ſcribae manu eſſe alterum *Sentia*, legem vero Aeliam in loco Ciceronis non aliam eſſe, quam *ius Aelianum*, vel Aelii *tripartita*, de quibus ſupra in *prooem.* §. VIII. Lex Aelia Sentia quando lata.

(*a*) [Vulgo vocant *Catulum*. Sed numquam hoc fuit Aeliorum cognomen. Potius CATI dicti ſunt, quod cognomen primus ob inſignem prudentiam conſequutus eſt Sex. Aelius, iuris Aeliani auctor, quem et Ennius teſte Cicerone egregie cordatum hominem vocauit.]

§. II.

Occaſionem legi dedit nimia manumittendi facilitas, qua fiebat, vt vrbs peſſimorum viliſſimorumque ciuium colluuie adflueret. Quod quanto cum dedecore publico fuerit coniunctum, praeclare oſtendit Dionyſ. Halic. *Antiqu. Rom.* IIII. *p.* 228. *Talis eſt noſtro tempore confuſio, et ſic ad ſordes atque ignominiam degenerauit Romanorum probitas, vt nonnulli a latrociniis, parietum perfoſſionibus, proſtitutionibus, omnibuſque aliis ſceleribus, pecunia collecta, libertatem redimant, ſtatimque ſe Romanos faciant: alii conſcii dominis, et ſocii veneficiorum, homicidiorum, facinorumque, tum contra Deos, tum contra rempublicam ſuſceptorum, eam ab illis gratiam recipiant: quidam ideo manumittantur, vt acceptum e publico frumentum menſtruum, et ſi qua alia liberalitatis in egenos ciues conferuntur a Prin-* Ratio huius legis.

Source : BIU Cujas

cipibus, dent his, a quibus sint facti liberi. Accedebant aliae caussae manumittendi parum honestae. Saepe domini seruos omnes manumittebant in fraudem creditorum. Tacit. *Ann. XV.* 55. Saepe serui a minoribus, quorum amores adiuuerant, libertatem sibi loco mercedis stipulabantur. Cuius rei exempla multa in scenam producunt Terentius et Plautus.

§. III.

Plura huius legis capita.

Eam licentiam, quum indigna videretur Augusti saeculo, lata hac lege coercendam putabat princeps prudentissimus. Qua de re Sueton. *Aug. XXXX. Manumittendi modum terminauit.* Et paucis interiectis: *Quum et de numero, et de conditione, ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiose cauisset: hoc quoque adiecit, ne vinctus vmquam tortusque quis vllo libertatis genere ciuitatem adipisceretur.* Prius Augustus lege Fusia Caninia, posterius Aelia Sentia praestitit. Quin tam necessariam tamque dignam saeculo suo hanc legem existimabat Augustus, ut inter mandata extrema, quae Tiberio senatuique et populo Romano dederat, huius quoque legis commendaret custodiam. Qua de re Dio Cass. *Hist. LVI. p.* 591. Καὶ τὸ τέταρτον ἐντολὰς καὶ ἐπισκήψεις τῷ τιβερίῳ καὶ τῷ κοινῷ, ἄλλας τε, καὶ ὅπως μήτ' ἀπελευθερῶσι πολλὰς, ἵνα μὴ παντοδαπῷ ὄχλῳ τὴν πόλιν πληρώσωσι, μήτ' ἂν ἐς πολιτείαν συχνὰς ἐσγράφωσιν ἵνα πολὺ τὸ διάφορον αὐτοῖς πρὸς τὸ ὑπήκοον ᾖ. *Quarto mandata Tiberio, et reipublicae data, interque alia, ne multos manumitterent, ne promiscua turba vrbs impleretur, neue multos iure ciuitatis donarent, quo magnum inter ipsos et subiectos discrimen remaneret.* Constabat vero ea lex capitibus quamplurimis, quae non nisi sparsim ex autoribus colligi possunt.

§. IIII.

De dediticiis.

Primo enim seruos flagitiosos, stigmate vsos, tortos, et ad ferrum datos, vetuit fieri ciues Romanos, voluitque eos ad dedititiorum tantum conditionem redigi. Vlp. *Fragm. I.* 11. *p.* 566. Caius *Inst. I.* 1. 3. de quo capite actum ad titulos antecedentes.

§. V.

De aetate dominorum manumittentium et seruorum ma-

Deinde et impedimentum ea lex excitauit ex aetate, tum seruorum, tum dominorum. Nam neque seruus triginta annis minor, vindicta manumissus, ciuis Romanus fiebat, nec dominus XX. annis minor manumittere poterat; nisi allegata probataque caussa apud consilium. Suet. *Aug. XXXX.* Dio Cass. *LV. p.* 557. Vlpian. *Fragm. I.* 12. 13. Inter has causas §. 5. *Inst. h. t.* etiam refertur manu-

Source : BIU Cujas

mánumiſſio propter matrimonium. Sed haec non ex lege Aelia Sentia eſt, (tunc enim nondum ciuibus licebat ducere libertinas,) ſed ex SC. quodam *l.* 13. *fin. D. de manum. vind.* quod hanc manumiſſionem ex rationibus legis Iuliae et Papiae admiſit. Apud Gruterum *Inſcr. p. DCXXI.* nominatur PERSICVS. SERVVS. MANVMISSVS. AD CONSILIVM. Conſilium vero erat Romae confeſſus decemuirorum litibus iudicandis, id eſt, quinque Senatorum totidemque Romanorum equitum: in prouinciis XXV. recuperatorum, ciuium Romanorum. Vlp. *l. c.* Iac. Raeuard. *Protribun.* XVIII. *et* XVIIII. Ger. Noodt. *de iuriſd. et imp. I.* 12. Et tale eſt τὸ συμβούλιον, cuius mentio fit Actor. XXV. 12. numittendorum.

§. VI.

Porro hac lege vetabantur manumiſſiones, quae fierent in fraudem creditorum, i. e. quae obligatos ſeruos creditoribus dolo malo eximerent, partemque detraherent pignorum, aut portionem ſolutionis creditori aut hereditatis patrono imminuerent. Vlp. *l. c.* §. 14. Cai. *Inſt. I.* 1. 5. Intelligendum hoc caput eſſe de manumiſſionibus non minus inter viuos, quam vltima voluntate factis, egregie probat Schulting. *ad* Caii *Inſt. l. c. p.* 21. Vbi tamen fraudulentus animus non concurrebat: valebat manumiſſio inter viuos facta. Et huc pertinet exemplum apud Tacit. *Ann. XV.* 55. vbi Sceuinus libertatum et pecuniarum in ſeruos collatarum rationem hanc reddit, *quia tenui iam re familiari, et inſtantibus creditoribus, teſtamento diffideret.* De manumiſſione in fraudem creditorum facta.

§. VII.

Porro eadem lege adempta ſunt dominis iura patronatus, qui libertos inopes alere negligerent. *L.* 33. *D. de bon. libert. L.* 6. *D. de lib. agnoſc.* Contra dominos libertos inopes alere recuſantes.

§. VIII.

Eadem lege iuribus patronatus excidebant, qui libertos ad mercedem operarum promittendam induxerant. *l. vlt.* §. 1. *D. qui et a quib. manum. liberi non fiunt.* Contra dominos mercedem ſibi a libertis ſtipulantes.

§. VIIII.

Prodita etiam hac lege eſt actio aduerſus libertos ingratos, non quidem, vt in ſeruitutem reuocarentur, (quod poſtea demum Claudius Imp. inuexit (*aa*), Sueton. *Claud. XXV.*) ſed vt in lautumias darentur ad perpetuas operas. Vid. Doſith. *Sent. et Epiſt.* *D. Hadriani* III. 3. *p. m.* 862. *ſeq.* Iac. Cuiac. *Obſ. X.* 33. Vinc. Grauina *de Leg. et SCtis p.* 528. *ſequ.* Contra libertos ingratos.

(*aa*) Non

Source : BIU Cujas

(*aa*) Non videtur Claudius expressa quadam constitutione vel SCo definiviſſe, in ſeruitutem libertos ob ingratitudinem a patronis reuocari poſſe, ſed extra ordinem quoſdam ingratos libertos ita mulctaſſe. Sane temporibus Neronis, quum ad Senatum referretur, vt liberti ingrati reuocarentur in ſeruitutem, id pleriſque diſplicuit, additumque nihil aliud laeſo patrono concedi, quam vt viceſimum vltra lapidem in oram Campaniae libertum poſſit relegare. Tacit. *Annal. XIII. 26.* Eoque iure vſi videntur Romani, donec Commodus Imperator, quod extra ordinem fecerat Claudius, edita conſtitutione induceret. *l. 6. D. de agnoſc. lib.* Conf. Iac. Raeuard. *Coniectan. I. 11. p. 23. ſeq.*

§. X.

Contra dominos libertos prohibentes vxores ducere.

Accedit et aliud caput, quo iure patronatus exuuntur, qui hac lege manumiſere, vt ne liberti vxores ducerent, aut liberos tollerent. *l. 6. D. de iur. patr.*

§. XI.

Cur licuerit dominis obaerati ſeruum vnum heredem neceſſarium inſtituere.

Et haec quidem ſunt potiora legis Aeliae Sentiae capita, quorum auctores et iura noſtra meminere (*b*). Sed quod ad caput tertium §. VI. a nobis recenſitum attinet, illi adiecta erat exceptio. Licebat enim domino obaerato ſeruum ſuum cum libertate heredem inſtituere, ea lege, vt ei heres eſſet ſolus et neceſſarius. Eo ipſo enim admodum amittebant creditores. Sed dominus tantum id lucrabatur, vt ne bona ſuo nomine poſſiderentur a creditoribus, quippe quod veteribus ignominioſum videbatur. Cic. *pro P. Quinct. XV.* Confer infra *Lib.* II. *Tit.* XVIII. XVIIII. *num.* XI.

(*b*) Aliud huius legis caput commemorat Iuſtin. *Nou. CXII. 1.* edit. Haloandr. de donatione facta inter virum et mulierem. Sed textum in mendo cubare, et pro lege *Sentia* legendum *Cincia*, iam monuit Gothofredus.

§. XII.

Lex Aelia Sentia ordini et integritati ſuae reſtituta.

Scripſeramus haec olim. At poſtea maiora auſi, ipſius legis fragmenta non modo diligenter conquiſiuimus, vtrum etiam ea ſuo ordini ſuaeque integritati reſtituere conati ſumus, ductu praecipue VLPIANI, et Iulii PAVLLI, quorum ille quatuor, hic tribus libris hanc legem celeberrimam illuſtrauit. Huius diligentiae noſtrae vt fructum capiat lector, totam legem vna cum probationibus hic exhibemus:

SEX. AELIVS. - - - - CATVS. ET. C. SENTIVS. C. F. C. N. SATVRNINVS. COS. POPVLVM. IVRE. ROGARVNT. POPVLVSQVE. IVRE.

Source : BIU Cujas

RE. SCIVIT. IN. FORO. PRO. ROSTRIS. . . . . TRIBVS. . . . . PRINCIPIVM. FVIT. PRO. TRIBV. . . . PRIMVS. SCIVIT.

CAP. I. (a)

DE IIS, QVI MANVMISSI DEDITITII FIVNT.

Qui ſeruus, quaeue ancilla, poenae cauſſa (b) *a domino* (c) VINCTVS VINCTAVE (d) *aut in cuſtodiam datus, dataue* (e), *quibuſue veſtigia ſcripta* (f), *itemque, qui quaeue propter noxam tortus tortaue, nocens inuentus inuentaue* (g), *item qui quaeue, vt ferro, aut cum beſtiis depugnaret* (h), *damnatus, damnataue, alioue ſupplicio adfectus adfectaue* (i) *fuit: is eaue, quoquo modo* (l) *manumiſſus manumiſſaue, iuſtam libertatem non conſequitor* (m), *ſed dediitiorum numero eſto* (n).

PROBATIONES.

(a) Caput hoc primum fuit procul dubio, partim quia praecipuum, partim, quod VLPIANVS *libro I. Comment. ad L. Ael. Sent.* de eo egit. *l. 216. D. de verb. ſignif.*

(b) Non ergo ob aliam cauſſam vinctus vinctaue, veluti ob furorem. Paull. *Rec. Sent. IIII. 12. 7.*

(c) Vel eius iuſſu a Procuratore. Paull. *ibid.* §. 8. non ſi ſolutum ſeruum dominus adprobet, antequam vinctum ſciret: Paull. *ibid.* nec ſi communi ſeruo vnus, altero non adprobante, iniecisſet vincula: Idem *ibid.* §. 5. nec ſi ſeruum oppignoratum vinciuerit creditor: *Id.* §. *6. l. 24.* §. *vlt. D. de pignor. act.* nec ſi ſeruo, quem manumittere iuſſus erat, vincula iniecerat heres. Paull. *ib.* §. 4.

(d) Legitimum hoc fuiſſe vocabulum diſcimus ex VLPIAN. *Lib. I. l. 216. de verb. ſignif.* vbi id non intelligendum eſſe monet de eo, qui carceri mancipatus, ſed qui ibi vinculis conſtrictus fuit, quamuis alias, vbi de fauore vincti quaeritur, et in carcerem coniectus, pro vincto habeatur. *l. 9. D. ex quib. cauſſ. mai. XXV. ann. in int. reſt.*

(e) Ita Vlpianus *Fragm. tit. I. 11.* Sed annon ſibi ipſe contrarius, quum paullo ante negare eum viderimus in cuſtodiam datum pro vincto haberi? Negamus, quia in *l. 216. D. de verb. ſignif.* de priuato carcere; qui non nocebat ſine vinculis: hic autem de carcere publico loquitur. Vid. Iac. Cuiac. *ad Vlp. l. c.*

(f) Vlp. *ibid.* §. 11. Cai. *Inſt. I. 1. 3.* nec opus videtur emendatione in textu Vlpiani, vbi pro *veſtigia* quidam reſcribi iubent *ſtigmata.*

(g) Vlpian. *ibid.* non ergo ſi tortus de nulla culpa fuerat confeſſus. Paull. *Rec. Sent. ibid.* §. 3.

(h) Ferro depugnant *gladiatores*, cum beſtiis *arenarii.* Cuiac. *ad Vlp. Fragm. tit. I. 11.* De vtriſque plura nos in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. 1. et 2.*

(i) Immo et virgis caeſi publice. Cai. *Inſt. I. 1. 3.*

(l) Vlpian. *ibid.* Apud Suetonium *Aug. cap.* 40. eſt: *ne vllo libertatis genere ciuitatem adipiſcerentur*, id eſt, nec *cenſu*, nec *vindicta*, nec *teſtamento.*

(m) Suet. *Aug. cap.* 40. Vlp. *ibid.*

(n) Vlpian. *Fragm. I. 11.*

Source : BIU Cujas

CAP. II. (a)

DE AETATE MANVMITTENDORVM PER VINDICTAM.

Minor XXX. annorum ſeruus ancillaue, cenſu (b) vindictaue manumiſſus manumiſſaue, ciuitatis Romanae ius, niſi cauſſa apud conſilium probata, ne conſequitor.

PROBATIONES.

(a) Caput hoc ſecundum fuit, quia et aetas pertinet ad qualitatem manumittendorum, de qua curioſe cauiſſe Auguſtum tradit Sueton. *l. c.* Meminit huius capitis Dio *LV. p.* 557. eiuſque ſententiam ſeruauit Vlpian. *Fragm. tit. I.* 12.

(b) *Cenſus* non meminit Vlpianus *l. c.* quia eius aetate ab vſu pridem receſſerat. Aſt *Fragm. Reg. vet. ICti* Pariatori LL. Moſ. et Rom. ſubiunctum §. 17. *Et qui in cenſum manumittitur, ſi XXX. annos habeat, ciuitate Romana potitur.* Ergo non minor XXX. annis.

CAP. III. (a)

DE AETATE ET CONDITIONE MANVMITTENDORVM PER TESTAMENTVM.

Minor XXX. annorum (b), teſtamento manumiſſus manumiſſaue, quamuis in libertate moretur, liber tamen et ciuis Romanus ne eſto (c).

PROBATIONES.

(a) Hoc caput a priore ſeiungi non potuit. Hinc coniunxit etiam vtrumque Vlpian. *Fragm. I.* 12.

(b) Niſi libertas in hoc tempus data. Hinc frequens in teſtamentis formula: LIBER ESTO, SI ANNORVM XXX. ERIT. *l.* 39. §. 2. *fam. erc. l.* 46. *de manum. teſt. l. vlt. D. de reb. dub. l.* 13. §. 5. *de ſtatulib.* item, QVVM PER LEGES LICEBIT, LIBER ESTO, *l.* 38. *de man. teſtam.*

(c) Serui itaque erant, quamuis in libertate morarentur, nec ſeruire eos pateretur Praetor. Poſt legem Iuniam Norbanam omnes iuſtam libertatem per manumiſſionem haud conſequuti, praeter dedititios, Latini erant, adeoque et hi eiuſdem conditionis cenſebantur. Vlp. *ib. et ad h. l.* V. C. Ant. Schultingius.

AP.

Source : BIU Cujas

CAP. IIII. (a)

DE CONDITIONE EX HVIVS MODI PARENTIBVS NATORVM.

Ex his, quaeue iuſtam libertatem non conſequuntur, nati nataeue, ciues Romani et in parentum poteſtate ne ſunto. Sin ciuis Romanus huiuſmodi mulierem, quaſi ciuem, per errorem duxerit, ſiue ciuis Romana per errorem ei, qui dedititiorum numero erit, nupta fuerit; cauſſa apud conſilium probata, ciuitas tam liberis, quam parentibus (b), praeter eos, qui dedititiorum numero erunt, redditor, illique in patria poteſtate ſunto.

PROBATIONES.

(a) Hoc quoque caput a ſuperioribus ſeiungi non potuit. Expreſſimus illud ex Vlpiani *Fragm. VII.* 44. Idem caput in mente habuit Caius *apud Pariat. LL. Moſ. et Rom. Tit. XVI.* dum ſcripſit: *Idem iuris eſt de his, quorum nomine ex L. Aelia Sentia vel ex SC. poſt mortem patris, cauſſa probata, in poteſtate eius futuri eſſent.*

(b) Probanda ergo cauſſa erat viuis parentibus. At poſtea ex SCo etiam poſt mortem patris fieri poterat probatio. Caii. *ib.* Vnde miror, de ſententia huius SCi, et an eo diuerſum quid a Lege Aelia Sentia cautum ſit, diſputare ad Caii locum viros doctos.

CAP. V. (a)

DE MINORE XX. ANNIS MANVMITTENTE.

Minori XX. annis (b) non aliter, quam per vindictam (c), cauſſaque apud conſilium probata (d), manumittere ius eſto (e).

PROBATIONES.

(a) Egere de hoc capite VLPIANVS *Lib. II. l. 16. D. de man. vind.* PAVLVS *Lib. I. l. 15. de manum. vind.* Vnde id a ſuperioribus proximum locum tenuiſſe patet. Vti enim prima legis parte de conditione manumittendorum; ita ſecunda de manumittentibus actum. Sententiam capitis habemus apud Cai. *Inſt. I. 1. 7.* Vlpian. *Fragm. I. 13.* et in §. 5. *Inſt. qui ex quib. cauſſ. man. non poſſ.*

(b) Coeptum tamen annum XX. pro completo habitum, colligo ex *l. 34. §. 1. D. de SC. Treb.*

(c) Attamen, qui vindicta poſſunt apud conſilium manumittere, poſſunt etiam

Source : BIU Cujas

etiam heredem sibi necessarium testamento scribere. PAVLL. *Lib. I. l. 27. D. de man. test.*

(*d*) Modo caussa ex affectu, non ex luxuria, descendat, VLP. *Lib. II. l. 16. pr. de man. vind.* Qualis est sanguinis coniunctio. VLPIAN. *Lib. II. l. 12. eod.* item conditionis implementum. PAVLL. *Lib. I. l. 15. D. eod.* Aliae caussae recensentur in *l. 9. 11. 12. sequ. D. eod. et §. 5. Inst. h. t.* Sunt tamen quaedam non ex hac lege, sed ex SCis, de quibus *l. 13. fin. l. 4. C. qui man. non poss.* Add. Cuiac. *Obs. XV. 13.*

(*e*) Quid si minor XX. annis seruum alii dederit, vt manumitteretur? Vid. *l. 20. §. vlt. D. de man. l. 16. §. 1. D. de man. vind.*

CAP. VI. (*a*)

DE FEMINA MANVMITTENTE.

Ne feminae, nisi auctoribus tutoribus suis (b), libertatem seruis dare ius esto (c).

PROBATIONES.

(*a*) De hoc quoque capite egit PAVLLVS *Lib. I. l. 16. D. de auct. tut.* Sententiam eius seruauit *Fragm. Vet. ICti post Pariat. LL. Mos. et Rom. §. 15.*

(*b*) Etiamsi coeci sint tutores. PAVLL. *Lib. I. l. 16. de auct. tut.* Si femina per epistolam manumittebat, disputabatur, vtrum, dum scriberet illa epistolam, an tunc, quando eam seruus acceperit, interponenda sit auctoritas? Vid. laudat. *Fragm. §. 15.*

(*c*) Nisi iure liberorum per legem Papiam Poppaeam tutela liberaretur. *Fragm. Vet. ICti §. 15.* Vlpian. *Fragm. II. §. vlt.* Addatur *Comment.* noster *ad Leg. Iul. et Pap. Lib. II. cap. 11. pag. 233. sequ.*

CAP. VII. (*a*)

DE MANVMISSIONE IN FRAVDEM CREDITORVM.

Qui in fraudem (b) creditorum manumisit, nihil egisse censetor (c), et manumissus manumissaue seruus ancillaue manento.

PROBATIONES.

(*a*) De hoc quoque capite PAVLLVS adhuc *Lib. I. Commentarii sui* egit. Sententia exstat apud Cai. *Inst. I. 1. 5.* Vlpian. *Fragm. I. 14. in pr. Inst. h. t. l. 16. §. 2. D. qui et a quib. man. lib. l. 1. C. qui man. non poss.*

(*b*) Quid vero est in fraudem manumittere? *l. 10. D. qui et a quib. man. lib. non fiunt. L. 79. D. de regul. iur.* Hac lege nec miles solutus. *l. 29. §. 1. D. de test. mil. l. 8. §. 2. D. qui et ex quib. causs. manum.* Non tamen legem violat, qui minor XX. annis heredem rogauit, vt seruum proprium manumitteret,

Source : BIU Cujas

teret. *l.* 34. §. 1. *D. de fideic. libert.*

(*c*) Si id vrgeant creditores. Antea enim manumissus in eorum fraudem veluti statuliber erat. *l.* 1. *pr. de statulib.* Inde est, quod libertas huiusmodi per Legem Aeliam Sentiam dicitur RESCINDI, *l.* 5. §. 2. *D. qui et a quib. manum.* RETRAHI. *l.* 45. §. 3. *de iure fisc.* REVOCARI. *l.* 1. *C. qui manum. non poss.*

CAP. VIII. (*a*)

DE SERVO NECESSARIO HEREDE INSTITVTO.

Attamen ei, qui soluendo non est (b), *vnum seruum, quem velit* (c), *per testamentum manumittere, et heredem instituere* (d) *ius esto: et tunc manumissus liber hereſque necessarius esto.*

PROBATIONES.

(*a*) Caput hoc a superiore proximum fuisse, cum res ipsa, tum Paulli fragmenta ad caput sequens adferenda docent.

(*b*) Etiam minori XX. annis. *l.* 27. *de man. test.* Quid si, qui soluendo est, necessarium heredem instituat, et is abstineat, an libertates debentur? *l.* 32. *D. de manum. test.*

(*c*) Licet minorem XXX. annis: Vlpian. *Fragm.* I. 14. etiamsi in ea caussa sit, vt dedititius fieri deberet. Vlp. *ibid.* Heres enim esse non posset, nisi iustam consequutus libertatem. Aliud dicendum, si impedimentum non ex lege Aelia Sentia sit, sed ex alia lege, SCo vel constitutione Principis. *l.* 83. *pr. de her. inst.*

(*d*) Quid si obaeratus seruum heredem necessarium instituerit, eique substituerit tamen liberum hominem? *l.* 57. *D. de her. inst.*

CAP. VIIII. (*a*)

QVID SI IN FRAVDEM CREDITORVM PLVRES MANVMISSI?

SI. DVO. PLVRESVE. EX. EADEM. CAVSSA. HEREDES. SCRIPTI. ERVNT. VTI. QVISQVE. PRIMVS. SCRIPTVS. ERIT. LIBER ET HERES. ESTO (*b*).

PROBATIONES.

(*a*) Legitima haec fuisse huius capitis verba adparet ex *l.* 60. *D. de her. inst.* SCi vero ad hanc legem facti meminit. *l.* 83. §. 1. *eod. tit.*

(*b*) Quid

Source : BIU Cujas

(*b*) Quid si duo Apollonii instituti? *l.* 42. *D. eod.* Paull. *Lib. I. l.* 43. *eod.* Quid si primo loco seruum cum libertate instituerit, et eum substituerit, cui libertas debebatur ex fideicommisso? Paull. *Lib. I. l.* 55. *D. eod. tit.*

CAP. X. (*a*)

DE SERVO IN FRAVDEM FOENERATORVM MANVMISSO.

In fraudem foeneratorum manumissus, tametsi in libertate moretur, libertatem tamen iustam ne consequitor (b).

PROBATIONES.

(*a*) Huius capitis solus meminit Auctor *Fragm. Vet. ICti* §. 16. *Obstat enim libertati Lex Aelia Sentia, quae vetat seruum, foeneratorum caussa manumissum ciuem Rom. fieri, sed Latinum.* Nisi itaque dicere malimus, auctorem huius fragmenti ius omnibus notum plane ignorasse: dicendum sane erit, legem Aeliam Sentiam distinxisse, in *creditorum* fraudem quis manumissus sit, an in fraudem *foeneratorum*, in quorum odium lex passa est seruum, in eorum fraudem manumissum, in libertate morari.

(*b*) Atqui Latinum factum esse, ait Auctor fragmenti. Factus omnino, sed demum ex *L. Iunia Norbana*, quae omnes Latinos fecit, quos iustam libertatem consequi non patiebatur *L. Aelia Sentia.* Videantur, quae notauimus ad Cap. III.

CAP. XI. (*a*)

DE MERCEDE MANVMISSIONIS.

Si quis eum eamue, quem quamue manumissurus est, ad mercedem manumissionis praestandam obligauerit (b), *iuribus patronatus privator.*

PROBATIONES.

(*a*) Hactenus de manumittendis et manumissionibus. Iam de prohibitis manumittendi conditionibus, de quibus PAVLLVM *Libro Comment. II.* egisse, patet ex *l.* 6. *D. de iur. patr.* Ceterum sententiam capitis seruat *l. vlt. D. qui et a quib. manum.*

(*b*) Non ergo prohibet Lex mercedem a liberto capere, sed eum obligare. *l. vlt.* §. 1. *qui et a quib. manum.* Nec haec prohibitio pertinet ad speciem si patronus sibi operas centum, aut in singulas quinos aureos stipulatus sit. PAVLL. *Lib. II. l.* 6. §. 1. *D. de iur. patr.*

CAP.

Source : BIU Cujas

CAP. XII. (a)

DE IVREIVRANDO LIBERTORVM DE LIBERIS NON TOLLENDIS.

Qui libertum, vt ne vxorem ducat (b), *vel libertam, ne nubat, liberosue tollat* (c), *iureiurando adiget* (d), *is quoque iuribus patronatus priuator* (e).

PROBATIONES.

(*a*) De hoc quoque capite egit PAVLL. *Lib. II. l. 6. D. de iur. patr.* Eius autem sententiam habes in *l. 15. D. eod.*

(*b*) Nec tamen incidit in legem patronus, qui castratum iurare coegit vxorem non ducturum. PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. 2. eod.* Incidit autem, qui adegit, ne intra certum tempus liberos tollat, neue aliam vxorem ducat, quam de qua patronus senserit, vel non nisi collibertam, aut patrono cognatam. *l. 3. §. 5. D. de suis et legit. hered.*

(*c*) Quid si patronus libertam adegerit, vt sibi nuberet? PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. vlt. de iur. patr.* vel ne illicite nuberet? *l. 3. §. 5. de suis et leg. her.* vel ne ea liberis impuberibus nuberet? *l. 31. qui et a quib. man.* Nullo horum casuum patronus iure suo excidit. At excidit illo omnino, qui ipse non ducturus adegit tamen libertam, ne alii quam sibi nuberet. PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. 2. de iur. patr.*

(*d*) Item qui iusiurandum non prohibet. Exemplum vide apud PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. 2. eod.*

(*e*) Immo et liberi eius *l. 15. eod.* Vnde nec ad legitimam hereditatem admittuntur. *l. 3. §. 5. de suis et leg. her.* Interim tamen salua per hanc legem manſit iurisiurandi religio. Verum iurisiurandi etiam huiusmodi gratiam libertis libertabusque fecit Lex Iulia et Papia Poppaea. PAVLL. *Lib. II. l. 6. §. 4. de iur. patr.* Diximus ea de re plenius in *Comment. ad L. Iul. et Pap. L. II. cap. XVI.*

CAP. XIII. (a)

DE EO QVOD IN FRAVDEM PATRONI FACTVM.

Si quid dolo malo liberti factum erit (b), *quo minus, quam pars debita bonorum, ad patronum eiusue liberos perueniat, id, quod in fraudem legis factum erit, nullum esto: quod in fraudem patroni, revocator* (c).

Source : BIU Cujas

PROBATIONES.

(a) Egit de hoc capite PAVLLVS *Libr. III. l. 11. si quid in fraud. patr.* Sequitur itaque vltima pars legis de patronorum libertorumque officiis.

(b) Non est dolus, si patronus consentit. PAVLL. *Lib. III. l. 11. eod.* nec si libertus dotem dat filiae. *l. 1. §. 10. eod.* nec, si viuus amicis bene merentibus donauit. *l. 9. eod.* Alias nihil interest, quocunque modo fraus legi facta. *l. 4. pr. l. 1. §. 1. 3. 13. 18. seq. eod.*

(c) Quid si, quod in fraudem patroni alienatum, non exstet? *l. vlt. eod.* Quid vero interfit inter alienare in fraudem legis, et patroni, fuse PAVLLVS explicasse videtur *Lib. III.* eoque refero *l. 17. qui et a quib. man. l. 66. de verbor. oblig.*

CAP. XIIII. (a)

DE LIBERTIS INGRATIS.

Quem libertum libertamue patronus (b) *ingratum esse conuincet, is in lautumias detur* (c).

PROBATIONES.

(a) Egit de hoc capite VLPIAN. *Lib. IIII. l. 30. qui et a quib. man.* Sententiam eius debemus Dosith. *Sentent. Hadr. cap. III. §. 3. p. 862.* Conf. Cuiac. *Obs. X. 33.*

(b) Quis accusare possit vel non possit libertum ingratum, fuse docet Vlp. *Lib. IIII. l. 30. D. qui et a quib. man. l. 70. D. de verb. signif.*

(c) Dosith. *ibid.* qui tamen falli videtur, dum cognitionem hanc dat ἐπάρχῳ τῆς γαζοφυλακίας: quam fuisse penes Praefectum vrbi patet ex *l. 1. §. 10. D. de off. Praef. vrb.*

CAP. XV. (a)

DE PATRONI OFFICIO ERGA LIBERTVM.

Si qui patronus, si qua patrona, libertum libertamue inopem non alet, is eaue iuribus patronatus priuator (b).

PROBATIONES.

(a) De capite hoc habes testimonium Modestini. *l. 6. pr. de agn. et al. lib. l. 33. de bon. libert.*

(b) *d. l. 6. et 33.*

§. XIII.

Source : BIU Cujas

§. XIII.

Denique obſeruandum, caput legis Aeliae Sentiae de manumiſſore minore XX. annis (§. V.) incaute ſuſtuliſſe Iuſtinianum, argumento vſum ſane perquam ridiculo, *quod libertas ſit res inaeſtimabilis. §. 7. Inſt. h. t.* Inaeſtimabilis enim non eſt ratione domini, ſed ſerui, qui ad illam adſpirat. *Conf.* Thomaſ. *Diſſ. de vſu pract. doctr. de imped. manumiſſ.* 1. §. XXXVIIII. *ſequ.*

An caput 2. legis Aeliae Sentiae prudenter ſuſtulerit Iuſtinianus?

TIT. VII.

DE

LEGE FVSIA CANINIA TOLLENDA.

AD coercendam manumittendi licentiam comparata etiam erat lex FVSIA CANINIA, de qua quum nihil dicat Imperator, niſi quod eam ſuſtulerit, res paullo altius ex antiquitatibus Romanis erit repetenda.

§. I.

De genuina huius legis aetate mira eſt eruditorum diſſenſio. Sunt, qui latam hanc legem exiſtimant Q. Fuſio Caleno, et P. Vatinio Coſſ. anno V. C. DCCVI. et renouatam deinde ſub Auguſto, rogante C. Caninio Coſ. anno V. C. DCCLI. Vnde dicta etiam ſit ea lex Fuſia Caninia. Iac. Raeuard. *Coniect.* II. 1. Ciſel. *ad Caii Inſt.* I. 2. 1. *p. m.* 14. Sed quum Dionyſ. Halicarnaſſeus adhuc ſua aetate de nimia manumittendi licentia conqueratur, et Suetonius in *Aug. Cap. XXXX.* Auguſtum primum de numero manumiſſorum cauiſſe, dicat: credibile vix eſt, legem hanc eſſe tam vetuſtam. Praeterea vix in antiquitate occurrit exemplum legis, a duobus conſulibus diuerſorum annorum cognominatae. Hinc procul dubio lata haec lex Sex. Furio (*a*) Camillo et C. Caninio Gallo Coſſ. anno V. C. DCCLI. Hoc enim anno C. Caninium Gallum conſulem ſuffectum produnt *Annales* Steph. Vin. Pighii *Lib.* XVIII. *p.* 530. et Onuphr. Panuin. *Faſt.* II. *p.* 185. Quin et ex numo eius conſulatum reſtituit Hub. Golz. *in Faſtis p.* CCXXII. Conf. Schulting. *ad Cai. Inſt.* I. 2. 1. *p.* 24. Ephr. Gerard. *Diſſ. de lege Fuſ. Canin.* §. VII.

Lex Fuſia Caninia quando et a quibus lata?

(*a*) Furii enim olim dicti *Fuſii*, *Prooem. I. not. b.* quemadmodum Papirii *Papiſii*. Vid.

Source : BIU Cujas

§. II.

Ratio huius legis.

Cauſſa latae legis eadem fuit, quae Aeliae Sentiae, maxime vero, quod morientes domini ſaepenumero integras familias manumitterent, tantum, vt eo plures liberti pileati lecticam proſequerentur. Egregie hanc in rem Dionyſ. Halic. IIII. *p.* 228. *Scio*, inquit, *qui tota ſeruitia teſtamento libera eſſe iuberent, vt benignitatis laudem ferrent poſt mortem, et in funeris elatione lecticam eorum magna pileatorum proſequeretur frequentia. In qua pompa quidam erant, vt a ſcientibus audiui, recens dimiſſi e carcere, malefici, mille ſupplicia meriti. Iſtos impuros vrbis pileos plerique cum ſtomacho adſpectant et reſpuunt eorum conſuetudinem, indignum facinus clamitantes, populum, rerum dominum, et vſurpantem ſibi orbis imperium, talibus contaminari ciuibus.* De ea pompa funebri conferri etiam merentur Iac. Cuiac. *Obſ.* III. 23. Io Kirchmann. *de Fun. Rom.* II. 7. Huic ergo licentiae manumittendi, qua populus rerum dominus contaminabatur, obuiam itum eſt hac lege Fuſia Caninia, qua certus numerus eſt conſtitutus, vltra quem non valeret manumiſſio. Et de ea lege etiam intelligendus Sueton. in *Aug. Cap. XXXX.* vbi vtramque legem, Fuſiam nimirum Caniniam et Aeliam Sentiam, ſub Auguſto conditas, coniungit.

§. III.

Legis materia.

Ipſam legis ſanctionem nobis ſeruarunt Vlpian. in *Fragm.* I. 24. Paull. *Sent.* IIII. 15. Cai. *Inſt.* I. 2. 1. E duobus ſcilicet vſque ad quinque ſeruis duo manumitti poterant; ex ſex et ſeptem, tres; ex octo et nouem, quatuor; e X. vſque ad XVII. quinque; ex XVIII. ad XX. ſex; ex XXI. ad XXIII. ſeptem; ex XXIIII. XXV. XXVI. octo; e XXVII. XXVIII. XXVIIII. nouem; e XXX. ad XXXXIIII. decem; e XXXXV. ad XXXXVII. vndecim; ab XXXXVIII. ad LI. duodecim; e LII. ad LV. tredecim; e LVI. ad LVIIII. quatuordecim; e LX. ad LXIII. quindecim; e LXIIII. ad LXVII. ſedecim; e LXVIII. ad LXXI. ſeptendecim; e LXXII. ad LXXV. octodecim; e LXXVI. ad LXXVIIII. nouendecim; ex LXXX. ad LXXXIII. viginti; ex LXXXIIII. ad LXXXVII. viginti et vnus; ex LXXXVIII. ad LXXXXI. viginti duo; ex LXXXXII. ad LXXXXV. viginti tres; ex LXXXXVI. ad C. viginti quatuor; ex C. ad CXXVIIII. viginti quinque; ex CXXX. ad CXXXIIII. viginti ſex; a CXXXV. ad CXXXX. viginti ſeptem; et ſic conſequenter pars quinta. Sed vltra centum manumittere nemo poterat, ſi familia vel XX. millibus ſeruorum conſtaret, quales Romae fuiſſe familias, teſtantur Sen. *de Tranqu. anim.* VIII. Athen. *Dipnoſ.* VI. *p.* 272.

§. IIII.

Source : BIU Cujas

§. IIII.

An ea ad manumissiones inter viuos pertinuerit?

Quemadmodum vero haec lex ad solas manumissiones testamentarias pertinebat: ita inter viuos integrae familiae manumitti poterant, nisi aliae leges obstarent. Cai. *Inst. I.* 1. 4. Neque enim verendum erat tam facile, ne quis iusto esset liberalior. Vnde mira fuit Taciti Imp. religio, qui *manumisit, intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur.* Vopisc. *in Tacit. X.* quasi Caninia ad manumissiones inter viuos pertinuisset.

§. V.

Quid factum, si plures manumissi quam lex permitteret.

Si plures, quam lex permiserat, essent manumissi: illi tantum, qui priores erant nominati, aut certe descripti, libertatem consequebantur. Si plures manumissi, nemo nominatus aut descriptus: omnes in seruili conditione permanebant. Quod et tunc eueniebat, si testator in fraudem legis nomina seruorum in orbe tereti aut διεξοδικῶς scripsisset. Cai. *Inst.* I. 1. 2. quem scribendi modum exponit Merill. *Obs.* VII. 40. [et rectius adhuc Schulting. *ad Cai. I.* 1. 2.]

§. VI.

An prudenter eam sustulerit Iustinianus.

Enimuero hanc quoque legem, sane vtilissimam, sustulit Iustinianus, quasi illa esset libertati inuida, absurdumque videretur, a viuis integras familias manumitti posse, non item a moribundis. Vid. *Inst. h. t.* et ibi Vinnius.

TIT. VIII.

DE

HIS, QVI SVI VEL ALIENI IVRIS SVNT.

ALtera personarum diuisio, cuius quidem mentio fit in Institutionibus, ea est, qua aliae SVI IVRIS, aliae ALIENO IVRI SVBIECTAE dicuntur, qui nec patri, nec domino, subsunt, iique etiam *patresfamilias* in iure nostro vocantur. Ergo qui alterutrius in potestate sunt, veluti *serui* et *filiifamilias*, alterius iuri subiecti dicuntur. De potestate dominica hoc titulo, de patria sequente agitur.

§. I.

Source : BIU Cujas

§. I.

Potestas dominica in quo constiterit?

Potestas dominica duo potissimum iura complectebatur: alterum, quod domini per seruos adquirerent, alterum, quod iure vitae et necis in eos vterentur. De priore agitur ad *Tit. VIIII. Lib. II.* De posteriore iam nonnulla ex antiquitate monenda sunt.

§. II.

Gaudebant domini iure vitae et necis.

Quum ius vitae et necis in seruos iuri naturae et gentium haud repugnet (*a*): non mirum profecto est, quod et Romae id dominis competeret, quibus serui non personarum, sed rerum loco, esse videbantur, vti supra monuimus. *Tit.* III. §. II. Conf. Seneca *de Benef.* III. 23. §. 1. *Inst. h. t.* Hinc et Hispo apud M. Senec. *Controu. X. 4. in seruum* NIHIL NON *domino licere*, ait.

(*a*) Dummodo non intelligas promiscue in seruos saeuiendi licentiam, sed tale ius vitae et necis, quali gaudet magistratus, nihil inuenies, quod iuri naturali repugnet. Vid. Senec. *de Clem. I.* 18. Thomas. *Fund. Iur. Nat. et Gent. III.* 4.

§. III.

Quo iure demum abusi sunt Romani.

Sed quo magis Romae a virtute descitum, eo durius immaniusque cum seruis actum, in quos veluti per ludum et iocum saeuiebant domini truculentissimi. Vt enim non dicam de durissimis castigandi modis, vlmis, stimulis, laminis, crucibus, compedibus, neruis, catenis, carceribus, numellis, pedicis, boiis, tortoribus, suspensis e pede centupondiis, &c. de quibus Plaut. *Asin.* III. 2. Io. Meurs. *Auctar. philol. ad librum de gloria.* XXII. eo prolapsa demum fuit dominorum truculentia, vt exquisitissimis seruorum suppliciis oculos pascerent. Exempla exstant apud Senecam *de Ira* III. 40. *de Clement.* XVIII. Plin. *Hist. Nat.* VIIII. 23. Iuuenal. *Sat.* VI. *v.* 218. *seq.* Tertull. *de pallio in fin.* Vulgare supplicium crux erat, in quam ob leuissima delicta ibant serui. Nota vox non feminae, sed furiae, apud Iuuenal. *Sat. VI. v.* 219. *sequ.*

Pone crucem seruo. Meruit quo crimine seruus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? Audi:
Nulla satis de vita hominis cunctatio longa est.
O demens, ita seruus homo est? Nil fecerit, esto:
Sic volo, sic iubeo, stet pro ratione voluntas.

Nec quidquam miseros eripiebat cruciatibus, nisi se ad aras Deorum,

Source : BIU Cujas

rum, vel principis reciperent ſtatuam, ſibique deprecatorem parārent. De quo ritu videndus Wowerus *ad Petron. p.* 148. Vnde reipublicae intererat, dominos in ſeruilia corpora impune ſaevientes, latis legibus coerceri.

§. IIII.

Factum id primum ſub Auguſto, qui praefecto vrbi id dederat negotii, vt dominorum ſaeuitiam ac libidinem et in praebendo victu ſordes atque iniquitatem compeſceret; ſi recte diuinauit Lipſ. *ad Sen. de Benef.* III. 21. De ſeruorum ſane querelis Praefectum Vrbi cognouiſſe, ſatis patet ex Vlpiani *l.* 1. §. 1. 8. *D. de off. praef. vrb.* Tacit. *Annal. VI.* 11.

Hinc Auguſtus ſaeuitiam dominorum compeſcuit.

§. V.

Deinde et Claudius Imperator dominorum, ſeruos aegrotos exponentium, vel plane necantium crudelitatem SCto coercuit, iloſque ſeruorum amiſſione, hos ordinaria homicidii poena mulctavit, Suet. *Claud. XXV.* Dio Caſſ. *Hiſt. LX. p.* 685. Porro non multo poſt lata *lex Petronia* anno V. C. DCCCXIIII. C. Petronio Sabino Turpiliano et C. Caeſonio Paeto Conſulibus (*b*), qua vetitum, vt ne liceret dominis ſeruos ſuo arbitrio ad beſtias depugnandas tradere, ſed cauſſa prius a iudice cognoſceretur. *l.* 11. §. 1. 2. *D. ad L. Corn. de ſicar.*

Quod et factum SC. Claudiano et lege Petronia.

(*b*) In dubium tamen id vocat Petrus Faber *Semeſtr. II.* 11. *p.* 134. qui negat, hanc legem vocandam *Petroniam*, ſed dici eam maualt *Paetiniam*, latam quippe a Paetinio et Caſſio Aproniano Coſſ. A. V. C. DCCCLXXV. idque primo ideo, quia lex Petronia de longe alia re, puta de praeuaricatione et calumnia egerit *l.* 16. *C. ad L. Iul. de adult.* Deinde quia de Hadriano referat Spartianus, eum ſeruos a dominis occidi vetuiſſe, eoſque damnari voluiſſe per iudices. Sed vt plures potuerunt eſſe leges Petroniae, ita in vna harum de ſeruis quaedam cauta eſſe, patet ex *l.* 24. *D. de manumiſſ.* et Paull. *Sent. IIII.* 12. 5. Idem deinde Hadrianus confirmare potuit, et ſeuerius ſancire, quod ab anteceſſoribus ſtatutum, in deſuetudinem venerat, aut obſoleverat penitus. Semper ſane haec lex Petronia, numquam Paetinia vocatur. Immo non obſcurum eſt, diuerſas plane leges confundi a Petro Fabro. Prior enim de praeuaricatione dicitur *Iunia Petronia*; haec autem dicenda eſſet *Petronia Caeſonia.* De his Coſſ. vid. Henr. Noriſ. *Epiſt. Conſul. p.* 418.

§. VI.

Tum poſtea Hadrianus dominorum crudelitatem reſcriptis legibuſque quam plurimis inhibuit. Sic Vmbriciam matronam, quae leuiſſimis de cauſis acerbius tractauerat ancillas, in quinquennium relegauit. *l.* 2. *in fine D. h. t.* Idem et renouauit legem Petroniam, ergaſtu-

Hadriani ſeueritas in dominos immanes.

Source : BIU Cujas

ergastula seruorum et libertorum sustulit, et seruos, nisi cognita a iudicibus caussa, occidi vetuit. Spartian. *Hadr. XVIII. et ibi* Casaub.

§. VII.

Constitutio D. Pii,

Successit porro constitutio D. Pii, quae dominis in seruorum suorum vitam non plus potestatis concessit, quam in alienorum, poenam legis Corneliae minata iis, qui seruos sine iusta caussa occidissent. *l.* 1. §. 2. *l.* 2. *D. h. t.* Idem Imp. venire iussit seruos, qui acerbius tractati a dominis ad statuas principum confugerant. §. 2. *Inst. h. t. Collat. leg. Mos. et Rom. III.* 2. *p.* 742.

§. VIII.

vt et Constantini M.

Postremo Constantinus M. sanxit, vt, qui seruum suum occidisset castigando, poenam legis Corneliae de sicariis non subire. Sin tormentis aut destinato consilio id fuisset factum, dominus ordinaria homicidii poena plecteretur. *l. vn. C. de emend. seru.* Iac. Gothofr. ad *l.* 1. *et* 2. *C. Theod. de emend. seru. Lib. VIIII.* 12.

TIT. VIIII.

DE

PATRIA POTESTATE.

ALieno quoque iuri subiecti sunt filii filiaeque familias, et hinc iam de PATRIA POTESTATE ex antiquitatibus agendum.

§. I.

Patria potestas Romanorum aliis gentibus incognita.

Recte Imperator §. 2. *Inst. h. t. Ius*, inquit, *potestatis, quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorum. Nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.* Quamuis enim apud Persas (*a*) etiam parentes in liberos imperium satis durum et fere tyrannicum exercuerint, filiis suis tamquam seruis vsi, teste Arist. *Eth. VIII.* 10. Romani tamen adeo gentes

(*a*) Etiam Athenienſibus ius vitae et necis in liberos fuisse concessum, ex Sex. Empir. *Pyrrh. Hypoth. III.* probari posse existimat Oiselius *ad Cai. Inst. I.* 2. 2. *p. m.* 31. qui ideo Romanam illam legem Athenis arcessit. Sed nihil fuisse in Solonis legibus iuri isti Romano simile, luculenter ostendit Dionys. Halic. *II. p.* 96. vbi ex instituto vtriusque gentis leges inter se contendit. Conf. Io. Meurs. *in Solon. XXII. p.* 79. et *in Themid. Att. I.* 2. *et* 3. Huber. *Digress. II.* 6. Thomas. *de vsu pract. doctr. de patria pot. I.* 13. 14.

Source : BIU Cujas

gentes omnes reliquas hac in re superarunt, vt patria eorum potestas melioribus auctoribus non immerito vocetur *patria maiestas*. Val. Max. VII. 7. 5. Quintil. *Declam. CCCLXXV.* [conf. Theod. Marcil. *in interpretam. XII. Tabul. Cap. XXIIII.*] Erant enim liberi in DOMINIO iuris Quiritium, et hinc poterant vindicari. *l.* 1. §. 2. *D. de rei vind.* Iis surreptis locum habebat actio furti. *l.* 14. §. 13. et *l.* 38. *D. de furt.* Mancipabantur etiam tamquam res mancipi. Cai. *Inst. I.* 6. 3. Bynkersh. *de iure occidendi liberos I. p.* 145. Immo durior quodammodo apud Romanos erat liberorum, quam ipsorum seruorum, conditio: certe non multo tolerabilior, vt fatentur Liban. *Declam. XXXVII.* Seneca *Contr. III.* 9. *et* 18. Lactant. *Diuin. Inst.* IIII. 3. Seruius *ad Virgil. Aeneid.* XI. *v.* 143. vnde et *seruire patri* dicuntur liberi. Lactant. *Diu. Inst.* IIII. 3. Ger. Noodt *Probab.* II. 9. *p.* 64. Quae omnia satis euincunt, liberos ratione aliorum hominum fuisse *personas*; ratione ciuitatis *ciues*: at ratione patris *res*, aeque ac seruos. Vid. *Elem. Iur. Ciu. secund. ord. Inst.* §. 135. *sequ.*

§. II.

Auctorem huius iuris esse Romulum, testis locupletissimus est Dionys. Halic. II. *p.* 96. et hinc ipse Papinianus apud auctorem *collat. leg. Mos. et Rom. Tit.* IIII. 8. eius potestatis originem refert ad legem regiam. Nec obstat, quod Vlpianus patriam potestatem MORIBVS receptam dicit, *l.* 8. *D. de his qui sunt sui vel alieni iur.* Respicit enim eo ipso ad XII. tabulas, in quas illud ius receptum, non tamquam lex regia, (leges enim regiae omnes statim ab electo Tarquinio Superbo exoleuerant, *l.* 2. §. 3. *D. de orig. iur.*) sed tamquam mos vetus. Non ferebat scilicet insigne illud odium, quod Romani regium nomen prosequebantur, vt quidquam Regibus acceptum ferre vellent. Schulting. *ad Collat. leg. Mos. et Rom.* IIII. 8. *p.* 749. *sequ.*

Eius auctor Romulus.

§. III.

Primo ergo patria potestas non secus, ac dominorum, e Romuli instituto erat perpetua, durabatque per omnem patris vitam, nec quisquam liberorum, viuo et inuito parente, sui iuris fiebat, etiamsi tractaret rempublicam, magistratus gereret, summamque studii erga patriam laudem esset commeritus. Dionys. Hal. II. *p.* 96. Attamen hoc ius patriae potestatis cedebat dignitati, immo interquiescebat tantisper, et conniuebat, vti docet Gell. *Noct. Att.* II. 2. Quo etiam referendae *l.* 13. §. 5. *et l.* 14. *pr.*

Eam patres pertinebant; petuo re-

Source : BIU Cujas

pr. D. ad SC. Trebell. quas egregie illuſtrat V. A. Corn. van Bynkersh. *Obſ. I.* 18.

§. IIII.

Etiam in nepotes.

Deinde huic patris imperio non ſolum filii et filiae, ſed et illorum liberi et nepotes ſuberant, quamuis filii eſſent milites *l.* 7. *C. h. t.* Eam vero poteſtatem non vterque parens habebat, ſed ſolus pater, ideo *familiae princeps* vocatus ab Vlpiano *Fragm. IIII.* 1. quo defuncto demum liberi ſui iuris eſſe coeperunt.

§. V.

Complectebatur ius vitae et necis,

Denique iura ipſa, quae illa patria maieſtas complectebatur, plane erant ſingularia. Et I. quidem hoc pertinet IVS VITAE ET NECIS. Licebat enim patri filium, tamquam rem ſuam, non ſolum exponere (*b*), in carcerem detrudere, flagris caedere, vinctum ablegare ad operas ruſticas, ſed et quouis ſupplicio, ſi meruiſſet, necare. Dion. Hal. *II. p.* 96. 97. Simplic. *Comment. ad* Epictet. *Enchir. XXXVII. l.* 11. *D. de liberis et poſtum. hered.* Vnde mirum eſt, Libanium *Decl. XXI.* hunc veteris iuris rigorem benigniore interpretatione emollire, patribuſque tantum concedere τὴν ἀπειλὴν τεθνηκέναι, *comminationem mortis.* Aliud enim docent tot exempla, ex quibus patet, patres domi, adhibitis in conſilium neceſſariis, viriſque principibus, liberorum cauſſas cognouiſſe (*c*), iiſque pro rei grauitate poenas et ſupplicia inflixiſſe. Val. Max. V. 2. Sen. *de Clem. I.* 15. Hunc in modum a patribus necati dicuntur Caſſius, Val. Max. *l. c.* (quamuis id argumentis ſolidis in dubium vocet Dionyſ. Halic. *Ant. Rom. Lib. VIII.*) Fabii Eburni filius, apud Quinctil. *Declamat. III.* Scaurus apud Val. Max. *ibid.* Fuluius, apud Salluſt. *de bello Catil. XXXVIIII.* Titus vero Arrius eodem iure filium exſilio damnauit, apud Sen. *l. c.*

(*b*) *De partus expoſitione et nece apud veteres* eruditiſſimus exſtat commentarius Gerardi Noodtii, quem *Iulium Paullum* ipſe inſcripſit. Nos inde huius immanis conſuetudinis hiſtoriam quaſi per indicem, dabimus. Ex Romuli lege non licebat exponere maſculos, nec ex ſequiore ſexu filias primigenias, niſi ex quinque vicinorum ſententia monſtroſi, debiles, aut inſignes ad deformitatem eſſent iudicati. Dionyſ. Halic. *Ant. Rom. II. p.* 88. Quae Romuli lex etiam in XII. tabulas cum aliis migrauit. Cic. *de legib. III.* 8. At vtraque lex adeo ſenſim exoleuit, vt etiam ſub Imperatoribus nihil eſſet ea expoſitione frequentius. Suet. *Octau. LXV. Calig. V.* Tacit. *Hiſtor. V.* 5. Tertull. *ad nation. I.* 15. Idque nec SC. Planciano nec altero, quod ſub Hadriano prodiit, mutatum fuiſſe, docet Ger. Noodt *Iul. Paull. III. p.* 350. qui etiam *cap. IIII. V. VI.* obſeruat, ſub Dioclctiano adhuc et Maximiano, immo et ſub

Source : BIU Cujas

ſub Conſtantino licuiſſe infantes exponere: primoſque eam truculentiam inhibuiſſe Valentinum, Valentem et Gratianum, *l. 2. C. de Infant. expoſit.* Sed huic ſententiae interceſſit Vir illuſtr. Corn. van Bynkershoek in libello *de iur. occid. liberos*, vbi citius hoc cacoethes legibus vetitum ſtatuit, quumque multo poſt ſententiam ſuam tueretur laudatus Noodtius ſingulari Epiſt. ea de re nuper edita: ſequutae ſunt Bynkershoekii *Curae ſecundae*, id eſt, notae et ſtricturae ad illam amicam Noodtii Reſponſionem. Rem conficere videtur locus Tertull. *ad Nation. I. 15.*

(c) Hinc pater adpellatur *iudex domeſticus* apud Senec. *Controu. II. 3. domeſticus magiſtratus* apud Senec. *de benef. III. 11. cenſor filii* apud Suet. *Claud. XVI.*

§. VI.

Eadem patria poteſtas complectebatur II. IVS *ter* VENVMDANDI FILIOS. Si enim prima vice venditus in ſeruitutem filius, manumiſſione libertatem recuperaſſet, iterum vendi poterat a patre. Iterum manumiſſus, denuo in poteſtatem patris recidebat, vendique adeo poterat tertium. Sed impetrata tertium libertate, e patria demum poteſtate exibat. Dionyſ. Halic. *II. p. 97.* Simplic. *comment. ad* Epictet. *Enchirid. XXXVII.* Et quamuis Iac. Raeuard. *ad XII. Tab. III.* Aleander ad Caii *Inſt. I. 6. 3. p. m. 56.* et Iac. Gothofr. *ad LL. XII. Tab. IIII. p. 202.* erroris arguant Dionyſium, eamque Romuli legem de imaginaria illa trina venditione, quae in manumiſſione obſeruabatur, intelligendam arbitrentur: hos ipſos tamen in eo fugit ratio. Ritus enim ille imaginariae venditionis fuit legis actio. Legis vero actiones demum e XII. Tabulis natae ſunt. Ipſis quoque Aleandri et Gothofredi argumentis abunde ſatisfactum a Theod. Marcil. *Interp. XII. Tab. Cap. XXV.* Ant. Schulting. *ad Vlp. Frag. X. 1. p. 592.* Bynkersh. *de iure occ. lib. VI. p. 177.* et Cel. Thomaſio Diſſ. *de vſu pract. Tit. Inſt. de patr. pot. I.* Ceterum ea lex Romuli primum a Numa paullulum reſtricta eſt, negatumque patribus ius vendendi filios illos, quibus vxores ducere permiſiſſent. Dionyſ. Halic. II. *p. 98.* Poſtea ea in ipſas XII. tabulas migrauit, vbi his fere verbis legebatur: ENDO LIBERIS IVSTIS IVS VITAE NECIS VENVMDANDIQVE POTESTAS EI ESTO. SI PATER FILIVM TER VENVMDVIT, FILIVS A PATRE LIBER ESTO: Vlp. *Frag. X. 1.* Iac. Gothofr. in *quat. font. iur. ciu. de LL. XII. Tab. IIII.* Ius ter venumdandi liberos,

§. VII.

Denique et III. IVS ADQVIRENDI per liberos patria poteſtate continebatur. Sex. Empir. *Pyrrh. hyp.* III. 24. *Legum Romanarum auctores liberos in manu parentum ad inſtar ſeruorum eſſe voluerunt, neque ſuorum bonorum ipſos eſſe dominos, ſed parentes, donec manumittantur eo modo, quo mancipia ſolent.* Sed de hoc iure infra ad *Lib.* II. *Tit.* VIIII. dicemus. Ius adquirendi per liberos.

Source : BIU Cujas

§. VIII.

Ius vitae et necis quibus gradibus obsoleuerit?

In his omnibus vero sensim nonnulla mutata sunt cultioribus reipubl. temporibus, maxime quum ista domestica maiestas statui monarchico sub Imperatoribus parum consentanea videretur. Et primo quidem quod ad ius vitae et necis attinet, ea mutatio non facta iam ante exactos reges, vt visum Raeuardo *ad* XII. *Tab. cap.* III. nec tempora Augusti, ceu creditum Franc. Balduino *ad leg. Rom.* XVII. *p.* 24. nec denique sub Diocletiani tempora, vti existimarunt Theod. Marcil. *Interpretam. leg.* XII. *Tab. Cap.* XXIIII. vel sub Constantini, vti credidit Giphan. *ad l. vlt. C. de patr. potest.* multo minus sub Valentiniani, Valentis et Gratiani imperio quae Lipsii *Epist. ad Belg. I.* 85. sententia est: sed a temporibus Traiani, qui filium male contra pietatem a parente adfectum emancipauit, nec eo defuncto patri bonorum possessionem concessit. *l. vlt. D. si a parente quis manum. sit.* Eius exemplum deinde sequutus Hadrianus patrem, qui filium ob adulterii suspicionem in venatione occiderat, in insulam deportari iussit, quod latronis magis, quam patris iure eum interfecerit, parum memor, patriam potestatem in pietate, non in atrocitate consistere debere. *l.* 5. *D. ad L. Pompei. de parricid.* Hinc ab Alexandri Seueri temporibus inualuit sensim mos, filios grauius delinquentes offerendi magistratibus, quibus tamen ipsi parentes praescribebant sententiam, in filiis exequendam. *l.* 13. *§. vlt. D. de re milit. l.* 3. *C. de patria pot. l.* 2. *D. ad leg. Corn. de sicar.* et *l.* 11. *in fin. D. de lib. et post. hered. inst.* vbi Paullus, eorum temporum iurisconsultus, non *licet*, inquit, occidere liberos, sed *licebat*. Denique ne id quidem relictum parentibus, vt filios immorigeros abdicarent. *l.* 6. *C. de patr. pot.* Ergo totum illud ius vitae et necis quod patribus olim competierat, paullatim restrictum, demum a Constantino M. sanctione poenali sublatum *l. vn. C. de his qui par. vel lib.* totumque in magistratus translatum est per constitutionem Valentiniani, *l. vn. C. de emend. propinqu.* Thomasii *Diss. de vsu pract. Tit. inst. de patr. pot. I.* 22. *sequ. p.* 9. *seq.*

§. VIIII.

Vt et trina liberorum venditio.

Multo minus trinam liberorum venditionem saluam esse passi sunt imperatores. Hi enim, (non vt Balduinus putat, libera resp.) id ius parentibus ademerunt. Primus, non Hadrianus, sed vt videtur, Diocletianus liberos vllo titulo alienari vetuit, *l.* 1. *C. de patrib. qui fil. suos distrax.* Deinde Constantinus parentibus, cum extre-

Source : BIU Cujas

extrema inopia conflictantibus, liberos sanguinolentos (*d*) tantum vendere permisit, ea tamen lege, vt liceret et patri vendenti, et filio vendito aut cuicumque alii, pretio aut mancipio reddito, ad ingenuitatem prouocare. *l. 2. C. de patr. qui fil. distrax.* Immo ne et hac venditione sanguinolentorum esset opus: paullo post idem imperator sanxit, vt inopes parentes alimenta e publico acciperent *l. 1. et l. 2. C. Theod. de aliment. quae inop. parent. e publico petere debent Lib. XI. Tit. XXVII.*

(*d*) Filii sanguinolenti sunt recens nati, et adhuc ab vtero rubentes. Eos enim vendi permiserat Constantinus ob periculum expositionis. Fusius hoc demonstrat Huber. *Digress. II. 5.* Solebant enim partus sanguinolenti vel ad necem in solitarium locum abiici, vel ad loca quaedam populi Romani publica deferri, et talis fuit lactaria columna, de qua Festus *p. 303. Lactaria columna in foro olitoris dicta, quod ibi infantes lacte alendos deferebant.* Conf. Raeuard. *Coniect. I. 17. p. 33.*

§. X.

In tertio iure adquirendi per liberos quid mutatum sit paullatim, infra suo loco, id est, *Lib. II. Tit. VIIII. n. II.* dicemus. Iam addimus, et alia parentum iura sublata, vel imminuta saltim fuisse. Sic sane quum olim et filii filiaeque familias noxae dari possent a patre: id ius iis ademtum esse, docet Iustinianus. *§. vlt. Inst. de nox. act.* Quam parum patris arbitrio relictum fuerit in exheredandis liberis, infra ad eum titulum explicabimus. Nec receptum amplius, vt patri filius sit heres necessarius. Quae omnia olim aliter se habuisse, suis locis patebit.

Quid circa adquisitionem per liberos aliaque iura mutatum?

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. X.

DE

NVPTIIS.

PAtria potestas adquiritur vel per iustas NVPTIAS, vel per LEGITIMATIONEM, vel per ADOPTIONEM. De nuptiis et legitimatione titulo hoc X. de adoptione sequente agitur. Non abs re vero hic titulus in Pandectis inscribitur *de ritu nuptiarum*, videnturque veteres ICti probe intellexisse, quantum interfit studiosi iuris, ritus illos nuptiarum qui iura diuersissima producebant, perspectos habere. Hinc procul dubio illo titulo de ritibus nuptiarum accurate egerunt. Sed Tribonianus, retenta in pandectis veteri rubrica, rem ipsam omisit, neque vllum titulo isti inseruit fragmentum, quod ad illustrandos illos veteres ritus faceret. Thomas. *de vsu pract. doctr. Inst. de nuptiis. I.* 1. *p.* 1. Ergo ex antiquitatibus supplendus hiatus; quod iam ante nos fecerunt Barn. Brissonius libris *de ritu nuptiarum et iure connubiorum.* Ant. et Franc. Hotomani *de vetere ritu nuptiarum*, et, qui fere omnium industriam superauit, Thomasius, laudata *dissertatione.*

§. I.

Diuersi nuptiarum ritus.

Fiebant nuptiae apud Romanos vel ita, vt VXOR CONVENIRET IN MANVM, et fieret MATERFAMILIAS, vel vt SINE IN MANVM CONVENTIONE dotalia conficeret instrumenta, et non materfamilias, sed MATRONA haberetur. Gell. XVIII. 6. Prius non sola fiebat CONFARREATIONE et COEMTIONE, sed et VSV, vt diserte tradit Cicero *pro Flacco cap.* XXXIIII. Itaque tres istos modos distincte recensent Arnob. *adu. gent.* IIII. *p.* 83. Seru. *ad Virg. Georg.* I. *v.* 31. Boeth. *ad Cicer. Topic.* III. et e recentioribus Brissonius, et Hotomanus, *libris laudatis.* Ast non desunt, qui confarreationem et coemtionem pro vno eodemque ritu habent.

§. II.

Source : BIU Cujas

§. II.

CONFARREATIO, a Romulo inuenta (*a*), fuit ritus nuptiarum antiquissimus, quo certis verbis, et testibus decem praesentibus, et sollemni facto sacrificio, in quo panis quoque farreus adhibebatur, vxor conueniebat in manum mariti. Dionys. Halic. *II. p. 95.* Vlp. *Fragm. VIIII. 1. XI. 13. XXII. 14.* Confarreatio quid?

(*a*) In dubium id vocat Iac. Raeuard. *ad XII. Tab. XXI. p. 95.* ob locum Plinii *Hist. Nat. XVIII. 2.* in quo vsus farris in sacrificiis a Numa demum inuentus dicitur. Sed falsum id esse, ex Catonis fragmento patet apud Seru. *ad Virg. Aeneid. X. v. 541.* qui refert, *Latini boues* IMMOLATOS, *priusquam caederentur, profugisse in siluam.* Quum vero *immolare* idem sit, ac mola salsa e farre confecta inspergere: Seru. *ad Aeneid. X. v. 541.* Heins. *epist. ad Balsac. p. 185.* facile patet, iam ante Romuli tempora farris vsum in Latio fuisse receptissimum.

§. III.

Erat vero hic ritus non pontificibus flaminibusque proprius, vt nonnulli recentiorum existimant, Boeth. *ad Cic. Topic. III.* Alex. ab Alex. *Genial. dier. II. 5.* Dalechamp. *ad Plin. Hist. Nat. XVIII. 3.* sed ciuibus Romanis omnibus communis, quamuis in pontificum et flaminum matrimoniis necessarius videretur, ac proinde inter illos diutissime seruaretur. Praeterquam enim, quod id disertis verbis testatur Dionys. Halic. *l. c.* ipso sane loco Taciti *Ann. IIII. 16.* quo tamen inprimis nituntur dissentientes, id non obscure firmatur. Nihil enim rari aut inusitati habuisset illa patrimorum et matrimorum inopia, de qua conqueritur Tacitus, si soli flamines ac Pontifices hoc ritu iniissent matrimonium. An ea solis Pontificibus et Flaminibus propria?

§. IIII.

Effecta confarreationis erant, I. sacrorum communio. Dionys. Hal. II. *p. 95.* γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱερὰς, συνελθοῦσαν ἀνδρὶ, κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. *Mulierem nuptam, quae iuxta leges sacras conuenerat cum viro, Romulus participem esse voluit omnium bonorum et sacrorum.* Vnde Modestinus *l. 1. D. de ritu nupt. Nuptiae sunt coniunctio maris ac feminae, consortium omnis vitae,* DIVINI *et humani iuris communicatio.* Scilicet in ipsis veterum aedibus erant Dii Penates cuiuis familiae proprii, quo ipso differebant a Laribus, quippe qui erant communes omnibus. Illi in cubiculo, porticu, atque atrio, hi etiam in compitis, viis, immo et in castris, et nauibus colebantur: vnde Lares *domestici: compitales, militares* et *marini;* Lares item *comitio potentes, publici, viales, ciuitatum, rurales,* in marmoribus et apud veteres Eius effecta, I. sacrorum communio.

Source : BIU Cujas

auctores passim occurrunt. Grut. *Inscript. p. LXXVIII.* 1. *p. CVI.* 12. *et* 4. *p. X.* 2. Reines. *Inscr. Class. I.* 240. 153. *et* 159. Desid. Herald. *ad Tertull. Apol. I.* 25. Idem *in Aduers. I.* 7. Io. Meurs. *Auctar. philol. ad libr. de Gloria II.* Vtriusque simulacra dedicata erant, caninis induta pellibus, Plutarch. *quaest. Rom. LI. p.* 276. et arae positae ac foci, res in domo sanctissimae, a quibus adeo nemo poterat sine ingenti scelere abstrahi. Cic. *pro domo I. et pro Rege Deiot. XV.* (*b*) Quemadmodum vero ad haec sacra non nisi illi admittebantur, ad quos aliquando transitura esset sacrorum hereditas: ita non arctior poterat esse coniunctio, quam qua quis in alterius gentem et sacra transiret. Praeterea eiusmodi sacrorum communio rescindi non poterat, nisi auctores fierent Pontifices, nec certior erat spes successionis, quam quae ex illa sacrorum μιξει nascebatur. Et hinc patet ratio, cur in his nuptiis tam necessaria fuerit domum deductio, multis facta sollemnitatibus, quas describit Barn. Brisson. *Antiq. I.* 18. *et de Ritu nupt. p. m.* 223. Fixa enim erant Penatium sacra, ac hereditaria; hinc nemo per confarreationem vxorem accipere poterat, nisi cui esset domus ac lararium, in quo vxor cum eo communibus sacris frueretur.

(*b*) Et hinc etiam lucem accipit *l.* 18. *D. de in ius vocando*; de qua infra erit dicendi locus.

§. V.

II. Liberi patrimi et matrimi.

Deinde et id singulare erat confarreationis effectum, II. quod ex confarreatis parentibus nascerentur *patrimi* et *matrimi*, quorum magna erat in sacris praerogatiua. Tacit. *Hist.* IIII. 53. Fest. voce *Flamin. p.* 289. et *patrimus p.* 358. Sunt, qui patrimos et matrimos eos vocant pueros, quorum parentes essent superstites. Vid. Pith. *ad Collat. Leg. Mos. et Rom. XVI.* 2. *p.* 790. *edit. Schulting.* Sed hi omnino opinione sua falluntur. Quamuis enim et id requireretur in sacris, boni ominis caussa, vt recte a Pithoeo obseruatum est: *patrimi* tamen et *matrimi* proprie erant, confarreatis parentibus nati. Nec aliter Festus, qui falso plerumque a dissentientibus laudatur.

§. VI.

III. Vxor in manum conueniens, ma-

Adhaec id sequebatur effectum, III. vt vxor, quae confarreatione in manum conuenerat, fieret MATERFAMILIAS, et filiae loco haberetur, adeoque esset heres sua. Dionys. *l. c.* Vlp. *l. c.* Gell. XVIII. 6. Quaeri hic solet, an vxor, per confarreationem liberata

Source : BIU Cujas

rata patria potestate, in viri potestatem transierit? Affirmat Ant. Hotom. *de rit. nupt. XX. p.* 298. Sed negant alii. Thomasius *Diss. alleg. I. p.* 22. Verum licebit hic cum Hotomano facere. Auctores sane omnes fatentur, I. vxorem conuenisse *in manum. Manum* vero in iure significare potestatem, tralatitium est. Immo II. Gellius *Noct. Att. XVIII. 6.* multo disertius vxorem eiusmodi *in mancipio* fuisse statuit. In mancipio vero esse procul dubio includit potestatem, (Vlp. *Frag. X. rubr.* et ibi Schulting. et *Tit.* XX. 18. XXIIII. 23.) immo et ipsum dominium iuris Quiritium. Bynkersh. *de iure occid. lib. Cap. I.* Idemque sibi volunt auctores, quando vxorem marito SERVIRE dicunt. Virg. *Aen.* IIII. *v.* 103. terfamilias in potestate mariti.

- - - Liceat Phrygio seruire marito.

ad quae verba videndus Seruius: nec non quando mariti ab vxoribus vocantur DOMINI. Seru. *ad Virgil. Aen. IIII.*

- - Connubia nostra
Reppulit, ac DOMINVM *Aenean in regna recepit.*

Add. Non. Marcell. *cap. IIII. n.* 121. III. Obseruauimus, confarreatas vxores in sacris mariti fuisse. Sacrorum vero communio coniuncta erat cum potestate. Vnde formulae: *in parentum sacris esse constitutum, in gentem et sacra alicuius transire, sacris paternis absolui &c.* Vid. Barn. Brisson. *de verb. sign. p.* 1216. *edit. nostr.* Accedit IIII. quod Vlpianus *in manum conuentionem* inter genera capitis deminutionis refert. *Tit. XI.* 13. Quomodo vero capite deminuta dici potuisset vxor, si vel sui iuris, vel in patria potestate mansisset? Nec V. id omittendum, vxores antiquissimis temporibus adsumsisse nomina maritorum, tamquam filias. Qui mos etiam sub Imperatoribus, quum iam obsoleuisset confarreationis ritus, mansit. Hinc in lapidibus occurrunt ANTONIA DRVSI, DOMITIA BIBVLI, MESSALINA NERONIS, DOMITIA DOMITIANI, Rupert. *Epist. XXXXI. ad Reines. lap.* 156. 235. 237. Gruter. *Inscr. p. DLXXXIIII.* 11. *p. DCXVIII.* 9. *p. DCCCLXXVIIII.* 7. (*bb*). Plura exempla dabit V. C. Iac. Perizon. *Dissert. de diuina constit. Deut. XXV.* 5. 6. Praeterea VI. re ipsa potestatem summam in vxores, non secus ac in filias, exercebant mariti. Quidquid adquirebat vxor, marito adquirebat. *Omnia* enim, *quae eius erant, viri fiebant do-*

(*bb*) [Quin Reines. *Inscr. Cl. I. inscr.* 18. *& Cl. VI. inscr.* 2. collegit exempla vxorum, tum quae maritorum nomina adsumserunt, tum quae paterna retinuerunt, quarum illae in manum conuenerant, hae non conuenerant.]

Source : BIU Cujas

tis nomine. Cic. *Topic. IIII.* (*c*). Ius quoque vitae et necis competiisse maritis in vxores adulteras, vinosas, aliisque se sceleribus polluentes, notum est ex Dionys. Hal. II. *p.* 96. Gell. II. 23. ex quibus patet maritos domi suae tamquam iudices de vxorum criminibus cognouisse. Exempla vide apud Plin. *Hist. Nat. XIIII.* 13. Mansit etiam sub Imperatoribus pristini moris vestigium, teste Sueton. *Tiber. XXXV.* Tacit. *Ann. II.* 1. *XIII.* 32. Denique VII. ex insigni loco Caii apud *Pariatorem LL. Mos. et Rom. tit. XVI.* patet, *sororis loco liberis fuisse matrem aut nouercam, quae per in manum conuentionem apud patrem eorum* IVS FILIAE *consequuta sit.* Quare negandum haud videtur, vxores, quae confarreatione in manum venerant, in potestate maritorum fuisse. Ger. Noodt *Probab. II. 9. p.* 64.

(*c*) Hinc et peculium habebant matres familias, tamquam filiae et seruae. Vid. Plaut. *Casin. II.* 2. 26.

§. VII.

IIII. Bona vxoris ad maritum delata.

Quartum effectum erat, IIII. quod maritus bona omnia vxoris nomine dotis acciperet. Cic. *Topic. IIII.* et id quidem procul dubio, quia illa erat in mariti potestate, ceu paullo ante diximus. Vnde Terent. *Andr. I.* 5.

Te isti virum do amicum, tutorem, patrem;
BONA *nostra haec tibi* COMMITTO, *et tuae mando fidei:*
Hanc mihi in manum dat.

Ex quo facile patet, quaenam sit dotis dominii origo, de qua infra *Lib. II. Tit. VIII.* dicendum erit pluribus.

§. VIII.

V. Coniugium eiusmodi sola diffarreatione solubile.

Quintum effectum erat V. quod connubium eiusmodi dissolui non posset, nisi DIFFARREATIONE, quae, quum teste Festo, voce *diffarreatio*, esset genus sacrificii, procul dubio non nisi auctoritate pontificum fiebat, et hinc erat rarissima, et difficillima, in qua teste Plutarcho, [*Quaest. Rom. p.* 276.] multa tristia ac abominando fieri solebant. Quare primis reip. temporibus exstitisse negant diuortii exemplum vsque ad annum V. C. DXX. Dionys. II. *p.* 96. Plut. *in Romul. p.* 39. et *in Numa p.* 77. Valer. Max. II. 1. Gell. IIII. 3.

§. VIIII.

Confarreationis ritus cur

Enimuero hic ritus confarreationis ob incuriam virorum et feminarum, difficultatesque caerimoniarum, studium item conseruandae patriae potestatis, impensarum magnitudinem, et maxime denique

Source : BIU Cujas

nique ob gratissimam diuortiorum licentiam, ita sensim obsoleuit, vt Tiberii tempore non amplius reperiri possent tres flaminei candidati, confarreatis prognati parentibus. Tacit. *Annal. IIII.* 16. obsoleverit?

§. X.

Diutius paullo viguit secundus nuptiarum ritus, videlicet COEMTIO (*d*). Et sane videtur coemtio et in confarreatione fuisse adhibita, tamquam ritus accessorius. Ast postremis temporibus Romani, neglecto primario confarreationis ritu, solum accessorium, id est, coëmtionem, retinuerunt, et inde factum, vt multis secundus hic modus ab illo primo non videatur discrepare. Cicero certe *pro Flacco XXXIIII.* modos recensens, quibus in manum conueniatur, confarreationis plane non meminit, sed coëmtionis et vsus, eam haud omissurus, si reipsa eo tempore inter confarreationem et coëmtionem quaedam fuisset differentia. Coemtio an a confarreatione diuersa?

(*d*) Immo sollemnis hic ritus fuit gentibus tantum non omnibus. De Ebraeis vid. Gen. XXXI. 14. XXXIIII. 12. I. Samuel XVIII. 14. De Graeeis Euripid. *in Medea. v.* 232. Aristot. *Polit. II.* 8. De Germanis *Tacit. de mor. Germ. XVIII.* Conferri meretur Gundl. *diss. de coem. vx. VIIII. cap. I.*

§. XI.

Fiebat COEMTIO non solum a sponso, sed et a sponsa. De illo marmor vetustum luculenter testatur, quod ita se habet: PVBL. CLAVD. QVAEST. AER. ANTONINAM VOLVMNIAM VIRGINEM VOLENT. AVSPIC. A PARENTIBVS SVIS COEMIT. ET. FAC. IIII. IN DOM. DVXIT. De hac Nonius *de propriet. serm. XII.* 50. ita refert: *Veteri lege Romana asses tres ad maritum veniens solebat adferre, atque vnum, quem in manu tenebat, tamquam emendi causa, marito dare; alterum, quem in pede habebat, in foco Larium familiarium ponere; tertium, in sacciperio quem condiderat, compito vicinali solere resonare* (*e*). Primo ergo asse fiebat coëmtio viri more Quiritium, id est, per aes et libram, adhibitis quibusdam verbis sollemnibus. Seru. *ad Virg. Aeneid. IIII. v.* 211. Petr. Fab. *ad l.* 16. *de Reg. Iur. p.* 97. *sequ.* Secundo vxor sibi veluti Ritus iste coëmendi.

(*e*) Quid sit *in compito vicinali resonare*, paullo obscurius videtur. Sed salva res est. In compitis etiam erant aediculae Laribus sacrae. Ouid. Fast. II. v. 616.

- - qui compita seruant
Et vigilant nostra semper in vrbe Lares.

Conf. Suet. *Aug. XXI.* Loco *resonare*, lege *resignare*, et census erit planissimus sponsam tertium assem, quem in sacciperio condiderat; ante Lares compitales resignare, et ibi deponere sueuisse.

Source : BIU Cujas

coëmebat Lares et Deos penates, vt sacrorum fieret particeps. Tertio sibi veluti aditum patefaciebat in mariti domum. Nam sponsa domum deducenda in horto aliquamdiu commorabatur, donec diruta maceria in domum mariti transiret. Et hanc maceriam Nonius vocat *compitum vicinale*, ceu post Perrenon. *Animaduers. I. 6.* docuit Gundling. *ibid. I.* 14. qui etiam huc referunt responsum Ceruidii Scaeuolae *l.* 66. §. 1. *D. de donat. inter vir. et vxor.* et verba Terentii *Adelph. V.* 7. *Atque hanc in horto maceriam iube dirui. Quantum potest: huc transfer, vnam fac domum. Traduce et matrem, et familiam omnem ad nos.* Ceterum quaenam fuerint illa verba coemtionis sollemnia, non constat. Necessaria ea fuisse, docet Cicero *de Orat. I.* 56. sed qualia fuerint, non commemorat. Boethius *ad Cic. Top. III.* ait, quaesiuisse virum, *an mulier sibi materfamilias esse vellet?* hanc respondisse, *se velle* (*ee*). Eodem modo et interrogasse matremfamilias, et respondisse virum. Quae si recte se habent, coëmtio illa procul dubio interueniente stipulatione facta est. Sed haec forte Boethius sine auctore. Cicero *pro Muraena XII.* ait, mulieres in sollemnibus istis verbis *Caias* esse vocatas. Et hinc procul dubio ad illam formulam respicit: VBI TV CAIVS, IBI EGO CAIA, cuius meminit Plutarchus *Quaest. Rom. p.* 620.

(*ee*) [Haec quidem vera sunt, sed dubito, an haec verba ad coëmtionem vxorum pertinuerint. Potius analogia suadet, vt existimemus, formulam fuisse: HANC EGO MVLIEREM MEAM ESSE AIO. Ea enim erat sollemnis formula in omnibus mancipationibus.]

§. XII.

Effecta coëmtionis.

Effecta coëmtionis, [nisi quod ex his nuptiis non nascerentur patrimi et matrimi,] erant eadem, quae confarreationis. Nam et hoc modo in manum conueniebant vxores, et MATRES FAMILIAS vocabantur. Huber. *Digress. Part. II.* 1. 17. *p.* 528. Thomas. *diss. de vsu pract. doctr. Inst. de nupt. I.* 7. *p.* 26. 28. Vnde simul ratio reddi poterit, cur concubina apud Gruterum *Inscr. p.* Ioccc. 21. vocetur VXOR GRATVITA, vtpote quae coëmta non esset, nec aqua aut igne accepta.

§. XIII.

Quo ritu eiusmodi nuptiae dissolutae?

Quemadmodum vero nuptiae confarreationis ritu contractae diffarreatione; ita factae per coëmtionem *remancipatione* dissoluebantur, ceu ex Festo erudite probat Raeuardus *ad leg. XII. Tab. p.* 98.

§. XIIII.

Source : BIU Cujas

§. XIIII.

Tertius modus contrahendi matrimonium erat vsvs; qui in eo conſtitit, quod ſine confarreatione et coemtione maritus vxorem vſucaperet. Si enim haec auctore tutore cum viro conſueverat annum vnum, nec ante finem anni vſurpatum iuerat, id eſt, tribus noctibus a viro non abfuerat, videbatur tunc vſucapta et poſſeſſione quaeſita. Gell. III. 2. Quemadmodum itaque vſucapio eſt modus adquirendi dominium iuris Quiritium: ita dubitari nequit, quin et vſu vxor conuenerit in manum et veluti in dominium Quiritarium mariti, vel eiuſdem poteſtatem redacta ſit. Cic. *pro Flacc. cap. XXXIIII.* Petr. Pith. *ad Pariat. LL. Moſ. et Rom. tit. XVI.* Si itaque vxor nollet in manum conuenire: inſtrumenta quidem dotalia conficiebantur, et domum deducebatur, ſed dabat illa operam, vt ſaltim tres noctes a marito abeſſet. Sic enim per vſurpationem interrumpebatur ſingulis annis vſucapio, adeoque vxor vel in poteſtate patris, vel in tutela agnatorum manebat, ſine quorum auctoritate in manum conuenire non poterat. Cic. *pro Flacc. ibid.* Contracto ſine vno horum rituum matrimonio, vxor non conueniebat in manum mariti, neque adeo fiebat materfamilias, ſed MATRONA. Gell. XVIII. 6. Et hinc neque ſuccedebat ab inteſtato marito, neque hic vxoris bona omnia dotis nomine accipiebat. Vocabatur tamen vterque coniux ad bonorum poſſeſſionem edicto: VNDE VIR ET VXOR.

Vſus, qualis nuptiarum ritus.

§. XV.

Requiſita iuſtarum nuptiarum praeter I. *pubertatem* et *viri potentiam*, de cuius examine ad *Lib. I. Tit. XXII.* dicemus, erant II. *conſenſus patrum*, quorum in poteſtate erant ſponſi. Quamuis enim pater filiam elocatam reuocare, nuptiaſque rite contractas ſoluere non poſſet: (ceu ex Plutarchi *Numa*, Dionyſio Halicarnaſſeo, Paulli *Sent. II.* 19. Vlpiani *l.* 1. *§. vlt. de liberis exhibendis* accurate demonſtrat Thomaſ. *de vſu pract. doctr. Inſt. de nupt. I.* 13. *p.* 48. 49.) poterat tamen id facere, ſi filia eo inuito cuidam nupſiſſet, ceu contra Raeuardum *Var. VI.* 16. Cuiac. *Obſ. III.* 5. idem demonſtrat Thomaſius *l. c.* Sin filia patria poteſtate ſiue per emancipationem, ſiue patris mortem exiiſſet, ſub perpetua degebat tutela, adeoque et tutorum auctoritas adhibenda erat. Cicero *pro Flacco XXXV.* Auctoritatem vero et expreſſam eſſe, et praecedere nuptias debuiſſe, aeque ac iuſſum, notum eſt ex ICtis. Nec obſtat *l.* 25. §. 4. *D. de adquir. hered.* quam accurate expli-

Requiſita iuſtarum nuptiarum, I. pubertas, I I. conſenſus patrum.

Source : BIU Cujas

explicauimus et a Iac. Gothofredi correctione vindicauimus in *Element. iur. ciu.* §. 250.

§. XVI.

III. Ciuitas Romana.

Requirebatur etiam III. vt vterque contrahentium esset et liber, et *ciuis Romanus*. Inter seruos enim et seruas, liberosque et seruas non connubium erat, sed CONTVBERNIVM. Cum Latino etiam vel Latina, peregrino vel peregrina, non erant iustae nuptiae, nisi concessum esset (*f*). Vlp. *Fragm. V.* 4. *et* 5. Paull. *Sent. II.* 19. 6. Vnde notum, quantum inuidiae Antonio nuptiae cum Cleopatra conflauerint. Sed post constitutionem Antonini Caracallae promiscua fuere inter gentes connubia, et ita intelligendus Prudent. *adu. Symmach. II. v.* 612.

Distantes regione plagae, diuisaque ponto
Littora conueniunt, nunc per vadimonia ad vnum
Et commune forum: nunc per commercia et artes
Ad coetum celebrem: nunc per genialia fulcra
Externi ad IVS CONNVBII. *Nam sanguine misto*
Texitur alterius ex gentibus vna propago.

Et Rutilius Numatianus *Itiner. v.* 63. *sequ.*

Feciſti patriam diuersis gentibus vnam,
Profuit iniustis, te dominante, capi.
Dumque offert victis proprii CONSORTIA *iuris,*
Vrbem feciſti, qui prius orbis erat.

(*f*) Concedebat olim eiusmodi nuptias populus, lege singulari, vt docent exempla apud Liuium *Hist. XXXVIII.* 36. *XXXXIII.* 3. Postea imperatores talia dabant priuilegia. Exempla hinc inde in marmoribus sunt, apud Gruter. *pag. DLXXIII.* 2. *DLXXIIII.* 5. *DLXXV.* 1. Iac. Spon. *Miscell. erudit. Antiqu. p. CCXXXXIIII.* vbi militibus, QVI PEREGRINAE CONDITIONIS PROBATI ERANT, datur CONNVBIVM CVM VXORIBVS, QVAS TVM HABVISSENT. Conf. Ez. Spanheim. *Orb. Rom. II.* 22. De reliquis prohibitionibus dicemus infra, vbi de iure Quiritium et ciuitatis in Appendice agemus.

§. XVII.

IIII. Graduum prohibitorum obseruatio.

Accedit IIII. consideratio *graduum cognationis*, tamquam quartum iustarum nuptiarum requisitum. Quae graduum (*g*) prohibitio quo vsque extendatur, ICti ostendunt, et maxime illustr. Thomas. *diss. alleg. I.* 18. *sequ. p.* 59. *sequ.*

(*g*) *Graduum* equidem computationem ad solam doctrinam de successione pertinere, putant. Vid. illustris Thomas. *l. c. p.* 65. sed et veteres ICti gradus numerarunt in doctrina de nuptiis. Exemplum Vlpiani est in *Collat. Leg. Mos. et Rom. VI.* 2.

§. XVIII.

Source : BIU Cujas

§. XVIII.

Denique V. *poygamia* erat apud Romanos prohibita, quam lege ſtabilire, auctore, vt putabatur, Caeſare, conabatur Helius Caecina, Tribunus plebis: ſed ea lex ne promulgata quidem, nedum perlata fuit. Sueton. *Iul. LII.* Primus Romanorum Antonius, quod antea inauditum, duas in matrimonio vxores habuit, teſte Plutarcho *in vit. Anton. p.* 957. Poſtea et Valentinianus ſenior lege ſanxerat, vt liceret cuiuis viro duas vxores ducere. Socrat. *Hiſt. eccl. IIII.* 30. Niceph. *Hiſt. eccl. II.* 33. [Add. Tillemont. *Hiſtor. Imper. Tom. V. Part.* 1. *p.* 345.] Sed nec ea quidem conſtitutio, amoliendae facti proprii turpitudini inſeruitura, valuit apud poſteros. Briſſon. *de iure connub. p.* 292. V. Mogamia.

APPENDIX HVIVS TITVLI DE LEGITIMATIONE.

ALter modus conſtituendi patriam poteſtatem eſt LEGITIMATIO, de qua quum Imperator tantum §. 13. h. t. aliqua commemoret, licebit et nobis eam doctrinam huic titulo tamquam adpendicem ſubnectere.

§. XVIIII.

Liberi ex iuſtis nuptiis nati, in patria erant poteſtate, et hinc vocabantur LEGITIMI. Nec minus adoptiui in adoptantis poteſtatem redigebantur. Reliqui omnes ILLEGITIMI dicebantur, et a priſcis Romanis duabus litteris SP. ſignari ſolebant, quia erant *ſine patre filii.* Plutarch. *Quaeſt. Rom.* 316. Cai. *Inſt. I.* 4. 8. *p.* 41. Vlpian. *Fragm. IIII.* 2. *p.* 576. Conf. tamen Aegid. Menag. *Amoen. iur. ciuil. XXXVIIII. p.* 358. Exemplum elegans huius moris exſtat apud Gruter. *Inſcript. p. CCCCXXXIIII.* 4. Quinam liberi legitimi, et ſpurii.

C. MAMERCIO. S. P. F.
IANVARIO. Q. AED. PRAET. IIVIR. Q. ET.
P. PACCIVS. IANVARIVS. FILIO. NATVRALI. ET. MAMERCIA. GRAPTE.
MATER. INFELICISS. FILIO. ET. COGNATAE. PIISSIMIS. FECERVNT.

Source : BIU Cujas

Hic enim *C. Mamercius Ianuarius*, *Paccii Ianuarii* non ſpurius, ſed filius naturalis, et in dignitate conſtitutus adpellatur, S. P. F. id eſt, *ſine patre filius*. Quod monimentum plane egregium accurate enucleauimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib.* II. *Cap.* IIII. *p.* 169. *ſequ.* Aliud eiuſdem generis exemplum eſt apud Reineſ. *Inſcr. Claſſ.* VIIII. 4. Poſtea vulgo quaeſiti *ſpurii* dici coeperunt.

§. XX.

Illegitimorum diuerſa genera.

Erant illegitimi quatuor generum. Alii enim NATVRALES ex *concubina* vel vidua aut virgine ſtuprata; alii SPVRII ex *meretrice*; alii ex ADVLTERA; alii denique ex INCESTVOSIS amplexibus fuerant nati. Franc. Hotoman. *de ſpur. et legitim.* II. *p.* 474.

§. XXI.

An ſpurii infames, vel leuis notae macula notati?

Nulli horum erant infames, aſt leuis tamen notae macula ſpurios adſpergebat vulgus, multoque magis adulterinos et inceſtuoſos, ſaltim poſtremis temporibus reip. Vid. Zach. Hub. *Caſ. enucl. Quaeſt.* III. §. VIII. Naturales participes quidem erant omnium iurium, honorumque capaces, ceu contra Iac. Gothofredum luculenter oſtendit Thomaſ. *de vſu pract. doctrinae Inſt. de legitimat.* I. 3. *p.* 3. *ſequ.* et ex inſcriptione paullo ante adlata patet, in qua *C. Mamercius Ianuarius*, quamuis S. P. FILIVS, tamen in colonia ſua *Quaeſtor*, *Aedilis*, *Praetor*, *et Duumuir Quinquennalis iterum* fuiſſe dicitur: iuribus tamen agnationis (*a*) carebant, neque in patria poteſtate erant, tamquam legitimo parente deſtituti. Franc. Hotom. *l. c.* III. Strauch. *Exerc.* IIII. 3.

(*a*) Vnde nec gentile patris nomen ferebant ſpurii, vt contra ſententiam Robortelli *Emend. I.* 20. recte oſtendit Car. Sigon. *Emendat. II.* 7. Sane tamquam ſingulare quid de Caeſare refert Sueton. *Iul. LII.* quod natum e Cleopatra filium *adpellari nomine Ioo paſſus ſit.* Et Dio Caſſ. L. *p.* 419. addit, inter alia, quae Octauianus Caeſar obiecerit Antonio, etiam hoc fuiſſe maxime ὅτι τὸν Καισαρίωνα ἐπωνόμαζεν ἄλλω, καὶ ἐς τὸ τοῦ καίσαρος γένος ἦγε, *quod Caeſarionis nomen filio Cleopatrae indidiſſet, et eum in Caeſaris genus retuliſſet.* Interim quamuis aliquando cognomen patris adoptarant filii naturales, vti paullo ante *Ianuarius*, nomen tamen gentile a matre mutuabant. Ita Mamercius Ianuarius dictus a nomine matris Mamerciae Graptae, et a cognomine patris P. Paccii Ianuarii. Similia exempla ex Grut. *Inſcript. p.* DCXLI. 9. et *p.* DCLXXXIIII. adduximus in *Comment.* * *ad L. Iul. et Pap. Lib. II. cap. IIII. p.* 170. *ſequ.* Ad ſpurios autem haec non pertinere, vel inde patet, quod eorum incertus eſt pater.

Tom. VIII. huiuſce Edit.

§. XXII.

Source : BIU Cujas

§. XXII.

Quum ergo vetere iure Romano nulla esset legis actio prodita, qua illegitimi liberi in patriam potestatem redacti, iurium istorum agnationis fierent participes, nisi adrogatio, in qua ipsos illegitimos auctores fieri oportebat. Herald. *Obs. ad ius Att. et Rom. VI.* 10. saeculo demum quarto ineunte inuenta est LEGITIMATIO (*b*). Quod tamen beneficium non ad omnes in vniuersum spurios, sed natos tantum e concubinis pertinebat. Huber. *Praelect. ad Inst. h. t. p.* 28. Legitimatio quando inuenta?

(*b*) Non ergo legitimatio est actus legitimus, vt recte ostendit Vlr. Huber. *Digress. II.* 12. Nec ante Constantinum Romae recepta, quamuis viri docti id colligant ex *l. vlt. D. de adopt.* et *l. 57. §. 1. D. de rit. nupt.* Nam vt prior lex, vel ipsa teste rubrica, de adrogatione loquitur: ita posterior erat lege solutio, vel priuilegium, quod ad exemplum non trahebatur.

§. XXIII.

Et primus quidem Constantinus M. Imp. inuenit legitimationem I. PER SVBSEQVENS MATRIMONIVM. Meminit eius constitutionis Zeno Imp. *l. 5. C. de natur. lib. et* Iustinianus *Nou.* LXXXVIIII. *princ.* Sed quum ipsa non tulerit aetatem, obscura nobis est legislatoris sententia. Id saltim certum, non voluisse Constantinum M. constitutionem suam ad eos, qui in posterum ex concubinis nascituri essent, porrigi, sed eum ante illam constitutionem natis duntaxat id beneficium indulsisse, non alio consilio, quam vt parentes, in concubinatu viuentes, hoc priuilegio pelliceret ad iustum ineundum matrimonium, adeoque his cuniculis concubinatum subrueret. Vid. Des. Herald. *Rer. Quotid. I.* 4. 2. et quae nos differuimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. V. p.* 173. *sequ.* Constantinus M. auctor legitimationis I. per subsequens matrimonium.

§. XXIIII.

Deinde et Theodosius iunior addidit legitimationem II. PER OBLATIONEM CVRIAE. *l. 3. 4. C. de nat. lib.* Quum enim adeo omnes abhorrerent a decurionum munere, vt iam Traiani temporibus multi inuiti fierent decuriones, Plin. *Epist. X.* 114. et saepe Christiani poenae loco curiis addicerentur, Barn. Brisson. *Antiqu. Sect.* IIII. 18. ac proinde aufugientibus decurionibus, curiae paene exhaustae essent: Iac. Gothofr. *ad Tit. C. Theod. de decur.* priuilegio adliciendi videbantur homines ad id munus eo lubentius suscipiendum. Hinc constitutione cautum, vt, si quis curiae offerret filium vel filiam naturalem, ita vt ille in ordinem decu- Theodosius inventor legitimationis II. per oblationem curiae.

Source : BIU Cujas

rionum aliquando recipi se pateretur, haec decurioni nuberet: eo ipso illi non amplius naturales, sed legitimati haberentur. Interim soli patri hi fiebant liberi, non agnatis reliquis agnati. *l.* 9. *C. de natur. lib.* In causſam tanti decurionatus odii inquirit Thomas. *diſſ. alleg. I.* 8. *p.* 21. *ſequ.* vbi ſolide oſtendit, homines voluptate, ambitione et auaritia in transuerſum actos, dignitatibus aulicis, militiaeque palatinae et ordinibus ſacris, quam muneribus eiuſmodi, laborioſis, et ob onera curiarum, ſumtuſque, in ſpectacula impendendos, non admodum pinguibus, inhiare maluiſſe. Sed propior ratio reddi poteſt, ab ipſa curialium conditione depromta. Non enim putandum eſt, curiae oblatos confeſtim factos eſſe decuriones. Sed curiae adſcribebantur, eique ſerviebant periculo ſuarum facultatum. *l.* 4. *C. de nat. lib. l.* 50. *l.* 55. *l.* 64. *C. de decur.* Hinc nec militiae nomen dare, nec ruri extra municipium viuere poterant, curiae quippe, tamquam glebae adſcripti, *l.* 17. *C. eod. l. vn. C. ſi curial. relict. ciu.* Quae omnia luculenter oſtendit V. C. Em. Merill. *Obſ. VII.* 26. *p.* 109. Quum itaque curiae oblati quodammodo eſſent adſcriptitiae conditionis, nec alterius iis eſſet ſpes honoris, quam decurionatus, ſane parum lucroſi: non profecto mirandum, tam paucis ſaliuam mouiſſe ſplendidam illam curialium miſeriam, vt et liberi illegitimi priuilegio eſſent adliciendi ad ſuſcipiendum aliquando decurionatum.

§. XXV.

Zenonis Anaſtaſii et Iuſtiniani conſtitutiones de primo modo legitimandi.

Sequentes Imperatores duo iſta legitimationis genera aliquamdiu retinuerunt, variiſque ea legibus explicarunt. Sic Zeno Imperator ſanxit, vt ſi pater, nulla legitima ſobole alia ſuperſtite, concubinam vxorem duxerit, liberi vtriuſque ſexus ſtatim poſt nuptias, in patria poteſtate eſſent, et ſiue ſoli, ſiue cum fratribus poſtea natis patri ex teſtamento, vel ab inteſtato, ſuccederent. Attamen eam conſtitutionem ipſe quoque, exemplo Conſtantini, valere tantum voluit ratione liberorum ante hanc legem ex concubinis ingenuis natorum; eos vero, qui poſtea ex concubinatu prodituri eſſent, tanti beneficii noluit eſſe participes. *l.* 5. *C. de natur. lib.* Sed et Anaſtaſius cum omnibus etiam poſtea naſcituris hoc beneficium communicauit. *l.* 6. *C. eod.* Id vero reſtringit Iuſtinus Imp. *l.* 7. *C. eod.* poſteaque ſuo more iterum latius porrexit Iuſtinianus *l.* 10. *et* 11. *C. eod.* Conf. §. 2. *Inſt. de hered. quae ab inteſt. Nouell.* XII. 4. XVIII. 11. LXXIIII. Quamuis vero his fere omnibus locis Iuſtinianus exigat inſtrumenta dotalia vel nuptialia; ea tamen non ad ſubſtantiam huius legitimationis

Source : BIU Cujas

nis pertinere, sed pro eorum temporum conditione tantum signum fuisse legitimi connubii, iam alio loco ostendimus, et pridem demonstrauit Cuiac. *Obseru. Lib.* XIII. *Cap.* 4.

§. XXVI.

Eodem modo et alterum legitimandi modum, per oblationem curiae, variis constitutionibus illustrarunt Imperatores, e. g. Leo et Anthemius. *l.* 4. *C. de natur. lib.* et Iustinianus *l.* 9. *C. eod. Nou.* LXXXVIIII. *cap.* 11. *seq.*

Leonis, Anthemii et Iustiniani Constitutiones de modo secundo.

§. XXVII.

Accessit tertius modus legitimandi III. PER ADROGATIONEM, ab Anastasio inuentus *l.* 6. *C. de nat. lib.* Quum enim naturales liberi non essent in patria potestate, sed sui iuris: poterant profecto a parente naturali adrogari. *l. vlt. D. de adopt.* Facta vero ea adrogatione legitimi censebantur. Sed eum modum non sine ratione sustulit Iustinus. *l.* 7. *C. de nat. lib.* adprobante id Iustiniano *Nou.* LXXXVIIII. 7. *Nou.* LXXIIII. 3.

Legitimatio III. per adrogationem inuenta ab Anastasio.

§. XXVIII.

Denique Iustinianus adiecit IIII. *legitimationem* PER RESCRIPTVM PRINCIPIS *Nou.* LXXXVIIII. 9. LXXIIII. 2. ac postremo *legitimationem* V. PER TESTAMENTVM *Nou.* LXXIIII. 2. 1. LXXXVIIII. 10. Qua ipsa tamen totum inuentum legitimationis eum destruxisse, obseruat Thomasius *de vsu pract. doctr. de legitim. I.* 12. *p.* 44.

Legitimatio IIII. per rescriptum principis, et V. per testamentum inuenta a Iustiniano.

TIT. XI.

DE

ADOPTIONIBVS.

TErtius modus constituendi patriam potestatem erat ADOPTIO, quae, quum fuerit actio legis, certis formulis, ac sollemnitatibus peragenda: genuina eius ratio ex antiquitatibus pernoscenda erit.

Source : BIU Cujas

§. I.

Adoptionis Romae tam frequentis cauſſa prima.

Cur inuenta a Romanis ſit ADOPTIO, et cur ea Romae frequentius, quam vſquam terrarum, ſit vſurpata, paullo altius eſt repetendum, quum alias vniuerſa huius inſtituti ratio ſatis intelligi nequeat. Obſeruauimus iam ſupra, (*Lib. I. Tit. X. §. 4.*) Romanas familias habuiſſe ſua ſacra priuata, ſuos focos, et aras domeſticas, ſuas porro ferias, de quibus conferri merentur Macrob. *Saturn. I.* 16. Iac. Guther. *de iure Pontif. II.* 5. Vinc. Grauina *ad XII. Tab. num. LXXVI. p.* 416. *ſequ.* De iis ſacris quum eſſet lege decemuirali conſtitutum: SACRA PRIVATA PERPETVO MANENTO: omnia ſane agebant Romani, ne ſacra illa gentilitia interirent (*a*). Quare Clodium etiam hoc nomine grauiter reprehendit Cicero, *pro Domo XII.* quod effecerit, *vt ſacra Clodiae gentis interirent.* Hinc, ſi qui ex iuſtis vxoribus liberos haud ſuſtuliſſent, ii adoptabant extraneos, qui tunc *in ſacra et gentem tranſire dicebantur.* Briſſon. *de verb. ſignif.* [*p.* 1216. *edit. noſtr.*] Conf. Vopiſc. *Valerian. XIIII.*

(*a*) Aliquando tamen id agebant, vt ſacra priuata interimerentur, eamque in rem ICti inuenerant ſenes ſacra coëmentes. Excogitauerant enim eam rationem, vt heres ſenibus venderet ea bona, quae qui haberent, ſacris adſtringerentur, venditione imaginaria per aes et libram addita ſtipulatione, vel fiducia, vt ſenes illi bona venditori vel heredi non vt hereditatem, ſed vt res ſingulares, ſacris liberas, redderent. Rem ex loco obſcuro Cic. *pro Mur. cap. XII.* explicauit et in lucem protraxit V. C. Io. Fr. Gronou. *de pecun. vet. IIII.* 7. quem deinde ſequutus Io. Ge. Graeuius *Not. ad* Cic. *l. c.* vterque monuit, perperam cum his ſenibus ad interimenda ſacra adhibitis confundi, ſenes coëmtionales apud Plaut. *Bacchid. IIII.* 9. et Cicer. *ad Famil. Epiſt. VII.* 29. quum hi fuerint mancipia reiicula et veterana, quae quod non adeo facile emtorem inuenirent, vel plura ſimul vendebantur, vel tanquam mantiſſa, adiiciebantur melioribus. Iidem monuerunt, nihil hos ſenes coëmtionales facere ad coëmtionem nuptialem. Ad quam quum nos eam retulerimus in prioribus editionibus, hic errorem noſtrum fateri ac emendare non dubitamus.

§. II.

Cauſſa ſecunda.

Deinde altera acceſſit ratio, poenae nimirum orbitati, praemiaque τῇ πολυπαιδίᾳ propoſita, qualia et ante legem Papiam Poppaeam in libera republica fuiſſe, patet ex Dione Caſſ. *LVI. p.* 576. Ne ergo parentes ἄπαιδες, aut orbi, vel praemiis iſtis exciderent, vel poenas darent: alios adoptabant, idque iam ſua aerate reprehendit P. Scipio, cenſor, in oratione apud Gell. *Noct. Att. V.* 19. Quin adeo fraudulenter poſtea hac in re egerunt Romani

Source : BIU Cujas

mani, vt quum per legem Papiam trium liberorum parentes reliquis in honorum petitione praeferrentur, ii, quibus iſte liberorum numerus deerat, per adoptionem ſibi tot quaererent liberos, eoſdemque deinde, ne oneri eſſent, vbi honoribus potiti erant, ſtatim emanciparent. Vnde, condito denique SCto cautum eſt, *ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris iuuaret.* Tacit. *Annal. XV.* 19. Vlpian. *l.* 2. §. 2. *D. de vac. et excuſat. munerum.* Add. *Comment.* noſtr. *ad L. Iul. et Pap. lib.* II. *Cap.* 7. *p.* 201. *ſeq.*

§. III.

Cauſſa tertia.

Accedebat tertia ratio aeque fraudulenta. Si quis enim patricii ordinis tribuniciam poteſtatem ambiret, vt voti fieret compos, plebeio cuidam ſe adoptandum dabat. Exemplum huiuſmodi fraudulentae adoptionis praebuit P. Clodius, cuius de abſurda adoptione videri poſſunt Suet. *Tiber.* II. Dio Caſſ. XXXVIII. *p.* 65. Cic. *orat. pro domo* XIII. Simile dedit Dolabella, qui ob eamdem cauſſam in gentem Liuiam plebeiam tranſiit. Dio Caſſ. XXXXII. *p.* 198. Et hae ſunt verae illae ac genuinae cauſſae, cur tam frequentes eſſent Romae adoptiones.

§. IIII.

Adoptio quotuplex?

Erant vero adoptiones duorum generum. Aliae ADROGATIONES, aliae ADOPTIONES ſtrictiore ſenſu dicebantur. Vlpian. *Fragm.* VIII. 1. *ſequ.* Illis homines ſui iuris, his liberi alieni in alterius poteſtatem, gentem, nomen et ſacra tranſibant.

§. V.

Adrogatio quid?

Antiquiſſima fuiſſe videtur ADROGATIO, non ab interrogatione patris et filii adoptiui ita dicta, vt putat Cai. *Inſt. I.* 5. 1. *l.* 2. *pr. D. de adopt.* ſed a *rogatione* ad populum lata. Fiebat enim adrogatio in comitiis curiatis, auctoritate pontificum, teſte Gell. *Noct. Att. V.* 19. Adſtipulatur huic Gellii etymologiae Menag. *Amoen. iur. cap.* XXXVIIII. *p.* 259. eamque ipſa vocabuli analogia confirmat, quamuis Caii cauſſam agat Cuiac. *Obſ.* VIIII. 37.

§. VI.

Cur ea peracta in Comitiis curiatis?

Cur in comitiis curiatis de adrogatione, tamquam de publica populi cauſſa, actum ſit, eius rei hanc rationem adſignat. Vinc. Gravina *ad* XII. *Tab. n.* LXXXV. *p.* 451. quod interfuerit populi, fraudes, ſupra numeris II. et III. relatas, prohiberi. Sed prius procul dubio adrogationes in comitiis factae ſunt, quam fraudum

iſta-

Source : BIU Cujas

istarum exstarent exempla. Melior ratio videtur, quia arrogati sperabant hereditatem. De hereditate vero in alios transferenda solum populum cognouisse, vel inde patet, quod et testamenta olim in comitiis calatis fierent (*b*). Accedit, quod per adrogationem caput e talibus censualibus eximeretur, et in alterius redigeretur potestatem; id quod, inconsulto populo fieri, iniquum videbatur. Hinc in legibus Decemuiralibus Tab. VIIII. erat lex: DE CAPITE CIVIS, NISI PER MAXIMVM COMITIATVM NE FERVNTO. Cic. *de Legib. III. Cap.* 4. in qua lege, capitis adpellatione, non modo vitam, sed et libertatem, ciuitatem, familiaeque ius exaudiri debere, eleganter demonstrat in Notis Iac. Gothofred. *p.* 230. Hinc ergo in comitiis res erat explicanda, et quidem in curiatis. Gell. *V.* 19. Et hinc adrogatio fieri dicebatur *lege curiata*, Tacit. *Hist. I.* 15. κατὰ νόμον κεκριάτον, Appian. *de Bell. Ciu. III. p.* 586. κατὰ νόμον τὸν φρατριατικόν. Dio Cass. *Lib. XXXXV. p.* 272.

(*b*) [Immo intererat populi, se inscio non fieri adrogationes, quia hereditatem vacantem parens omnium populus capiebat. Tacit. *Annal.* III. 28. *l.* 1. *l.* 4. C. *de bon. vac.*]

§. VII.

Cur auctoritate pontificum fuerit opus?

Pontificum vero auctoritate opus videbatur, non ob iurisiurandi religionem, quo adrogatio ab omni calumnia et fraude pura praestaretur, vt coniicit idem Vinc. Grauina *l. c. p.* 452. sed quia adoptiui, relictis sacris familiae, in alterius gentis sacra transibant. Cicero *pro domo XIII. Quid sacra Clodiae gentis? Cur intereunt, quod in te est? Quae omnis NOTIO PONTIFICVM, quum adoptarere, esse debuit.*

§. VIII.

In quid inquisiuerint pontifices?

Dispiciebant ergo Pontifices, an adoptans ea esset aetate, vt alterum filium habere posset? an nulla ei spes prolis superesset? an, coniugio inito, foecunditatem fuerit expertus? quae causa sit adoptionis? Gell. *Noct. Attic. V.* 19. Cic. *pro domo X. et XIII.* Vlpian. *l.* 15. §. 2. 3. *et l.* 17. *princ. D. de adopt.* Neque enim facile permittebatur iis, qui iam liberos procreauerant, vt alios vel adrogarent vel adoptarent, quippe quod ne in Imperatoribus quidem, reprehensione carebat. Perizon. *Animadu. Hist. cap.* III. *p.* 125. Deinde, ne pro monstro esset, patrem filio vel natu minorem vel aequalem esse, sed adoptio naturam imitaretur: merito disquirebatur, an adoptaturus saltim plena pubertate filium antecederet? *l.* 40. §. 1. *D. de adopt.* Et hinc veteres rident adoptio-

Source : BIU Cujas

ptionem Alexandri Imp. ab Elagabalo factam, quum ille duodecim, hic quatuordecim circiter annorum esset. Herodian. *Hist. V.* 7. Praecipue autem prouidendum sibi existimabant, ne adoptio vel adrogatio filio esset exitio, aut ei aliquid adferret detrimenti (*c*). Et inde est, quod tutori fas non esset, pupillum adrogare, *l.* 17. *pr. D. eod.* nisi quod cognati a tutore propinquo, *l.* 17. §. 1. *D. eod.* et priuigni a tutore vitrico ex rescripto Antonini Pii possent adrogari. *l.* 32. §. 1. *D. eod.* Exemplum Voconii Romani, a vitrico adoptati, est apud Plin. *Epist. X.* 3. Eumdem tamen vitricum et tutorem fuisse priuigni sui, quod suspicatur Cuiac. *Obs. II.* 38. ex isto quidem loco non constat.

(*c*) [Immo et id in disquisitionem veniebat, an et aliquis posset filium in potestate habere. Recentius enim est priuilegium mulieribus datum §. 10. *Inst. h. t.* Nec ad exemplum trahi potest exemplum Valeriae Aug. Candidianum adoptantis ob sterilitatem. Lactant. *de mort. persequut. Cap. L.*)

§. VIIII.

Quaestiones patri et filio propositae?

Quum vero ii tantum adrogarentur, qui sui iuris erant, oportebat eos ipsos auctores fieri. Gell. *l. c.* Interrogabatur ergo is, qui adrogabat, velletne eum, quem adoptaturus esset, iustum sibi filium esse? et vicissim is, qui adrogabatur, an id fieri pateretur, auctorque esset? *l.* 2. *pr. D. de adopt.* Formulam prodit Cicero *pro domo XXVIIII. Credo, enim, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum*: AVCTORNE ESSES, VT IN TE P. FONTEIVS VITAE NECISQVE POTESTATEM HABERET, VTI IN FILIO? Neque tamen has interrogationes et responsiones stipulationes fuisse, recte notat Cuiac. *Obs.* VIIII. 37.

§. X.

Rogatio ad populum lata.

Caussa cognita, in comitiis curiatis sequebatur sollemnis rogatio: VELITIS IVBEATIS, QVIRITES, VTI L. VALERIVS L. TITIO TAM IVRE LEGEQVE FILIVS SIBI SIET, QVAM SI EX EO PATRE, MATREQVE FAMILIAS EIVS, NATVS ESSET: VTIQVE EI VITAE NECISQVE IN EO POTESTAS SIET; HAEC ITA, VTI DIXI, ITA VOS, QVIRITES, ROGO. Gell. *Noct. Att. V.* 19. Hinc adnuente populo et XXX. curiis in suffragia missis ita iubentibus perfecta erat adrogatio. Cic. *pro domo, ibid.*

Source : BIU Cujas

§. XI.

Effecta adrogationis.

Adrogati ergo tam iure legeque filii erant eius, qui adoptauerat, ac si ex eo patre, matreque familias eius, essent nati. Hinc adrogati aeque, ac adoptiui, fiebant adgnati ratione familiae adoptantis, non tamen cognati eius vxori. *l.* 23. *pr. D. de adopt.* Quare adoptionem sequebatur hereditas nominis, pecuniae, sacrorum, teste Cicerone *pro domo* XIII. vbi exagitatur Clodius a Fonteio adoptatus, quod in ea adoptione nihil legitime factum sit, siquidem *neque Fonteius esset, quod esse debebat, neque Clodius patris adoptiui heres, neque, amissis sacris paternis, in adoptiua peruenerit.* Immo, quemadmodum patricii, adoptati a plebeiis, ad plebem transibant: ita plebeii, adoptati a patriciis, horum consequebantur nobilitatem ac priuilegia. Quod tametsi neget Io. Corasius *ad l.* 35. *D. de adopt.* (*d*) tamen demonstratur exemplo Cn. Cornelii Cossi, qui ex Licinia, plebeia familia, adoptatus in patriciam Corneliam, tribunus militum consulari potestate fuit, ad quam dignitatem anno demum sequente plebeiis via patuit, teste Liuio V. 12. Demonstratur idem exemplo Liuiae quam Tacitus *Annal. V.* 1. NOBILITATIS *per Claudiam familiam* & ADOPTIONE *Liuiorum Iuliorumque clarissimae* fuisse ait, & Augusti de quo Ouidius *Fast.* IIII. *v.* 21.

Hic ad te magna descendit origine mensis,
Et fit ADOPTIVA NOBILITATE *tuus.*

Conf. Huber. *Digress. Iustin.* II. 24. Iac. Perizon. *Dissert. ad Constit. diuin. Deut. XXV.* 5. 6. *p.* 83. *seq. Comm.* nostrum *ad L. Pap. Lib.* II. *cap.* I. *p.* 113.

(*d*) [Corasio fraudi fuit *l.* 6. §. 1. *D. de Senator.* vbi negatur, senatoris filium esse desinere, qui a plebeio sit adoptatus. Quamuis enim senatoria dignitas adrogatione & adoptione non amitteretur: ea tamen illa adquirebatur. *l.* 5. l. 6. *pr. D. eod.* Et alia est dignitas senatoria, & alia nobilitas, tam gentis, quam imaginum.]

§. XII.

Cur quidam nec adrogare nec adrogari potuerint?

Et hinc facile reddi poterit ratio, I. cur soli ciues Romani adrogare potuerint? Soli enim participes erant comitiorum. II. Cur caelibes adrogare nequiuerint? Erat enim adrogatio in solatium orborum, non caelibum, inuenta. Cic. *pro domo cap. XIII. l.* 15. §. 2. *D. de adopt.* III. Cur senibus tantum sexaginta minimum annorum adrogare licuerit, *d. l.* 15. §. 2. *D. de adopt.* Sperari enim antehac poterat proles. IIII. Cur nec muti & surdi adrogarent; nec

Source : BIU Cujas

nec V. feminae ? Neque enim illi iure comitiorum gaudebant : & feminae praeterea neminem poterant habere in poteſtate. Quare parum legibus conſentanea erat adoptio Candidiani, de qua Lactant. *de Mort. Perſequut. Cap. L. Idem Candidianum, quem Valeria, ex concubina genitum, ob ſterilitatem adoptauerat, necari iuſſit.* Sed quid ſibi non permittebant eius aeui principes ? VI. Cur porro nec pupillus, nec femina, nec peregrinus, nec mutus vel ſurdus adrogari potuerint ? Pupilli enim ipſi auctores fieri non poterant, cum reliquis nulla erat comitiorum communio. Gell. *Noct. Att. V.* 19. VII. Cur denique adrogatio Romae tantum fieri potuerit ? Vlp. *Fragm. VIII.* 4. Romae enim, non alibi, curiata comitia haberi poterant. Liu. *V.* 52.

§. XIII.

Haec adrogatio, per populum in comitiis facta, ſatis diu, id eſt, ſtante libera republica, obtinuit. Nam ita ſua memoria a Cn. Aufidio Oreſten, a M. Pupio Piſonem, a P. Fonteio Clodium adrogatum, ſcribit Cic. *pro domo cap.* XIII. Quin & Auguſtus Agrippam & Tiberium adoptauit in foro lege curiata. Suet. *Aug.* LXV. Et Neronis adoptionem, quamuis Patres cenſuerint, populus tamen, (lege procul dubio curiata) iuſſit. Tacit. *Ann.* XII. 25. Poſtea Imperatores, legibus quippe ſoluti, veteres adrogationis ritus ſaepius neglexerunt. (Vid. Tacit. *Hiſt.* I. 14. 17. Spartian. *Hadr.* III. IIII. XXIIII. *in Ael. Ver.* III. Iul. Capitolin. *Antonin. IIII.*) Manſit tamen ad Galbam vſque vetus ſollemnitas inter priuatos. Hinc Galba : *Si te priuatus, lege curiata, apud Pontifices, vt moris eſt, adoptarem.* Tacit. *Hiſt. I.* 15.

Quam diu vetus iſte adrogandi ritus obtinuerit ?

§. XIIII.

Haec de *adrogatione*. Quum vero hic adoptandi modus ad homines tantum ſui iuris pertineret : inuenta & alia actio legis, qua liberi, in ſacris paternis conſtituti, cuiuſcumque ſexus & aetatis, in aliam familiam tranſirent, iſque modus dictus ADOPTIO ſenſu ſtrictiore. Eum iam in libera republica obtinuiſſe, conſtat ex Cicerone *de finib. I.* 7. Valer. Max. *VII.* 7. 2. Dione Caſſ. *XXXVIIII. p.* 98.

Adoptio ſtrictius dicta cur & quando inuenta ?

§. XV.

Erat haec ADOPTIO actio legis, & hinc inter praeſentes, adhibitis certis ſollemnitatibus, peragenda apud Praetorem aut Praeſidem

Adoptandi ritus per aes & libram.

Source : BIU Cujas

siquidem (*e*), aut quemcunque magistratum, apud quem erat legis actio. Vlpian. *Fragm.* VIII. 1. *l.* 4. *D. de adopt.* Gell. *Noct. Att. V.* 19. Ritus adoptandi consistebat in trina venditione, adhibito aere et libra. Scilicet, praesentibus patre naturali et adoptiuo, filioque adoptando, nec non libripende, antestato et quinque testibus, primo pater filium patri adoptiuo mancipabat, verbis: MANCVPO TIBI HVNC FILIVM, QVI MEVS EST. Tum pater adoptiuus, aes tenens, simulque adprehendens filium adoptiuum; HVNC EGO HOMINEM, inquit, IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO, ISQVE MIHI EMTVS EST HOC AERE, HAC AENEAQVE LIBRA. Tum aere, seu vt olim vocabatur, *rauduscolo*, id est, sestertio numo percutiebat libram, illudque aes dabat patri naturali, quasi pretii loco. Caius *apud* Boeth. *Comment. in Cicer. Topic.* III. Ant. Schulting. *Iurisp. vet. anteiust. p.* 54. Ea mancipatio ter erat repetenda (*f*). Quo facto, pater naturalis in iure cedebat filium,

(*e*) A principibus, quos multa sibi in adrogationibus indulsisse probat Dodwell. *praelect. XVIII. ad Spartian. p.* 553. et domi adoptari poterat per aes et libram. Suet. *Aug. LXIIII. Caium et Lucium adoptauit* DOMI, *per aes et libram, emtos a patre Agrippa.* Fortassis et priuatis idem licebat, si ad eos venire vellent magistratus. Adoptio enim erat actus voluntariae iurisdictionis, quales actus nec tribunal, nec locum certum, requirunt. *l.* 36. *pr. D. de adoption.* Et tunc adoptionis sollemnitas aut in cubiculo, aut in atrio, coram lecto geniali perficiebatur. Quod patet ex loco Plin. *Paneg. VIII. Itaque non tuo in CVBICVLO, sed in templo; nec ante GENIALEM TORVM, sed ante puluinar Iouis optimi maximi, adoptio peracta est.* Erant vero geniales lecti, qui in nuptiis sternebantur in honorem genii, vnde et geniales adpellati. Festus voce *genialis*, *p.* 292. Et hinc etiam *lecti aduersi* dicebantur, quia in atrio ex aduerso ianuae erant collocati. Lips. *Elect.* I. 17. Scaliger ad Fest. voce *Putus p.* 143. Torrent. *ad* Horat. *Epist.* I. 4. *v.* 87. Non tamen inde collegerim, in adoptione matremfamilias partum simulasse, qualem ritum inter barbaros receptum fuisse, docet locus Diod. Sic. *Biblioth. IIII. p.* 244. *Illam adoptionem* (Herculis) *hoc modo factam perhibent. Iuno, lectum ingressa, Herculem corpori suo admotum, vt verum imitaretur partum, μιμεμένη τὴν ἀληθινὴν γένεσιν, subter vestes ad terram demisit, quem in hoc vsque tempus adoptionis ritum BARBARI obseruant.* Exemplum eiusmodi adoptionis obseruare mihi videor Genes. XXX. 3. vbi adoptionis quamdam speciem etiam deprehendit V. C. Io. Clericus in *Not. ad Pentat. p.* 222. Apud Romanos vero nihil horum inuenimus, nec poterat ibi hic ritus obseruari, partim quod matres neminem haberent in potestate, partim quod adoptio non tribueret iura cognationis. Dissentit tamen vir doctissimus, Euerhardus Otto *in Papiniano*, qui sane eruditissime hanc caussam egit, *Cap. VII. p.* 103. *sequ.* et multo maiore cum adparatu *in Iurisprudentia Symbolica, Exerc. III. Cap.* 4. *et sequ.*

(*f*) Si scilicet filii loco deberet esse adoptiuus. Nam si quis in locum nepotis adoptaretur, vnica mancipatione actus absoluebatur. Vlp. *Fragm. XII.* id quod etiam deinde in feminis obseruatum. Cuiac. *Enarrat. ad d. l. vlt. C. de adopt.*

Source : BIU Cujas

lium, et tum adoptio erat perfecta. Gell. *l. c. Adoptantur autem, quum a parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure ceduntur, atque ab eo, qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, vindicantur.* Et hoc quidem ritu per aes et libram adoptauit Augustus Caium et Lucium. Suet. *Aug. Cap. LXIIII.*

§. XVI.

Qui potuerint adoptare et adoptari?

Quandoquidem ergo haec adoptio non in comitiis, sed coram magistratu, fiebat: factum est inde, vt et sexagenariis minores adoptare possent, nec masculi solum, sed et feminae, adoptarentur. Cai. *Inst. I.* 5. 2. Gell. *V.* 19.

§. XVII.

Adrogatio per Rescriptum principis.

Et id quidem in antiqua illa liberaque republica obtinuit. Postea variae sensim acciderunt mutationes. Et primo quidem, comitiis cessantibus, Principes rescriptis suis adrogationes solebant concedere pariter, et confirmare. [Cuiac. *Obseru. XII.* 15.] Quod vel ideo iure facere poterant, quia simul erant Pontifices maximi, quorum erat, de adrogationibus dispicere. Raeuard. *de auctor. prudent. VI.* Factum id esse exemplo Galbae, qui primus veterem ritum neglexit, non abs re suspicatur Ant. Schulting. *ad* Vlpian. *Fragm.* VIII. 2. *p.* 589. Certe iam Antonini Pii tempore adrogationes factas esse auctoritate principum, patet ex *l.* 38. *D. h. t.* Hac vero mutatione semel admissa, etiam feminae (*l.* 21. *D. h. t.*) et pupilli (*g*) (Vlp. *Fragm.* VIII. 5.) et quidem plures simul, (*l.* 15. §. 3. *D. h. t.*) poterant adrogari. Sed non sine caussae cognitione, et obseruatis requisitis quam plurimis. Desierunt etiam antiquae sollemnitates et formulae, quas tamen nouo edicto, nescio an actum agens, sustulit Iustinianus, *l. vlt. C. de adopt.*

(*g*) Multa requisita hic erant obseruanda. Inquirebatur in adrogationis rationem, ne qua turpis caussa subesset. *l.* 17. *pr. D. h. t.* Expendebantur facultates tum arrogantis tum arrogandi, eiusque simul vita anteacta curiose excutiebatur. *l.* 17. *pr. D. h. t.* Exigebatur cautio, bona salua fore proximis agnatis, si pupillus intra pubertatis annos decessisset. *l.* 18. 19. 20. *h. t.* Arrogator porro emancipare non poterat adrogatum, nisi caussa cognita, et redditis, quae habuerat, bonis, insuperque quarta bonorum suorum relicta. *l. vlt. D. si quid in fraud. patr.* Idque etiam in exheredatione erat obseruandum. *l.* 8. §. 15. *D. de inoff. test.* Quae omnia ab Antonino sic inuenta videntur, vt sensim in desuetudinem iret adrogatio impuberum. Vid. Vlpian. *Fragm. VIII.* 2. Thomas. *diss. de vsu pract. tit. Inst. de adopt. I.* 18. *p.* 84.

Source : BIU Cujas

§. XVIII.

Adoptio per testamentum.

Erat & modus ADOPTANDI per TESTAMENTVM, non ab Imperatoribus demum, vt vulgo putant, inuentus, sed iam tum libera adhuc republica receptus. Iam ab antiquissimis enim temporibus sollemne erat Romanis, heredes suos non in bona tantum, sed & nomen adsciscere. *Adsciscere* autem erat vocabulum adoptionis, de quo Io. Fridr. Gronou. *Diatr. ad Stat. p.* 26. Cicero *de offic.* III. 18. Basilii meminit, qui M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre voluerit, eumque fecerit heredem. Et *in Bruto cap.* LVIII. laudat Crassum, Liciniae filium, Crassi testamento adoptatum. Atticum quoque testamento morientis Caecilii fuisse adoptatum, adparet ex Corn. Nep. *Attic. V.* Et Caesar ita instituerat Octauium, Suet. *Iul.* LXXXIII. Appian. *Bell. Ciuil.* III. *p.* 518. qui etiam, cognita auunculi nece, statim Caesaris nomen adsumsit. Dio. XXXXV. *p.* 271. Qua de re etiam Ouid. *Metamorph. XV. fab.* 51. *v.* 74.

Vt Deus accedat coelo, templisque colatur,
Tu facies natusque tuus, qui NOMINIS HERES,
Impositum feret vnus onus.

Eodem exemplo Augustus Liuiam & Tiberium, heredes testamento scriptos, nomen suum ferre iussit. Suet. *Octau. CI.* Ex eo tempore frequentissima occurrunt eiusmodi adoptionum exempla. Ita enim a M. Gallio Senatore testamento adoptatus est Tiberius. Sueton. *Tiber. VI.* a Galba iam ante sollemniorem arrogationem Piso Frugi. Idem *in Galba XVII.* Conf. Tacit. *Ann. V.* 1. ab aliis alii. *l.* 7. *in fine & l.* 63. §. 10. *D. ad SC. Trebell.* Sed ea heredis institutio proprie adoptio dici vix poterat, quum nemo ea redigeretur in patriam potestatem. Cuiac. *Obs. VII.* 7. Nominis heredes erant: sed eos liberti paterni & alia familiae iura non sequebantur, quod tamen in aliis adoptionibus fiebat. Cuiac. *Obs. VII.* 1. Vnde mirum non est, quod adoptio per testamentum facta nonnumquam repetita, & more maiorum vel lege curiata, vel per aes & libram iterum facta legitur. Augustus sane testamento adoptatus a Caesare, eam adoptionem lege curiata confirmandam curauit, vt auctoritate legis accederent, quae testamento nactus non erat. Appian. *Bell. Ciuil. III. p.* 586. Et Tiberius, licet testamento nomen Augusti ferre iussus, ab eodem tamen post Caii & Lucii Caesarum mortem rite adrogatus fertur. Sueton. *Tiber. XV.* Immo quum libera republica mulieres adoptare nondum possent: solebant eae tamen iam eo tempore heredes ea lege instituere,

Source : BIU Cujas

ſtituere, vt nomen ſuum ferrent. Exemplum eſt apud Ciceron. *Epiſt. ad Att. VII.* 8. quod ſane cum aliis argumento eſt, non veram fuiſſe hanc adoptionem, ſed adoptionis ſimulacrum quoddam, quod praeter nomen & hereditatem nihil iuris in adoptiuum devoluit. Plura de hac adoptione per teſtamentum dabunt Briſſ. *de Form. VII. p.* 601. Huber. *Digreſſ. I.* 2. 23. 2. & huius filius ampliſſimus Zach. Huber. *Diſſert. Iurid. & philol. V.* 2.

§. XVIIII.

Ceterum PATRIA POTESTAS olim erat effectum adoptionis etiam ſtricte ſic dictae. Vnde & adoptiui cognomini ſuo, leuiter inflexo, illius gentis, cuius in ſacra tranſierant, nomen adiiciebant, quamuis id non ſemper, nec eodem modo factum eſſe animaduertamus, quum aliquando patris naturalis & adoptiui nomen promiſcue ferrent. Perizon. *Diſſ. I. p.* 97. & *Animadu. Hiſtor. p.* 131. Spanhem. *de vſu & praeſtant. numiſ. Tom. II. p.* 77. Quum Scipio Africanus minor ex Aemilia gente in Corneliam per adrogationem tranſiiſſet: vocatus eſt *P. Cornelius Scipio Aemilianus.* Et qui antea C. Octauius erat, adoptatus a Caeſare, dictus eſt *C. Iulius Caeſar Octauianus.* Dio Caſſ. XXXXVI. *p.* 322. Solebant tamen etiam naturalis patris nomen nonnumquam ſuo adſcribere, honoris cauſſa, immo eumdem adhuc patris vocabulo dignari in ſermone familiari. Terent. *Adelph. V.* 7. *v.* 3. Exempla collegit V. C. Iac. Perizon. *Diſſert. ad diuin. Conſtit. Deut. XXV.* 5. *p.* 89.

Adoptiui olim in poteſtatem & gentem alienam tranſibant.

§. XX.

At extremis temporibus Iuſtinianus totum illum adoptionis ritum turbauit, iubens adoptatum ab alio, quam adſcendente, non tranſire in alienam familiam & poteſtatem, & tamen ius ſucceſſionis ab inteſtato conſequi, *l.* 10. *princ.* §. 1. 2. *C. h. t.* Quo ipſo in eam conditionem redacti ſunt patres adoptiui, vt ſine ſumma imprudentia adoptare non poſſent. De qua mutatione vid. Thomaſ. *Diſſ. alleg. I.* 26. *p.* 40. *ſequ.*

Iuſtiniani mutatio.

Source : BIU Cujas

TIT. XII.

QVIBVS MODIS IVS PATRIAE POT. SOLVITVR.

PAtriam poteſtatem ordinarie fuiſſe perpetuam, iam ſupra TIT. VIIII. ex Dionyſio Halicarnaſſeo oſtendimus. Nihilominus tamen proditi erant quidam modi, ſoluendi patriam poteſtatem, de quibus eſt hoc titulo agendum.

§. I.

Patria poteſtas ſoluebatur I. morte naturali;

Et primo quidem MORS, quum omnia iura perſonalia tollat, non poterat non et liberos patria poteſtate liberare. Neque tamen morte aui nepotes liberabantur, ſi pater eſſet ſuperſtes, ſed tunc in huius poteſtatem recidebant; niſi is forte antea ab auo eſſet emancipatus. Vid. Caii *Inſt. I. 6. princ.* (*a*) Quia enim patria poteſtas erat dominium Quiritarium, (vid. ſupra *Tit. VIIII.* §. 1.) non poterat non illud iure hereditario ab auo in patrem deuolui.

(*a*) [Poterat enim quis filium emancipare et nepotes in poteſtate retinere, vel hos e ſacris dimittere, retento in poteſtate ſua filio, quod ſollicite moneatur, §. 7. *Inſt. h. t.*]

§. II.

Et II. ciuili.

Quum vero ex principiis iuris Romani et ii, qui CAPITIS DEMINVTIONEM, vel maximam, vel mediam, fuerant paſſi, ciuiliter mortui viderentur: *l.* 63. §. *fin. D. pro ſocio* factum eſt, vt vel patre, vel filio capite deminuto, patria poteſtas ſolueretur. Erat enim haec propria ciuium Romanorum. Maxima vero capitis deminutio ſeruos, media ἀπόλιδας efficiebat. Atqui ſerui et peregrini nec habere, nec eſſe poterant in patria poteſtate. Plin. *Epiſt.* X. 6.

§. III.

Source : BIU Cujas

§. III.

Hinc captiuitate, ſeruitute poenae, aquae & ignis interdictione, deportatione, ſiue patris ſiue filii, poteſtas patria ceſſabat (*b*). Priori tamen caſu illa poſtliminio, (Caii *Inſt. I. 6. 3.*) poſteriori reſtitutione plenaria poterat recuperari. *l. 1. C. de ſent. paſſ.* Ant. Schult. *ad* Caii *Inſt. I. §. 1. p. 47.* Quae tamen iure poſtlim. & reſtitutione tollebatur.

(*b*) Ergo durante captiuitate ius patriae poteſtatis non *in ſuſpenſo* erat, vt loquitur Vlp. *Fragm. X. 4. §. 5. Inſt. h. t.* ſed plane perimebatur; & poſtliminii demum iure recuperabatur, quia fingebatur, poſtliminio reuerſum numquam in captiuitate fuiſſe. *d. §. 5. Inſt. h. t. L. 16. D. de capt. & poſtlim.* Hinc captivo patre, liberi vix valide nuptias contrahere, teſtari, hereditates adire poterant. Vbi vero pater poſtliminio patriam poteſtatem receperat, filii ex nuptiis illis procreati in poteſtatem aui veniebant, bona a filiis adquiſita eius erant, teſtamentaque eorum nulla erant, at nuptias tamen reſcindere pater non poterat. Thomaſ. *diſſ. ad h. t. I. 5. p. 5. ſeq.*

§. IIII.

Exſpirabat etiam poteſtas patria ADOPTIONE: non quod filius ſui iuris fieret, ſed quod in aliam gentem aliaque ſacra tranſiret. Vid. ſupra *Tit. XI. 19.* Nec non III. adoptione.

§. V.

Sed praecipuus modus, quo patria poteſtas quam ſollemniſſime ſoluebatur, erat EMANCIPATIO, quae ob triplicem, quae ſubinde facta eſt, mutationem, in VETEREM, vel *legitimam*, ANASTASIANAM, & IVSTINIANEAM diuiditur. *§. 6. Inſt. h. t.* Et IIII. emancipatione.

§. VI.

VETVS illa erat actus legitimus, & hinc certis adhibitis formulis & ſollemnitatibus, coram eo magiſtratu, apud quem erat legis actio, explicanda. Quum vero leges Romuli ac Decemuirorum ter venumdandi filios poteſtatem indulſiſſent patribus: ſtatuiſſentque ſimul, vt tertium manumiſſus filius ſui iuris fieret: (*ſupra Tit.* VIIII. §. 6.) commodiſſimum viſum eſt Romanis, trina venditione imaginaria liberos e poteſtate dimitti. Quum vero omnes venditiones rerum mancipi per mancipationem fierent, id eſt, adhibito aere & libra: Vid. Aleand. & Schulting. *ad* Caii *Inſt. I. 6. 3. p. 31. ſequ.* conſequens erat, vt & illa liberorum, quamvis imaginaria, venditio eodem ritu fieret. Et hinc dicta eſt EMANCIPATIO, de cuius vocabuli vſu & ſignificatione conferendi Barn. Briſſon. *de verb. ſignif.* & Io. Frid. Gronou. *ad Senec. Epiſt. XXXXV. p. 27.* Cur dicta emancipatio?

Source : BIU Cujas

§. VII.

Emancipationis veteris ritus. Testes praesentes. Libripens Antestatus.

Quoties ergo fiebat emancipatio, adhibendi erant non minus quam quinque testes Romani ciues (*c*), & puberes, & praeterea alius eiusdem conditionis, qui libram teneret aeneam, vnde & LIBRIPENS adpellabatur, nec non alius qui ANTESTATVS audiebat. Fit eius mentio etiam a Prisciano *Lib.* VIII. *apud Putsch. p.* 792. vbi verba Liuii: *Impubes* LIBRIPENS *esse non potest, neque* ANTESTARI: nec non in marmore apud Gruter. *p.* MLXXXI. vbi narratur, donationem & mancipationem factam LIBRIPENDE CLAVDIO DATIVO, ANTESTATO CORNELIO VICTORE. Ex quo lapide adparet, diuersum a *libripende* fuisse *antestatum.* Quum vero ANTESTARI fuerit, *tactis auriculis alterum testem aduocare*, & dicere: MEMENTO, QVOD ET MIHI IN ILLA CAVSSA TESTIS ERIS: Horat. *Serm.* I. 9. *v.* 76. & ibi Acron & Porphyr. *in Schol.* isque ritus non solum in ius vocationi, sed & mancipationibus accederet (*d*): non abs re suspicantur viri docti, ANTESTATVM vocatum, qui testes conuocabat, eorumque fidem, tacta auricula (*e*), obtestabatur. Merill. *Obseru.* VIII. 37. Fr. Brummer. *de Leg. Cinc.* XIII. XIIII.

(*c*) Ita Caius apud Boeth. *Comment. ad Top. Cic. III.* sed tamen & *Latinos Iunianos* testes admitti consueuisse, docet Vlpian. *Fragm. XX.* 8.

(*d*) Certe etiam in testamentis, quae fiebant aere & libra, adhibitas fuisse ὦτων ἐπιψαύσεις, *aurium tactiones*, patet ex Clem. Alex. *Strom. V. p.* 575. Conf. Brumm. *de Lege Cinc. XIII. XIIII.*

(*e*) [Seru. *ad Eclog. VI. v.* 3. *Aures memoriae sacrae, id est, Mineruae.* Cui ideo aures argenteas ex voto soluit quidam apud Gruter. *Inscr. p. m. LXI.* 1. Eo adludere Trebatium *l.* 21. *pr. D. de furt.* censet V. A. Eu. Otto *de iurispr. symbol. Ex. II. Cap.* 3. *p.* 144.]

§. VIII.

IIII. Pater naturalis. V. Pater fiduciarius.

Praesentem porro adesse oportebat non solum patrem *naturalem*, sed & emtorem, filii, quem Caius PATREM FIDVCIARIVM vocat (*f*). Hic enim non idem videtur fuisse, ac antestatus, quum & ceteroquin emtor in mancipationibus ab antestato differret. Dictus autem pater *fiduciarius* a contractu FIDVCIAE qui in tertia mancipatione interponebatur, vel ex nouis legibus tacite interpositus censebatur. §. *vlt. Inst. de legit. agn. succeſſ.* FIDVCIAM *autem*, (inquit Boeth. *Comment. ad Cicer. Topic. IIII.*) *accipit, cuicumque res aliqua mancipatur, vt remancipet.*

(*f*) Vix nomen hoc quadrat emtori filii. Mancipatione enim emtor non fiebat pater, sed dominus. Fiducia quoque in tertia demum mancipatione contrahe-

Source : BIU Cujas

trahebatur. Tunc ergo demum emtor iſte fiduciarius vocari coepit. Sed Anianus fortaſſis hic Caium turbauit. Vid. Schulting. *ad* Cai. *Inſt. I. 9. p. 55.* [Iam vero aliter ſentio. Potuit dici pater quia naturalis illi filium in iure cedebat : potuit dici fiduciarius per περόλημψιν, quia tertiae venditioni accedebat fiducia. Vocabulum antiquitatem redolet, vt non temere ab Aniano profectum videri poſſit.]

§. VIIII.

His ergo praeſentibus, naturalis pater filium ſuum emtori mancipabat, id eſt, manu tradebat additis verbis : MANCVPO TIBI HVNC FILIVM, QVI MEVS EST. At ille contra ea, HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO, ISQVE MIHI EMTVS EST HOC AERE, HAC AENEAQVE LIBRA : ſtatimque, percuſſa libra, ſeſtertium numum (*g*) dicis cauſſa tradebat ei, a quo filium acceperat, quem deinde ſollemniter manumittebat emtor. Quandoquidem vero ex principiis iuris Romani filius, ſemel iterumque manumiſſus, in poteſtatem patris recidebat : Dionyſ. Hal. II. *p.* 96. non poterat non imaginaria iſta venditio ter repeti. Vbi poſtrema fiebat mancipatio, contractus fiduciae accedebat, paterque naturalis haec verba addebat : EGO VERO HVNC FILIVM MEVM TIBI MANCVPO, EA CONDITIONE, VT MIHI REMANCVPES, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, NE PROPTER TE TVAMQVE FIDEM FRAVDER. Cic. *de officiis* III. 15. *ad famil. Epiſt.* VII. 12. Sigon. *de iudic.* I. 5. Ille contra ſtatim, recepto ſeſtertio, filium patri naturali remancipabat. Quod ideo a Romanis excogitatum fuerat, vt ne, ſi a fiduciario manumitteretur, hic iura patronatus retineret, & naturalem patrem hereditate excluderet. Cai. *Inſt.* I. 6. *p. m.* 59. Remancipatum ergo ſibi filium pater naturalis denique manumittebat, & quidem ordinario vindictae ritu, additis alapis. Vnde emancipatio olim μετ' ὕβρεων καὶ ῥαπισμάτων cum *iniuriis & alapis* facta dicitur. *Nouell. LXXXI. praef.* Horum rituum omnium notitiam debemus Caio *Inſt. I.* 6. 3. ſed peſſime habito ab Aniano, vnde pleraque ex doctorum virorum notis, & maxime Fr. Brummeri victuro opere *de lege Cincia*, vel emendanda, vel ſupplenda fuerunt.

VI. Trinae mancipationes.

VII. Additum pactum fiduciae.

(*g*) Apud Caium eſt : *Vnum aut duos numos.* Id vero procul dubio ab Aniano eſt. In mancipationibus ſemper requirebatur *numus unus, quatuor aſſium*, id eſt, ſeſtertius. Teſtes ſunt inſcriptiones apud Gruterum, & Spon. *Miſcell. p. CCXCII.* in quibus ſemper in mancipationibus mentio fit SESTERTII NVMI VNIVS. Teſtantur veteres auctores, veluti Vitruu. *Architect. I. 4. Numo ſeſtertio mancipio dedit.* Teſtatur ipſum ius noſtrum *l. vlt. C. de donat.* vbi conferri merentur Cuiac. *Obſ. X. 37.* XVIIII. 31. Ant. Auguſtin. *Emend. II. 7.* Fridr. Brummer. *de Leg. Cinc.* XIIII.

Source : BIU Cujas

§. X.

Circumstantiae temporis.

Poterant porro trinae istae mancipationes vel eodem die, iisdemque testibus, vel interiectis aliquot diebus, aliisque adhibitis testibus, seorsum fieri. Paull. *Recept. Sent. I.* 25. 2.

§. XI.

Vnica mancipatio sufficiebat in emancipatione filiae & nepotum.

Opus quoque his sollemnitatibus ter repetitis erat duntaxat in emancipatione filii, quum filiae & nepotes vnica tantum mancipatione patria potestate exirent. Addebatur tamen & hic fiducia de remancipatione, vt ne pater naturalis spem successionis ab intestato amitteret. Cai. *Inst. l. c.* Vlpian. *Fragm. X.* 1.

§. XII.

Emancipatio Anastasiana.

Et haec est vetus illa ac sollemnis emancipatio, quae, vt aliae formulae ac sollemnitates, displicere posteritati coepit. Quare ANASTASIVS Imperator nouum inuenit emancipandi modum, qui solum Principis rescriptum iudici insinuandum exigeret, & omnia tamen veteris emancipationis effecta haberet. *l.* 5. *C. de emanc. lib.* [Quemadmodum enim per rescriptum principis quis redigi poterat in patriam potestatem, *l. vlt. D. de adopt.* rescripto merito & ea soluebatur. *l.* 35. *D. de regul. iur.*]

§. XIII.

Emancipatio noua vel Iustinianea.

Deinde IVSTINIANVS, & has aboliturus ambages, Anastasianam quidem emancipationem non sustulit, sed tamen patribus permisit, vt statim adirent magistratum competentem, & coram eo, consentiente filio, filium se e potestate dimissuros esse, ostenderent. *l. vlt. C. de emancip. lib.* Idque hac fiebat formula : HVNC SVI IVRIS ESSE PATIOR, MEAQVE MANV MITTO. Harmenop. *Prompt. I.* 17. 8. Sed posterioribus his speciebus nomen EMANCIPATIONIS vix quadrare, satis adparet.

§. XIIII.

Dignitas olim non soluebat patriam potestatem.

Postremus modus, quo patria potestas soluebatur, erat DIGNITAS. Et quamuis Dionysius Halic. *II. p.* 96. nullam dignitatem patria potestate liberasse contendat : iam ab antiquissimis tamen temporibus Flamines Diales & Virgines Vestales patria potestate liberabantur. Vlpian. *Fragm. X.* 5. Gell. *Noct. Attic. I.* 12. Id quod tamen non tam ob dignitatem, quam ideo potius factum videtur, quia tum Flamines Diales, tum Vestales virgines a pontificibus manu capiebantur. Quum ergo capti ex principiis iuris Romani

Source : BIU Cujas

Romani capite deminui dicerentur, & hinc iure patriae poteſtatis exirent: mirum non eſt, vtrumque etiam hoc ſacerdotium eam poteſtatem ſoluiſſe. De ritu capiendi Veſtales vid. Dionyſ. *Hal. II. 68.* apud quem, quod obiter moneo, verbum ἀιρυμένων Sylburgius parum accurate vertit *optandi*, quum vertendum fuiſſet *capiendi*. Gell. I. 12. Lipſ. *de Veſta & Veſtal.* V. Flaminis Dialis capti meminit Liu. XXVII. vbi conf. Iac. Guther. *de vet. iur. Pontif. I.* 32. Quin & flaminicae, id eſt, vxores flaminum Dialium patria poteſtate exibant, quod SCto demum coarctatum tempore Tiberii. Tacit. *Annal. IIII.* 16.

§. XV.

Iuſtinianus tamen p. p. exire voluit Patricios,

At Iuſtinianus poſtea & *Patriciatus* dignitatem immunem eſſe iuſſit a patrio imperio. *l. fin. C. de conſul.* §. 4. *Inſt. h. t.* Ante Iuſtinianum enim patriciatum a patria poteſtate non liberaſſe, idque fruſtra ex Caſſiodori *Var. VI.* 2. colligi contra Vinn. *ad* §. 4. *Inſt. h. t.* & Bachou. *in Diſp. ad Treutl. Vol. II. Diſp.* 2. *th. vlt.* accurate euicit V. C. Reinold. *Var. Cap. XVIIII.* Caue vero hic intelligas antiquos illos patricios quos in libera republica plebeiis oppoſitos conſtat. Conſtantinus enim Magnus praecipuos rerum adminiſtros vocare ſolebat patricios, vt ſe quaſi principum patres eſſe meminiſſent. Ii ipſos Praefectos Praetorio ordine anteibant. Zoſim. *Hiſt. II.* 40. nec minor, quam horum in imperio erat auctoritas. Quemadmodum enim Praefecti proponebant Edicta, quae deinde in vnum corpus collecta τῶν ἐπαρχικῶν nomine veniebant: ita idem ius erat Patriciis, quorum edicta collecta τὰ Ρωμαϊκὰ dicebantur, ſicuti ipſorum principum βασιλικὰ. Vid. Cuiac. *Obſ. VI.* 10. Vnde parum accurate Dionyſ. Gothofred. in *Nomenclatore Graecar. iur. diction. ad Harmenopul. p.* 447. Ρωμαϊκὰ τὰ μαγίστρε λεγόμενα, *conſtitutiones Romani Imp. aut potius Commentarius magiſtri ad Romani Conſtitutiones, aut certe liber a magiſtro, Romani nomine, compoſitus ſuiſque titulis diſtinctus, aut potius aliud* Ρωμαϊκά, *aliud* τὰ τῦ μαγίστρε λεγόμενα. Vbi ſane dum plures coniecturas repraeſentat, a re plane aberrat vir doctiſſimus. Ceterum & poſteris ea dignitas ſumma ſemper & ſplendidiſſima viſa eſt. Vid. Caſſiodor. *Var. VI.* 2.

§. XVI.

Episcopos.

Idem beneficium deinde Iuſtinianus cum Epiſcopis, quin & cum aliis, qui magiſtratuum honoratiorum dignitate pollerent, veluti cum *Conſulibus*, *Conſularibus*, *Praefectis Praetorio*, *& Vrbi*, *Magiſtris militum* & *patronis fiſci* communicauit. Nouell. LXXXI.

Source : BIU Cujas

§. XVII.

De cauſſis emancipandi neceſſariis.

Accedebant quaedam cauſſae, ob quas parentes etiam inuiti cogerentur liberos e poteſtate dimittere, de quibus paſſim iureconſulti. Conf. Thomaſ. *Diſſert. de vſu pract. huius tit. I.* 15. 16. & quae nos diximus in *Elem. Iur. Ciu.* §. 198.

TIT. XIII. VSQVE AD XV.

ET TIT. XVII. VSQVE AD XX.

DE TVTELIS,

TESTAMENTARIA, LEGITIMA DATIVA.

SEquitur tertia perſonarum diuiſio, aut ſubdiuiſio potius perſonarum ſui iuris. Harum enim *quaedam* in TVTELA, *aliae* in CVRATIONE ſunt, *quaedam* NEVTRO IVRE *tenentur. princ. Inſt. h. t.* Ipſa tutela curaque eorum, qui per aetatem vel imbecillitatem intellectus ſe ipſi defendere nequeunt, eſt iuris gentium, & hinc apud omnes peraeque gentes recepta. Vid. Selden. *de vxore Hebr.* II. 3. Puffend. *Iur. Nat. & Gent.* IIII. 4. Sed Romani in multis a ſimplicitate iſta iuris naturalis deflexerunt. Vnde apud eos alia tutela IMPVBERVM, alia curatio MINORVM, aliorumque, qui rebus ſuis ipſi ſupereſſe non poterant, alia tutela FEMINARVM. De omnibus ex antiquitatibus Romanis nonnulla monenda.

§. I.

TIT. XIII. Tutela Romae antiquiſſima.

TVTELA IMPVBERVM tam antiqua eſt, vt & ſub Regibus eius exemplum reperiamus. Ancum enim Marcium filiis tutorem deciſſe L. Tarquinium Priſcum, patet ex Liu. I. 46. Quum ergo Tarquinius nec agnatus fuerit, nec eo tempore leges de tutela datiua exſtarent, adeoque ea tutela procul dubio teſtamentaria (*a*) fuerit: ſequitur, vt haec ſit reliquis antiquior.

(*a*) [Teſtamentifactio & ante Romam conditam in Italia viguit. Sic Proca, rex Albanus, Numitori filio, qui ſtirpis maximus erat, regnum vetuſtum Siluiae gentis legaſſe dicitur Liuio I. 3. Exemplum Lucumonis in Tuſcia, temporibus Romuli vel Numae viuentis & teſtamento praetereuntis poſtumum nepotem, habet idem I. 34.]

§. II.

Source : BIU Cujas

§. II.

Certe & legibus XII. Tabularum ea tutelae ſpecies firmata eſt, proſpectumque, vt patri de liberorum tutela in teſtamento diſponendi facultas eſſet. Legitima verba ex Auctore ad Herennium, Cicerone, Vlpiano & Paullo ita reſtituit Iac. Gothofredus *de Leg. XII. Tab. V.* 1. PATER FAMILIAS, VTI LEGASSIT SVPER PECVNIAE (*b*), TVTELAEVE SVAE REI, ITA IVS ESTO. *Legare* hic non ſolum ſingulas res teſtamento relinquere, ſed & omne teſtamentarium negotium denotat, idemque adeo eſt, ac *teſtari*, ſeu *teſtamento ſtatuere*, vel *decernere*. Eſt enim *legare*, ceu ſyllabae primae quantitas docet, a Graeco vetuſto λήχειν vel λήγειν, vnde futurum, λήξω, quod verbo λαγχάνω tribuunt grammatici, λῆξις *hereditas* & λῃξιάρχαι *magiſtratus Athenienſium*. In primis autem LEGARE Latinis erat legis modo diſponere, mandare, legem dicere rebus ſuis, νομοθετεῖν, ceu infra *ad titulum de legatis* docebimus. *Super pecuniae tutelaeue* ἀρχαϊκῶς dicitur. Non enim raro antiqui exemplo Graecorum, caſum ſecundum pro ſexto adhibebant. Sic in marmore Salernitanorum, apud Grut. *Inſcr. p.* CCCXXXXIII. 2.

[1] TIT. XIIII. Lex XII. Tabularum de tutela teſtamentaria.

ACERRIO. FIRMEO. LEONTIO. PRIMARIO. VIRO. ET. EDITORI. MVNERIS. SVI. CVM. FERARVM. LIBYCARVM. QVI. VIXIT. ANN. XXX. DIGNISSIMO. FILIO.

CONSACRABERVNT.

Pecunia porro non ſolum numos, ſed & omnem ſubſtantiam teſtatoris, immo & iura, complectitur. *Quidquid enim homines poſſident in terra, quorum domini ſunt*, PECVNIA *vocatur, ſeruus ſit, vas, ager, arbor, pecus : quidquid horum eſt*, PECVNIA *vocatur*, inquit Auguſtin. *De Doctrin. Chriſt.* VI. *p.* 585. *Tom.* VI. *op.* plane iuridice, vti patet ex *l.* 222. *D. de verb. ſignif.* Denique SVAE REI dum additur, id ſane referendum ad ipſos liberos (*c*), qui iure

(*b*) [Additur ab aliis FAMILIAE. *Auct. ad Herenn. I.* Cic. *de Inuent. II.* 50. Vnde *familiae emtor*, Vlpian. *II.* 50. & *familiam erciſcere.*]

(*c*) Vnde non eſt, quod lectionem hanc ſollicitet V. C. Gerard. Noodt *Obſ. II.* 19. vbi legi iubet ; *Super tutela pecuniaue ſua*, additque *tutelam ſuam* idem eſſe ac tutelam eius, qui ſuus teſtatori heres ſit. Nemo enim temere ita loqueretur. Nec obſtat, tutelam non habere locum in liberis, dum ſunt *res ſuae*, id eſt, in patria poteſtate conſtituti. Legat enim pater de tutela ſuae rei, ſed in eum caſum, quo liberi futuri ſint capita libera.

Source : BIU Cujas

iure veteri erant in dominio Quiritario, adeoque RES MANCIPI. (*Lib.* II. *Tit.* I. §. XV.) Sensus ergo est, quamcumque legem paterfamilias in testamento suo dixerit, & quocumque modo disposuerit, & de rebus suis, & de ipsis bonis ac facultatibus eorum, (scilicet per substitutionem pupillarem) ita ratum post mortem futurum. Quum enim antea sub regibus, calatis comitiis testamenta fierent, adeoque heredum tutorumque institutio a populi magis arbitrio, quam voluntate testatoris, penderet: mutatum id est lege decemuirali, permissumque patrifamilias cuiuis, de tutela pecuniaque suae rei, id est, liberorum suorum, liberrime disponere.

§. III.

Tutelae testamentariae indoles.

Si quis ergo paterfamilias liberis, quos in potestate habebat, sive liberos, siue seruos suos, hos tamen cum libertate, tutores dederat (*d*): ii sine satisdatione atque inquisitione admittebantur, ipsosque excludebant legitimos, dummodo essent ciues. Nam Latini Iuniani, quamuis cum iis esset testamenti factio: tutores tamen dari non poterant per legem Iuniam. Vlpian. *Fragm. XI.* 16. Quia vero fundamentum huius tutelae testamentariae erat patria potestas: consequens erat, vt & nepotibus, qui in patris potestatem defuncto auo non essent recasuri, & exheredatis impuberibus tutores testamento constitui possent. Vid. *l.* 4. *&* 26. §. 2. *&* *l.* 31. *D. de test. tut.* Et inde simul patet ratio, cur mater tutores testamento dare non posset, *l.* 2. *D. de confirm. tut.* quamuis tutor ab ea datus confirmari soleret cum inquisitione, modo ea pupillum simul heredem instituisset. *l.* 4. *D. de test. tut. l.* 4. *D. de conf. tut. l.* 7. §. 1. *l.* 8. *D. eod.* Quae confirmatio & aliis casibus quibus tutoris dationi vitii quid inesse videbatur, accedere solebat, ceu ICti pluribus docent in libellis suis.

(*d*) Formulas quibus in testamentis vsi Romani, si tutores dare vellent, colligit Brisson. *de Form. VII. pag.* 616.

§. IIII.

TIT. XV. Lex XII. Tab. de Tutela agnatorum legitima.

Quum vero contingere posset, vt intestatus, saltim quod ad tutelam, decederet pater familias: iisdem legibus decemuiralibus fuerat constitutum: AST SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, ADGNATVS PROXIMVS FAMILIAM NANCITOR. Gothofred. *ad XII. Tab. V.* 4. Et ab hac lege LEGITIMA dicta est tutela, ad quam agnati ab ipsa lege vocabantur.

§. V.

Source : BIU Cujas

§. V.

Quaenam sit huius LEGITIMAE TVTELAE origo, eruditis nondum liquet. Veteres legislatores mirifice hic discreparunt. Solon adgnatos a tutela prohibuerat, veritus procul dubio, ne hereditatem capere mallent, quam exspectare. Hinc potius cognatis credidit pupillos, nec proximis tamen semper, sed quoscumque Archontes idoneos iudicassent. Diog. Laert. I. 56. Petit. *de legit. Attic. VI.* 7. Charondas contra, seiuncta educationis bonorumque cura, illam penes cognatos, hanc penes adgnatos esse voluit, quum nec illi tollendi e medio pupilli, nec hi dissipandarum facultatum vllam haberent caussam. Diod. Sic. *Biblioth.* XII. *p.* 81. Denique Lycurgus adgnatos proximos ad tutelam vocauit, forsan, quod, in tanta Spartanorum continentia et paupertate, non admodum metuerentur insidiae. Exemplum sane legitimae adgnatorum tutelae Spartae receptae, est apud Herodot. I. *p.* 16. vbi ipse Lycurgus dicitur ἐπιτροπεύσας λεωβώτεω, ἀδελφιδέος μὲν ἑαυτοῦ, βασιλεύοντος δὲ Σπαρτιητέων. *Tutor, et idem patruus Leoboti Spartiatarum Regis.* Add. Crag. *de Rep. Lac.* II. 11. Spartanos ergo imitati videntur decemuiri. Lacedaemoniorum sane non minus, quam aliorum Graecorum, instituta quaedam in XII. tabulas migrasse, iamdudum obseruarunt Athenaeus VI. *p.* 273. Symmach. *Epist.* III. 11. Ammian. Marcellin. XVI. 5.

Origo huius tutelae.

§. VI.

Satisne vero prudenter eam Spartanorum legem ciuitate donarint decemuiri, alii viderint. Non sane tanta erat Romanorum, quanta Laconum, continentia, non idem vtrobique diuitiarum contemtus. Hinc tot iniquissimi heredipetae, quorum charactetem egregie expressserunt Pers. *Sat.* II. *v.* 12. 13. Horat. *Serm.* II. 5. Iuuenal. *Sat. V. v.* 98. *VI. v.* 38. *XII. v.* 93. Martial. *Epigr. VI.* 63. VIII. 17. Thomas. *Dissert. de iniusto iure heredipet.* §. XIIII. *sequ.* Bynkersh. *de capt. instit. p.* 303. *seq.* An religioni sibi duxerint homines tam lucri cupidi, pupillum, cuius proximi heredes erant, interimere? [conf. §. 3. *Inst. de pup. subst.* Sueton. *Galb. cap.* VIIII.] Vnde mirum est, legislatoriam decemuirorum prudentiam hac in re quosdam tantopere admirari.

Tutela legitima occasionem dedit fraudibus heredipetarum.

§. VII.

In iisdem porro XII. tabulis erat constitutum: SI LIBERTVS INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AST PATRONVS PATRONIVE LIBERI ESCINT, EX EA FAMILIA IN EAM FAMI-

TIT. XVII. Origo legitimae patronorum tutelae.

Source : BIU Cujas

FAMILIAM PROXIMO PECVNIA DVITOR. Gothofr. *ad XII. Tab. VI.* 2. Et ex hac quidem lege, defuncto sine prole liberto, patronus (*e*), vel, hoc praemortuo, eiusdem liberi in capita, succedebant ab intestato, remotioresque excludebant. *l.* 23. §. 1. *D. de bon. libert.* Vlpian. *Fragm. XXVIIII.* 1. Quum ergo iam dudum Romae valuisset regula: *Vbi successionis emolumentum, ibi et tutelae onus esse debere*: aequum visum est iureconsultis, vt etiam in tutela patronorum essent liberti eorumque liberi. *l.* 3. *pr. et* §. 1. *D. de legit. tut.* Et hinc nata legitima PATRONORVM TVTELA, quam *per consequentiam ex lege duodecim tabularum introductam*, recte ait Vlpian. *Fragm. XI.* 3.

(*e*) [Quippe proximus veluti agnatus, vti diserte monet constitutio Graeca Iustiniani, quam ex Basilicis restituit Cuiac. *Obseru. XX.* 34. quia agnati videntur libertorum, qui illos manumiserunt.]

§. VIII.

TIT. XVIII. Origo legitimae parentum tutelae,

Diximus supra Tit. XII. §. VIIII. patrem naturalem, emancipantem liberos, vltimae mancipationi addidisse pactum *fiduciae*: EGO VERO HVNC FILIVM MEVM TIBI MANCVPO, EA CONDITIONE, VT MIHI REMANCVPES, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, NE PROPTER TE TVAMQVE FIDEM FRAVDER. Diximus etiam, tunc emtorem, seu patrem fiduciarium, filium sibi mancipatum patri naturali remancipasse, a quo demum fuerit per vindictam manumissus. Diximus denique id ideo factum esse, vt pater naturalis iura patronatus, coniunctamque cum iis spem succedendi ab intestato, retineret. Vid. supra *Lib. I. Tit. XII.* 8. §. 9. Quum ergo penes patrem, tamquam patronum, spes remaneret successionis: ex prudentum interpretatione deferenda etiam ei videbatur tutela legitima, si filius emancipatus adhuc esset impubes. Mortuo porro patre, fratres istius emancipati natu maiores, si essent maiorennes, ad tutelam vocabantur. Quum vero hi non essent fratris emancipati heredes ab intestato, tutela illa non poterat dici adgnati. Vocata ergo est FIDVCIARIA, ab illo pacto fiduciae, quod in emancipatione interceserat. Quamvis ex Vlpiano pateat, olim non legitimam fratrum, sed ipsam parentum tutelam dictam esse *fiduciariam*: idque vel ideo concinnius sit vocabulum, quod pactum illud fiduciae non frater, sed pater emancipans interponeret. Ita tamen et Modestinus hanc tutelam vocat *l.* 4. *D. de legit. tut.* nisi et eam in legem falcem immisit Tribonianus, [quod tamen suspicari superuacuum.

TIT. XVIIII. vt et tutelae fiduciariae.

Vere

Vere enim filius fit fratris tutor, ob pactum fiduciae a patre interpositum, *d. l.* 4.] Vid. Ant. Schulting. *ad Vlpian. Fragm. XI.* 5. *p.* 595. Huber. *Digress. I.* 1. 4.

§. VIIII.

Enimuero, quum non deessent casus, quibus et testamentarii, et legitimi tutores, deficerent: visum est Romanis, noua lege cauere, vt impuberibus tunc tutores a magistratibus DARENTVR. Factum ergo ea de re plebiscitum, quod LEGIS ATILIAE (*f*) nomine in iure laudatur. Tempus huius legis latae incertum est, nisi quod eam ante annum ab V. C. DLXVII. conditam doceri possit ex Liuio XXXVIIII. 6. Vid. Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I.* 13. Inuenimus sane, *Atilium Longum*, Trib. plebis fuisse anno V. C. CCCVIIII. *L. Atilium* anno CCCXXXXIII. Liu. VIIII. 30. sed neutrum hanc legem tulisse verosimile est, quoniam tunc nondum erat Praetor vrbanus. Annum V. C. CCCCLX. quo praetor fuit M. Atilius Regulus, huic legi adsignat Steph. Vin. Pigh. *in Annal. ad ann.* CCCCLX. sed et hunc non magis auctorem legis esse arbitramur: maxime, quum Praetores plebiscita ferre non solerent. Procul dubio lata est anno CCCCXXXXIII. a L. Atilio Regulo, Trib. pleb. cuius meminit Liu. VIIII. 30.

TIT. XX. Lex Atilia de tutore dativo quando lata.

(*f*) ATILIA, non ATTILIA dicitur haec gens apud Liuium, Tacitum, Ciceronem, et maxime in numis et marmoribus. Vid. Fulu. Vrsin. *de familiis Romanorum ex numism. p.* 42. *edit. Patini.* Erat ea gens Romae nobilissima in tres potissimum diuisa familias, quarum vna *Regulorum*, altera *Serranorum*, tertia *Calatinorum* cognomen ferebat. Gentis totius seriem accurate dedit Iac. Perizon. *Animadu. Hist. Cap. I. p.* 26.

§. X.

Hac vero lege cautum est, vt pupillis, et feminis, quibus nec testamentarius, nec legitimus tutor esset, tutor daretur a praetore et maiore parte tribunorum plebis (*g*). Exemplum est apud Liu. XXXVIIII. 9. vbi Fecennia Hispala *post patroni mortem*,

Quid ex lege sancitum?

(*g*) Id vero ideo videtur sancitum, quia aliquando vna cum praetore edicta conscribebant tribuni, aut certe hi a praetoribus in consilium adhibebantur. Vid. Cic. *de offic. III.* 20. Ceterum hic id singulare est, quod plura Tribunorum plebis suffragia vincerent pauciora, quum alias singulis esset ius intercedendi turbandique reliquorum decreta. Obseruatum id iam a Fr. Hotomano, & Arn. Vinnio *ad pr. Inst. de Atil. tut.*

Source : BIU Cujas

quia nullius in manu esset, tutorem a TRIBVNIS *et* PRAETORE *petiisse* dicitur. Dictus eiusmodi tutor *Atilianus*, nec non *datiuus*, a formula, qua vti Praetores solebant: DO TE TVTOREM. Brisson. *de Form. V. p.* 408.

§. XI.

Lex Iulia et Titia.

Sed quum ea lex Romae tantum haberet locum: (Vlpian. *Fragm. XI.* 18.) anno V. C. DCCXXII. Augusto III. et M. Titio M. F. Rufo Coss. lata est lex Iulia et Titia. Henr. Valesi. *ad Excerpt. Peirescian. p.* 61. Tacit. *Ann. III.* 25. Quia enim antea diu in sola Sicilia fuerat moribus receptum, vt praetores τοῖς ὀρφανοῖς καὶ γυναιξὶν ἐρήμοις συγγενῶν, *pupillis et feminis adgnatorum cura destitutis*, tutores darent; Diodor. Sic. *in Excerpt. Peiresc. p.* 397. factum est, vt illud ius hac lege etiam cum aliis prouinciis communicaretur, iuberenturque praesides etiam in prouinciis tutores dare. Vlpian. *Fragm. l. c.*

§. XII.

Tutoris datio consulibus SCto Claudiano iniuncta.

Sed tamen haec tutoris datio non vnam postea subiit mutationem. Quum enim tribuni et praetores negligentius forsan eo munere fungerentur: sancitum est *SCto Claudiano*, *vt pupillis extra ordinem tutores a consulibus darentur.* Suet. *Claud. XXIII.* Hinc ad Traiani vsque tempora tutores a consulibus datos legimus apud Plin. *Epist.* VIIII. 13. Horum vero, simul erat inquirere in tutoris conditionem, atque indolem, ne quid res pupilli detrimenti caperet. §. 3. *Inst. h. t.* Quaestiones in ista inquisitione propositas recenset Iac. Cuiac. *in Papinian. ad l.* 5. *C. de conf. tut.*

§. XIII.

Praetor tutelaris factus ab Antonino.

Mox tamen et consulares istae tutelae displicuerunt. Vnde ius dandi tutores praetoribus constitutione restituit M. Antoninus Imp. ita tamen, vt singularem faceret *Praetorem*, quem ab officio *tutelarem* vel *pupillarem* adpellabat (*h*). Iul. Capitolin. *vit. Marci. Cap. X.* §. 3. *Inst. h. t.* Haec Praetura satis diu Romae mansit. Nam ANICII AVCHENII BASSI, PRAETORIS TVTELARIS mentio fit in marmore apud Reines. *Inscr. VI.* 4. Alia monimenta, in quibus hic Praetor laudatur, collegit Ios. Castalio *Var. Lect. XX.*

(*h*) [De officio praetoris tutelaris singularem librum scripserat Vlpianus, quem citat Modestinus *l.* 6. §. 13. D. *de excusat.* Exstant ex eo tria fragmenta *l.* 3. 5. 9. *D. eod. tit.* nec non Paullus ex quo nullae leges desumtae.]

§. XIIII.

Source : BIU Cujas

§. XIIII.

Praefectus et Praetor quando tutores dederint?

Paullo post moribus inualuit, vt Romae praefectus vrbi et praetor secundum suam iurisdictionem; in prouinciis vero Praesides, immo et Legati Procoss. ex speciali lege, id est, ex Oratione D. Marci tutores ex inquisitione darent, [Schulting. *in* παρατ. I. 16. 6. *p.* 149.] qui tamen etiam inferiori magistratui vel ipsi ciuitatis defensori id negotii dare poterant, si non adeo magnae essent pupillorum facultates. §. 4. *Inst. de Atil. tut. l.* 1. *pr.* §. 1. *l.* 3. *l.* 19. *pr.* §. 1. *D. de tut. et cur. dat.* Erant autem *Defensores ciuitatum*, qui et ἔκδικοι, et *Vindices* adpellati, similes tribunis plebis Rom. eorumque erat plebis iura aduersus magistratus tueri. *l. un. C. de off. iurid. Alex.* Vnde eos cum τοποτηρηταῖς, *seruatoribus locorum, locorum iudicibus, vicariis* qui iuris dicundi caussa a Praefectis praet. mittebantur, non confundendos monet Cuiac. *Obseru.* III. 14. (*i*) Quae loca cum *l.* 8. *D. de tut. et curat. datis ab his*, diligenter, vt solet, contendit Ger. Noodt *de Iurisd. II.* 8. *p.* 162.

(*i*) Obseruata tamen differentia, vt, si Praesides ipsi tutores darent, id fieret cum inquisitione: sin magistratus municipales, cum satisdatione. Qua de re infra.

§. XV.

Iustiniani noua Constitutio.

Denique Iustinianus sanxit, si pupilli vel adulti facultates vsque ad D. solidos valeant, vt Defensores ciuitatum vna cum episcopo, vel alii magistratus, etiam non exspectata Praesidis iussione, vel Iuridicus Alexandrinus (*k*) tutores vel curatores darent. *l.* 30. *C. de Episc. aud.* §. 5. *Inst. de Atil. tut.*

(*k*) [Suberat hic praefecto augustali Aegypti. Strabo *Lib. XVII. p.* 1147. qui et obseruat, eum non Alexandriae, sed vniuersae Aegypto ius dixisse. Hinc iuridicus Aegypti. Gruter. *Inscr. pag.* CCCLXXIII. 4. habuit legis actionem, *l.* 1. *D. de offic. iurid.* tutoris dationem, *l.* 2. *D. eod.* et donatio apud eum insinuari poterat. *l. vn. C. eod. tit.* Conf. Reines. *Inscr. XI.* 26.]

§. XVI.

Tutelae mulierum origo.

Haec tralatitia sunt. Antiquitatum vero studiosis porro est obseruandum, non solum *pupillos* tutelae, iure veteri Romano, subfuisse, sed et FEMINAS. Et Athenis quidem idem fieri consueuerat, vbi noti mulierum tutores, quos κυρίους adpellabant. Vid. Guil. Budaei *Comment. Graec. Lingu. p.* 44. 45. Pfeiffer. *Antiqu. Graec.*

Source : BIU Cujas

Graec. IV. 5. p. 616. Salmaſ. *de mod. vſurar. IIII. pag. 165.* Sane enim in negotiis omnibus a feminis Graecis adhibendi erant tutores, Cic. *pro Flacc. XXX.* [*Diſſert. noſtr. de marito tut. vel curat. legit. I. 8. ſequ.* *] adeo vt contrahere non poſſent ſine illis πέρα μεδίμνου κριθῶν, *vltra modium hordei*, ceu teſtantur Dio Chryſoſt. *Orat. LXXV.* et alii veteres, quos excitarunt Meurſ. *Them. Att. II. 9.* et Salmaſ. *de mod. vſur. cap. X. p. 425.* Nec agere vel conueniri Athenis poterat mulier ſine tutore, et hinc illa vox praeconis in iudiciis Atticis: ἡ δεῖνα καὶ ὁ κύριος, *Citatur haec mulier, eiuſque tutor.* V. C. Eu. Otto *Diſſ. IIII. cap. I. §. 6.* Inde itaque eſt, quod nonnulli iſtam mulierum tutelam e iure Attico in Romanum permanaſſe exiſtimant. Schilter. *Exerc. ad Pand. XXXVIII. 227. p. 691.* Vinc. Grauina *de leg. et ſenatuſconſ. p. 550.* Sed praeterquam quod illam tutelam plane diuerſam a Romana fuiſſe, probatur a Meurſio *Attic. Lect. III. 24.* videtur etiam Romana propter infirmitatem conſilii iam inde ab ipſa vrbis origine recepta. Quamuis enim id non ſequatur ex loco Plutarchi *in Numa p. 66.* vbi Veſtalibus id priuilegii conceſſiſſe Numa dicitur, vt a tutela eſſent immunes, (ex quo loco alias colligunt, mulieres iam tum ab eo tempore ſub tutela fuiſſe) (*l*) certius tamen id colligere licet ex loco Catonis apud Liu. XXXIIII. 2. *Maiores noſtri nullam, ne priuatam quidem rem, agere feminas ſine auctore voluerunt, in manu eſſe parentum, fratrum, virorum.* Adde et alterum locum Ciceron. (*m*) *pro Muraena XII.*

* In Opuſc. Miſcell. Sylloge Ia. Diſſert. XXV.

(*l*) Id priuilegium Veſtalibus non conceſſit Numa, quidquid dicat *Plutarchus.* Ius enim trium liberorum, quod ibidem ait Veſtalibus conceſſum, Numae temporibus erat incognitum. Praeterea ad Auguſtum hoc Veſtalium priuilegium refert Dio Caſſ. *Lib. LVI. p. 578.* Iuſt. Lipſ. *de Veſta et Veſtal. XII.* Sed adde tamen, quae ſcripſimus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Lib. I. cap. 2. p. 27.* vbi Plutarchi locum vna littera mutata ita emendauimus: Τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπέδωκαν (pro ἀπέδωκεν) ἱερείαις παρθένοις, ὧν ἔστι καὶ τὸ διαθέσθαι ζώντος ἐξεῖναι πατρὸς, καὶ πολλὰ πραγμάτων ἄνευ προσάτου, διοικοῦσας, ὥσπερ αἱ τεκοῦσαι. *Tribuerunt* (*non Numa ſed Romani*) *Veſtalibus ingentes honores, inter quos teſtamenta vel ſuperſtite patre nuncupandi ius, et ſine tutore liberum ſuarum rerum arbitrium, vt, quibus tres ſunt liberi.* Multa enim Plutarchum data occaſione per περόληψιν referre ſolere, ibidem oſtendimus.

(*m*) Verba Ciceronis ſunt: *Nam quum permulta praeclare legibus eſſent conſtituta, ea iureconſultorum ingeniis pleraque corrupta ſunt. Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii maiores in* TVTORVM *poteſtate eſſe voluerunt; hi inuenerunt genera tutorum, quae poteſtate mulierum continerentur.* Locus hic ab ipſis interpretibus parum intellectus eſt. Fr. Sylu. *p. m. 635.* ait, iureconſultos inueniſſe

Source : BIU Cujas

nisse tutelas, quibus non mulieres sub tutorum, sed hi sub mulierum potestate essent: Sed haec numeris Platonicis obscuriora. Phil. Melanchth. *p.* 672. et Io. Benignus *p.* 744. intelligunt tutelam maternam liberorum. Sed ea non est illorum temporum, vt patet ex Nou. *CXVIII.* 5. Ioach. Camerarius *p.* 700. plane ἐπίκτ. Sed certissimum est, intelligi tutores, ab ipsis mulieribus electos. Mulieres conuentione in manum liberabantur a tutela, & filiarum familias loco habebantur. Quum ergo paterfamilias iure posset testari de tutela: factum est, vt et morientes mariti testamentis de tutela vxorum disponerent, et ita quidem disponerent, vt iis darent optionem, quem vellent, tutorem sibi eligendi. Exemplum praeclarum est apud Liuium *XXXVIIII.* 19. Hoc quum contra veteres leges inuexissent iureconsulti, *inuenerunt genera tutorum, quae potestate*, id est, optione *mulierum continerentur.*

§. XVII.

Ea vel pupillaris vel perpetua.

Erat vero haec mulierum tutela vel PVPILLARIS, vel PERPETVA, Boeth. *in Topica Cic. IIII.* quarum hanc illi praeferebant veteres, teste Gellio *Noct. Att. V.* 13. *Pupillarem* pubertas finiebat; *perpetua* ne maiorennitate quidem exspirabat. *Pupillarum* tutores et gerebant, et auctoritatem interponebant. *Adultarum* vero negotiis tutores tantum auctoritatem interponebant, non vero gerebant. Hinc verbi caussa recte mulieri adultae poterat solui. Cic. *Topic. XI.* At auctoritate tutorum opus erat, si illa lege aut legitimo iudicio agere vellet, si se obligaret, si negotium ciuile gereret, si rem mancipi alienaret. Cic. *pro A. Caecin. cap. XXV.* Vlpian. *Frag. XI.* 25. 27. Quin et nuptias contrahere, vel in manum conuenire sine tutorum auctoritate non poterat. Cic. *pro Flacc. cap. XXXIIII.*

§. XVIII.

Perpetua vel testamentaria, vel legitima, vel praetoria.

Erat porro perpetua illa tutela mulierum vel TESTAMENTARIA, vel LEGITIMA, vel PRAETORIA. Ista erat in potestate mariti, qui moriens vxori, quae in manum conuenerat, tamquam filiaefamilias, tutorem dabat testamento. Id quod non solum ex loco Ciceronis paullo obscuriore *pro Mur. cap. XII.* sed et ex hoc testimonio clarissimo Liuii XXXVIIII, 19. patet, vbi Hispalae Fecenniae SC. data dicitur *gentis enuptio*, & TVTORIS OPTIO, *quasi* ei VIR TESTAMENTO DEDISSET. Vid. *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. XI. p.* 237. Illa erat ordinaria; haec a praetore vrbano et tribunis plebis dabatur, si femina cum tutore legitimo lege aut legitimo iudicio agere vellet, vt eo auctore ageret, vel tutorem legitimum non haberet, vel is pupillus esset. Nam et pupillis tutelam legitimam iure veteri delatam esse, iam Cuiac. *Obs. XVII.* 28. demonstrauit. Vlpian. *Fragm. XI.* 24. Quum vero legitima tutela, quasi

quasi res iure Quiritium propria in iure posset cedi: is, cui tunc cedebatur, vocabatur *tutor cessicius*, (*n*) cuius administratio tamen cessabat; simul ac legitimus qui cesserat, vel obiisset, vel capite esset deminutus. Vlpian. *Fragm. XI.* 7. Fiebat autem illa cessio, ne agnatus eo onere perpetuo obrueretur, et quidem plerumque alteri agnato, si recte coniecit Iac. Gothofred. *ad l. 2. C. Theod. de tutorib. et curat. creand.*

(*n*) Est quidem apud Vlpian. *Fragm. XI.* 7. vox *cessicus*, sed procul dubio legendum *cessitius*, quemadmodum et tutela ibidem vocatur *cessitia*. Vid. Io. van der Water *Observ. III.* 2.

§. XVIIII.

An mariti tutores vxorum?

Quaeri etiam solet, an et mariti tutelam uxorum suscipere potuerint? Adfirmat Scipio Gentilis ad *Apuleii Apolog. n.* 1020. Sed Domitiana erit quaestio, siue proponatur de iis, quae in manum conuenerant, sive de illis, quae tantum erant in matrimonio. Illae non erant in tutela, sed in manu et mancipio maritorum, adeoque non magis poterant tutores habere, quam filiaefamilias, quum non essent capita libera. (Vide supra *Lib. I. Tit. X. §. VI.*) Hae sui iuris et rerum suarum dominae erant, ast in tutela non maritorum, sed agnatorum, viuebant, quia sine horum auctoritate nihil poterat de tutela legitima deminui, vt paullo post demonstrabimus. Hinc apud Gruter. *Inscript. p. DLII.* 2. occurrit monimentum, quod mulier fecit SIBI, CONIVGI, ET TVTORI SVO. Si vxores in tutela maritorum esse dicerentur: procul dubio id intelligendum esset improprie de iis, quae in manum conuenerant, quemadmodum et hodie nonnumquam parentes a ICtis satis inconcinne naturales filiorum tutores adpellantur. Ex loco sane Ciceronis *pro Flacco*, *XXXIIII.* (*o*) maritalis ista tutela frustra colligi videtur a Schiltero *Exerc. XXXVII.* 229. Immo posterioribus temporibus tantum abest, vt

(*o*) Locus Ciceronis est: *In manum*, inquit, *conuenerat. Nunc audio. Sed quaero, vsu, an coemtione? vsu non potuit, nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui. Coemtione? Omnibus ergo auctoribus? In quibus certe Flaccum fuisse, non dices. Relinquitur illud, quod vociferare non desistit, non debuisse, quum praetor esset, suum negotium agere, aut mentionem facere hereditatis.* Hic sane nihil habetur de tutela vxorum in maritos translata. Nec colligi id potest ex verbis; *nihil potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui.* De tutela enim legitima non deminuitur aliquid ita, vt maritus loco agnatorum tutor fiat, sed vt vxor in manum conueniat, adeoque tutela ei plane non opus sit, vel vt marito dotem sine auctoritate tutorum constituat.

Source : BIU Cujas

vt maritus esse posset vxoris tutor, vt ne curationem quidem minorennis vel furiosae suscipere posset. Orationem D. Marci factumque eam in rem SC. huic curationi obstitisse, nouimus ex *l.* 14. *D. de cur. fur. l.* 4. *& l.* 17. *C. de excus. tut.* [*t.* 2. *C. qui dare tutor.* Vid. *Diss. nostr. de marito legit. vxor. tut. I.* 4. 18. *sequ.* quae extat in Opusc. miscell. Sylloge I. p. 189.]

§. XX.

A tutela non nullae priuilegio liberatae.

Sed obsoleuit sensim ista mulierum tutela: Et primo quidem priuilegium illustrioribus quibusdam feminis concessum, vt sine tutorum auctoritate res suas gererent. Virginibus Vestalibus eam libertatem indulserat non Numa (ut ex Plutarcho *in Numa p.* 66. colligunt) sed Augustus, Dio Cass. *Lib.* LVI. *p.* 578. quo imperante etiam Octauiae et Liuiae idem beneficium praestitit Senatus. Dio Cass. XXXXVIIII. *p.* 414.

§. XXI.

Legis Papiae Poppaeae sanctio de tutela mulierum.

Neque tamen eo ipso plane sublata tutela mulierum: siquidem lege Papia Poppaea cauerat Augustus, vt a Praetore vrbis tutor daretur ei mulieri virginiue, quam ex hac ipsa lege nubere oporteret, ad dotem dandam, dicendam, promittendamue, si legitimum tutorem pupillum haberet. Vid. *Comm.* nostr. *ad L. Iul. et Pap. Lib.* II. *Cap.* 13. *p.* 253. *sequ.* Immo postea et Senatus censuit, in prouinciis a praesidibus ex eadem caussa dandos esse tutores. Vlpian. *Fragm.* XI. 20.

§. XXII.

Priuilegium indultum mulieribus, quae ter quaterue peperant.

Eadem tamen lege Papia Poppaea inuectum est ius trium et quatuor liberorum, quod etiam a tutela liberabat ingenuas, quae ter; libertinas, quae quater peperissent. Dio *Lib.* LVI. *p.* 578. Vlpian. *Fragm.* XXVIIII. 2. *et* 3. *Fragm. regul. ex veteri ICo* subiectum *Collat. Legum Mos. et Rom. n.* XV. *p. m.* 807. Id vero ius quum saepius etiam steriles et orbi vtriusque sexus beneficio Principis impetrarent: Dio Cass. LV. *p.* 549. Plin. *Epist.* II. 13. VII. 26. X. 95. Paull. *Sent.* IIII. 9. 26. facile patet, rariores ex eo tempore factas esse mulierum tutelas.

§. XXIII.

An SC. Claudianum tutelas mulierum sustulerit?

Successit SCtum Claudianum, quo tamen non omnis in vniuersum sublata est tutela mulierum, ceu visum est Iac. Cuiacio *ad l. vn. C. vbi tutor. vel curat.* et Marco Vertran. Mauro *de iure trium liber.* XXXI. sed tantum *cessitia.* Nolebat enim Claudius tutelas mulierum aliis cedi, id quod antea fieri consueuerat; sed oporte-

Source : BIU Cujas

bat proximos adgnatos eas ipsas administrare. Et ita intelligenda esse verba Vlpiani *Fragm. XI.* 8. erudite docet Ant. Schultingius *in Adnot. p. 596. sequ.*

§. XXIIII.

Quamdiu duraverint?

Mansit ergo ea mulierum tutela sub Antoninis, quorum temporibus exemplum exstat Pudentillae, vxoris Apuleii, quae, tutore auctore, praedium emerat. Apulei. *Apol. II. p.* 327. Mansit tempore Vlpiani, quem ad Alexandri Seueri tempora vixisse constat. Mansit sub ipso Constantino, ceu adparet ex *l.* 2. *C. Theod. de tut. creand.* Mansit denique sub Leone Imp. cuius constitutionem de tutela mulierum *l.* 3. *C. de legit. tut.* a Triboniani interpolationibus vindicauit Schilter. *Exerc. XXXVII.* 239. Sensim tamen ex eo tempore obsoleuit, adeo, vt Iustiniani temporibus illius nec vola nec vestigium supereſſet. Vnde et multa in Pandectis et Codice latent fragmenta, quae, quum de tutela mulierum loquerentur, a Triboniano in sensum prorsus alium detorta videntur.

TIT. XVI.

DE

CAPITIS DEMINVTIONE.

QVia adgnationis ius capitis deminutione perimitur, et proinde etiam tutela legitima morte ista ciuili perit: visum est Triboniano, doctrinam illam de CAPITIS DEMINVTIONE loco licet plane alieno interserere, eamque subiicere *titulo XV. de legitima agnatorum tutela.* Nos, quum omnes tutelarum species coniunxerimus, iam et de capitis deminutione agemus, non quod eum ordinem putemus concinnum, sed quia Iustiniani Institutiones sequi constituimus.

§. I.

Origo capitis deminutionis quae?

Origo CAPITIS DEMINVTIONIS, quam nemo adhuc pro dignitate expositi, a censibus Romanis videtur repetenda. Notum est, Seruium Tullium Regem vniuersum populum Romanum in sex classes et CXCIII. centurias descripsisse, in quibus constituendis non regionum vrbis, aut communium sacrorum, sed opum et facultatum iniit rationem. Vnde in *primam* classem coniecit qui CM. aeris, aut maiorem censum haberent; in *secundam*, qui infra centum

Source : BIU Cujas

tum millia vsque ad LXXV. millia possiderent. *Tertiae* classis L. millium censum esse voluit, *quartae* XXV. millium, *quintae* XI. millium. In *sextam* denique classem coniecti egeni et tenues, qui vel *proletarii* dicti, vel *capite censi*. Illi quod propaganda tantum alendaque prole rempublicam iuuarent, hi quod praeter caput et nomen nihil admodum in censu profiterentur, id nomen adepti sunt. Liv. I. 42. *sequ.* Dionys. Halicarn. *Antiq. Roman.* IIII. 22. Gell. *Noct. Attic.* XVI. 10. Quemadmodum ergo *capite censi* dicebantur, qui saltim iure libertatis et ciuitatis gaudebant, adeoque in censuales tabulas referri poterant: [Taubm. *ad Plaut. Captiu. Prolog. v.* 15.] ita serui, peregrini, filiifamilias, *capite destituti* dicebantur, quod non possent in censum suo nomine referri. De seruis certe reliqua est in iure nostro phrasis, eos *caput non habere* §. 4. *Inst. h. t.* Et filiis familias opponi *libera capita*, ex *l.* 1. *D. de tutel.* Gell. *V.* 30. Vlpian. *Fragm. XI.* 5. constat. Sed et *capitalis* poena Romanis dicebatur, non tantum illa, quae vltimum inferebat supplicium, sed quae censu eximebat, adeoque vel libertatem, vel ciuitatem perimebat. Barn. Brisson. *de Verb. signif.* voce *capitalis*. Qui ergo in tabulas censuales referebantur, omnes dicebantur CAPITA, nihilque apud Liuium frequentius est loquutione: *Fuerunt censa ciuium* CAPITA *centum triginta duo millia, quadraginta nouem.* Liu. III. 24. *Censa* CAPITVM *millia ducenta sexaginta duo, trecenta viginti duo*, Liu. X. 47. et alibi passim. Quoties vero quis quacumque de caussa e tabulis censualibus delebatur; toties *caput de ciuitate dicebatur eximi*, vt loquitur ICtus *l.* 2. *D. de publ. iud.* et inde eiusmodi status mutatio CAPITIS DEMINVTIO adpellabatur. Hinc recte Claudius apud Liuium XXXXV. 15. contendit, *mouere omnibus tribubus, nihil aliud esse, quam libertatem ciuitatemque eripere*, et CENSV EXCLVDERE.

§. II.

Hanc capitis deminutionem iureconsulti in MAXIMAM, MEDIAM et MINIMAM diuidunt, (*a*) pro triplici hominis statu, qui Romae poterat mutari. et quotuplex?

(*a*) Equidem nonnumquam veteres duplicem tantum faciunt capitis deminutionem, MAIOREM et MINOREM: *l.* 1. §. 4. *D. de suis et legit. hered. l.* 5. §. 3. *D. de extraord. cognit.* Sed in verbis esse differentiam, in re nullam, luculenter ostendit Ger. Noodt *Observ. II.* 22. *p.* 468. *sequ.*

§. III.

Qui non ciuitatis tantum, sed et ipsius libertatis fecerat iacturam: is deminutionem capitis MAXIMAM dicebatur passus. §. 1. Maximam pa-

Source : BIU Cujas

tiebantur I. incensi. *Inst. h. t.* Et hoc quidem contingebat, I. *incensis*, id est, iis, qui censum vel militiam subterfugerant, quos iam Seru. Tullius vinctos et caesos trans Tiberim venumdari iusserat. (*b*) Dionys. Halic. *IIII. p.* 221. Cic. *pro A. Caecina XXIIII.* Vlpian. *Fragm. XI.* 11. Id quod per fictionem quamdam contigisse, quum alias libertas adimi nemini posset, egregie docet Ger. Noodt *Probab. III.* 12. *p.* 85.

(*b*) Quando itaque Liv. I. 44. ait: *Censu perfecto, quem maturauerat metu legis, de incensis latae, cum vinculorum minis mortisque edixit, vt omnes ciues Romani, equites peditesque in suis quisque centuriis in campo Martio adessent*: procul dubio intelligit mortem istam civilem. Non enim credibile est, acrioris supplicii metu lustrum, quam ipsum censum, maturasse Seruium.

§. IIII.

II. Capti ab hostibus. Deinde maximam istam capitis deminutionem patiebantur II. *capti ab hostibus*. Nam et hi, quum essent in seruitutem detrusi, omnia et libertatis, et ciuitatis, ipsaque adgnationis iura amittebant. Poterant tamen ab his pristina iura recuperari *iure postliminii*, si in ciuitatem reuertissent. Cic. *in Top. VIII.* Fingebatur enim tunc eos, qui capti fuerant, semper in ciuitate fuisse. §. 5. *Inst. quib. modis patr. pot. solu.* (*c*) POSTLIMINIVM vero id ius adpellabatur, non ideo, quod captiuus ex hostico ad *limina* vel fines imperii reuertisset, vt ait Tribonianus *d.* §. 5. *Inst.* quamuis eam ἐτυμότητα erudite defendat Menag. *Amoen. Iur. Ciu. Cap. XXXVIIII. p.* 327. sed a limine, aedium parte. Reuersi enim ex captiuitate, non per limen admittebantur in aedes, si iam diem eos obiisse nunciatum fuerat, quia id mali ominis putabatur, sed post limen per tegulas et impluuium intro se ipsos demittebant, teste Plutarch. *Quaest. Rom. V.*

(*c*) [Huic fictioni opponitur altera legis Corneliae, qua fingebatur apud hostes mortuus, in ciuitate decessisse. De quibus fictionibus praeter Alteserram erudite egit Cuiac. ad *Iuliani Digest. p.* 293. Tom. VI. Oper.]

§. V.

III. Serui poenae. Eiusdem conditionis habebantur III. *serui poenae*. Quicumque enim atroci sententia ad extremum supplicium veluti ad ignem, ad metalla, bestiasue depugnandas fuerant damnati, libertatis simul ac ciuitatis iura amittebant. Hinc Tertullianus *Apolog. Cap. XXVII. Vice rebellantium ergastulorum, ceu carcerum vel metallorum, vel hoc genus* POENALIS SERVITVTIS *erumpunt aduersum nos.* Et Plinius *Epist. X.* 40. refert. *Nicomediae et Niceae quosdam, qui vel in opus damnati, vel in ludum, similiaque his genera poenarum*, PVBLICORVM SERVORVM *officio ministerioque defunctos.* Quaedam

Source : BIU Cujas

dam alia de hac seruitute habent Cuiac. *Obseru. XV.* 22. et Gothofr. Arnold. *Hist. Christ. damnat. ad metall.* §. VIII. apud Thomas. *Hist. Sap. et Stultit. Tom.* III. 1693. *p.* 130. Eam quoque seruitutem per fictionem natam docet Ger. Noodt. *Probab.* III. 12. *p.* 86. Capitali enim supplicio veteri iure nemo ciuium plecti poterat. Commisso vero flagitio, quod morte expiandum videbatur, Quaesitores non ciuem capitis damnabant, (nec enim fas erat,) sed ciuem esse negabant, seruumque vocabant poenae, ut vitam non tamquam ciuis amitteret, sed tamquam seruus. *l.* 29. *D. de poen. l.* 6. §. 6. *D. de iniusto rupto, irrito facto testam.* Attamen hi quoque pristina iura recuperabant, si per omnia in integrum, principali indulgentia, restituerentur. Paull. *Recept. Sent.* IIII. 8. 24. Postea vero hanc seruitutem poenae, quatenus cognatorum interesse visum, aboleuit Iustinianus *Nou.* XXII. 8.

§. VI.

Porro hanc miseram conditionem subibant IV. *liberti ingrati*, quos Claudius Imp. reuocabat in seruitutem, qua de re dictum supra, ad *Lib.* I. *Tit.* VI. §. 9. IV. Liberti ingrati.

§. VII.

Nec minus libertatem amittebant V. *maiores* XX. *annis*, qui se pretii participandi caussa venumdari passi fuerant, de quibus itidem iam dictum *Lib.* I. *Tit.* III. §. 7. 8. V. Qui se venumdari passi.

§. VIII.

Nec melioris conditionis erant VI. ingenuae mulieres, quae in serui alieni amplexus ruebant. (*d*) Quod si enim domino inuito, et hoc, vel pupilli tutore, vel procuratore domini, ter denunciante, in eodem contubernio perseueraſſent; *ancillae*; siue, illo consentiente, *libertae* efficiebantur, decreto et adiudicatione praetoris. Vid. Paull. *Sent. Rec.* II. 21. *A.* 1. *p. m.* 305. Tertull. *ad vxor.* II. 8. Auctor huius iuris Claudius Imperator fuit, vt patet ex Tacito *Ann.* XII. 53. ex quo simul discimus, Pallantis liberti id esse inuentum, cui ideo insignia praetoria et centies quinquagies sestertium decreuit Senatus. Plin. *Hist. Nat.* XXXV. *cap. penult.* et alter Plinius *Epist.* VIII. 5. Denique senatusconsultum illud in vsum reuocauit Vespasianus, si ita intelligendus locus Suet. *Vesp. XI.* (*e*) VI. Mulieres seruili amore bacchantes.

Aſt

(*d*) Tales mulieres notat Petron. *Satyr. p.* 127. *Quaedam feminae sordibus calent, nec libidinem concitant, nisi aut seruos viderint, aut statores altius cinctos. Harena aliquas accendit, aut perfusus pulvere mulio, aut histrio, scenae ostentatione traductus. Ex hac nota domina est mea.*

(*e*) Nisi forte dicere malis, Vespa-

Source : BIU Cujas

Aſt hanc quoque pœnam ſuſtulit non Alexander Seuerus, vti viſum eſt Strauchio *Diſſ. Iuſt. XI.* 39. (nam *l.* 3. *C. de lib. cauſſ.* de maribus ſeruarum, non de feminis ſeruorum amore calen ibus agit,) ſed Iuſtinianus *l. vn. C. de SC. Claud. toll.* parum certe prudenter, ſiquidem ingenuis mulieribus viam eo ipſo ad impares et impudicas valde coniunctiones muniuit. Cuiac. *Obſ. XXI.* 16.

ſianum ea de re ad ſenatum retuliſſe, non tamquam imperatorem, ſed tamquam conſulem, aut, ſi mauis, ſenatorem laticlauium. Conſulatum ſane geſſit ſub Claudio, Suet. *Veſp. Cap. IIII.* fortean cum Barea Sorano, quem eo ipſo anno V. C. Ɔcccv. quo SC. illud factum, Coſ. deſignatum fuiſſe refert Tacit. *An. XII.* 53. Et hinc facile conciliari poterunt Tacitus et Suetonius, quorum ille Claudio, hic Veſpaſiano hoc SC. tribuit. Ingenioſa haec eſt obſeruatio Petri Fabri *Semeſtr. I. 25. p. 140. ſequ.* vti pleraque, quae faber ille edolauit.

§. VIIII.

Mediam patiebantur

MINORE ſive MEDIA capitis deminutione ciuitatis tantum iura, ſalua libertate, perimebantur, adeoque ii, qui erant in hanc conditionem delapſi, *ad peregrinitatem redigebantur.* (*f*) §. 2. *Inſt. h. t.*

I. Exſules.

Et huius quidem conditionis habebantur I. *exſules*, quibus aqua et igne fuerat interdictum. Magna ſcilicet Romae erat inter *exſilium* et *relegationem* differentia. (*g*) Illa jura ciuitatis perimebat, quum relegatus ea ſalua haberet. Hinc Ouid. *Triſt. II. v.* 137.

Quippe RELEGATVS, *non* EXSVL, *dicor in illo,*
Parcaque fortunae ſunt tibi verba meae.

Quam differentiam alibi ita deſcribit: *Triſt. V. eleg.* II. *v.* 21.

Nec vitam, nec opes, ius nec mihi ciuis ademit,
Nil niſi me patriis iuſſit abeſſe focis.
Ipſe RELEGATI, *non* EXSVLIS, *vtitur in me*
Nomine.

Conf. *l.* 2. *D. de publ. iudic.* Ad exſilium quod attinet, ciues ad illud adigebantur AQVAE ET IGNIS INTERDICTIONE, qui ritus paullo altius videtur repetendus.

(*f*) Vnde nec toga amplius iis licebat vti. Plin. *Epiſt. IIII.* 11. Suet. *Claud. XV.* De ipſa peregrinitatis conditione conf. Briſſ. *Ant. Select. I.* 13. 15.

(*g*) [Antiquiſſima inter gentes poena, vt quis communione patriae, ciuitatis, ſacrorum priuaretur. De eius origine, quae ad ipſa Caini tempora refertur, erudite egit Eu. Feith. *Antiquit. Homeric. II.* 9.].

§. X.

Quid aquae et

Antiquiſſimum hoc erat iuris Romani principium, neminem poſſe inuitum iura ciuitatis amittere. Cicero *pro domo*, *XXVIIII.*

Hoc

Source : BIU Cujas

Hoc iuris a maioribus proditum est, vt nemo ciuis Romanus aut libertatem, aut ciuitatem, possit amittere, nisi ipse AVCTOR *factus sit.* (*h*) Idem iuris publici axioma multis verbis inculcat Cic. *pro A. Caecin. c.* XXXIII. docetque ideo Aretinorum proscriptionem, Sulla viuo, irritam fuisse, quod contenderat Cicero, *ciuitatem adimi non potuisse.* Quamuis itaque ciuitatis iuribus nemo inuitus privaretur: attamen ea statim amittebantur, simul ac quis in aliam se ciuitatem adscribi passus esset, quum ex veteri iure duarum ciuitatum ciuis nemo esse posset. Idem *pro domo Cap. LXXXI.* Exech. Spanhem. *Orb. Rom. I.* 1. 6. *p.* 11. [qui tamen id sub imperatoribus, et quidem iam sub Traiano mutatum esse docet *ibid. p.* 21.] Vnde notum est ex Nepote *Attic.* III. noluisse Atticum Athenis ciuitatis iura suscipere, ne Romanam ciuitatem amitteret. Quod si ergo quemquam e ciuitate eiectum vellent Romani: eum non vi expellebant, quod ex principio supra adlato fieri non poterat, sed illi tecto, aqua, et igne interdicebant. Quibus necessariis vitae subsidiis ademtis, vltro exsilium eligere cogebatur damnatus. Quum itaque a nemine recipi posset, necessario in aliquam ciuitatem exteram se conferebat, eoque demum facto, ciuitatis iura amittebat. Hinc denuo Cicero *pro domo XXX. Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc ciuitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi, soli causa, venerant. Id autem ut esset faciundum, non ademtione ciuitatis, sed tecti et aquae et ignis interdictione faciebant.* Ergo si accurate loqui velis, non aquae et ignis interdictione eximebatur caput de ciuitate, vt ait Paullus *l.* 2. *D. de iudic. publ.* (poterat enim, si vellet, in ciuitate mori,) sed adscriptione in aliam ciuitatem, in quam exsul discesserat. Barn. Brisson. *Ant. Rom.* III. 5. *p.* 48. Quae obseruatio, ne cui sola λογομαχία videatur, tanti profecto momenti est, vt Cicero oratione laudata neget, se aquae et ignis interdictione ciuitatis iura amisisse, quia nulli se populo adiunxisset, sed delituisset apud amicos. Addantur Vlr. Huber. *Digress.* I. 3. 8. *p.* 192. *sequ.*

ignis interdictio?

(*h*) [Contra et licebat de capite ius dicentibus *solum vertere*, sibique ipsis exsilii poenam irrogare. Idque fecerunt P. Corn. Scipio Africanus, qui Linternum, T. Annius Milo, qui Massiliam sponte exsulatum abiit. Plutarch. *in vit. Scip.* Ascon. Paed. *in arg. orat. pro Milone.* Cic. *pro Caecina cap. XXXIIII.*]

§. XI.

Deinde huic aquae et ignis interdictioni addebatur (*i*) DEPORTA- Deportati.

(*i*) Non enim *deportatio* in locum illius aquae et ignis interdictionis successit, vt ICti aiunt, *l.* 2. §. 1. *D. de poen. l.* 3. *D. ad Leg. Iul. pecul.* Manfit potius illa

TATIO, qua ipsa quoque iura ciuitatis eodem modo amittebantur. Auctor illius instituti Augustus, (*k*) cui, ab exsulibus hinc inde dispersis periculum imperio suo metuenti, Liuia suaserat, vt illos patria extorres insulis includeret. Ita enim apud Dionem Cass. LV. p. 562. Liuia: τί γὰρ ἂν ἀδικήσειέ τις, ἐς νῆσον κατακλεισθείς, ἢ καὶ ἐν ἀγρῷ πόλεί τε τινὶ; ἔχ ὅπως ἄνευ πλήθους οἰκετῶν ἢ χρημάτων, ἀλλὰ καὶ μετὰ φρερᾶς ἂν; ἂν γε καὶ τούτω δέηση. *Quid enim mali fecerit is, qui in insulam conclusus, aut in agro, vel in vrbe aliqua, non modo sine copia seruorum, et pecuniarum, sed etiam sub custodia, si hoc res exigeret, haberetur?* Ex eo tempore inualuit deportatio, quam denuo constitutione quadam firmauit Augustus, apud eumdem Dion. Cass. LVI. *p.* 587. Et hinc postea nihil fuit ista in insulas deportatione frequentius. (*l*) Tac. *Ann.* III. 68. VI. 30. IV. 21. IIII. 13. Fiebat vero deportatio ita, vt rei compedibus vincti imponerentque nauibus, seruis publicis, qui eos deportarent, traderentur. Oisel. *ad Caii Inst.* I. 6. 1. *p. m.* 47. Molesta imprimis erat vel relegatio vel deportatio in Gypsum, Aegypti insulam, in quam tempore Iustiniani et Iuridicus Alexandriae et Praeses Thebaidos relegare poterant, Cuiac. *Obs. XX.* 31. itemque in Gyaros, fumo notabiles, Arrian. *Diss. Epict.* I. 25. *et* II. 6. Steph. *de vrbib. p.* 280. et Oasin inter Aegyptum et Cyrenas, muscis et culicibus famosam: de quibus locis Cuiac. *Obs.* VIII. 27. Omnes autem exsules teste Lactantio *Diu. Inst.* II. *perinde habebantur, ac si essent, qui eam sententiam exceperant, morte mulctati.* Vnde et diem quo ab

illa antiqua aquae et ignis interdictio etiam post inuentam deportationem. Tacit. *Ann. VI.* 30. Adiecere tantum Imperatores, vt exsules isti non, vbi liberet, sed in certa quadam insula, viuerent. Huber. *Digress.* I. 3. 9. pag. 195.

(*k*) Non Iulius Caesar, ceu ex Suet. *Iul.* LXVI. probare satagit Oisel. *ad Caii Inst.* I. 6. 1. *p. m.* 47. Supplicium enim, quod militibus minatur Caesar, non fuit deportatio, (non enim eos in certam insulam missum iri ait,) sed poena quaedam extraordinaria. Haec enim sunt Caesaris verba: *Desinant quidam quaerere vltra, aut opinari, mihique, qui compertum habeo, credant; aut quidem vetustissimae naui impositos, quocumque vento, in quascunque terras iubeo auehi.* Frequentatum postea hoc supplicium inflictumque delatoribus a Tito, Suet. *Tit. cap.* 8. et Traiano: Plin. *Paneg. cap.* 34. immo et Christianis a tyrannis, ceu docuit Casaub. *ad Suet. Iul. p.* 92.

(*h*) Distinguenda tamen haec deportatio a *relegatione in insulam*, qualis fuit illa, quam passus est Ouidius, in Ponto relegatus. Conf. *l.* 7. D. *si quis caution. in iudicio sistendi caussa fact. non obtemp.* Suet. *Tiber.* I. Huic opponitur *lata fuga*, cuius mentio fit *l.* 5. D. *de interd. relegatis et deport.* Ammian. Marcell. XVIIII. 12. vt Iulio Capitol. *vit. Marci Anton. XXVI.* et Vulcatio Gall. *vit. Avid.* Cassii VIIII. vocatur: *exsilium et libera vagandi potestas.*

Source : BIU Cujas

ab exsilio quis redierat, NATALEM vocabant, tamquam quo vitam primum recepissent, Cic. *post Redit. in Senat. cap. XI.* itemque *alterius vitae initium.* Id. *Epist. ad Att. IIII.* 1. Quin Cotta ab exsilio reuocatus se bis genitum vocat in oratione apud Sallust. *in Fragm. p.* 500. Ita et Athenienses patriae restitutos exsules δευτεροπότμους, quasi *secunda fata orsos*, adpellasse, obseruat vir, cui haec debemus, doctissimus, Io. Fridr. Gronou. in *Diatrib. ad Stat. Papin. Cap. XII. p.* 69.

§. XII.

Minima capitis deminutio.

MINIMA denique capitis deminutio iura familiae atque adgnationis tollebat. Quum enim census fieret secundum facultates, vt supra dictum, patriis facultatibus cum iure familiae amissis, aut in alium translatis, capitis quaedam deminutio fieri credebatur. Id vero factum esse *in manum conuentione*, *adoptione*, *et emancipatione*, ex iure notum est, quamuis de emancipatione, an ea inter capitis deminutiones referenda sit, subdubitent ICti tum veteres, tum recentiores. Paullus sane non ideo capite deminui putabat, quod ex patria potestate exirent: (ita enim potius fiebant capita libera,) sed quod emancipatio vetere ritu fieri haud posset, nisi *deducerentur in imaginariam seruilem caussam. l. 3. §. 1. D. de cap. minut.* Attamen ne sic quidem omnia in aprico sunt. Si enim ob hanc caussam emancipatio est species capitis deminutionis: cur non maxima potius, quam minima vocatur? Vid. Huber. *Digress. III. 6.* Thomas. *Schol. et nou. addit. ad* Huberi *praelect. Inst. p.* 47. [Immo cur eius adhuc meminit Iustinianus §. 3. *Inst. h. t.* quum iam pridem vetus illa emancipatio sublata esset ab Anastasio *l. 5. C. de emanc.* sed dubiae fidei sunt verba *d.* §. 3. quae ideo vncinulis includuntur in quibusdam editionibus.]

TIT. XXI.

DE AVCTORITATE TVTORVM.

TVtorum erat AVCTORITATEM interponere, quemadmodum curatorum, CONSENSVM commodare. De qua TVTORVM AVCTORITATE quum singulari titulo agat Imperator: de ea quoque nonnulla ex antiquitatibus Romanis videntur adnotanda.

Source : BIU Cujas

§. I.

Origo auctoritatis tutorum.

Antiquissimum hoc erat iuris Romani principium, *alieno nomine agere posse neminem, princ. Inst. de iis per quos ag. poss.* neque *promittere, tertium quid facturum daturumue. §. 3. Inst. de inutil. stipul.* Ergo nec tutor pupilli nomine quidquam aut agere aut promittere poterat. Quum tamen lubrica pupillorum aetas consiliique infirmitas non paterentur, pupillis liberam permitti rerum suarum administrationem: tutoribus plus potestatis concedendum distinguendumque existimabant Romani, infansne esset pupillus, an istos infantiae annos superarit. Si infans esset, tutor omnia agebat, non pupilli, sed suo nomine. Prospiciebat pupillo eiusque matri de alimentis et cultu exhibitionis. *l. 13. §. 2. D. de administr. et peric. tut.* Pupillo herede cum cretione instituto, bonorum possessionem petebat, *l. 11. D. h. t.* hereditatem enim cernere et adire pupilli nomine non poterat, quia cretio et aditio erant actus legitimi. *l. 4. 5. C. de iure delib.* Iac. Gothofr. *Comm. ad C. Theod. tit. de cretione p. 330.* Denique bonorum pupilli curam ita gerebat, vt *loco domini* haberetur. *l. 27. D. h. t.* Et id quidem tutoris munus, quo tum personae pupilli, tum bonorum eiusdem curam gerebat, vocabatur GESTIO vel ADMINISTRATIO. Cic. *Top. Cap. XI.* Quamuis tam late plerumque hoc vocabulum accipiatur a iureconsultis, vt et *auctoritatem* complectatur.

Quando tutor dictus administrare et gerere.

§. II.

Quando interponere auctoritatem.

Sin infantiae annos superasset pupillus, ipse omnes actiones legis, omnesque contractus, poterat explicare, ita tamen, vt tutor praesens, perfecto negotio, statim AVCTOR fieret, et hinc ista sollemnis adprobatio vocabatur AVCTORITAS. Quemadmodum enim populus iubebat, Senatus AVCTOR fiebat: Liu. I. 17. ita pupillus agebat et contrahebat, tutor interponebat AVCTORITATEM, sine qua validum haud erat negotium, si quando deterior eo ipso fieret pupilli conditio. *princ. Inst. h. t.* aut si adeunda esset hereditas, aut petenda bonorum possessio, aut suscipienda ex fideicommisso hereditas. §. 1. *Inst. h. t.* Ad ea enim, quae sollemnitatem iuris desiderabant, explicanda, tutore auctore opus esse, ait Paullus *l. 19. D. de auct. tut.*

§. III.

Interponebatur ea sol-

Non ergo auctoritas erat nuda adprobatio nec iussus, sed actus legitimus et sollemnis, certaque formula explicandus. Vnde et conditionem non admittere dicitur *l. 8. D. h. t.* Procul dubio, ubi pupil-

Source : BIU Cujas

pupillus verbi cauſſa in cretione hereditatis verba legitima pronunciauerat, interrogabatur tutor: AVCTORNE ESSET, VT PVPILLVS HEREDITATEM ADIRET CERNERETQVE? eoque adfirmante, rata erat pupilli actio. Sane eodem modo auctor fiebat, qui adrogabatur ab alio. Cic. *Orat. pro domo* XXVIIII. Et interrogationis hoc in negotio factae diſerte meminit Paullus *l. 3. D. de auct. et conſenſu tut. et curat.* [forte et Terent. *Eunuch.* II. 3.] quamuis eam non exiſtimet abſolute neceſſariam. Interponebatur vero auctoritas ſtatim in ipſo negotio: ſed ita tamen, vt non prius auctor fieret tutor, quam pupillus id egiſſet, a quo ſubſtantiam capiebat negotium. Et hinc eſt, quod *auctoritas* PERFECTO NEGOTIO *interponi* dicitur in *l. 25. §. 4. D. de adquir. hered.* vbi praeter neceſſitatem reſcribi: *prouecto negotio*, contra Iac. Gothofredum *Comm. ad l. 29. D. de R. I.* docuimus in *Elem. iur. ciuil.* [*ſec. ord. Inſt.*] §. 250. Diſputauit de eadem quaeſtione Cuiac. *Obſ.* XIII. 31.

lemni formula.

§. IIII.

Vnde ſimul adparet, quid interfuerit diſcriminis, inter CONSENSVM curatoris, et tutoris AVCTORITATEM. Sine hac actus erat nullus, ſine illo reſcindendus. Illa interponenda erat ſtatim a tutore praeſente, §. 2. *Inſt. h. t.* quod eſſet actus legitimus, qui non admittebat procuratorem, conditionem et diem. Hic interiecto demum tempore accedere poterat.

Quid conſenſus curatoris?

§. V.

Si negotium inter tutorem et pupillum, vel mulierem intercederet, auctoritatem adhibere non poterat tutor. Nullus enim tutor poterat in rem ſuam auctor fieri. *l. 1. pr. D. h. t.* Solebat ergo tunc a praetore alius tutor dari, qui *praetorianus* vel *praetorius* vocabatur, ideo, quod a ſolo Praetore, non adhibita in conſilium maiore parte Tribunorum plebis, dabatur. Meminit eius ipſe Imperator §. 3. *Inſt. h. t.* multoque luculentius Vlpianus *Fragm. XI. 24. Moribus tutor datur mulieri, pupilloue, qui cum tutore ſuo lege aut legitimo iudicio agere vult, vt auctore eo agat: (ipſe enim tutor in rem ſuam auctor fieri non poteſt,) qui praetorianus tutor dicitur, quia a praetore vrbis dari conſueuit.* Vnde inter Triboniani emblemata, [quamuis neceſſaria, propter receptum a Iuſtiniano principium, tutorem habenti tutorem non dari,] referunt tutoris in curatorem mutationem. *l. 3. §. 2. l. 4. et 5. D. de tutel. l. 24. D. de teſtam. tutel. l. 9. §. 4. D. de tutel. et ration. diſtrah. l. 1. 2. 3. vlt. C. de in lit. dand. tut. vel curat.* ceu iam obſeruauit Hub. Giph. *ad §. vlt. Inſt. h. t.*

Quid tutor praetorianus?

Source : BIU Cujas

§. VI.

Is postea mutatus in curatorem.

Nimirum postea inualuit, vt loco tutoris praetorii adiungeretur curator, quoad actio illa duraret, vel etiam perpetuus. *Novell. LXXII.* 2. Quamuis id contingat paullo rarius, quia iure noviſſimo pupilli debitor vel creditor, vel is, quem cum pupillo litem habiturum ſuſpicio eſt, tutor fieri non poteſt. *Nou. LXXII.* 1. *Nou. LXXXXIIII.* et *Auth. Minoris debitor C. qui dari tut.*

TIT. XXII.

QVIBVS MODIS TVTELA FINITVR.

QVibus modis finiatur tutela, ſatis accurate ad hunc titulum docent Interpretes. Et de morte quidem, et capitis deminutione nullum eſt dubium: at de pubertate et aliis nonnullis modis, quibus tutelam olim finitam conſtat, nonnulla ex antiquitatibus monenda videntur.

§. I.

Locus Inſtitutionum de ritu antiquo aeſtimandi pubertatem.

Ad PVBERTATEM quod attinet, ipſe Tribonianus hoc titulo antiquitatum Romanarum prae ſe fert notitiam, dum obſeruat, veteres pubertatem non ſolum ex annis, ſed ex habitu corporis in maſculis voluiſſe aeſtimari. [V. Illuſtr. a Ludewig. *Diſſ. de aetate puber. et maior. Cap. IIII.* §. 14. *p.* 80.] Quod quum Iuſtinianus indignum iudicarit caſtitate ſuorum temporum, ſtatuiſſe eum, ſancta promulgata conſtitutione, vt maſculi completo anno aetatis XIIII. puberes, feminae duodecimo viripotentes haberentur. *princ. Inſt. h. t.* (*a*)

(*a*) Ipſa illa ſancta Iuſtiniani conſtitutio exſtat. *l. vlt. C. quando tut. eſſe deſ.* INDECORAM OBSERVATIONEM *in examinanda marium pubertate reſecantes, iubemus, quemadmodum feminae poſt impletos XII. annos omni modo pubeſcere iudicantur, ita et mares poſt exceſſum quatuordecim annorum puberes exiſtimentur,* INDAGATIONE CORPORIS INHONESTA *ceſſante.*

§. II.

Iam diu ante Iuſtinianum certi anni

Sed Tribonianum hic antiquitatis prodere ignorantiam, multi exiſtimant. Neque enim Iuſtinianus primus iſtos pubertatis terminos fixit, iam dudum quippe in iure receptos. Sane duodecim annorum puellas iam viripotentes eſſe Auguſtus lege Papia

Source : BIU Cujas

pia Poppaea cenſuerat, vt patet ex Dione Caſſ. *Lib.* LIIII. *p.* 532. δώδεκα καὶ ταῖς κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται. *Duodecim annos puellis ad nuptias ſufficere ſtatuit.* Adde ſis *Comm.* noſtrum *ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap. V. p.* 177. *ſequ.* Quatuordecim vero anni ad pubertatem maſculorum iam ſecundo poſt Chriſtum ſaeculo requirebantur etiam ex mente Proculeianorum. Tertull. *de veland. virg. XI. et de Anima XXXVIII.* Macrob. *Saturnal. VII.* 7. et *in Somn. Scipion. I.* 6. (*b*) pubertatis erant praefiniti.

(*b*) Quin et leges id docere poterant Tribonianum, veluti *l.* 2. *princ. D. de vulg. et pupill. ſubſt. l.* 5. *D. qui teſtam. fac. poſſ. l.* 4. *C. eod.* ex quibus patet, ſaltim Vlpiani et Diocletiani temporibus eoſdem pubertatis annos fuiſſe definitos. Neque tamen dubito, quin olim antiquiſſimis reip. temporibus quinto decimo demum aetatis anno exacto puberes habiti ſint adoleſcentes. Tunc enim eos togam virilem ſumſiſſe, non anno XVII. vt vulgo exiſtimant, nec anno XIIII. vt viſum Lipſio *ad Tac. p.* 312. docet Noriſ. *Cenotaph. Piſan. Diſſ. II.* 4.

§. III.

Deinde nec alterum videtur per omnia verum eſſe, quod veteres Romani maſculorum pubertatem *indecora obſeruatione, inhoneſtaque indagatione explorarint*, vt loquitur Imperator *l. vlt. C. quando tut. eſſe deſ.* Nulla enim iſtius indecorae inſpectionis vel vola vel veſtigium apud antiquos occurrit. Et quamuis Huberus *Digreſſ. III.* 14. *p.* 210. et vir ampliſſimus, Corn. van Bynkersh. *Obſeru. III.* 24. excuſandum putent Iuſtinianum, credantque, ſi non in quaeſtione de finienda tutela, at certe in nuptiis nonnumquam iſti inſpectioni locum fuiſſe: tamen ne id quidem ſatis, vt opinor, excuſat Imperatorem. Non enim quaeſtionem de viri potentia, qualis aliquando in nuptiis occurrit, tractat in *d. l. vlt.* quippe ad quam definiendam ſola aetas parum faceret, ſed quaeſtionem de tutela finienda. Nec veroſimile eſt, Triboniano Imperatoris ſui conſtitutiones tam fuiſſe parum familiares, vt ſanctam illam, quam tantopere laudat, legem in Inſtitutionibus aeque, ac Codice, ad materiam de tutela fuiſſet relaturus, ſi illa de ſingulari tantum caſu nuptiali egiſſet. Quare adhuc probabile videbitur pleriſque, Tribonianum hic cum laruis pugnaſſe, ritumque aboleuiſſe, qui numquam Romanis in mentem venerit. Vid. Iac. Raeuard. *Varior. IIII.* 10. *p.* 667. *Tom. I. Operum.* Numquam veteres pubertatem inſpectione corporis explorarunt.

Source : BIU Cujas

§. IIII.

[Origo huius erroris.] Vt ergo adpareat, quid in errorem induxerit Iustinianum: sciendum est, non conuenisse inter antiquos Iureconsultos, quos pubertati terminos figerent. Quum plerique in stoicorum scholis profeciissent, hi vero adolescentum pubertatem XIIII. puellarum viri potentiam XII. annis aestimarent: (Plut. *Placit. Philos. V.* 24.) eamdem sententiam plerique ICti, et inprimis Proculeiani, amplectebantur. Sed aliud longe videbatur Cassio Longino, cuius sectarii non annis, sed habitu corporis, aestimandam esse pubertatem arbitrabantur. Denique Priscus Iauolenus quasi conciliaturus vtramque sententiam, eum demum puberem esse dicebat, in quem et numerus annorum, et habitus corporis concurreret. Diserte Vlpian. *Fragm. XI.* 28. *Puberem autem Cassiani quidem eum esse dicunt, qui* HABITV CORPORIS *pubes adparet, id est, qui generare potest; Proculeiani autem eum, qui quatuordecim annos expleuit. Verum Priscus eum puberem esse, in quem vtrumque concurrit, et* HABITVS CORPORIS, *et numerus annorum.* Eamdem controuersiam ICtorum, sententiamque Prisci Iauoleni, in animo habuit Seruius, qui ad illa Virgilii *Aen. VII. v.* 53.

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis,

addit: *Non est iteratum, sed* SECVNDVM IVS *dictum, in quo et* ANNORVM *ratione, et ex* HABITV CORPORIS *aetas probatur.* Idem ad Virgil. *Eclog.* VIII. *v.* 34. *Bene cum annis iungit* HABITVM CORPORIS, *nam et* IN IVRE *pubertas* EX VTROQVE *colligitur.* Ex quibus patet, Seruium in Prisci discessisse sententiam. Denique Isidorus *Orig. XI.* 2. Cassianorum sententiam amplexus: *Quidam* inquit, *ex annis pubertatem aestimant, id est, eum puberem esse, qui quatuordecim annos expleuerit: quamuis tardissime pubescat. Certissimum autem, puberem esse, qui* EX HABITV CORPORIS *pubertatem ostendat, et generare iam possit.* In tanta ergo iureconsultorum incertitudine ex sententia Em. Merillii *Obs. V.* 16. saepe parentes testamentis solebant definire annum, quo puberes haberi deberent liberi, modo annum decimum quartum, vt *l.* 49. *D. de legat.* 1. modo decimum octauum, *vt l.* 101. §. 1. *D. de cond. et demonstr.* modo decimum sextum, vt *l.* 34. §. 2. *D. de legat.* 3. Vnde lux adfulget loco Paulli Gal. IIII. 2. vbi heres tutoribus subesse dicitur ἄχρι τῆς προθεσμίας τῦ πατρός. Quum vero Iustinianus, aut Tribonianus potius, animaduerteret, pubertatem nonnullos HABITV CORPORIS aestimari velle: facile sibi persuasit etiam vsu receptam olim fuisse hanc Cassianorum vel Prisci sententiam, quum tamen

Source : BIU Cujas

tamen multa huius generis disputarint veteres ICti, quae in forum numquam admissa constat, quaeque ad ius constituendum magis, quam constitutum, pertinuerunt. Fingamus itaque, Cassianos censuisse pubertatem aestimandam esse φυσικῶς, ex inspectione τῶν αἰδοίων, quum tamen *habitus corporis* et alio modo naturalem generandi facultatem prodat: non tamen vllo veterum testimonio constat, id in foro esse frequentatum, vel vllum iudicem vmquam fuisse tam Cassii, vel Prisci sententiae addictum, vt adolescentem, qui curatorem peteret, vestibus spoliari inspicique nudum iusserit. At credidit id tamen Iustinianus, et hinc rem constitutione aboleuit, quam nemo veterum in foris Romanorum deprehendit (*c*).

(*c*) Interim non nego, Graecis eiusmodi inspectionem vsitatam fuisse, de qua Scholiastes et Florens Christianus ad Aristophan. *in Vesp. v.* 578. nec non Gundlingiana *Part. XXIIII. 2. §. VII. p.* 347. *seq.* Sed nondum demonstratum, de exploratione pubertatis quidquam cautum fuisse in XII. tabulis, vt verosimile fiat, hunc ritum Athenis Romam migrasse.

§. V.

Feminarum tutela perpetua non pubertate, sed aliis quibusdam modis finiebatur, veluti CONVENTIONE IN MANVM. Quum enim ea, ceu supra diximus, esset capitis deminutio, qua in manum et potestatem mariti redigebantur mulieres: non poterat non tutela finiri, dummodo omnes tutores fierent auctores. Cicero *pro Flacco* XXXIIII. Boeth. *ad Topica Cic.* III.

Finiebatur etiam tutela feminarum conuentione in manum.

§. VI.

Finiebatur etiam mulierum tutela IVRE TRIVM vel QVATVOR LIBERORVM, ceu supra LIB. I. TIT. XIII. §. 22. obseruauimus. Nam constat ex Vlpian. *Fragm.* XXVIII. 3. ingenuis feminis *tribus*, libertabus opus fuisse *quatuor liberis*, si tutela exire vellent.

Vt et iure trium liberorum.

TIT. XXIII.

Source : BIU Cujas

TIT. XXIII.

DE

CVRATORIBVS.

QVemadmodum *tutores* perſonis, ita CVRATORES rebus dabantur, quorum origo erit ex antiquitatibus repetenda.

§. I.

Curatores quotuplices?

Curatores aut LEGITIMI erant, aut HONORARII. Illi legibus XII. Tabularum, hi edicto praetoris debebant originem. Vlpian. *Fragm. XII.* 1. *Teſtamentarii* non erant, quia Lex XII. Tabularum patri familias *de tutela*, non autem *de curatione* legare vel teſtamento diſponere permiſerat. [Nec pater teſtari poterat ſuper tutela vel familia liberorum, in eum caſum quo ipſi liberi teſtamentum condere poſſent. Simile quid in ſubſtitutione pupillari animaduertimus. *l.* 7. *l.* 14. *D. de vulg. et pup. ſubſtit.*]

§. II.

Curatio furioſorum et prodigorum.

Ex legibus XII. Tabularum (*a*) curatores accipiebant FVRIOSI et PRODIGI. Quam legem decemuiralem ex Cicer. *Quaeſt. Tuſc. III.* 11. et *de Inuent. II.* 59. ita reſtituit Gothofredus *ad XII. Tab. Tab. V.* SI FVRIOSVS AVT PRODIGVS EXSISTAT, AST EI CVSTOS NEC ESCIT, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAVE EIVS POTESTAS ESTO. Quamuis adhuc quaeri poſſit, vtrum ex verbis Decemuirorum, an ex eorumdem interpretatione nata ſit prodigorum curatio.

(*a*) Veroſimile tamen eſt, eum morem iam ante leges XII. Tabularum Romae viguiſſe. Moribus ſane iſta furioſorum prodigorumque curatio tribuitur. *l.* 1. *D. de curat. furioſ.* et apud Paull. *Recept. Sent. III.* 4. Quod quum intelligi haud poſſit de moribus, poſt ea tempora demum receptis: (Siquidem Vlp. *d. l.* 1. *de Cur. furioſ.* hanc curationem quidem ex XII. Tabulis ceſſit, ſed initium tamen eiuſdem tribuit moribus,) procul dubio iam ſub regibus furioſis dati ſunt curatores. Eſt ea ſententia Iac. Cuiacii, Iac. Gothofredi, aliorumque virorum doctorum, quam male impugnat V. C. Ian. a Coſta *ad §.* 1. *Inſt. de I. N. G. et C. et §.* 3. *Inſt. h. t.* Vid. Schulting. *ad Paull. l. c. p.* 341.

§. III.

Source : BIU Cujas

§. III.

Quum vero initio et prodigi et furioſi ipſo iure adgnatorum gentiliumque curationi ſubeſſent : *l.* 1. *pr. D. de cur. furioſ.* prodigi poſtea tum demum curatorem accipiebant, ſi poſtulantibus adgnatis (Vid. Valer. Max. VIII. 6.) iis a praetore interpoſita ſententia bonis eſſet interdictum. *l.* 1. *D. de cur. furioſ.* Vlp. *Fragm. XII.* 2. Vnde Horatius *Sat. II.* 3.

Prodigis curator datus poſt interdictionem bonorum.

- - Interdicto huic omne adimat ius
Praetor, et ad ſanos abeat tutela propinquos.

Ex quo ſimul patet ratio, cur furor contractus ſtatim ab initio reddiderit irritos, quamuis furioſus adgnatorum curationem nondum ſubiiſſet, prodigus vero, priuſquam ei eſſet bonis interdictum, valide contraxerit.

§. IIII.

Formulam, qua bonis interdicebat praetor, ſeruauit nobis Paullus, *Recept. Sent. III.* 4. *A.* 7. QVANDO TIBI BONA PATERNA AVITAQVE NEQVITIA TVA DISPERDIS, LIBEROSQVE TVOS AD EGESTATEM PERDVCIS : OB EAM REM TIBI EA RE (*b*) COMMERCIOQVE INTERDICO. Quo facto ſtatim agnatorum, aut, hiſce deficientibus, gentilium (*c*) curationi committebatur prodigus. Exempla ſunt apud M. Senec. *Controu. III. praef.* Val. Max. III. 5. VIII. 6. Dion. Caſſ. LVII. *p.* 618.

Formula interdicendi bonis.

(*b*) Legunt nonnulli AERE. Cuiac. *ad Paull. l. c.* Iac. Menard. *ad Cicer. Act. Verrin. V.* ſed nihil hic mutandum eſſe, docent V. A. Cornel. van Bynkersh. *Obſ. III.* 21. Schulting. *ad Paull. l. c. p.* 342.

(*c*) Qui ſint adgnati, qui gentiles, infra Lib. III. Tit. II. explicabitur. Iam nota originem adagii, quod in homines ſtultos dicitur ; *Ad adgnatos et gentiles.* Vid. Varr. *de re ruſt. I.* 2. Columell. *X.* 1. Horat. *Sat. II.* 3.

§. V.

Aſt tum furioſus tum prodigus, recepta mentis vitaeque ſanitate, curatione liberabatur, quamuis et hic prodigo decreto Praetoris eſſet opus. Paull. *Sent. III.* 4. *A.* 12. *p.* 343. *et ibi* Schulting. *l.* 1. *D. de cur. furioſ.* Henr. Bern. Reinold. *Var. cap. XXXXI. p.* 291.

Quomodo haec curatio finita ?

§. VI.

Quum ergo initio furioſis ac prodigis tantum obtruderentur curatores : factum inde eſt, vt cum aliquo famae detrimento coniuncta videretur curatio. Iniquum enim habetur, *ingenuis hominibus*

Origo curationis minorum.

Source : BIU Cujas

minibus non esse liberam rerum suarum alienationem. l. 2. D. si a parente quis manumiss. Ergo praeter furiosos et prodigos nemo inuitus accipiebat curatorem, et ne minor quidem, quamuis infirmum esset in tam lubrica aetate consilium, cuiusquam curationi suberat, antequam *lex Laetoria* ea in re adolescentibus prospiceret. Quando lata sit ea lex, nondum constat. Antiquissimam esse, vel ex eo patet, quod iam Plautus *Pseudol. I. 3. v. 68.* eius meminit sub nomine legis *quinaeuicennariae.* Quum ergo M. Laetorius Plancianus an. V. C. CCCCLXXXX. tribunus plebis fuerit, et postea anno CCCCLXXXXVII. praeturam gesserit: verisimillimum est, hoc anno latam esse legem Laetoriam. Vid. Gundling. *Pand. Lib. IIII. Tit. IIII. §. V.* Ceterum hac lege cauebatur, vt adolescentibus viginti quinque annis minoribus, (eum enim minorennitatis terminum haec lex finiuerat: *l. 2. C. Theod. de donat.*) petentibus curatores, caussa cognita, darentur. Iul. Capit. *Vit. Marci Ant. XI.* Deinde et eadem lege vindicabatur circumscriptio adolescentum, rescissis versutorum hominum fraudibus, qui lucrum aliena ex imbecillitate captabant. Cic. *de Offic. III. 15.* Sed et stipulationes ab adolescentibus, et actiones creditorum aduersus minores hac lege Laetoria sublatae sunt. Vnde Suetonius *in libris praetorum* apud Priscian. *Lib.* XVIII. *Laetoria, quae vetat minorem annis XXV. stipulari.* Et apud Plautum *l. c.* Callidorus adolescens:

Perii, an non tum lex me perdit quinauicennaria?
Metuunt credere omnes.

Denique et restitui haec lex minores laesos voluit, sed non nisi dolo aliorum circumuentos. Cic. *de offic.* III. 15. Quod beneficium postea praetorem latius interpretatum nouimus.

§. VII.

Ea demum edicto Praetoris inducta.

Ex eo ergo tempore, quum quibusdam tantum minoribus, petentibus puta ac caussam probantibus, curatores darentur, adeoque existimatio adolescentum ea curatorum datione etiam post legem Laetoriam laedi videretur: postea edixit Praetor, se non modo in integrum restituturum minores (*d*), *quoties lubrico aetatis capti*

(*d*) Talis restitutionis si iam mentio fit apud Terent. *Phorm. II. 4.* satis adparet, iam saeculo ab V. C. sexto praetorem id ius condidisse. Sed vereor, ne ibi Terentius potius de restitutione patris, quo ab ente filius vxorem duxerat, quam filii, qui se a Phormione ad id coactum dicebat, loquatur. Verba Comici sunt *v. 10.*

Sic hoc videtur: quod TE ABSENTE *hic filius*
Egit, restitui in integrum aequum est et bonum,
Et id impetrabis.

Source : BIU Cujas

capti essent: (quod beneficium TVTELA MINORVM dicitur, *l.* 1. *pr. D. de min.*) sed et curatores iisdem daturum, dummodo eos a se peterent. *l.* 13. §. 2. *D. de tut. et curat. dat.* Vnde proprie curatio minorum sine causſae cognitione data ex edicto Praetoris deriuanda est. Videtur sane iam ab illo tempore frequentior fuisse minorum curatio, nec finita tutela vlli temere minori permissa administratio bonorum, nisi curatoribus constitutis. Huc enim pertinent illa Mecaenatis apud Dion. Cass. *Lib.* LII. *p.* 479. vbi inconueniens esse ait, minores viginti quinque annorum adolescentes senatores legi. πῶς γὰρ οὐκ αἰσχρὸν καὶ σφαλερόν ἐστι, τὰ μὲν ὀικεῖα μηδενὶ πρὸ τούτου ἐπιτρέπεσθαι, τὰ δὲ δημόσια καὶ νεωτέροις τισὶν ἐγχειρίζεσθαι; *Quomodo enim non turpe et noxium sit, quum nemini ante id aetatis suorum bonorum administrationem concedatis, iis, qui eam nondum attigerint, rempublicam vos credere?* Idem Praetor etiam curatores dabat libertinis prodigis, itemque ingenuis, qui ex testamento parentis heredes facti, male dissipabant bona. His enim curator ex lege dari non poterat, sed iis, qui ab intestato heredes facti essent (*e*) patri. Vlpian. *Fragm. XII.* 13.

(*e*) Lex ergo XII. Tabularum de prodigorum curatione intelligenda tantum de illis prodigis, qui iure ciuili ab intestato parenti erant heredes. Vid. Iac. Gothofred. *ad XII. Tab. probat. Tab. V. p.* 98.

§. VIII.

Demum et M. Antoninus Philosophus statuit, vt omnes minores, salua existimatione, acciperent curatores, causſa non cognita. Iul. Capitolin. *in vita Marci XI. De curatoribus vero, quum ante non nisi ex lege Laetoria, vel propter lasciuiam, vel propter dementiam, darentur, ita statuit, vt omnes adulti curatores acciperent, causſis non redditis.* Iuuabit hunc locum a plerisque male intellectum, et qui me quoque huc vsque decepit, expendere paullo accuratius. Pauciſſimi enim, si nonnulli, vident, quid sanxerit Marcus Antoninus, et qua in re eius constitutio a lege Laetoria discreparit. Lege XII. Tabularum soli furiosi et prodigi accipiebant curatores. Hinc ignominiosa quodammodo erat curatio, et proinde inuitis minoribus curatores non obtrudebat lex Laetoria, sed petentibus eos causſa cognita dari iubebat. Quamuis enim vulgo ex loco hoc Iulii Capitolini colligant, lege Laetoria tantum *adolescentibus dementibus et lasciuis*, datos esse curatores, vti ipse quoque in antecedentibus editionibus scripseram: facile

Quid M. Antoninus sanxerit?

Source : BIU Cujas

tamen patet, ita nihil noui sanxisse legem Laetoriam, quum iam pridem furiosis et prodigis prospectum esset XII. tabulis, nec dubitari posset, quin adolescentibus lasciuis et dementibus huiusmodi curatores dari deberent, quum et maiores XXV. annis in curatione sint, si dementes vel lasciui esse viderentur. Itaque non est hic sensus Iulii Capitolini. Potius inter se contendit iura de curatione, ante Antoninum recepta, et quae ab isto Imperatore sint inuecta. *Antea*, inquit, curatorum non nisi tria genera erant, *quum nonnisi ex lege Laetoria* minoribus petentibus, et caussam probantibus, *vel* secundo *propter lasciuiam* prodigis, quibus Praetor bonis interdixerat, *vel propter dementiam* furiosis et mente captis curatores *darentur*. Quid vero Marcus Antoninus? Is *ita statuit*, vt non solum petentes, *sed omnes adulti curatores acciperent, etiam non redditis caussis*. Ex hac demum paraphrasi perspicue patet, quid lex Laetoria, quid M. Antoninus Imp. iusserit, quidque sibi velit Iulius Capitolinus. [Quam si vidisset quidam, non dixisset, sat scio, me non inspexisse locum Capitolini in Marco.]

§. VIIII.

An ex eo tempore curatores inuitis adolescentibus dati?

Nimirum lex Laetoria dare voluerat curatores adolescentulis petentibus et caussam probantibus: Praetor se petentibus curatores promiserat daturum, etiamsi caussa non reddita. Marcus denique Antoninus statuit, vt et omnes acciperent, nec caussae redderentur. *Atqui*, inquies, adhuc Iustiniani aeuo *inuiti adolescentes curatores non accipiebant*. §. 2. *Inst. h. t.* An itaque cum Raeuardo *Var. I.* 17. inscitiae arguemus Tribonianum, ius antiquum pro nouo et recepto obtrudentem? An cum Vulteio ad *d.* §. 2. *Inst. h. t.* eum locum de curatore in litem interpretabimur? Neutrum ego facere ausim. Vtrumque enim verum videtur, non inuitos accepisse curatores, et omnes tamen accepisse. Prius non solum Iustinianus dicit, sed et alii ICti, Antonino iuniores confirmant. *l.* 13. §. *vlt. D. de tut. et cur. dat. l.* 2. §. *pen. et vlt. D. qui pet. tut.* Posterius ex verbis Iulii Capitolini clarum est. Seruauit itaque Marcus Antoninus vetus illud principium, curatorem dari oportere non inuitis, sed petentibus: at inuenit tamen modum, quo omnes petere cogerentur. Non prius enim rerum suarum administrationem a tutoribus recipiebant adolescentuli, quam petitis constitutisque curatoribus (*f*). Luculenter id patet ex *l.* 33. §. 1. *D. de admin. et per tut. l.* 28. §. 1. *eod. l.* 31. *eod. l.* 1. §. *vlt. D. de*

Source : BIU Cujas

de min. Sunt, qui nobis obuertunt exempla adolescentum, qui sine curatorum auxilio res suas dicuntur administrasse. *l.* 7. §. 2. *D. de min. l.* 3. *C. de in int. rest.* Verum ea loca non ad ius, sed ad factum pertinere, nemo non videt. Nam et impuberes aliquando negligentia eorum, qui tutores petere debuissent, sine custodibus erant, vti ex toto *titulo D. qui pet. tut. vel cur.* colligimus: nec tamen inde sequitur, vt in arbitrio impuberum fuisse, existimemus, sine tutoribus agere mallent, an custodibus subesse. Sed plura hanc in rem habes in *Elem.* nostris *iur. ciu.* §. 271. *seq.* et in *Additionibus nostris ad* Vinn. §. 2. *Inst. h. t. p.* 116. *sequ.*

(*f*) [Erat et alius modus cogendi adolescentes, vt curatores peterent, quod nimirum iis actio et exceptio in foro denegaretur. Neque enim stare in iudicio poterant sine curatore. *l.* 1. §. 2. *D. de admin. et per. tut. l.* 1. 2. 3. *C. qui legit. pers. stand. in iudic.*]

§. X.

Cura minorum quando finita?

Finiebatur curatio minorum anno aetatis XXV. circumacto, *l.* 3. §. 3. *D. de minor.* Quum enim longissimum vitae humanae tempus centum annis circumscriberent iureconsulti: *l.* 76. *D. de iu dic. l.* 56. *D. de vsufr.* eo in quatuor aetates diuiso, iuuentuti XXV. annos putabant adsignandos, vti acute coniicit Gundlingius *ib.* §. IIII. Id quod eadem lege Laetoria factum esse, non modo inde patet, quod *Quinauicennaria* a Plauto dicitur, verum etiam ex *l.* 2. *C. Theod. de donat.* manifestum est. Nonnumquam tamen iuuenes impetrabant *veniam aetatis*, quod beneficium Principes dabant adolescentibus XX. puellis XVIII. annorum, si frugi esse probarentur, *l.* 2. *C. de his qui ven. aet.*

§. XI.

Quid Actor et adiutor?

Ipse tutor, si valetudine impeditus negotia pupilli maxime in iudicio gerere non posset, nec curatorem, nec procuratorem constituere poterat. Hunc enim solus constituebat dominus. *l.* 1. *pr. D. de procur.* Quare noua inuenienda erant nomina. Rogatu ergo tutoris eiusque periculo Praetor ei substituebat alium, qui, si ad agendum esset datus, ACTOR; sin ad alia negotia, ADIVTOR vocabatur. *l.* 24. *D. de administr. tut. et l.* 13. §. 1. *D. de tutel.* Actores, non vt Theophilus existimat, ideo dicti sunt, quod *ad acta* constituerentur, sed ab *agendo*, vnde et πραγματευταὶ dicuntur Graecis. Translatum vero hoc nomen est ad vicariam tutelam

Source : BIU Cujas

ex institutis veterum domesticis. Domi enim e seruis quemquam praeficere solebant rei familiari, qui et ipse ACTOR, vel πραγματευτὴς nec non διοικητὴς πάσης οὐσίας vocabatur. *l.* 8. *pr. D. fam. ercisc. l.* 40. §. 7. *D. de statu lib. l.* 41. §. 4. *D. de fideicomm. libert.* [Reines. *Inscript. XI.* 65. *p.* 631. *et Epist. ad Rupert. p.* 235. *sequ.*] Et talem se esse simulabat Leonidas apud Plaut. *Asin. II.* 4. *v.* 53.

Nam si sciet noster senex, fidem huic non esse habitam,
Succenseat, cui omnium rerum ipsus summam credidit.

Talis quoque est, quem describit Lucas *cap.* XII. 44. Add. Raevard. *Var. Lect. V.* 20. et Wower. *ad Petron. p.* 149. qui *actores*, et *dispensatores*, vel *arcarios* accurate distinguit. Sed et in fundos mitti solebant serui, qui ceteris tamquam vicarii dominorum, imperarent, fundumque domino colerent, et hi ipsi etiam dicti *actores l.* 32. *D. de pign.* Plin. *Epist.* III. 19. Paull. *Rec. Sent.* III. 56. 47. 48. Quemadmodum ergo qui in aedibus vice domini rem familiarem curabat, ACTOR dici consueuerat: ita idem nomen conuenire eis visum est, qui pro tutore agerent. Vid. Melch. Goldast. *Adnot. ad* Dosithei *sentent. et Epist. Hadr.* III. 10. *p.* 868. *edit.* Cl. Schultingii.

TIT. XXIIII.

DE SATISDATIONE TVTORVM VEL CVRATORVM.

DE SATISDATIONE tutorum et curatorum iure antiquo nihil fuerat proditum: unde et nullum huius rei vestigium in vniuersa antiquitate exstat. Quum tamen pupilli magnum inde caperent detrimentum: de satisdatione quoque cauere coeperunt leges, de eaque paucis hic est agendum.

§. I.

Satisdationis huius origo.

Satisdatio haec inuenta est a Praetoribus, quorum in edicto legebatur: REM PVPILLI VEL ADOLESCENTIS SALVAM FORE, TVTOREM VEL CVRATOREM SATISDARE IVBEBO. arg. *rubr. D. rem*

Source : BIU Cujas

rem pupill. salu. fore l. 5. §. 1. D. de legit. tut. Cauebant vero ex eo tempore non tutores testamentarii, quippe quorum fidem ipse testator probauerat, nisi vnus reliquis vellet in administratione praeferri: *pr. Inst. l. 17. pr. D. de test. tut.* nec ex datiuis, qui a magistratibus maioribus cum inquisitione erant dati: sed partim legitimi, partim e datiuis illi, qui a duumuiris, aliisque minoribus potestatibus fuerant dati. *l. vlt. C. de magistr. conu.* Et huc pertinet formula: TVTOREM DO, SI SATISDEDERIS. Brisson. *de Form. V. p.* 408.

§. II.

Senatus consulta sub Traiano et Antonino ea de re facta.

Confirmauit id SCo quodam Traianus, qui et actionem dedit contra duumuiros, si vel non exegissent a tutoribus et curatoribus cautionem, vel minus idoneos admisissent fideiussores. Qua de re Dioclet. et Maximianus Augusti *l. 5. C. de magistr. conu. In magistratus municipales, tutorum nominatores, si, administrationis finito tempore, non fuerint soluendo, nec ex cautione fideiussionis solidum exigi possit, pupillis quondam in subsidium indemnitatis nomine actionem vtilem competere ex SC. quod auctore diuo Traiano, Parente nostro, factum est, constitit.* Eam actionem deinde D. Pius etiam ad ipsos magistratuum heredes extendit, si culpa magistratuum lata interceſſiſſet. *l. 6. D. de magistr. conuen. l. 2. C. eod.*

§. III.

Quomodo satisdatum?

Ipsa satisdatio fiebat oblatis fideiussoribus, (nec enim alia poterat esse cautio praetoria *l. 7. D. de stipul. praet.*) a quibus vel ipse pupillus, si fari posset, vel si non posset, seruus siue proprius, siue publicus, vel tabularius stipulabatur, REM PVPILLI SALVAM FORE. Vlpian. *l. 2. D. rem pup. salu. fore: Si pupillus absens sit, vel fari non possit, seruus eius stipulabitur: si seruum non habeat, emendus ei seruus est: sed si non sit, vnde ematur, aut non sit expedita emtio: profecto dicemus, seruum publicum apud praetorem stipulari debere.* Solebat et praetor nonnumquam dare, cui fideiussores stipularentur. *l. 3. eod.* Nimirum seruus proprius stipulatione sua domino, id est, pupillo adquirebat. *§. 1. Inst. de stip. seru.* Nec minus publicus seruus recte stipulabatur pupillo, quia erat in dominio reip. Publico vero nomine et alteri stipulari licebat. *l. 3. D. de praetor. stip. l. 1. §. 4. D. vt legator.* Iac. Gothofr. *Comment. ad tit. de reg. iur. p.* 322. Dicitur eiusmodi stipulatio facta τῷ ταβυλαρίῳ apud Theoph. §. 3. *Inst. de adopt.* Quam loquutionem eleganter explicat Amaya *ad l. 3. C. de tab. scrib. logograph.*

For-

Source : BIU Cujas

Formula stipulationis procul dubio fuit: FIDE TVA PROMITTIS, REM PVPILLO SALVAM FORE? FIDE MEA PROMITTO.

TIT. XXV.

DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM VEL CVRATORVM.

TVtela iure Romano erat munus publicum. *princ. Inst. h. t.* Quemadmodum vero alia munera, excusationibus prolatis, amoliri a se poterant ciues et municipes: ita etiam proditae fuerunt EXCVSATIONES, quibus tutelam et curationem possent recusare. Immo et causſae erant, propter quas arcebantur a tutela etiam illi, qui eam non recusarant, quas ipsas quoque excusationibus tutorum et curatorum accensent ICti, quibus EXCVSARI dicuntur, etiam qui non admittuntur vel prohibentur *l.* 1. §. 3. *D. de postul.* Propria itaque ICtis est haec vocabuli notio, et tam ab vsu remota, vt Graeci, quum verba παραιτεῖσθαι, ἀπολογεῖσθαι, προφασίζεσθαι illam non exhaurire animaduerterent, verbum Latinum ἐξκυσατίνειν adoptare non dubitarint. Harmenop. *Promtuar. II.* 5. 6. *I.* 30. 80. Add. V. A. Corn. van Bynkersh. *Obs. IIII.* 11. *p.* 385. *sequ.* et *Elem.* nostra *iur. ciu. sec. ord. Instit.* §. 288. Ex quo simul patet, in *l.* 11. *D. de decurion.* non esse quod pro EXCVSARE rescribamus EXCVRIARE cum Cuiac. *Obs. XXVI.* 38. Vnde iam excusationes merito in VOLVNTARIAS, NECESSARIAS et MIXTAS distinguuntur.

§. I.

Excusabat I. numerus liberorum.

Prima causſa, eaque VOLVNTARIA, est NVMERVS LIBERORVM, quorum *tres* Romae excusant, in Italia *quatuor*, et in prouinciis *quinque. pr. Inst. h. t.* Hoc quum ad famosum illud ius trium, quatuor et quinque liberorum pertineat, quale illud fuerit, ex antiquitatibus Romanis erit paullo altius repetendum.

§. II.

Source : BIU Cujas

§. II.

Cur Romani a nuptiis et procreatione liberorum abhorruerint?

Plurimi Romanorum, dici non potest, quantum a nuptiis abhorruerint. Caussae huius rei variae, amores furtiui (*a*), luxuria matronarum, de qua eleganter Plaut. *Mil. Glorios. III.* 1. *v.* 92. *sequ.* [et Iuuen. *Sat. VI. v.* 25.] et praecipue illa orbitatis praemia, quae toties celebrant veteres. Colebantur eiusmodi μισογάμοι ab omnibus, viaque ipsis ad honores et commoda patebat, nemine illis negante suffragium, ob hereditatem, quam quisque spe deuorauerat. Vnde lepide senex ille Periplectomenes apud Plaut. *Milit. Glorios. III.* 1. *v.* 111. *sequ.*

Quando habebo multos cognatos, quid opus mihi sit liberis?
Nunc bene viuo, ac fortunate, atque vt volo, atque animo vt lubet.
Mea bona morte cognatis dicam, inter eos partiar.
Illi apud me edunt, me curant, visunt, quid agam? ecquid velim?
Priusquam lucet, adsunt, rogitant, noctu vt somnum ceperim?
Eos pro liberis habeo; quin mihi mittunt munera;
Sacrificant: dant inde partem maiorem mihi, quam sibi:
Adducunt ad exta: me ad se ad prandium, ad coenam, vocant:
Ille miserrimum se retur, minimum qui misit mihi.
Illi inter se certant donis: ego hoc mussito mecum:
Bona mea inhiant, certatim mittunt dona et munera.

[Quin et securi sibi videbantur caelibes et orbi. Hinc Caesellius iurisconsultus apud Valer. Max. VI. 2. 12. ait; senectutem et orbitatem sibi natura dicaciori et faceto magnam praebere licentiam.] Sed et de suo tempore conqueritur Plin. *Hist. Nat.* XIIII. *prooem. coepisse orbitatem in auctoritate summa et potentia esse, captationem in quaestu maximo.* Et Seneca *Consolat. ad Marciam* XVIIII. *In ciuitate nostra plus gratiae orbitas confert, quam eripit. Adeoque senectutem solitudo, quae solebat destruere, ad potentiam ducit, vt quidam odia filiorum simulent, et liberos eiurent, et orbitatem manu faciant.* Addi merentur Petron. *Satyr. p.* 106. vbi Romanorum mores sub Crotoniatarum nomine sale satyrico defricat, vt et Tacitus *Annal.* XIII. 52. *de Moribus Germ. XX.* Ammian. Marcellin.

(*a*) Hanc caussam ipse obseruat Augustus Imp. apud Dion. Cass. LVI. p. 576. vbi inuectus in caelibes: Οὐ γὰρ δὴ ὅπου μοναυλίᾳ χαίρετε, ἵν' ἄνευ γυναικῶν διάγητε. ἐδὲ ἔστιν, ὅστις ὑμῶν ἢ σιλεῖται μόνος ἢ καθεύδει μόνος, ἀλλ' ἐξουσίαν καὶ ὑβρίζειν, καὶ ἀσελγαίνειν ἔχειν ἐθέλετε. *Neque adeo vos solitudo viuendi capit, vt absque mulieribus degatis, ac non quilibet vestrum mensae lectique sociam habeat, sed licentiam libidini ac lasciuiae vestrae quaeritis.*

Source : BIU Cujas

cellin. XIIII. 19. Denique et erant, qui philosophiae causſa abſtinebant a matrimonio, exemplo veterum, Thaletis, Pythagorae, Democriti, Platonis, Zenonis Cittiei, Epicuri. Ita ſane et recentiores in orbe Romano philoſophi ſibi putabant faciundum, veluti Apollonius Tyanenſis, Epictetus, Plotinus, Porphyrius, Proclus. Vid. Philoſtrat. *Vit. Apollon. l.* 10. Marin. *vit. Procli Cap. XVII. p.* 59. et ibi Cl. Fabric. Quae quum ita ſe haberent, non mirum profecto eſt, adeo abhorruiſſe Romanos a nuptiis quaerendiſque liberis, vt praemiis eſſent ad coniugia ineunda inuitandi. Fuſius haec illuſtrauimus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Lib. I. cap. II. p.* 35. *ſequ.*

§. III.

Poenae caelibatus et praemia foecunditatis in libera rep.

Equidem iam libera republica et poenas caelibatus, et foecunditatis praemia fuiſſe, certiſſimum eſt. Legum eiuſmodi et a ſenatu et a populo conditarum meminit ipſe Auguſtus oratione ad caelibes apud Dion. Caſſ. *Hiſt. LVI. p.* 576. Solebant et cenſores dare operam ne caelibes eſſent in vrbe, atque hinc mulctam exigere ab iis, qui, nulla ducta vxore, ad ſenectutem peruenirent. Ea mulcta dicebatur *aes vxorium*. Feſtus *voce vxorium. p.* 478. Vxorium *pependiſſe dicitur, qui, quod vxorem non habuerit, aes populo dedit.* Qua in re rigida inprimis ac ſeuera fuit cenſura M. Furii Camilli et M. Poſtumii Albini Regillenſis, anno V. C. CCCL. de qua Plutarch. *vit. Camilli p.* 129. et Valer. Max. II. 9. 1. Ita et anno IↃCXXII. Q. Caecilius Metellus Macedonicus omnes vxores ducere coegit liberorum quaerendorum cauſſa, et tum habuit orationem, cuius partem ſeruauit Gellius *Noct. Attic. I.* 6. quaeque digna viſa Auguſto, quam in ſenatu repeteret, quum ſuaderet Legem Iuliam de maritandis ordinibus. Suet. *Aug. Cap.* LXXXVIIII. Nonnumquam cenſores caelibes etiam in quatuor tribus vrbanas, ceteris inhoneſtiores, maritos et parentes in ruſticas, tamquam nobiliores, deſcribebant. Liu. XXXXV. 15. Nec poenis tantum, ſed et praemiis propoſitis, ea in re vtebantur veteres, et in primis honoribus ciues inuitabant ad ducendas vxores, ceu patet ex inſigni oratione P. Scipionis, Cenſoris, anno V. C. IↃLIIII. apud Gell. *Noct. Att. V.* 19. vbi etiam ille prauus mos reprehenditur, *quod filius adoptiuus patri adoptatori inter PRAEMIA patrum prodeſſet.*

§. IIII.

Source : BIU Cujas

§. IIII.

At paullo post tamen et Iulio Caesari legibus promouenda visa est πολυπαιδία ciuium. Iam in consulatu, quem cum Bibulo gessit, agrum Campanum diuisit extra sortem XX. millibus ciuium, quibus terni pluresue liberi essent. Suet. *Iul. XX.* Appian. *de Bello ciuil. II. p.* 433. Postea, vbi bellum ciuile detonuerat, acto censu, tantam deprehendit in vrbe solitudinem, vt teste Appiano *de Bello ciu. II. p.* 492. dimidio minus capitum censeretur, quam ante bellum ciuile. Vnde denuo praemia proponenda existimabat iis, quibus plures essent liberi. Dio Cass. *Hist.* XXXXIII. *p.* 216. Suet. *Iul. Cap.* XXXXII. Sed eo paullo post interfecto, non diu admodum leges istae saluberrimae viguerunt.

Praemia πολυπαιδίας a Iulio Caesare propositа.

§. V.

At multo magis haec cura Augusti subiit animum, qui tamen non nisi post multa molimina solitudini isti inuenit remedium. Primum id egit anno V. C. DCCXXV. quo censum cum Agrippa, tamquam Praefectus morum, egit. Grut. *Inscript. p. CCXXX.* Nam ex eo demum tempore sexto inito consulatu potentia securus, quae in triumuiratu iussa fuerant, aboleuit, deditque iura, queis pace et principe vterentur. *Arctiora ex eo vincula, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti.* Tacit. *Annal.* III. 28. Ex quibus tamen verbis Lipsius *in Excurs. ad* Tac. *Ann. Lib.* III. *litt. C.* male colligit, iam sexto illo consulatu Augustum rogationem ad populum tulisse. Incertum enim hoc esse ostendimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib.* I. *Cap.* III. *pag.* 41. Saltim, si quid sexto consulatu egit Augustus, tum quidem nihil profecisse videtur.

Prima Augusti rogatio de poenis caelibatus et praemiis πολυπαιδίας.

§. VI.

Decennio post A. V. C. DCCXXXVI. denuo eamdem rem egit, lata celeberrima illa lege IVLIA *de maritandis ordinibus*, qua et innuptis arctiores poenas statuit, et nuptiis liberorumque procreationi proposuit praemia. Dio Cass. *Hist.* LIIII. *p.* 531. *sequ.* Dici non potest, quantis cum difficultatibus tunc colluctandum fuerit Augusto. Quamuis enim orationem Metelli, de qua supra, in Senatu haberet: Suet. *Aug.* LXXXVIIII. *Epit. Liu.* LVIIII. magno tamen patrum consensu ei occlamatum est, teste Dione Cassio *Lib.* LVI. *p.* 532. At sequutum tamen SC. de ferenda lege, de quo Horat. *Epod.* XVIII. *v.* 17.

Lex Iulia de maritandis ordinibus.

Source : BIU Cujas

Diua, producas sobolem, Patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis, prolixis nouae feraci
LEGE MARITA.

Sed licet tum Augustus tam certus esset de successu huius rogationis, vt legis huius in antecessum meminerit in luculenta Inscriptione apud Grut. *p.* CCCXXVIII. 1. quam nos suppleuimus illustrauimusque *in Comment. ad L. Iul. et Pap. ibid. p.* 43. *seq.* legem tamen perferre ne tum quidem potuit, prae tumultu recusantium. Sueton. *Aug.* XXXIIII. Eoque respicit Propertius II. 7.

Gauisa est certe SVBLATA *Cynthia* LEGE,
Qua quondam edicta, flemus vterque diu,
Ne nos diuideret.

Repetitis tamen aliquoties rogationibus, ita demum perlata est, vt ademta, lenitaue parte poenarum, auctisque praemiis, vacatio triennii concederetur. Sueton. *Aug.* XXXIIII. Triennio vero illo circumacto, denuo biennii data est vacatio, adeoque lex illa de maritandis ordinibus demum anno DCCLVII. Sex Aelio Cato et C. Sentio Saturnino Coss. perlata, annoque DCCLXII. in legem Papiam Poppaeam transfusa, vires suas exserere coepit. Dio LVI. *p.* 578.

§. VII.

Lex Papia Poppaea et praemia πολυπαιδίας.

Nimirum vicerat caelibatus orbitatisque amor, adeo, vt A. V. C. DCCLX. equites Romani magnopere de abroganda hac lege laborarent. Paullo post Augustus insignes illas habuit orationes tam ad caelibes, quam ad coniuges, quas seruauit Dio Cass. LVI. *p.* 573. *sequ.* Suet. *Aug. XXXV.* Denique anno V. C. DCCLXIII. ferri iussit LEGEM PAPIAM POPPAEAM, quae in iure nostro etiam LEX IVLIA et PAPIA adpellatur, quia in eam Iuliae istae rogationes pleraeque confluxerant. Tulerunt hanc legem ad populum M. Papius Mutilus et Q. Poppaeus secundus, consules suffecti (*b*) quorum neuter vel vxorem habebat, vel liberos, Dio Cass.

(*b*) In plerisque fastis hoc par consulum desideratur. Sed rem expediunt fragmenta Capitolina apud Pighium *Annal. p. XVIIII.* In quibus huius anni consules ita recensentur: C. POPPAEVS. Q. F. Q. N. SABINVS. Q. SVLPICIVS Q. F. Q. N. CAMERINVS. EX. K. IVL. M. PAPIVS. M. F. M. N. MVTILVS. Q. POPPAEVS. Q. F. Q. N. SECVNDVS. Exstant quoque vtriusque numi apud Golzium *in Fast. p. CCXXVIIII. sequ.* vbi tamen Poppaeus non *Secundus* sed SECVNDINVS cognominatur. De gente Papia videndus Patin. *de famil. Rom. p.* CCC*XXVIIII.* et de vtraque *Comment. noster ad L. Iul. et Pap. Lib. I. Cap. IIII.*

Source : BIU Cujas

Caſſ. LVI. *p.* 578. ex quo, quam fuerit haec lex neceſſaria, facile intelliges. In ea capita haud pauca agebant de praemiis πολυπαιδίας. Sic e pluribus candidatis praeferebatur is, qui plures ſuſtuliſſet liberos. Tacit. *Annal. XV.* 19. Plin. *Epiſt. VII.* 16. E conſulibus quoque prior ſumebat faſces, qui collegam liberorum multitudine anteibat. Gell. *Noct. Att. II.* 15. Latini porro ob filium filiamue anniculum anniculamue, Latinae vero ob ternos partus ius Quiritium conſequebantur. Vlp. *Fragm. III.* 1. Liberti ob multitudinem liberorum ab operis, ingenuae et libertae a tutela liberabantur, *l.* 37. *D. de oper. libert.* Plut. *in Numa p.* 66. Dio *Hiſt. LVI. p.* 578. *Fragm. Regul. ex vetere ICto. §. VI.* Vlpian. *Fragm. XXVIIII.* 2. 3. Iuuabant etiam liberi in hereditatibus et ſolidi capacitate. Vlp. *Frugm. tit. XV. XVI.* Immo et honoratior in theatro locus dabatur iis, qui plures haberent liberos. Gothofred. *ad Leg. Pap. Popp. cap. VII. ſequ. p.* 280. Inprimis vero hac lege fuerat cautum, vt qui ſecundum hanc legem liberos tres, Romae natos, ſuperſtites, qui quatuor in Italia, qui quinque in prouinciis haberet, omnium munerum perſonalium immunitatem haberet *pr. Inſtit. h. t. l.* 1. *C. et vlt. qui num. lib. l.* 18. *D. de excuſ. tut.*

§. VIII.

Ius liberorum trium, quatuor; quinque.

Hinc ergo natum famoſum illud ius trium, quatuor et quinque liberorum, quod tamen et liberis orbi, immo et ſteriles nonnumquam, beneficio principum, obtinebant. Exempla ſunt apud Plin. *Epiſt. II.* 13. *VII.* 16. *X.* 95. immo et in inſcriptionibus, veluti in illa apud Grut. *p.* MLXXXI. vbi laudatur STATIA IRENE, IVS LIBERORVM HABENS, & in aliis, in quibus litterae I. L. H. id eſt, IVS LIBERORVM HABENS. Brummer. *de Lege Cinc.* XIIII. Apud eumdem Grut. *p.* CCCXXII. 8. mentio fit Albiae Flaminicae, CVI IMP. IVS COMMVNE (*c*) LIBERORVM CONCESSIT. et p. DCXXXI. 2. Perſicus libertinus ſepulcrum ſe condidiſſe teſtatur C. CORNELIO. PERSICO F. HABENTI EQVVM PVBLICVM, et CORNELIAE, ZOZIMAE, MATRI EIVS, HABENTI IVS QVATVOR LIBEROR. BENEFICIO CAESAR. Plura de hoc iure commentatus eſt M. Vertranius Maurus ſingulari libro *de trium liberorum iure*, (*d*) in quo tamen multa potius, quam bona et ſolida, reperies.

(*c*) Legendum forſan IVS COMMVNIVM LIBERORVM, ob quod ſolidum capiebant inter ſe coniuges, Vlp. *Fragm. XVI.* 1.

(*d*) Librum hunc fruſtra a ſe bibliothecis quaeſitum, ait Brummer. *ad Leg. Cinc. XIIII.* Sed facile eum reperire potuiſſet in *Tractatu Tractatuum Tomo VIII.* nec ignotum eſt, eum nuper *Theſauri iur. Tomo III. p.* 965. inſertum eſſe.

Source : BIU Cujas

§. VIIII.

Profeſſio liberorum apud praefectum aerarii.

Quinam liberi profuerint ad capienda πολυτεκνίας praemia, de eo copioſe ſatis diſputant iureconſulti. Nos addimus, ne fraus legi fieret, cautum fuiſſe a Marco Antonino, Imperatore (*e*), vt profeſſio liberorum intra diem triceſimum fieret apud praefectum aerarii, alterumque exemplum tabularum domi; alterum apud aerarium adſeruaretur: id quod idem Imperator etiam in prouinciis fieri iuſſit. Iul. Capitolin. *vit. Marc. Anton. VIIII.* Et huc pertinet exemplum Gordiani, de quo idem Iul. Capitolin. *Gord. IIII.* nec non lepida illa adulteri excuſatio apud Iuuenal. *Sat. VIIII. v.* 84. *ſequ.*

Tollis enim, et LIBRIS ACTORVM *ſpargere gaudes*
Argumenta viri: foribus ſuſpende coronas,
Iam pater es, dedimus, quod famae opponere poſſis,
Iura parentis habes, propter me ſcriberis heres.

Adde Briſſon. *Antiqu. Rom. I. 5. p. 7.*

(*e*) Ita rem refert Iul. Capitolinus. *Vit. Marc. Ant. Cap. VIIII.* Sed tamen iam ante ea tempora clarorum virorum ortus in acta publica referebantur, vt ex Sueton. *Tiber. V. et Calig. VIII.* patet. Iuuenal. *Sat. IIII. v.* 82. *ſequ.* Fortaſſis ab omnibus et ob liberales cauſſas id fieri iuſſit Antoninus, quod antea illuſtriores tantum familiae facere conſueuerant. Plura nos in *Comment. ad L. Iul. Pap. Lib. II. Cap. VIIII. p.* 213. vbi et de *natalis* et *cenſualis profeſſionis* diſcrimine, quarum mentio fit in *l. 6. C. de fid. inſtr.* et *l. vlt. C. ſine cenſu vel reliqu.*

§. X.

Fiſci et aerarii vt et rationis Caeſaris differentia.

Voluntariis porro excuſationibus accenſenda II. ADMINISTRATIO REI FISCALIS. Libera republica, reditus omnes publici influebant in aerarium. At ſub Imperatoribus ſeparatae erant rationes *fiſci* atque *aerarii* τῦ βασιλικῦ, καὶ τῦ ταμείυ. Hoc ad populum, ille ad Principem pertinebat. Hinc ſaepe cum in iure, tum apud auctores iunguntur *iura fiſci* et *populi.* Paull. *Sent. Recept. V. 12. l. 1. D. de bon. damn.* Lamprid. *Alex. Seu. XII.* Hanc differentiam primus Auguſtus, vel certe Tiberius, reperit. Sane ſub Tiberio diuerſum a fiſco fuiſſe aerarium patet ex Tacit. *ann. VI. 2.* A fiſco iterum diſtincta erat *ratio Caeſaris*, id eſt, priuatum Principis patrimonium, de quo *l. 6. §. vlt. D. de iure fiſci.* Vnde toties memorantur PROCVRATORES HEREDITATVM PRIVATI PATRIMONII, et ſimiles, apud Fabrett. *Inſcr. cap. III.* et Phil. a Turre *in Monim. Vet. Ant. Cap. VI.* Vt iam non commemorem, quae ex

Source : BIU Cujas

ex Gruteri et Reineſii Theſauris eam in rem depromi poſſent. Aſt ſeneſcente iam ſub principibus imperio, nullum erat amplius inter fiſcum et aerarium diſcrimen, niſi quod publica pecunia *ſacrarum largitionum*; priuatum Principis patrimonium *priuatarum rerum* nomine veniret. Vnde tituli *C. de comit. ſacr. larg. et de com. rer. priuat.* Iam Dioni ſane *Lib.* LIII. *p.* 511. vix liquet, quid inter Auguſti et publicum interſit aerarium, et Gloſſae recentiores promiſcue ſcribunt: Ταμεῖον, *fiſcus*, *aerarium*. Pauciſſimi ſane Principes Heluium Pertinacem imitabantur, qui Imperatoriis poſſeſſionibus nomen ſuum inſcribi prohibebat, non eſſe illas dictitans imperantium proprias, ſed communes Romanorum et publicas. Herodian. *Hiſt. II.* 4.

§. XI.

Aerario initio praeerant Quaeſtores, quos Tacitus Annal. XI. 22. et Vlpianus, *l. un. pr. D. de off. quaeſt.* Gracchani Iunii auctoritate, paene tam antiquos faciunt, quam ipſam vrbem. Sed eoſdem a Valerio Poplicola demum creatos, ſcribit Plutarchus *vit. Valer. Popl. p.* 103. Immo Pomponius eos ipſis Tribunis plebis Aedilibuſque recentiores facit. *l.* 2. §. 22. *D. de orig. iur.* Sed quemadmodum de Pomponio hic non multum laboramus: ita Vlpiano facile conciliabis Plutarchum, ſi Quaeſtores iam ſub regibus fuiſſe, Valerium vero illum magiſtratum, a Tarquinio Superbo abrogatum, reſtituiſſe reipublicae, dixeris. Quod et Tacitus *l. c.* non obſcure indicat, qui ſimul monet, conſulibus initio manſiſſe poteſtatem quaeſtores deligendi, donec eum quoque honorem populus mandarit. Initio duo creati, vt rem militarem comitarentur: dein duo additi, qui Romae curarent, mox duplicatus numerus, ſtipendiaria iam Italia, et accedentibus prouinciarum vectigalibus. Poſt lege Sullae viginti creati, ſupplendo Senatui, cui ille Dictator iudicia tradiderat. Prolixe haec omnia Tacitus *l. c.* His ergo aerarii potiſſimum cura demandata fuerat a populo. Aſcon. Paedian. *in Verrin. II. p.* 1839. Aſt A. V. C. IↃↃↃVIIII. aerarii adminiſtratio, iubente Caeſare, a Quaeſtoribus ad Aediles translata. Dio Caſſ. XXXXIII. *p.* 237. Auguſtus, vbi aerarium militare inſtituerat, eius curam demandabat viris praetoriis, quos primum a Senatu lectos, deinde ſorte ductos, ac demum ab ipſo Imperatore nominatos, conſtat. Suet. *Aug. XXXV.* Quaeſtoribus porro curam aerarii Saturni reddidit Claudius. Suet. *Claud. XXIIII.* Denique adminiſtratio aerarii iuſſu Neronis fuit penes Praefectos aerario,

Aerario qui praefuerint?

Source : BIU Cujas

aerario, (*f*) qui tamen etiam de cauſſis fiſcalibus indicabant. Gell. XIII. 24. Tacit. XIII. 28. Iac. Guther. *de offic. Dom. Aug.* III. 32. Quum vero ab Auguſti temporibus duplex eſſet aerarium, *Saturni* alterum, ita dictum a templo Opis et Saturni, in quo cuſtodiebatur, alterum *militare*: duo quoque erant Praefecti aerario, vel diuerſa ſaltim officia, vni aliquando perſonae demandata. Exemplum ſuppeditat marmor apud Gruter. *p. MXXVIII.* 5.

(*f*) Quum vero ex lege Papia in aerarium et paullo poſt in fiſcum etiam influerent viceſimae hereditatum: iis adminiſtrandis praefuerunt PROCVRATORES XX. HEREDITATIVM et PROMAGISTRI XX. HEREDITATIVM, quorum mentio fit in marmoribus apud Gruter. *p.* CCCCXXXVII. 7. CCCCXXVI. 5. CCCCLIIII. 8.

§. XII.

Qui fiſco et patrimonio Caeſarum?

Fiſco praeerant Procuratores, Aduocati, Patroni fiſci, quorum paſſim in iure noſtro mentio fit. Sunt etiam PRAEFECTI FISCI GERM. CAES. IMP. apud Grut. *Inſcript. p.* CCCCLXXXXVIII. 10. A COMMENTARIIS FISCI ASIATICI, apud Reineſ. *Inſcr.* VIIII. 33. PROCVRATORES FISCI ASIATICI apud eumdem *Claſſ.* VIIII. 60. Immo creare Nerua coepit *Praetorem fiſcalem*, qui de rebus fiſcalibus ius diceret. *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* Patrimonia Principum Procuratores Caeſarum adminiſtrabant. Denique poſtremis temporibus fiſcum Comes ſacrarum largitionum; patrimonium principis Comes rerum priuatarum adminiſtrabat, de quibus videndi Gutherius *de offic. Dom. Aug.* III. 1. 16. 25. 32. et qui egregia multa hanc in rem collegit Gundlingius *Diſſ. de principe herede cap.* IIII.

§. XIII.

Rei fiſcalis adminiſtratio excuſationem dedit voluntariam.

Quicumque ergo res fiſcales adminiſtrabant, excuſari poterant a tutela, non tam quia bona eorum fiſco obligata erant, vt pleriſque videtur: quam quod priuilegio ſe poſſent defendere. Hinc dicitur, *excuſari eos poſſe* §. 1. *Inſt. h. t.* eos *vacationem habere l.* 10. *C. h. t. priuilegio defendi*, *l. vlt. C. qui dari tut. poſſ.* Vnde patet, non *neceſſariam* fuiſſe hanc excuſationem, ſed *voluntariam*. Thomaſ. *Not. ad Inſt. h. t. p.* 110.

§. XIIII.

Poteſtas quae a tutela excuſat, quid.

Eadem de cauſſa excuſantur III. QVI CVM POTESTATE SVNT. Poteſtas vero diuerſimode accipitur ab antiquis. Nonnumquam magiſtratibus vrbanis opponuntur poteſtates in prouinciis, apud Sueton.

Source : BIU Cujas

Sueton. *Claud. XXIII. Iurisdictionem de fideicommissis quotannis, et tantum in vrbe, delegari magistratibus solitam, in perpetuum; atque etiam per prouincias potestatibus demandauit.* Nonnumquam etiam in ipsa vrbe a magistratibus seiungebantur potestates. In vrbe enim erant, qui ius dicerent, quamuis non essent magistratus ordinarii, veluti *Praefectus annonae, praefectus vigilum*, quos magistratus ideo esse negat Pomponius, *l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur.* etiam hi dicebantur habere potestatem. Porro potestas distinguitur aliquando ab imperio, adeoque tribuitur iis magistratibus, qui neque vocationem neque prehensionem habebant, veluti Quaestoribus. Vid. infra *Lib.* IV. *Tit.* VI. §. 5. Nulla harum significationum hic inuenit locum. Cum potestate enim hic esse dicuntur, quicumque sunt cum imperio, id est, magistratus maiores, vel maioribus auspiciis, & lege curiata creati. Gell. *Noct. Att.* XIII. 14. *l.* 1. *pr. D. si quis ius dicenti non obtemp.* Huber. *Praelect. ad Instit. l.* 25. 4. Vnde ne Aedilitas quidem excusabat. *l.* 17. §. 4. *D. h. t.* Nam Aediles nec coercere poterant, nec iubere in carcerem duci, nec prehensionem habebant, sed ipsi in ius vocabantur. Gell. *Noct. Att.* XIII. 15. Postremo tamen participes huius beneficii generatim facti sunt Senatores, *l.* 15. §. 3. *h. t.* immo et ἄρχοντες τῶν πόλεων, id est, Duumuiri. *l.* 6. §. 16. *h. t.*

§. XV.

De V. PAVPERTATE: VI. TRIVM TVTELARVM ONERE, vt et VII. IMPERITIA LITTERARVM nihil est, quod ex antiquitate monendum sit. Ast quum VIII. et PROFESSIO LIBERALIVM ARTIVM excusarit, huius quae fuerit Romae conditio, ostendendum erit paullo accuratius. De aliis excusandi cautis.

§. XVI.

Grammatici, quos initio LITTERATOS, vel LITTERATORES adpellabant (*f*), serius Romae docuerunt. Ludimagistris, qui primis litterarum elementis imbuebant pueros, semper quidem procul dubio vsi fuerant Romani: sed ab his diversi grammatici erant, id est, poetarum interpretes. Suet. *l. c.* Vnde et in iure nostro a ludi litterarii magistris discernuntur. *l.* 1. *pr. et* §. 6. *D. de extraord. cognit.* Grammaticam olim Romae ne in vsu quidem, nedum in honore fuisse, rudi scilicet ac bellicosa tum ciuitate, docet Sueton. *de Illustr. Gramm.* I. ex quo etiam discimus, mediocre eius Professio artis Grammaticae.

(*f*) Teste Sueton. *De Illustr. Gramm. III.* vbi erudita sunt, quae adnotauit Is. Casaub. *p. m.* 732.

Source : BIU Cujas

exſtitiſſe initium, profitentibus eam artem non niſi ſemigraecis, immo et libertinae conditionis hominibus. Sane L. TITINIVS L. L. AMASON GRAMMATICVS memoratur apud Reineſ. *Inſcr. Claſſ. I.* 228. *pag.* 216. M. POMPILIVS M. L. FORTVNATVS GRAMM. apud Gruter. *Inſcr. p. MXXXV.* 6. vt alia iam exempla praetermittam, quae et ipſe Suetonius ſuggerit. Primus hoc ſtudium in vrbem intulerat Crates Malleotes, qui miſſus ad Senatum ab Attalo Rege, inter ſecundum et tertium bellum Punicum, quum fracto crure decumberet, adſidue differendo, Romana ingenia excitauit. Sequuti eum ſunt alii, praecipue poſt Q. Metelli tempora, poſt quae adeo ſenſim creuit grammatices honor, vt ne clariſſimi quidem viri ab ea ſe abſtinerent, et aliquando ſuper viginti celebres ſcholae in vrbe florerent. Suet. *de illuſtr. Gramm.* III. Sed plerique docebant priuatim, aut certe magno virorum illuſtrium aere conducti. Primus centena in annum ſeſtertia accepit Verrius Flaccus ſub Auguſto et Tiberio. Suet. *de Gramm.* XVII. Poſtea ſenſim inualuit, vt et Grammatici publicis inuitati ſtipendiis docerent. Ael. Spartian. *Vit. Hadr.* XVII. adeo vt ſtipendium eorum ordinarium temporibus Luciani eſſent μύριαι δραχμαὶ, id eſt, ſeſtertia quadraginta, aurei quadringenti, vel mille coronati monetae Belgicae. Vid. Gronou. *de pecun. vet.* LIIII. *cap.* XI. *p.* 729. Immo et annona iis quotannis coepit diſtribui, quam aliquoties iis deminutam reſtitutamque eſſe, patet ex Symmachi *Epiſt. I.* 33. Caſſiodor. *Epiſt.* VIIII. 21. vt et *l.* 11. *C. Theod. de Medic. et Profeſſor. Lib.* XIII. *Tit.* III.

§. XVII.

Profeſſio rhetoricis.

Serius multo, immo et difficilius Romae recepti ſunt rhetores, quippe quos anno V. C. IↃLXXXXII. C. Fannio Strabone et M. Valerio Meſſala Coſſ. SCo; deinde anno V. C. IↃCLXI. a C. Domitio Ahenobarbo et L. Licinio Craſſo cenſorio edicto, vrbe expulſos eſſe conſtat. Suet. *de clar. Rhet. I.* Poſtea et rhetoricam priuatim docere coeperunt plures, quorum aliquot recenſet Sueton. *de clar. Rhet.* III. *ſequ.* Primus vt diſerte notat Euſeb. *in Chron. n.* MMCIIII. publice Romae docuit, ſalariumque e fiſco accepit Quinctilianus, idque ſub Domitiano. At iam Veſpaſianum Latinis Graeciſque rhetoribus annua centena, id eſt, aureos mille e fiſco conſtituiſſe, tradit Sueton. *Veſp.* XVIII. Poſteriores Imperatores ea in re modo liberaliores, modo tenaciores fuerunt. Sub Marco enim rhetorum ſtipendium fuere drachmarum decem millia, Lucian. *Eunuch. p.* 161. *T.* IIII. id eſt, aurei CCCXXXIII. et

Source : BIU Cujas

et regales IIII. ceu rationes init Theod. Marcil. *ad Suet. Vesp. cap.* 18. vel CCCC. vti Gronouius. Tatianus qui sub Commodo floruit, sexcentos aureos philosophis scribit datos, ex quo et salaria rhetorum sexcentorum aureorum fuisse videntur Theod. Marcil. *ad Suet. Vesp. l. c.* Immo Eumenius rhetor liberalitate Principis salarium sexcentorum millium nummum sese accipere gloriatur, in *Orat. pro restaur. schol. XI.* qui ex Gronouii calculo conficiunt XXXXV. millia florenorum Hollandicorum.

§. XVIII.

Eadem paene Romae philosophorum fata fuerunt. Ii quoque cum Rhetoribus pulsi A. V. C. DLXXXXII. Idem saepius factum, cum antea, tempore Catonis, tum etiam sub Domitiano, Suet. *Domit. cap. X.* sub quo Epictetus quoque Roma excedere iussus est. Interea tamen semper priuatim floruit philosophiae studium. Primus philosophis stipendia et honores concessit Antoninus Pius. Iul. Capitolin. *Vit. Anton. XI.* [Herodian. *Histor. I.* 2.] vt & post eum D. Marcus, qui, vti ipse serio philosophabatur, ita omnis generis doctoribus annuam mercedem constituebat. Xiphilin. LXXI. *p.* 815. Hoc quoque salarium annuum ordinarie DC. aureorum fuisse, ex Tatiano colligimus cum Casaub. *Not. ad Sueton. Vesp. cap.* 18. At nonnullis tamen minus datum est. Luciani enim tempore singula philosophorum genera acceperunt decem millia drachmarum, id est, CCCC. aureos, Lucian. *Eunuch. p.* 161. *Tomo* IIII. Tantumdem datum fuit Theodoto Sophistae apud Philostr. *Vit. Sophist. Lib.* II. *Cap.* 2. *p.* 566. *edit. Olear.* Tantumdem destinatum etiam Chresto, apud eumdem *Lib.* II. *Cap.* 11. §. 1. *p.* 591. Professio philosophiae.

§. XVIIII.

Medicina Romae sero coli, et in aliquo pretio haberi coepit. Seruos ac libertos artem hanc feciſſe, negat quidem Carolus Sponius *dans les recherches d'antiquité Dissert.* XXVII. sed eum artis suae amore falli, satis patet ex Sueton. *Calig.* VIII. Quinctil. *Inst.* VII. 2. Senec. *de Benef.* III. 24. Varr. *de re rust.* I. 16. Ipsi lapides nobis plura exempla seruant. Apud Reinesium *Inscr. Class.* XI. 8. est Q. CLODIVS, Q. L. NIGER, MEDICVS OCVLARIS. Apud Grut. *p. MCXI.* 6. Fabret. *Inscr. cap.* IIII. *p.* 300. Spon. *Misc. Erud. Ant. p.* 143. et Maluas. *Marm. Felsin. p.* 219. TIBERIVS (ILLVSTRIVS,) TI. CAES. AVG. SER. CELADIANVS MEDICVS Professio medicinae.

Source : BIU Cujas

DIGVS OCVLARIVS. Alia marmora, quae Gruterianus Index in titulo: *officia domus augustae et priuatae*, facile vnicuique suggeret, hic praetermittimus. Immo et seruas et libertas feciſſe medicinam, patet ex marmoribus apud Gruter. *Inscr. p.* DCXXXVI. vbi occurrit IVLIA Q. L. SABINA, MEDICA, MINVCIA. C. L. ASTE, MEDICA, SENTIA ELIS, MEDICA. Tales etiam erant obſtetrices, quae medicamenta dare ſolebant, *l. 9. pr. D. ad L. Aquill.* veluti SVAVITAS, L. AGRIPINAE, OBSTETRIX, apud Gruter. *Inscr. p.* DCXXXVI. 4. Ceterum primus medicos ciuitate donauit Iulius Caeſar. Suet. *Iul.* XXXXII. Auguſtus vero Antonii Muſae, liberti, opera e graui ac periculoſo morbo reſtitutus, Muſae ius aureorum anulorum, vniuerſo medicorum ordini immunitatem dedit Dio Caſſ. LII. *p.* 517. Hinc multis Veſpaſiani, Hadriani, aliorumque reſcriptis firmatum eſt illud priuilegium *l. vlt. §. 30. D. de mun. et hon.* Poſtea quum nimis multi medicinam profeſſi immunitate fruerentur, certum definiri numerum placuit. *l. 6. §. 2. D. de excuſat.* Alexander porro medicis annonam addidit. Lamprid. *Alex.* XXXXII. Poſteriores vero Imperatores eorum immunitatem auxerunt plurimis conſtitutionibus, quae exſtant in *C. Theod. tit. de medic. et profeſſ.* Briſſon. *Ant. Sel. II.* 3. qui etiam ſequente capite oſtendit χειρέργους ſimul fuiſſe pleroſque medicos. Hinc et *vulnerarii*, vel *vulnerum medici* vocantur. Plin. *Hiſt. Nat.* XXVIIII. 1. nec non *medici chirurgi* in Marmore hoc apud Manut. *Orthogr.* 243.

CARESTAE CONSERVAE. ET. CONIVGI,
GELADIVS. ANTINOVS. DRVSI. MEDICVS CHIRVRG.
BENE. MERENTI. FECIT. EA. VIXIT. ANN. XVII.

Apud Grut. *Inſc. p.* CCCC. 7. laudatur MEDICVS CLINICVS. CHIRVRGVS. OCVLARIVS. Celebres etiam fuere *iatraliptae*, ſeu medici vnguentarii, de quibus Plin. *Hiſt. Nat.* XXVIIII. 1. [Add. Aegid. Menag. *Amoenit. iur. ciuil. Cap.* XXXV. et V. C. Lampii *Diſſert. de priuileg. medicorum. cap. I.* Barn. Briſſon. *de verbor. ſignific. p.* 810. *edit. nou.*]

§. XX.

Profeſſio iuriſprudentiae.

Iuriſprudentiae ſtudium Romae ſemper floruit. Primus tamen illud publice profeſſus eſt Tiberius Coruncanius. *l. 2. §. 35. D. de orig. iur.* Quem deinde alii ſequuti ſunt, qui vero, vt Cicero ait *in Bruto XXXXI. nullum ſibi ad eam rem tempus ipſi ſeponebant, ſed eodem tempore et diſcentibus ſatisfaciebant, et conſulentibus.* Sic verbi gratia Q. Scaeuola, *quamquam nemini ſe ad docendum dabat, tamen conſulenti-*

Source : BIU Cujas

ſulentibus reſpondendo ſtudioſos audiendi docebat. Cic. *Brut. LXXXVIIII.* Vid. ſupra *Prooem. n.* 42. 43. Neque tamen certi quidam atque ordinarii erant iuris profeſſores, ſed, vt quiſque ſtudiorum ſuorum habebat fiduciam, ita conſulentibus aeque, ac diſcentibus, ſe videtur dediſſe. Poſtremo et iureconſulti publice, certo ſtipendio conducti, Romae docere coeperunt, eaque ſchola iuridica Romana, in occidente vnica, tam frequens fuit, vt ex omni occidente eo iuuenes confluerent. Sic Rutil. Numat. *in itinerar. Lib. I. v.* 109.

Facundus iuuenis, Gallorum nuper ab aruis
Miſſus, Romani diſcere iura fori.

Conſtantius in *vita S. Germani Cap. III. Vt in eum profectio litterarum plena conflueret: poſt auditoria Gallicana intra vrbem Romam* IVRIS *ſcientiam plenitudini perfectionis adiecit.* Plura de hac ſchola Romana iuridica dabunt Io. Sauaro *ad Sidon. Apollin. Epiſt. I. 6.* vbi Sidonius Romam *domicilium legum* vocat, Franc. Iuret. *ad Symmach. Epiſt.* VIIII. 83. et Dadin. Alteſerra *Rer. Aquit.* III. 5.

§. XXI.

Florentiſſima ergo Romae fuit ſchola, in auditorio Capitolino, in qua Theodoſii et Valentiniani aeuo docuerunt Rhetores Latini tres, Grammatici Latini decem, Sophiſtae Graeci quinque, Grammatici Graeci decem, Philoſophus vnus, iurium profeſſores duo. Conring. *Antiqu. Acad. Diſſert. I. pag.* 22. Qualis fuerit Romae ſchola publica.

§. XXII.

In prouinciis quoque floruerunt ſcholae, Auguſtoduni, Burdegalae, Tholoſae, Narbonae, Mediolani, Carthagine, et in pleriſque ciuitatibus honoratioribus, in quibus tamen non niſi rhetores et grammatici vtriuſque linguae docuiſſe videntur. Conring. *l. c. pag.* 16. *ſequ.* In oriente alia quodammodo fuit ſcholarum conditio. Alexandriae enim iam inde ab Antoninorum aetate floruit ſchola ἰατροσοφιστῶν, id eſt, medicorum, tantae celebritatis, vt ad commendationem medici illud ſatis eſſe videretur, ſi fuiſſet Alexandriae aliquamdiu commoratus. Ammian. Marcellin. *Hiſt. XXII.* 16. Conring. *Medicin. Hermet.* VIIII. Beryti vero et Conſtantinopoli etiam ius ciuile traditum. Et Beryti quidem iam ſaeculo tertio exeunte ſtudia iuridica floruerunt, *l.* 1. *C. qui aetat. vel profeſſ. ſe excuſ.* eamdemque ſcholam eodem ſaeculo medio, obſervante Menagio *Amoenit. iur. XXIIII.* magnopere celebrauit *Gregor. Thaumaturg. Paneg. Origen. p.* 186. Tanta ſane huius ſcho- Quales ſcholae per prouincias.

Source : BIU Cujas

lae fuit celebritas, vt eam μητέρα τῶν νόμων, *matrem legum* adpellare non dubitet Eunap. *vit. Proaeresf. p.* 150. τὸ ἕδος χαρίτων, *Gratiarum sedem* Ioannes in *Anthol. Lib.* 1. *cap.* 68. *epigr.* 29. πόλιν ρωμαϊκωτέραν, καὶ τῶν νόμων τούτων παιδευτήριον, *ciuitatem plane Romanam, et legum Romanarum Gymnasium*, Gregorius Thaumaturg. *l. c.* δίκης πάσης ἄσυλον ἑστίης, *iuris domicilium et vrbem iureconsultorum*, Non. *in Dionysiac. Lib.* XXXXI. *v.* 145. *Legum* denique *nutricem* Iustinianus. *Constit. omnem* §. 7. *ad Anteceſſ.* Beryto euocari consueuisse iuris peritos, qui adsiderent magistratibus, vt sine fauore et odio cognoscerent, ex vetere chirographo obseruat Iac. Gothofred. ad *l.* 1. *C. Theod. de adsess. domest.* docebant ibi Antecessores quatuor, ceu ex d. *Const. omnem*, *ad Antecessores* colligit Menag. *Amoen. Iur. Cap.* XXIIII. *p.* 134. Sed vrbs, quae in iure nostro *pulcherrima* et *splendidissima*, immo *metropolis* vocatur, paullo post Iustiniani tempora terrae motu euersa est. Agath. II. *p.* 285. Quam ruinam epigrammate non vno defleri videas in *Anthol. I.* 68. *Epigr.* 19. *et sequ.* Constantinopoli iuris professores duos reliquis addidit Theodosius, philosophiae vero doctorem adiecit Iustinianus, vt adeo schola Constantinopolitana Romae illi per omnia fuerit similis. Conring. *Antiqu. Acad. Diss. I. p.* 21. *sequ.* Alibi, quam Romae, Constantinopoli et Beryti ius Romanum doceri, et maxime Alexandrinos et Caesarienses antecessores iuris habere, vetuerat Iustinianus. *Const. Omnem.* §. 7. *ad Anteceſſores.* Et tamen paullo post se legalium studiorum caussa Alexandriae commoratum esse, testatur Agathias *Lib.* II. *p.* 48.

§. XXIII.

Immunitas a tutelis professoribus concessa.

Omnes ergo Grammatici, rhetores et medici Romae docentes, aut in patria has artes exercentes, qui intra numerum erant, a tutela et cura habebant vacationem §. 14. *Inst. h. t. l.* 6. §. 1. *D. h. t. et tit. C. de profess. et medic.* Iisdem et philosophi accensentur, *l.* 6. §. 5. *D. h. t.* nec non iureconsulti Romae docentes. *l.* 6. §. 12. *D. eod.* immo omnes vbique artium professores. *l.* 6. *C. de profess. et med.* Minus vero eo priuilegio gaudebant hydraulae, poetae, aliique quibus nullis in scholis publicis erat locus. Vinn. *Comm. ad* §. 16. *Inst. h. t. p.* 139. [multo minus mechanici et ludorum magistri, qui a professoribus diserte discernuntur, *l.* 1. *pr. et* §. 6. *D. de extraord. cognit.*]

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. XXVI.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS VEL CVRATORIBVS.

NOn ſolum *excuſari*, ſed et *remoueri* a tutela et curatione nonnulli poterant, ſi vel doloſe vel ſegniter pupillorum minorumque res adminiſtrare et curare dicerentur; vel vlla malae fidei in eos caderet ſuſpicio. Tales dicebantur SVSPECTI, et de his ad hunc titulum agendum.

§. I.

SVSPECTI crimen ex lege XII. Tabularum deſcendere, ipſe agnoſcit Imperator *princ. Inſt. h. t.* vt et Vlpianus *l.* 1. §. 2. *D. de ſuſp. tut.* nec obſcure id teſtatur Cic. *de offic.* III. 15. In iis tabulis ex Iac. Gothofredi ſententia, cautum fuerat: SI TVTOR DOLO MALO GERIT, VITVPERATO, QVANDOQVE FINITA TVTELA ESCIT, FVRTVM DVPLIONE LVITO. Quamuis vero *ſuſpecti* vocabulum in hac lege, ſi ita concepta fuit, non occurrat: praecipue tamen veteribus *ſuſpicio* eſſe dicebatur, vbi dolus malus videbatur metuendus. Hinc Terentius *Eunuch.* III. 3.

Suſpecti crimen e XII. Tabulis.

--- *Iam tum erat ſuſpicio,*
Dolo malo haec fieri omnia.

Quum ergo de eo tutore in lege ageretur, qui minus ex fide tutelam gereret: iureconſulti eum vocarunt SVSPECTVM, quemadmodum et actionem ipſam *crimen ſuſpecti* (*a*) adpellabant. *princ. Inſt. h. t.* Quamuis autem ex XII. Tabulis ſit hoc crimen: Decemuiri tamen illud, ſicut et alia iura, ab Athenienſibus acceperant, apud quos nota erat ἡ τῆς ἐπιτροπῆς γραφὴ, quam cuiuis inſtituere licebat aduerſus tutorem qui pupillum vlla adfecerat iniuria. Iul. Pollux *Lib.* VIII. *cap.* VI. *Segm.* 35.

(*a*) Crimen hîc eſt idem ac accuſatio, quare et Theophilus κατηγορίαν vertit. Vid. Briſſon. *de Verb. ſign.* voce *crimen p.* 276.

§. II.

Source : BIU Cujas

§. II.

Quinam ſuſpecti fieri potuerint? quinam poſtulare?

Suſpecti poſtulari poterant omnes tutores, ſiue dati ex lege Atilia, ſiue teſtamentarii, ſiue legitimi. *l.* 1. §. 5. *D. h. t.* Immo et patroni huic iudicio erant obnoxii, ita tamen, vt eorum famae parceretur. *l.* 1. §. 5. *D.* §. 2. *Inſt. h. t. l.* 9. *D. de obſequ. par. et patr.* id quod etiam in adgnatis obſeruari, ipſius pupilli videbatur intereſſe: vnde et his potius curator adiungi ſolebat. *l.* 9. *D. h. t.* Praeterea et omnes poſtulare ſuſpectos poterant promiſcue, vnde et *quaſi publica* erat haec accuſatio. §. 3. *Inſt. h. t. l.* 1. §. 6. *D. h. t.* Quamvis enim verè publicum non eſſet hoc iudicium, quum cauſſa ne quidem criminalis haberetur, et hinc apud magiſtratus qui iurisdictione tantum gaudebant, e. g. apud Praetorem inſtitueretur: in multis tamen imitabatur iudicia publica. Praeterquam enim quod cuiuis e populo accuſandi ius eſſet; vocabula etiam eiuſmodi adhibebantur, quorum alias in publicis tantum iudiciis erat vſus, vt puta, *crimen*, *accuſatio*, quae omnia κατ' ἀναλογίαν in hac cauſſa vſurpantur, Huber. *Praelect. ad Inſt.* I. 26.

§. III.

Suſpectis interdicebatur adminiſtratione. Eorumdem remotio et infamia.

Suſpectis hac actione factis, primo omni adminiſtratione tutelae interdicebatur, et interim dabatur curator. *l.* 7. *C. h. t.* Deinde, ſi eos vel dolo malo, vel culpa ſua, parum diligenter tutelam geſſiſſe, adpareret, remouebantur; ab eaque interdictione et poena nec promiſſa ſatisdatio liberabat. §. 12. *Inſt. h. t.* Praeterea et infamis erat tutor, quotieſcumque doli culpaeue latae fuerat conuictus. §. 6. *eod.* Commune id hoc iudicium habet cum omnibus reliquis, quae occaſione tutelae oriuntur, veluti actionibus *tutelae* et *de diſtrahendis rationibus*. Hinc *turpe tutelae iudicium* memorat Cicero *de Orat.* I. 26. et *pro A. Caecina* III. Idem *pro Q. Roſcio Comoedo* VI. *Si qua ſunt priuata iudicia ſummae exiſtimationis, et paene dicam capitis, tria haec ſunt fiduciae, tutelae, ſocietatis. Aeque enim perfidioſum et nefarium eſt, fidem frangere, quae continet vitam, et pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit; et ſocium fallere, qui ſe in negotio coniunxit.*

§. IIII.

Poena tutorum quorumdam extraordinaria.

Nonnumquam etiam, ſi dolum inſignem aliaque delicta interueniſſe, adpareret, tutores tam nefarii ad praefectos vrbi remittebantur, extra ordinem puniendi: §. 10. *Inſt. h. t.* maxime ſi libertus tutor filios vel nepotes patroni fraudaſſet. §. 11. *eod.* Quum enim merum

Source : BIU Cujas

rum in vrbe imperium non esset penes Praetores, sed penes Praefectum vrbi, cuius erat, animaduertere in crimina, quae intra vrbem, vel centesimum milliare extra eam, committerentur: Tacit. *Annal. VI.* 11. Dio Cass. LII. *p.* 480. Suet. *Aug.* XXXVII. *l.* 1. *princ.* §. 3. 4. 10. *D. de offic. praef. urb.* oportebat omnino praetorem reos animaduersione vel supplicio dignos ad Praefectum vrbi remittere. Qua remissione opus non erat in prouinciis (*b*) vbi Procoss. et Praesides et iurisdictione et imperio mero gaudebant. Insigne huius seueritatis exemplum statuit Galba, Lusitaniae praeses, qui tutorem, quod pupillum, cui substitutus erat, necasset, in crucem sustulit, et quum se ciuem esse clamaret, ei crucem dealbatam et ceteris altiorem statui iussit. Sueton. *Galb. VIIII.*

(*b*) Praeterquam si quid contingeret in municipio. Tunc enim ea iuris municipalis ratio erat, vt reus mortis ad praesidem remitteretur. Et ita locum Ioannis XVIII. 31. explicat Huber. *dissert. I. 3. sequ.*

§. V.

Actio de distrahendis rationibus.

Ceterum ab hoc iudicio diuersa erat actio *de distrahendis rationibus*, quae finita demum tutela contra tutorem, qui furtim aliquid subtraxerat, dabatur in duplum, *l.* 55. §. 1. *D. de adm. et peric. tut.* quo pertinent vltima legis XII. Tabularum verba: QVANDOQVE FINITA TVTELA ESCIT, FVRTVM DVPLIONE LVITO. Sed de ea actione satis multa notant doctores, nihil vt a nobis iam addendum videatur.

Source : BIU Cujas

ADPENDIX

LIBRI I.

DE IVRE ANTIQVO CIVIVM ROM. LATINORVM, ITALIAE, PROVINCIARVM, NEC NON CONDITIONE PEREGRINORVM.

LIber primus Institutionum totus agit de diuisionibus personarum, ratione status. Quum vero personarum status maxime triplex in iure Romano traderetur, LIBERTATIS puta, CIVITATIS et FAMILIAE: Tribonianus non nisi eas attulit diuisiones personarum, quae ad libertatis familiaeque statum pertinere videbantur. De ciuitatis statu nihil differuit, forsan, quod ea, quae huc pertinent, iura tantum non omnia euerterat Antonini Caracallae constitutio, de iure ciuitatis cum omnibus orbis Romani incolis communicando *l.* 17. *D. de statu hom.* Ast quamuis excusari mereatur Tribonianus, nos tamen forsan non aeque videremur excusandi, si tam praeclaram antiquitatum Romanarum partem, quae tot iuris nostri veterumque auctorum locis tam egregiam lucem accendit, intactam plane praetermitteremus. Iuuabit itaque post Car. Sigonii, Ez. Spanhemii, aliorumque luculentissimas commentationes (*a*) ea de IVRE CIVIVM ROMANORVM, LATINORVM, ITALORVM, PROVINCIALIVM, deque statu et conditione PEREGRINORVM hic coniunctim exhibere, quae ad illustrandum ius Romanum quam maxime facere videbuntur.

(*a*) Haud pauci de hac re egregios ediderunt commentarios. Caroli Sigonii et Ez. Spanhemii aeterna atque eximia opera nemini ignota sunt. His addendi Alex. ab Alex. *Genial. Dier. IIII.* 10. Onuphr. Panuin. *de Imp. Rom. V.* Selden. *de Synedr. H. p.* 62. Henr. Dodwell. *Praelect. Cambden. p.* 194. Petr. Ios. Cantelius *de Rep. Rom. p.* 208. et alii.

§. I.

In Romano

Ex quo Roma initio per Latium, tum per Italiam, ac denique per vniuersum paene terrarum orbem arma victricia circumtulit:

Source : BIU Cujas

tulit : quadripartita esse coepit hominum huic imperio subiectorum differentia. Alio enim iure CIVES, alio LATINI, alio ITALICI, alio denique PROVINCIALES vtebantur. Priores tres gradus coniungit Claudius Imp. apud Tacit. *Annal.* XI. 24. *Omnia P. C. quae nunc vetustissima creduntur, noua fuere : plebeii magistratus post patricios*, LATINI *post plebeios*, *ceterarum* ITALIAE *gentium post Latinos.* Habes hic CIVES, ex quibus patricii, et plebeii magistratus creati : habes LATINOS, et ITALICOS, ita coniunctos, vt intelligas, *ciuitatem iure Latii*, hoc *iure Italico* praestitisse. Omnium postremae conditionis erant PROVINCIALES, quos ideo Italicis postponit Suet. *Vesp.* VIIII. *Ordines exhaustos suppleuit, honestissimo quoque* ITALICORVM *ac* PROVINCIALIVM *adlecto.*

imperio alii erant ciues, alii Latini, alii Italici, alii provinciales.

§. II.

Quicunque ciuitatis iure non fruebantur, ii veteribus HOSTES, et paullo post, inflexa in deterius huius vocabuli significatione PEREGRINI vocabantur. Cic. *de offic.* I. 12. Festus *voce hostis. p.* 297.

Peregrini qui fuerint?

CAP. I.

DE IVRE QVIRITIVM ET CIVITATIS.

§. III.

Ac primo quidem, quum noua vrbs non admodum adflueret ciuibus, promiscue iura ciuitatis impetrabant, quicumque vel in vrbe, vel in agro Romano Lares figere constituerant. Liu. I. 8. Immo tantum erat Romuli studium amplificandi ciuitatem, vt et hostes deuictos plerumque in vrbem transferret, agroque adsignato, in curias adscriberet. Hunc in modum ciuitatis iura communicauit cum Caeninensibus, Camerinis, Antemnatibus, Crustuminis, ac postremo etiam cum Sabinis. Dionys. Halic. *Antiquit. Rom.* II. *p.* 103. *et* 111. Liu. I. 13. Vnde Claudius apud Tacit. *Annal.* XI. 24. *At conditor noster, Romulus, tantum sapientia valuit, vt plerosque populos eodem die hostes, dein ciues habuerit.* Sequuti sunt hoc exemplum ceteri Reges, qui Albanos, aliosque populos deuictos Romam transtulerunt, ac ciuitatis fecerunt participes. Liu. I. 29. 33. Qua de re Cicero *pro Cornel. Balbo* XXXI. *Illud vero sine omni dubitatione maxime nostrum fundauit imperium, et populi*

Olim omnes, qui Romam commigrarunt, promiscue ciues facti.

Source : BIU Cujas

Romani nomen auxit, quod princeps ille, creator huius vrbis, Romulus, foedere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri ciuitatem oportere. Sic initio, vt recte obseruat Dionysius IIII. *p.* 256. ἅπασι τοῖς ξένοις ἐπέτρεψαν τῆς πόλεως μετέχειν, *quoslibet exteros admittebant ad ius ciuitatis*, ne iis quidem exclusis, qui e iusta seruitute fuerant manumissi. Hoc enim omnes e Ser. Tullii instituto ciues Romanos factos, et in quatuor vrbanas ciuium Romanorum tribus descriptos esse, ex eodem adparet Dionysio. Non segnius aliquamdiu, libera iam republica, prouiderunt Romani, vt ciuitatis iura cum quamplurimis communicarentur, maxime post captam et incensam a Gallis vrbem, quam vt tanto splendidius instaurarent, nouos et peregrinos ciues adsciuerunt ex Veientibus, Capenatibus et Falisцis, iisque agri partem adsignarunt, teste Liuio VI. 4. Et sane prudenter id prouisum a Romanis. Quum enim Romanae reipublicae salus in armorum vi posita videretur, quae nulla esse poterat sine numerosa ciuium multitudine, merito de augendo ciuium numero quam maxime fuere solliciti, vt luculenter ostendit Dionys. Halicarnass. *II. p.* 89. *et III. p.* 148.

§. IIII.

Postea et aliis, qui in oppidis suis manebant, ius ciuitatis datum.

Postea factum est, vt praeter eos, qui domicilium in vrbe vel agro Romano constituerant, quiue in vrbanas vel rusticas tribus fuerant descripti, etiam peregrinis aliorum oppidorum, et qui in iis remanebant, incolis, aut victis etiam, nec tamen in vrbem abductis hostibus, modo singulis, modo vniuersis, ius Romanae ciuitatis Senatus populique iudicio atque auctoritate deferretur. Sic Dionysius Halic. II. *p.* 89. obseruat, Romanos captas vrbes non exscidisse, sed in alias misisse colonos, ἐνίοις δὲ καὶ πολιτείαν μεταδιδόναι, *aliis ciuitatem dedisse.* Quo pertinent etiam illa Liuii *XXVI.* 24. *Iam inde a maioribus traditum morem colendi socios, ex quibus alios in ciuitatem, atque aequum secum ius recepissent.* Quicumque ergo adepti Romanae ciuitatis iura in oppidis suis manebant, ii MVNICIPES dicebantur. Simul ac vero Romae fortunarum suarum sedem collocabant: CIVES INGENVI erant, ceu eos vocat Cicero *in Bruto Cap. LXXV.* Sic M. Porcius Cato, quamdiu Tusculi est commoratus, municeps fuit: vbi Romam commigrauit, ciuis Romanus, quamuis iam ante iure ciuitatis Romanae etiam in municipio suo frueretur. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I. 1. p.* 16. Ex quo patet, alios fuisse *ciues* INGENVOS, vel optimo iure ciues, alios MVNICIPES. Illi Romae domicilium, tribum et honorum petitionem fuerant consequuti: hi, tametsi tribum atque

Vnde alii ciues ingenui, alii municipes.

hono-

Source : BIU Cujas

honorum petitionem adepti essent, tamen domicilio carebant.

§. V.

Municipum duplex erat patria, sed Roma tamen patria maior.

Illi, (tametsi alias ciuis Romanus plurium ciuitatum ciuis esse haud posset,) tum in municipio suo, tum Romae magistratus recte gerebant, ideo quod non tam duarum diuersarum ciuitatum, etsi aliqua inter eas priuati iuris esset varietas, quam vnius, ciues censerentur. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 6. p. 35. sequ.* Duplex ergo municipibus erat patria: altera in qua nati; altera, qua excepti erant, quamuis haec veluti maior esset, et illa in hac contineri videretur, vt praeclare ostendit Cicero *de Lege II.* 2. quem locum totum adscribere licebit. Interrogauerat Atticus, cur Cicero Arpinum *germanam patriam suam* adpellarit? Cui Cicero: *Ego mehercule et Catoni et omnibus municipibus duas esse censeo patrias: vnam* NATVRAE, *alteram* CIVITATIS: *vt ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi Rom. ciuitatem susceptus est. Itaque quum ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris.* Et quibusdam interiectis: *Sic nos et eam patriam ducimus, vbi nati, et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est, caritate eam praestare, qua reip. nomen vniuersae ciuitatis est: pro qua mori et cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere, et quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est, quae genuit, quam illa, quae excepit. Itaque hanc meam esse patriam, prorsus numquam negabo, dum illa sit* MAIOR, *et haec in ea contineatur.* Hinc saepe fiebat, vt vnus idemque et Romae et in municipio suo summos honores gereret. Ita Milo, dum iam Romae consulatum petebat, Dictator erat Lanuuii in patria naturali. Cicero *pro Milone* XXXVII. Et Ciceronis filius Aedilis apud municipes suos Arpinates patris voluntate factus est, teste eodem Cicerone *Epist. ad Fam. XIII.* 11. Immo ipse Hadrianus iam Imperator veteri ritu in patria sua Quinquennalem se creari passus est. Spartian. *vit. Hadr. XX.* Inter municipes tamen et ciues ingenuos aliquam fuisse priuati iuris varietatem, paullo post docebimus.

§. VI.

Hinc porro ciuitate donati etiam Latini qui-

Postea, vbi maior paullatim dignatio Romanae ciuitatis esse coepit: ius ciuitatis parcius datum, et vix cum quibusdam Latii populis vel ad augendam rem Romanam, vel honoris caussa communicatum est. Liu. VIII. 13. et 14. Eius beneficii Latinorum populis ac Hernicis dati primus auctor Sp. Cassius, tertium Con-

Source : BIU Cujas

dam, sed non eodem iure.

sul circa annum V. C. CCLXVII. Dionys. Hal. VIII. *p.* 538. *seq.* Ast quum consul ille popularis, et de adfectata tyrannide suspectus, tam late hoc populi Romani beneficium interpretaretur, vt Latinis et Hernicis cum iure ciuitatis etiam ius suffragii datum contenderet; solebant deinde Romani ius ciuitatis ita dare, vt pro diuerso sociorum in populum Romanum studio, modo ius suffragii simul concederent, modo illud disertis verbis exciperent. Primi sine iure suffragii ciuitatem acceperunt Caerites. (*b*) Strabo *Geogr. V. p.* 222. Gell. *Noct. Att.* XVI. 13. Mox et Campanis equitibus, Fundanis et Formianis eadem lege data ciuitatis iura. Liu. VIII. 14. nec non Acerranis, Liu. VIII. 17. Anagninis, Liu. VIIII. 43. aliisque pluribus, de quibus accurate Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc.* I. *cap.* 7. *p.* 39. Contra ea Lanuuini, Aricini, Nomentani, Pedani, aliique in ciuitatem ita accepti sunt, vt et iure ferendi suffragii, et capiendi in vrbe muneris gauderent: vnde et eiusmodi oppida veluti κατ' ἐξοχὴν MVNICIPIA, dicta, vt docet Vlpian. *l.* 1. §. 1. *D. ad municip.*

(*b*) Inde factum, vt censores eos, quos suffragii iure priuabant, *in Caeritum tabulas referre* dicerentur. Gell. *l. c.* Ascon. Paedian. *in* Cicer. *Diuinat. pag.* 1759. De his intelligendus Horatius *Epist. I. 6. v.* 62.

----- *Caerite cera*
Digni, remigium vitiosum Ithacensis
Vlyssis.

§. VII.

Qui in Latinis ciuitatibus magistratus fiebant ciues.

Inualuit praeterea, vt etiam a *iure Latii* via pateret ad iura ciuitatis iis omnibus, qui in patria, Latio donata, magistratus gesserant. Appian. *de Bell. Ciuil.* II. *p.* 443. Strabo IIII. *p.* 187. Quod ius Traiani adhuc aeuo valuit, vt patet ex verbis Plinii *Paneg.* XXXVII. *His quoque, quibus per Latium ciuitas Romana patuisset.*

§. VIII.

Ciuitatem quoque impetrabant Latini, si stirpem domi reliquissent, aut aliquem accusassent repetundarum.

Postremis reipublicae temporibus latius paullatim diffusum est illud Romanae ciuitatis beneficium. Quum enim paullo ante quibusdam tantum Latii vrbibus ius ciuitatis Romanae summi beneficii loco concederetur: lata deinde lex est, vt e sociis ac Latini stirpem nominis promiscue, qui stirpem ex se domi reliquerant, ciues Romani fierent. Liu. XXXXI. 8. Accessit altera lex anno IↃCLXIII. a Seruilio Glaucia, de repetundis lata, vt Latinis esset ius ciuitatis consequendae in illius ciuis seu senatoris locum, qui accusatus ab iis repetundarum, a Romanis fuisset damnatus. Cicero *pro Balbo* XXIIII.

§. VIIII.

Source : BIU Cujas

§. VIIII.

Ciuitas cum omnibus Latinis et Italis communicata legibus Iulia et Plotia.

Primus L. Iulius Caesar, (*c*) occiso iam, vt videtur, collega P. Rutilio Lupo anno V. C. IↃCLXIII. lata lege Iulia, ciuitatem sociis ac Latini nominis dedit, qui flagrante bello Italico in fide manserant. Appian. *Bell. Ciu. I. p.* 379. Cicero *pro Balbo XII.* Vell. Paterc. II. 16. 17. Postea confecto tristi illo bello sociali, vel anno V. C. IↃCLXV. Cn. Pompeio Strabone et L. Porcio Catone consulibus, vt patet ex Ascon. Paedian. *ad Orat. Cic. pro C. Cornel.* vel sequente anno IↃCLXVI. L. Cornelio Sulla et Q. Pompeio Rufo Coss. (*d*) lata lege Plotia a M. Plautio Siluano et C. Papirio Carbone Tribunis plebis ciuitas communicata cum omnibus sociis Latini nominis, immo et peregrinis illis, *qui foederatis ciuitatibus adscripti fuissent, si tum quum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, et si sexaginta diebus apud Praetorem essent professi.* Cicero *pro Archia Poeta* VII. Postremi arma posuerant Lucani et Samnites, sed et hos tamen ciuitate donari placuit A. V. C. IↃCLXX. Flor. *Epit. Liu.* LXXXIIII. ex quo loco etiam constat, nouis his ciuibus per vniuersam Italiam ius suffragii fuisse datum. Et initio quidem in octo nouas, id est, postremas tribus vrbanas conlecti fuerant; Vellei. II. 20. postea in veteres XXX. post irritos P. Sulpicii Tribuni plebis et C. Marii conatus translati sunt a C. Cinna consule. Appian. *de Bello ciu. I. p.* 380. Epit. Liu. XXX. Ex quo tempore aequo per omnia iure vsi sunt ciues Romani veteres et noui per vniuersum Latium et Italiam, adeo vt et ius petendi honores habuerint, (Cic. *pro Sulla* VI. VII.) et ius census, (Onuphr. Panu. *ad fast. consul. anno* IↃCLXVIII. ius sacrorum publicorum. Noris *Cenotaph. Pis. Diss.* I. *cap.* 5. *p.* 72. Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc.* I. *Cap.* 10. *p.* 59. *sequ.*

(*c*) Non leuiter errat editor Ciceronis orationum Parisiensis nouissimus, qui hanc legem Iuliam latam putat à Sex. Iulio Caesare, Consule A. V. C. DCLXII. Multoque grauior error est Ant. Augustini. *de Leg. et SC. pag.* 120. *T.* 1. *Thes. Ant. Rom.* qui Caesarem Dictatorem huius legis auctorem fingit. Sex. Iulio Caesari tribuere videtur Appianus *de Bello Ciu. I. p.* 379. Sed quum Sex. Iulius Caesar anno V.C.DLXIII. cum L. Marcio Philippo; L. Iulius Caesar vero anno sequente cum P. Rutilio Lupo consulatum gesserit: vero similius est, hunc legem tuliſſe, et quidem collega Rutilio iam occiso. Vnde simul patet, cur a solo Iulio lex nomen acceperit, nulla collegae facta mentione. Vid. Schwarz. *de Iure Ital.* §. III. Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. I.* 1. 13. *p.* 30.

(*d*) Minime vero subsequente Cinnae consulatu, vt tradit Flor. Epit. Liu. *Lib. LXXX.*

§. X.

Source : BIU Cujas

§. X.

Paullo post et Gallis cisalpinis ciuitas data.

Italia tunc a supero mari Arimino et Ancona, seu Rubicone fluuio, ab inferiore Luca terminabatur: reliquum tractum ad Alpes vsque Galli Cisalpini et Veneti insederant. Galli porro in Cispadanos et Transpadanos diuidebantur. Priores ciuitate donati Cispadani, vtpote Italiae propiores. Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap.* 11. *p.* 61. Postea et Transpadani ciuitatis iura obtinuerunt vna cum Venetis. Nam quum antea Latii ius impetrassent a Pompeio Strabone: (Ascon. Paedian. *in Ciceron. Pison. p.* 262.) ipsum ciuitatis ius eis dedit C. Iulius Caesar anno V. C. IↃCCVII. Dio Cass. *Hist. XXXXI. p.* 118. Vnde non mirum Galliam hanc Cisalpinam ab eo tempore TOGATAM dici coepisse. Tam pleno enim iure fuerant ciuitatis iura consequuti, vt et ad suffragia ferenda petendosque honores, non minus, ac reliqui ciues, admitterentur. Sueton. *Caes.* VIIII. Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap.* 13. *p.* 76.

§. XI.

Vt et aliis quibusdam gentibus.

Extremis reipublicae temporibus non intra Alpes stetit datae ciuitatis Romanae beneficium: sed et cum multis aliis gentibus est communicatum. Exemplo esse possunt vniuersi Gaditani in vltetiore Hispania, quos secundo consulatu ciuitate donauit Caesar. Dio Cass. *Hist. XXXXI. p.* 164. Idem pro lubitu deinde quasdam alias ciuitates Hispaniae hoc ingente beneficio ornauit, Dio Cass. XXXXIII. *p.* 233. Quemadmodum et medicis, aliisque ea iura concessit. Suet. *Caes.* XXXXII. immo et Siculis omnibus ciuitatem, inaudito exemplo, testamento legauerat, quod legatum lata lege confirmauit Antonius. Cic. *Epist. ad Fam.* XIIII. 12. *Philipp. I.* 24. Verum tamen ea lex Antonii non valuisse videtur. Sane sub Augusto adhuc plerasque Siciliae ciuitates Latini iuris fuisse, discimus ex Plin. *Hist. Nat.* III. 8.

§. XII.

Augustus parce ciuitatem, sed quibusdam tamen dedit.

Sed Imperatoribus multo magis prolati sunt Romanae ciuitatis fines. Augustus, equidem teste Suetonio *Aug. XXXX. ciuitatem parcissime dedit, adfirmans, se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quam ciuitatis Romanae vulgari honorem.* Idem leges haud paucas dedit, quibus aditus sordidis hominibus intercluderetur ad ciuitatem. Quales praecipue sunt lex Aelia Sentia, et Fusia Caninia, de quibus supra suo loco actum. Vid. Sueton. *Aug. XXXX.* Immo inter extrema mandata eius, Tiberio et S. P. Q. R. data etiam hoc erat, μήτ' ἀῦ ἐς τὴν πολιτείαν συχνὰς ἐσχάφωσιν, ἵνα πολὺ διάφορον αὐτῖς πρὸς

Source : BIU Cujas

πρὸς τὸ ὑπήκοον ἦ. *Ne multos iure ciuitatis donarent, quo magnum inter ipsos et subiectos discrimen remaneret.* Dio Cass. LVI. *p.* 591. Quibusdam tamen Augustum iura ciuitatis dedisse, patet, ex Suet. *Aug.* XXXXVII. Idque inprimis etiam discimus ex eius numis, in quibus laudantur Hispaniae municipia, de quibus Io. Vaillantius *de Colon. num.* et Ez. Spanh. *Diss. de praest. numism. V. pag.* 768. *et Orb. Rom.* I. 2. 18. *p.* 47. *sequ.* Eadem liberalitate etiam Tiberius et Caius Caligula ciuitatem quibusdam dederunt, ceu ex numis et inscriptionibus idem docuit Ez. Spanhemius.

§. XIII.

Liberalior ea in re Claudius.

Claudius Imperator varie se gessit in concedenda negandaue ciuitate. Quosdam, ciuitatem Romanam vsurpantes, in campo Esquilino securi percussit. Suet. *Claud. XXV.* Idem tamen Latinis, naues mercaturae caussa fabricantibus, ius Quiritium dedit. Suet. *ibid.* XVIIII. Vlpian. *Fragm.* III. 1. et 6. Quin non solum Galliae Comatae primoribus; sed et vniuersae Galliae Comatae, ius ferendi suffragia, petendique honores dedit. Qua de re Tacit. *Annal.* XI. 24. Senec. *de Benef.* VI. 19. Immo multis eum confertim iura ciuitatis ac sine discrimine dedisse, ac venalia prope illa eius libertos habuisse, testatur Dio Cass. *Lib. LX. p.* 676. Vnde lucem capit vox illa Tribuni militum *Actor.* XXII. 28. ἐγὼ πολλῷ κεφαλαίῳ τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. *Ego vero magno aere hanc ciuitatem comparaui.* quam egregie illustrat Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc.* I. *Cap.* 16. *p.* 94. *sequ.*

§. XIIII.

Quibusnam Nero, Galba, Otho, Vitellius, et Vespasiani ciuitatem dederint?

Nero, postquam in musicis et curulibus apud Olympiam agonibus victor fuerat a iudicibus proclamatus, vniuersam Achaiam libertate, iudices ciuitate Romana, et pecunia grandi, donauit, quod beneficium etiam iis, qui pyrrhichiam saltauerant, concessit. Suet. *Ner.* XII. Galba *ciuitatem Romanam raro dedit*, teste Suet. *Galb.* VIII. dedit tamen Bargiasensibus, Laccobrigensibus, Deobrigensibus et Talabrigensibus, immo et Vesontinis et Clunienſibus, si fides numis sub Galba cusis, in quibus haec oppida Hispaniae et Galliae MVNICIPIA dicuntur. Claud. Chifflet. *Vesont.* I. 28. Harduin. *Num. Vrb. p.* 120. Vaillant. *de Colon. T.* I. *p.* 105. De Othone constat, eum, praeter quasdam alias largitiones, Lingonibus vniuersis ciuitatem Romanam dedisse. Tacit. *Hist.* I. 78. Vespasianum Stobienses (*e*) in Macedonia ciuitate donasse, constat ex

(*e*) Eos tamen sua aetate iuris Italici fuisse, tradit Vlp. L. 8. §. 8. *D. de censib.*

Source : BIU Cujas

numo apud Spanhem. *Diſſ. de num. prou.* 676. et Plin. *Hiſt. Nat.* IIII. 10. Sed et filii ſaepe ius ciuitatis veteranis, liberis, poſterisque eorum dederunt, vt patet ex marmoribus apud Gruter. *Inſcr. p.* DLXXIII. 2. *p.* DLXXIIII. 5. 6. et *p.* DLXXV. 1.

§. XV.

Traiani et Hadriani in danda ciuitate liberalitas.

Hiſpaniae potiſſimum Traianus fauit, ipſe Hiſpanus. Vnde, in eius numis occurrunt municipia, Italicenſe, Inlipenſe, Albenſe, Vrgaonenſe. Quibus ex marmore apud Gruter. *Inſcr. p.* CLXII. 3. addendi Icaeditani, Lancienſes oppidani, Talori, Interamnienſes, Colarni, Lancienſes Transcudani, Araui, Meidubrigenſes, Arabrigenſes, Banienſes, Paeſures, quos omnes a Traiano demum ciuitate donatos, non vana diuinatione, coniicit Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap.* 18. *p.* 108. *ſequ.* Idem Princeps ſingulis quibusdam ſubinde ciuitatis iura dedit, rogatu amicorum, vt patet ex Plin *Epiſt. X.* 22. 6. 107. 108. Quin quum viceſimas hereditatum antea pendere cogerentur noui ciues: eos hoc onere primum Nerua, deinde et Traianus liberauit. Quod Principis beneficium collaudat Plin. *Paneg.* XXXVII. Hadrianus, ſequutus Traianum, *Latium multis ciuitatibus dedit, tributa multis remiſit*, vt loquitur Spartian. *Vit. Hadrian. XXI.* Aſt datae ab eo ciuitatis in numis et lapidibus nulla vſquam fit mentio, niſi quod in marmore ſub eo legantur MVNICIPES MVNICIPI T. AELI. HADRIANI. AVG. CIVILITANI. Grut. *Inſcr. p. CCCLXII.* 1. Vnde Ciuilitanos ab eo ciuitate donatos, colligit Spanh. *ibid. p.* 109. Sunt equidem, qui Hadrianum auctorem putant celeberrimae illius conſtitutionis de ciuitate cum vniuerſo orbe Romano communicata, *l.* 17. *D. de ſtatu hom.* quos in eum errorem induxit Chryſoſtom. *ad Act. Apoſt. XXV. p.* 875. *Tomo* IIII. *edit. Sauil.* Sed hos rationem fugere, paullo poſt clariſſime adparebit.

An Hadrianus auctor conſtitutionis, qua ciuitas cum orbe Romano communicata?

§. XVI.

An ea Conſtitutio tribuenda Antonino Imperatori?

Aeque fallitur Iuſtinianus Imperator, qui celebrem illam conſtitutionem Antonino Pio tribuit *Nou. LXXVIII.* 5. quamuis eum ante Spanhemium tantum non omnes caeca fide ſequuti ſint. (*f*) Aſt quamquam amplificatum eſſe ab Antonino ciuium numerum, vel ex numo praecipuae raritatis conſtat, in quo AMPLIATOR CIVIVM

(*f*) Contrarium tamen ante Spanhemium obſeruarunt Weſembec. *Paratit. ad tit. D. de ſtatu hom. num.* 5. Petit. *Leg. Attic. p.* 136. Valeſ. *in Not. ad Excerpta Dionis p.* 108. Claud. Salmaſ. *de modo vſur. cap. XVIIII. p.* 854. *ſequ.* Rupert. *ad l.* 2. *D. de orig. iur. c.* 1. *p.* 17. 18.

Source : BIU Cujas

VIVM dicitur: discrimen tamen ciuium, Latinorum, Italicorum, prouincialium, etiam post Antonini Pii tempora superfuisse, cum ex aliis locis adparet, tum ex Inscriptione apud Gruter. *p.* CCCCVIII. 1. ex qua simul discimus, Antoninum Carnis et Catalis propter aedilitatis gradum apud Tergestanos gestum, iura ciuitatis Romanae dedisse.

§. XVII.

Non minus errant, qui cum Aurelio Victore *in vita Marci Cap.* XVI. M. Antoninum huius constitutionis auctorem faciunt, in quam sententiam etiam Casaub. *ad* Spartian. *Hadr.* XXI. paullo videtur procliuior. Nam superfuisse sub hoc principe inter ciues et peregrinos discrimen, patet ex celeberrima Lugdunensium Epistola apud Euseb. *Hist. Eccl. V.* 1. vbi aiunt ὅσοι μὲν ἐδόκουν πολιτείαν ῥωμαίων ἐσχηκέναι τούτων ἀπέτεμνε τὰς κεφαλὰς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἔπεμπον εἰς θηρία. *Quicumque Romani ciues reperti sunt, capite truncati, reliqui traditi bestiis.* Atqui scripserunt haec Lugdunenses extremis Marci Imperatoris annis: adeoque inde recte colligi videtur, M. Antoninum non sustuliisse illud discrimen, quod inter ciues ac peregrinos interceßit. Illud tamen certissimum est, tam liberalem in dando ciuitatis iure fuisse M. Antoninum, vt Aristides Rhetor. *Orat. in Rom. pag.* 372. scribere non vereatur, ξενὸν δὲ οὐδένα, ὅστις ἀρχῆς ἢ πίστεως ἄξιος, *nec peregrinum censeri quemquam, qui magistratu vel fide dignus sit,* τὸ Ρωμαῖον οὐ πόλεως, ἀλλὰ γένους ὄνομα κοινοῦ τινος εἶναι, *Romanum non vrbis alicuius, sed communis cuiusdam generis nomen esse*: et quae sunt huius generis alia. Ez. Spanh. *Orb. Rom. II. Cap.* 2. *p.* 119. *sequ.*

An eam Marcus Imp. ediderit?

§. XVIII.

Non minus liberaliter iura ciuitatis Romanae plurimis dedisse videntur Commodus, Pertinax, Didius Iulianus, Pescennius Niger, Seuerus. Sed nec hos tamen discrimen illud sustuliisse luculenter ostendit Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap.* 3. *p.* 129. *sequ.*

An ea tribui possit Commodo, Pertinaci, Iuliano, Pescennio, Seuero?

§. XVIIII.

Verus ergo famosae illius constitutionis auctor est Antoninus Caracalla, qui primus edixit, vt, *in orbe Romano qui essent, omnes ciues efficerentur. l.* 17. *D. de statu hom.* Occasionem datae huius legis docent *Excerpta Dionis Valesiana p.* 745. Iam pridem Augustus vicesimam hereditatum induxerat, locupletando aerario militari, quod vectigal ex hereditatibus dependebatur; de quo iam pridem luculenter egerunt Valesius ad illum Dionis locum. Salmas. *de*

Verus auctor est Caracalla.

Source : BIU Cujas

modo vſur. XVIIII. Petr. Burmannus *de Vectigal. populi Romani* XI. et iam ante hos Iac. Cuiac. *Obſeru.* V. 16. XI. 24. Pendebant illud vectigal ex Auguſti inſtituto heredes extranei, Romani ciues, qui hereditatem adibant, niſi vel pauperes eſſent hereditates, vel ipſi heredes adgnationis iure ex lege XII. Tabularum hereditates ſortirentur. Dio Caſſ. LV. *p.* 565. Poſtea mitiores principes quibusdam cognatis viceſimae vacationem ſubinde dederunt. Plin. *Paneg.* XXVII. Aſt Caracalla, quum largitionibus ſtupendis eluvionem fiſco intuliſſet, duplicato illo onere, decimam loco viceſimae induxit, cuius decimae praeter Excerpta Dionis meminit etiam Vlpianus *apud Auctorem Collat. Leg. Moſ. et Rom. XVI. fin.* Vt ergo vectigal iſtud a quamplurimis penderetur, omnibus qui in orbe Romano erant, ciuitatem dedit, λόγῳ μὲν τιμῶν, ἔργῳ δὲ, ὅπως πλείω αὐτῷ ἐκ τε τοιούτου προσῇ, διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, *ſpecie quidem honorem eis tribuens, ſed reuera vt fiſcum ſuum augeret: quippe quum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent*: vt ait Dio in *Excerpt. Valeſ. p.* 745. Ceterum quamuis ſucceſſor Caracallae, Macrinus, decimam illam, civibus tam moleſtam, aboleret: ius tamen ciuitatis orbi Romano ſemel datum non ademit, vnde ſenſim exoleuit in orbe Romano antiquum illud inter ciues et peregrinos diſcrimen.

§. XX.

Conſtitutio ea ad ingenuos, non item ad libertinos pertinuit.

Illud adhuc monendum, ad ſolos ingenuos pertinuiſſe Antonini Caracallae conſtitutionem, non ad libertinae conditionis homines. *Nou.* LXXVIII. 5. Vnde etiam poſt eam conſtitutionem ſaluum manſit diſcrimen inter libertinos ciues, Latinos Iunianos, et dedititios, ceu ex Saluiani *aduerſus auarit. libro* III. 7. animadverterunt Iac. Cuiac. *Obſeru.* IIII. 3. et Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc.* II. *Cap.* 5. *p.* 147. *ſeq.*

§. XXI.

Aſt cum his quoque ciuitatem communicauit Iuſtinianus.

Expoſuimus hactenus, duce eruditiſſimo Spanhemio, datae civitatis Romanae hiſtoriam, oſtendimusque, ita paullatim gradum eſſe factum, vt ciuitas primum omnibus, qui Romae aut in agro Romano domicilium conſtituerent, deinde aliquot in Latio municipiis, tum toti Latio, mox vniuerſae Italiae, aliquot porro extra Italiam vel priuatis, vel oppidis, vel prouinciis, et poſtremo omnibus in orbe Romano ingenuis daretur. Iuſtinianus tamen, vt fuit admodum liberalis, ſublato illo libertinorum diſcrimine, *titulis C. de Lat. et dedit. lib. toll.* et Nouella LXXVIII. 2. 5. ad ipſos quoque libertinae conditionis homines hoc beneficium protulit,

Source : BIU Cujas

tulit, ideoque omnes in orbe Romano viuentes aequo iure agere voluit.

§. XXII.

Iura ciuitatis sensim cepere incrementa.

Proximum est, vt ipsa iura ciuitatis paullo accuratius exponamus. Et de his quidem obseruandum, ea sensim magis magisque aucta fuisse atque amplificata. Iam sub regibus ciues gaudebant libertate, iure connubiorum, patrio, legitimi dominii, testamenti, forsan et nexus atque vsucapionis. Ius quoque iisdem erat suffragia ferendi in creandis magistratibus, ferendis legibus, bellis decernendis. Pulsis postea regibus, abdicatoque regibus imperio, paullatim prouocatio concessa ad populum: magistratus, connubia, sacerdotia cum plebe communicata: adeoque optimo iure ciues esse coeperunt Romani. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. I. p. 4. 5.*

§. XXIII.

Aliud fuit ius Quiritium, aliud ius ciuitatis.

Duobus vero maxime summis capitibus constitit ciuitas Romana, quorum alterum IVS QVIRITIVM, alterum IVS CIVITATIS adpellatum est. Quamuis enim haec promiscue nonnumquam ponant auctores veteres, veluti Vlpianus *Fragm.* III. 1. et 4. attamen, qui accuratius loquuntur, haec cum cura distinguunt. Plinius, *Epist. X. 32. Ago gratias, Domine, quod et* IVS QVIRITIVM *libertis necessariae mihi feminae, et* CIVITATEM ROMANAM *Harpocrati, iatraliptae meo, sine mora indulsisti. Et Epist. X. 4. Quare rogo, des ei* CIVITATEM ROMANAM: *est enim peregrinae conditionis, manumissus a peregrina. Idem rogo des* IVS QVIRITIVM *libertis Antoniae Maximillae.* Manifesto hic distinguuntur *ius Quiritium et ciuitas Romana*, inter quae hoc interest, quod illud ad ea, quae iuris sunt priuati, pertinet; haec ea, quae iuris publici sunt, continet. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. 9. p. 57.* Carol. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I. 6. sequ. et de antiquo iure Ital. II. 3.* Quod quum non animaduertant viri quidam eruditissimi, in eum prolapsi sunt errorem, vt ius Quiritium in istis Plinii locis vel idem esse cum iure Latii existiment, vel illud cum ipsis iuribus ciuitatis confundant, a quo lapsu nec ipse V. C. Christophorus Cellarius sibi satis cauit *in Adnotationibus suis ad Plinium.* [In alia tamen omnia nuper iuit Franc. Car. Conradi in *Diss. de iure Quiritium a ciuitate Romana non diverso.* Helmstad. 1742.]

§. XXIIII.

Quae iu-

Nonnulla, quae tum ad ius Quiritium, tum ad ciuitatem Ro-

Source : BIU Cujas

ra vtrumque complexum sit?

manam pertinent, summatim his verbis complectitur Cicero *Orat.* II. *de Leg. Agrar.* XVIIII. *Retinete istam possessionem gratiae, libertatis, suffragiorum, dignitatis, vrbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum.* Ast si accuratius singulas vtriusque iuris partes consideres: ius ciuitatis in iure census, militiae, tributorum, vectigalium, suffragiorum, honorum et sacrorum, ius Quiritium in iure libertatis, gentis, connubiorum, patrio, legitimi dominii, hereditatis atque vsucapionis fuit situm. Car. Sigon. *de antiquo iure Ciu. Rom. I.* 13. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. I.* 1. 2. *p.* 4. De singulis nunc paullo distinctius agendum, ordiendumque a iure Quiritium.

§. XXV.

Ciues Romani erant liberi a potestate dominica.

Primo ergo omnes ciues Romani erant LIBERI: eaque LIBERTAS eos non solum a dominorum potestate, sed et a tyrannorum imperio, magistratuum potentia, libidine creditorum, ciuiumque potentia tutos praestabat. (*g*) Nullus ergo ciuis Romanus seruus fieri poterat, nec ingenuitatem aut libertatem amittere, nisi aut captiuitate, aut dolosa venditione, aut iis modis, de quibus supra *Lib.* I. *Tit.* III. *n.* 5. *sequ. et Tit.* XVI. *num.* 3. *sequ.* actum est: quamuis et in his plerumque fictionem quamdam adhibitam esse, obseruet Ger. Noodt *Probab.* III. 12. *p.* 85. *Hoc* enim *iuris erat a maioribus proditum, vt nemo ciuis Romanus, aut LIBERTATEM, aut ciuitatem, posset amittere, nisi ipse auctor factus esset*: inquit Cicero *pro domo* XXVIIII. Sed de ingenuorum libertinorumque conditione satis superque suis locis dictum est, nihil vt hic addendum a nobis videatur, praeter id vnicum, quod eadem libertas ciues immunes a verberibus tormentisque praestiterit. Quum enim seruilis ista poena videretur, non poterat maior ciui Romano iniuria fieri, quam si quis verberibus dirisque quaestionibus in eius corpus saeuiisset. Exemplum est apud Ascon. Paedian. *in Ciceron. orat. Cornelian. p.* 1308.

(*g*) Caue ergo confundas libertatem iuris gentium cum libertate iuris Quiritium, quae nulli competit nisi ciuibus Romanis. Cic. *pro Caecin.* XXXIII. *Qui enim potest iure Quiritium liber esse is, qui in numero Quiritium non est?* Hinc tribubus omnibus moti libertatem dicebantur amittere, etiamsi haud fierent serui. Liu. *XXXXV.* 15. Immo hinc intelligenda *L.* 5. §. 3. *D. de extraord. cognit.* vbi media capitis deminutione, et speciatim aquae ac ignis interdictione, etiam libertas amitti dicitur, quod de libertate iuris gentium falsum; de libertate iuris Quiritium verissimum est. Conf. Ger. Noodt *Obseru. II.* 21. *p.* 469.

§. XXVI.

Source : BIU Cujas

§. XXVI.

Liberi quoque a dominatu tyrannorum.

Nec minus immunes erant ciues Romani ab impotente regum dominatione. Lege enim Tribunicia, lata a Iunio Bruto, Tribuno Celerum, ac paullo post primo Consule, fuerat cautum, vt nemo Romae regnaret, obstrictis simul iureiurando ciuibus, eos neminem passuros Romae regnare. Dionys. Halic. IIII. *p.* 276. V. *p.* 277. Liu. I. *vlt.* II. 1. Qua lege tribunicia, quum omni tyrannidi via occlusa esset: mirum profecto non est, gentem Iuniam praecipue de ea esse gloriatam, numisque suis caput Libertatis praetulisse, cum inscriptione LIBERTAS. Car. Patin. *Famil. Rom. p.* 139. Accessit postea eodem anno Lex Valeria, qua cautum, vt indicta caussa interficeretur, qui regni occupandi iniisset consilia, idque impune ferret percussor, si indicia sceleris demonstrasset. Plutarch. *Vit. Poplic. p.* 103. Liu. II. 8. Pro his legibus dici non potest, quanta certamina per quingentos annos adierit populus Romanus, quamuis impedire haud potuerit, quo minus eae demum a L. Sulla, ac deinde a Iulio Caesare conuellerentur, ab Augusto vero eiusque successoribus penitus exstinguerentur, siquidem hi, adspernati in speciem regium nomen, titulo Principum omnia magistratuum legumque munia ad se traxerunt. Tacit. *Annal. I.* 1.

§. XXVII.

Liberi a licentia magistratuum.

Eadem porro libertas ciues immunes praestabat a duriore magistratuum imperio. Latae hanc in rem fuerant leges Valeriae a P. Valerio Poplicola consule, de quibus Liuius II. 8. *Latae deinde leges non solum, quae regni suspicione consulem absoluerunt, sed quae adeo in contrarium verterunt, vt popularem etiam facerent; inde cognomen factum Poplicolae est.* Paullo distinctius rem referunt Plutarch. *Vit. Poplic. p.* 102. *sequ.* et Dionys. Halic. *V. p.* 292. ex quibus constat, prima lege fuisse cautum, NE QVIS ROMAE MAGISTRATVM GERERET INIVSSV POPVLI: QVI SECVS FAXIT, EIVS CAPVT SACRVM ESSET: altera prouocationem concessam a magistratibus ad populum, neque permissum cuiquam, supplicio extremo, aut flagris, aut mulcta animaduertere in prouocantem, donec populus ea de re iuisset in suffragia. Posterior lex quum omnium minime placeret patriciis, quippe fundamenta, ἀειϛοκρατίας, quam adfectabant, penitus subuertens, variis artibus aliquamdiu eluisa, atque hinc relatione non vna restituenda visa est. Retulerunt ergo eamdem A. V. C. CCCIIII. L. Valerius Poplicola Potitus, et M. Horatius Barbatus Coss. teste Liuio III. 55. Re-

Source : BIU Cujas

Retulit tertium alter M. Valerius Coruus anno V. C. CCCCLII. Qua de re idem Liuius X. 9. *Tertium ea lex tum post Reges exactos lata est, semper ab eadem familia. Causam renouandae saepius non aliam fuisse reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterant.* Quum ne sic quidem consultum populo videretur, semper in contrarium nitentibus patribus: quartum de prouocatione populum rogauit M. Porcius Laeca, qui etiam grauiore poena animaduertendum statuit in eos, qui ciuem Romanum vel verberassent vel necassent. Liu. X. 9. Cuius legis *Porciae* insigne monimentum exstat numus gentis Porciae, in quo vir paludatus, medius inter togatum prouocantem et lictorem virgas minantem, conspicitur, addita inscriptione: PROVOCO. Fulu. Vrsin. *de Famil. Rom. p.* 229. *edit. Patin.* Porciam legem, quum et ipsa vetustate obsoleuisset, denuo in vsum reuocauit C. Sempronius Gracchus, ceu ex fragmento orationis Gracchanae apud Gellium *Noct. Attic. X.* 3. acute colligit Car. Sigonius *de antiquo iure ciu. Rom. I.* 6. Sed nec *leges sacratae* hic praetermittendae, latae anno V. C. CCLX. Sp. Cassio Viscellino et Postumo Cominio Aurunco II. Coss. quum plebs, pertaesa vsurariae iniquitatis, in montem sacrum secessisset. Pace enim facta hac lege, vt plebi sui essent magistratus, quibus auxiliatio aduersus consules esset, neue cui patrum capere eum magistratum liceret, Liu. II. 33. Brutus, primus tribunus plebis, leges tulit, primo vt ne parricida esset, qui eum, qui plebiscito sacer sit, occiderit. Dionys. Halic. VI. *p.* 410. deinde, vt tribuni plebis sacrosancti haberentur, eosque qui violarint, sacri essent. Id. *ibid.* Tertia lex iussit tribunos plebis non nisi e plebe creari. Accessere duae aliae leges, ne de capite ciuis Romani nisi comitiis centuriatis, agi posset, neue privilegia irrogarentur. Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom.* I. 6. *p.* 84. Eaeque leges omnes dictae sunt *sacratae*, non modo quia ciues per omnia sacra iurarant, vtique se his legibus sempiternis vsuros, addita imprecatione, vt earum obseruatoribus superi et inferi essent propitii, transgressoribus vero contraria omnia acciderent: Dionys. Hal. VI. *p.* 410. verum etiam, quod loco poenae adiectum esset, eos, qui secus fecissent, cum pecunia familiaque Deo alicui sacros futuros (*h*). Fest. voce *Sacratae.* Omnes

(*h*) De hac poena Dionys. Halic. II. *pag.* 84. Ἔθος γὰρ Ῥωμαίοις, ὅσους ἐβούλοντο νηποινὶ πεφνάναι, τὰ τούτων σώματα θεῶν ὑποδῆναί τινι, μάλιστα δὲ τῶν καταχθονίων, καταπομπάζειν. *Mos erat Romanis, quos vellent impune occidi, eorum corpora deuouere Deo cuipiam, praecipue Diis inferis.* Festus *voce Sacrae:*

Source : BIU Cujas

Omnes enim leges huiusmodi sanctione poenali munitas, SACRATAS dici consueuisse, obseruat Iac. Perizon. *Animad. Hist. p.* 418. *sequ.*

crae; Homo sacer is est, quem populus iudicauit ob maleficium, neque fas est eum immolari: sed qui occidit, parricidii non damnatur: Ex quo quivis homo malus atque improbus sacer adpellari solet. De hoc supplicio quaedam habet Raeuard. *ad XII. Tab. Cap. IIII. pag.* 22.

§. XXVIII.

Remedia aduersus magistratuum insolentiam.

Hisce legibus satis tuti erant ciues Romani ab omni magistratuum tyrannide. Primo enim, si quid contra leges auderent magistratus, maximum cuique remedium erat in prouocatione ad populum. Deinde de capite ciuis Romani non nisi vniuersus populus in comitiis centuriatis iudicabat, et tunc facile erat, vel innocentibus se a calumniatorum artibus defendere, vel poenam meritis promissa barba, lacrymis, cultuque tristiore populum ad misericordiam flectere, eoque modo effugere periculum. Denique nulli magistratui licebat ciuem Romanum vel verberibus, vel supplicio adficere. Immanissimas etiam eorum sententias vox illa quiritantium compescebat: CIVIS ROMANVS SVM. Saepe eo respicit Cicero *in orat. adu. Verrem V.* 54. *Plagis confectum, dico, a lictoribus tuis ciuem Romanum ante oculos tuos concidisse. Ob quam caussam? Dii immortales, tametsi iniuriam facio communi caussae et IVRI CIVITATIS. Quasi enim possit esse vlla caussa, cur hoc cuiquam ciui Romano iure accidat.* Et eadem *Oratione V.* 57. *Ceruices in carcere frangebantur indignissime ciuium Romanorum, vt etiam illa comploratio*: CIVIS ROMANVS SVM, *quae saepe multis in vltimis terris opem inter barbaros et salutem tulit, ea mortem iis acerbiorem, et supplicium maturius, ferret.* Plura eius generis exstant apud Ciceronem *Verrin. V.* 62. *sequ.* Nec ignota sunt exempla Pauli Apostoli *Act.* XXII. 24. et martyrum Galliae apud Euseb. *Hist. Eccles. V.* 1. qui se illa voce CIVIS ROMANVS SVM, a virgarum ignominia, vel ab extremo supplicio eripuerunt.

§. XXVIIII.

Tribunorum plebis auxilium.

Sed non solum in legibus Romanis ciuibus maximum praesidium erat positum aduersus magistratuum insolentiam: verum etiam in tribunicia potestate. Si quis enim eorum libertatem violare non vereretur: tribunos plebis adpellabant, qui ipsis omnem ferebant opem, neque patiebantur, ciui cuiquam fieri vllam

Source : BIU Cujas

iniuriam. Plena eiuſmodi exemplorum eſt Romana hiſtoria, et quamuis negari haud poſſit, iſta poteſtate non ſemel abuſos eſſe tribunos plebis; Saepe tamen etiam inſignia iuſtitiae atque aequitatis ſpecimina edebant, qualia ſunt, quae Valer. Max. *Lib.* VI. *cap. V.* refert quamplurima.

§. XXX.

Libertas ciuium Rom. a ſaeuitia creditorum.

Porro et aduerſus creditorum ſaeuitiam tuti erant ciues Romani. Immanis erat lex XII. Tabularum, quae ciues Romanos obaeratos creditoribus addicebat, a quibus et vinciri, et eorum corpus, id eſt, bona ſecari, et in partes diuidi poterant (*i*), Gell. *Noct. Attic. XX.* 1. Et quamuis ſerui haud fierent hunc in modum addicti et nexi: in ſeruitute tamen erant, ſeruiſque ipſis tractabantur durius. Aſt contra hanc immanitatem auxilio ciuibus fuit lex Poetelia, qua cautum eſt, anno V. C. CCCCXXVII. C. Poetelio L. Papirio Coſſ. *ne quis, niſi qui noxam meruiſſet, donec poenam lueret, in compedibus, aut in neruo teneretur: pecuniae creditae bona debitoris, non corpus, obnoxium eſſet.* Liu. VIII. 28. Varro *de Lingua Lat.* VI. 5. *p.* 58. Succeſſit ergo ex eo tempore in addictionis illius locum poſſeſſio et venditio bonorum, de qua nos alibi ex inſtituto egimus. Qua de re Tertullianus *Apol.* IIII. *Sed et iudicatos in partes ſecari a creditoribus, leges erant: conſenſu tamen publico crudelitas poſtea eraſa eſt, et in pudoris notam capitis poena conuerſa eſt,* BONORVM *adhibita* PROSCRIPTIONE, *ſuffundere maluit hominis ſanguinem, quam effundere.* Quin acceſſit demum beneficium ceſſionis bonorum ex lege Iulia, de quo plura iureconſulti, et nos infra *Lib.* III. *Tit.* XXX. §. VIII.

(*i*) Dicemus ea de re infra *Lib. III. Tit. XXX. §. IIII.*

§. XXXI.

Libertas ſuffragandi data per leges tabellarias.

Poſtremo et hoc ad libertatem ciuium quam maxime pertinebat, quod libere, vt vellent, darent ſuffragia. Quamuis haec libertas magis ad ius publicum videatur referenda. Id eis attulere leges tabellariae ſeu de tabellis, quas Cicero ideo *Agrar.* II. 2. *vindices tacitae libertatis*, et *in Cornel.* I. *p.* 331. *principium iuſtae libertatis* adpellat. Quum enim antea viua voce in comitiis ſuffragia ferrentur, idque nonnumquam cum periculo videretur coniunctum: primus A. Gabinius Trib. pleb. A. V. C. DCXIIII. lege cauit, vt populus non voce, ſed tabella, ſuffragium ferret, ne quis inſpiceret tabel-

Source : BIU Cujas

tabellam, ne rogaret, ne adpellaret. Cic. *de leg.* III. 16. Successit biennio post altera lex tabellaria, lata a L. Cassio, Tribuno plebis, M. Aemilio Lepido Porcino, et C. Hostilio Mancino Coss. vt et iudices et populus sententias non voce dicerent, sed tabellis ferrent, excepto iudicio perduellionis. Cic. *de Amicit.* XII. *de Leg.* III. 16. Ascon. Paedian. *in Cornelianam. p.* 1313. *et Verrinam.* II. *p.* 1820. Cuius legis insigne monimentum est numus gentis Cassiae, in quo ciuis occurrit, tabellam littera A. notatam cistae immittens, cum lemmate LONGINVS III. V. et Fulu. Vrsin. *de Famil. Rom. p.* 67. Eodem pertinuit tertia lex Papiria, lata a C. Papirio Carbone, tribuno pleb. A. V. C. IↃCXXI. P. Popillio Laenate et P. Rupilio Nepote Coss. qua cautum denuo, vt in iubendis legibus vetandisque populus tabella suffragia ferret. Cic. *de Leg.* III. 16. Successit quarta anno V. C. IↃCXXX. a Coelio Caldo Tribuno plebis lata, vt etiam in perduellionis iudicio, quod Cassia lege exceptum erat, populus non voce, sed tabella sententiam ferret. Cic. *de Leg.* III. 16. Quam ipsam quoque legem egregie illustrat numus apud Patin. *de Famil. Rom. p.* 79. quo praeter alia litterae L. D. in tabella conspiciuntur. Significant illae LIBERO, DAMNO. Haec enim verba loco Cassianorum ABSOLVO, CONDEMNO in crimine perduellionis adhibita esse discimus ex Caesare *de Bello ciuili* III. 83. ex quo loco patet, tertiam quoque tunc adhibitam esse tabellam, quam imponebant vrnae, qui pecunia mulctandum reum iudicabant. Quae omnia eo pertinebant, vt tanto maiore cum libertate suum quisque ferret suffragium. Vnde denuo Cicero *pro Planc.* VI. *Populo grata est* TABELLA, *quae frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, vt, quod velint, faciant, promittant autem, quod rogantur.*

§. XXXII.

Sequitur alterum, quod ad iura Quiritium pertinuit, IVS GENTILITATIS. Diuiserat Romulus ciues in duas gentes, quarum vnam *patres*, alteram *plebem*, nominauit. Illos ex iis adlegerat, qui in ciuitate genere, virtute, atque opibus antecellebant: plebis nomine reliquos omnes adpellauerat. Quemadmodum vero e plebe *plebeii*, ita ex patribus *patricii* nascebantur. Vtrosque inter se deuinxerat instituto iure illo patronatus, de quo supra plura diximus. Ad iura vtriusque gentis quod attinet: de illis praecipue obseruandum quod plebis iura quisque cum ipsa ciuitate impetrarit; patricius autem, nisi lege ad populum lata, nemo fieri potuerit. Bis patricios Ius gentilitatis.

Source : BIU Cujas

legit Romulus, semel ex Albanis, ac deinde ex Sabinis. Dionys. Hal. *Ant. Rom.* II. *p.* 111. Eumdem morem postea sequuti ceteri reges, qui subinde ex gentibus deuictis, ac in ciuitatem receptis, patriciorum numerum suppleuerunt. Idem *Ant. Rom.* III. *p.* 199. *et* IIII. *p.* 280. Suet. *Aug.* II. Libera republica L. Iunius Brutus, primus Cos. patricios legit. Liu. II. 2. Sexennio post Appius Claudius e Sabinis Romam commigrans, lege consulari, patricius factus est. Dionys. Halic. V. *p.* 308. Liu. IIII. 3. et X. 8. Postremo C. Iulius Caesar lege Cassia, et Augustus lege Saenia, (*k*) ac denique Claudius Imp. patricios, iam magna ex parte exstinctos, suppleuerunt. Tacit. *Annal. XI.* 25. Suet. *Iul. XXXXI.* Ceterum ad gentilitatis iura pertinebat, quod soli patricii auspicia ex instituto Romuli haberent. Liu. VI. 42. Id quod tamen de auium duntaxat inspectione et tripudio, intelligendum, siquidem de coelo seruare etiam plebeiis licebat. Cic. *in Vatin. cap. VII.* Quum enim, fatente Cic. *de Diuin. II.* 36. hanc auium reliquorumque signorum obseruationem retinerent Romani *tantum ad opinionem vulgi, et ad magnas vtilitates reipublicae*, id est, ad plebem deludendam continendamque in officio: periculosum videbatur, plebeios ad haec mysteria admittere, quibus ius magistratus et sacerdotia capiendi erat ademtum. Nimirum et hoc iure ex instituto Romuli gaudebant patres, vt soli Senatum, sacerdotia, magistratus, iudicia ac totam denique remp. tenerent. Sed paullo post ea omnia paullatim cum plebe communicata sunt, nisi quod interreges, flamines Diales, Martialis et Quirinalis, Rex Sacrificulus, et Salii, ad extrema vsque reipublicae tempora ex patriciis lecti sunt: quemadmodum et comitia tributa, tribunicia potestas (*l*) et Aedilitas plebeia perpetuo in possessione plebis permanserunt. Reliqua, quae hac de re dici possent, a Carolo Sigonio explicata sunt *Libro I. de Ant. iure ciu. Rom. Cap.* VII.

(*k*) Sed quaenam illa lex Saenia? In priore editione de Sentia suspicatus sum. Sed errorem ademit Lipsius *ad* Tacit. *p.* 285. Obseruat ille ex Dione, Augustum patricios suppleuisse τῆς βουλῆς ἐπιτρεψάσης ταῦτα ποιῆσαι, *iubente Senatu*, et quidem anno V. C. Ioccxxv. Atqui consul suffectus in fastis adparet L. Saenius. Nam in fragmento veterum fastorum apud Grut. *pag.* cclxxxxviiii. ita legimus.

Imp. Caes. IIII. M. Licinivs K. Ivl. C. Antistivs. bellvm. Alexandr.

Eid. Sept. M. Tvllivs. K. Nov. L. Saenivs.

Quis ergo dubitarit, ab eo SCtum tulisse nomen? Tacitus ergo pro SC. *legem Saeniam* dixit.

(*l*) Semel tamen duos patricios inter tribunos fuisse, refert Liu. III. 65.

§. XXXIII.

Source : BIU Cujas

§. XXXIII.

Pars haud poſtrema iuris Quiritium fuit IVS CONNVBIORVM, de quo quum titulo de nuptiis vberius actum ſit, iam pauca quaedam addemus. Romani ea in re ab inſtitutis plerarumque gentium diſceſſerunt, quod ne iis quidem, qui eiusdem ciuitatis erant, connubii ius promiſcue darent. Praeterquam enim, quod lege XII. Tabularum vetita eſſent inter patricios et plebeios connubia: Dio nyſ. Halic. X. *p.* 674. Liu. IIII. 4. etiam, ſublata illa lege, ſaepe inter ipſos vicinarum regionum, aut eorum, qui ſub eodem gentis nomine vulgo continebantur, populorum ciues prohibita ſunt connubia. Sic inter Latinos connubia commerciaque nulla eſſe patiebantur Romani. Liu. VIII. 14. Idem de tribus Hernicorum populis patet ex eodem Liuio VIIII. 43. Deuicta Macedonia, et in quatuor regiones diuiſa, id etiam edixerant decem legati, *neque connubium, neque commercium agrorum aedificiorumque, inter ſe placere cuiquam extra fines regionis ſuae eſſe.* Liu. XXXXV. 29. Quod callido conſilio inuenerant Romani, ne mutuis adfinitatibus et commerciis iuncti inter ſe, ac colligati, eo promtius aduerſus rempublicam conſociarentur. Immo ne cum omnibus quidem ciuibus Romanis connubii ius erat ciuibus. Libertinas, quamuis ciues, duci olim haud potuiſſe ab ingenuis ciuibus, patet exemplo Hiſpalae Fecenniae, cui haec poteſtas SC. data eſt. Liu. XXXVIII. 6. Sic et Campani, qui pridem ciuitatis iura fuerant conſequuti, poſtea demum impetrarunt, *vt ſibi* CIVES *Romanas ducere vxores liceret, et; ſi qui prius duxiſſent, vt habere eas, et ante eam diem nati iuſti ſibi liberi heredesque eſſent.* Liu. XXXVIII. 36. Qua de re plura differit Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap.* 22. *p.* 357.

Ius connubiorum inter ſolos ciues, nec omnes tamen promiſcue fuit.

§. XXXIIII.

Quum itaque ne inter omnes quidem eiusdem ciuitatis ius connubii eſſet: multo magis cum aliis, ciuitatis Romanae exſortibus, connubia erant interdicta. Vnde Seneca de *Benef. IIII.* 35. *Permiſi tibi filiam in matrimonium, poſtea peregrinus adparuiſti: non eſt mihi cum externo connubium.* Solebat tamen etiam peregrinis primum a populo, poſtea a Senatu, ac demum a principe concedi ius connubii, per modum lege ſolutionis vel priuilegii. Qua de re fuſius diximus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap. XVIII. p.* 321. *ſequ.* Adde ſupra *Libro I. Tit. X. n.* 15. Si quis vero, non impetrato illo beneficio, peregrinam duxiſſet: nati ex eiusmodi nuptiis liberi, tamquam hybridae, ac nouum genus hominum,

Cum peregrinis et barbaris nullum connubium.

Source : BIU Cujas

minum, habebantur, neque multo melioris, quam serui, erant conditionis, ceu patet exemplo militum Romanorum, qui Hispanas mulieres duxerant, apud Liu. XXXXIII. 3. Ex quo vero cum omnibus in orbe Romano ciuitas fuerat a Caracalla communicata: promiscua quidem inter eos esse coeperunt connubia, sed prohibita tamen matrimonia cum barbaris. *l. vn. C. Theod. de nupt. gentil. Lib.* III. *Tit.* 14. Quum tamen Valentiniani Senioris legem non diu valuisse, multis exemplis docent Iac. Gothofredus *in Commentario ad illam legem*, *p.* 306. *Tom.* I. et, qui plura addidit, Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc.* II. *Cap.* 22. *p.* 368. *sequ.*

§. XXXV.

Lex Papia Poppaea de connubio Senatorum cum libertinis.

Alia quaedam de prohibitis inter ciues nuptiis statuit Augustus lege Papia Poppaea, cuius primo capite prohibitae nuptiae inter senatorem eiusue filios nepotesue et libertinas, lenas, a lenone manumissas, easque, quae artem ludicram exercuissent, vel filias eorum, qui eiusmodi artem fecissent. *l.* 44. *pr. D. de rit. nupt.* Dio Cass. LIIII. *p.* 531. Quum enim iam M. Antonio hoc vitio datum fuerit, quod libertini factus esset gener: Cic. *Philipp. II.* 2. multo minus dignum videbatur saeculi Augustaei felicitate, senatorium sanguinem ipsarum libertinarum, lenarum, ac meretricum commixtione contaminari. Scenicas vero vxores, praeter artis infamiam, etiam id indignas senatoriis nuptiis reddebat (*m*), quod plerae-

(*m*) Eam legem latius interpretatus D. Marcus, nuptias Senatorum cum feminis eiusmodi non solum iniustas, verum etiam irritas, esse iussit, cuius SC. mentio fit. *l.* 16. *D. de sponsal.* Et hinc inter Senatorem et eiusmodi personas nuptiae esse negantur, *l.* 42. §. 1. *D. de ritu nupt.* adeo, vt hae ne quidem vxores fiant. *l.* 34. §. 3. *eod.* sed statim sint dimittendae, *l.* 43. §. 10. *D. eod.* Quae omnia ex hoc SCto esse, satis constat. Postea Constantinus M. hanc legem non solum a senatoribus, sed et ab aliis viris perfectissimis seruari voluit. *l.* 1. *C. de natur. lib.* (Falso enim in textu legitur *senatores*, *seu* PRAEFECTI pro PERFECTI.) Quum legem per omnia firmauit Marcianus Imp. *l.* 7. *C. de incest. et inutil. nupt. Nou. Marcian. post. Cod. Th. Tit.* IIII. Ast sublata demum illa est per *l.* 23. *C. de nupt.* non a Iustiniano quidem, vt inscriptio prae se fert, sed a Iustino, quem Iustinianus, tum adhuc Nobilissimus Caesar, ad edendam istam constitutionem induxerat, quia ipse cum Theodora, muliere scenica, et parum integrae famae, nuptias adfectabat. Procop. *Anecdot. p.* 45. et ibi Nic. Alamannus. Ipse Iustinianus paullo post ea de re aliquoties tum ad SS. Episcopos, tum ad magistratus, rescripsit. *l.* 33. *C. de episc. audient. Nouell.* LXXXVIIII. 15. CXVII. 6. LXXVIII. 3. LI. Vid. Nic. Alamann. *Not. ad Procop. Anecdot.* 41. et *Comment.* nostr. *ad L. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. II.*

Source : BIU Cujas

pleraeque simul turpissimis se libidinibus in ipsa scena prostituerent, quemadmodum ex Plauti *prologo Casin.* ostendit Lipsius *Elector.* I. 11. Rem omnem accuratius exposuimus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib.* II. *Cap.* I.

§. XXXVI.

Ad reliquos quod attinet ingenuos, licebat iis libertinas vxores ducere per legem Papiam Poppaeam. *l.* 22. *D. de ritu nupt. l.* 15. *C. de nupt.* Quod ideo receptum, quia tum maior erat libertinarum, quam ingenuarum, copia. Dio Cass. *Hist.* LIIII. *p.* 531. Quo fit, vt et vetera marmora saepe meminerint coniugii ciuium cum libertabus. Reines. *Inscr. p.* IↃCCLVIIII. 131. Libertinas ducere olim non licuit: at permisit lex Papia Poppaea.

D. M.
C. SALVIVS. RESTITVTVS. FECIT. SIBI. ET.
SALVIAE. NYMPHIDIAE.
LIBERTAE. SVAE. ET. CONIVGI.
OPTIMAE. B. M. DE. SE. ET.
NICERO. L. L. Q. S. P. Q. S.

Et alibi p. IↃCCLX.

D. M.
SEPTIMIAE.
TYCHAE. QVAE.
VIXIT. ANNIS.
XXXVI. SEPTI
MIVS. IVLIA
NVS CONIV
GI. ET. LIBERT.
RARISSIMAE.

Adde *p.* IↃCCLXXII. Grut. *Inscr. p.* IↃLXVII. 8. IↃCCCCXXXV. 4. IↃCCCCXXXX. 4. IↃCCCCLVII. 7. in quibus saepe laudantur LIBERTAE. ET. CONIVGES. OPTIMAE. BENEQVE. MERENTES. KARISSIMAE. FIDELISSIMAE. DVLCISSIMAE. AMANTISSIMAE. INCOMPARABILES. Prohibitae tamen manserunt nuptiae inter libertum et patronam, patroniue vxorem, vel filiam, quas adfectantes liberti et damnatione ad metalla puniebantur, nisi patrona esset vilioris conditionis, *l.* 13. *D. de rit. nupt.* Paull. *Recept. Sent.* II. 19. 7. Et hinc rarissimi exempli est, inscriptio apud Fabretum pag. CCLXXXVIIII: IVNIAE. FESTIVAE. PATRONAE. ET. VXORI. KARISS. C. IVNIVS. MERCVRIVS. Cui tamen similes deprehendisse mihi videor apud Gruter. *Inscr. p.* DLXXXII. 4. et Reines. *Inscr. Class.* XII. 24. Sed quamuis

Source : BIU Cujas

quamuis lex Papia permitteret, vt libertinae ducerentur vxores: non poterant tamen duci LENAE, A LENONE LENAVE MANVMISSAE, AVT IN ADVLTERIO DEPREHENSAE, QVAEVE ARTEM LVDICRAM FACERENT, FECISSENT. *l.* 43. *D. de rit. nupt.*

§. XXXVI.

An eadem lex Papia prohibuerit nuptias sexagenariorum et quinquagenariarum?

Plerique existimant, eadem lege Papia Poppaea prohibitas nuptias sexagenariorum masculorum et quinquagenariarum feminarum, idque colligunt ex fragmento Senecae apud Lactant. *Inst. Diuin. I.* 16. Vlpian. *Fragm. XVI.* 1. et *l.* 27. *C. de nupt.* Quibus auctoritatibus commotus Iac. Gothofredus hoc caput legis Papiae Poppaeae commentus est: SEXAGENARIO MASCVLO, QVINQVAGENARIAE FEMINAE NVPTIAS CONTRAHERE IVS NE ESTO. Iac. Gothofr. *ad leg. Pap. Popp.* II. Sed luculenter euicit V. C. Iac. Perizonius *Diss. ad Leg. Vocon. p.* 153. *sequ.* caput illud de sexagenariis et quinquagenariis non esse ex lege Papia Poppaea, sed ex SC. quodam, facto temporibus Tiberii. Res patet ex luculento loco Suet. *Claud.* XXIII. *Capiti Papiae Poppaeae legis, a Tiberio Caesare, quasi sexagenarii generare non possent, addito, obrogauit.* Mira quidem in turbando hoc Suetonii loco est criticorum sollertia (*n*): sed constanter hanc lectionem prae se ferunt meliores codices, nec ipse sensus vllam postulat emendationem. Optimus Suetonii interpres est Vlpianus *Fragm.* XVI. 3. vbi iureconsultus: *Qui*, inquit, *intra sexagesimum, vel, quae intra quinquagesimum annum, neutri legi paruerit, licet ipsis* LEGIBVS *post hanc aetatem liberatus esset, perpetuis tamen poenis tenebitur ex* SC. PERNICIANO. *Sed* CLAVDIANO SENATVSCONSVLTO *maior sexagenario, si minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebitur, ac si minor sexaginta annorum duxisset vxorem.* Et paucis interiectis: *Quod si maior quinquagenaria minori sexagenario nupserit: impar matrimonium adpellatur, et* SC. CALVITIANO *cauetur, non proficere ad capiendas hereditates et legatas dotes. Itaque mortua muliere dos caduca erit.* Ex his ergo locis egregia lux adfunditur Suetonio. Discimus enim inde I. quid in lege Papia Poppaea de sexage-

(*n*) Cuiacius et Torrentius plane eiiciunt Tiberium, et locum ita refingunt: *Capiti Papiae Poppaeae legis, quasi sexagenarii generare non possent, edicto obrogauit.* Pulmannus pro *edicto* habet *edito.* Iac. Gothofredus *Not. ad L. Pap. Popp.* reliqua admittit, sed pro *edicto* legi iubet *adaucto.* Ast nullam harum emendationum vel textus admittit, vel accuratiores Codices, qui teste Casaubono praeferunt: *addito obrogavit*, vel quantiuis pretii locus Vlpiani, vt in sequentibus adparebit.

Source : BIU Cujas

xagenariis et quinquagenariis fuerit cautum, videlicet, sexagenarios masculos et quinquagenarias mulieres, ob aetatem a poenis legis liberos liberasue fore. Discimus II. quod *addiderit* huic capiti Tiberius. Quum enim animaduertisset, multos ad hanc aetatem peruenire, qui legi numquam antea paruissent: statuit, vt sexagenariorum et quinquagenariarum nuptiae non quidem essent irritae, sed nihil tamen ad effugiendas caelibatus poenas proficerent. Id quod sancitum est SC. PERNICIANO, vel, vt Cl. Perizonius p. 156. mauult, PERSICIANO, ita dicto a Paullo Fabio Persico, qui tertio ante excessum Tiberii anno Consul fuit cum L. Vitellio (*o*). Discimus III. qua in re CLAVDIVS Tiberii legi obrogauerit. Perpetuis enim poenis illis exemit sexagenarios, dummodo quinquagenariis duxissent minores, quandoquidem ex eiusmodi matrimonio proles adhuc sperari poterat. Denique et hoc IIII. inde discimus, postremo accessisse SC. CALVITIANVM, vel, vt Perizonius mauult, CALVISIANVM (*p*), quo cautum, vt quod seni masculo, ducenti iuuenculam, dedisset SC. Claudianum, non item valeret de nuptiis vetulae cum viro iuuene, quippe nullam spem prolis facturis. Sed et haec iura vna litura deleuit Iustinianus *l.* 27. *C. de nupt.* Vid. *Comment. nostr. ad L. Iul. et Pap. Lib.* II. *Cap.* III.

(*o*) Iste sane Fabius plerumque *Persicus* non addito nomine gentili adpellatur. Vid. Seneca *de Benef. II.* 21. et lapis apud Gruter. *Inscript. p.* IↃCC.NON. MAGIS. POENITENDI. SVNT. SENATORES. QVAM. POENITET. PERSICVM. NOB. VIRVM. AMICVM. MEVM. INTER. IMAGINES. MAIORVM. ALLOBROGICI. NOMEN. LEGERE.

(*p*) Nullus in fastis post Claudii tempora occurrit Caluitius: at sub Nerone et sequentibus Imperatoribus multi laudantur Caluisii.

§. XXXVIII.

Si quas personas vxores ducere haud possent ciues Romani: eas tamen CONCVBINAS habere poterant. *l.* 1. §. 2. *D. de concubin.* Concubinatus enim per leges nomen adsumserat, *l.* 3. §. 1. *eod.* νόμος ἐγένετο, *pro lege habebatur*, teste Clem. Alex. *Paedag.* III. 3. Illum οἱ σοφοὶ τῶν νόμων ἐπιτρέπουσιν, *sapientes leges permittunt*, Id. *ibid.* Leges nimirum Iulia et Papia Poppaea, quas καθ' ἑξοχὴν νόμους vel *leges* esse dictas iam Lipsius *Excess. ad Tacit. Ann.* III. *lit. C.* obseruauit. Ante celeberrimam sane illam legem *concubina* et *pellex* pari passu ambulabant, nec altera altera erat honestior: post illam autem *pellex* erat, quae cum aliquo, cui vxor erat, Concubinatus origo.

Source : BIU Cujas

corpus miscebat, quae autem, cum aliquo, cui vxor non esset, viuebat, ea honestiore nomine vocabatur *amica* vel *concubina*, *l.* 144. *D. de V. S. conuictrix*, Grut. *p.* DCCLXXXXV. 8. γλυκυτάτη σύμβιος, Id. *p.* DCCLXXX. 9 *vxor gratuita*, id est, quae per coemtionem haud conuenerat in manum, Idem *p.* DCCC. 21. *sodalitiaria*, Grut. *p.* DCII. 5. *amica*, *cum qua quis sine mendacio vivebat*, *l.* 35. *D. de aur. arg. mund. leg.* Hinc honestum ex eo tempore erat concubinae nomen, *l.* 144. *D. de V. S.* licita cum ea consuetudo, *l.* 5. *C. ad SC. Orphit.* adeo vt ab vxore solo delectu et animi destinatione, Paull. *Rec. Sent.* II. 20. 2. et dignitate differret, *l.* 49. §. 4. *D. de legat.* 3. Immo vxoris loco haberetur. *l.* 144. *de V. S.* tamen haec coniunctio dici non poterat *legitima*, quia lex concubinas habere permittebat, non tamen initam cum iis consuetudinem eadem effecta habere patiebatur, quae tribuit matrimonio. Id quod contra Cuiacium recte docuit Em. Merill. *Obs.* III. 15. et *Variant. Cuiac. I.* 34.

§. XXXVIIII.

Quae concubinae esse potuerint?

In concubinatu vero esse poterat, quaecumque non poterat esse vxor, vel in quam stuprum non committebatur. *l.* 1. §. 1. *D. de concub.* Quod tamen recte intelligendum. Non enim quas honestas, et ius illud, quod impressum mentibus nostris circumferimus, a toro virorum arcebat, cum iis concubinatum inire licebat, vti sibi persuasit Cuiacius *Obs. V.* 6. sed cum illis tantum, quae per leges mere ciuiles vxores esse non poterant. Hinc fas erat ingenuo concubinam habere, iudicio publico damnatam, *l.* 1. §. 2. *D. de concub.* mulierem quaestuariam. *l.* 16. *D. de his quae vt indign.* obscuro loco natam, *l.* 3. *pr. D. de concub.* ancillam, *l.* 38. *pr. D. de reb. auct. iud. poss.* mulierem prouincialem, in qua quis officium administrabat, *l.* 5. *D. de concub.* etiam senem, et cuiuscumque aetatis, modo posset virilis patientiae legem accipere, *l.* 1. §. 4. *eod.* At non poterat quis in concubinatu habere feminam quamcumque, si haberet iustam vxorem. Paull. *Rec. Sent.* II. 20. 1. *l. vlt.* §. 2. *de diuort.* Multo minus plures simul concubinas habere licebat, quia semper infamis Romanis videbatur vita, *inter stupra concubinarum*, *et oscula* vel *mollia concubinarum et spadonum agmina*, transacta, qualem in Sophonio Tigellino et Fabio Valente reprehendit Tacit. *Hist.* I. 72. III. 20. in Commodo Imperatore Ael. Spartian. *Vit. Comm. Cap. V.* Et Iustinianus mulieres, quae vni viro corpora praebent, eodem tempore, non *concubinas*, sed πορνευομένας dicendas, indignasque concubinarum iuribus iudicat. *Nou.* XVIII.

Source : BIU Cujas

XVIII. *cap.* 5. Minime omnium inter eas personas honestus erat concubinatus, quas sanguinis propinquitas vel adfinitas a matrimonio arcebat, vt passim docet Vlpianus *l.* 1. §. 3. *D. de concub. l.* 56. *D. de R. N.*

§. XXXX.

An et ingenuae honestae?

Sed adiecimus tamen, ne tunc quidem locum concubinatui fuisse, si femina esset talis, vt in eam stuprum committeretur. Stuprum vero committitur in virginem vel viduam ingenuam, vitaeque integram: *l.* 6. §. 1. *D. ad L. Iul. de adult.* non autem in obscuro loco natam, ludionis, lenonis, arenarii filiam, vel quae quaestum corpore fecerat. *l.* 3. *pr. D. de concub.* Vnde et Ouidio *de arte amandi I. v.* 30. amplexus huiusmodi muliercularum sunt *Venus tuta et concessa furta*, quia qui cum tali femina rem habuerat, stupri reus haud erat ex Lege Iulia de adulteriis. Hae ergo et in concubinatu esse poterant: non feminae ingenuae et honestiores. Hinc, si hae cum viris essent: aut vxores praesumebantur, aut stupri reus vterque erat, si se negaret viuere in matrimonio, nec tamen mulier testationem interposuisset, se sua sponte in concubinatu viuere. *l.* 3. *pr. D. de concub.* Cui legi male vulgo obuerti *l.* 24. *D. de R. N. et l.* 31. *pr. D. de donat.* satis perspicue ostendimus in *Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. Lib.* II. *cap.* IIII. *p.* 172. *sequ.*

§. XXXXI.

Quinam concubinas adsciuerint?

Quamuis autem et licita nec inhonesta Romanis videretur haec consuetudo, ac vere inaequale esset matrimonium: *L.* 3. *C. de natur. lib.* tamen nec ipsae concubinae vxorum dignitate et iuribus fruebantur, nec liberi inde nati legitimi erant, sed naturales, quorum de conditione supra *Tit. X.* quaedam notauimus. Hinc et ii fere, qui iam ex iusto matrimonio liberos procrearant, patriaeque et Priamo fecerant satis, concubinam solebant in lectum adsciscere, ne liberis inducerent nouercam, spemque hereditatis iis, nihil tale meritis, interuerterent. Sic Vespasianus Imp. post vxoris excessum Caenidem, Antoniae libertam, reuocauit in contubernium, et paene iustae vxoris loco, id est, in concubinatu habuit. Suet. *Vesp.* III. Idem fecit Antoninus Pius, Iul. Capitol. *Vit. Anton. cap.* VIII. idem et Marcus Antoninus, recti exempli imperator, qui, amissa vxore, concubinam sibi adsciuit, procuratoris sui filiam, *ne tot liberis nouercam superduceret.* Id. *Vit. Marci cap.* XXVIIII.

Source : BIU Cujas

§. XXXXII.

Fuere concubinae similes vxoribus ad morganaticam.

Talis vtique fuit veterum Romanorum Concubinatus. Vnde ii cum laruis pugnant, qui audito concubinae vocabulo, statim sibi aut prostibulum aliquod, aut plane pellicem, animo concipiunt. Id vero non magis verum est, quam si quis idem iudicium ferendum putaret de vxoribus *ad morganaticam*, quas Principes et viri illustres ea lege adsumunt in torum, vt nec ipsae mariti dignitate, nec liberi reliquorum liberorum iuribus, fruantur. II. *Feud.* 29. His vxoribus per omnia fere similes erant concubinae Romanorum, postquam *mos et lex maculosum edomuerat nefas*, et Augustus concubinatum a pellicatu secreuerat.

§. XXXXIII.

Quando legibus interdictus concubinatus?

At iste concubinatus paullatim euanuit, postquam Christiana pietate indignus videri coepit. Primus eum subruere conatus est Constantinus M. sed ita vt obliqua quasi via procederet, nec, se id agere, prae se ferret. Quum enim ita inoleuisset ista consuetudo, vt impar sibi prope videretur ei abolendae; id agebat potissimum, vt ciues vxores, quam concubinas, habere mallent. Hinc primo liberis naturalibus quidquam relinqui vetuit, ceu colligimus ex *l.* 1. *C. Theod. de natur. lib.* Deinde ideo adinuenit legitimationem per subsequens matrimonium, non in futurum tamen valituram, ne parentibus occasio deesset signandi tabulas, et concubinas iustis sibi nuptiis iungendi. Des. Herald. *Rer. Quotid.* I. 4. 2. Denique ne viri dignitatibus fulgentes, alios exemplo corrumperent durissimam illam *l.* 1. *C. de nat. lib.* edidit, qua concubinas a viris illustribus, clarissimis, spectabilibus, perfectissimis, haberi vetuit. Nec successus forsan defuisset illis Constantini M. consiliis, si successoribus ista potuisset probare. Sed hi facilius tulerunt concubinatum, adeo, vt nulla eorum constitutio, isti coniunctioni oppositа, in codicem relata sit a Iustiniano, sed hic ipse potius concubinatum adhuc *licitam* vocarit *consuetudinem l.* 5. *C. ad SC. Orphit.* in eaque *caste viui posse* scripserit. *Nou.* XVIII. *cap.* 5. Primus ergo in Oriente eum subruisse videtur Leo Sapiens. *Nou. Leon.* LXXXXI. In Occidente eum multo diutius mansisse, satis ostendunt leges veteres Francorum, Langobardorum, Germanorum de quibus fusius a nobis actum in *Elementis iuris Germanici.*

Tom. IIII. huiusce Edit.

§. XXXXIIII.

Source : BIU Cujas

§. XXXXIIII.

In titulo de nuptiis accuratius egimus de diuersis ritibus nuptiarum per CONFARREATIONEM, COEMTIONEM et VSVM, deque potestate maritorum in vxores; de quibus multa potius, quam optima, collegit Carolus Sigonius *de antiquo iure ciu. Rom. I.* Quare de DIVORTIIS tantum nonnulla adiiciemus, maxime quum eam doctrinam in Institutionibus suis praetermiserit Iustinianus. Divortium maritis quidem permiserat Romulus, at non uxoribus, vt tradit Plutarch. *Vit. Romuli p.* 39. Sed nec illis quidem, eodem teste Plutarcho, sine caussa sontica licebat vxoribus mittere nuncium, verum si constaret, eas aut stuprum esse passas, aut venenum parasse, aut liberos clauesue subiecisse. Forsan et temulentia inter caussas diuortii sonticas fuit, quippe quam maritus, caussa cum cognatis cognita, seuere vindicare in vxore consueuerat. Dionys. Hal. II. *p.* 96. Eadem lex deinde migrasse videtur in duodecim tabulas, secundum quas, addita caussa, iustum fieri potuisse diuortium, colligitur ex *l.* 43. *D. ad Leg. Iul. de adult.* et praecipue ex loco Ciceronis *Philipp.* II. 28. *Nolite, nolite quaerere: frugi factus est: mimam illam suam suas res sibi habere iussit, ex* XII. *Tabulis caussam addidit, exegit.* Quamuis enim hoc *caussam addidit* suspectum videatur P. Victorio *Var. Lect.* II. 2. et Mur. *Var. Lect. V.* 8. et quidem ob locum Nonii IIII. 152. in quo legitur: *claues ademit, foraſque exegit*: Grammaticos tamen saepe ex auctoribus fragmenta non integri sensus exscribere, et hinc emendationem auctorum ex fragmentis illis periculosam semper esse, prudenter monuit eruditissimus Perizonius *Animadu. Hist. cap.* VIIII. *p.* 371. *sequ.* Vtcumque se res habeat, videtur sane lex XII. Tabularum non promiscue, ac sine caussa concessisse repudium, siquidem veteres auctores saepe eiusmodi caussarum meminerunt (*q*). Naeuius apud Festum *voce sonticum. p.* 441.

Sonticam esse oportet caussam, quamobrem perdas mulierem.

Et Varro apud Nom. II. 73. *Betere est ire. Varro τὸ πατρὸς τὸ παιδίον: A se, annos multos quod parere non posset, eam betere fo-*

Leges Romuli et XII. Tabularum de diuortiis.

(*q*) Non solebat antiquitus vxori dari repudium, nisi caussa cognita in concilio cognatorum. Val. Maxim. II. 1. 4. et 8. Quin iusiurandum praestari solebat iubentibus censoribus, divortium ex iusta caussa esse factum. Gell. XVII. 21. Solebant praeterea istae caussae ipsumque factum diuortium in acta referri. Seneca *de Benef. III.* 16. *Quia vero nulla sine diuortio acta sunt, quod saepe audiebant, facere didicerunt.* Adde Lips. *ad Tacit. Ann. V. p.* 231.

Source : BIU Cujas

ras iussit. Si sine iusta et sontica caussa factum a marito erat diuortium, Romulus teste Plutarcho sanxerat, τῆς οὐσίας αὐτῆ τὸ μὲν τῆς γυναικὸς εἶναι, τὸ δὲ τῆς Δήμητρὸς ἱερὸν, *vt eius bona partim cederent vxori, partim Cereri sacra essent. Vit. Romul. p.* 39.

§. XXXXV.

Diuortiorum origo et frequentia sequiore aeuo.

Ast quamuis diuortia viris permitterent leges: non tamen vllum Romae exstitit exemplum ante annum ab V. C. circiter quingentesimum, quo primus vxorem ob sterilitatem dimisit Sp. Caruilius Ruga. Dionys. Halic. *Ant. Rom.* II. *p.* 96. Plutarch. *Romul. p.* 39. et *in Numa. p.* 77. Valer. Max. II. 1. 4. Gell. *Noct. Att.* IIII. 3. Ast postea frequentissima Romae fuere diuortia, et quidem non solum ob caussas alicuius momenti, veluti sterilitatem. *l.* 60. *l.* 62. *D. de donat. int. vir. et vx.* Suet. *Ner. cap.* XXXV. simultates cum socru, Sueton. *Aug. cap.* LXII. morum peruersitatem, Idem *ibid. cap.* LXII. impudicitiam, Plutarch. *in vit. Caton. p.* 770. *et Pompei. p.* 623. Sueton. *Vit. Claud. cap.* VII. XXVI. verum etiam ob caussas leuissimas. Facile enim, vel ob leuem tantum suspicionem, domo eiiciebatur vxor, quamuis innocentissima. Papiriam sane quum dimitteret Paullus Aemilius, mirantibus amicis, et caussam quaerentibus, nullam certam attulit, sed se tamen ab ea laesum, significauit. Plutarch. *Vit. L. Paulli p.* 257. *Tom.* I. Nonnumquam caussa interserebatur quidem, sed leuis, et quae vix mereri videbatur tantam animaduersionem. Sic C. Sulpicius Gallus extrusit vxorem, quod foris nudo capite versata esset: Q. Antistius Vetus, quod cum libertina vulgari secreto collocuta: P. Sempronius Sophus, quod ludos spectasset, se ignorante. Val. Max. VI. 3. 10. *sequ.* Cicero ipse, (at quam honestatis studiosus?) Terentiam ob aes alienum noua dote exsoluendum: et Publiliam, quod Tulliae morte laetari visa esset, domo exegit. Plutarch. *Vit. Ciceron. p.* 881. *Tomo* I. Alii propter senectutem abiiciebant vxores: *l.* 62. *de don. inter vir. et vx.* alii quia iam cum alia fuerat transactum. Quo pertinent illa Iuuenalis *Sat. VI. v.* 147.

- - - Exi
Ocyus, et propera, sicco venit altera naso.

Immo quum dimissa ob mores grauiores vxore, maritus dotem lucraretur: fiebat aliquando, vt viri data opera male moratas domum ducerent, dummodo bene dotatae essent. Sic C. Titinnius, Minturnensis, Fanniam vxorem impudicam de industria duxerat, vt

Source : BIU Cujas

vt eo crimine repudiatam dote spoliaret. Quod exemplum, latamque a C. Mario sententiam referunt Plutarch. *in vita Marii p.* 247. et Valer. Max. VIII. 2. 3. Denique etiam nonnumquam bona gratia a se inuicem discedebant coniuges, et tunc plerumque vxor non solum dotem recipiebat, sed et dona, et munera, a marito data, lucrabatur. Vnde Ouid. *de Remed. Amoris, v.* 669. *sequ.*

Tutius est, aptumque magis, DISCEDERE PACE,
Quam petere a thalamis litigiosa fora.
Munera, quae dederas, habeat sine lite iubeto,
Esse solent magno damna minora bono.

§ XXXXVI.

Etiam vxoribus licuit a viris diuertere.

Ceterum quum olim maritis tantum ius esset dimittendi vxores, ceu ex Romuli lege obseruat Plutarchus *in Vita Romuli pag.* 39. idque ius adhuc vigeret temporibus Plauti, ceu ex eius *Mercat. Act.* IIII. *Scen.* 6. constat: postea etiam vxores coeperunt a viris diuertere, idque tam frequenter, vt grauiter scribat Seneca *de Benef.* III. 16. *Numquid iam vlla repudio erubescit, postquam illustres quaedam et nobiles feminae non consulum numero, sed maritorum, annos suos computant, et exeunt matrimonii caussa, nubunt repudii?* Et Iuuenal. *Sat.* VI. *v.* 20.

- - - Sic fiunt octo mariti
Quinque per auctumnos.

Et Martialis. *Epigr. VI.* 7.

Aut minus, aut certe non plus, tricesima lux est,
Et nubit decimo iam Thelesina viro.
Quae nubit toties, non nubit, adultera lege est,
Offendar moecha simpliciore minus.

Nec grauioribus opus erat caussis, si vxor a marito, quam si hic ab illa, sese seiungeret. Saepius enim et mulieres sine caussa diuertebant a viris. Exemplum habes in Ciceronis *Epist. ad Fam.* VIII. 7. vbi Coelius ad Ciceronem: *Paulla Valeria, soror Triarii, diuortium sine caussa, quo die vir e prouincia venturus erat, fecit. Nuptura est D. Bruto.* Soli libertae non licebat per legem Papiam Poppaeam a patrono discedere, cui erat matrimonio copulata, ceu ipsa legitima verba docent, quae seruauit Vlpianus *l. vlt. D. de diuort.* quaeque diligentius interpretati sumus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib.* II. *Cap.* XII. *p.* 244.

§. XXXXVII.

Source : BIU Cujas

§. XXXXVII.

Sollemnitates in diuortiis olim obseruatae.

Fiebat olim diuortium non sine sollemnitate. Quemadmodum enim vxores in manum conueniebant per *confarreationem*: ita seiungebantur alio sacrificio, quod DIFFARREATIO adpellabatur. Fest. *voce diffarreatio p.* 280. DIFFARREATIO *genus sacrificii, quo inter virum et mulierem fiebat dissolutio. Dicta diffarreatio, quia fiebat farreo libo adhibito.* In vsu erat hoc sacrificium adhuc Plutarchi aetate, quoties inter flaminem Dialem et flaminicam fiebat discidium nuptiarum. Quum enim antea flaminibus nefas esset, vxores a se dimittere: rescripto id primus permisit Domitianus, teste eodem Plutarch. *Quaest. R. p.* 276. *Tom.* II. Qui et haec addit: οἱ δὲ ἱερεῖς παρεγένοντο τῇ τοῦ γάμου διαλύσει, πολλὰ φρικώδη καὶ ἀλλόκοτα, καὶ σκυθρωπὰ δρῶντες. *At sacerdotes reliqui, qui interfuerunt, quum eiusmodi matrimonium dissolueretur, multa horrenda, inaudita et tristia fecerunt.* Vnde patet, triste admodum ac mali ominis fuisse hoc diffarreationis sacrificium, in quo multos ritus ac caeremonias tristiores adhiberi oportuerit. *Coemtione* contractae nuptiae REMANCIPATIONE solutae videntur Iac. Raeuardo, *de Leg.* XII. *Tab.* XXII. *p.* 99. *seq. Tomo* I. *Oper.* Praeterquam enim quod nihil tam naturale est, quam vnumquodque eo modo dissolui, quo colligatum est, *l.* 35. *D. de reg. iur.* omniaque, quae in iure contrahuntur, contrario iure pereunt: *l.* 100. *D. eod.* remancipationis huiusmodi disertis verbis meminit Festus *voce remancipatam p.* 403. *Remancipatam Gallus Aelius esse ait, quae mancipata sit ab eo, cui in manum conuenerat.* Ita sane Catonem Vticensem vxorem Marciam, praesentem despondisse Hortensio, refert Plutarch. *in Catone. p.* 771. *Tom. I.* Et Tiberium Neronem Liuiam vxorem etiam praegnantem Augusto cessisse, ex Tacit. *Ann. V.* 1. et Dionis *Lib. XXXXVIII. p.* 383. nouimus. Id quod remancipationis ritu factum esse, non dubitauerim. Conuenisse enim Liuiam in manum, ex verbis Dionis, colligas: ἐξέδωκε δὲ αὐτὴν αὐτὸς ὁ ἀνὴρ, ὥσπερ τις πατήρ. *Elocauit illam ipse maritus, tanquam filiam.* Vsu denique quaesita vxor, si vellet a viro divertere, vsurpatione rescindebat matrimonium, si, nondum circumacto anno, a viro trinoctium abfuisset. Gell. *Noct. Att.* III. 2. Macrob. *Saturn. I.* 3.

§. XXXXVIII.

Source : BIU Cujas

§. XXXXVIII.

At postea inualuit, vt, paucioribus adhibitis caerimoniis, quae *legitimae obseruationis* vocabulo veniunt in *l. 35. D. de don. int. vir. et vxor.* dissoluerentur matrimonia, quas summatim recensebimus. Primo confringebantur tabulae dotales, vt patet ex Tacito *Ann.* XI. 30. et Scholiasta Iuuenalis *ad Sat.* VIII. *v.* 75. Deinde adimebantur claues. Quemadmodum enim nouae nuptae, ingressae domum mariti, claues in signum communicati cum ea dominii tradebantur: Barn. Brisson. *de ritu nupt. pag.* 232. ita, clauibus ademtis, dirimebantur connubia. Cic. *Philipp.* II. 28. Petr. Victor. *Var. Lect.* II. 2. Tum porro dicebantur sollemnia verba. His enim omnino opus fuisse, vel inde patet, quod Cicero *de Orat.* I. 40. ait: *Certis quibusdam VERBIS, non nouis nuptiis, fieri cum superiore diuortium.* Verba vero illa haec erant: RES TVAS TIBI HABETO. Vel TVAS RES TIBI AGITO, *l.* 2. §. 1. *D. de diuort.* Barn. Briss. *de Form.* VIII. *p.* 722. eaque pronunciare solebat libertus. *l.* 9. *D. de diuort.* Iuuenal. *Sat. VI. v.* 145. Ritus seniore aeuo vsitati.

Collige sarcinulas, dicet LIBERTVS, *et* EXI:
Iam grauis es nobis, et saepe emungeris, EXI
Ocyus, et propera, sicco venit altera naso.

Solebant ergo nuncium mittere coniugi, eaque speciatim dicebatur renunciatio matrimonii. Immo et libellus dabatur, cui eadem procul dubio verba inscripta. Quo libello iam oblato, locus quidem erat poenitentiae, si coniux repudiatus consentiret: *l.* 7. *D. de diuort.* non si huic placeret conditio. Tunc enim dissolutum censebatur matrimonium, libello etiam nondum tradito. *l.* 6. *C. de repud.* Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. L.* 9. *p.* 132. Denique Augustus, (qui et alias diuortiis modum imposuit, teste Sueton. *Octau.* XXXIIII.) lege Iulia de adulteriis cauit, vt diuortium fieret, adhibitis praeter libertum septem testibus, ciuibus Romanis, puberibus: alias pro irrito haberetur. *l.* 9. *D. de diuort.* Barn. Brisson. *ad Leg. Iul. de adult.* XXVIII. *p.* 123.

§. XXXXVIIII.

Sed haec omnia ad *diuortium* inter coniuges pertinent. Latius patebat REPVDIVM, quod etiam sponsus sponsae, vel haec illi dare solebat. Paullus *l.* 191. *D. de Verb. signif. Inter diuortium et repudium hoc interest, quod repudiari etiam futurum matrimonium potest: non recte autem sponsa diuortisse dicitur.* Et Modestinus *l.* 101. §. 1. *D. eod. Diuortium inter virum et vxorem fieri dicitur; repu-* Quid repudium?

Source : BIU Cujas

dium vero sponsae remitti videtur: quod et in vxoris personam non absurde cadit. In repudio sponsae mittendo sollemnia erant verba: TVA CONDITIONE NON VTOR. *l.* 2. §. 2. *D. de diuort. et repud.* Tantum autem abest, vt hic caussa aliqua sontica opus esset, vt ex sponsalibus, quantumuis stipulatione firmatis, nulla oriretur ciuilis actio, sed infinita esset repudiorum licentia. *l.* 1. *C. de sponsal. l.* 2. §. 1. 2. *D. de diuort. l.* 2. *C. de repud. l.* 2. *C. de inutil. stipul.* Nec contrarium euincitur ex loco Ser. Sulpicii apud Gell. *Noct. Att.* IIII. 4. Actio enim illa ex sponsu, cuius ibi meminit Sulpicius, non ad Romanos, sed ad Latii incolas, pertinebat. Attamen et ab orbis Romani incolis certas repudii caussas obseruari voluerunt Theodosius et Valentin. *l.* 8. *C. de repud.* et Iustinianus *l.* 10. 11. *C. eod.*

§. L.

Ius patrivm, legitimi dominii, testamenti, hereditatis, vsucapionis.

Sufficiant haec de tertio iure Quiritium, id est, de iure connubiorum. Quartum fuit PATRIVM, de quo tamen vix est, quod hic addamus, quum supra *Lib. I. Tit.* VIIII. de patria potestate, ciuibus Romanis propria, accurate nos agere meminerimus, quemadmodum et de adoptione, legitimatione, emancipatione, aliisque, quae huc pertinent, vberius suis locis differuimus. Idem de quinto dicendum. Quot modis enim iure Quiritium rerum adquiratur DOMINIVM, et quaenam fuerint eius dominii effecta, statim dicemus *Lib.* II. *Tit.* I. De sexto quoque, id est, de iure TESTAMENTORVM plenius agemus *Lib.* II. *Tit. X. seq.* De septimo, seu de iure HEREDITATVM LEGITIMARVM *Lib.* III. *Tit.* I. et sequentibus. De octauo denique, id est, de VSVCAPIONE *Libro* II. *Tit.* VI. plura monebimus, nihil vt hic de illis addendum praeterea videatur. Progrediemur ergo ad ea iura ciuium Romanorum, quae ad ius publicum potius spectant, et κατ' ἐξοχὴν CIVITATIS iura adpellantur.

§. LI.

Ius censvs.

Prima ciuium Romanorum praerogatiua, quae ad ius publicum pertinet, est IVS CENSVS. Census qualis Romae fuerit, et a quonam sit institutus, diximus supra, vbi de capitis deminutione actum est. Auctor nimirum huius moris Seruius Tullius, Rex, qui primus iussit ciues omnes in sua quemque classe et centuria, dato iureiurando, apud eum, penes quem ius esset censendi populi, nomina sua, vxorum, liberorum, libertorum seruorumque suorum profiteri, praetereaque aetatem omnium, regionem quam habitarent, et fortunarum suarum aestimationem deferre. Hoc autem

ius

Source : BIU Cujas

ius censendi primum regum, deinde consulum et dictatorum, ac postremo censorum fuit. Quae omnia ideo instituta sunt, vt de ciuium, qui arma ferre possent, numero, pecuniaeque magnitudine, qua belli sumtus sustinentur, et totius reip. viribus tanto certius constaret. Vnde de Seruio Tullio Florus I. 6. *Ab hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus, vt omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac sic maxima ciuitas minimae domus diligentia contineretur.*

§. LII.

Censu etiam ius ciuitatis adquiri potuit.

Quicumque iure nomina dabant censoribus, eaque inscribenda curabant tabulis censualibus, eo ipso ius ciuitatis consequebantur, adeo vt et serui, non modo manumissi, verum etiam ciues viderentur, si nomina consentiente domino, profiterentur apud censores, ac deinde lustro interessent. Vlp. *Fragm. I.* 8. Cic. *de Orat.* I. 40. Ast adultiore iam ciuitate, non promiscue omnibus licuit in tabulas censuales irrepere. Quum enim plerique socii ac Latini nominis hoc modo ius ciuitatis furtim consequi studerent, nominibusque tabulis censualibus inscriptis, deinde Romam commigrarent: conquesti sunt anno V. C. DLXIIII. M. Aemilio et C. Flaminio Coss. legati sociorum Latini nominis, *magnam multitudinem ciuium suorum Romam commigrasse, et ibi censos esse.* Quo intellecto Senatus Q. Terentio Culleoni, Praetori, negotium dabat, *vt eos conquireret, et quem C. Claudio et M. Liuio Censoribus, postue eos Censores, ipsum parentemue eius apud se censum esse, probassent, vt redire eo cogeret, vbi censi essent.* Liu. XXXVIIII. 3. Quamuis ergo tunc ea conquisitione duodecim millia Latinorum domos redire cogerentur: paullo post tamen A. V. C. DLXXVI. iterum auditae sunt legationes sociorum et Latini nominis, conquerentium, *ciues suos Romae censos plerosque eo demigrare. Quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, vt deserta oppida, deserti agri, nullum militem dare possent.* Re vero expensa paullo accuratius, prodiit edictum, *qui socii ac nominis Latini ipsi maioresque ipsorum, M. Claudio, T. Quinctio censoribus, posteaque, apud socios ac nominis Latini censi essent, vt omnes in suam quisque ciuitatem, ante Kal. Nou. redirent.* Liu. XXXXI. 12. 13. *sequ.* Id ius aliquamdiu viguit, siquidem et L. Postumium Consulem anno V. C. DLXXX. pro concione legimus edixisse, *vt, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudii Cos. redire in ciuitates suas debuissent, ne quis eorum Romae, sed omnes in ciuitatibus suis, censerentur.* Liu. XXXXII. 10. Quum ne sic quidem fraudes

Source : BIU Cujas

istae impedirentur: in eamdem sententiam anno IↃCLVIII. a L. Licinio Crasso et Q. Mucio Scaeuola coss. lata est lex *Licinia* et *Mucia*, vt socii et Latini nominis in suae quisque ciuitatis ius redigerentur. (*r*) Verum ea lege ita alienati sunt animi principum Italicorum populorum, vt ea vel maxime caussa fuerit conflati paullo post belli Italici. Cicero *pro Corn. Balbo XXI. de offic.* III. 11. *pro C. Corn. Fragm. p.* 330. Ascon. Paedian. *ad eamd. orat. pag.* 1309.

(*r*) Exstitit etiam in eamdem rem lex quaedam Papia, cuius disertis verbis meminit Cicero *pro Balbo XXIII.* Valer. Max. III. 4. 5. Vnde fallitur Steph. Vin. Pighius, in *Obseruat. ad* Valer. Max. *l. c.* qui hanc legem plane explodendam putat. Nec minus errat Car. Sigon. *de antiquo iure Ital. III.* 1. qui eamdem confundit cum lege Papia *de peregrinis*, de qua infra agemus. Hac enim lege non omnes peregrini eiiciebantur, sed socii et Latini nominis, qui Romam commigrauerant, domum redire iubebantur, ceu exemplis a Valerio Maximo et Cicerone adlatis patet. Quum vero lex Claudia prima fuisse videatur, qua ea de re actum est, eaque lata sit anno IↃLXXVI, post legem vero Liciniam Muciam, latam anno IↃCLVIII. statim bellum Marsicum exarserit, quo compositio dataque Latinis ciuitate, lege huiusmodi non amplius opus fuit, latam esse oportet hanc legem inter annum IↃLXXVI. et annum IↃCLVIII. Quumque porro ex hac lege damnatus sit M. Perpennae Cons. pater, idque factum sit breui post mortem filii, quae in annum IↃCXXIIII. incidit: facile patet, non multum ante hunc annum legem hanc Papiam conditam esse. Vid. *Comment. nost. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. I. Cap. I. p.* 12. [Tom. VIII. huiusce Edit.]

§. LIII.

Census Romae, professio in prouinciis.

Quum vero census fierent Romae, oportebat ciues, qui nomina fortunasque profiteri cuperent, eo commigrare. Hinc P. Scipio in oratione, quam censor ad populum habuit, inter alia, quae contra maiorum instituta fierent, etiam hoc reprehendit, *quod absentes iubeantur censeri, vt ad censum nemini necesse sit venire.* Gell. *Noct. Attic. V.* 19. In prouinciis non census habebatur, sed fiebat *professio censualis. l. vlt. C. sine censu vel reliqu.* Qua de re vetus fragmentum iureconsulti, quod ex codice Rumpfiano edidit Salmas. *de mod. vsur.* XVIIII. p. 878. Ἀλλ' ἐν τῇ πόλει Ρωμαίων μόνῃ ἀποτίμησιν ἄγεσθαι διεῤῥήθησαν, ἐν δὲ ταῖς ἐπαρχίαις μᾶλλον ἀπογραφαῖς χρῶνται. Quae ita redduntur in fragmento Latino, quod edidit Pithoeus: *Sed in ciuitate tantum Romana censum agi declaratum est: in prouinciis autem magis professionibus vtuntur.* Ex quibus simul patet, qualis fuerit illa ἀπογραφή, cuius meminit Lucas II. 1. Agebantur hae ἀπογραφαὶ initio per Equites Romanos, ceu ex Grut. *Inscr. p.* CCCLV.

Source : BIU Cujas

CCCLV. 6. colligit Reines. *Inscr. p.* 271. Talis est LEG. AVG. CENSIBVS. ACCIPIENDIS. PER. HISPANIAM. CITERIOREM. apud Reines. *Inscr.* II. 26. nec non DISPENSATOR. AD. CENSVS. PROV. LVGDVNENSIS. apud eumd. *Class.* VIIII. 99. Ab aliis auctoribus vocantur *censitores*, veluti a Lactant. *de Mort. persequ. Cap.* XXIII. quibus additos legimus ministros, susceptores, dictos *Ducenarios*, horumque *adiutores*, itemque *scribas*, *chalcologos*, *accensos*, *compulsores*, de quibus apud Grut. *Inscr. p.* CCCCXXXIIII. 3. et p. CCCCIII. 5. Reines. *Comm. ad Inscr. pag.* 271. Postremis temporibus censitorum munus personale, nec admodum honorificum fuisse, discimus ex *l.* 1. §. 2. *l.* 17. §. 9. 16. *D. de mun. et honor.* Permultum ergo inter censum vrbanum et prouincialem intererat. Quamuis enim etiam provinciales illae professiones nonnumquam census nomine veniant, vt vel ex Digestorum et codicis titulis *de censibus* et *censitoribus*, nec non ex Lactant. *de mort. persequutor. Cap.* XXIII. intelligimus: vel maxime tamen eo differebant, quod Romae tantum censerentur ciues, vt reipublicae vires ciuiumque facultates paterent, ac deinde veteri ritu lustrum accederet. In prouinciis vero census novum onus, et noua tributa in solum et capita adferebat. Amm. Marcellin. *Hist.* XVIIII. 11. Post Antonini tamen Caracallae constitutionem supra explicatam parum inter censum professionemque prouincialem videtur interfuisse. Lustralis enim census iam a Vespasiani temporibus ab vsu recesserat: (*s*) teste Censorino *de die Nat. Cap.* XVIII. Ast non ideo etiam census Romae, et in prouinciis obsoleuit, qualem etiam Vlpiani tempore, licet sine lustro, conditum, ex multis iuris nostri locis discimus.

(*s*) Lustralem tamen censum Romae egit Decius Imp. vt auctor est Trebell. Pollio *Valerian.* I. et II. Sed vltimum, ac longo repetitum interuallo fuisse illud exemplum, notat illic Is. Casaubonus.

§. LIIII.

Quum vero olim censui Romae accedere consueuerit *lustrum*: id quoque, quale fuerit, ex antiquitatibus Romanis videtur explicandum. Peracto scilicet censu, populus iubebatur armatus adesse in campo Martio, vbi lustrabatur, sue, oue et tauro, quae animalia ter circum exercitum agebantur ab iis, quibus essent fausta nomina, Cic. *de Diuin. I.* 45. ac dein immolabantur Marti. Liu. I. 44. Varro *de re Rust.* II. 1. Dionys. Halicarn. *Ant. Rom.* IIII. p. 225. Vnde et sollemne istud sacrificium dictum SVOVETAVRILIA, a sue, oue et tauro, vel, vt alii malunt, SOLITAVRILIA; Sed prio- Quid lustrum?

Source : BIU Cujas

rem vocis formam confirmat apud Gruter. *Inscript.* p. CXXI. 1. HVIVS OPER. PERFECTI. CAVSSA. LVSTRVM. MISSVM. SVOVETAVRILIB. MAIORIBVS. Huius lustri quam maxime habebant rationem iureconsulti, quum plerisque non a censu, sed a lustro potius, iura nouorum ciuium Romanorum initium capere viderentur. Cicer. *de Orat. I.* 40. Hinc vetus fragmentum iureconsulti apud Pithoeum : *Magna tamen dissensio inter prudentes, vtrum eo tempore vires accipiant omnia, in quo lustrum conditur? Existimant enim censum descendere ad diem lustri, non lustrum decurrere ad diem census. Propterea quaesitum est, quia omnia censu aguntur, lustro confirmantur.* Adde Cuiac. *Observ.* III. 22.

§. LV.

Poena incensorum.

Quemadmodum vero census proprium ius erat ciuium Romanorum : ita et grauiter animaduertebatur in eos, qui illum subterfugissent, quippe quos, publicatis bonis, verberatos veniisse, tradunt Dionys. Hal. IIII. p. 221. Cic. *pro A. Caecin.* XXIIII. Vlpian. *Fragm.* XI. 11. Qua in re fictionem quamdam interceſſiſſe, supra diximus, ad titulum *de capitis deminutione.*

§. LVI.

Ius militiae antiquum.

Alterum ius ciuitatis Romanae erat IVS MILITIAE. Quum enim Romana militia lecta partim legionibus, partim auxiliis constaret : in legiones nemo iure adlegebatur, nisi ciuis Romanus. Immo ne ciues quidem omnes idonei videbantur legionarii : sed oportebat hos esse ingenuos, et in quinque classibus censos. Vnde excludebantur libertini, capite censi, histriones, ex qua hominum colluvie, non nisi cogente necessitate, et in re trepida, legebantur milites, vt satis accurate docent Iust. Lipsius *de Milit. Rom. I.* 2. *p.* 14. Carol. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I.* 15. *p.* 172. *sequ.* ubi etiam rationem habendi delectum ex Polybio egregie explicant. Alii erant socii, qui olim ex Italis et sociis Latini nominis, et postea quam hi ius ciuitatis impetrarant, e prouincialibus et exercitibus regum, sociorum populi Romani arcessebantur. Si qui ex aliis gentibus adsciscerentur, ii leuioris armaturae milites dicebantur. Vid. Sauil. *de Milit. Rom. p.* 334. *sequ.* Ciues sacramento militari adstricti, (cuius formula est apud Gell. XVI. 4. vbi addendus Lipsius *de Milit. Rom. I.* 6. *p.* 45. *sequ.*) tamdiu militabant, donec vel missionem siue HONESTAM, siue CAVSSARIAM impetrarent, vel IGNOMINIAE caussa ab exercitu abesse iuberentur. Ista missio dabatur iis, qui vel legitima confecerant stipendia, vel maiores erant quin-

Source : BIU Cujas

quinquaginta annis. Illa ob morbum adfectamque valetudinem: haec ob crimina admissa dabatur: de quibus omnibus Sigon. *l. c. pag.* 18. ipsique ICti ad *tit. D. de re militari.*

§. LVII.

Quid in his mutatum sub Imperatoribus.

Enimuero haec omnia mutata sunt, ex quo rempublicam inuaserant principes. Iam Augustus non ciuibus modo, verum etiam Latinis et Italis, necessitatem militiae remiserat, inuenta militia mercenaria, Herodian. *Hist.* II. 11. et ideo plerasque legiones conscripserat e prouincialibus; praetorianas, et quae ad vrbis adhibebantur custodiam, ex Italis. Schel. *Not. ad* Hygin. *de castramet. pag.* 13. Idque eo magis inualuit post datam ab Antonino Caracalla orbi Romano ciuitatem. Ex eo enim tempore, quae antea legiones ex Romanis tantum ciuibus, vel vrbanis, vel Italiam prouinciasue habitantibus, constabant, eae ex prouincialibus plerumque deligebantur: quae auxilia vero e sociis olim seu prouincialibus arcessebantur, ea e nationibus barbaris, quae vel pretio, vel sponte, in eam se militiam dabant, conscribebantur. Ez. Spanh. *Orb. Rom.* II. 21. p. 349. Immo adeo a veteri instituto desciuerant Romani principes, vt postremis temporibus integras legiones e barbaris conscriberent. Talis est *legio Ziannorum* apud Ammian. Marcell. XXVI. 1. *legio Gruthungorum* apud Claudian. *in Eutrop.* IIII. 58. Immo talis magna pars exercitus Theodosiani, de cuius conditione et laxa disciplina queritur Zosim. *Hist.* IIII. 30. *et* 31. Quo magis mirandum, prostituta barbaris militia, libertinae tamen conditionis homines tam seuere ab omni, etiam palatina militia excluisse Valentinianum III. Imp. *l. 3. C. Theod. de libert.*

§. LVIII.

Ius tributorum.

Sequitur tertium, quod ad ciuitatem Romanam pertinuit, IVS TRIBVTORVM et VECTIGALIVM. *Tributum* erat pecunia, populo imperata, quae tributim a singulis exigebatur. Quae vero pecunia alio quocumque nomine pendenda erat, *vectigal* solebat adpellari. Varro *de Lingu. Lat.* IIII. 16. p. 29. Sam. Petit. *Var. Lect.* II. 1. Tributorum tria genera erant, vnum, quod *in capita*, alterum quod *ex censu* conferebatur, tertium quod imperatum extra ordinem, adeoque *temerarium* dictum. Tributum *in capita*, (quod postea etiam *tributum capitis*, *capitulare*, vt et *pecunia pro capitibus*, dici coepit, teste Lindenbrogio *ad* Ammian. Marcell. *p.* 50.) sub primis Romanorum Regibus in vsu fuit, adeo vt quum regi opus esset pecunia, aequo pauperes ac diuites onere premerentur. Dionys.

Source : BIU Cujas

nyſ. Halic. IIII. p. 223. Inuento autem cenſu, tributum illud capitis deſiit, ciuesque coeperunt tributa conferre pro ſuo quisque cenſu, qua de re Liuius I. 43. *Quadrifariam enim vrbe diuiſa, regionibus collibusque, quae habitantur partes, tribus eas adpellauit, vt ego arbitror, a tributo, nam eius quoque aequaliter ex cenſu conferendi ab eodem inita ratio eſt.* Tarquinius Superbus veterem tributa exigendi rationem reſtituit; auxitque in tantum, vt pro ſuo quisque capite decem penderet denarios. Dionyſ. Halic. IIII. *p.* 245. Eiurato regno, Valerius Poplicola Seruii inſtitutum reuocaſſe, eumque in finem Quaeſtores creaſſe, videtur. Immo pauperes, aliquamdiu tributorum onere ſunt exſoluti, donec decreuit Senatus anno V. C. CCCXXXVIIII. vt plebi, quae eo vſque ſuis ſumtibus militauerat, ſtipendium quotannis ex aerario ſolueretur. Hoc enim facto coacti ſunt omnes, tributum ex cenſu quotannis in ſtipendium militare conferre. Liu. IIII. 59. 60. Hinc magna ſubinde certamina inter patres et plebem de conferendis tributis, quae ſaepe a Tribunis impedita, ſaepe a Senatu remiſſa, nec raro ob neceſſitatem reipublicae aucta ſunt, vt refert Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I.* 16. *p.* 197. *ſequ.* Quin indicta ſaepe tributa temeraria, propter periculi magnitudinem, veluti poſt vrbem a Gallis captam, item bello Punico ſecundo, Valerio Leuino et M. Claudio Marcello coſſ. quando ipſae matronae aurum et ornamenta ſua conferre non dubitabant. Feſt. *voce tributum p.* 468. Liu. XXVI. 36. Poſtremo annua tributa plane remiſſa ſunt A. V. C. IↃLXXXVI. poſtquam L. Paullus e praeda Macedonica incredibilem vim auri intulerat in aerarium. Cic. *de Offic. II.* 22. Plin. *Hiſt. Nat. XXX.* 3. idque ad conſulatum vſque Hirtii et Panſae manſiſſe, tradit Plutarchus *Vit. Paull. p.* 275. *Tom.* I. Poſt ea tempora tributi collati frequentiſſima fit mentio, et ſub Imperatoribus eo res rediit, vt multa inuenirentur noua tributa locupletando aerario, et non ſolum prouinciis a populo *ſtipendia*, a principe *tributa* imponerentur, Theoph. §. 40. *Inſt. de rer. diuiſ.* Cuiac. *Obſ.* VII. 3. verum etiam durior ſubinde hac in re fieret conditio ciuium Romanorum.

§. LVIIII.

Ius vectigalium, qualia erant portoria.

Diuerſa a tributis erant VECTIGALIA, Cuiac. *Obſ.* VII. 4. quae vel *portorii*, vel *decumarum* et *ſcripturae*, vel *ſalis* vel *viceſimae* nomine exigebantur. *Portoria* pecuniae erant, quae portitoribus pendebantur, id eſt, iis, qui mercedes pro mercibus in portum vel per pontem deuehendis exigebant. Hirt. *Bell. Alex.* XIII. *l.* 60. §. 8. *D. locat. conduct.* Iul. Caeſ. *Bell. Gall.* III. *princ.* Sed illa, portoria lege

Source : BIU Cujas

lege lata, ciuibus in vrbe ac per Italiam remisit Q. Metellus Nepos, Dio Cass. XXXVII. *p.* 53. Postea tamen peregrinarum mercium portoria denuo instituit Iul. Caesar, teste Sueton. *Iul.* XXXXIII. Eaque diutissime exacta sunt sub Imperatoribus sequentibus, quippe quae primum penitus remisisse legimus Heluium Pertinacem, Herodian. *Hist.* II. 4. quamuis illa restituta esse a successoribus, ex *l.* 21. *pr. D. de don. int. vir. et vx.* intelligamus.

§. LX.

Decumae exigebantur a ciuibus Romanis, vel Latini nominis sociis, qui in Italia, aut extra illam publicos agros arabant. Id enim fiebat ea lege, vt frumenti decimas penderent. Sin vero quis siluis vel pascuis publicis hoc modo frueretur; pecunia, quae inde ad rempublicam redibat, *Scriptura* adpellari consueuit. Solebant scilicet Romani agros, hostibus bello ademtos, si culti essent, ciuibus; sin inculti, Italicis hominibus per censores locare, ea lege, vt decimam frumenti, quintam reliquarum frugum praestarent; e pascuis vero certum penderent stipendium. Postea quum diuites pleraque ad se rapuissent: A. V. C. CCCLXXVII. a C. Licinio Stolone lata est lex, *ne quis plus quam quingenta iugera agri, centum pecoris maioris capita, quingenta minoris possideret.* Liu. VI. 35. VII. 16. Aurel. Victor. *de vir. illustr. XX.* Sed quam parum ea lex valuerit, vel inde patet, quod non multo post ipse ille Licinius Stolo a M. Popillio Laenate ex sua lege X. millibus aeris est damnatus, quod M. iugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi feciſſet. Liu. VII. 16. Hinc eamdem legem postea A. V. C. Ɔcxx. retulit Tiber. Sempronius Gracchus Trib. pl. cuius tamen sanctionem mox eluſit Senatusconsultum, quo agri vendi iussi sunt: vnde denuo diuitibus cesserunt solis. Quare denique Sp. Thorius, Trib. pl. lege lata sanxit, ne agri amplius dividerentur, sed possessores in iis relicti, vectigalia pro iis penderent, eaque pecunia plebi distribueretur. Cuius legis fragmenta ex antiqua tabula aenea edidit Car. Sigon. *de antiquo iure Ital.* II. 2. *p.* 638. Denique alius tribunus totum illud vectigal noua lege sustulit. Appian. *de Bello ciu.* I. *p.* 366. Quumque solus supereſſet ager Campanus, eum quoque diuisit Iul. Caesar Consul. Suet. *Iul. XX.* Vnde ex eo tempore conquestus est Cicero, *Epist. ad Att.* II. 16. *Portoriis Italiae sublatis, agro Campano diuiso, vectigal nullum superesse domesticum, praeter vicesimam.* Decumae et scriptura.

Source : BIU Cujas

§. LXI.

Annonae salariae. Tertium vectigalis genus ex sale redibat. Instituerant enim Romani post exactos statim Reges, vt sal non a priuatis venderetur, sed minoris e publico acciperetur. Liu. II. 9. Bello autem Punico secundo, vectigal nouum a censoribus Claudio Nerone et Liuio Salinatore, maxime tamen ab hoc, institutum ex salaria annona, (*t*) vt testatur Liu. XXVIIII. 37. Sal enim hi censores sextante Romae, pluris in conciliabulis, et alibi alio pretio praebendum locauerunt, eoque nouo vectigali locupletarunt aerarium. Sed et hoc vectigal demum ab vsu recessit, vt patet ex verbis Ciceronis paullo ante relatis, quamuis, quo tempore id factum, haud adeo liquidum sit. Sigon. *de antiquo iure Ciu. Rom. I. 16. p. 207.*

(*t*) Et inde alteri Censori Salinatoris cognomen haesit. Errat ergo Bulinger. *de Vectigal. P. R. XV.* qui Salinatorem non introduxisse, sed restituisse hoc vectigal existimat. Vid. V. C. Burmann. *de Vectigal. P. R. VI. p. 116.*

§. LXII.

Vicesimae. Diutius Romae in vsu fuit quartum genus vectigalis, quod *vicesima* dictum. Eius origo referenda in annum V. C. CCCLXXXXVIII. quo *Cn. Manlius legem nouo exemplo ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum, qui manumittuntur, tulit. Patres, quia ea lege haud paruum vectigal inopi aerario esset, auctores fuerunt.* Liu. *VII.* 16. Quoties ergo seruus manumittebatur, vel herus, vel libertus pendebat vicesimam. Arrian. *Diss. Epictet. II.* 1. Ὅταν ἐν στρέψῃ ὁπὸ στρατηγῷ τὸν αὐτῷ δοῦλον ὑδὲν ἐποίησεν. ἐποίησε, τί; ἔστρεψε τὸν αὐτῷ δοῦλον ἐπὶ στρατηγῷ, ἄλλο ὑδέν; ναί. καὶ εἰκοστὴν αὐτῷ δοῦναι ὀφείλει. *Quando quis seruum suum apud Praetorem vertit, num ista vertigine nihil egit? Enimuero egit aliquid. Quid autem? Seruum suum vertit apud Praetorem. Numquid praeterea? Immo et vicesima soluenda erit.* Similis est locus apud eumdem Arrian. *Diss. Epictet. Lib. II. Cap. I. Lib. III. Cap. XXVI.* Tardius tamen ab Augusto id etiam ad seruos venales prolatum videtur, pro quibus vicesima quinta (*u*) pendenda erat ab emtore, si Tacito *Annal.* XIII. 31. fidem habemus. Aurum vicesimarium in sanctiore aerario (*x*) ad vltimos reip. casus seruari consueuit. Liu. XXVII. 10.

(*u*) Tacit. *Ann. XIII.* 31. huius vicesimae quintae meminit: Sed ex Dionis *Hist. LV. p. 569.* constat, Augustum, auctorem huius vectigalis non quintam et vicesimam, sed quinquagesimam τὸ τέλος τῆς πεντηκοστῆς a seruis venalibus exegisse. Alterutrum ergo erraſſe dixeris, nisi forte aliquis ex Augusti successoribus hoc vectigal auxerit.

(*x*) Huic vectigali colligendo praefectus

Source : BIU Cujas

fectus aliquis fuit, qui adpellabatur *Vicesimarius*, vel ἐικοσᾶλης: si sequamur emendationem in verbis fragmenti Traguriani Petronii, quam repraesentat V. C. Burmann. *de Vectig. P. R. X. p.* 192.

§. LXIII.

Oppressa per Principes republica, multa noua inuenta sunt vectigalia, quibus locupletaretur aerarium. Vnde de Augusto Sueton. XXXXVIIII. *Aerarium militare cum vectigatibus nouis instituit.* Talis erat centesima rerum venalium, quam A. V. C. IↃCCLVIIII. instituerat Augustus, teste Dione Cass. LV. p. 569. Quamuis enim ibi tantum quinquagesimae mancipiorum venalium meminerit Dio; fieri tamen potuit, vt reliquarum rerum venalium centesimam instituerit. Eius enim mentionem facit Tacitus, additque, hanc centesimam Tiberium primum firmasse, Tacit. *Ann. I.* 78. postea, vt populo aliquid daret, ducentesimam induxisse. Id. *Annal. II.* 42. denique quum iterum in vsum reuocasset centesimam, eamdem Italis remisisse Caium Caligulam. Dio Cass. LVIIII. p. 647. Ex quo loco patet, in Suetonii *Cal. XVI.* auctore Casaubono, rescribendum esse: *Centesimam auctionum Italiae remisit*, quum vulgo ibi legatur *ducentesimam*. Ceterum non aliud hoc erat vectigal, quam centesimus rerum in auctione venalium numus, qui inferebatur aerario militari, vt recte docet Lipsius ad Tacit. *Annal. II. p.* 104. *sequ.* Saepissime tamen illius vectigalis quantitas videtur vel aucta, vel imminuta. Nam et quinquagesimae fit mentio. Immo Theodosius et Valentin. Augusti constituerunt, vt nundinis quibusque ex qualibet negotiatione mercium fisco in singulos solidos venditor dimidiam siliquam, et similiter emtor dimidiam inferret. Idque est vectigal SILIQVATICVM, de quo Cassiod. *Var. IIII.* 19. *Id rebus omnibus nundinandis prouidam definiuisse antiquitatem*, ait. Ipsam constitutionem Theodosianam quum iam pridem in lucem protraxerit Cuiac. *Obs. XVI.* 22. mirandum sane est, virum doctissimum, Guid. Pancirol. *Thesaur. Var. Lect. III.* 31. p. 494. existimare, siliquaticum in fructibus constitisse, e. g. siliquis, similibusque, eosque fructus loco numorum fuisse praestandos. Siliqua hic est vicesima quarta pars solidi aurei, seu eiusdem semiuncia, Gronou. *de Pec. Vet. Lib. IIII. Cap. XVIII.* adeoque satis grande hoc vectigal fuisse animaduertimus. Est et vectigal QVADRAGESIMAE, siue litium, siue portorii loco soluendum, cuius meminere Quinctilian. *Declam. XXXV.* Symmach. *Epist. V.* 62. 65. immo et Suet. *Vespas. Cap.* 1. Ei praefectum legimus QVINCTIONEM, AVG. LIB. TABVLARIVM XXXX. GALLIAR. apud Reines. *Inscr. Class. VIIII.* 36. Paullo

Noua vectigalia ab Imperatoribus inuenta.

Source : BIU Cujas

obscurius est vectigal *ansariae*, vt in *l.* 1. *C. Hermog. de iure fisci* vocatur, vel *ansarii* et *fouencularii*, vel *foriculiarii*, quorum meminit elegans marmor Romanum apud Grut. *Inscr. p.* CLXXXXVIIII. 6.

IMP. CAESAR. M. AVRELIVS. ANTONINVS. AVG.
GERMANICVS. SARMAT. ET. IMP. CAESAR. L. AVRELIVS.
COMMODVS. AVG. GERMANICVS. SARMATIC.
HOS. LIMITES. CONSTITVTI. IVSSERVNT.
PROPTER. CONTROVERSIAS. QVAE. INTER. MERCATORES. ET.
MANCIPES. ORTAE. ERANT. VTI. FINEM. DEMONSTRARENT.
VECTIGALI. FORICVLARI. ET. ANSARII.
PROMERCALIVM. SECVNDVM. VETEREM. LEGEM. SEMEL.
DVMTAXAT. EXIGVNT.

Differit de his vectigalibus Iac. Cuiac. *Obs. XIIII.* 3. sed ita, vt lectores non multo reddat certiores, itemque V. C. Petrus Burmannus *de vectig. pop. Rom. Cap. V. p.* 73. *sequ. edit. nou.* Mirum est vectigal pro *vmbra platani* exactum, de quo Plin. *Hist. Nat. XII.* 1. multoque mirabilius τὸ ἀερικὸν, quod pro caeli aërisque vsu pendebatur, de quo quaedam haud protrita habet idem laudatus Cuiac. *Obs. X.* 7. Buleng. *de vectigal. pop. Rom. Cap. XVII.* et Burmann. *Cap. XII.* p. 209. *ed. nou.* Denique etiam nouis illis vectigalibus vel maxime accensenda vicesima hereditatum, de qua iam ante §. *XVIIII.* aliquid notauimus.

§. LXIIII.

Ius suffragiorum.

Pergimus ad ius SVFFRAGIORVM, quod et ipsum ad iura ciuium Romanorum pertinuit. Comitia Romulus instituerat, ciuibusque libera permiserat suffragia, quoties vel lex ferenda, vel creandus magistratus, vel bellum denique decernendum videretur. Dionys. Halic. II. p. 87. Quum vero initio curiatim suffragia ferrentur in comitiis curiatis: postea centuriata comitia inuenit Ser. Tullius, quibus id consequutus est, vt, ditiorum praeualerent suffragia, quum in comitiis curiatis turba egenorum ciuium optimates et ditiores facile numero suffragiorum obrueret. Dionys. Hal. *IIII. p.* 224. *sequ.* Et ex eo tempore fere dicis tantum et auspiciorum caussa rogationes curiatim perlatae, et denique ipsa illa comitia adrumbrata sunt per XXX. lictores. Cic. *de leg. agrar. II.* 12. Qua de re tamen haud leuis fuit virorum doctissimorum altercatio, Nicolai scilicet Grucchii et C. Sigonii, quorum scripta eristica repetita editione vulgauit vir de his litteris immortaliter meritus, Io. Georg. Graeuius

Source : BIU Cujas

vius *Tom.* I. *Theſ. Ant. Rom.* (*y*) Denique etiam tributa inuenta ſunt comitia, quibus populus per tribus, quarum demum XXXV. erant, ferebat ſuffragia, eaque coeperunt A. V. C. CCLXIII. A. Sempronio, M. Minucio Coſſ. Quemadmodum vero centuriata comitia non niſi a maioribus, ita tributa a minoribus aeque ac maioribus magiſtratibus haberi poterant. In his ſuffragium ferebant omnes, qui erant tribubus adſcripti, praeter impuberes, aerarios, et ſexagenarios, quos depontanos ideo dictos, alibi obſeruauimus. Aliquando vnus idemque ciuis in duplici tribu ferebat ſuffragia, ſi ſe dediſſet alteri in adoptionem. Tunc enim et patris naturalis tribum retinebat, et tribui patris adoptiui adſcribebatur. Hinc Auguſtus in lapide Brixienſi apud Grut. p. CCXXVI. vocatur C. IVLIVS, C. F. FAB. SCAPT. CAESAR. AVGVSTVS, quia tribui Fabiae et Scaptiae erat adſcriptus. Suet. *Aug. Cap. XXXX.* et ibi Torrent. De his comitiis plura Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I.* 17. *p.* 212.

(*y*) Quaeſtio inter hos viros doctiſſimos fuit de lege curiata. Nic. Grucchius exiſtimat, patricios magiſtratus olim binis comitiis eſſe creatos, centuriatis et curiatis: plebeios itidem binis, tributis et curiatis: denique, quum obſoleuiſſent curiata comitia, magiſtratus omnes binis comitiis creatos, centuriatis et tributis. Negat id Car. Sigonius, magiſtratus tantum vnius generis comitiis creatos exiſtimans, Conſules nimirum centuriatis, alios magiſtratus patricios curiatis, ita tamen, vt deinde iterum de iiſdem magiſtratibus iudicatum ſit, populuſque priora comitia reprehendere potuerit. Ergo de conſulibus bis putat comitiis, ſed non aliis quam centuriatis, iudicatum, de aliis quoque bis, ſed non niſi curiatis. Ab eruditorum vero ſenatu iam pridem ſecundum Grucchium fuit iudicatum, vti obſeruat V. C. Io. Graeuius *praefat. T.* 1. *Antiq. Rom.* [In hunc locum conſuli meretur docti cuiuſdam Iuriſconſulti Neapolitani Annotatio quae extat in ultima *Ciceronis* Editione *Geneuenſi* Tom. VI. quae prodiit An. 1745.]

§. LXV.

Sed illud ſuffragiorum ius primus imminuit Iul. Caeſar, dictator perpetuus, comitia cum populo ita partitus, vt, exceptis conſulatus competitoribus, de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur, pro altera parte, quos ipſe dediſſet. Sueton. *Iul. Cap.* XXXXI. Auguſtus equidem populo reſtituit ſuffragia, reducto priſtino comitiorum iure, et multiplici poena coercito ambitu: Sueton. *Aug. Cap.* XXXX. aſt ſub Tiberio denuo ademptum fuit populo ius ſuffragiorum, et ad ſolum Principem ac Senatum traductum, ſeu, vt ea de re Tacitus *Ann.* I. 15. *tunc primum e campo comitia ad patres tranſlata.* Dio Caſſ. Illud ſub Imperator. mutatum.

Source : BIU Cujas

Hist. LVIII. p. 633. sequ. Reddita quidem esse populo a Caio illa suffragiorum iura, tradit idem Dio *Hist.* LVIIII. p. 648. sed Suetonius *Calig. Cap.* XVI. tantum *tentasse eum*, ait, *comitiorum more revocato, suffragia populo reddere.* Certe nec sub eius successoribus in ferendis legibus aliisque rebus maioribus populi suffragia valuisse, iamdudum obseruarunt viri docti (z), Iustus Lipsius *Excurs. ad Tacit. Annal. I.* 15. Ez. Spanh. *Orb. Rom. II.* 20. *p.* 336. Vnde et leges illas de ambitu suo aeuo obsoleuisse fatetur Modestinus *l.* 1. *D. ad Leg. Iul. de ambitu: quia ad curam principis magistratuum creatio pertineat, non ad populi fauorem.*

(z) Retenta quidem aliquamdiu sunt comitia; sed dicis causa, et tamquam priscae libertatis simulacra. Solebant enim magistratus, a Principe vel Senatu designati, in campum Martium prodire cum necessariis, ibique coram populo, more veteri congregato a praecone pronunciari. Qua de re Dio Cass. LVIII. *p.* 634. qui, vbi de perpetuo Tiberii in creandis consulibus modo egisset, statim addit: καὶ μετὰ ταῦτα ἐς τὸν δῆμον, καὶ ἐς τὸ πλῆθος, αὐτοὶ καὶ οἱ προσήκοντες ἑκατέρῳ, τῆς ἀρχαίας ὄντως εἰκόνος, καταπίπτει καὶ νῦν, ὥστε ἐν εἰκόνι δοκεῖν γίγνεσθαι, ἐπιόντες ἀπεδείκνυντο. *Deinde ad populum et plebem hi suis quique cum necessariis dicis causa, sicuti nunc etiam, vt imago quaedam prisci ritus exhiberi videretur, prodeuntes renunciabantur.* Et hinc intelligitur, quaenam sint illa *comitia consularia*, quorum sub Imperatoribus etiam fit mentio apud Sueton. *Vitell. XI. Vesp. V. Domitian. X.* Add. Ezech. Spanh. *Orb. Rom. II.* 20. *p.* 338.

§. LXVI.

Ius honorum et quidem sacerdotiorum.

Quintum ius ciuium Romanorum fuit ius HONORVM, siue magistratuum, siue sacerdotiorum, quippe quos nemo nisi ciuis Romanus gerere poterat. Si quis enim, ciuitatis expers, honores ad se rapuisset: re comperta, honorum gradum cum toto ciuitatis iure amittebat, vt docet exemplum M. Perpennae, apud Valer. Max. III. 4. 5. (a) Honores partim in sacerdotiis, partim in magistratibus, erant positi. Vtrique ex instituto Romuli proprii erant patriciorum, quia voluerat Romulus ἱεράσθαι τὰς εὐπατρίδας καὶ ἄρχειν, *vt et sacra curarent, et magistratus gererent patricii.* Dionys. Hal. II. *p.* 87. Electis regibus, post multas lites, cum sacerdotia, tum magistratus, sensim coeperunt cum plebe communica-

(a) Non tamen acta eiusmodi magistratus, iure haud facti, rescindebantur, vt patet exemplo Barbarii Philippi Praetoris *l.* 3. *D. de offic. Praetor.* De quo memorabili exemplo exstat singularis viri eximii, Iac. Gothofredi Dissertatio, quam *de Electione Magistratus inhabilis* inscripsit.

Source : BIU Cujas

nicari. Et sacerdotia quidem patriciis eripuit Lex Ogulnia, de qua fusius Liu. X. 6. Manserunt tamen patricii in possessione aliquot sacerdotiorum, quae nunquam a plebeiis sunt gesta, velvti Regis sacrorum, Flaminum maiorum, Saliorum Palatinorum, Potitorum, Pinariorum, Lupercorum, Curionum, non autem Virginum Vestalium, vti sibi persuasit Paull. Merula *de Leg. Rom. II.* 11. Virgines enim Vestae etiam ex gentibus Manilia, Terentia, Coelia, plebeiis captas esse, ex marmoribus apud Grut. *Inscript. p.* cccx. 2. 5. cccxii. 3. patet. Quin Dio Cass. *Lib. LIIII. p.* 563. refert, demum in Vestae atrium admissas, καὶ ἐξ ἀπελευθέρων γεγενημένας, *ex libertinis parentibus natas.* Id quod lege quadam Papia inuectum esse, ex Gellii *Noct. Att. I.* 12. docuimus in *Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. I. Cap. I. p.* 2. *sequ.* Reliqui etiam sacerdotes partim e patriciis, partim e plebeiis creati sunt. Cic. *pro domo XIIII.* Et primis quidem temporibus rex sacrificulus centuriatis, flamines curiatis creati reliqui sacerdotes a collegis cooptati. Liu. XXXX. 42. Postea C. Licinius Crassus Trib. pl. legem tulit, qua cooptatio collegiorum ad populi beneficium translatum, quam tamen dissuasit Laelius. Cic. *Lael. XXV.* Post hunc etiam Cn. Domitius Ahenobarbus Trib. pl. anno IↃↃL. ius subrogandorum sacerdotum a collegiis ad populum transtulit, ita quidem, vt qui a tribubus esset electus, is a collegio cooptaretur, vti docent Sueton. *Neron. II.* Cicero *Agrar. II.* 7. Collegiis arbitrium cooptandi denuo restituit L. Sulla: Ascon. Paedian. *in Cic. Divin. Verr. p.* 1759. ast anno IↃↃLXXXVIIII. legem Domitiam reduxit T. Atius Labienus: Dio XXXVII. *p.* 46. eamdem abrogauit M. Antonius teste Dione Cassio XXXXIIII. *p.* 269. ac tertia vice restituit Pansa, vt patet ex Cic. *Epist. ad Brut. V.* Adde Manut. *de Legibus II.*

§. LXVII.

Idem paene de magistratibus obseruandum. Omnes initio pe- Et magi-
nes patricios erant ex instituto Romuli. Dionys. Hal. II. *p.* 83. stratuum.
Ejectis regibus, idem aliquamdiu placuit. At paullo post Tribunos ac Aediles plebis plebs extorsit, qui non poterant per legem sacratam, nisi e plebe, creari. Liu. IIII. 25. Deinde et Consulum alter plebeius creari coepit, primusque e plebe consul factus est L. Sextius, anno CCCLXXXVIII. Liu. VI. *extr.* Immo aliquando vterque consulum plebeius fuit, quod quando primum contigerit, patet ex Liu. XXVII. 31. Quumque in reliquos magistratus patri-

Source : BIU Cujas

tricios, puta praeturam et Aedilitatem curulem, concederet patribus: paullo post hi quoque communes patriciis et plebeiis esse coeperunt, primusque e plebe praetor creatus est P. Publilius Philo Liu. VIII. 15. Aediles autem, verecundia imposita senatui, statim sequente anno, alternis vicibus ex plebe creari, et postea id promiscuum esse coepit. Liu. VII. 1. Postremo omnes omnino magistratus cum plebeiis sunt communicati, veluti Dictatura, Liu. VII. 17. Censura, Liu. VII. 22. Quaestura, Liu. IIII. 43. et 54. adeoque omnes honores patuere plebeiis, praeterquam dignitas Interregis, quam tamquam propriam possessionem semper retinuerunt patricii. Cicero *pro domo XIIII.*

§. LXVIII.

Quomodo sacerdotes adlecti sub Imperatoribus?

Sub Imperatoribus alia plane coepit esse rerum facies. Nam quod ad sacerdotia attinet, ius ea conferendi ad se rapiebant Principes, siquidem Senatus, teste Dione Cassio *Hist. LI. p.* 457. inter alia Augusto id quoque concesserat, vt sacerdotes, quotcumque vellet, neglecto etiam numero antiquitus recepto, constitueret. Videtur tamen Augustus, vti erat ciuilissimus, aliquando rem ad Senatum retulisse. Vnde Drusus Germanicus in vetere numo dicitur SACERD. COOPT. IN OMNI COL. SVPRA NVMER. S. C. Eodem modo et aliae dignitates saepe vel ex SCo, vel solis Principum codicillis datae sunt. Testis est *vetus Inscriptio* apud Gruter. *p.* CCC.

LATERANO. ET. RVFINO. COS.
SVPER. NVMERVM.
COOPTATVS. EX. S. C. M. AVRELIVS. ANTONINVS.
CAES. DESTINATVS.

Vti ergo hic consul SCo, sic et sacerdotes facti sunt codicillis, vnde et codicillares dicti, de quibus Lamprid. *Alex. Seu. XXXXVIIII.* Add. *l.* 43. *C. Theod. de decurion. l.* 12. *C. de dignit.*

§. LXVIIII.

Quomodo creati magistratus?

Ad magistratus denique quod attinet, eos quoque suo arbitrio creabant Principes, eaque dignitate non solum Romanos, sed et exteros, ornabant; qualis procul dubio fuit Herodes, Atticus, bis Consul, de quo copiosius agit Ez. Spanh. *Orb. Rom. II.* 20. *p.* 341. Talis etiam Soaemus, Rex Armeniae, qui a Vologaeso pulsus Romam confugerat, mutatoque nomine dictus M. Aurelius Soaemus, Consulque ordinarius fuit anno V. C. DCCCCXV. cum

Source : BIU Cujas

cum L. Papirio Aeliano. Phot. *Biblioth. Cod.* LXXXXIIII. Reines. *Comm. ad Inscr. p.* 219. Mitto Dionem Cassium, Polemonem, aliosque consules peregrinos. In primis vero post constitutionem illam Antonini Caracallae adeo promiscue ad summos honores euecti sunt Romani, Itali, et exteri, vt ne barbaris quidem ac peregrinis, qui orbem Romanum iam ab aliquo tempore compleuerant, via ad honores intercluſa videretur. Vnde vti Roma βαρβάρων οἰκητήριον, *barbarorum domicilium* dicitur Zosimo IIII. 59. ita non mirum est, ibi consulares fasces aliasque dignitates demum et cum barbaris et peregrinis esse communicatas. Nazar. in *Panegyr. Constant. Aug.* dicto: *Sensisti Roma tandem te arcem omnium gentium et terrarum esse reginam, quum ex omnibus prouinciis optimates viros curiae tuae pignoraueris, vt Senatus dignitas non nomine, quam re, esset illustrior, quum ex totius orbis flore constaret.* Aristides *de Roma p.* 372. Ξένος δ' οὐδεὶς, ὅστις ἀρχῆς ἢ πίστεως ἄξιος ἀνὴρ. *Peregrinus habetur nemo, qui vir sit dignus magistratu aut fide.* Denique Rutilius Numatian. Itiner. I. v. 13.

Relligiosa patet peregrinae curia laudi,
Nec putat externos, quos decet esse suos.
Ordinis imperia collegarumque fruuntur:
Et partem Genii, quem venerantur, habent.

Vid. Spanhem. *Orb. Rom. II.* 20. *p.* 344. *sequ.*

§. LXX.

Vltimum esto IVS SACRORVM, quod et ipsum iuribus ciuitatis Romanae adnumerandum est. Sacra Romanorum omnia aut *publica* erant, aut *priuata*. Publica, censente Festo *voce publica pag.* 385. erant ea, *quae publico sumtu pro populo fiebant*: priuata, *quae pro singulis hominibus et familiis.* Tam necessarium enim videbatur, sacra publica, sumptibus publicis peragi, vt, Theodosio Magno negante, se impensas in sacrificia Romanorum superstitiosissima facturum, responderet Senatus, μὴ κατὰ θεσμὸν πράττεται τὰ τελούμενα, μὴ δημοσίᾳ τῆ δαπανήματος ὄντος, *non rite fieri sacrificia, nisi publico fierent sumtu.* Zosim. *Hist. IIII.* 59. Publicum totius vrbis focum Vestales sanctissime obseruabant: publicos curiarum focos triginta cum suis curialibus curiones, pagorum ipsi singulorum pagorum sacerdotes. Priuatim suos quisque Lares familiares domi colebat. Quin et sacerdotes familias aluisse, qui sacris istis priuatis praeessent, satis adparet ex marmore apud Reines. *Inscr. Class. V.* 53. in quo memoratur

Ius sacrorum, tum publicorum,

Source : BIU Cujas

L. POLITICENVS. L. F. PHILIPPICVS. SACERDOS. SERG. FAM. Dii neque noui neque exteri adſciſci poterant a Romanis, niſi publica auctoritate, quemadmodum Aeſculapium ex Epidauro, Cybelen e Phrygia publico decreto accitos, et quaſi ciuitate donatos eſſe conſtat. Petr. Faber *Semeſtr. III.* 1. Bynkersh. *de Relig. peregr. Diſſ. II. p.* 246. *ſequ.* Hinc ſi quis priuato arbitrio peregrina ſacra induxerat: Senatus ea publica auctoritate damnabat. Quale quid refert Liu. IIII. 30. XXV. 1. XXXVIIII. 16. Valer. Max. I. 3. Integrum SC. Marcianum, Bacchanalibus oppoſitum, edidit Raph. Fabrett. *Inſcript. cap. VI. p.* CCCCXXVII. et luculento commentario illuſtrauit laudatus Bynkersh. *ibid.* At ſub Imperatoribus omnis exterarum gentium ſuperſtitio Romam confluxit, veluti Sacra Iſidis, Abnubidis, Mithrae, Dei Elagabali, taurobolia, criobolia, aegobolia, et innumera alia, de quibus iam ab aliis actum. Ab his omnibus abhorruerant Romani tempore liberae reip. et ſacra patria adeo ſibi propria ſeruauerant, vt vel ideo municipes non viderentur optimo iure ciues eſſe, quia non iiſdem ac ii, qui Romam incolebant, Diis ſacriſque vterentur (*b*). Sigon. *de ant. iure ciu. Rom. I.* 8. *pag.* 116.

(*b*) Ea tamen ſacra municipalia ne tunc quidem deſerebant municipes, quando Romam commigrauerant. Feſtus *municipalia p.* 324. *Municipalia ſacra dicta ſunt ea, quae initio habebant ante ciuitatem Romanam acceptam, quae obſeruare eos voluerunt pontifices, et eo more facere, quo adſueuiſſent antiquitus.* Vnde de ſe et Arpino municipio ſuo loquens Cicero *de Leg. II.* 2. *Hic gens, hic ſacra, hic maiorum multa veſtigia.* Quemadmodum ergo municipes Romam commigrantes ſeruabant ſacra municipalia: ita et coloniae retinebant ſacra populi Romani, ceu erudite probat Henr. Noriſius *Cenotaph. Piſan. Diſſ. I. Cap.* 5. *p.* 72.

§. LXXI.

tum priuatorum.

Sed erant praeter haec ſacra publica quaedam gentium propria, vel, vt Liuio *V.* 52. vocantur, *gentilitia*, a quibuſlibet familiis ex vſu domeſticae celebritatis obſeruanda, vt ait Macrobius *Saturn. I.* 16. Ea adeo vnius gentis erant, vt nemo illorum eſſet particeps, niſi qui vel natura, vel pontificum auctoritate, in patrisfamilias manu ac poteſtate eſſet, quales erant vxores, quae in manum conuenerant, liberique, tum naturales, tum adoptiui. Colebantur vero domi Penates, iiſque etiam anniuerſaria ſacra ab vniuerſa gente fiebant, ne feruente quidem bello intermittenda, vt patet ex Liu. V. 52. Quale in gente Fabia erat ſacrificium ſtatum, in monte Quirinali quot-

Source : BIU Cujas

quotannis peragendum, de quo Liu. V. 46. Dionyſ. Halic. *Ant. Rom. VIIII. p.* 577. Simile gentis Claudiae ſollemne memorat Dionyſ. Hal. XI. 696. gentium Aemiliae, Iuliae, Corneliae, Macrobius *Saturn. I.* 16. gentis Seruiliae Plinius *Hiſt. Nat. XXXIIII.* 13. Atque inde intelligitur, quid ſibi velit Cicero *de Haruſp. Reſp. XXVII.* quando in poſteros transferri ait *parentum nomen, ſacra, memoriam, gentem.*

§. LXXII.

Haec ſunt illa iura Quiritium ciuiumque Romanorum, quae omnes, qui optimo iure ciues erant, conſequebantur. Illud vnum addendum videtur, fuiſſe quaedam iuriſprudentiae Romanorum publicae principia, aliis ciuitatibus incognita. Tale erat illud, I. quod vetere iure (*c*) nemo poſſet ſimul Romae, alteriuſque ciuitatis ciuis eſſe. Cicero *pro Corn. Balbo XXVIII. Duarum ciuitatum ciuis eſſe noſtro iure ciuili nemo poteſt: non eſſe huius ciuitatis ciuis, qui ſe alii ciuitati dicauit, poteſt.* Et in oratione *pro A. Caecina XXXVI. Nam quum ex noſtro iure duarum ciuitatum nemo eſſe poſſit, tum amittitur haec ciuitas denique, quum is, qui profugit, receptus eſt in exſilium, hoc eſt, aliam ciuitatem.* Hoc ſecus fuiſſe in Graecia, vbi multarum iidem homines ciuitatum eſſe potuerint, idem obſeruauit Cicero *pro Archia V.* Idque cum ex aliis exemplis patet, quae colligit Ez. Spanhem. *Orb. Rom. I. 5. p.* 25. tum maxime ex marmore illo apud Reineſ. *Inſcript. p.* IↃCVII.

Ciuitatum duarum vel plurium ciuis nemo eſſe poterat.

C. CALPVRNIVS. ASCLEPIADES.
PRVSA. AD. OLYMPVM. MEDICVS.
PARENTIBVS. ET. SIBI. ET. FRATRIB.
CIVITATES. VII. A. DIVO. TRAIANO.
IMPETRAVIT.

At Romae hoc, vt dixi, nemini licebat, ſiquidem ciuitatem is amittebat ſtatim, qui alteri ſe ciuitati adſcribi paſſus erat. Hinc de T. Pomponio Attico Cornel. Nepos *in vita eius III. Athenis autem ſic ſe gerebat, vt communis infimis, par principibus videretur. Quo factum eſt, vt huic omnes honores, quos poſſent, publice haberent, ciuemque facere ſtuderent. Quo beneficio ille vti noluit* (*d*): *quod nonnulli*

(*c*) Aliud iure nouo. Nam ſaepe quibuſdam ciuibus Romanis concedebant Imperatores, vt alterius quoque ciuitatis ius haberent. Sic Dionis Chryſoſtomi auus ab Imperatore ἅμα τῆς Ῥωμαίων πολιτείας, καὶ τῆς Ἀπαμέων ἴσχυε, *ſimul Romam et Apamenſem ciuitatem obtinuerat.* Dio Chryſoſt. *Orat. XXXXI. p.* 500.

(*d*) Hinc de ſolo domicilio Athenis

Source : BIU Cujas

nulli ita interpretantur, amitti ciuitatem Romanam, alia adſcita. Atque hinc intelligitur, qui factum ſit, vt ii, quibus aqua et igni fuerat interdictum, tum demum ciuitatem Romanam amitterent, quum in eam ciuitatem eſſent recepti, quo vertendi, id eſt, mutandi ſoli cauſſa veniſſent. Cic. *pro Domo* LXXVIII. Qua de re diximus ſupra *Lib. I. Tit. XVI. §. X.*

nis conſtituto intelligendus eſt Cicero, quoties hunc T. Pomponium *ciuem Atticum* adpellat, quod facit *Epiſt. ad Attic. I. 16. II. 1.* vbi Demoſthenem *Attici ciuem* vocat.

§. LXXIII.

Ciuitatem inuitus nemo amittebat.

Accedit et alterum iuris publici principium, II. quod ciuitatem nemo amittere poſſet, niſi ipſe eſſet auctor factus: Cic. *pro Domo* LXXVIII. de quo iure eodem loco diximus, et ex Ger. Noodt addidimus, fictionem ſemper interceſſiſſe, ſi quando vel poenae loco, vel ob aliam cauſſam (*e*), quibuſdam ius ciuitatis adimeretur. Hinc ad artes Sullae tyrannicas pertinet, quod municipiis quibuſdam ciuitatem, lege centuriatis comitiis lata, eripuit. Cic. *pro Domo* LXXVIIII. Salluſt. *Fragm. Hiſt. I.* Sed quod ſemel tentauerat Sulla, ſaepius deinde factitabant Imperatores et quotcumque principatum Romae adfectabant. Sic Antonium agros, ciuitatem, immunitates, alioſque id genus honores priuatis et regibus ademiſſe, tradit Dio Caſſ. *Hiſt. XXXXV. p.* 282. Auguſtus quoque, confectis bellis, libertatem ac ius ciuitatis aliis dedit, aliis ademit, teſte eodem Dione *Hiſt.* LIIII. *p.* 538. Et Claudius ciuitatis iure priuauit legatum, Lycium origine, quia Latine interrogatus, quod quaeſitum eſſet, haud intellexerat. Dio Caſſ. *Hiſt. LX. p.* 676.

(*e*) Tribus ex cauſſis amitti videbatur ciuitas, *exſilio*, illo ſcilicet, quo bona venibant, et aqua et igni interdicebatur, *poſtliminio*, et *reiectione ciuitatis*. Cic. *pro Balbo XXVIII. XXVIIII.* Pompon. *l.* 3. §. 3. *D. de capt. et poſtlim.*

CAP.

Source : BIU Cujas

CAP. II.

DE IVRE LATII.

§. LXXIIII.

Sufficere haec dicta arbitramur de iuribus ciuium Romanorum. Proximum est, vt de IVRE LATII differamus, quod proxime accessisse ad ciuitatis Romanae praerogatiuam, iam supra diximus. Idque vel inde patet, quod Dionys. Hal. VIII. p. 540. eos μετέχοντας τῆς ἰσοπολιτείας, *participes iuris, quod ciuitatem quasi aequat*, eleganter adpellat. Multa vero Latinorum fuere nomina. Dicti enim sunt *socii* (*f*), *socii Latini*, *socii nominis Latini*, *socii nomenque Latinum*, *socii ab nomine Latino*, *socii ac Latium*, vti productis ex Liuio, Sallustio, Valerio Maximo, testimoniis ostendit Car. Sigon. *de ant. iure Ital. I. p.* 473. Varia Latinorum nomina.

(*f*) Saepe tamen confunduntur nomina, vt et Italici iuris homines sociorum et Latinorum, et Latini Italicorum nomine veniant. Quod itidem recte monuit Car. Sigon. *l. c. p.* 474. Id quum non attenderent recentiores quidam scriptores, ceteroquin eruditissimi: mirum in modum totam hanc differentiam Latinorum ac Italorum peruerterunt. Exemplo esse potest Harduin. *Not. et Emendat. ad Plin. p.* 389. *Tom. I.*

§. LXXV.

Latini ergo vel socii Latini nominis, temporibus antiquissimis erant *Latii incolae*, *populi Romani foederati*, *Iure Latii donati*, vt eos definit Sigon. *de iure Ital. I. 2. p.* 476. *Latii incolae* dicuntur, vt a reliquis Italis, *populi Rom. foederati*, vt a Latii incolis, qui tamen Latii iure haud fruebantur, seeernerentur. Qui et quales fuerint?

§. LXXVI.

LATIVM olim duplex erat, VETVS et NOVVM. Vetus a Tiberi ad Circeios, nouum a Circeiis ad Lirim et Sinuessam vsque productum est. Paullo latius vtriusque Latii terminos profert Seruius ad Virg. *Aeneid. I. v.* 6. *Latium duplex est, vnum a Tiberi ad Fundos, aliud inde vsque ad Vulturnum fluuium.* Sed errorem huius Grammatici iam alii ostenderunt. Latium ergo vetus Tiberi, Aniene, Vfente, fluuiis, marique Tyrrheno concludebatur, illudque insederant *Albani*, *Rutuli*, *et Aequi*. Nouum, quod ab Vfen- Foedera cum populis Latii antiquissima.

Source : BIU Cujas

te fluuio ad Lirim protenditur, Oſcis, Auſonibus, Volſcis, praebuit ſedes. Plin. *Hiſt. Nat. III.* 5. Strabo *Geog. V. p.* 231. Ex his primi foedus cum Romanis Albani iam ipſius Romuli tempore fecerant, quo cautum fuerat, vt ne bellum inter ſe gererent ſociae ciuitates, alioquin, quae bellum intuliſſet prior, alterius iudicium ac mulctam ſubiret, Dionyſ. Hal. III. *p.* 138. Addit Strabo *Geogr. IIII. p.* 165. tam arctam fuiſſe inter hos populos neceſſitudinem, vt, quum proprium vterque regem haberet, connubia tamen, et ſacra, et cetera iura ciuilia, communia haberent. Victis poſtea a Tullo Hoſtilio Albanis, ex foedere impetratum eſt, vt iuuentutem in armis haberent, vtendam a Rege Romanorum, quum res poſtularet. Liu. I. 26. Diruta paullo poſt Alba, legatos Romani miſerunt ad triginta vrbes, quae in Albanorum fuerant ditione, poſtularuntque, vt et ipſi dicto eſſent audientes. Abnuentibus his, nouum exarſit bellum, quo in quintum annum populationibus magis, quam iuſtis praeliis, extracto, pax demum facta, foeduſque renouatum eſt. Dionyſ. Hal. III. *p.* 175. Rege hoc morte intercepto, plerique Latini ſoluta eſſe Regis obitu foedera dicebant. Vnde maiore conatu domiti a Tarquinio Priſco, eas pacis conditiones acceperunt, vt agros ſuos ac leges haberent, ac ſocii populi Romani dicerentur illi quidem, ſed ad regis tamen Romani mandata armati praeſto eſſent. Dionyſ. Hal. III. p. 191. firmauit id foedus Tarquinius Superbus, Liu. I. 52. qui, vt tanto ſanctiore vinculo ſibi conglutinaret hos ſocios, primus ferias Latinas, Romanis cum Latii populis communes, inſtituit. Dionyſ. Hal. IIII. p. 250.

§. LXXVII.

Ea deinde ſaepius repetita.

Exactis regibus nouum ſtatim bellum coortum eſt cum Latinis, qui a Romanis denuo deſciuerant. Cum his tamen, ab A. Poſtumio Dictatore victis ad lacum Regillum, denuo foedus percuſſum A. V. C. CCLX. Sp. Caſſio Vicellino et Poſtumo Cominio Auruncolo II. Coſſ. iis legibus, *vt inter Romanos Latinaſue ciuitates omnes aeterna pax eſſet, neque ipſae inter ſe bellarent, neque aliunde hoſtes inducerent, neque hoſtibus tutos tranſitus praeberent, ſed bello oppreſſis opem pro virili ferrent, ſpoliorum ac praedae partem aequalem haberent: priuatarum litium iudicia illi, quibus mandata cognitio fuerit, intra decem dies peragerent: biſque legibus nihil addi denique poſſet, niſi ſi Romanis, Latiniſque ita placuiſſet.*

Hanc

Source : BIU Cujas

Hanc enim foederis formulam (*g*) nobis seruauit Dionys. *Hal. VI. p.* 115. quocum iungendi sunt Liu. II. 22. et Cic. *pro Corn. Balbo XXI.* Et hoc est foedus illud Latinorum, quod ceteris firmius mansit. Quamuis enim subinde rebellarint Latini, veluti A. V. C. CCCLXVI, et CCCIIII. saepe tamen victi, saepe reducti ad officium, postremo illius foederis leges, quod cum Latinis omnibus Sp. Cassio et Postumo Cominio Coss. initum fuerat, recuperarunt (*h*), vt patet ex Cic. *pro Corn. Balbo, XXIII.*

(*g*) Pluribus tamen aliis capitibus illud constitisse vel ex Festo adparet, qui *voce nancitor. p.* 327. etiam haec foederis verba allegat: PEQVVNIAM QVI NANCITVR, HABETO, ET SI QVID PIGNORIS NANCISCITVR, SIBI HABETO.

(*h*) Postremo enim bello a Q. Publicio Philone Cos. ad internecionem caesi, plerisque iuribus fuerant spoliati, ex eoque tempore etiam concilium Latinorum ad lucem Ferentinae conuocari desierat, ceu ex Cincianis commentariis obseruat Fest. *voce praetor. pag.* 376.

§. LXXVIII.

His antiqui Latii populis accessere deinde Volsci et Aequi, *Latinorum*, iudice Floro *Hist. Rom. I.* 11. *peruicacissimi, et quotidiani prope Romanorum hostes.* Volscis, si Dionys. Hal. III. p. 181. credimus, Ancus; sin Liuio I. 53. Tarquinius Superbus primus bellum intulit, qui et Aequos adgressus est. Postea ab A. V. C. CCLVIII. variis ac paene anniuersariis praeliis attriti, demum A. V. C. CCLXXXIIII. Antium, maritimum oppidum, amiserunt, annoque insequente iis legibus impetrarunt pacem, vt legibus suis vtentes, priuatis stipendiis pro Romanis iussi militarent. Dionys. Hal. *VIII. p.* 616. Ast statim ad arma redierunt Aequi et Volsci. Vnde aliquoties fusi fugatique, quin et sub iugum aliquando missi sunt, donec A. V. C. CCCCXXXXVIIII. a P. Sempronio Sopho consule paene deleti et ad internecionem caesi sunt. Tamen et hi postremo propter cognationem in Latii iura adsciti sunt, vt patet ex Cic. *pro Balbo XIII.* quamuis, quo id tempore factum sit, nondum mihi liqueat. Foedus cum Volscis et Aequis.

§. LXXVIIII.

Idem dicendum de Hernicis, quos primus Tarquinius Superbus societate deuinxerat, Latinarumque feriarum fecerat participes, Dionys. *IIII. p.* 152. Dein A. V. C. CCLXVIII. bello petiti a Sp. Cassio, tertium Consule, quum victi pacem petiissent, eas-

dem Item cum Hernicis.

Source : BIU Cujas

dem conditiones, quas Latini, quin ciuitatem sine suffragio impetrarunt. Quo fit, vt saepe a Latinis seiungantur, neque adeo eos in Latinorum corpore fuisse, ex Liuio et Dionysio euincit Car. Sigon. *de ant. iur. Ital. I. 6. p.* 107. Postea anno CCCXCI. nouum cum Hernicis bellum exarsit: eoque finito, tertium, cuius omnes huius gentis ciuitates erant participes, praeter Alatrinates, Ferentinates et Verulanos. Liu. III. 42. Tribus illis, quia ciuitati Romani αὐτονομίαν praeferebant, suae leges redditae, A. V. C. CCCCXXXXVII. Anagninis, et qui arma Romanis intulerant, *ciuitas sine suffragii latione data, concilia connubiaque ademta, et magistratibus, praeterquam sacrorum curatione, interdictum.* Liu. VIIII. 43. Sed Hernicos istos αὐτονόμους postremo iura Latii habuisse, vel inde patet, quod Ferentinates Latinis adiungit Liuius XXXIIII. 41.

§. LXXX.

Cum incolis Latii noui.

Latium nouum quando dici coeperit, quandoque Oscis et Ausonibus ius Latii datum sit, non magis certum est. Sigonius existimat, his populis, ad internecionem deletis, Liu. VIIII. 25. in hanc regionem Latinorum gentem esse immissam, atque inde Latium nouum adpellatum: id quod ipse inter Tarentinum Punicumque bellum factum coniicit. Sed quemadmodum id nullo testimonio comprobari potest: ita certissimum est, nouum hoc Latium iura Latii veteris esse consequutum, siquidem Appianus *de Bello ciuil. I. p.* 374. Latinos, quos ab Italis seiungit, ad Lirim vsque in populi Romani fide mansisse scribit.

§. LXXXI.

Latini demum ciuitate donati.

Et hae sunt illae gentes, quibus ius Latii antiquissimis temporibus datum est. Hoc iure contenti fuerunt vsque ad bellum illud sociale vel Marsicum, quo confecto A. V. C. IↃCLXIII. lege Iulia, et proxime insequente lege Plotia omnes socii ac Latini nominis, immo et Itali ciuitate Romana donati sunt, ceu supra §. VIIII. obseruauimus.

§. LXXXII.

Ius Latii deinde aliis populis et ciuitatibus datum.

At quamuis Latini in ciuitatis Romanae iura transiissent, non ipsum tamen ideo exspirabat ius Latii, quippe quod ab eo tempore cum multis ciuitatibus, tum et coloniis, extra Italiam, concessum legimus. Sic Nemausensibus ius Latii datum esse, patet ex Strabone IIII. *p.* 157. Nouocomensibus idem ius dederat vel Iul. Cae-

Source : BIU Cujas

Caesar, vt tradit Appian. *Bell. ciuil. II. p.* 443. vel Pompeius Strabo, vt mauult Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap. II. pag.* 62. Is enim Pompeius omnibus Gallis Transpadanis ius Latii concesserat, teste Ascon. Paedian. *in Cicer. aduers. Pison. p.* 2062. Eodem exemplo Nero nationes Alpium maritimarum, vniuersam Hispaniam Vespasianus, multas alias ciuitates Hadrianus in ius Latii transtulerunt. Tacit. *Annal. XV.* 31. Plin. *Hist. Nat. III.* 3. Spartian. *Hadr. XXI.* De coloniis Latinis paullo post erit dicendi locus.

§. LXXXIII.

Latini Iuniani libertinae conditionis.

Nouum Latinorum genus repertum sub Tiberio, lata lege Iunia Norbana, qua cautum, vt modis minus sollemnibus manumissi non iura ciuitatis Romanae, sed Latii tantum, consequerentur. Vnde hi libertini dicti LATINI IVNIANI, vt distinguerentur a *Latinis colonariis* (*i*) quibus ceteroquin, quod ad ius ciuile attinet, adsimilabantur. *l. vn. C. de Lat. libert. toll. Fragm. Iurecons. vet. Pithoeanum* apud Cl. Schulting. *Iurisp. vet. anteiust. p.* 805. Sed quemadmodum Latinos colonarios vna cum ingenuis omnibus ciuitate Romana donauerat Antoninus Caracalla, celeberrima illa ac saepe a nobis citata constitutione: ita Iunianam etiam libertinorum Latinitatem sustulit Iustinianus *d. l. vn. C. de Lat. libert. toll.*

(*i*) Perspicue itaque fallitur V. C. Claudius Salmasius, dum Latinas colonias e libertinis constitisse, existimat. *de modo vsur. XVIIII. p.* 878. *sequ.* Alii profecto erant Latini *libertini vel Iuniani*, alii Latini *colonarii*, quippe ingenui, et honorum in suis coloniis capaces. Vid. Ezech. Spanh. *Orb. Rom. I.* 8. *p.* 47.

§. LXXXIIII.

Latini fuere ciuibus deteriores.

Iam vt ad iura Latii perueniamus: ea, licet proxime ad ciuitatem Romanam accederent, non eadem tamen fuerunt ac iura ciuium Romanorum. Quod adeo verum est, vt Boethius *in Top. Cic. II.* scribat, eos mediam pati capitis deminutionem, qui ciues Romani in Latinas colonias mitti se paterentur. Operae itaque pretium fuerit, quid inter ciues Romanos Latinosque, quod tam ad ius priuatum, quam ad publicum attinet, interfuerit, paullo adcuratius disquirere.

§. LXXXV.

Vidimus supra, qualis fuerit ciuium Romanorum LIBERTAS. Non gaudebant li-

Latini et ipsi quidem gaudebant libertate, sed iuris gentium, non

Source : BIU Cujas

bertate iuris Quiritium.

illa iuris Quiritium, quam supra descripsimus. Saltim quod Lex Porcia sanxerat de ciuium libertate a verberibus, non aeque valuit in Latinis. Quum enim Nouocomenses, iure Latii donati a Q. Pompeio Strabone, paullo post a Caesare ciuitatis iura essent consequuti: M. Marcellus Consul Nouocomensem quemdam, in Caesaris contumeliam, virgis caedi iussit, tamquam peregrinum, vt scribit Appianus *de Bello ciu. II. pag.* 443. et quidem Latinum. Ad Latinitatem enim quod attinet, status controuersiam Nouocomensibus mouere haud potuisset Marcellus, quippe quam dudum ante Caesarem fuerant a Pompeio Strabone consequuti. Ascon. Paedian. *in Pisonian. p.* 2062. Simile quid obseruat Diodor. Sic. *in Excerpt. Peirescian. p.* 273. vbi de Clodio: τὰς μὲν πολιτικὰς τοῖς πατρίοις ἔθεσιν ἐκόλαζεν ἀπαραιτήτως, τὰς δὲ συμμάχους ῥαβδίοις ἐμαστίγα. *In Romanos quidem more maiorum animaduertit citra spem veniae: socios autem virgis cecidit.* Et Sallust. *de Bell. Iugurt. Cap. LXVIIII.* referens, Turpillium, praefectum, Vaccae oppido impositum, a Metello *verberatum, capitis poenam soluisse*, ne cui id mirum videatur, statim subiungit: *Nam is ciuis ex Latio erat.* Ex quo sane patet, non aeque ad Latinos, ac ad ciues, pertinuisse libertatem illam, quae ex lege Porcia descendebat. (*k*)

(*k*) Erroris me hic arguit V. C. Christ. Gottl. Schwarzius in erudita *de iure Italiae* Dissertatione *p.* 16. existimans etiam Latinis et Italis hanc libertatem competiisse, idque probat ex Gell. *Noct. Att. X.* 3. vbi Gracchum in oratione quadam conquestum ait, *M. Marium et quosdam ex municipiis Italicis honestos viros virgis per iniuriam caesos a magistratibus populi Rom.* Sed Gellius manifesto loquitur de municipiis Italiae, adeoque de vrbibus, non Latini iuris, sed ciuitatem Romanam consequutis, qualia post legem Iuliam erant omnes, ante legem Iuliam quamplurimae.

§. LXXXVI.

Nec iure connubii cum ciuibus.

Ad CONNVBII ius quod attinet, illud Latini populi ne inter se quidem promiscue habebant ex foedere antiquo, nedum cum ciuibus Romanis. Prius discimus ex Liu. VIII. 14. VIIII. 43. ex quibus locis patet, nemini Latinorum et Hernicorum licuisse extra fines regionis suae vxores ducere: posterius vel inde colligimus, quod ne iis quidem, qui sine suffragii iure ciuitate fuerant donati, cum ciuibus Romanis ius esset connubii. Campani sane, qui pridem ciuitatem sine suffragii latione fuerant consequuti, postea demum impetrauerunt, *vt sibi ciues Romanas ducere vxores liceret, et, si qui prius duxissent, vt habere eas, et ante eam diem nati vt iusti sibi liberi*

Source : BIU Cujas

liberi heredesque essent. Liu. XXXVIII. 36. Quanto minus ergo Latinis hoc ius connubiorum fuisse, credas? Et certe clarissime Vlpianus: *Fragm. V.* 4. *Connubium habent ciues Romani cum ciuibus Romanis: cum* LATINIS *autem et peregrinis ita, si concessum sit.* Sic et ipsum ius sponsaliorum nuptiarumque aliud fuisse Latinis, aliud ciuibus Romanis, adparet ex Gell. *Noct. Att. IIII.* 4. vbi ex Cn. Sulpicio docet, sponsum Latinum agere potuisse ex sponsu in id, quantum intererat, eam vxorem non datam: quum contra ciuibus Romanis, vt supra diximus, infinita esset repudiorum licentia. *l.* 1. *C. de sponsal.*

§. LXXXVII.

Quale fuerit apud Latinos ius PATRIAE POTESTATIS, in tanto veterum silentio non constat. Id saltim certum videtur, *nullos fuisse homines*, (adeoque nec Latinos,) *qui talem habuerint in liberos potestatem, qualem Romani habebant.* §. 2. *Inst. de patr. pot.* Nec omittendum videtur, paullo plus in Latio potestatis fuisse matri, quam Romae. Id enim non obscure patet ex controuersia Ardeensi apud Liu. IIII. 9. Latini Iuniani habebant ius MANCIPATIONIS, Vlp. *Fragm. XVIIII.* 4. adeoque etiam colonarii Latini, quibus aequati illi erant lege Iunia Norbana. *Vetus Fragm. Iurec. apud Pith. n. VIII.* An vero etiam veteres Latini eodem iure vsi sint, nondum constat. Porro TESTAMENTVM non faciebant Latini: saltim iure Romano Vlp. *XX.* 14. (nam alioquin et extra Romam Italos iam inde ab antiquissimis temporibus testamenta condidisse, satis constat Liu. I. 3. l. 34.) Iidem Latini nec ex ciuis Romani testamento quidquam capiebant, nisi intra dies cretionis ciuitatis Romanae iura impetrassent. Vlpian. *XXII.* 3. Haec sunt, quae veteres nos docent: plura, quum muta hic sint antiqua monimenta, addere non licebit.

An habuerint ius patrium, legitimi dominii, testamenti factionis.

§. LXXXVIII.

Suis ergo, ceu ex his patet, legibus vtebantur Latini, nec iuris Quiritium fiebant participes. (*l*) Licebat tamen iis, si vellent, leges Romanorum in suas ciuitates recipere, vel, vt veteres lo-

Suis vtebantur legibus, nisi fundi facti.

(*l*) Quaeri solet an omnes quibus ius suffragii datum, legibus suis spoliati, et, vt *populi fundi* fierent, coacti sint? Adfirmat Sigon. *de antiquo iure Ital. II.* 7. Sed quid dicemus de Puteolis, quod *municipium quum illustre* fuerit, teste Cicerone *pro Coel. XI.* suo tamen iure libertateque vti dicitur eidem *Agrar. II.* 32. Conf. Schwartz. *de iure Ital.* §. *V. p.* 14. *seq.*

Source : BIU Cujas

quuntur, poterant populi FVNDI fieri. Qua de re Cicero *pro Balbo VIII. Sed totum hoc, iudices, in ea fuit positum semper ratione atque sententia, vt, quum iussisset populus Romanus aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini, et si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tamquam in fundo resedisset, vt tum lege eadem populus is teneretur, non* VT DE NOSTRO IVRE ALIQVID MINVERETVR, *sed vt illi populi aut iure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo et beneficio vterentur. Tulit apud maiores nostros legem C. Furius de testamentis, tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus: innumerabiles aliae leges de iure ciuili sunt latae, quas Latini voluerunt, adsciuerunt.* Quicumque ergo populi leges Romanas adsciscebant, et iis subscribebant, illisque in ciuitatibus suis vtebantur, ii FVNDI dici solebant, non a statu quodam, vel conditione, quemadmodum dici solent populi *foederati*, vel *liberi*, sed a facto, quod scilicet legibus populi Rom. subscripsissent. *Fundus* enim *auctor* est, vel *subscriptor*. Gell. *Noct. Att. XVIIII.* 8. *Haec ego dixi non vt huius sententiae legisque* FVNDVS *subscriptorque fierem.* Festus: FVNDVS *dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc est auctor.* Plaut. *in Trinum. V.* 1. *v.* 6.

> *Nunc mihi is propere conueniendus est, vt quae cum eius filio*
> *Egi, ei rei,* FVNDVS *pater sit potior.*

Add. Turneb. *Aduerf. IIII.* 12. Hotoman. *Obf. II.* 5. Participes itaque iuris Romanorum priuati fiebant isti populi, quod leges Romanas adsciuissent, et vt apud se valerent, auctores facti fuissent. Nec tamen eo ipso iura Quiritium consequebantur: (nihil enim de iure Romanorum, voluntaria ista legum Romanorum receptione, poterat minui,) sed inter se tantum iis legibus, quibus Romani ciues vtebantur. Verbi caussa, Latini tunc inter se poterant testari secundum leges Romanas, id enim licebat populis fundis. Sed non ideo quidquam ex testamento ciuis Romani capiebant. Id enim pertinebat ad ius Quiritium. Multo minus haec legum Romanarum receptio ad ius publicum pertinebat. Vnde Cicero *ibidem: De nostra vero rep., de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute, fundos populos fieri noluerunt.* Quae si obseruaueris, facile carebis spinosis illis Sigonii, Nic. Rigaltii, Ism. Bulialdi, Henr. Valesii, aliorumque disputationibus *de populis fundis* (*m*), quippe quibus res, in se clarissima, obscurari fere magis, quam

(*m*) Trigam illam dissertationum *de populis fundis* quae primum Diuione coniunctim prodiit, CIↃIↃCLVI. iterum edidit I. Ge. Graeuius V. C. *Thes. Ant. Rom. T. II. p.* 1925.

Source : BIU Cujas

quam illustrari videtur. Pleniora bonae frugis sunt, quae ad illam pro Balbo orationem commentatus est V. C. Io. Georg. Graevius.

§. LXXXVIIII.

Quemadmodum ergo iure priuato diuerso admodum vsi sunt Quirites et Latini: ita, quod ad ius publicum attinet, paullo propius ab illorum praerogatiuis abfuerunt. Consistebant ciuitatis iura in censu, militia, tributis, suffragiis, honoribus, et sacris. Latinos Romae CENSOS esse, nusquam lego, nisi furtim aliquando in tabulas censuales irreperent, quod deinde lege Claudia, Papia, et Licinia Mutia vetitum esse, supra obseruauimus §. LII. At ex Liu. XXXXI. 13. constat, Latinos in ciuitatibus suis esse censos. Verosimile itaque est, in Latii ciuitatibus non minus ac Romae censum fuisse actum a magistratibus, tabulasque censuales deinde Romam missas. Id enim etiam in coloniis fieri solitum, nemo ignorat. Erat Latinis ius census.

§. LXXXX.

Porro et MILITIAE iure, sed paullo adstrictiore, gaudebant Latini. Primo enim ne pro se quidem tuendis arma expedire poterant, iniussu populi Romani, vt testatur Liu. III. 19. Deinde militabant quidem cum Romanis, verum non vt legionarii, sed tamquam socii, vt accurate ex Polybio docet Lipsius *de milit. Rom. I. 6. p.* 48. Vnde minus rem acu tetigit Car. Sigon. *de ant. iur. Ital. I. 4. p.* 494. qui Latinos inter auxilia ponit, quae Varro de *Lingu. Lat. IIII. 16. p.* 16. ex *alienigenis*; Festus *p.* 256. ex *sociis exterarum nationum* constitisse, ait. Tum demum ergo hi esse coeperunt socii et auxiliares, quum Latini et Itali ciuitate donati, legionariae militiae praerogatiuam consequerentur. Id porro addendum, sociis et Latini nominis semper triplicem equitum, aliquando et peditum numerum imperasse Romanos. Sic apud Liu. III. 22. duae partes sociorum in exercitu, tertia ciuium erat. Idem XXI. 17. refert, quatuor et viginti peditum Romanorum millia fuisse scripta mille et octingentos equites: sociorum quadraginta quatuor peditum, et quatuor equitum. Alia exempla sunt apud Liu. XXXVI. 12. XXXV. 2. et alibi passim. Vnde non iniuria queruntur apud Velleium Paterc. *Hist. II. 15. per omnes annos, atque omnia bella, duplici numero se militum equitumque fungi, neque in eius ciuitatis, ius recipi, quae per eos in id ipsum peruenisset fastigium, per quod homines eiusdem et gentis et sanguinis, vt externos alienosque fastidire* Vt et ius militiae inter socios.

Source : BIU Cujas

posset. Denique obseruandum, Latinos, quemadmodum legionis ius haud habebant, ita nec eodem modo, quo milites Romanos fuisse castigatos. Nam et virgis caedebantur, quas quum a Latinorum militum corpore, lege auctoritate Senatus lata, remouere tentaret, M. Liuius Drusus, Tribunus plebis: eam legem numquam obseruarunt Imperatores, qui remoto virgarum metu, in officio se continere exercitum posse negabant. C. Sigon. *de antiquo iure Ital. I. 4. pag. 496.* Exemplum Turpillii est apud Sallust. *de Bello Iugurth. LXVIIII. Iussus a Metello caussam dicere, postquam parum se purgat, condemnatus, verberatusque, capitis poenas soluit. Nam is ciuis ex Latio erat.*

§. LXXXXI.

Latini an tributarii?

De TRIBVTIS Latinorum nihil reperio, nisi quod duriora ea in re fuisse videtur Latinorum, quam ciuium, conditio. Quamvis enim eos ab exteris non magis, quam ciues suos, tributis vectigalibusque onerari Romani paterentur, atque hinc in Ambracensium foedere cauissent, *vt Ambracenses portoria, qui vellent, caperent, modo eorum ciues Rom. et Latini socii immunes essent*: Liu. XXXVIII. 44. ipsi tamen Romani a Latinis tributa et vectigalia exigebant, adeo vt eos *stipendiarios* adpellet Liuius VIII. 8. et apud Appian. *de Bell. ciu. I. p. 353.* de sociis dicatur, eos *militando et tributa conferendo grauatos esse.* Vnde non temere colligas, tolerabiliorem quidem hac in re, quam Italorum et prouincialium, duriorem tamen, quam ciuium, fuisse Latinorum conditionem.

§. LXXXXII.

An ius habuerint suffragii?

Illud vero praestantissimum erat ius quorumdam Latinorum, quod iure SVFFRAGII gauderent ex foedere, quo eos obstrinxerat Cassius. Sane Hernicos et Latinos ad ferenda suffragia fuisse euocatos, adparet ex Liuio XXV. 3. et Dionys. Halic. VIII. pag. 540. Attamen ne in eo quidem aequo cum ciuibus iure gaudebant. Nam primo non erant certae tribui adscripti, atque inde sortiri solebant, vbi ferrent suffragia. Qua de re Liuius XXV. 3. *Testibus datis, tribuni populum submouerunt, sitellaque adlata est, vt sortirentur, vbi Latini suffragium ferrent.* Deinde hoc ius suffragiorum erat veluti precarium. Quotiescumque enim liberet, edicere poterant consules, vt Latini vrbe exirent. Fecit id sane Virginius Consul, Cassii collega, apud Dionys. Halic. VIII. p. 540. Fecit et C. Fannius, qui Latinos, suffragii caussa in vrbem accitos, ex SC. excedere iussit. Cic. *Brut. Cap. XXVI.* Nec plura exempla tamen suc-

Source : BIU Cujas

succurrunt. Vnde Cicero *pro P. Sextio XIII. Nihil acerbius socii Latini ferre soliti sunt, quam id, quod perraro accidit, a consulibus iuberi ex vrbe exire.*

§. LXXXXIII.

Gaudebant etiam iure aliquo HONORVM, sed non optimo, quali ciues Romani. In eo tamen prouincialibus erant feliciores, quod non Romanis praetoribus, proconsulibusque parerent, sed suis magistratibus. Vnde de Nemauso, iure Latii donata, Strabo *Geogr. IIII. p.* 87. scribit, *Ea de caussa populus ille Romanis praetoribus non paruit.* Melior quoque in eo erat illorum conditio, quam Italorum, quod, magistratibus in patria gestis, ius ciuitatis Romanae consequerentur, qua de re supra diximus §. *VII.* Ast honores in vrbe petere haud poterant, ante ciuitatem lege Iulia datam. Hinc quum bello Punico II. Sp. Caruilius suasisset, vt ex singulis populis Latinorum binis senatoribus, si patres censuissent, ciuitas, adeoque etiam ius capessendorum magistratuum daretur: eius rei, vt alienae, mentio suppressa est. Liu. XXIII. 22. Nec felicius proceſſere Latinorum consilia, quum alterum consulem ex sua gente creandum vrgerent. Liu. VIII. 4. Vnde de magistratibus patriis, non vrbanis, intelligendus est Asconius Paedianus, quando de Gallis Transpadanis Latii iure donatis a Q. Pompeio Strabone, ait: *habuisse eos ius, quod ceterae Latinae coloniae, id est, vt* PETENDI MAGISTRATVS GRATIA, *ciuitatem Romanam adipiscerentur.* Ascon. *prooem. in Pisonian. p.* 2062. Dicere enim procul dubio voluit, *vt gesti magistratus gratia ciuitatem Romanam adipiscerentur.* Illud enim ius Latinis fuisse supra §. VII. demonstratum est. Item ius petendi honores.

§. LXXXXIIII.

Denique quod ad ius SACRORVM attinet, ciuibus Romanis et publica sacra, et propria, fuerunt. At communia quoque nonnulla erant ciuibus cum Latinis, et talia erant Sacra Dianae, quae exemplo ciuitatum Asiae, auctore Seru. Tullio, Romae in fano, communibus sumtibus exstructo, faciebant cum Romanis Latini. Liu. I. 15. Tales quoque feriae Latinae, quas instituerat Tarquinius Superbus. Singulis enim annis conueniebant quadraginta septem Latii populi in monte excelso, Albae imminente, sacra facientes Ioui Latiali, epulisque et ludis vacantes. Constitutum quoque erat, quid quisque populus praeberet: hic agnos, ille caseos, iste lactis modum, et quam portionem recipere deberet. Communis victima taurus erat, de quo cuilibet populo portio sua fuerat Et ius sacrorum.

con-

Source : BIU Cujas

constituta. Et huic sacrificio praeerant Romani. Dionys. Halic. *Antiqu. Rom. I. p.* 250. Initio quidem ex instituto Tarquinii vnico die haec sacra peragebantur: ast, pulsis regibus, additus a populo alter: accessit dein tertius post foedus cum Latinis a Sp. Cassio ictum: quartus ob plebis, quae secesserat, reditum adiectus. Accesserunt quoque sacrificia et ludi, quibus Senatus aediles praefecerat. Dionys. *Ant. Rom. IIII. p.* 415. Immo et viscerationes, de quibus in actis diurnis apud Reines. IIII. 5. PRID. KAL. APRIL. FERIAE. LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM. IN. MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO. Viscerationes autem erant distributiones carnis, panis, olei, vini, crustuli, mulsi et similium, viritim factae, de quibus Reines. *in Comm. ad Inscr. p.* 146. Tanti vero hae feriae erant Romanis, vt consules in prouincias paludati profisci non possent, nisi indictis prius hisce feriis. Liu. XXI. vlt. XXII. 1. Instaurandae quoque erant a Pontificibus, si vel vlla caerimonia neglecta, aut quidquam praeter ius factum esset. Cuius rei exempla sunt apud Liu. XXXII. 1. XXXVII. 3. XXXX. 45. XXXXI. 16. Interea, dum magistratus Romani feriis illis interessent, Praefecti feriarum Latinarum (*n*) vsque ad eorum reditum imperium in vrbe tenebant Iul. Capitolin. *Antonin. IIII.* Tacit. *Annal. VI.* 11. Ex quibus locis etiam patet, ferias istas Latinas, post ciuitatem quoque Latinis datam, immo adhuc sub Imperatoribus fuisse celebratas. Cum Lanuuinis in specie Romani communia habebant templum, sacra, lucum, *Iunonis Sospitae Lanuuinae*, Liu. VIII. 14. de qua nos plura diximus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Cap. I.* 4. *p.* 57. Praeter haec sacra cum Romanis communia singuli fere Latini populi et patria numina colebant, qualia erant *Feronia* apud Terracinos, Plin. *Hist. II.* 55. Sil. Ital. *Lib. XIII. v.* 83. *seq. Iupiter Anxur*, Iupiter *Lanuuius*, Liu. XXXII. 9. *Anguia* vel *Anguitia* Marsorum et Marruuiorum, Seru. *ad Virgil. Aen. Lib. VIII.* et alia.

(*n*) Sunt qui hos non praefectos feriarum Latinarum, sed praefectos vrbi feriarum Latinarum caussa, dictos putant, veluti Casaub. *ad Iul. Capitol. Marc. Anton. IIII.* Ampl. Bynkersh. *in praetermiss. ad L.* 2. *D. de orig. iur. p.* 54. Et id quidem verum omnino est: sed exstant tamen marmora apud Smetium p. XXXXI. 5. et p. LXVIIII. 1. Grut. p. CCCXIII. 9. et CCCLVI. 1. in quibus vocantur PRAEF. FER. LATIN.

§. LXXXXV.

Latini, si furtim

Caeterum an principia illa iuris publici, quae §. LXXII. explicauimus, apud Latinos quoque habuerint locum, merito dubites.

Sane

Source : BIU Cujas

Sane enim, quum Romani duarum ciuitatum ciues esse non possent: licebat tamen iis, relicta ciuitate Romana, in aliam se recipere, aliusque ius ciuitatis adsumere. Sic, si noluisset T. Pomponius Atticus ciuis Romanus manere, liberum ipsi omnino fuisset, ciuitatis Athenienſis iura adsciscere. Ast Latini, si furtim irrepserant in tabulas censuales Romanorum, vindicari a magistratibus suis poterant et reuocari, non secus, ac si essent glebae adscripti. Sic M. Crassus iudicio repetitus est a Mamertinis, procul dubio tum adhuc Latinae conditionis. Cicero *pro Balbo XXIII.* M. Perperna a Sabellis. Val. Max. III. 4. 5. Vid. *Comment. nostr. ad L. Iul. et Pap. Popp. I.* 1. 2. Et haec sufficiant de Latii iure. Dicendum iam porro de iure Italico.

in censum irrepsissent, repeti poterant a magistratibus.

CAP. III.

DE IVRE ITALICO.

§. LXXXXVI.

Italia Romanis dicebatur, quidquid praeter Latium inter vtrumque mare ad Rubiconem vsque fluuium procurrit. Reliquum enim terrae tractum vsque ad Alpes Galli, Ligures, Veneti, Carni, occupauerant. Ceterum Italiam inter se diuiserant populi quamplurimi, et maxime Hetrusci, Lucani, Brutii, Epizephyrii, Locri, Calabri, Messapii, Sallentini, Apuli, Hirpini, Ferentani, Picentes, Senones, Vmbri, Sabini, Marsi, Vestini, Marrucini, Peligni et Samnites, qui diuersis bellis perdomiti, foedere non vno in societatem a populo Romano accepti sunt. Bella cum tot populis gesta accurate recenset Car. Sigonius *de antiquo iure Ital. I.* 8. *sequ.* Sed quibus annis singula icta sint foedera, quibus quique conditionibus populi in societatem recepti sint, in tanto veterum silentio obscurum est. Illud certum, et a V. C. Christ. Gottl. Schwarzio *in Diss. de iure Ital.* recte obseruatum est, distinguendas esse varias iuris Italici periodos. Post prima enim illa et antiquissima foedera plures Italici populi ad Hannibalem defecerant, quorum alii vltro ad officium redierunt, alii armis recepti sunt. Hinc anno V. C. IOL. P. Sulpicius Galba Dictator Italiam peragrauit, et cognitis singularum ciuitatum caussis, aliis, et in his nominatim Brutiis, Picentinis et Lucanis durius iugum imposuit, aliis pristina iura restituit. Gell. *Noct. Att. X.* 3.

Italia quam late patuerit?

Source : BIU Cujas

Postea anno V. C. IↃCLXIIII. Itali iura ciuitatis impetrarunt legibus Iulia et Plotia. Vid. supra §. VIIII. Ex eo Sulla id ius iis haud parum imminuit, quia Itali partes aduersas sequuti fuerant. Quamuis hanc legem non adeo diu valuisse, testetur Cicero *pro Domo XXX.* Varia hinc porro Italis indulsit Augustus, *excogitato nouo genere suffragiorum, quae de magistratibus vrbicis decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent, et sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent.* Suet. *Aug. XXXVI.* Idem Imperator etiam militiae necessitatem remisit Italis. Herodian. *Hist. II.* 11. Hadrianus per omnem Italiam quatuor CONSVLARES iudices constituerat. Spartian. *Hadr. XXII.* Hinc CONSVLARES CAMPANIAE sunt ap. Grut. *p.* CCCXXXXIIII. 2. *p.* CCCCLXXI. 8. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΚΑΜΠΑΝΙΑΣ apud eumdem *p.* MLXXXX. 20. qui et PROCOS. vocatur in marmore Reines. *Class. VI.* 4. Consularem per Tusciam et Flaminiam fuisse patrem suum, narrat Rutil. Numat. *Itiner. I. v.* 575. 593. Horum in locum IVRIDICOS suffecit Marcus Antoninus. Iul. Capitolin. *Marc. XI.* Sequente tempore Italia aliquando subfuit CORRECTORIBVS et PRAEFECTO PRAETORIO: V. C. Euer. Otto *de Aedil. munic. XII.* Denique post Constantinum M. diuiso saepe imperio, Consulares Italiae iterum memorantur, ab Ammiano, Symmacho et Cassiodoro, quos aliquando et MODERATORVM, RECTORVM et PRAESVLVM nominibus venire, obseruat Thom. Reines. *Comm. ad Inscr. p.* 397. Et ab eo tempore immunitas Italis paene ademta, et tributa iis grauissima indicta sunt. Schwarz. *l. c. §. XII. p.* 36. qui etiam obseruauit, vestigia iuris Italici tantum non omnia sustuliisse Iustinianum, id quod verum esse, vel ex *l. vn. C. de vsucap. transf. l.* 1. *C. de annal. exc. Ital. et princip. Inst. quibus alienare licet vel non*, satis adparet.

§. LXXXXVII.

Ius Italicum. Non multo certius videtur, qua in re ipsum ius Italicum fuerit positum. Multa Itali cum sociis Latini nominis habuere communia. Non magis gauisi sunt iure Quiritium, quam Latini; aſt vsi tamen sunt iuribus nexus et mancipationum, annalis exceptionis, iure capiendi, aliisque quibusdam beneficiis, si recte coniecit Henr. Noris *de Epoch. Syro-Maced. IIII. p.* 428. Saltim in his omnibus eos melioris fuisse conditionis, quam Latinos, non temere crediderim. Eadem vtrisque fuit census, eadem tributorum et vectigalium ratio, nisi quod Itali paullo durius habiti viden-

Source : BIU Cujas

videntur. A Neapolitanis certe, Rheginis et Tarentinis Romani stipendium et naues ex foedere exegerunt. Immo ex Ciceronis *Verrin. III.* 11. patet, partem Italiae haud minimam vectigalem fuisse (*o*). Porro Itali non minus quam Latini militiae iure obstricti fuerunt Romanis, tantaque subinde miserunt auxilia, vt L. Aemilio Papo, C. Atilio Regulo Coss. nunciato Gallico tumultu, equitum LXXX. millia, peditumque DCCM. armasse eos, tradat Plinius *Hist. Nat. III.* 20. Denique in eo quoque par fuit Latinorum Italorumque conditio, quod vtrique non Romanis proconsulibus aut praetoribus, sed suis magistratibus (*p*) parerent. Ast in hoc inferiores fuere Latinis, quod non gauderent iure suffragii, ad quod tum demum adspirarunt, quum lege Iulia primum, ac deinde Plotia, ciuitate Romana essent donati. Qua de re supra §. *VIIII.* egimus. Porro nec ea praerogatiua gauisi sunt Itali, vt, qui vel stirpem ex se domi reliquissent, vel magistratus gessissent in patria, ciues Romani fierent. Postremo neque communia sacra habuerunt Itali, adeoque his rebus omnibus Latinis fuerunt deteriores. Car. Sigon. *de antiquo iure Ital. I.* 22. Speciatim quaedam de Italorum iuribus diximus *Lib. I. Tit. XXV. §. I. seq. Lib. II. Tit. I. §. XV. Lib. II. Tit. VI. §. II. Lib. II. Tit. VIII. §. VIIII.*

(*o*) Ast remissum postea esse Italis tributum, diximus supra §. *LVIIII.* Hinc postremis reip. temporibus ius Italicum praecipue in immunitate a censu capitis et soli constitit. Vid. *l.* 8. §. 7. *D. de cens.*

(*p*) Attamen etiam hac in re melior aliquanto fuit Latinorum conditio. Quum enim Latini numquam subessent Romanis magistratibus: Italia in grauioribus bellis extra ordinem nonnumquam Proconsulibus decreta est. Atque ita intelligendus Appianus *de Bell. Ciuil. I. p.* 374. ἦσαν γάρ, ὡς ἔοικε, τότε καὶ τῆς Ἰταλίας ἄρχοντες ἀνθύπατοι κατὰ μέρη. *Adparet enim, tunc quoque regiones Italiae distributas esse proconsulibus*: Extra ordinem scilicet, si seditionis esset periculum. Sic belli Marsici tempore Picenis cum imperio praefuit Q. Seruilius, legatumque is habuit Fonteium, ceu ex eodem discimus Appiano. *l. c.*

§. LXXXXVIII.

Quemadmodum vero, communicata cum Latinis ciuitate, non ideo statim exspirauit ius Latii: ita et ius Italicum, etiam ex eo tempore, quo Itali ciuitate donati sunt, non desiit, sed ad multas alias ciuitates prouinciales porrectum est. Sic Foroaugustanis in Hispania ius Italiae datum, scribit Plin. *Hist. Nat. III.* 3. Alias iuris Italici colonias recensent Vlpianus, Celsus, Caius, Paullus iureconsulti in *l.* 1. *l.* 6. *l.* 7. *l.* 8. *D. de censib.* de quibus nos infra

Italia ciuitate donata, multis exteris datum ius Italicum.

Source : BIU Cujas

fra agemus accuratius. Ceterum vel ideo hoc obſeruandum eſt, vt intelligamus, quid in iure noſtro ſit SOLVM ITALICVM, cuius hinc inde fit mentio, veluti *pr. Inſt. de vſucap.* et apud Vlpian. *Fragm. XVIIII.* 1. Non enim in ſola Italia id quaerendum eſt, ſed et in prouinciis omnibus, et ciuitatibus ac coloniis illis, quibus datum fuerat ius Italicum, qui agri etiam *cenſui cenſendo* dicuntur. Cic. *pro Flacco XXXII.* Cenſui enim cenſendo dicebantur agri, qui venire emique poterant iure ciuili. Feſt. *hac voce.* Iure ciuili vel Quiritium venibant tantum res mancipi. In rerum autem mancipi numero erant tantum praedia ſoli Italici. Vid. Io. Georg. Graeu. *ad Cic. ibid.* et V. C. Schulting. *Adnot. ad Vlpian. p.* 619.

CAP. IIII.

DE IVRE PROVINCIARVM.

§. LXXXXVIIII.

Quid prouincia?

Duriſſimae in orbe Romano conditionis erant prouinciae, quo nomine adpellatas conſtat omnes illas regiones quas vel armis deuictas, vel alio modo redactas in poteſtatem, magiſtratibus ſuis adminiſtrandas ſubiiciebant Romani. Feſtus *voce prouinciae. p.* 384. Prouinciae *adpellabantur, quod populus Romanus eas provicit, id eſt, ante vicit.* Iſidor. *Orig. XIIII.* 5. Prouinciae *ex cauſſa vocabulum acceperunt. Principatus namque gentium, quae ad alios Reges pertinebant, quum in ius ſuum Romani vincendo redigerent, procul poſitas regiones prouincias adpellarunt.*

§. C.

Quomodo regio redactain prouinciae formam?

Leges, quas a victore populo eiuſmodi regiones accipiebant, PROVINCIAE FORMA vel FORMVLA dicebantur. Cuius rei haec obſeruata eſt ratio. Senatus, acceptis ab Imperatore de ſuperatis hoſtibus, et regione in poteſtatem populi Rom. redacta, litteris, (ſolebant enim, qui res laetas nunciabant, Romam nuncios cum haſtis laureatis, litteriſque lauro inuolutis, mittere, Gronou. *Diatr. ad Statium Cap. XXXXVI. p.* 310. vel ſub Imperatoribus ipſas pugnarum victoriarumque picturas in vrbem preferendas dare. Herodian. *Hiſt. III.* 9. *VII.* 2.) inprimis conſulebat, quas leges victis dari placeret. Facto SC. Imperatorem, quid viſum ſit Senatui admonebant, ſimulque decem legatos Senatores mittebant,

Source : BIU Cujas

bant, quorum de sententia Imperator de hostili regione statueret. Tum Imperator, adhibitis in consilium legatis, victis certas leges praescripsit, et ciuitates, bene de populo Romano meritas, suis legibus vti iussit, reliquum terrae tractum legibus magistratibusque spoliauit, et hic tunc dicebatur in prouinciae formam redactus. Quidquid vero hunc in modum de consilii sententia statuerat Imperator, id in concione, facto antea per praeconem silentio, publice pronunciari mandabat: eoque facto, Romam, relicto aliquo praefecto prouinciae, decedebat. Hunc in modum Asiam redactam in formam prouinciae, constat ex Strabone. Alia exempla exstant apud Liu. XXXIII. 18. Appian. *in Libyc. p.* 84. et alibi passim. Sed desiit hic mos, ex quo Principes omnia pacis bellique negotia suo arbitrio gerere coeperunt.

§. CI.

Quamuis vero non vna eademque esset omnium prouinciarum conditio: illud tamen commune erat omnibus, quod nec suis legibus (*q*) magistratibusque vterentur, et populo Romano penderent vectigalia. Non vtebantur, inquam, suis legibus, sed iis, quibus Romani eos vti iubebant, quaeque trium plerumque generum erant. *Primo* enim ipse victor de decem legatorum sententia certas leges dabat prouincialibus, quas deinde in iure dicundo obseruari a magistratibus oportebat: *deinde* leges nouas aliquando ferebant Romani, quibus et prouinciales obsequerentur, qualem supra esse vidimus legem Iuliam et Titiam: *postremo*, ipsi, qui cum imperio praeerant prouinciis, edicta proponebant, quibus modum, quem in iure dicundo essent obseruaturi, denunciabant. Nulla regio in prouinciae formam redigebatur, cui non certas leges daret victor de sententia legatorum. Siculis quales datae fuerint leges, ostendit Cicero *Verrin. II.* 13. *Siculi hoc iure sunt, vt quod ciuis cum ciue agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo non eiusdem ciuitatis, vt de eo Praetor iudices ex P. Rupilii decreto, quod is* DE DECEM LEGATORVM SENTENTIA *statuit, quam legem Siculi Rupilium vocant, sortiatur. Quod priuatus a populo petit, aut populus a pri-*

Prouinciae suis legibus non vtebantur, sed datis a victore.

(*q*) Attamen patriam religionem plerisque relinquebant, ceu exemplo Aegyptiorum patet, de quibus Tertull. *Apolog. XXXIIII.* et Iudaeorum de quibus Philo. *legat. ad Caium Imp. p.* 864. Coitiones tamen religionis caussa institutas saepe prohibitas fuisse, si e republica videretur, docet Ampl. Bynkersh. *de rel. peregr. Diss. II. p.* 250.

Source : BIU Cujas

a priuato, ſenatus ex aliqua ciuitate, qui iudicet, datur, quum alternae ciuitates reiectae ſunt. Quod ciuis Romanus a Siculo petit, Siculus iudex datur; quod Siculus a ciue Romano, ciuis Romanus datur. Ceterarum rerum ſelecti iudices ex ciuium Romanorum conuentu proponi ſolent. Inter aratores et decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam adpellant, iudicia fiunt. Eiuſmodi quoque leges, Macedonibus a L. Paullo de conſilii ſententia datas, recenſet Liu. XXXXV. 29. Achaeis praeſcriptas Pauſan. VII. *p.* 427. *ſequ.*

§. CII.

Vt et aliis, quas S. P. Q. R. iis dabat.

Accedebant his deinde leges quaedam a Romanis latae, quas in prouinciis obſeruari oportebat. Sic quum lex Atilia de dando tutore tantum in vrbe valeret: lege Iulia et Titia eadem, vti paullo ante diximus, etiam ad prouincias porrecta eſt. *princip. Inſt. de Atilian. tut.* Quum ex lege Iulia de maritandis ordinibus tutor dandus eſſet ei mulieri virginique, quam ex hac ipſa lege nubere oportebat, ad dotem dandam, dicendam, promittendamue; factum paullo poſt eſt SC. quo cautum, vt etiam in prouincia ſimiliter a Praeſidibus ex eadem cauſſa tutores darentur. Vlpian. *Fragm. XI. I.* Similia exempla ſuppeditabunt *l.* 19. *D. de ritu nupt.* (quam vberius expoſuimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Lib. I. Cap. V. p.* 64. *et Lib. II. Cap. XXI. p.* 334. *ſequ.*) et *l.* 5. *pr. D. de manumiſſ.* Huc pertinent tot reſcripta Principum ad prouinciarum Praeſides, quibus vel noua iura dant prouinciis, vel dubia et ambigua decidunt, ceu ex Pandectis noſtris ac vtroque Codice ſatis adparet. *l.* 14. *D. de off. praeſ. l.* 14. *ad SC. Turpillian. l.* 1. *D. de abigeis. l.* 12. *D. de cuſtod. reor.*

§. CIII.

Nec non edictis Procoſ.

At praecipue ius in prouinciis proficiſcebatur ex edictis proconſulum, et reliquorum magiſtratuum, quae ſimul ac in prouincias ituri erant, componere, ac dein publice proponere ſolebant. Hoc edictum tribus plerumque partibus conſtabat. Nam primo multa ex anteceſſorum edictis transferebant in ſua, eaque pars edictum *tralatitium* vocabatur: deinde multa noua addebant ipſi, quae ad adminiſtrationem prouinciae, ſumtus, et rationes ciuitatum, pactiones cum publicanis, vſuras, ſyngraphas, hereditatem, poſſeſſiones, aliaque huius generis pertinebant: poſtremo etiam pleraque transferebantur ex edictis vrbanis, quaecunque ſcilicet de iure dicundo, ſeu de vſitatis priuatorum cauſſis, et controverſiis

Source : BIU Cujas

verſiis agebant, modo concinna eſſent conditioni prouincialium. Vnde *edictum tralatitium* et ea pars vocatur apud Ciceron. *ad Att. V.* 21. Diſcimus haec omnia ex Cicer. *Epiſt. ad Famil. III.* 8. qui Proconſul in Ciliciam iturus: *Romae*, inquit, *compoſui edictum, nihil addidi, niſi quod publicani me rogarunt, quum Samum ad me veniſſent, vt de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum.* (Habes ergo partem edicti tralatitiam.) *Diligentiſſime ſcriptum caput eſt, quod pertinet ad minuendos ſumtus ciuitatum, quo in capite ſunt quaedam noua, ſalutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector.* (En alteram edicti partem in qua noua quaedam addiderat Cicero.) In tertia parte, quae fuerint ſcripta, ipſe quoque oſtendit *Epiſt. ad Attic. VI.* 1. vbi et de reliquis capitibus agit diſtinctius: *Breue autem edictum eſt, propter hanc meam διαίρεσιν, quod duobus generibus edicendum putaui: quorum vnum eſt prouinciale, in quo eſt de rationibus ciuitatum, de aere alieno, de vſura, de ſyngraphis: in eodem omnia de publicanis: alterum, quod ſine edicto ſatis commode tranſigi non poteſt, de hereditatum poſſeſſionibus, de bonis poſſidendis, magiſtris faciundis, vendendis, quae ex edicto et poſtulari et fieri ſolent. Tertium de reliquo iure dicundo ἄγραφον reliqui. Dixi, me de eo genere mea decreta ad edicta vrbana accommodaturum.* Ex quibus patet, quod ſupra iam obſeruauimus, ſimillima quidem inter ſe fuiſſe edicta vrbana et prouincialia: ſed tamen non ſtatim idem obtinuiſſe in prouincia, quod Romae fuerat vel lege, vel moribus, receptum. Vid. Ger. Noodt *Obſeru. II.* 5. *p.* 444.

§. CIIII.

Sub imperatoribus multa hac in re mutata.

Sed in his non vna contigit mutatio, ex quo ad principes deuoluta eſt reſpublica. Primo enim, quod iam ſupra obſeruauimus, etiam prouinciale edictum concinnatum eſt perpetuum, quum antea non modo ſingularum prouinciarum edicta inter ſe diſcreparent, aliudque eſſet edictum *Cilicium*, aliud *Sicilienſe*, aliud *Aſiaticum*, &c. ſed et ſucceſſores anteceſſorum edicta, praetorum vrbanorum exemplo, ſaepiſſime mutarent. Vid. Ezech. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap.* 8. *p.* 181. *ſequ.* Deinde, communicata cum vniuerſo orbe Romano ciuitate, leges etiam Romanae prouinciis omnibus traditae ſunt, eademque iura Romae fuerunt, ac in prouinciis. Hinc de ſuo aeuo Gregorius Thaumaturg. *in Paneg. Origen. p.* 47. Οἱ θαυμασοὶ ἡμῶν τῶν ϛοφῶν νόμοι, ὅις νῦν τὰ πάντων τῶν ὑπὸ ῥωμαίων ἀρχὴν ἀνθρώπων κατευθύνεται πράγματα. *Mirificae ſapien-*

Source : BIU Cujas

pientum noſtrorum leges, quibus omnium nunc qui Romano imperio parent, hominum res reguntur. Rutil. Numatian. *Itin.* 1. *v.* 63. ad Roman.

Feciſti patriam diuerſis gentibus vnam,
Profuit iniuſtis, te dominante, capi.
Dumque offers victis proprii conſortia iuris,
Vrbem feciſti, quod prius orbis erat.

Plura eiuſmodi teſtimonia collegerunt Iuretus ad Symmach. *Epiſt. V.* 44. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap.* 7. *p.* 169. *ſequ.* qui etiam erudite obſeruat, poſt ea quoque tempora multis ciuitatibus αὐτονομίαν relictam fuiſſe ab Imperatoribus.

§. CV.

Prouinciae parebant vel Praetoribus vel Conſ. vel Propraet. vel Procoſſ.

Alterum, quod commune fuit omnibus prouinciis, in eo poſitum eſt, quod illae non ſuis, vt ſocii et Latini nominis, ſed Romanis magiſtratibus, parerent. Duo vero in ſingulas prouincias magiſtratus mitti ſolebant, quorum alter generali nomine *Praeſes* dicitur, *l.* 1. *et* 11. *D. de offic. praeſ.* alter *Quaeſtor* adpellabatur. Praeſidum officio initio functi ſunt Praetores. Hinc quum initio duo in vrbe Praetores eſſent, quorum alter ciuibus ius dicebat, alter peregrinis: Sicilia in prouinciae formam redacta, tertius: quum deinde Sardinia accederet, quartus: quumque et Hiſpaniarum duae prouinciae eſſent conſtitutae, quintus et ſextus additi ſunt, qui inter ſe prouincias ſortiri ſolebant. Liuius XXVII. 36. et XXXIIII. 55. Poſtea coeperunt et conſulibus, ſi quando grauius immineret bellum, prouinciae decerni, vnde aliae prouinciae *praetoriae* erant, aliae *conſulares*, Liu. VIII. 22. XXXXV. 17. ex quibus locis patet, Coſſ. tunc vel inter ſe comparaſſe prouincias, vel ſortitos eſſe. Conf. Liu. XXXIIII. 35. Solebant tamen aliquando prouinciae nec comparari, nec ſorte, ſed iudicio ſenatus populiue, decerni conſulibus, ceu docent exempla apud Liu. XXXVII. 1. XXX. 27. XXXV. 20. Nonnumquam vtriſque prorogari ſolebat imperium; et tunc *Propraetores* vel *Proconſules* dicebantur (*r*), quorum illi ſex lictoribus, totidemque

(*r*) Ita ſeſe res habuit, temporibus antiquiſſimis: primusque Coſſ. cui ita prorogatum imperium, eſt Q. Publilius Philo. Liu. VIII. 26. Idem poſtea ſaepius factum eſſe docent exempla apud Liu. XXVIIII. 13. XXXV. 1. et alibi. Deinde et ii procoſſ. dici coeperunt et praetores, qui nullis antea geſtis magiſtratibus, ad bellum gerendum miſſi ſunt in prouinciam. Qualis procoſ. fuit P. Cornelius Scipio, Liu. XXVI. 19. Propraetor C. Octauius Cic. *Philipp. XI.* 19. Suet.

Source : BIU Cujas

que securibus, hi duodecim vtebantur. Qua de re Appianus *Syriac. p.* 95. Ἐφ' ἅπαντας περιέπεμπον στρατηγὸς ἐπὶ τῇ στρατιᾷ ὃς αὐτοὶ καλοῦσιν ἐξαπελέκεας, ὅτι τῶν ὑπάτων δώδεκα πελέκεσι, καὶ δώδεκα ῥάβδοις, ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς, χρωμένων, τὸ ἥμισυ τῆς ἀξιώσεως ἔχει τοῖς δὲ τοῖς στρατηγοῖς καὶ τὰ ἡμίσια παράσημα. *Ad omnes miserunt propraetores cum senis securibus, quia consules duodenis securibus totidemque fascibus, vt olim Reges, vtuntur. Praetores autem, vt insignia consulum dimidiata, ita dignitatis quoque ac potestatis habent dimidium.* Add. Plutarch. *vit. Paulli. p.* 256.

Suet. *Octau. X.* Postea inualuit, vt quotannis, antequam noui Coss. et Praetores designarentur, prouinciae duae consulibus, et reliquae Praetoribus futuris decernerentur, quas illi designati vel sortirentur, vel inter se compararent, vt finito magistratu in eas proficiscerentur. Sigon. *de ant. iur. prou. II. 1. p.* 125.

§. CVI.

Noua magistratuum prouincialium nomina sub Imperatoribus.

Postquam prouincias cum Senatu diuisit Augustus, alia sensim in vsu esse coeperunt nomina. Nam quos Senatus mittebat Praesides, ii *procoss.* veteri vocabulo adpellati: quos Imperatores, ii variis deinde nominibus nuncupati, *Legati Augg. pro consule*, vel *pro praetore*, *Praefecti Augustales*, *Legati Caesarum*, *Praesides*, *Procuratores Caesarum*, *Consulares*, *Correctores*, *Iuridici*, quales aliquando in Italia et Alexandriae, Sex. Rufo *Romani iudices*, Straboni *Libro* XIII. Δικαιοδόται dicti, quin in minores quasdam prouincias *Procuratores Caesarum* iuere, vel *Rationales*, et *Catholici*, de quibus praeter ea, quae diximus *in Pand. P. I. §.* 231. legi merentur Dio Cass. LIII. *p.* 504. *sequ.* Guido Panciroll. *notit. Imp. Orient. CLV.* Iac. Guther. *de Offic. Dom. Aug. I.* 5. *sequ.* Aliis etiam sub Imperatoribus vti coeperunt insignibus. Consulares fasces, praesides praeterea vexilla habuere, quae vultum principis praeferebant. *l.* 1. *C. Theod. de consul. et praesid. et ibi Iac. Gothofr.*

§. CVI.

Quis eiusmodi magistratus constituerit?

Imperium praesidibus initio lege curiata dabat populus: Cic. *de lege Agrar.* II. 12. prouincias ipsas decernebat Senatus, cuius etiam erat, statuere, quas consulares, quas praetorias esse vellet, quamuis plerumque eam teneret rationem, vt eas, in quibus tumultuari, aut quas ab hostibus vicinis tentari intelligeret, Consulibus; quietas vero et pacificas Praetoribus decerneret, qui deinde eas inter se vel sortiebantur, vel comparabant. Sigon. *l. c.* II. 1. *p.* 125. Id ius deinde veluti postliminio recepit Senatus, le-

Source : BIU Cujas

ge Sempronia, de prouinciis decernendis, lata a C. Sempronio Graccho, Q. Caecilio et T. Quinctio Coss. anno V. C. DCXXX. Cic. *pro domo sua Cap. VIIII. de prouinc. consul. c.* 11. *Agrar. II.* 12. quum L. Calpurnius Piso Trib. plebis paullo ante anno DCIIII. noua quaedam lege sua inuexisset. Extremis reip. temporibus, et labente vetere disciplina, multa contra morem maiorum excogitarant Sulla, Marius, Pompeius, Crassus, Caesar, Antonius, quae accurate satis refert Sigon. *l. c.* donec Augustus, vt dixi, prouincias cum Senatu populoque Romano partiretur (*s*). Dio Cass. *l. c.*

(*s*) Hinc discrimen inter prouincias *populares* vel *publicas* et *Caesarum*. Sed saepe harum prouinciarum facta est permutatio. Publicas pleraſque ad se rapuit Claudius, quas deinde Senatui sub imperii initio restituit Nero. *Anno XIII.* 4. Sub Traiano etiam Bithynia cum aliis a Senatu ad Imperatores translata est. H. Noris *Cenotaph. Pisan. p.* 207. Postremo omnes prouincias ad se rapuere Principes, nihilque Senatui reliquum fuit, vltimis imperii temporibus.

§. CVIII.

Quomodo ornati?

Ituris in prouincias Praesidibus mandata dabat Senatus, quantum pecuniae, quantum exercitum habiturus sit, quod stipendium eum dare, quantum viaticum capere oporteret; et hoc SC. praesides, ipsaeque prouinciae, ORNARI dicebantur. De quo ritu plura tradunt Is. Casaubonus et Torrent. *ad Suet. Caes. XVII.* Sigon. *de ant. iure prouinc. II.* 1. *p.* 142. *sequ.*

§. CVIIII.

Quo comitatu vsi sint?

In comitatu Praesidum erant legati, tribuni militum, centuriones, praefecti, decuriones, militarium operum rationumque auditores: praeterea vero scribae, accensi, praecones, lictores, interpretes, tabellarii, aruspices, cubicularii, medici, et, quae quotidianae vitae prope socia fuit, iuuenum cohors, quae cohors praetoria, et quasi praetoria dicta est, in quem numerum etiam contubernales referendi. Sigon. *l. c. Cap. II. p.* 149. Legatos Praesidi aut Senatus dabat, aut huius permissu adsciscebat Praeses, aut plebs, lata lege, extra ordinem designabat. Cic. *Vatin. XV.* Nep. *Attic. VI.* Et hi sunt τῶ ἡγεμόνος πεμπομένοι, de quibus 1. *Petr. II.* 14. Numerus eorum non vnus idemque semper fuit. Q. Cicero tres secum legatos duxit in Asiam. Marco fratri in Ciliciam eunti quatuor, Q. Pompeio quindecim adfuerunt. Quamuis vero et ipsi legati lictoribus et fascibus vterentur: Liu. XVIIII. 9. non tamen nisi mandatam iurisdictionem habebant, quae quanta esse potuerit, ex *tit. D. de officio eius, cui mand. iurisdictio* constat, et egregie,

Source : BIU Cujas

gie, ſuo more, diſquirit Ger. Noodt *de Iuriſd. II. 7. p. 161.* Vnde Caeſar *de Bell. Ciu. III. 51. Aliae ſunt legati partes, aliae imperatoris: alter omnia agere ad praeſcriptum, alter libere ad ſummam rerum conſulere debet.* Idem *de Bello Ciu. II. 17. officium legati fiduciariam* dicit *operam obtinere.* Reliquorum, qui in comitatu praeſidum fuere, veluti tribunorum, centurionum, praefectorum, ſcribarum, medicorum, accenſorum, haruſpicum, praeconum, (Vid. Liu. XXXXII. 49. Cic. *Verrin. II. 10.*) et huius generis aliorum miniſtrorum, quaenam fuerint officia, ex ipſa veteris rei militaris ac iudiciorum ratione facile colligitur. De ſolis contubernalibus addendum, fuiſſe ita adpellatos adoleſcentes, qui percipiendae rei militaris et prouinciae cognoſcendae cauſſa praeſides in prouinciam erant ſequuti. Cic. *pro Coel. XXX.* et *pro Planc. XI.* Ex toto vero illo prouinciali comitatu, libera adhuc republica, exſulabant feminae, quas ab Auguſti demum temporibus (*t*) duci coepiſſe in prouincias, palam eſt. Hinc M. Seneca *Controu. Lib. IIII.* laudat Flaminium, quod exiturus in prouinciam, vxorem a porta dimiſerit. Aſt poſtquam Auguſtus quibuſdam, quamuis grauate, id conceſſerat, ſenſim obſoleuit illa maiorum diſciplina. Hinc et fruſtra fuit ſub Tiberio Caecina, qui morem veterem reuocandum ſuadebat. Tacit. *Annal. III. 33. Inter quae Seuerus Caecina cenſuit, ne quem magiſtratum, cui prouincia obueniſſet, vxor comitaretur.* Et paucis interiectis: *Haud enim fruſtra placitum olim, ne feminae in ſocios aut gentes externas traherentur. Ineſſe mulierum comitatui, quae pacem luxu, bellum formidine morentur.* Sed, vt dixi, nihil profecit Caecina, Valerio Meſſalino et Druſo ei grauiter occlamantibus. Hinc ſaepe vxores cum magiſtratibus ex eo tempore in prouinciis haeſiſſe legimus, veluti vxorem Pilati, *Matt. XXVII. 19.* Druſſillam Felicis, *Act. XXIIII. 24.* vxorem Plinii, ceu ex eius *Epiſtolarum Libro X. 121.* diſcimus. Nondum tamen res ordinaria, nec promiſcua omnibus licentia. Id enim ſi fuiſſet, non ſanciuiſſet Alexander Seuerus, *vt Praeſidibus, qui vxores non haberent, ſingulas concubinas, quod ſine his eſſe non poſſent, in prouincias ducere liceret.* Lamprid. *Vit. Alex. Cap. XXXXII.*

(*t*) De ipſo quidem Auguſto Sueton. *Octau. XXIIII. Diſciplinam ſeueriſſime rexit, ne Legatorum quidem cuiquam, niſi grauate, hiberniſque demum menſibus, permiſit vxorem interuiſere.* Tiberium quoque ſimile quid ſanxiſſe, patet ex *l. 14. D. de offic. procoſ.* Sed non diu haec antiquae diſciplinae manſit cuſtodia, ex quo ipſe Auguſtus Liuiam, Germanicus Agrippinam in prouincias duxerat. Cautum tamen fuerat SC. anno V. C. IↃCCLXXII. Cotta et Meſſala Coſſ. vt ſi vxor aliquid deliquerit in comitatu Praeſidis, ab ipſo marito ratio et vindicta exigeretur. *l. 4. §. 2. D. de offic. procoſ.*

Source : BIU Cujas

§. CX.

Quomodo profecti sint in provinciam?

Profecturi in prouincias Praesides, nuncupatis in Capitolio pro republica votis, atque inde demum paludamento, lictoribus, reliquisque adsumtis imperii insignibus, ad portam vrbis ibant, et si quidem nonnulla supereſſent negotia, extra vrbem aliquamdiu morabantur, quum intra vrbem cum imperio esse haud possent: sin vero omnia parata essent, salutantibus amicis, et officii causſa aliquantum prosequentibus, iter in prouinciam ingrediebantur. Liu. *XXXXII.* 49. *XXXXV.* 39. Cic. *Verr. V.* 13. Vbi attigerant prouinciam, certiorem de aduentu suo faciebant decessorem, vt cum eo congredientes de statu prouinciae cognoscerent. Quo facto intra triginta dies illi discedendum erat, id quod lege Cornelia, a L. Cornelio Sulla lata, fuisse statutum, patet ex Cic. *Epist. ad Fam. III.* 6. Immo et antequam prouinciam ingrediebantur, edicto de aduentu suo monebant prouinciales, continente commendationem aliquam sui, et maxime deprecante, ne publice vel priuatim sibi occurreretur, siquidem id melius in sua quisque patria facere posset. *l.* 4. §. 3. 4. *D. de offic. procos.* vbi et alia, a Procos. in prouinciae ingressu obseruanda, habentur.

§. CXI.

Officia praesidum.

Quum vero duo essent Praesidum munera, quorum alterum IVRISDICTIONE, alterum continebatur IMPERIO: solebant illi ita partiri annum, vt aestatem fere rei militari, hiemem iuri dicundo impenderent. Cic. *Epist. ad Att. V.* 14. Et ita quidem libera adhuc rep. se res omnino habebat. Augustus autem cum populo partitus prouincias, suos quidem Praesides mittebat ita, vt et legionibus praeessent, Dio Cass. LIII. *p.* 504. non autem vllam partem imperii militaris concedebat Proconsulibus a Senatu in prouinciam missis, nisi quod aliquando extra ordinem legiones ducere iuberentur. Lips. *Excess. ad Tacit. Ann. I. litt. M.* Vtrique tamen ius summa auctoritate dicebant. Causſae, quae in litem deducuntur, vel publicae sunt, vel priuatae. Priuatarum causſarum cognitio vel domestica erat, vel popularis. Domestica intra praetorium et in cubiculo querelis prouincialium audiendis, ministrante cubiculario, explicabatur: popularis in basilica ac pro tribunali, scribis, accensis, praeconibus, lictoribus adparentibus. Cic. ad *Q. Fratr. l.* 1. *Constare inter omnes video, facillimos esse aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac solitudinem, non modo illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem tua ac cubiculo esse excluſam.* Vt autem hanc potestatem eo commodius exercerent

Source : BIU Cujas

cerent praesides : simul ac venerant in prouinciam , conuentum vel forum in certum diem certumque locum indicebant prouincialibus. Et eiusmodi conuentus deinde vel plures vno loco, vel singulos singulis locis agebant, ita, vt intra annum omnem prouinciam percurrerent. Sigon. *de antiquo iure prou. II. 5. p.* 184. Ius eodem ordine dicebant, quo Romae Praetores, adeoque omnia obseruabant, quae infra *Libro IIII.* de Romanorum iudiciis dicemus. Id modo addimus, quemadmodum Romae Praetori in consilio erant *Decemuiri litibus iudicandis* : ita a praesidibus eorum loco adhibitos fuisse viginti Recuperatores, ciues Romanos. Vlpian. *Fragm. I.* 13. Theoph. §. 4. *Inst. qui et ex quib. causs. manum. non licet.* Commissae Praesidibus erant etiam quaestiones de criminibus , in quibus eamdem denuo rationem tenebant Praesides, quam in vrbe Praefecti Praetorio. Habebant enim ius gladii. *l. 6. pr. l.* 11. *D. de off. procos. l.* 6. §. 8. *l.* 13. *seq. l.* 21. *D. de off. praesid.* Neque tamen iis erat ius deportandi in insulam, *l.* 2. §. 1. *D. de poen. l.* 6. §. 1. *D. de interd. et releg.* neque liberam mortis facultatem concedendi, *l.* 8. §. 1. *D. de poen.* neque ius publicandi bona post constitutionem Theodosii et Valentiniani, *l. vn. C. Th. ne sin. iuss. princ. cert. iud. lic. confisc.* Cuius rei ratio non alia fuisse videtur, quam quod hae poenae fere personis honestioribus , et in dignitate constitutis irrogari solerent, vbi in plebeios gladio animaduertebatur. *l.* 27. §. 1. 2. *de poen.* Vid. Vlr. Hub. *Digress. III.* 7. Praeterea etiam rei frumentariae, omnisque in vniuersum prouinciae curatio penes Praesides erat, ceu prolixe docet Sigon. *II.* 5. et 6. *pag.* 207. *seq.*

§. CXII.

Quaestores prouinciales.

Praeter Praesidem, in vnaquaque prouincia etiam QVAESTOR erat, alter magistratus, qui potestatem non a Praeside, sed ab ipso populo accipere solebat. Vnde et ipse lictoribus ac scribis vsus est. Cic. *pro Planc.* XXXXI. Lecti enim a populo Quaestores sortiebantur prouincias, eorumque duo vrbanas, reliqui prouinciales Quaesturas obtinebant. Cicero *Verr. I.* 13. *Epist. ad Q. Fratr. I.* 1. Mortuo in prouincia Quaestore, alii interim hoc munus demandabat Praeses, qui *Proquaestor* adpellabatur. Cic. *Verrin. III.* 15. Instituerant autem veteres Romani, vt inter Praesidem et Quaestorem eadem intercederet necessitudo, quae inter parentem et filium. Cic. *Diuinat. in Verr.* XIIII. *pro Plancio* XI.

Source : BIU Cujas

§. CXIII.

Eorum officium.

Ceterum hi Quaestores curabant pecuniam publicam, quae aut ex aerario depromta, in vsus prouinciae expendenda, aut in prouincia exacta, esset in aerarium referenda. Illa pecunia *attributa*, haec *vectigalis* dicebatur. Vtramque in tabulas referebant Quaestores, et deinde vbi prouinciis decederent, rationes accepti expensique reddebant, et residua inferebant aerario. Nonnumquam Quaestoribus Praesides etiam partem iurisdictionis imperiique demandabant, cuius rei exemplum est apud Caesarem *de Bello Gall. VI. 6. Caesar, partitis copiis cum C. Fabio legato, et M. Crasso Quaestore, hostes adiit tripartito.* Add. Cicero *Verrin.* I. 13.

§. CXIIII.

Tributa, quae exigebantur a prouincialibus.

Haec de magistratibus prouinciarum: proximum est vt de tertio, quod commune habuerunt prouinciae, agamus, de tributis puta et vectigalibus, quibus quam maxime prouinciae premebantur. Romani enim, quum bello aliquem populum vicissent, duabus maxime rationibus cum eo agebant. Aut enim victoriae praemium annuum ei stipendium vel tributum imperabant, vnde *census capitis*: aut victos exuebant agris, eosque vel in publicum reip. patrimonium redigebant, vel colonos ex vrbe eo deducebant, vel eos victis reddebant, et ex eorum prouentu aliquam partem reipublicae tribui iubebant: qui *census soli* dicebatur. Cic. *Verrin.* III. 6. V. 5. Petr. Burmann. *de Vectig. pop. Rom. I.* Prioris generis populi *tributarii* vel *stipendiarii* vocabantur: posteriores *vectigales*, quamuis non tam anxie semper discrimen inter tributum et vectigal fuerit ab auctoribus obseruatum. Cuiac. *Obs.* VII. 4. Stipendiaria prouincia fuit Gallia comata, de qua Sueton. *Iul. XV. Omnem Galliam, quae a saltu Pyrenaeo Alpibusque et monte Gebenna, fluminibusque Rheno et Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis tricies centum millia passuum, praeter socias ac bene meritas ciuitates, in prouinciae formam redegit, eique quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuit.*

§. CXV.

Vt et vectigalia et speciatim Decumae.

Aliae prouinciae erant vectigales, eaeque ex agris suis *decumas*, ex pascuis *scripturam*, et ex portubus, qui mercibus inuehendis et euehendis patebant, *portorium*, pendebant, de quibus iam supra diximus §. *LIII. sequ.* Sic *decumas* dabant Sicilia, Cicer. *Verr. III. 6.* Sardinia, Liu. XXXXII. 1. Africa, Gruter. *Inscript. p.* IↃXII. Asia, Cicer. *Epist. ad Attic. V.* 13. Syria, Cic. *Agrar. II.* 19. Aegyptus,

Source : BIU Cujas

ptus, Plin. *Paneg. XXX.* Nonnumquam loco decimae, si minus fertilis esset prouincia, vicesima exigebatur, veluti ab Hispanis. Liu. XXXXIII. 2. Saepe etiam, si quando publica necessitas et angustia temporum id exigerent, prouinciis alterae imperabantur decumae vltra debitas, quo casu tamen pecunia pro illis soluebatur aratoribus. Cic. *Verrin.* III. 31. vnde etiam *frumentum emtum*, item *decumanum* vel *imperatum* dicebatur. Inter quae quid intersit, docet laudatus Burmann. *de Vectigal. II.* Exempla huius rei plura occurrunt apud Liu. *XXXVI.* 2. *XXXVII.* 2. *et* 50. *XXXXII.* 31. Quum vero, libera adhuc republica, hae decumae non in pecunia, sed in frumento a singulis soluerentur aratoribus: postea sub Imperatoribus confectus est *canon, frumentarius* dictus, quo, quid quaeuis prouincia quotannis praestare deberet, erat comprehensum, cuius meminit Spartian. *Seuer.* VIII. Lamprid. *Elagab.* XXXVII. conf. Iac. Gothofred. *ad Tit. C. Theod. de Can. Frum. V. R.* Ceterum frumentum hoc, siue per decumas, siue secundum canonem, exactum, tum Romae, tum in prouinciis, in publicis condebatur horreis, vnde postea per curatores annonae populo et militibus distribuebatur. Buleng. *de Vect. pop. Rom.* VIII. Casaub. *ad* Lamprid. *Alex. Seu.* XXXVIIII. Lipsi. *Elect. I.* 8. Iac. Gothofr. *ad tit. C. Theod. de re milit. et ad tit. de erogat. mil.* Talia erant horrea *Galbiana*, Grut. *p.* LXXV. 1. Reines. *Inscr. class.* VI. 126. itemque *Seiana*, *Pupiana*, et similia, de quibus erudite differit Reines. *Var. Lect.* III. 12. *p.* 545. *sequ.* Non solum vero frumenti, sed et vini oleique, praestabantur decumae, quae et ipsae Romam ad populi vsus mittebantur, vt docet Burmann. *de Vectig. Pop. Rom. II. et III.*

§. CXVI.

Non minus pingue vectigal ex pascuis prouincialibus redibat et saltibus. Tales enim non solum in Italia erant, sed et in prouinciis. Vnde *magistrorum scripturae in Asia et Sicilia* meminit Cicero *ad Att. V.* 15. *Verrin. V.* 70. Scriptura vero dicebatur hoc vectigal, quia pastores oportebat apud publicanum numerum pecudum, quas in pascua publica immittere vellent, profiteri: quem publicanus in tabulis suis adnotabat, et scribebat, ex qua scriptura postea ratio inter pastorem et publicanum conficiebatur. Festus *voce Scripturarius p.* 429. Sed hoc genus vectigalium sub Imperatoribus aliam induisse faciem, et praeter pensiones ex pascuis dominicis, etiam certum numerum pecudum ex gregibus praestandum fuisse a prouincialibus, ex Cassiodor. *Var. XI.* 39. *l.* 3. *C. Theod.* Scriptura.

de

Source : BIU Cujas

de suar. pecuar. Vopisc. *Prob.* XV. demonstrat V. C. Burmannus *de Vectig. pop. Rom.* IIII.

§. CXVII.

Portoria. Soluebant prouinciae etiam portoria. De Sicilia id certum est ex Cic. *Verr.* II. 72. *sequ.* de Asia ex eiusdem *Agrar.* II. 29. de Britannia ex Tacit. *Vit. Agric.* XXXI. Nec tantum de mercibus in portum deuehendis dabatur portorium, verum etiam pro itineribus. Sueton. *Vitell.* XIIII. maxime pro cadauere, quod non nisi permissu maximi Pontificis vel principis transferri in alium locum poterat. *l.* 37. *D. de relig. et sumt. fun.* Sustulisse ea vectigalia dicitur Pertinax apud Herodian. *Hist.* II. 4. Sed restituta eadem esse oportet a sequentibus Imperatoribus, siquidem adhuc illorum mentionem facit Vlpianus *l.* 21. *D. de donat. inter vir. et vxor.* Vectigal tamen pro cadauere transferendo sublatum est constitutione, quae est in *l. vlt. C. de relig.* quam ex Graecis restituit Iac. Cuiac. *Obs.* XI. 21. Plura de portoriis dabit V. C. Petr. Burm. *de Vectig. Pop. Rom.* XI.

§. CXVIII.

Alia vectigalium genera. Praeter haec et alia erant vectigalia, quae in quibusdam prouinciis exigebantur. Ex ferrariis argentariisque, immo et aurifodinis vectigalia magna dare cogebantur Hispani. Liu. XXXIIII. 21. Strab. *Geogr.* III. Africam e marmoribus soluisse vectigalia constat ex *l.* 1. *C. Theod. de metall.* Macedonia etiam, Illyricum, Thracia, Britannia, Sardinia ex metallis vectigalia pendebant. Petr. Burmann. *de Vectig.* VI. Potestas enim indagandi metalla etiam priuatis erat, antequam illis eam ademerat Tiberius. Sueton. *Tiber.* XXXXVIIII. *Plurimis etiam ciuitatibus et priuatis veteres immunitates, et ius metallorum, ac vectigalia ademta.* Restituerunt deinde iisdem hoc beneficium sequentes principes, sed ea lege, vt certum inde *canonem metallicum* soluerent, de quo agit *l.* 4. *C. Theod. de Metallar. et ibi.* Iac. Gothofredus. Eiusdem generis fuit ex cotibus prouentus in Creta insula, de quo Plin. *Hist. Nat.* XXXVI. 22. *l.* 15. *D. de public. et vectigal.* Meurs. *Cret. Lib.* I. *Cap.* XII. *p.* 48. *Lib.* II. *Cap.* XI. *p.* 116. Vectigalis picariarum mentio fit in *l.* 17. §. 1. *D. de V. S.* A vectigali etiam liberae non fuerunt salinae, quales in Macedonia aliisque prouinciis fuisse, patet ex Liu. XXXXV. 29. Plin. *Hist. Nat.* XXXI. 7. I. Maccab. X. 29. *l.* 4. §. 7. *D. de censib.* De eo quoque vectigali pluribus agit Petr. Burmann. *de Vectigal. P. R.* VI.

CAP.

Source : BIU Cujas

CAP. V.

DE MVNICIPIIS, COLONIIS, PRAEFECTVRIS, CIVITATIBVS FOEDERATIS.

§. CXVIIII.

Quid interfuerit inter iura ciuitatis, Latii, Italiae, et prouinciarum, satis adhuc videtur a nobis explicatum. At non omnes in Latio ciuitates iure Latii, nec omnes in Italia, iure Italico, aut in prouinciis iure prouinciarum vsae sunt; sed aliae MVNICIPIORVM, aliae COLONIARVM, aliae PRAEFECTVRARVM, aliae aliis nominibus sunt insignitae, de quibus singulis paullo distinctius agendum.

Cur hic agatur de municipiis, coloniis &c.

§. CXX.

MVNICIPES erant *ciues Romani, in municipiis legibus suis et suo iure vtentes, muneris tantum cum populo Romano participes, a quo munere capessendo adpellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque vlla lege, quam in quam populus eorum fundus factus esset.* Gell. *Noct. Attic. XVI.* 13. Erant ergo I. *ciues Romani*, adeoque multis iuribus ac priuilegiis, quae solis ciuibus Romanis propria erant, gaudebant, (*u*) sed non tamen erant *ciues ingenui*, vt Romae habitantes vocat Cicero *in Bruto Cap. LXXV.* neque iure optimo ciuitatis gaudebant, nisi Romae constituissent domicilium. II. *Suis legibus et suo iure vtebantur*, id est, propriis suis legibus atque institutis, quae leges municipales dicuntur, *l.* 3. §. 4. *D. quod vi aut clam. l.* 3. §. 5. *D. de sepulcr. viol.* regebantur, neque cogebantur Romanas leges recipere, nisi id sua sponte vellent, quo casu *fundi facti* eiusmodi populi dicebantur. Cic. *pro Balbo* XX. Non ergo ius suum vel αὐτονομίαν amittebant municipes, iure suffragii donati, ceu existimat Sigonius, *de ant. iure Ital. II.* 7. sed tantum foedus, id est, non amplius foederati Pop. Rom. erant, sed ciues. Et ita intelligendus locus Ciceronis *pro Balbo Cap. VIII. In quo magna contentio Heraclienſium et Neapolitanorum fuit, quum magna pars in iis ciuitatibus* FOEDERIS SVI (*x*) *libertatem ciuitati ante-*

Quid municipia?

(*u*) Hinc et lupam cum puerulis solent in numis signare. Vaillant. *de Numism. aen. Imp. in Municip. et Colon. T. II. p.* 113.

(*x*) In editione Ciceronis priores, et ad veterum librorum fidem adornatae. Ast Paull. Manutius et postea Ism. Bullialdus *de populis fundis p.* 1. 936.

Source : BIU Cujas

anteferret. III. *Muneris cum populo Romano erant participes.* Idque praecipue intelligendum de muneribus militaribus. *l.* 18. *D. de Verb. sign.* Gaudebant enim municipia iure legationis, adeoque participes erant munerum militarium, vnde et dicti videntur municipes.

Tom. II. Thes. Ant. Rom. Graeu. legerunt *iuris sui libertatem* pro *foederis sui libertatem*, quae lectio etiam editori Parisiensi Orationum Ciceronis, quae in vsum Delphini prodierunt, placuit. Sed antiquam lectionem erudite defendunt H. Vales. in eodem *Thes. Ant. Rom. Tomo II. p.* 1947.

§. CXXI.

Ea vel Italica vel Provincialia?

Municipia eiusmodi initio non nisi intra Italiam olim reperiebantur, eoque nomine ante leges Iuliam et Plotiam celebrantur Caerites, Tusculani, Lanuuini, Arcini, Nomentani, Pedani, Fundani, Formiani, Campani, Equites, Cumani, Suessulani, Acerrani, Priuernates, Anagnini, Arpinates, Trebulani, Sabini, aliique plures, de quibus Onuphr. Panuin. *de Rep. Rom.* III. *p.* 354. Car. Sigon. *de Ant. iure Ital.* II. 9. Postea vbi extra Italiam arma victricia extulere Romani, etiam in prouinciis ciuitas non vna municipiorum iuribus donata est. Sic in Baetica Plinius *Hist. Nat.* III. 2. *sequ.* numerat municipia VIII., in citeriore Hispania XIII., in Sardinia II., in Lusitania vnum. Eodem pertinent tot numi, in quibus ciuitates prouinciales, ciuitate donatae αὐτονομίαν suam celebrant, (*y*) de quibus Henr. Noris. *de Epoch. Syro-Maced.* III. *p.* 352.

(*y*) In numis aeneis Imperatorum, a municipiis et coloniis cusis, quos collegit Io. Foy Vaillantius, occurrunt municipia varia, veluti *Aelium Coillutanum* in Numidia *T. I. p.* 169. 198. 210. *T. II. p.* 31. 64. 79. *Bilbilis* in Hispania *T. I. p.* 12. 95. 100. *Calagurris* in eadem *T. I. p.* 21. 70. *Cascantum* in eadem. *T. I. p.* 71. *Cluuia* in eadem. *T. I. p.* 72. *Ergauica* in eadem. *T. I. p.* 35. 76. 103. *Graccuris* in eadem *T. I. p.* 79. *Ilerda* itidem Hispanica. *T. I. p.* 36. *Illergauonia* ibidem. *T. I. p.* 77. *Italica* ibidem. *T. I. p.* 37. 51. 78. 92. 96. *Osca* ibidem. *T. I. p.* 38. 78. 95. 103. *Osicerda* ibidem. *T. I. p.* 80. *Stobiense* in Macedonia. *T. I. p.* 132. 135. 143. 149. *T. II. p.* 15. 22. 43. 59. quod tamen tempore Vlpiani iuris Italici fuit. *l.* 8. §. 8. *D. de censib. Tarraco* in Hispania Tarraconensi. *T. I. p.* 47. 53. 83. *Vtica* Iulia *T. I. p.* 86.

§. CXXII.

Triplex municipiorum genus.

Sed non vna tamen erat municipiorum conditio. Tria eorum genera distinguit Festus voce *Municipium p.* 324. quem locum a multis laudatum, a paucis intellectum, primus accurate exposuit

Ez.

Source : BIU Cujas

Ez. Spanhemius *Orb. Rom. Exerc. I. Cap.* 12. §. 70. *Primo* ergo, ex Festi sententia, *municipium id genus hominum dicitur, qui quum Romam venissent, neque ciues Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum, ad munus fungendum vna cum Romanis ciuibus, praeterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo.* Hi ergo, dum in patria manserunt, peregrini habiti: Romam commigrantes iura ciuitatis, sed non optimo iure consequuti sunt, excluſi quippe a suffragii latione et petitione honorum. *Deinde* et id hominum genus dicebantur municipes, *quorum ciuitas vniuersa in ciuitatem Romanam venit.* Et hi quidem veri ciues Romani erant, ipsaque iura suffragiorum ac honorum habebant. Vnde et certae tribui Galeriae adscriptos fuisse docet Noris. *Cenotaph. Pisan. Diss. I.* 1. Tertium denique municipum genus ab eodem Festo memoratur, *qui ad ciuitatem Romanam ita venerunt, vt municipes essent suae cuiusque ciuitatis et coloniae*: vel, vt paullo ante dixerat, *qui ea conditione ciues Romani fuissent, vt semper rempublicam a populo Romano separatam haberent.* Atque hic in populi Romani leges et iura fundi non erant facti, nec se iisdem obstrinxerant. Et in his tertii generis municipiis ciues non gaudebant iure honorum et suffragiorum. Vnde nec tribui erant adscripti, nec participes sacrorum curialium habebantur, sed sua illis erant sacra municipalia, de quibus Festus *l. c.*

§. CXXIII.

Illud adhuc obseruandum, in municipiis plerisque eam fuisse institutam reipublicae formam, quae imaginem quamdam speciemque reip. Romanae referret. Quemadmodum Romae senatus, ita in municipiis decurionum erat collegium, (z) quod AMPLISSIMVM ORDINEM, apud Cic. *pro Caelio XI.* NOBILISSIMVM ORDINEM, in lapide apud Gruter. p. CCCXXI. 7. ORDINEM SPLENDIDISSIMVM in alio p. CCLXXV. 2. VIROS PERFECTISSIMOS ET PRINCIPALES et ORDINEM SPLENDIDISSIMVM p. CCCLXIII. 2. ORDINEM SANC- Res publicae municipiorum.

(z) Hi ita dicti videntur Velsero *Rer. August. V. p.* 74. a decuriis, in quas fuerint descripti. Habebant hi suum censum, non secus ac Romani senatores, qui erat centum millium. Plin. *Epist. I.* 19. Quemadmodum etiam Romae iis, qui non fuerant magistratus, nec triumphauerant, ornamenta aliquando consularia, praetoria, triumphalia dari solebant: Ita et in marmoribus municipiorum frequenter mentio fit ornamentorum Duumuiralium, Aedilitiorum, Quatuoruiralium, Decurionalium, veluti apud Spon. *Miscell. Erud. Ant. p. CLXIIII.* EXORNATO ORNAMENTIS DECVRIONALIBVS. Inter ornamenta haec erat praetexta, decurionibus permissa. Lin. XXXIIII. 7.

Source : BIU Cujas

TISSIMVM p. CCCLXXXXIII. 5. ac denique CONSCRIPTOS p. CCCCLVI. 1. vocari animaduertimus. Quemadmodum porro Romae erant bini consules: ita in municipiis Duumuiri, qui summo loco ciuitatibus praeerant, et ad consulum exemplum pro fascibus bacillis vtebantur. Lips. *Elect. I.* 23. Sed nonnumquam tamen et fascium vsum adfectabant. Cicero *Agrar.* II. 34. de L. Considio et S. Saltio Capuae duumuiris: *Anteibant lictores, non cum bacillis,* (ceu alias in municipiis fieri solebat,) *sed, vt hic praetoribus anteeunt, cum fascibus duobus.* Quin aliquando hi duumuiri consulum adfectabant nomen. Quamuis enim id negent Velser. *Rer. Augustan. V.* 272. et Reines. *Var.* III. 16. Capuanos tamen magistratus suos vocasse coss. obseruat Cic. *pro Pis. XI.* Alia exempla sese offerunt apud Plin. *Hist. Nat.* VII. 43. Phil. a Turre *de colon. Foroiul. p.* CCCLX. Gruter. *Inscr. p.* CCCLI. 5. Henr. Noris. *Cenotaph. Pis. Diss.* I. 3. Fabret. *Inscript.* X. 439. Sic et Graece ὕπατοι et δισύπατοι duumuiri dicti. Olear. *ad Philostrat. vit. Herod. p.* 546. Conf. Euerard. Otton. *Diss. de consul. extra Romam. Cap. II.* In municipiis porro erant Dictatores, (Cic. *pro Milon.* X.) Aediles (Sueton. *de clar. Rhet.* VI.) Quaestores, Censores, qui et *quinquennales* dicebantur. Cic. *Verr.* II. 52. Liu. XXVIIII. 15. Gruter. p. CCCLXVI. 2. CCCCXXXII. 5. immo et praetores Liu. *Epitom.* LXXIII. Plin. *Hist. Nat.* XVII. 11. Spon. p. CLXXXII. Quatuoruiri, Decem primi, et alii, de quibus Car. Sigon. *de antiquo iure Ital.* II. 8. et omnium accuratissime Henr. Noris. *Cenotaph. Pisan. Diss. I.* 3. Porro quemadmodum Romae leges ferebantur: ita et in municipiis, idque eadem fere ratione vtrobique factum esse, patet ex loco Cic. *de Leg. III.* 16. *Et auus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, auiam nostram habebat, ferenti legem tabellariam.* Denique et Flamines suos habebant, non secus ac Romani, quorum meminit Cicero *pro Milon. X.* et publica vectigalia, quibus sumtus in republica necessarii sustinebantur: *l.* 17. §. 1. *D. de Verb. sign.* vt adeo in omnibus videantur municipes se ad Romanae reip. formam, quantum fieri poterat, composuisse.

§. CXXIIII.

Coloniae quid? et cur deductae?

Haec de municipiis: pergendum ad COLONIAS. Ita vocabantur oppida, in quae populus Romanus ciues suos ad incolendum deduxerat, vel, vt Gellius *Noct. Att.* XVI. 13. ait, *ciuitates, ex ciuitate Romana quodammodo propagatae.* Solebant enim Romani ex Romuli instituto non seruitute mulctare oppida bello capta, sed saepe

Source : BIU Cujas

saepe in ea colonos ex vrbe deducere, qui locis istis loco praesidii essent. Dionys. Halic. VII. 439. Appian. *de Bello ciuili.* I. p. 604. Et profecto vtilissimum erat hoc institutum, tum ad coercendos veteres populos, tum ad reprimendas hostium incursiones. Praeterea hoc pacto vrbana faex et sentina exhauriebatur, multisque seditionibus subtrahebatur fomentum. Immo et luculentum hoc erat medium praemiis adficiendi veteranos, iisque certos agros, e quibus alerentur, adsignandi. Car. Sigon. *de antiquo iure Ital. II. 2. pag. 625.*

§. CXXV.

Modus deducendi colonias.

Coloniae deductionem praecedebant leges agrariae, quibus et ager, quem diuidi vellet populus, definiebatur, et quibus hominibus, quam multis, per quos, et quomodo, esset diuidendus, praescribi solebat. De quibus legibus agrariis accuratissime suo more egit Car. Sigon. *l. c.* Lata eiusmodi lege, deducebatur colonia modo per *triumuiros*, Liu. IIII. 11. VIII. 16. modo per *decemuiros.* Cicer. *Agrar. II.* 35. quamuis et *quinqueuirorum*, *septemuirorum*, *vigintiuirorum coloniae deducendae* hinc inde fiat mentio: quos omnes decurionibus, auguribus, pontificibus, adparitoribus, scribis, librariis, praeconibus, architectis, mulis, tabernaculis, supellectile, ianitoribus, stipatoribus corporis magnifice ornatos, potestatem in certos annos accepisse, non obscure indicat Cicero *Agrar. II.* 12. 13. 35. Hi ergo ita constituti ornatique nouos colonos in agros, lege definitos, sub vexillo, quasi exercitum quemdam, educebant. Cic. *Phil. II.* 40. Appian. *de Bell. ciu. III. p. 552. sequ.* Plutarch. Gracch. *p.* 839. *Tom. I.* Vbi ad destinatum peruenerant locum, nouam vrbem et agrum (*a*) aratro circumscribebant, eo more, quem paullo post sequentis libri titulo primo explicabimus, singulisque colonis agri partem adsignabant. Liu. IIII. 47. XXXVII. 57. Omnia vero fiebant auspicato, et factis sacrificiis, additaque lustratione, vt ex Cic. *Philipp. II.* 40. *Agrar. II.* 12. adparet, ex quo etiam constat, nefas fuisse, coloniam iterum eo deducere, quo antea deducta fuerat.

(*a*) De vrbe res certa est ex locis Varronis, Plutarchi, aliorumque, paullo post *Lib. II. Tit. I. n. 9.* adferendis. Agros quoque vomere circumscriptos, patet ex loco Cicer. *Philipp. II.* 40. *Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, vt vexillum tolleres, et aratrum circumduceres, cuius quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti, vt florentis coloniae territorium minueretur.*

Source : BIU Cujas

§. CXXVI.

Coloniae quotuplices?

Ceterum, vt municipia, ita coloniae non erant vnius generis. Aliae erant CIVIVM ROMANORVM, aliae LATINI, aliae ITALICI Iuris. Aliae porro TOGATAE vel plebeiae, aliae MILITARES dicebantur. Et has signis quibusdam in numis discerni, obseruant eruditi. Coloniae enim plebeiae aratro, militares signo militari plerumque denotantur. Quae aratrum et signa iungunt, indicant, primam deductionem e ciuibus, supplementum e veteranis militibus fuisse, vt notat Raph. Fabret. *ad column. Traian. p.* 10. *sequ.* Addunt alii alia signa, veluti Strauch. *de Beryt. Cap. II.* 11. quod coloniae Italici iuris praetulerint in numis virum ritu Gabino cinctum, et bouem agentem. Add. Io. Harduinus *Antirrhet. p.* 136. quod Italici et Latini iuris coloniae, (quas pro iisdem habet) nullis signis in numis distinguantur. Sed haec omnia plerumque falsa esse, iam alii docuerunt. Vid. Ez. Spanhem. *de Vsu et Praest. numism. Tom. II. p.* 602. *et Orb. Rom. Exerc. II. Cap.* 19. *p.* 332. Nos ea, quae certiora sunt, consectantes de coloniarum generibus singulis distincte agemus.

§. CXXVII.

Quid coloniae ciuium Romanorum?

Coloniae CIVIVM ROMANORVM erant, quas potiore iure, quam Latii, deducebant Romani. Discrimen hoc tangit Liu. XXXVIIII. 56. vbi de colonia Aquileiam deducenda agit. *Illud agitabant*, inquit, *vti colonia Aquileiam deduceretur, nec satis constabat, an* CIVIVM ROMANORVM *deduci placeret: postremo* LATINAM *potius* COLONIAM *deducendam, patres censuerunt.* Vtrum istae ciuium Romanorum coloniae omnia ciuitatis Romanae iura retinuerint, an eadem amiserint, adhuc disputant eruditi. Car. Sigonius *de ant. iure Ital. III.* 3. iis tantum iura Quiritium tribuit, veluti libertatis, gentilitatis, connubii, patriae potestatis, legitimi dominii, nexus, vsucapionis, et si qua sunt huius generis alia: adimit vero ipsis iura ciuitatis publica, veluti census, tributorum, vectigalium suffragii, honorum et similia. At Manutius *de ciuitate Romana* eos ius quoque ferendi suffragii magistratuumque Romae gerendorum retinuisse contendit, cuius sententiam etiam ex numis adstruxisse sibi videtur Io. Harduin. *Antirrhet. p.* 136. Et certe ciues saepe vocantur eiusmodi coloni apud Liu. VIII. 14. VI. 22. Ipsi quoque Latini, qui nomina in coloniam Romanam dederant, ciues Romani dicuntur facti. Liu. XXXIIII. 24. Romae porro censi leguntur huius generis coloni apud Livium

Source : BIU Cujas

vium XXVIIII. 37. Vnde non absurde colligas, omnia iura ciuitatis Romanae retinuisse ciues colonos. Sed potiorem tamen hac in re esse Sigonii sententiam, luculenter ostendit Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap.* 19. *p.* 329. *sequ.* Nihil enim clarius est loco Dionis XXXXIII. p. 233. vbi Caesarem, ait aliis immunitatem: aliis agros, πολιτείαν δὲ τισὶ, ἢ ἄλλοις ἀποίκοις τῶν ρωμαίων νομίζεσθαι: *aliis ciuitatem, aliis autem vt ius haberent coloniarum Romanarum, dedisse*: vbi ius ciuitatis Romanae a iure coloniarum ciuium Romanorum manifesto seiungitur. Vt adeo admodum verosimile sit, colonias illas ciuium Romanorum iura suffragii, gerendorumque Romae magistratuum omnino amisisse.

§. CXXVIII.

Durior longe conditio erat coloniarum LATINARVM, quippe quae ne iura quidem Quiritium habebant. Quod adeo verum est, vt ciues Romani, qui nomina in huiusmodi coloniam dederant, capitis deminutionem mediam paterentur. Cicero *pro A. Caecina* XXXIII. *Certe quaeri hoc solere, me non praeterit, (vt ex me ea, quae tibi in mentem non veniunt, audias,) quemadmodum, si ciuitas adimi non posset, in colonias Latinas saepe ciues nostri profecti sint? Aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tum manere in ciuitate potuissent.* Add. *pro Domo* XXX. Boeth. *in Topic.* Ciceron. II. *p.* 780. Quod vero Salmasius cum aliis viris doctis autumat, colonias Latinas ex meris libertinis constitisse, illud dudum est a viris doctis explosum. Plura de coloniis Latinis dabunt Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. Cap.* 8. *p.* 46. *sequ.* Sigon. *de antiquo iure Ital.* II. 2. *p.* 661. Quid coloniae Latinae?

§. CXXVIIII.

Coloniarum ITALICI IVRIS iam supra meminimus. Eae procul dubio deterioris adhuc erant conditionis, quam Latinae, paullo melioris tamen, quam prouinciales. Discrimen inter vtrasque maxime in immunitate a tributis constitit, seu immunitate a censu capitis et soli. Donat. *ad* Suet. *Aug.* XXXX. Gothofr. *ad Cod. Theodos. Tom. V. p.* 222. 223. Quamquam enim et prouinciales coloniae nonnumquam immunes erant a tributis, vt constat exemplo coloniae Caesarienfis primae Flauiae *l. vlt. §.* 7. *D. de Censib.* et Plin. *Hist. Nat.* III. 3. *et* 11. colonias et ciuitates immunes ab iis, quae iuris erant Italici, distinguit: tamen ex *l. vlt. §.* 5. *D. de cens.* satis patet, non in leuatione census, sed immu- Quid coloniae iuris Italici et prouinciales?

Source : BIU Cujas

immunitate a censu capitis et soli, illud ius constitisse. Forma vero censionis quae fuerit, et cur ea fuerit instituta, satis adparet ex *l.* 4. *D. de censib.* cui addendus Iac. Guther. *de offic. Dom. Aug. III.* 9. *p.* 591.

§. CXXX.

Quid coloniae militares?

Coloniae MILITARES ex militibus veteranis: quemadmodum PLEBEIAE ex ciuibus, vel, vt posteriore aeuo dicebantur: ex *paganis* vel *priuatis*, (nam et hi militibus opponi solebant, *l.* 19. *C. de pact. l.* 2. *C. Theod. et l.* 1. *C. Iustin. de falsa. mon. l.* 5. *C. ad L. Iul. maiest.*) ducebantur. Illae ideo inuentae, vt veterani milites, stipendiorum diuturnitate fessi, praemium aliquando laborum caperent. Auctor huius instituti L. Sulla, quem deinde Iulius Caesar, Augustus, aliique sunt imitati. De coloniis militaribus a Sulla et Caesare deductis, testatur Appian. *de Bello Ciu. III. p.* 552. *Epit. Liu. LXXXVIIII.* de aliis ab Augusto missis Hyginus *de Castramet.* et, qui hic diligentissime omnia exsequutus est, Sigon. *de antiquo iure III.* 4. *p.* 776. *sequ.* Ceterum in eiusmodi colonias integrae legiones cum centurionibus ac Tribunis suis deducebantur. Hyginus: *Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere, et ad laboriosam agriculturae requiem primo tirocinii gradu peruenire. Nam cum signis et aquila et primis ordinibus ac Tribunis deducebantur.* Sed ab vsu recessit hic mos tempore Neronis, de quo Tacit. *Annal. XIIII.* 28. *Non enim vt olim, vniuersae legiones deducebantur cum Tribunis et centurionibus, et sui cuiusque ordinis militibus, vt consensu et caritate remp. efficerent: sed ignoti inter se, diuersis manipulis, sine rectore, sine adfectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in vnum collecti, numerus magis, quam colonia.*

§. CXXXI.

Resp. coloniarum.

Ad rempublicam coloniarum quod attinet, in eo potissimum inter colonias et municipia erat discrimen, quod haec suis legibus atque institutis: illae dato a Romanis iure vtebantur. Gell. *Noct. Att. XVI.* 13. *Coloniarum alia necessitudo est,* (quam municipiorum) *non enim veniunt extrinsecus in ciuitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex ciuitatibus quasi propagatae sunt, et iura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii, habent.* Iis ergo legibus viuebant coloni, quas dederant Romani, et inprimis decemuiri, vel triumviri coloniarum deducendarum. Quare merito apud eumdem Gellium miratur Hadrianus Imp. Italicenses, et quaedam item alia municipia antiqua, quum suis moribus legibusque vti possent, in ius

Source : BIU Cujas

ius coloniarium mutari gestiuissent. Ceterum iisdem paene, quibus municipia, etiam coloniae gaudebant magistratibus. Publicum habebant decurionum consilium, nihilque in lapidibus frequentius est siglis DEC. COL. quemadmodum in iisdem marmoribus etiam SENATORES COLONIARVM occurrunt apud Reines. *Inscript. pag. CXXXII.* Erant et in coloniis Duumuiri, Aediles, Quaestores, Censores. Erant sacerdotes, augures, pontifices. Cic. *Agrar. II.* 35. Vt adeo non abs re Gellius *l. c.* colonias *quasi effigies paruas, et simulacra maiestatis populi Romani* adpellet. Addatur Car. Sigon. *de ant. iure Ital.* II. 4. *p.* 666. *sequ.*

§. CXXXII.

Proximae sunt PRAEFECTVRAE, quarum longe durior, quam coloniarum, erat conditio. Vnde et eae demum ciuitates in praefecturae formam redigebantur, quae iniquae ingrataeque erga populum Romanum fuerant, fidemque semel atque iterum fefellerant. Vti vel ex earum origine apud Liu. I. 38. iuncto loco Dionys. *Hal.* III. *p.* 187. adparet. Parum vero a prouinciarum forma differebat forma praefecturarum. Quemadmodum enim in illam quotannis praesides, ita in praefecturas *praefecti* mittebantur, qui tamen eatenus a praesidibus differebant, quod illi a populo, vel a Senatu, libera adhuc republica, deligerentur: hi partim a populo partim a praetore. Fest. voce *praefecturae p.* 374. Praefecturae ergo neque iure ciuitatis, neque Latii, neque Italico gaudebant, sed priuatum eorum ius omne ab edictis praefectorum; publicum a Senatu Romano proficiscebatur, qui iis pro lubitu tributa, vectigalia, militiam imperabat. Fuere tamen praefecturae aliae aliis liberiores. Quemadmodum enim Capua in praefecturae formam redacta, nullum in vrbe remanebat corpus ciuitatis, nullus Senatus, nec plebis concilium, nec magistratus, teste Liuio: XXVI. 16. ita in aliis praefecturis, Festo auctore, fuit *quaedam respublica, quamuis magistratus suos non haberent.* Sane fuit in reliquis praefecturis Senatus simulacrum, qui conuentus dici solebat, qualem etiam postea, patrono Cicerone, Capuani impetrarunt. Cic. *pro Sext. IIII.* fuit ordo equestris, fuere, qui publicam rem curarent, Aediles et Quaestores. Sed his omnibus praeerant, qui iuris dicundi caussa Roma mittebantur, praefecti, quos Festus (dummodo non in mendo cubat locus) *Sexuiros* et *Quatuoruiros*; Horatius vero *Serm. I.* 5. *v.* 35. *Praetores*, adpellat, vbi de Praefectura Fundana:

Qui praefecturae

Source : BIU Cujas

Fundos, Aufidio Lusco praetore, libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam, et latum clauum, prunaeque catillum.

Praefecturas huiusmodi, in quas Populi suffragiis Praefecti mittebantur, Festus recenset Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam: Contra Praetor praefectos, teste eodem, mittebat Fundos, Formias, Caeren, Venafrum, Allicas, Priuernum, Anagniam, Frusinonem, Reaten, Saturniam, Nursiam, Arpinum: quamquam pleraeque postremis temporibus ad coloniarum vel municipiorum conditionem peruenerunt. Vid. Car. Sigon. *de ant. iure Ital. II.* 10. *sequ.*

§. CXXXIII.

Ciuitates foederatae?

Reliquae ciuitates, quae neque municipia, neque coloniae, neque praefecturae, erant, ciuitates FOEDERATAE dicebantur. Erant enim liberae, nisi quod ex foedere quaedam debebant Romanis. Talis ciuitas foederata erat Capua, antequam in praefecturae formam redigeretur, item Tarentum, Tibur, Praeneste, Neapolis, quae licet foedere obstrictae Romanis, adeo tamen rempublicam suam habebant, vt et ii, quibus aqua et igni interdictum, ciuitatem Romanam amisisse viderentur, simul ac in eiusmodi ciuitatem fuissent recepti. Forma reip. varia erat siquidem aliae dictatoribus et consulibus, aliae aliis magistratibus parebant, ceu luculenter idem ostendit Sigon. *l. c. II.* 14.

CAP. VI.

DE STATV PEREGRINORVM.

§. CXXXIIII.

Qui peregrini dicti?

Omnes, qui non erant ciues, veteribus Romanis PEREGRINI dicebantur, siue Latini essent, siue Italici iuris; siue in prouincia, siue in praefectura aliqua morarentur. Schilter. *Dissert. de iure peregrin. n. VIIII.* Hinc et in Latini iuris hominibus τῆς ξενίας σύμβολα, *signa peregrinitatis* reperit Appian. *de Bell. ciu. II. p.* 443. Et legem Mensiam, dum peregrinorum meminit, etiam ad Latinos pertinere, contra M. Vertran. Maurum demonstrauimus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. II. 9. p.* 226. Neque tamen negauerim, Latinos, quippe ciuibus Romanis propiores, aliquando a peregrinis seiungi,

Source : BIU Cujas

gi, veluti apud Vlpian. *Fragm. V.* 4. *XVIIII.* 4. Postea vbi Antoninus Caracalla ciuitatem cum omnibus, qui in orbe Romano viuebant, ingenuis communicauerat: soli libertini Latinae et dediticiae conditionis peregrini habiti sunt, ceteri omnes Romani dicti. Inde est, quod dedititios peregrinis accenset Vlpianus *Fragm. XX.* 14. De reliquis omnibus Romani orbis incolis ait Augustin. *in Psalm. LVIII. Part.* 1. *sub fin. Quisnam non cognoscit, gentes subiectas imperio Romano? quae quidem erant, quando omnes Romani facti sunt, et omnes Romani dicuntur.* Quod adeo verum est, vt et vniuersum Romanum imperium *Romania* adpellatum sit, vt pluribus veterum testimoniis demonstrant Casaubon. ad Lamprid. *Alex. Seu. V.* Iustell. ad *Can. Eccl. vniu.* IIII. *p.* 95. *Tom. I.* Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. Cap.* 6. *p.* 167. Ex quo vero Iustinianus etiam libertinos ciuitatis Romanae fecit participes: exoleuit paene peregrinorum nomen, totiusque orbis incolae in *Romanos et Barbaros* diuisi sunt, quos solos vna cum ferus in *ea vnica totius mundi ciuitate peregrinari*, dicit Sidonius *Epist. I.* 6. Quemadmodum ergo omnes Romani Imperii prouinciae *Romaniae* vocabulo veniebant, ita reliquae terrae dicebantur ἡ βάρβαρος, vel *barbaricum*, eadem forma, qua veteres dicere solebant *hostic-um*, *pacatum*, *Vindelicum*, *Noricum*, *Celticum*, *Geticum*, ceu praeclare docuit Io. Fridr. Gronou. *Obs. II.* 3. *p.* 233.

§. CXXXV.

Peregrinis in vrbe praetor singularis ius dicebat.

Libera adhuc republica paullo durior erat peregrinorum conditio. Versari quidem in vrbe poterant, sed ita, vt seiuncta a ciuibus esset in peregrinos iurisdictio. Praeter vrbanum enim Praetorem alius quoque erat, peregrinus dictus, qui iuri inter peregrinos et ciues dicundo praeerat. *l.* 2. §. 28. *D. de orig. iur.* Creatus primum est A. V. C. Ɔx. vt auctor est Flor. *Epit. Liu. XVIIII.* Inter vrbanum vero et peregrinum Praetorem cum aliae, tum hae quoque erant differentiae, quod ille hoc erat honoratior, quod apud illum lege agi poterat, apud hunc non poterat, vt erudite ostendit Franc. Hotoman. *de Magistr. Rom. p.* 121. Eumdem edictum in albo proponere consueuisse, quod negat idem Hotomanus, supra suo loco a nobis demonstratum est.

§. CXXXVI.

Saepe ex vrbe expellebantur.

Deinde in vrbe quidem habitabant peregrini: sed veluti precario. Vnde saepe magistratuum arbitrio vrbe expulsi sunt. Sic iam anno V. C. IↃCXXVII. peregrinos omnes vrbe excedere iussit

Source : BIU Cujas

ferat M. Iunius Pennus, Tribunus plebis, cuius legis mentio fit apud Ciceron. *de Offic.* III. 11. *in Brut.* XXVIII. et Feſt. *voce respubl. p.* 407. Similem legem A. V. C. IↃCLXXXVIII. L. Cotta et L. Torquato Coſſ. tulit, non Aemilius quidam Papus (*b*), nec, vt Ant. Auguſtino viſum, Papirius quidam, ſed C. Papius Celſus, qui omnes peregrinos, exceptis iis, qui Italiam incolebant, et Glaucippo neſcio quo, vrbe exeſſe iuſſit Dio Caſſ. XXXVII. *p.* 33. Cic. *de Offic.* III. 11. *Agrar.* I. 4. *pro Archia V.* (*c*). Idem deinde factitarunt Imperatores, quoties arctior annona incolarum numerum imminui ſuaderet. Auguſtum magna aliquando ſterilitate ac difficili remedio venalitias et laniſtarum familias, peregrinoſque, omnes, exceptis medicis et praeceptoribus, partemque ſeruitiorum vrbe expuliſſe, auctor eſt Sueton. *Aug. XXXXII.* Idem ſuo tempore factum, conqueritur Ambroſ. *de Offic.* III. 7. Sed poſterius hoc exemplum de barbaris, Romae commorantibus, videtur intelligendum. Nati enim in orbe Romano tantum abeſt, vt Roma exſularint, vt maximam plebis Romanae partem conſtituerent ſub Imperatoribus, maxime ex quo tempore omnes, qui in orbe Romano viuebant, ciues eſſe iuſſerat Antoninus Caracalla. Iam ſub Domitiano ea de colluuie conqueritur Iuuenal. *Sat. III. v.* 58.

Quae nunc diuitibus gens acceptiſſima noſtris,
Et quos praecipue fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obſtabit: non poſſum ferre, Quirites,
Graecam vrbem, quamuis quota portio faecis Achaei?
Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit; et ad circum iuſſas proſtare puellas.

Et Herodianus *Hiſt. I.* 12. referens peſtilentiam ſub Commodo Romanum orbem deuaſtaſſe, eam potiſſimum addit in ciuitatem Romanam ſaeuiiſſe, πολυάνθρωπόν τε οὖσαν, καὶ τὰς πανταχόθεν ἀποδεχομένην, *quae et per ſe populo abundarit, et aduenas toto orbe confluentes exceperit.* Idem *Lib. VII. cap.* 7. populi Romani indolem, qua-

(*b*) Ita exiſtimauerat neſcio quis, quem erudite refellit Car. Sigon. *de Nomin. Rom. p.* 1426. edit. Gothofr.

(*c*) Monimentum huius legis Papiae egregium exſtat in numis L. Papii, Celſi, C. illius Papii legiſlatoris agnati, in quibus tabella conſpicitur, cum litteris PAPI, quam de lege hac Papia interpretantur Ez. Spanh. *de Vſu et Praeſt. Numiſm. VI. p.* 180. Fulu. Vrſin. *de Famil. Rom. p.* 196. Adde, quae de hac lege diximus plenius in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Popp. l.* 1. 3.

Source : BIU Cujas

qualis sub Maximino Imperatore fuerit, descripturus: Καὶ πάντες μὲν, inquit, ὄχλοι κᾶφοι πρὸς τὰ καινοτομούμενα, ὁ δὲ ρωμαίων δῆμος ἐν πλήθει μεγίστῳ καὶ ποικίλῳ συγκλύδων τε ἀνθρώπων πολὺ καὶ ῥᾴδιον ἔχει τὸ τῆς γνώμης ἐυκίνητον: *Nam etsi vbique vulgus semper ad res nouas leuissimum: tamen Romana plebs in primis, quae ex magna variaque etiam peregrinorum multitudine constat, longe ceteris mobilior est.* Et sane tot Romae Syri, Phoenices, Aegyptii, Afri, Graeci, Asiatici non modo inter plebeios erant, sed et summis fulgebant honoribus, vt nihil fere Romani sanguinis Romae superesse videretur, et vrbem incolis priuaturus fuisset, qui iussisset vrbe excedere peregrinos.

§. CXXXVII.

Quod ad iura peregrinorum attinet: paucis omnia complectemur, si eos tum iuribus Quiritium, tum iure publico ciuitatis, plane caruisse dixerimus. Non ergo liberi erant iure Quiritium ita, vt flagris virgisque caedi non possent. Neque erat ipsis ius connubii cum ciuibus, Vlpian. *Fragm. V.* 4. (quamuis esset ius matrimonii, quod vocabulum iuris gentium esse docuimus in *Elem. Iur. Ciu. sec. ord. Instit. §. CL.*) neque ius patriae potestatis, *l.* 3. *D. de his qui sunt sui vel alieni iur.* neque iura patronatus *l.* 10. §. 2. *D. de in ius voc. Plin. Epist. X.* 12. neque testamenti factio, (*d*) aut ius ex testamento quidquam capiundi. *l.* 1. *pr. D. ad L. Falc.* Vlpian. *Fragm. XX.* 14. *l.* 1. *C. de her. inst. l.* 6. §. 2. *D. eod.* Immo nec testibus eis esse licebat in testamento ciuis. *l.* 30. *C. Theod. de haeret.* Denique nec ius habebant legitimi dominii, nexus, mancipii, (quamuis recte ab iis iniri et explicari possent contractus et negotia iuris gentium, (quibus etiam acceptilatio, non quidem ratione originis, sed ratione vsus accensetur. *l.* 8. §. 4. *D. de acceptilat.*) nec ius vsucapionis, de quo iam in XII. Tabulis fuerat cautum: ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS ESTO. Vid. infra *Lib. II. Tit. VI.* Quum ergo ius Quiritium nullo modo haberent, facile patet, eos multo minus gauisos iuribus census, legionis, tributorum, suffragii, petendorum honorum, aliisque huius generis.

Iure Quiritium et ciuitatis carebant peregrini.

(*d*) Hinc mortuo peregrino, bona aut tamquam vacantia in fucum cogebantur, aut priuato adquirebantur, si peregrinus se ad aliquem veluti patronum adplicuisset, eique in clientelam dedisset. Tunc enim, illo mortuo, patronus IVRE ADPLICATIONIS in istius peregrini bona succedebat. Cic. *de Orat. I.* 39.

Source : BIU Cujas

§. CXXXVIII.

Exceptiones quaedam huius regulae.

Sed quamuis haec omnia recte se habeant, non vnam tamen admittunt exceptionem. Primo enim, vt supra diximus, haud paullo melior erat conditio Latinorum et Italorum, qui tamen et ipsi peregrinis ante legem Iuliam accensebantur. Deinde multis peregrinis concedebantur quaedam iura Quiritium, vel beneficio populi, vel clementia Principum. Sic iam supra obseruauimus, datum esse quibusdam peregrinis ius connubii, patriae potestatis, testamenti factionis. Et hoc est celebre illud ius, vtendi toga, cuius mentio fit *l.* 32. *D. de iure fisci.* Accedit tertio, quod licet iure Quiritium testari haud possent peregrini, liceret tamen eis *aduersus ciuitatis suae leges testari* (*e*), vti ait Vlpianus *Fragm. XX.* 14. Vbi *aduersus* idem esse ac *secundum*, iam pridem obseruarunt eruditi. Quarto, multa etiam in fraudem legum commodumque peregrinorum fuerant inuenta. Sic tametsi nihil ex testamento capere posset peregrinus: recte tamen et iure aliquamdiu capiebat per fideicommissum. §. 1. *Inst. de fideicomm. hered.* quamuis postea omnia fideicommissa in fraudem legum relicta, irrita esse iusserit SC. Plancianum, *l.* 59. §. 1. *D. ad L. Falc.* Vlp. *Fragm. XXV.* 17. quod sub tempora Vespasiani, M. Plancio Varo Cos. ad Senatum referente, conditum esse, coniecimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Popp. II.* 6. *p.* 192. *sequ.* Denique multa sensim sub Imperatoribus mutata sunt, quae antiqui Romani in peregrinorum odium constituerant. Sic quum *castra olim eos, quos ad labores et pericula accipiebant, fastidiose legerent*; vt ait Seneca *Epist. XXXXIIII.* postea etiam prouincialibus, ac denique ipsis barbaris, locus non solum inter auxilia et socios, sed et in ipsa legione, concessus est, vt iam supra est a nobis obseruatum.

(*e*) Hinc et ii, quibus aqua et igni interdictum fuerat, quamuis ad peregrinitatem essent redacti, testari tamen poterant, secundum leges videlicet ciuitatis, in quam fuerant recepti, et sub Tiberio adhuc exemplum eiusmodi testamenti memoratur apud Tacit. *Annal. IIII.* 43. Sed hic ipse Princeps eiusmodi exsulum testamenta primus prohibuit, teste Dione Cass. *Hist. LVII. p.* 618.

§. CXXXVIIII.

Peregrinis non erat ius togae.

Quum ergo tanta esset inter ciues et peregrinos differentia; haud sane mirandum est, etiam externis quibusdam signis secretos illos voluisse Romanos. Ciues incedebant togati, qui togae amictus tam proprius iis erat, vt et *togati* pro Romanis, quemadmodum *palliati* pro Graecis, dicantur. Sicuti ergo dedecori hoc erat

Source : BIU Cujas

erat Romanis, si palliati incederent: Cic. *pro C. Rabino Cap. VIIII.* ita peregrinis togae vsu legibus fuerat interdictum, Sueton. *Claud.* XXV. Plin. *Epist. IIII.* 11. *VII.* 3. adeoque speciali concessione opus erat peregrinis, qui togati incedere vellent. *l.* 32. *D. de iure fisci* (*f*). Erat vero toga amictus exterior, laneus, semicircularis, tunicae superiectus, apertus, et ad talos vsque defluens, quem pluribus describunt A. Ruben. *de Re Vest. I. 6. p. 39.* Io. Bapt. Donius *de utraque penula.* Car. Sigon. *de Iudic. III.* 18. Ceterum quamuis communis hic esset ciuium habitus: ordines tamen insignibus quibusdam distinguebantur. Magistratus enim toga praetexta, senatores lato clauo, equites angusto clauo vti solebant. Enimuero exoleuit sensim ipsos inter Romanos togae vsus, (*g*) magisque placuere tunicae et birri, vt magno eruditionis adparatu ostendit Claud. Salmas. *Adnot. ad* Tertullian. *de Pallio p.* 79.

(*f*) Glossae ergo figmentum est, in ea lege *togam* accipi pro munere aduocati. Vid. Schilter. *diss. de iure peregrin. n. XXVII.*

(*g*) De Augusto Sueton. *Aug. XXXX. Etiam habitum cultumque pristinum reducere studuit. At visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus et clamitans: En ait,*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam!

Vnde patet, iam ipsis Augusti temporibus togae vsum exolescere coepisse.

§. CXXXX.

Sic et nominibus discernebantur ciues et peregrini: siquidem illi etiam praenominibus, hi solis nominibus vtebantur, neque prius praenomina accipiebant, quam essent in ciuitatem adsciti. Cic. *Epist. ad Famil. XIII.* 36. *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella, rogatu meo, ciuitatem a Caesare impetrauit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Ex quo loco etiam adparet, ipsa gentilia etiam nomina, vt et cognomina eorum adsciuisse peregrinos, a quibus vel quorum ope fuerant ciuitate donati, vel alio adfecti beneficio. Id quod etiam ex praecedente epistola discimus, vbi de Philoxeno, qui postea C. Auianus dictus est: *Nomen autem Auiani*, inquit, *consequutus est, quod homine nullo plus est vsus, quam Flacco Auiano, meo, quemadmodum te scire arbitror, familiarissimo.* Sed ne nimium excrescat haec adpendix, hic quidem ei colophonem imponere visum est. Nec praenomina habebant.

LIBRI

Source : BIU Cujas

LIBRI II. TIT. I.

DE RERVM DIVISIONE, ET ADQVIRENDO IPSARVM DOMINIO.

QVum ſuperiore libro de iure perſonarum expoſuerit Iuſtinianus: hoc ſecundo, Caium ſequutus ducem, DE REBVS agit. Quare, rerum diuiſiones paullo accuratius ac diſtinctius ex antiquitatibus Romanis proponere, atque hinc inde illuſtrare iuuabit. Ceterum res et pecunia quomodo differant in iure noſtro, ex *l. 5. pr. D. de verb. ſign.* ſatis notum eſt.

§. I.

Prima rerum diviſio.

Summa rerum diuiſio, vt recte obſeruat Caius, *l. 1. D. de diuiſ. rer.* (*a*) in duos articulos deducitur. Aliae enim erant DIVINI IVRIS, aliae HVMANI. Illae iterum in SACRAS et RELIGIOSAS dividebantur. SANCTAE enim, quae addi ſolent, tantum *quodammodo diuini iuris* habebantur, *vt diligentius vrbs religione, quam moenibus, cingeretur.* Cicero *de Nat. Deor. III.* 40.

(*a*) In Aniani compilatione, in qua ea lex aliter legitur, totum hoc Caii fragmentum interpolatum eſſe, vnicuique patet. Aleand. *Not. ad Caii Inſt. II. 1. 1.*

§. II.

Res ſacrae.

Res SACRAE dicebantur, quae publico ciuitatis inſtituto auctoritate Pontificum erant ſollemniter conſecratae. Feſt. *voce ſacer. p.* 417. quales erant arae, aedes, donaria (*b*), et quidquid fuerat Diis con-

(*b*) Aliae erant res *ſacro commendatae*, vt vocat Cicero *de Leg. II. 9.* Hae enim non conſecratae erant Diis, ſed tantum ſecuritatis cauſa in templis depoſitae. Cic. *de Leg. II. 16.* Sane in templis et delubris ſecuritatis cauſſa deponi ſolebant res pretioſiſſimae. In templo Saturni et Opis adſeruabantur leges, SCa, pacta, foedera et pecuniae publicae. Seuerus Imp. pecunias ſuas et theſauros in templis repoſuerat. Herodian. *Hiſt. IIII.* 4. Quin immo in pacis templum, omnium opulentiſſimum et egregie munitum vniuerſas ferme ſuas diuitias congregaſſe, refert idem auctor. *Lib. I. Cap. XIIII.* Vnde et templa cuſtodiis militaribus cincta fuiſſe, obſeruat Lipſ. *Not. ad* Tacit. *Annal. Lib. I. p.* 17.

Source : BIU Cujas

conſecratum. Et quidem vni Deo publice conſecratae aedes, *fana*; pluribus ſimul, tamquam συμβώμοις dedicatae *delubra* dicebantur. Iſ. Voſſ. *ad Pomp. Mel. II. 3. p.* 147. Publice, inquam, conſecratae. Nam vel Senatus auctoritas, vel populi iuſſus, vel principis decretum accederet, oportebat. Priuata enim auctoritate nihil fiebat ſacrum (*c*). Vid. Guther. *de iure pontif. III.* 12. Templa ſacra fiebant *inauguratione*, dum augures ſpatium ſollemniter capiebant. Tacit. *Hiſt. IIII.* 83. Id enim dicebatur *inaugurari.* Cic. *pro Dom. LIII.* Quaecumque vero loca non erant inaugurata, ea non *templa* dicebantur, ſed *aedes ſacrae.* Gell. *Noct. Att. XIIII.* 1. Sequebatur II. *luſtratio areae*, quae fiebat a militibus, quibus fauſta erant nomina, felicibus ramis; quibus ſuccedebant virgines Veſtales cum pueris puelliſque patrimis et matrimis, quae aqua e riuis, fontibus amnibuſque hauſta, vniuerſam aream perluebant. Denique et magiſtratus aderant, qui, praeeunte Pontifice ſuouetaurilibus luſtrabant ſpatium, et ſuper caeſpitem reddebant exta, ac denique precati Deos, vt ſuas ſedes diuina ope attollerent, fundamenta ſollemniter iaciebant, iniecto ingente ſaxo. Tacit. *Hiſt. IIII.* 83. Lapis eiuſmodi dicebatur *auſpicalis*, qualis deſcribitur apud Grut. *Inſcript. p.* XXXVIIII. 5. Abſoluta aede, etiam III. *dedicatione* opus erat, peragenda a magiſtratu maiore, qui praeeunte Pontifice ſollemne carmen recitabat (*d*), poſtem manu tenens (*e*), Liu. II. 8. Cicero *pro domo XXXXVII.* Valer. Max. V. 10. Grut. *Inſcript. p.* XXIII. 12. Formulas, vt ſolet, magno ſtudio collegit Barn. Briſſon. *de Formul.* I. *p.* 124. Vt vel vnam exempli cauſſa proferamus, Ioui Feretrio templum his verbis dedicauit Romulus: IVPITER FERETRI, HAEC

(*c*) [Alia erant ſacra priuata, alia priuata auctoritate inſtituta. Illa licita erant, (*Lib. I. tit. X. §.* 4.) haec vero ideo prohibita, ne religiones peregrinae introducerentur. Bynkersh. *de relig. peregr.* Idem apud Athenienſes obtinebat, vbi capitale erat myſteria domi facere. Corn. Nep. *Alcibiad. Cap. II.*]

(*d*) Ab his ſollemnibus verbis templa etiam FANA dicta ſunt. Feſt. *voce fanum. p.* 287. *Fanum a fano dictum, ſiue a fando, eo quod, dum Pontifex dedicat, certa verba* FATVR. Ita et Varro *de Lingua Lat. V. 7. p.* 38. Argutiora enim ſunt illa Iſ. Voſſii *ad Pompon. Mel. p.* 147. fanum deriuantis, a Graeco νᾶὸς, νᾰFὸς, vnde tranſpoſitione Aeolica factum *fanus* vel *fanum.* Plutarchus *in Poplic. p.* 104. ſollemne iſtud carmen vocat νενομισμένας ἐπὶ τῇ καθιερώσει φωνὰς, *legitima dedicationis verba.*

(*e*) Vnde et *manu conſecrationes fieri* dicebantur. Cicero *de Leg. II.* 11. Et Ouid. *Faſt. I. v.* 403.

Sacra vocant auguſta patres: auguſta vocantur
Templa ſacerdotum rite dicata manu.

Source : BIU Cujas

TIBI VICTOR ROMVLVS REX ARMA FERO, TEMPLVMQVE IIS REGIONIBVS, QVAS MODO ANIMO METATVS SVM, DEDICO, SEDEM OPIMIS SPOLIIS, QVAE, REGIBVS DVCIBVSQVE HOSTIVM CAESIS, ME AVCTOREM SEQVENTES POSTERI FERENT. Liu. I. 10. Solebant denique dedicationi IIII. *leges* quaedam adiici, quales hinc inde in vetuſtis marmoribus leguntur, recenſitae ab eodem Briſſon. *Form.* I. *p.* 125. Accedebant demum epulae et ſportularum diſtributiones, vel publico nomine, vel a priuatis factae, quarum meminit marmor apud Reineſ. *Claſſ. I.* 99. Quibus omnibus rite peractis, ita occupaſſe locum credebatur religio, vt numquam eſſe poſſet in dominio priuati, etiamſi aedes eſſent dirutae aut vetuſtate collapſae. Plin. *Epiſt. X.* 76. *l.* 6. §. 3. *D. h. t. l.* 73. *D. de contrah. emt.* Vnde Macrobio *Saturn.* III. 3. ſacra *Deorum haberi*, id eſt, in Deorum dominio eſſe, ait. Sacrae tamen res eſſe deſinebant exauguratione, quae fiebat per euocationem ſacrorum. *l.* 9. *D. h. t.* quo de ritu videndi Macrob. *Saturn.* III. 8. Iac. Raevard. *coniectan.* II. 17. Briſſon. *de Form.* I. *p.* 54. 63. 64. [Io. Guil. de Berger. et Henr. de Cocceii in Diſſertationibus *de euocatione ſacrorum.*] Captae quoque ab hoſtibus res ſacrae eſſe deſinebant, liberatae tamen, quaſi poſtliminii iure priſtinam recuperabant ſanctimoniam. *l.* 36. *D. de relig. et ſumt. fun.* Vnde facile patet, cur Romani hoſtes DIVINA HVMANAQVE omnia dedere iuberent. Liu. I. 38.

§. III.

Res religioſae. RELIGIOSAE res non minus, ac ſacrae, iuris Pontificii erant, vt patet ex fragmento Ciceronis apud Nonium Marcell. II. *p.* 805. *p.* 582. Vnde etiam *ſanctae* aliquando dicuntur, tamquam ſanctione a Pontificibus munitae. Gel. *Noct. Att.* IIII. 9. Statim vero locus fiebat religioſus, ſi quis mortuum in locum ſuum intuliſſet. *l.* 6. §. 4. *D. h. t.* ſiue id liberi hominis eſſet cadauer, ſiue ſerui. *l.* 2. *D. de relig. et ſumt. fun.* Vnde et diui fratres cenotaphium religioſum eſſe negant, *l.* 7. *D. de rer. diuiſ.* quamuis aliud viſum fuerit Marciano in *l.* 6. §. *vlt. D. eod.* vbi conferendus Ampl. Bynkersh. *Obſ.* I. 5. Ante reſcriptum illud cenotaphium religioſum habitum eſſe, [quia et iſtud Diis Manibus dedicari ſolebat, Henr. Noriſ. *de Cenotaph. Piſan.* III. 2. *ſequ.*] vel ex illis Virgilii *Aen.* III. *v.* 303. patet:

- - - Maneſque vocabat
Hectoreum ad TVMVLVM, *viridi quem caeſpite* INANEM
Et geminas, lacrymis cauſſam, ſacrauerat aras.

Reli-

Source : BIU Cujas

Religiosa eiusmodi loca semper erant extra vrbem (*f*), in agris, et maxime propter vias publicas. Vnde tam frequens *viatorum* mentio fit in antiquis monimentis.

(*f*) Non licebat enim per Leges XII. Tabularum mortuum intra vrbem sepelire. Cicero *de Leg. II.* 23. Quum legem firmarunt Hadrianus *l.* 3. §. 5. *D. de sepulcr. viol.* et Diocletianus et Maximianus, Augg. *l.* 12. *C. de religios.*

§. IIII.

Religiosa habebantur sepulcra, quia dedicata erant *Dis Manibus*. Haec qualia apud Romanos fuerint, paullo accuratius est explicandum. Vnusquisque sepulcrum sibi in suo aliquo fundo deligere solebat. Bene tamen de republica meritis locus publice dari, Reines. *Inscr. Class. VI.* 32. pauperibus et minus locupletibus indulgentia Pontificum attribui solebat. Idem *Inscr. Class. XVII.* 1. Aliquando plebem sibi conciliaturi, praedium aliquod sepulcris pauperum destinabant, veluti Baebius Gemellius Sassinas, qui in monimento apud Reines. *Class. VII.* 20. *municipibus singulis incolisque loca sepulturae dat, circa suum praedium, extra qui sibi laqueo manus intulerint* (*g*), *et qui quaestum turpem professi sint.* Ditiores plerumque eo loco extruebant pyramidem, columnam aliamue molem splendidam, e marmore plerumque solido, vnde et *Domus marmorea* pro sepulcro dicitur. Tibull. III. 2. Et quamuis, quantum sumtuum sepulcris impendi posset, Edicto Aedilium expressum esset, teste Cicerone *Philipp. VIIII.* 7. *Epist. ad Attic. XII.* 35. 36. Reines. *Inscr. II.* 73. tanta tamen, glisccnte luxu ea in re Romanorum magnificentia eluxit, vt eam non sine stupore in marmoribus et monimentis intueamur. In ipsis sepulcris specus subterranea dicebatur HYPOGAEVM, vbi locus erat certo ollarum vel vrnarum numero destinatus, qui OLLARIVM vocabatur, Grut. *Inscript. p.* DCCCCXXXV. 9. Reines. *Inscr. Class. XI.* 100. vel SCHOLA OLLARVM. Reines. *Class. XVI.* 53. Ius enim sepulcrorum erat diuersum. Alia plures, alia pauciores vrnas habere poterant. In inscriptione Reinesiana *Class. XVI.* 60. sunt OLLAE SINGVLARES PERPETVAE V. In aliis monimentis numerantur XV. Id. *Inscr. Class. XVI.* 53. in aliis *XXIIII.* Id. *Class. XIIII.* 145. in

Qualia Romae sepulcra fuerint?

(*g*) [Turpe hoc propricidii genus, Virgil. *Aeneid. XII. v.* 601.

Et nondum informis lethi trabe nectit ab alta.

vbi Seruius obseruat, hanc mortem tam infamem habitam vt non lugendi quidem essent suspendiosi. *l.* 11. §. 1. *D. de his, qui not. infam.*]

Source : BIU Cujas

aliis *XXVIIII.* Id. *Claſſ. I.* 240. Loculi vero ad recipiendas has ollas cinerarias comparati, COLVMBARIA vocantur in marmoribus, quorum multa attulit, ipſamque columbariorum formam oculis ſubiecit Fabrett. *Inſcript. Cap. I. pag.* 10. *ſequ.* vbi et Reineſium notat, *Claſſ. VII. inſcr.* 21. *columbarium* columbarum latibulum interpretantem. Sed ita ſe res habebat, quamdiu corpora cremari ſolebant, id quod et poſt Antoninorum tempora factum eſſe, ex monimentis paene innumeris patet. Exoleſcente paullatim eo ritu, arcas loco ollarum conſtituebant in hypogaeis, vel marmoreas, vel ex lapide Tiburtino, Grut. *Inſcr.* p. MCVIII. 6. vel fictiles. Id. *Inſcr.* p. DCCCCIII. 12. vel ex Aſſio lapide, cuius ea vis erat, vt cadauera ſtatim conſumeret. Qui lapis quum frequentiſſime his vſibus inſeruiret, factum eſt, vt arcae illae dictae ſint *ſarcophagi*, ceu iam vidit Cuiac. *Obſ. XXI.* 13. Quemadmodum ergo in aliis monimentis legimus, ibi ſita eſſe OSSA, Grut. *Inſcr.* p. DXXXVII. 7. p. DCCCLXII. 3. vel CINERES: Id. p. DCLXXXXVI. 5. ita in aliis verba occurrunt: CORPVS. INTEGRVM. CONDITVM. SARCOPHAGO. Id. p. DCLXXXVIII. 20. p. DCLXXXVIIII. 8. In eodem porro HYPOGAEO, vbi oſſa, cineres, cadauera requieſcebant, erant *lampadaria*, vel lychnuchi, quorum mentio fit apud Dion. Caſſ. *in Domitian. vit. p.* 763. et apud Reineſ. *Inſcr. Claſſ. I.* 240. et *Claſſ. XI.* 100. eorumque cura, niſi ita comparata eſſent, vt perpetuo lucerent, demandari ſolebat libertis vel ſeruis. Supra hypogaeum erant caenacula. Grut. p. DCXXXX. 2. armaria, Grut. p. CCCLXXXIII. 4. arae, Grut. p. DCCVI. 13. p. DCCVIII. 4. p. DCCXXI. 8. p. DCCCVII. 12. immo et ſigna et ſimulacra deorum, et genii familiae, qualia deſcribuntur in marmore apud Reineſ. *Inſcr. I.* 240. Vnde facile patet, cur ibi et aeditui fuerint, qualis ille AEDITVVS SEPVL. SERG. FAMILIAE, qui AEDITVAVIT ANN. XII. Reineſ. *Inſcr. Claſſ. V.* 53. itemque cur itum, ambitum, aditum ſepulcris ſuis ſtipulati ſint veteres, ad coronandum, ſacrificandum, veſcendum, quales formulae ſunt apud Grut. p. DLX. 5. p. DCCCLXIIII. 2. p. DCLXII. 5. p. MLXXXI. 1. cur item et eam legem ſepulcris additam reperiamus, vt, ſi quis ibi furtum feciſſet, perinde obligatus ſit, ac ſi ſacrilegium commiſiſſet. Grut. p. MLXXVI. 10. itemque, vt qui ibi minxerit, aut cacauerit, Deos ſuperos et inferos iratos habeat. Fabrett. *ibid. p.* 110. Denique vt hanc deſcriptionem ſepulcrorum abſoluamus, et extra ea quaedam fuiſſe, obſeruamus, quae ad illa referebantur, veluti *hortos*, *aedificia*, *tabernas*, *macerias*, *ſcalaria*, et inpri-

Source : BIU Cujas

inprimis *vnſtrina*, quamuis ea monimentis ſuis adplicari, quidam vetuerint. Grut. *Inſcript.* p. DCLVI. 3. p. DCCLV. 4. p. MXXXXIIII. 7. 8. [Menken. *Diſſ. de conſecrat. Augg. et Augg.*]

§. V.

Cur illa religioſa habita ſint?

Iam ergo non eſt quod miremur, religioſa habita fuiſſe ſepulcra quaelibet. Dedicata enim erant Diis Manibus vel Diis inferis. Diſcimus hoc ex ipſis monimentis, in quibus frequentiſſimae ſunt formulae; D. M. vel D. M. S. id eſt, DIS MANIBVS SACRVM vel DIS. INFERIS. MANIBVS. SACRVM. Iac. Guther. *de iure Manium III.* 1. Immo et propter eoſdem Manes conſecrata dicebantur ſepulcra. Gruter. *Inſcript.* p. IↃCCCLXVII. 5.

HAEC AEDIFICIA. PROPRIA.
COMPARATA. FACTA.
DICATAQ. SVNT. MONIMENTI.
SIVE. SEPVLCRVM. EST. ET.
OLLARVM. QVAE. IN. HIS. AEDIFICIIS.
INSVNT. ET. CONSECRATAE. SVNT.
RELIGIONISQVE. EARVM. CAVSSA.

Conſecrationis ſepulcri mentio etiam fit apud eumdem Grut. *p.* DCCCLXII. 5. et *p.* DCCCVII. 12. Nec raro monimenta LOCA SACRA adpellantur, apud Grut. p. DCCC. 9. p. DCCCCXXXIIII. 4. p. DCCCCLVI. 8. Nec ipſum tantum ſpacium, quo cadauer concludebatur, occupare videbatur religio, ſed et aliquam vicinae areae partem, cuius ambitum non ſolum in monimentis deſignabant, hoc modo IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XX. id eſt, *in frontem pedes* X. *in agrum pedes* XX. Horat. Serm. *I.* 8. *v.* 12. ſed et maceriis murisque includebant, vt erudite docet Briſſon. *Antiqu. Rom.* III. 15. *et* 16. *p.* 36. *ſequ.* Exempla ſunt apud Reineſ. *Inſcr. Claſſ.* VIII. 75. XII. 37. 69. 70. Ceterum ob hanc religionem corpora ſemel illata ſepulcro tolli non poterant, niſi impetrata a Pontificibus vel Principe venia *l.* 8. *et* 38. *pr. D. l.* 14. *C. de religioſ.* vel in provinciis a Praeſide *l.* 1. *C. de religioſ.* Exemplum exſtat apud Gruter. *Inſcript. p.* IↃLXXVIII. vbi RELLIQVIAE. TRAIECTAE dicuntur III. NON. FEBR. EX. PERMISS. COLLEGII. PONTIFICVM. PIACVLO. FACTO. Immo ne refici quidem monimentum poterat, ſine permiſſu Pontificum, niſi id ita fieri poſſet, ne reliquiae tangerentur. *l.* 44. §. 1. *D. de religioſ.* Id quod etiam ex marmore conſtat apud Gruter. p. IↃXVIII. 4. Immo nec corpus in alia arca poterat collocari, niſi volente principe. Grut. p. DCVII. 1.

Source : BIU Cujas

§. VI.

An sepulcra vendi potuerint.

Multo minus ergo sepulcra erant in commercio vel dominio, *l.* 12. §. 1. *D. de religios.* quamuis ipsum ius inferendi mortuum in alium transferri quocumque titulo posset. *l.* 14. *C. de legat.* [Quamvis enim exemplum exstet venditi sepulcri vel monimenti apud Gruter. p. MLXXXI. nondum tamen eo illatum esse mortuum, docet Brummer. *ad Leg. Cinc. Cap. XIIII. n.* 3. *p.* 214.] Si locus religiosus aedificiis iunctus erat, vendi non poterat cum aedificiis: at aedificia seorsim vendi poterant, licet coniuncta essent loco religioso, id quod ex insigni sententia lata a Senecione Subpraefecto Classis Misenensis, et a se in lucem protracta probat Iac. Cuiac. *Obs.* XVIII. 32. Attamen id vix intelligendum putaverim de vineis, aedificiis, agris, quae nonnumquam sepulcris adnecti solebant ad eorum tutelam. Cuius rei permulta exempla sunt apud Grut. *Inscr. p.* DCCXVII. 7. *p.* DCCCII. 8. *p.* CCXXVII. 5. *p.* DCCLIII. 4. *p.* DCXXIII. 8. *p.* DCXXXVI. 12. *p.* CCCLXXXXVIIII. 1. et Reines. *Inscr.* VI. 112. Quum vero nihilominus ius inferendi quodammodo in commercio esset: facile intelligimus, cur cauerint veteres in monimentis suis, *ne sepulcrum mutaretur, neue veniret, neue donaretur, neue pignori obligaretur, neue de nomine exiret familiae, nec vllo modo abalienaretur.* Grut. *Inscr. p.* DCCLXII. 5. *p.* DCCCVIIII. 2. comminati etiam poenam, fisco inferendam, iis qui secus facturi essent. Grut. *p.* DCCCLXI. 13. Reines. *Inscr. Class.* I. 43. Selden. *de Synedr. Ebr.* I. 5. Aliquando tamen et diuisa sepulcra legimus, eoque pertinet formula: IN PARTE DIMIDIA SVA, apud Gruter. *Inscr. p.* DCCLXXII. 14. *p.* DCCLXXII. 1. *p.* DCCCCXXXXVI. 5. et Reines. *Inscr. Class.* VIIII. 38. 39.

§. VII.

Erant vel familiaria, vel hereditaria, vel neutrius iuris.

Ceterum sepulcra vel FAMILIARIA erant, vel HEREDITARIA. *l.* 6. *l.* 7. *D. de religios. et sumt. fun.* quibus tamen nos addimus tertium genus eorum, quae NEVTRIVS IVRIS erant. FAMILIARIA vniuersae familiae patebant, non autem heredibus extraneis. Vnde Formulae in vetustis marmoribus: HOC MONIMENTVM EXTERVM NON SEQVETVR, NISI DE NOMINE VTRORVMQVE. POST OBITVM NOSTRVM CORPVS EXTRANEVM INFERRE NE LICEAT. NE DE FAMILIA EXEAT, aliaeque similes. Grut. *Inscript.* p. DLXXXIIII. 2. p. DXXIII. 5. p. DCCCLXXXI. 9. Aliquando et libertis et libertabus simul ius inferendi indulgebatur, maxime si ad exstruendum tuendumque sepulcrum aliquid contulissent, cuius rei exempla sunt apud Grut. *Inscr.* p. DCCCCXXXXV. 10. p. DCCCCLIIII. 2. vel si in nomine

Source : BIU Cujas

mine patronorum permansissent, ceu cauetur apud eumdem *Inscr.* p. DCXXXVIII. 4. Si qui tamen ex libertis libertabusque male de patronis meruerant: iis locum denegare solebant in sepulcro familiae. Sic apud Grut. *Inscr.* p. DCCCCXXXIIII. 4. aliquis monimentum posuit SIBI ET SVIS, LIBERTIS LIBERTABVSQVE POSTERISQVE EORVM, EXCEPTO HERMETE LIB. QVEM VERO PROPTER DELICTA SVA ADITVM, AMBITVM, VLLVMVE ACCESSVM HABERE IN HOC MONVMENTO, vetat. Alibi p. DCCCLXII. 5. excipitur SECVNDINA LIBERTA, IMPIA ADVERSVS CAECILIANVM FELICEM, PATRONVM SVVM. Alia et a familiaribus diuersa erant sepulcra HEREDITARIA, quae omnes heredes, etiam extraneos sequebantur. Id quod indicare solebant formulis: H. M. H. S. id est, HOC MONIMENTVM HEREDES SEQVITVR. Vel: HVIVS MONVMENTI VEL SEPVLCRI IVS AD HEREDES EIVS PERTINET PRO PORTIONIBVS, QVA QVIS TESTAMENTO EIVS SCRIPTVS EST. Grut. p. DCCCLXVI. 7. p. DCCCLXXI. 8. Denique quaedam sepulcra NEVTRIVS IVRIS, et nec *familiaria*, nec hereditaria esse diximus. Modo enim sibi tantum conditorium parabant, modo sibi et coniugi, modo sibi et suis, qui in potestate futuri sint, Grut. *Inscript.* p. DCCCCLXXXIII. 4. modo diserte cauebant, ne quos inferri liceret, nisi quorum nomina scripta sint, et quibus conditor eius sepulcri diserte cauerit, Gruter. p. DCCCCLXXXX. 2.

§. VIII.

Diuini quodammodo iuris habebantur etiam *res* SANCTAE, quales erant muri, non modo Romani, sed et omnes circa alia oppida: Fest. *voce religiosus. l.* 8. §. 2. *D. h. t.* et ex Caii sententia, etiam portae. Ast Plutarchus *Quaest. Rom. XXVI.* muros quidem, non vero portas, sanctos esse ait. Quam controuersiam facile et sine pulueris iactu, componas. Sancta res dicitur vel ob *sanctionem*, qua res ita munita est, vt violari impune haud possit; Fest. *voce sanctum p.* 423. Marcianus *l.* 8. *D. h. t.* vbi etiam obseruat, dictum *sanctum* esse a sagminibus herbis, quas signum fuisse inuiolabilitatis inter omnes constat. Conf. Fest. *voce sagmina.* Et hoc sensu etiam portae erant sanctae, siquidem et hasce violantibus capitale propositum erat supplicium: *l.* 2. *et* 3. *D. ne quid in loco sacro fiat.* Vel sancta dicuntur, quae per sollemnes quasdam caerimonias dedicabantur, et hoc sensu sola moenia ac pomoeria non item portae, sancta habebantur, quia per has res etiam impurae ferri vehique solebant. Res sanctae.

§. VIIII.

Source : BIU Cujas

§. VIIII.

Ritus in condendis vrbibus et exstruendis moenibus adhibiti.

Quoties aut vrbs noua exstruenda, aut colonia condenda erat, toties conditor vel triumuir coloniae deducendae, cinctu Gabino ornatus, aratro aptabat aeneum vomerem, iunctisque bobus, mare et femina, ipse circum lineamenta profundum ducebat sulcum. Sequebantur coloni, et excisas aratro glebas intro vertebant. Vbi portam esse volebant, vomere exemto, atque aratro sublato, relinquebant spacium. Ducto sulco, cum boues illi, tum aliae victimae immolabantur Dis medioxumis, et tum demum exstruendis muris admouebantur manus. Plut. *Rom. Quaest.* XXIIII. *et vit. Romuli p.* 23. Dion. *Hal. I. p.* 75. Hinc in numis coloniarum fere semper conspiciuntur iuncti boues, acti a viro cinctu Gabino ornato (*h*). Vid. Ezech. Spanh. *de vsu et praest. num. Dissert. VIIII.* p. 777. Vaillant. *de numis aeneis colon. Latini iuris Paris.* MDCLXXXXV. *fol.* Adhibebantur et alia quaedam boni ominis caussa, vt Festus docet voce *Quadrata p.* 389. quae tamen, qualia fuerint, hodie ignoramus. [Polenta muros et pomoeria descripsisse Graecos, patet ex Curtio IIII. 8. 6.] Iam vero ex his facile reddideris rationem, cur moenia, non autem portae, sancta visa sint. Eae enim auspicato non signabantur aratro, quia per illas cadauera aliaque impura euehenda erant: et hinc quoque sacrae hoc quidem sensu non videbantur. Plutarch. *Quaest. Rom.* XXVI.

(*h*) Hinc vrbes dictae ab *vrbo. Vrbare* enim veteribus erat aratro definire: *Vrbum* vero dicebatur curuatura, quod ea in vrbe condenda adhiberi consueuerat. Varro *de Lingua Lat. IIII.* 32. *p.* 24. Pompon. *l.* 239. §. 6. *D. de verb. signif.* Conf. Iac. Raeuard. *Coniectan. II. 7. p.* 49.

§. X.

Dedicatio moenium.

Perfecta moenia etiam dedicari sollemniter solebant. Idque adparet ex Inscriptione apud Gruter. p. CCXVI. 2. COLONIA. AVGVSTA. VERONA. NOVA. GALLIENIANA. VALERIANO II. ET. LVCILLO. COSS. MVRI. VERONENSIVM. FABRICATI. EX. DIE. III. NON. APRILIVM. DEDICATI. PRID. NON. DECEMBRIS. Facta ergo hac dedicatione sancta habebantur moenia, ac proinde nec refici poterant sine Principum, tamquam Pontificum Maximorum, auctoritate, nec quidquam iis superimponi. *l.* 8. §. 2. *l.* 9. §. *fin. D. h. t.*

§. XI.

Source : BIU Cujas

§. XI.

Si vero paullo accuratius rem consideres, facile adparebit, non aliam ob causam hac sanctitatis opinione imbutos esse homines, nisi vt ciues pro moenibus, tamquam pro re sancta, Diisque dedicata tanto fortius pugnarent. Idque etiam obseruat M. Terentius Varro *apud Plutarch. Quaest. Rom. XXVII.* Cur sanctitas tributa moenibus?

§. XII.

Res humani iuris vel in NVLLIVS, vel in PRIVATORVM *quorumdam* erant PATRIMONIO. In nullius patrimonio erant, res *communes*, *publicae*, (*i*) *vniuersitatis*, et quae κατ' ἐξοχὴν *nullius* esse dicebatur, hereditas iacens. Res humani iuris quotuplices?

(*i*) Tribonianus *princ. Inst. h. t.* res communes a publicis seiungit; quidam veterum iureconsultorum communia et publica pro iisdem habebant, vt vel ex Marciano *l. 2. D. de rerum diuis.* patet, vbi res publicae omittuntur. Pari quoque sensu veteres res communes et publicas vocasse, luculenter ostendit Ger. Noodt. *Probabil. I. 7. p. 10. sequ.* Liceat itaque hic, vbi Antiquitates tradimus, loqui cum veteribus, sentire alias cum Iustiniano, cuius doctrinam alibi fusius atque accuratius exposuimus.

§. XIII.

COMMVNES, veteribus dictae etiam PVBLICAE habebantur, quarum dominium nemo ita poterat occupare, vt excluderet alios. Tales erant aer, aqua profluens, mare eiusque littora. Vnde Virgil. *Aeneid. VII. v. 229.* Res communes, vel publicae.

-- -- -- *Littusque rogamus*
Innocuum, et cunctis auramque vndamque patentem.

Et Prudent. *adu. Symmachum II. v. 798.*

Nunc adsunt homini data munera legibus isdem,
Queis concessa semel: fons liquitur, amnis inundat,
Veliuolum ratibus mare finditur, influit imber,
Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aer.
Et res natura fit PVBLICA *promtaque cunctis,*
Dum seruant elementa suum famulantia cursum.

Idem existimandum de fluminibus, portubus, ripis, quae et ipsa eatenus communia vel publica habebantur, vt liceret in iis piscari, alligare naues, aliaque huiusmodi facere. Sed ea omnia de innoxio vsu intelligenda, neque eo extendenda sunt, vt in mare flumina, portus, nullum fuisse principum vel reip. imperium exi-

Source : BIU Cujas

ſtimemus. Alia omnia oſtendunt [Boeclerus *in Diſſ. Minos maris dominus*, et] Iac. Gothofredus *Diſſert. de Imperio maris*, quae cum aliis eius opuſculis iuridicis, politicis, hiſtoricis, criticis prodiit Geneu. MDLIIII. 4°. Nota illa Oppiani *Halieut. III. v. 4. ſequ.* vbi poeta ad Antoninum Caracallam:

- - Σοῖς μὲν γὰρ ὑπὸ σκήπτροισι θάλασσα
Εἰλεῖται καὶ φῦλα ποσειδάωνος ἐναύλων.
- - *Tuis enim ſub ſceptris mare*
Voluitur, et greges Neptuni incolarum.

Idem de iure piſcandi ſtatuendum eſt. Tantum enim abeſt, vt illud ſemper commune fuerit, dominioque exemtum, vt potius, qui longo tempore in diuerticulo fluminis ſolus piſcatus fuerat, poſſet alios ab eo iure excludere. *l. 7. D. de diuerſ. temp. praeſcr.*

§. XIIII.

Cur eiuſmodi res iureconſulti vocarint publicas et communes.

Ceterum eas res communes et publicas dixere veteres, ex ſententia Stoicorum, quorum principia iureconſultis fere omnibus erant in deliciis. Stoicos enim veluti regnum quoddam generis humani, vel vniuerſalem omnium Deorum hominumque rempublicam, ſtatuiſſe, nemo ignorat, idque luculenter docent Cicero *de Finib. III. 19. ſequ.* M. Antonin. εἰς ἑαυτὸν *II. 16. III. 11. IIII. 3. VI. 44. XII. 36.* Arrian. *Diſſert. Epictet. I. 12. III. 24.* Senec. *de Benef. IIII. 28.* Addantur Thom. Gataker. *Adnot. ad M. Anton. p. 75.* Thom. Stanley. *Hiſt. Philoſ. Part. VII. P. 1. Cap. 13. p. 614.* Quum ergo etiam iureconſulti hanc philoſophiam ſequerentur, duplicemque adeo ſibi conciperent rempublicam, maiorem vnam, quae erat omnium Deorum hominumque, alteram minorem, vniuſcuiuſque populi aut ciuitatis: conſequens erat, vt et bona, ſiue publica, ſiue communia dupliciter acciperent, nonnullaque omni iure, alia tantum iure gentium communia adpellarent, quae tamen in iure ciuili Romanorum eſſent in reipublicae dominio. Quae omnia tam praeclare explicantur ab humaniſſimo iureconſulto, Gerardo Noodtio, *Probabil. I. 8. p. 21. ſequ.* vt otium nobis feciſſe videatur.

§. XV.

Res vniverſitatis.

Res VNIVERSITATIS erant, quarum dominium vniuerſitas, vſum ſinguli ex vniuerſitate habebant, vt ſtadia, theatra, balnea, curiae. §. 6. *Inſt. h. t. Vniuerſitas* vero vocabatur vnaquaeque ciuilis

Source : BIU Cujas

lis societas, excepta familia liberaque republica. Adeoque omnes ἑταιρίαι et societates, omnes tribus, omnia corpora opificum, *universitates* erant. Huber. *Praelect. ad Inst. II.* 8. Postquam vero in monarchiam degenerauerat respublica, inuisae fuerunt principibus, omnes sodalitates et ἑταιρίαι, nec aliae ius vniuersitatis, arcae communis, et collegii habebant, quam quae singulari Principum privilegio erant munitae. Quare non raro in Inscriptionibus legimus: Q. E. S. C. L. *Quibus ex SC. coire licet*, vel similia. Vid. Plin. *Epist. X. 93. et 94. tit. C. de colleg. et corpor.* Cuiac. *Obseru. VII.* 30. *et Diss. nostr. de Colleg. et Corp. Opif. Cap. I.*

§. XVI.

Res nullius.

NVLLIVS denique erant, quae nullum reipsa agnoscunt dominum, quamuis sua natura in dominio esse possint. Tales sunt res hereditariae, antequam aliquis heres exstitit *l.* 1. *pr. D. de diuis. rer.* Per fictionem tamen quamdam hereditas iacens defuncti personam repraesentare, eiusque in dominio esse, dicitur. *l.* 31. §. 1. *D. de her. inst. l.* 61. *pr. D. de adquir. rer. dom.* Nonnumquam et personam heredis sperati sustinet. *l.* 24. *D. de nouat. l.* 26. *D. de stipul. seru. l.* 1. §. 1. *D. si is qui test. lib. l.* 68. *D. de furt.*

§. XVII.

Res privatae vel mancipi vel nec mancipi.

Quae in priuatorum dominio erant, dicebantur RES PRIVATAE. Festus *voce priuos p.* 378. *Priuos priuasque antiqui dicebant pro singulis: ob quam causſam et priuata dicuntur, quae vniuscuiusque sunt, hinc est priuilegium.* Add. Non. Marcell. *de Diff. Verb. II.* 694. Res illae priuatae apud veteres vel MANCIPI erant, vel NEC MANCIPI. (*k*) Apud veteres dico. Iustinianus enim hanc differentiam sustulit, quum tamen eius vestigia quaedam reliquerit in *l.* 32. §. 1. *D. de vsurp. et vsuc.* in *l.* 68. *D. de furt.* Vid. Merill. *Obs. VIII.* 38. *p.* 132. Res MANCIPI dicebantur, quae certo ritu inter solos ciues Romanos ita vendi alienarique poterant, vt emtor manu eas caperet, (vnde et ipse MANCEPS, et res MANCIPI vel MANCVPI adpellabantur,) et venditor earum evictionem praestaret. NEC MANCIPI res erant,

(*k*) In vniuerso corpore Iustinianeo nulla fit huius distinctionis mentio, quod eam sustulisset Iustinianus *l. vn. C. de iure Quirit. tollend.* Hotom. *Antitribonian. V. p.* 113. *sequ.* Fundamentum eius procul dubio fuit rerum pretium. Res enim pretiosissimae antiquis videbantur fundi, serui, pecudes, non nisi cum sollicitudine quadam et sollemnitate alienandae. Bynkersh. *de reb. mancipi et nec manc. p.* 109.

Source : BIU Cujas

erant, quae non poterant isto ritu alienari: vnde et periculum rei penes emtorem erat. Plaut. *in Perſ. IIII.* 3. *v.* 55.

Ac ſuo periculo is emat, qui eam mercabitur,
MANCVPIO *neque promittet, neque quisquam dabit.*

Et paullo inferius: *v.* 61.

- - - Nihil mihi opus eſt litibus,
Niſi MANCIPIO *accipio, quid eo mihi opus mercimonio?*

Vnde et diſtingui ſolent *mancipium* et *vſus*. Lucret. *III. v.* 985.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus vſu.

vt et *mancipium* et *fructus*, κτῆσις καὶ χρῆσις. Cicer. Epiſt. *ad Fam. VII.* 29. 30. (*l*).

(*l*) Mancipi non indeclinabile eſt, vt vulgo docent Lexicographi, ſed contractum ex *mancipii* Voſſ. *de art. gramm. III.* 46. Salmaſ. *de vſur. VIII.* Iac. Perizon. *ad* Sanctii *Mineru. IIII.* 4. 12.

§. XVIII.

Quaenam res mancipi fuerint?

MANCIPI res habebantur I. *praedia in Italico ſolo*, Vlpian. *Fragm. XVIIII.* 1. adeoque et in prouinciis, ſi quando locis erat datum ius Italicum, quales ciuitates permultae recenſentur in *tit. D. de cenſ.* Adde Henr. Noriſ. *de Epochis Syro-Maced. IIII. p.* 427. idque non modo de ruſticis intelligendum, verum etiam de vrbanis. Cic. *de Orat. I.* 39. *ſequ.* et *de offic. III.* 67. Sed eiuſmodi praedia ruſtica mancipi erant ſuo iure, vrbana iure fundi per acceſſionem, ex mente ampliſſimi viri Bynkersh. *de reb. mancipi et nec mancipi p.* 111. quamuis in alia omnia eat ICtus pereruditus, Chriſt. Waechtl. *in Act. Erud. ſuppl. VII. ſect.* 7. *p.* 301. Eiuſmodi loca dicebantur *agri cenſui cenſendo*. Feſt. *voce cenſui. p.* 265. Cic. *pro Flacc. XXXII.* et ibi Io. Ge. Graeuius. Reliqua in prouinciis praedia poſſeſſiones vocabantur, et vſu tantum tenebantur, non mancipio. Feſt. *voce poſſeſſio p.* 372. Porro rebus mancipi accenſebantur II. *iura praediorum ruſticorum*, veluti, actus, via, aquaeductus. De ſeruitutibus vrbanis tacet Vlpianus. Vnde eae accenſentur rebus nec mancipi, diſſentiente iterum viro laudatiſſimo Chriſt. Waechtlero. *ibid. p.* 300. *ſequ.* Nec tamen ratio deeſt iis, qui iura praediorum vrbanorum mancipi fuiſſe negant. Quum enim praedia ruſtica ipſo iure eſſent mancipi: ideo et tales erant ſeruitutes, iis inhaerentes per acceſſionem. Aliud de praediis vrbanis, quae per acceſſionem tantum erant mancipi, adeoque hanc qualitatem cum ſeruitutibus communicare non poterant, quia non datur acceſſionis

Source : BIU Cujas

nis acceſſio. Bynkersh. *ib. p.* 130. III. *ſerui* mancipio dati, IIII. *quadrupedes*, quae dorſo colloue domantur, veluti boues, muli, aſini, equi, non beſtiae, quamuis dorſo colloue domentur, vt puta elephanti et cameli. V. *Hereditas*, ſeu familia, ſiquidem et ipſa per aes et libram mancipabatur. Gell. *Noct. Att. XV.* 26. §. 1. *Inſt. de teſt. ord.* Ergo et VI. *filii familias* Bynkersh. *de iure occid. lib. I. p.* 145. VII. *Margaritae.* Nam et has in mancipatum venire, ait Plin. *Hiſt. Nat. VIIII.* 35. Atqui et monimenta ſeu ſepulchra mancipata, ſeu per aes et libram transſlata, legimus in marmore Gruteriano p. MLXXXI. 1. ſicut columbarium apud Reineſ. *Claſſ. VII.* 21. An ergo et haec res mancipi ſunt? Ipſa ſepulchra in ſe neque mancipi neque nec mancipi habebantur, quia non erant in commercio. At ius ſepeliendi erat ius praedii ruſtici, (quia ſepulcra non in aedibus, ſed in agris exſtrui ſolebant,) et hinc omnino in alium transferebatur per aes et libram. [Add. Brummer. *ad Leg. Cinc.* XIIII. *n.* 3. *p.* 214.] Hunc rerum mancipi catalogum nobis ſuppeditant veteres. Ceterae res NEC MANCIPI dicebantur, teſte Vlpiano *Fragm.* XVIIII. 1.

§. XVIIII.

Fiebat vero rerum mancipi alienatio praecipue MANCIPATIONE, vnde haec propria ſpecies alienationis rerum mancipi eſſe dicitur. Vlpian. XVIIII. 3. Cic. *Topic.* X. Quamuis enim res mancipi etiam tradi poſſint ſine mancipatione: tamen tunc tantum in bonis erant accipientis, non in dominio Quiritario. Vlp. I. 16. adeoque res mancipi eſſe deſinebant niſi per modum adquirendi iuris ciuilis acceſſiſſet dominium Quiritarium. Quo pertinent verba Horatii *Epiſt.* II. *v.* 158. Res mancipi alienatae mancipatione?

Si proprium eſt, quod quis libra mercatus et aere eſt,
Quaedam, conſultis ſi credas, mancipat vſus.

Loquitur ſane Horatius de rebus mancipi, quae ex ſententia iureconſultorum etiam vſucapione poſſunt adquiri. Conf. Ant. Schulting. ad Vlp. *Fragm.* XVIIII. 3. *p.* 620.

§. XX.

MANCIPATIO vero erat actus legitimus, quo res mancipi mores ſollemni tradebantur. Bynkersh. *de reb. manc. I. p.* 105. In eo adhibendi erant quinque teſtes, ciues Romani, puberes, cum libripende et anteſtato. Ritus et formulas iam ſupra *Lib.* I. *Tit.* XII. *num.* 6. 7. 9. deſcripſimus. Id modo addendum, vna mancipatione hic totum actum abſolui conſueuiſſe, quia ad patris tantum pri- Mancipatio quomodo facta? et differentia nexi et mancipii.

Source : BIU Cujas

vilegium id pertinebat, vt filius non nisi ter emancipatus, et manumissus, eius potestate et dominio exiret. Iungitur saepe mancipio *nexus*, vel *traditio nexus*. De ea Varro *de Lingu. Lat. VI. 5. p.* 58. NEXVM *Manilius scribit, omne, quod per libram et aes geritur, in quo sint mancipi. Mucius Scaeuola, quae per aes et libram fiant, vt obligentur, praeterquam quae mancipio dentur. Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit, de quo quaeritur. Nam idem, quod obligatur per libram, neque suum sit, inde nexum dictum.* Sed quum haec sint obscurissima, audiamus ea interpretantem virum doctissimum, Io. Fridr. Gronouium *in Epist.* CCCII. *ad Claud. Salmas.* quae in clarissimorum Virorum Epistolis, a celeberrimo Burmanno editis Tomo II. p. 549. habetur. *De loco Varronis, quando sic illudere mihi voluisti, vt sententiam meam quaereres, ludibrium debere tibi pergam. Puto ergo falli Varronem, non tantum in ridicula illa origine τῦ* NEXI, *sed et quod ceu diuersas ponit sententias Manilii et Scaeuolae, quarum vtraque vera est, nec inter se pugnant. Sane et Cicero distinguit ea, quae tenentur* IVRE NEXI *et* IVRE MANCIPII. (Cic. *Epist. ad Fam.* VII. 30.) *Nempe quae habeo* IVRE MANCIPII, *eorum sum dominus: quae* IVRE NEXI, *in ea habeo obligationem. Ita sibi non contradicunt Manilius et Scaeuola. Nam Manilius requirit, vt quae nexa sint, eadem quoque sint mancipi, hoc est, talia, quorum commercium sit, et quae mancipari possunt. Scaeuola dixit, nexum esse, quod per aes et libram geritur, praeterquam quae dantur mancipio. Et haec enim per aes et libram geruntur, sed plus dant iuris, quam nexa. Non negat itaque Scaeuola, necesse esse, vt aliquid quod per aes et libram geritur, sit nexum, id esse rem mancipi: sed dicit aliud esse tenere aliquid iure nexi, aliud iure mancipii, quamuis utrumque per aes et libram geratur, seu omne id nexum esse, quod per aes et libram geritur, si non mancipio detur. Ita negatione vnius speciei, definit alteram, quod non negat Manilius. Quod* MANCIPIO *datur, eius fio dominus: quod* NEXVM *est, eius proprie non sum dominus, sed habeo tantum in id obligationem. Et ita quoque* NEXVS *differt a* SERVO, *etsi obligatus est ad seruiles operas praestandas.* NEXVM *habeo iure nexi; non mancipii: at* SERVOS *habeo iure mancipii. Sic quod mihi pignoris loco datum est, habeo iure nexi; illud etiam si penes me sit, non tamen est meum. Logica haec etymologia est, non grammatica. Videntur omnia quidem mancipia etiam esse generali vocis notione nexa, aut quae habebo iure mancipii, eadem me habere iure nexi: sed non contra aut reciproce. Ita Cicero quum dicit abalienationem esse traditionem alteri nexu, sine dubio generaliter vocem accipit, vt etiam, quae mancipio dantur,*

Source : BIU Cujas

tur, comprehendat. Sed ad vtrumque requiritur, vt sint res illae, quae siue iure nexi, siue iure mancipii tenentur, res mancipi, quod volebat Manilius. Nec aduersatur, quod liber homo, qui non est mancipi, obaeratus potest fieri. Reuera enim liberi hominis commercium non est, ideoque non potest esse mancipi: sed vt fiat nexus, fit ex dispositione legis; quae obaeratos necti iussit et ad refrenandam indiligentiam quorumdam patrumfamilias hoc introduxit. Ita etiamsi liberi hominis commercium non sit, idque leges sciuerint, homo tamen maior XX. annis, quum ad pretium participandum venumdari se patitur, fit mancipi, et seruus, etiam dispositione legis, quae vnicuique fauori pro se introducto renunciare licere, et hoc modo lasciuiam fraudatorum coercere voluit. Hactenus locus Gronouii, prolixus ille quidem, sed quem ideo totum hic adscribere non piguit, quod eum vnum viderim, in quo discrimen *mancipii* et *nexi* perspicue exponitur. Res eo redit. Omnis abalienatio rerum mancipi fiebat per aes et libram vel mancipationem: sed duplici fine, vt aut dominium iuris Quiritium transferretur, aut res illa tantum obligaretur, e. g. vt aliquis in ea ius pignoris vel simile haberet. Priore casu res dicebatur MANCIPIO dari; posteriore IVRE NEXI transferri. Hinc recte Festus *in voce nexum*: NEXVM *est, quod per aes et libram geritur*, (hoc enim commune habent nexum et mancipium,) *nexum aes dicebatur pecunia, quae per nexum* OBLIGATVR. (In hoc enim differunt nexus et mancipium.) Recte etiam Salmasius *de Mod. Vsur. Cap. XVIII.* p. 839. *nexum esse obligationem et nexos obligatos* docet, quamuis quum epistola Gronovii anno MDCXXXVII. scripta; Salmasii autem liber demum MDCXXXVIIII. editus sit, rectius fecisset, si eum, qui omnia planius scripserat, vel honoris caussa nominasset.

§. XXI.

Quemadmodum vero mancipatio propria rerum mancipi erat: ita et alii erant adquirendi modi, quorum quidam e IVRE GENTIVM, quidam e IVRE CIVILI descendebant. Ad prius genus pertinent OCCVPATIO, ACCESSIO, TRADITIO, de quibus copiose hoc titulo agit Imperator. Nos id modo addimus, si duo rem inuenerant, quorum alter adprehenderat, alter eam adprehendi viderat, communem eam rem vtriusque esse visam. Vnde sollemnis formula: IN COMMVNE, (*m*) similis quodammodo hodiernae: *Halbe*

Modi adquirendi iuris gentium.

(*m*) Sic et Graeci id, quod ab altero inueniri videbant, in commune poscere solebant formula: κοινὸς Ἑρμῆς, vel κοινὸν τῷ Ἑρμῇ; de qua formula Erasm. *in Adag. Chil. II. Cent. 1. n. 85.*

Source : BIU Cujas

be part. Seneca *Epist. CXVII. Quoties aliquid inueni, non exspecto, donec dicas:* IN COMMVNE; *ipse dico.* Phaedr. *Fab. V.* 7.

Inuenit caluus forte in triuio pectinem.
Accessit alter, aeque defectus pilis,
Heia, inquit, EST COMMVNE, *quodcumque est lucri.*

Adde Plaut. *Rudent.* IIII. 3. *v.* 76. vbi poeta fori Romani argutias hac in re in risum deducit:

- - - Omitte vidulum.
GR. *Numquam hercle hinc hodie ramento fies fortunatior.*
TR. *Non probare pernegando mihi potes, nisi* PARS DATVR,
Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.
GR. *Quemne ego excepi e mari?* TR. *At ego inspectaui e littore.*
GR. *Meo labore, opera, rete et horia?* TR. *Num qui minus,*
Si veniat nunc dominus, cuius est, ego, qui inspectaui procul,
Te hunc habere, fur sum, quam tu? TR. *Nihilo.* TR. *Mane mastigia.*
Quo argumento socius non sum, et fur sum, fac dum ex te sciam.
GR. *Nescio neque ego istas leges vestras vrbanas scio,*
Nisi quia hunc meum esse dico. TR. *Et ego item aio esse meum.*

Praeclarus sane locus, quo non solum hic veterum ritus, sed et complura iuris nostri loca lucem haud mediocrem capiunt. Ger. Noodt. *Probab.* II. 6. *p.* 54. *sequ.*

§. XXII.

Modi adquirendi iuris ciuilis.

Modi adquirendi CIVILES complures sunt. Tres recenset Aleander ad Caii *Instit.* I. 6. 3. *mancipationem* puta, *in iure cessionem*, et *vsucapionem*, sed deceptus male intellecto loco Vlpiani *Fragm.* I. 16. in quo seruus, quem ciuis Romanus a ciue Romano emerit, quique ei traditus sit, tantum in bonis eius esse dicitur, *nisi sit mancipatus ei, nec in iure cessus, nec ab ipso anno possessus.* Sane enim Vlpianus hic non recensere voluit modos adquirendi iuris Quiritium, neque negat, rem aliis quoque modis transire posse in dominium Quiritarium. Sex modorum meminit Varro *de re Rust.* II. 10. *Sex enim fere res in emtionibus dominium legitimum perficere* ait, ac deinde huc refert HEREDITATEM, MANCIPATIONEM, IN IVRE CESSIONEM, VSVCAPIONEM, SVB CORONA EMTIONEM, AVCTIONEM. Et hac in re Varronem sequitur Sigonius *de antiquo iure ciu. Rom.* I. 11. Sed nec Varronem modos omnes recensere voluisse, quum ex particula FERE, qua vtitur, tum praecipue patet

Source : BIU Cujas

patet ex Vlpian. *Fragm.* XVIIII. 2. vbi et *adiudicationem*, et *legem* memorat iurisconsultus. Iisdem vero haud immerito adiiceris *adrogationem*, *donationem*, et modum, quem *SC. Claudianum* induxit. Quae quum ita sint, duodecim erunt modi adquirendi iuris Quiritium, I. HEREDITAS, II. MANCIPATIO, III. IN IVRE CESSIO, IIII. VSVCAPIO, V. SVB CORONA EMTIO, VI. AVCTIO, VII. TRADITIO, VIII. ADIVDICATIO, VIIII. LEX, X. ADROGATIO, XI. DONATIO, XII. MODVS ADQVIRENDI EX SC. CLAVDIANO. De primo modo infra *Lib.* II. *Tit.* XVIIII. de quarto *Libro* II. *Tit.* VI. de decimo *Lib.* III. *Tit.* XI. de vndecimo *Lib.* II. *Tit.* VII. de vltimo *Libro* III. *Tit.* XIII. agemus. De secundo modo iam diximus supra *n.* XVI. XVII. Ergo restant *in iure cessio*, *sub corona emtio*, *auctio*, *traditio*, *adiudicatio*, *et lex*, de quibus nonnulla ex antiquitatibus erant monenda.

§. XXIII.

Quid in iure cessio?

IN IVRE CEDEBANTVR res tum mancipi, tum nec mancipi, non modo corporales, sed et incorporales, et tunc requirebantur tres personae, quarum vna *cedebat*, altera *vindicabat*, tertia *addicebat*. Vlp. *Fragm.* XVIIII. 9. Cedebat dominus, vindicabat is, cui cedebatur, addicebat Praetor vel Praeses prouinciae. Vindicabat primo rem is, cui illa cedebatur, et ita quidem, vt eam tenens diceret: HANC EGO REM EX IVRE QVIRITIVM MEAM ESSE, AIO. Tum interrogabat Praetor vel Praeses, an alter contra vindicaret? Solebant enim olim possessores in contestanda rei vindicatione non solum negare intentionem actoris, sed et ipsi rem adserere: veluti apud Plautum *Rud.* IIII. 3. *v.* 86. vbi altero dicente HVNC MEVM ESSE DICO, statim alter subiicit: ET EGO ITEM AIO ESSE MEVM. Cic. *pro Muraena* XII. et infra *Lib.* IIII. *Tit.* VI. *n.* 24. [Henr. de Berger. *Diss. de contrauindicatione.*] Quaerebat ergo Praetor vel Praeses, vtrum contra vindicaret, an auctor fieret? Quo procul dubio pertinet formula apud Valerium Probum: A. F. A. *An fis auctor*? Negante domino, vel tacente, Praetor rem addicebat vindicanti, hac fere vsus formula: QVANDO TV NEGAS, HANC EGO REM PRAESENTI ET VINDICANTI ADDICO. Cai. *Instit.* II. 1. 6. Boeth. *Comment. ad* Cicer. *Topic. Lib.* III.

§. XXIIII.

Quid sub corona emtio?

EMTIO SVB CORONA quid fuerit, ostendendum paullo accuratius. Victis hostibus praeda venibat, et in his etiam captiui, et in seruitutem detrusi. Hi ergo sub corona venire dicebantur, non quod milites eos custodiae caussa circumstarent, eaque militum

Source : BIU Cujas

custodia *corona* vocaretur, sed quod ipsi captiui venales starent coronati, ceu ex Caelio Sabino et Catone docet Gell. VII. 4. ex quo etiam discimus, eos seruos, quorum nomine nihil praestabat venditor, pileatos venire consueuisse. Res ex innumeris Liuii, Caesaris, aliorumque historicorum testimoniis nota est. Vt pauca suggeram, ea reperies apud Liuium LIII. 4. Caesarem *de Bello Gall.* III. 74. Florum *Hist.* IIII. 12. Iam id modo obserua, mancipia sub coronis emta statim in dominio iuris Quiritium esse coepisse, adeoque emtorem securum fuisse contra quoslibet, vt etiam patet ex Varrone *de re rust.* II. 10. Cuius locum et ad reliquos adquirendi modos recte intelligendos vtilissimum adscribere iuuabit: *In emtionibus dominium legitimum sex fere res perficiunt, si hereditatem iustam adiit, si, vt debuit, mancipio ab eo accepit, a quo iure ciuili potuit: aut si in iure cessit, cui potuit cedere, et id vbi oportuit: aut si vsucepit: aut si e praeda sub corona emit, tumue, cum in bonis sectionem cuius publice venit.*

§. XXV.

Quid auctio?

AVCTIONE adquirebantur quaecumque publice, proclamante praecone, praesente atque addicente magistratu, sub hasta emebantur. Festus voce *Hastae. Hastae subiiciebantur ea, quae publice venumdabant, quia signum praecipuum est hasta.* Et Cicero *Philipp.* II. 26. *Hasta posita pro aede Iouis Statoris: bona Cn. Pompeii Magni voci acerbissimae subiecta Praeconis.* Hanc hastam publicam fugiebant viri honesti, quia et proscriptorum bona ibi venibant. Sic Atticus ad hastam publicam numquam accessit. Nepos *Attic.* VI. Ceterum, quum res ei addici soleret, qui plurimum augeret, factum est, vt ipsum illud venditionis genus *auctio*; isque a quo quis emerat, *auctor*, et ius denique auctione quaesitum *auctoritas* adpellaretur. Quod vocabulum deinde ad dominium quodcumque prolatum est, ita vt omne dominii ius quocumque titulo adquisitum, vocaretur *auctoritas*, vt praeclare obseruauit Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom.* I. 11. *p.* 149. Plura dicemus infra *Lib.* II. *Tit.* XVIII. XVIIII. §. XI.

§. XXVI.

Quid traditio?

TRADITIONE adquirebantur solae res nec mancipi, quippe quarum dominia adprehendebantur, simul ac ex iusta causa fuerant traditae. Vlpian. *Fragm.* XVIIII. 7. Nec referebat, mobiles essent, an immobiles: vt adeo manifesto errent, qui traditionem ad res mobiles tantum pertinuisse existimant. Vid. V. C. Schulting. *ad Vlpian. l. c.* 622. De traditione vera et ficta egregia quaedam obser-

vat

Source : BIU Cujas

vat Ger. Noodt *Probab.* II. 6. *p.* 56. *sequ.* Non multum diuersa a traditione erat cessio vacuae possessionis, quae et mancipationibus nonnumquam accedebat, vt patet ex Grut. *Inscript. pag.* CIↃLXXXI. vbi Statia Irene, mancipans monimentum Licinio Timotheo, addit: EIQVE VACVAM. (*n*) POSSESSIONEM. MONIMENTI. S. S. CESSIT. Qua de re plura obseruauit Fr. Brummer. *ad Leg. Cinc.* XIII. [Add. van Bynhersh. *de reb. mancipi Cap.* VIIII. *p.* 132.]

(*u*) Ita legendum esse pro INQVE VACVAM, recte monet Fr. Brummer. *ad Leg. Cinc. XIII.*

§. XXVII.

ADIVDICATIONE dominium rerum tum mancipi, tum nec mancipi adquirebatur, in tribus illis iudiciis *familiae erciscundae*, *communi diuidundo*, *finibus regundis*. §. *vlt. Inst. de off. iud.* Quoties enim iudex vni ex heredibus, vel sociis, vel vicinis, rem adiudicabat, statim haec sine traditione in illius transibat dominum. Vlpian. *Fragm.* XVIIII. 16. Vnde adiudicatio traditioni atque vsucapioni aequipara tur, *l.* 6. §. 3. *D. de statuliber.* Praeter tria vero illa iudicia nullus era casus, in quo dominium adquireretur, iudicis sententia, quippe quae ius non dat, sed declarat, id cuiquam competere. *l.* 8. §. 4. *D. si servit. vindic.* Vnde et actio iudicati non in rem est, sed in personam. V. C. Ortw. Westenb. *de Clauss. obl. Diss.* VI. 8. *sequ.* Quid adiudicatio?

§. XXVIII.

LEGE denique adquirebatur dominium rei singularis, siue mancipi esset, siue nec mancipi, quoties lex quaedam dominium alicui addiceret. Sic legatum ex lege XII. Tabularum statim erat in dominio legatarii. Vlpian. XVIIII. 17. *l.* 120. *D. de verb. signif. l* 47. §. *vlt. D. de pecul.* Eodem modo adquirebantur bona caduca atque ereptitia siue a fisco, siue a priuatis. Nam et his nonnumquam concedebantur caduca. Cuiac. *ad Nouell.* I. Scip. Gentil. *de iure adcrescendi.* X. Quod dominium ex lege?

§. XXVIIII.

Quidquid tali modo fuerat adquisitum id IN DOMINIO QUIRITARIO, reliqua IN BONIS *esse* dicebantur. Vlpian. *Fragm.* I. 16. Theophil. *Inst. ad* §. *fin. tit. de libertin.* qui dominium Quiritarium eleganter ἔννομον vel *legitimum*, bonitarium φυσικὸν vel *naturale* vocat. Quod discrimen in eo maxime erat positum, quod domini Quiritarii re vsucapta vacui essent a litibus, vnde et optimo Distinctio inter dominium Quiritarium et bonitarium.

Source : BIU Cujas

iure possidere dicebantur : quod secus se habebat in dominis bonitariis. Vid. Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I.* 11. *p.* 150. Barn. Brisson. *Antiqu. Rom. IIII.* 22. *p.* 78. Bynkershoeck. *de reb. manc. VIIII. p.* 131. Enimuero sustulit illud discrimen Iustinianus *l. vn. C. de nudo iure Quirit. tollendo et l. vn. C. de vsuc. transf. et de sublata diff. rer. manc. et nec mancipi.* Vnde et in toto iure nostro nullum eius expressum supereſt vestigium, quamuis aliqua Tribonianus paullo obscuriora passim reliquisse videatur.

TIT. II.

DE

REBVS CORPORALIBVS ET INCORPORALIBVS.

NOuam rerum diuisionem hoc titulo subiungit Imperator, CORPORALES enim aliae sunt, aliae INCORPORALES, de quibus pauciora dici possunt ex antiquitatibus.

§. I.

Stoica definitio rerum corporalium et incorporalium.

Philosophiae stoicae deditos fuisse plerosque Romanorum iureconsultos, iam supra est obseruatum. Atqui Stoici non minus, quam reliqui philosophi, res omnes in corporales atque incorporales distinguere, illasque definire solebant, quod possent tangi. Seneca *Epist.* LVIII. *Quidquid est, aut corporale est, aut incorporale.* Idem *Epist.* CVI. *Numquid est dubium, an id, quo quid* TANGI *potest, corpus sit?* Lactant. *Inst. Diuin.* VII. 12. *Solidum et comprehensibile corpus est, et oculis et manu videtur et tangitur.* Ex Epicureis Lucretius I. *v.* 306.

Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res.

§. II.

Incorporales res magis non exsistere, quam existere,

Iidem e stoa philosophi res incorporales magis illis, quae non sunt, quam, quae sunt, accensendas esse arbitrabantur, Cicero *Topic. V. Definitionum duo sunt genera prima: Vnum earum rerum, quae sunt, alterum earum rerum, quae intelliguntur. Esse ea dico, quae cerni tangiue possunt, vt fundum, aedes, parietem, stillicidium, mancipium,*

Source : BIU Cujas

cipium, pecudem, supellectilem, penus et cetera. Non esse rursus ea dico, quae tangi demonstrariue non possunt, vt si vsucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias, quarum rerum nullum subest quasi corpus, est tamen quaedam conformatio insignita et impressa intelligentiae, quam notionem voco. Tertullian. *de Carne Christi Cap. XI.* plane στοϊκως: *Omne quod est, corpus est sui generis: nihil est incorporale, nisi quod non est.* Ex quo sane loco patet, veteres res solas corporeas exsistere, incorporeas tantum intelligi existimasse. Sistere putabant Soici.

§. III.

In his omnibus ergo philosophos sequebantur iureconsulti, qui et ipsi res in CORPORALES et INCORPORALES diuidebant, iisdem adoptatis definitionibus, corporales tangi posse, incorporales non posse, dicebant. Cai. *Inst. II.* 1. 2. quamuis qui elegantius loquuntur, auctores illas RES, has IVRA adpellare malint. Quinctil. *Inst. Orat. V.* 10. Et sane sic res multo est dilucidior, faciliusque intelligitur, cur pecunia, quae manibus tangi potest, pro diuersa σχέσει modo *corporalibus* rebus accenseatur §. *vn. Inst. h. t.* modo opponatur corporibus *l.* 46. *D. de condict. indeb. l.* 5. *princ. D. de impens. in res dot. l. vlt. D. de adim. legat.* Prout scilicet vel res ipsa, vel ius seu valor, consideratur, ita vel corporalibus vel incorporalibus rebus adnumeratur pecunia. [Eodem modo stillicidium rebus corporalibus accensetur a Cicer. *Topic. Cap. V.* incorporalibus, nempe seruitutibus, a iureconsultis.] Iureconsulti definitiones stoicas adoptabant.

§. IIII.

Eodem ex fonte, id est, ex philosophia stoica, manauit, quod res incorporales a iureconsultis magis iis, quae non sunt, quam quae sunt, adnumerantur. Paullus sane *l.* 1. *D. de vsu et vsufr. leg.* seruitutes *neque ex bonis, neque extra bona esse* contendit, quod ex principiis illis stoicorum, quae paullo ante declarauimus, explicandum esse, erudite docet Ger. Noodt. *Probabil. II.* §2. *p.* 48. *sequ.* Res incorporales et ipsi exsistere quodammodo negabant.

Source : BIU Cujas

TIT. III.

DE SERVITVTIBVS RVSTICORVM ATQVE VRBANORVM PRAEDIORVM.

INcorporalia sunt omnia iura, atque adeo etiam SERVITVTES. Hae vel PERSONALES sunt, vel REALES, seu PRAEDIALES. Seruiunt enim non modo praedia rusticis atque vrbanis praediis, verum etiam praedia et res personis, constituto in illis vsufructu, vsu vel habitatione vel in seruo operis. De illis titulo III. De his tit. IIII. et V. agitur.

§. I.

Quaenam praedia rustica et vrbana?

SERVITVS REALIS inhaeret praediis, iisdemque praestatur. A praedio dominante illae seruitutes a iureconsultis in VRBANORVM ac RVSTICORVM PRAEDIORVM diuiduntur. Sed caue hic respicias ad locum. Praedia enim non a loco, sed ab vsu cognominabantur. Nam eodem modo et *vrbana mancipia* rusticis non loco, sed opere, seiungebantur. *l.* 99. *pr. D. de legat.* 3. *l.* 166. *pr. D. de V. S.* Et Labeo suppellectilem et penum *rusticam* non loco sed genere vsus, distinguendam putat. *l.* 4. §. 5. *D. de penu leg. l.* 12. *D. de supell. legat.* Immo et vestes, quibus ruri vtebantur, ab vsu *rusticas*, quibus in vrbe *vrbanas* vocatas esse, ex loco elegante Titinnii demonstrat Merill. *Obs.* III. 5. Non ergo recte discrimen seruitutum rusticorum vrbanorumque praediorum desumitur ex *l.* 3. *D. de seruit.* vbi Paullus *seruitutes praediorum alias in* SOLO, *alias in* SVPERFICIE *consistere*, ait. Quamuis enim id verum sit, non tamen ibi id agit iureconsultus, vt discrimen seruitutum rusticorum vrbanorumque praediorum ostendat. Praeterea illud discrimen non ad praedia dominantia pertinet, a quibus alioquin seruitutes diuersam denominationem sortiuntur, sed ad seruientia. Immo ne probari quidem potest, seruitutes vrbanorum praediorum tantum in superficie, rusticorum tantum in solo consistere. Sane enim Vlpianus *l.* 11. §. 1. *D. de Publ. in rem actione* seruitutem vrbani praedii esse dicit, si per domum quis suam passus sit aquaeductum transduci: et ea tamen seruitus in solo consistit. Contra si quis

Source : BIU Cujas

quis horto olitorio alterius deberet seruitutem altius non tollendi, ea procul dubio foret seruitus praedii rustici, quum tamen consistat in superficie, ceu recte animaduertit Merill. *Obs.* l. 32. Nec magis rem videntur aeu tetigisse, qui praedia rustica omnes fundos et areas; vrbana omnia aedificia existimant. VRBANA enim erant et fundi voluptatis caussa culti, veluti horti, modo eorum plurima pars non esset in reditu, quales sunt horti vinearii et olitorii: *l.* 198. *D. de V. S.* et omnia aedificia habitationi destinata, etiamsi in villis exstructa §. 1. *Inst. de seruit. l.* 1. *D. commun. praed. l.* 198. *D. de verbor. signif.* Veteres nimirum villam plerumque in tres diuidebant partes, quarum vnam *vrbanam*, alteram *rusticam*, tertiam *fructuariam* adpellabant. *Vrbanae* dicebantur aedes vel habitationis, vel voluptatis caussa conditae, vbicumque sitae; *rusticae* complectebantur tecta, villico et reliquae familiae, vt et armentis et equis destinata: *fructuariae* denique constabant horreis et cellis, quibus omnium generum fructus recondebantur. Varro *de re rust. Lib. I. Cap. XIII.* Columella *de re rust. I.* 6. Vrbanum in villis aedificium etiam praetorium dicitur apud Pallad. I. 8. Sueton. *Calig. Cap.* XXXVII. *l.* 2. *D. de seru. praed. rustic. l.* 198. *D. de verb. signif.* Et ex eo iam satis manifestum est, aedificia etiam ab vsu in praedia *rustica* ac *vrbana* diuidi solita esse.

§. II.

Praediis his vrbanis variae praestabantur seruitutes, quales erant *oneris ferendi, tigni immittendi, stillicidii, fluminis, cloacae, altius tollendi vel non tollendi, luminum, et aliae.* §. 1. *Inst. h. t.* Cai. *Inst.* II. 1. 3. Seruitutes praediorum vrbanorum.

§. III.

Sic vicinae aedes tenebantur nonnumquam vicinarum onus ferre, vel alienum aedificium columna vel pariete suo sustinere, columnamque et parietem praeterea ex pacto reficere. Haec erat SERVITVS ONERIS. Non ergo ideo a domino praedii seruientis reficienda erat columna seruiens, quod hoc naturae huius seruitutis inesset: sed quod ea lex, id est, stipulatio in constituenda seruitute esset interposita: PARIES ONERI FERVNDO VTI NVNC EST, ITA SIT. *l.* 33. *D. de seru. praed. vrb.* Nam id sibi diserte a vicino solebant stipulari, VT REFICERET LAPIDE QVADRATO, vel LAPIDE STRVCTILI, vel quouis alio opere. *l.* 6. §. 5. *D. si seru. vind.* Quamvis vero hanc pactionem contra naturam seruitutum esse iudicet Seruitus oneris ferendi.

Gallus

Gallus Aquillius, quippe quae praedii seruientis domino necessitatem aliquid faciendi imponit: *l.* 15. §. 1. *D. de seruitutibus*, eualuit tamen Seruii sententia qui hanc conditionem in hac seruitute admisit, quia seruitutis praedii dominus facere nihil cogatur, sed parietem vel columnam derelinquere possit, ceu patet ex *l.* 6. §. 2. *D. si seruit. vindic.*

§. IIII.

Seruitus tigni immittendi.

Si cuius paries non tam onus vicini ferre teneretur, quam pati dominus, vt tignum immitteretur suo parieti, erat haec SERVITVS TIGNI IMMITTENDI. Erat vero tignum omnis materies, quae ad tectum, vel aedificium exstruendum erat idonea, et alterius parieti immitti poterat, veluti trabs, lapis, ferrum. *l.* 1. §. 1. *D. de tigno iunct.* Quamuis enim architecti strictiore vsi vocabuli significatione tignum pro trabibus in contignatione accipiant: Vitruu. X. 5. aliter tamen loquebantur ICti ob exemplum in lege XII. tabularum exstans, vbi *tigni adpellatione omne genus materiae, ex qua aedificia constant, significatur. l.* 62. *D. de V. S.* Quod vt intelligatur rectius, obseruandum erit, veteres Romanos incendiorum metu aedes aedibus ita vicinas esse iussisse, vt spatium quoddam vel interstitium relinqueretur, quod *ambitus* dicitur in legibus XII. Tabularum. Varro *de Lingu. Latin* IIII. 4. *p.* 6. AMBITVS, *iter, quod circumeundo teritur. Nam ambitus circuitus; ab eoque XII. tabularum interpretes ambitum parietis circumitum esse describunt.* Festus *voce ambitus p.* 250. AMBITVS *proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis, ad circumeundi facultatem relictus.* Et paucis interiectis: AMBITVS *proprie dicitur circumitus aedificiorum, patens in latitudinem pedes duos et semissem, in longitudinem idem, quod aedificium.* Cuiac. *Obs.* XVIIII. 21. Et huc pertinet Inscriptio vetus Romana in Sadoleti hortis effossa:

INTER DVOS
PARIETES,
AMBITVS. PRIVAT.
FLAV. SABINI.

Brisson. *Antiqu. Select. I.* 2. Non ergo licebat antiquis aedes iungere sine interstitio; neque adeo tunc facile locum inueniebat seruitus tigni immittendi. Postea vero aucto ciuium numero, quum pomoeria antiqua tantam aedium copiam vix caperent: non solum ipsa pomoeria subinde prolata, verum etiam omnes areae aedibus occupatae sunt, adeo vt non nisi inter quasdam interstiti-

Source : BIU Cujas

terſtitium relinqueretur. Quaecumque vero aedificia communi pariete concludebantur, circuituque publico aut priuato cingebantur, ea dicebantur INSVLAE. Feſt. voce *Inſulae. l.* 2. §. 14. *D. ne quid in loco publ.* Iis inſulis vel potius inquilinis aedium vna inſula comprehenſarum, non modo ſingulares erant GENII: Reineſ. *Claſſ. I.* 138. ſed et cuſtodiendis iiſdem praepoſiti erant ſerui, quos INSVLARIOS dici, animaduertimus, in *l.* 166. *pr. D. de V. S.* et *l.* 16. §. 1. *D. de vſu et habitat.* itemque apud Grut. p. CCXXIIII. 4. Porro ambitus iſti inſularum dicebantur *angiportus.* Et quia per illos compendii cauſſa iri ſolebat, hinc Feſto angiportus eſt *iter compendiarium in oppido.* Nihil tamen in illis agi poterat, Varro de *Lingua Lat. V.* 5. *p.* 37. immo ne pervii quidem ſemper erant, vt ex Terent. *Adelph. IIII.* 2. patet. Sed haec angiporta vt dixi rariora erant, poſtquam aucta vrbe omnes areae aedificiis occupabantur. Hinc eſt, quod Seneca *controu. II.* 6. conqueritur *tantas ſuo tempore fuiſſe viarum anguſtias, vt neque aduerſus ignem praeſidium, neque ex ruinis vllam in partem effugium fuerit.* [Add. Iuuenal. *Sat. III. v.* 268.] Ex quo ergo propius ſibi inuicem iungi coeperant aedes: ſeruitutes illae tum oneris ferendi, tum immittendi tigna, in vſu eſſe coeperunt, ad id quippe comparatae, vt arearum ſpacium lucrifacerent, quod nouis muris, columnis ac parietibus exſtruendis occupandum fuiſſet. Primus Nero veterem aedificandi morem reſtituit, conſtituitque, vt ne communione parietum, ſed propriis quaeque domus muris, ambirentur. Tacit. *Annal. XV.* 42. Poſtea Antoninus et Verus Auguſti reſcripſerunt, *in area, quae nulli ſeruitutem debet, poſſe dominum vel alium eius voluntate aedificare, intermiſſo legitimo ſpatio a vicina inſula, l.* 14. *D. de ſeruit. vrb. praed.* adeoque ex eo tempore denuo aedes ſibi propius iungi coeperunt, communique pariete concludi, ita tamen vt inſularum maneret circuitus. Denique et Conſtantinus M. et ſequentes Imperatores conſtitutionibus quibuſdam definire coeperunt, quantum aedes priuatae ab horreo, quantum a loco publico abeſſe deberent. *l.* 4. *et l.* 46. *Cod. Theod. de oper. publ. l.* 9. *et l.* 11. *C. de aedificiis priuat.* Addantur Barn. Briſſon. *Antiqu. Rom. Select. I.* 2. *p.* 4. Cuiac. *Obſeru. I.* 4. *p.* 3.

§. V.

Seruitutes ſtillicidii et fluminis.

Seruitutes STILLICIDII et FLVMINIS aquae pluuiae cauſſa erant conſtitutae. Tenebatur enim vicinus aquam iſtam vel in vicini hortum areamue immittere, vel ex alieno tecto in ſuam aream reci-

Source : BIU Cujas

recipere, si ab eo stipulatus erat vicinus: FLVMINA STILLICIDIA, VTI NVNC SVNT, VT ITA FLVANT CADANTQVE. Brisson. *Antiqu. Rom. Select. l. p.* 22. *Stillicidium* vero et *flumen* quomodo differant, docet Varro *de Lingu. Lat. IIII. 5. p.* 8. *Fluuius, quod fluit, item flumen: a quo praediorum vrbanorum scribitur: Stillicidia fluminaque, vt ita fluant, cadantque. Inter haec hoc interest, quod stillicidium, eo quod stillatim cadat: flumen, quod fluat continue.* Sane quum aedes Romanorum pleraeque tecto decliui carerent: non poterant non canales vel aluei plures in suprema superficie esse, per quos aqua pluuia defflueret, aut certe tegulas oportebat tecto imponi, quae imbres exceptas in terram demitterent. Vid. Guil. Philandr. *ad Vitruu. Archit. VII.* 11. Illud ergo *flumen*, hoc dictum est *stillicidium.*

§. VI.

Seruitus cloacae.

CLOACAE Romae dicebantur concamerationes subterraneae, stupendi operis, per quas sordes vrbe eductae in Tiberim exonerabantur: (*a*) eaque vel PVBLICAE erant, vel PRIVATAE. *l.* 1. §. 9. *D. de cloac.* PVBLICAS duxit Tarquinius Priscus, testibus Liuio *Hist. I.* 32. et Dionys. Halic. *Ant. Rom. III. p.* 200. easque tam splendidas fuisse, ait Cassiodor. *Var. III.* 30. *tantumque visentibus contulisse stuporem, vt aliarum quoque ciuitatum potuerint miracula superare.* Meretur illa tota Cassiodori descriptio legi, eique addi idem Cassiod. *Var. VIII.* 29. 30. et Plin. *Hist. Nat.* XXXVI. 15. Purgandarum earum causa non solum tributum inferebatur, quod *cloacarium* dicitur *l.* 27. §. 3. *D. de vsufruct. l.* 39. §. 5. *D. de legat.* 1. verum etiam ii, qui ad poenam fuerant damnati, eidem operi adhibebantur. Traian. Imp. *ad Plin. Epist. X.* 41. Et tamen auctor est Dion. Halicar. *Lib. III. p.* 200. *aliquando* neglectas cloacas, nec *amplius transmittentes aquam a censoribus mille talenti purgandas reficiendasque locatas esse.* Quod operis istius magnitudinem satis superque demonstrat. Sed et interdictum proditum erat: QVOD IN CLOACA PVBLICA FACTVM, SIVE IMMISSVM HABES, QVO VSVS EIVS DETERIOR SIT, RESTITVAS: ITEM NE QVID FIAT, IMMITTATVRVE, INTERDICAM *l.* 1. §. 15. *sequ. D. de cloac.* Quin vt illae cauernae eo rectius conseruarentur: singulares iis praefecti erant magistratus, qui CVRATORES CLOACARVM Vrbis vocantur apud Grut. *Inscript. p.* CLXXXXVII. *p.* CLXXXXVIII. 2. 3. 4. 5. CCLII. 1. Ast quum publicae istae cloacae initio per publicum essent ductae: post incendium Gallicanum, mutato vicorum aedium.

(*a*) Hinc Festus voce *cloacae p.* 268. dictas illas existimat a *conluendo*, et *cloacale flumen* Cato dixit, pro cloacarum omnium conluuie.

Source : BIU Cujas

diumque situ, illae passim subierunt tecta. Qua de re Liuius *Hist. V. fin. Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum, omisso sui alienique discrimine, in vacuo ædificant. Ea est caussa, vt veteres cloacae, primum, per publicum ductae, nunc priuata passim subeant tecta, formaque vrbis sit occupatae magis, quam diuisae, similis.* Hae publicae cloacae. PRIVATAE erant, quae ex priuatis quibusque aedibus in publicas illas immittebantur. Quandoquidem ergo publicae illae, vt iam ex Liuio demonstrauimus, passim subierunt tecta privata: opus nonnumquam erat seruitute CLOACAE, et vicinus a vicino stipulabatur, vt liceret sibi priuatam cloacam per eius fundum deductam in cloacas publicas immittere. *l. 7. D. de seruit. l. 1. §. 4. D. de cloac.*

§. VII.

Antiquissimis porro temporibus suas quisque aedes in infinitum tollere poterat, idque etiam est libertatis naturalis, *l. 9. et l. 24. D. de seru. vrb. praed. l. 26. D. de damn. infect.* dummodo nihil in alienum immittatur. *l. 8. §. 5. D. si seru. vindic.* Hinc tam stupenda aedium altitudo, vt vix sine periculo per viam publicam ire ambulare liceret. Iuuenal. *Sat. III. v. 6.*

Seruitus non altius tollendi.

Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, vt non
Deterius credas? horrere incendia, lapsus
Tectorum adsiduos, ac mille pericula saeua
Vrbis.

Enimuero quum id prospectui luminibusque officeret, aerque liberior hoc ipso vicinis interciperetur: saepe alter ab altero stipulabatur, ne altius tolleret. Atque inde nascebatur seruitus ALTIVS NON TOLLENDI. At postea certus quidam aedium altitudini modus lege statutus est. Sane iam libera et florente republica ea de re fuisse cogitatum, docet Rutilii nescio cuius oratio de modo aedificiorum, quam ab Augusto recitatam esse in senatu, vt eam rem non a se primo animaduersam, sed antiquis iam curae fuisse, ostenderet, discimus ex Sueton. *Aug. LXXXVIIII.* Sed et ipse Augustus, vt crebris ruinis subueniret, lege lata statuit, vt ne quis septuaginta pedibus tolleret altius. Strabo *Geogr. V. p. 162.* πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθεῖλών, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν πόλιν ὁ τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. *Ruinis quoque subuenturus, nimiam aedificiorum altitudinem sustulit, vetuitque ad vicos publicos altius septuaginta pedibus tollere.* Incensa deinde vrbe, etiam Nero aedificiorum altitudinem cohibuit, teste Tacito *Ann. XV. 43.* quamuis quem ea in re modum seruarit, non sit memoriae proditum. Denique et Traianus aedium altitudinem sexaginta pe-

Source : BIU Cujas

des superare vetuit, ob ruinas faciles, et sumtus, si quid tale contingeret, exitiosos. Aurel. Victor. *Epit. vit. Traian. XIII.* Et sane haec quoque altitudo est maxima, vnde non mirum, de ea conqueri Senecam *Controu. II. 9.* quamuis eam ipsa necessitate ciuiumque frequentia excusari existimet Vitruu. *Architect. II. 9.* Vtcumque se res habeat, sane et posteris placuit is aedificiorum modus, inde ad illum respiciunt Imperatores Seuerus et Antoninus *l. 1. C. de aedific. priu.* Quin et Constantinopoli eiusmodi legem obseruatam esse, docet lac. Oisel. ad Caii Instit. II. 1. 3. Quemadmodum ergo, quae sit non altius tollendi seruitus, ex ipso vocabulo iisque, quae dicta hactenus sunt, satis intelligitur: ita eo obscurior est seruitus ei opposita ALTIVS TOLLENDI. Quamuis enim vulgo seruitutem altius tollendi explicent ex constitutione Zenonis *l. 12. §. 2. C. de aedific. priuat.* de eo casu, si quis a vicino impetrauerit libertatem aedes suas altius, quam leges ferant, tollendi: tamen huius seruitutis iam ante Zenonem mentio fit a Caio *l. 2. D. de seru. vrb. praed.* nec verosimile est, ante hanc constitutionem licuisse priuatis pactis restringere leges publicas. Itaque non absurda est sententia eorum, qui hic putant de eo casu actum, vbi vicinus pati teneretur, vt vicinus ὑπερῶον vel caenaculum imponere posset aedibus eius A. A. Pagenstech. *Sicilim. Manip. III. p. 70.* (*b*) Quamquam nec id dubio caret, si illud ὑπερῶον vel caenaculum maneat aedificantis. Nam tunc non differet haec seruitus a seruitute oneris ferendi, vti recte vidit Sam. Stryck. ὁ μακαρίτης. *Vs. Digest. VIII. 2. 7.* Fusius ea de re alibi erit dicendi locus.

§. VIII.

(*b*) Mos iste, alterius aedibus superimponendi coenacula et ὑπερῶα non ignotus fuit antiquis, cum aliis gentibus, tum maxime Romanis, Pompon. Mela *Lib. II. Cap. 7. Arados etiam in Phoenicia est parua, et quantum patet, tota oppidum, frequens tamen, quia etiam super aliena tecta sedem ponere licet:* vbi legendus Is. Vossius *p. 203.* De Romanis porro vrbem ex ruinis instaurantibus Dionys. Halic. *Lib. X. p. 659.* refert, lege perlata plebeios conueniisse et ibi aedificare coepisse, locum, quantum quisque potuerit, occupantes. Hinc porro addit: Εἰσὶ δὲ καὶ σύνδυο καὶ σύντριοι καὶ ἔτι πλείονες, συνοίκιαι κατασκευάζοντο μίαν, ἑτέρων μὲν τὰ κατώγεια λαγχανόντων, ἑτέρων δὲ τὰ ὑπερῶα. *Nonnulli etiam duo simul, vel tres, plurefue, vnas aedes collatis impendiis exstruxerunt, aliis inferiores earum partes, aliis superiores sibi capientibus.* At de sua aetate Pomponius *l. 25. pr. D. de seru. pr. vrban. Hoc*, inquit, *quod dictum est de immissis, locum habet ex aedificio alio in aliud. Aliter enim supra alienum aedificium superius habere nemo potest.*

Source : BIU Cujas

§. VIII.

Seruitus luminum, et ne luminibus officiatur.

Multum porro intereſſe videbatur veterum, ita clauſas habere areas, vt remotis arbitris verſari in iis poſſet familia. Vnde et Druſo promittebat architectus, ita ſe aedificaturum domum, vt procul ab omnium arbitrio, atque adſpectu in ea habitaret. Vellei. Patercul. *Hiſt. II.* 14. Licebat enim cuiuis, in pariete ſuo feneſtras, quot vellet aperire, ſed et alteri licebat feneſtris vicini in aream ſuam apertis obſtruere. Quod ſi itaque aliquis feneſtras in alieno vel communi pariete apertas habere vellet, opus erat ſervitute LVMINVM. Sin impedire vellet alter, ne vicinus feneſtras in ſuo pariete apertas obſtrueret, ſtipulabatur a vicino: LVMINA VTI NVNC SVNT, ITA SINT, Briſſon. *Antiqu. Rom.* I. 19. *p.* 21. Vtque inde naſcebatur ſeruitus NE LVMINIBVS OFFICIATVR. Nonnumquam etiam paciſcebantur, ius ne eſſet vicino, ſe inuitis altius aedificare, atque ita officere luminibus, de qua ſeruitute *l.* 3. *D. ſeru. vrb. praed.* Immo vt proſpicere liceret, et, ne proſpectui officeretur, interpoſita ſtipulatione cauebant *l.* 14. *et l.* 15. *D. eod.*

§. VIIII.

Seruitutes praediorum ruſticorum.

Seruitutes praediorum ruſticorum quatuor recenſet Imperator *pr. Inſt. h. t.* ITER, ACTVM, VIAM, AQVAEDVCTVM, ſed §. 2. adiicit, AQVAE HAVSTVM, PECORIS AD AQVAM ADPVLSVM, IVS PASCENDI, CALCIS COQVENDAE, ARENAE FODIENDAE. Nos praecipua tantum conſectabimur.

§. X.

Iter, actus, via.

ITER ab *eundo*, ACTVM ab *agendo*, VIAM a *vehendo* dictam eſſe, obſeruat Varro *de Lingua Lat. IIII.* 4. *p.* 7. Ergo ITER eſt ius eundi ambulandi hominis, non etiam agendi pecus, aut ducendi vehiculum. *l.* 1. *D. de ſeru. ruſt. praed.* quamuis et equo vehi et ſella geſtari liceret ei, cui iter debebatur. *l.* 12. *D. eod.* ACTVS erat ius et eundi et agendi vel iumentum vel vehiculum, non tamen onuſtum. *l.* 1. *et l.* 11. *D. eod.* (*c*) VIA denique ius et eundi et agendi et vehicula onuſta per alterius fundum ducendi complectebatur. *l.* 7. *D. eod.* Adeoque tertia ſeruitus primam et ſecundam, ſecunda etiam primam in ſe continebat, adeo, vt diuidi non poſſent, et hinc ſi quis iter et actum acceptum tuliſſet, perimeretur etiam viae obligatio. *l.* 13. §. 1. *D. de acceptilat.* Nonnumquam tamen iter et actum ſimul ſibi ſtipulabantur, vt patet ex Gruter. *Inſcript. p.* CCI. 3.

(*c*) Intelligendum hic eſſe non plauſtrum, oneribus trahendis aptum, ſed currum truſatilem, praeclare obſeruat Bynkersh. *Obſ.* IIII. 7. p. 365.

Source : BIU Cujas

PER. HANC.
VIAM. FVNDO.
C. MARCI. CL.
PHILERONIS.
ITER. ACTVS.
DEBETVR.

Cuius rei rationem reddit Cuiac. *Obſ. XXII.* 35. quod viae iter et actus *propalam* ineſt, actui autem iter tantum *tacite*, et per conſequentiam. Vnde non mirum, ſaepe ſibi homines actum et iter ſimul ſtipulatos. Ex eodem vero lapide etiam patet, ſeruitutes has non hominum, ſed praediorum eſſe, quod et ius noſtrum inculcat. *l.* 20. *§. vlt. D. de ſeru. praed. ruſt. l.* 86. *D. de verb. ſignif.* vbi addi meretur Ger. Noodt. *Probab. I.* 2. *p.* 4. *ſequ.*

§. XI.

Viae et actus latitudo.

VIAE latitudo in porrectum octo pedum erat, in anfractum ſedecim *l.* 8. *D. de ſeru. praed. ruſt.* Varro *de Lingu. Lat. VI.* 2. *p.* 48. Ex quibus locis diſcimus, hunc viae modum ex legibus XII. Tabularum eſſe, quibus cautum fuerat: VIA IN PORRECTO VIII. P. IN AMFRACTO XVI. P. LATA ESTO. Gothofr. *ad XII. Tab. Tab.* VIII. ACTVS latitudo quatuor pedum erat, teſte eodem Varrone *de Lingu. Lat.* IIII. 4. *p.* 6. et Feſto voce *actus p.* 243. Itineris latitudo parum comperta eſt. Potuiſſe tamen pro paciſcentium arbitrio vel latiorem vel anguſtiorem conſtitui viam vel actum, patet ex *l.* 23. *pr. D. eod.* adeoque idem de itinere dici poſſe videtur.

§. XII.

Seruitus aquae ductus.

AQVAEDVCTVS erat ius aquam ducendi per alterius praedium, quod vel riuis per canales ſtructiles, vel fiſtulis plumbeis, vel tubulis fictilibus fiebat, teſte Vitruu. *Architect.* VIII. 7. quibus tamen et canales ligneos addit Palladius VIIII. 11. Erant iſti aquaeductus vel PVBLICI vel PRIVATI. In illis exſtruendis tam ſplendidi tamque magnifici erant Romani, vt pauca, quae hinc inde ſuperſunt, rudera poſteris ſint admirationi. Solebant enim exſtruere fornices, et veluti pontes per quos aqua tamquam flumen aliquod in vrbem duceretur, ceu docet aqua Traiana depicta in numo apud Vaillant. *Num. Imp. p.* 47. De eiuſmodi Aquaeductibus Rutil. Numatian. *Itin. I. v.* 97.

Quid

Source : BIU Cujas

Quid loquar aërio pendentes fornice riuos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas creuisse in sidera montes,
Quale giganteum Graecia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lauacra lacus.

Tales erant Romae aqua Claudia, Curtia, Traiana, [Marcia, Patin. *numism. fam. p.* 166.] aliaeque plures, quarum passim in Marmoribus fit mentio. Et sane his aquis non solum ad necessitatem vtebantur, sed et ad voluptatem et luxuriam, ad quam in primis comparata erant *Nymphaea*, quorum vestigia sunt in *l.* 5. *l.* 6. *C. de aquaeduct.* nec non apud Reines. *Inscr. Class. I.* 200. et Ioseph. *de Bell. Iud.* I. 16. Erant haec aedificia publica ambitiosi operis, in quibus aquae corriuatae spectantium delectationi ac refrigerationi miris modis saliebant. Vid. Pancirol. *Thesaur. Var. Lect.* I. 5. Haec publicis sumtibus solebant exstrui. Sed nec magis sumtibus pepercerunt priuati, qui saepe aquam per omnia cubicula et triclinia ducebant, immo et euripos in his effodiebant, in quibus pisces inter coenandum caperent. Insignia huius luxuriae exempla exstant apud Senecam *Nat. Quaest.* III. 17. *et praefat. lib.* I. *de Tranquill. animi.* Plin. *Epist. V.* 6. (*d*) Quum ergo aquam saepe procul et per alienos fundos, duci oporteret: occasionem id dedit seruituti aquaeductus, de qua plura dabunt iureconsulti.

(*d*) Huc pertinent etiam, riui aquae fluentis, parietibus inducti, de quibus Emund. Merill. *Variant.* III. 1. et Ger. Noodt. *de Vsufr.* I. 12. *p.* 565.

§. XIII.

De reliquis seruitutibus remissiue.

Reliquae seruitutes facile vel ex ipsis nominibus intelliguntur, et passim de iis copiose agunt interpretes, quibus addendi Iac. Cuiac. *Obseru.* XXII. 35. Aeg. Menag. *Amoenit. iur. ciuil.* XXXVI. Vlr. Hub. *Digress.* II. 12. *sequ.* Corn. van Bynkershoeck. *Obseru.* IIII. 7. [Barn. Brisson. *Antiquit. Select.* IIII. 5.]

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. IIII. et V.

DE

VSVFRVCTV, VSV ET HABITATIONE.

HAe seruitutes, de quibus adhuc actum, reales sunt: personales vero VSVSFRVCTVS, VSVS, HABITATIO, OPERAE SERVORVM, de quibus his titulis agit Imperator. Nos post eruditissimas M. Aurelii Galuani et Ger. Noodtii commentationes pauca tantum monebimus.

§. I.

Quid veteribus fuerit vti?

Ad vocabulum quod attinet: ab *vtendo* et *fruendo* dictus est VSVSFRVCTVS. *Vti* re, vt erudite ostendit Ger. Noodt *de vsufr. I. 1. p. 526.* est, eamdem adhibere ad vitae necessitatem, sed quatenus sufficit, et vt salua maneat eius substantia. Vnde propria vsus tria sunt, primum, vt vtentis necessitate finiatur; alterum, ne rei conditio mutetur: postremum, vt ne res vtendo consumatur, aut pereat. Primum Horatius significat, *Epist. II. 2. v. 190.*

Vtar, et ex modico, quantum res poscit, aceruo
Tollam.

Secundum patet ex *l. 15. §. 1. et 5. D. de vsufr.* Tertium notat Donatus *in Terent. prolog. Andr.* VTIMVR *fructibus rei, quae ab amantibus saluo vsu nobis subministrantur*; ABVTIMVR, *quando deperdimus rem et fructum, vsui est ager, domus: abusui vinum, oleum, et cetera huiusmodi.*

§. II.

Quid frui?

FRVI latius patet, ac vti: quemadmodum vel ex Seneca patet *de vita beata cap. X.* vbi philosophus: *Tu*, inquit, *voluptatem complecteris: ego compesco, tu voluptate* FRVERIS: *ego* VTOR. *Fructus* ergo non vtentis necessitate neque rei conditione circumscribitur: sed qualemcumque praesentem vtilitatem, commoditatem, oblectationemue, quae ex rei eiusue occasione percipi potest, complectitur, prorsusque adeo neque finem habet, neque modum, ceu egregie ostendit Augustinus *de Doctrina Christ. Lib. I. cap. III.* Ger. Noodt I. 1. *p.* 526. *sequ.*

§. III.

Source : BIU Cujas

§. III.

Vsusfructus ergo neque merum fructum, neque merum vsum continet, sed ex vtroque colligitur. Ex *vsu* enim id habet, quod saluam relinquit substantiam: ex *fructu* vero, quod non sola necessitate finitur. Adeoque est *ius vtendi fruendi rebus alienis, salua earum substantia. l.* 1. *D. de vsufr.* Quid vsusfructus?

§. IIII.

Poterat ergo vsus quidem legari sine fructu, sed non fructus sine vsu. *l.* 14. §. 1. *D. de vsu et habit.* Non enim debet, cui plus licet, quod minus est, non licere. *l.* 21. *D. de reg. iur.* At vsus, sine fructu legatus, sola vtentis necessitate finitur, saluamque esse oportet non solum rei substantiam, sed et conditionem. *l.* 12. §. 1. *D. de vsu et habit.* Minus ergo continet vsus, quam vsusfructus, et hinc ille nec pro parte legari potest, quod potest vsusfructus. *l.* 19. *D. eod.* nec etiam res, vsui concessa, vel donatione, vel locatione, vel vllo alio titulo, in alterum transferri, quod itidem poterat vsusfructus. §. 1. *Inst. eod. l.* 12. §. 2. *l.* 38. *seq. l.* 67. *D. de vsufruct.* Quid vsus?

§. V.

Parum ab vsu differt HABITATIO, sed differt tamen. Nam I. aliquid amplius habitationi inest quam vsui: siquidem is, cui debetur habitatio, totam domum non solum inhabitare, sed et locare, vel gratis concedere potest. *l.* 13. *C. de vsufr.* quae secus se habent, si solus vsus aedium legatus sit. II. Habitatio non amittitur non vtendo, neque III. capitis deminutione, perinde vt vsus, perimitur, vt ex *l.* 10. *pr. D. de vsu et habit.* a se ingeniose emendata, ostendit Ger. Noodt. *Prob. III.* 7. *p.* 79. Quid habitatio?

§. VI.

Ceterum haec omnia originem debere videntur vltimis voluntatibus. Quum enim morientes alicui bene cuperent, neque tamen eius heredibus consultum vellent: excogitarunt ius illud vtendi fruendi, a dominio et proprietate seiunctum, vt moriente legatario, rei legatae vsusfructus cum proprietate consolidaretur. Postea etiam aliis modis, veluti stipulatione, quam tamen sequebatur traditio, nec non iudiciis diuisoriis, immo etiam lege, constituebatur vsusfructus, vt accurate docet Ger. Noodt *de Vsufr. II.* 1. *sequ. p.* 601. *sequ.* Origo horum iurium.

Source : BIU Cujas

§. VII.

Vsusfructus quantitatum et iurium SC. introductus.

Et initio quidem vsusfructus in solis constituebatur corporibus non fungibilibus, postea SC. prodiit, quod etiam in quantitatibus, et iuribus, vel, vt dilucidius loquamur, in rebus fungibilibus, quasi vsumfructum constituere permittebat, dummodo caueret fructuarius, se finito vsufructu tantumdem restituturum. Qua de re Vlpianus *Fragm. XXIIII. 26. et 27. Vsusfructus iure ciuili legari potest earum rerum quarum salua substantia vtendi fruendi potest esse facultas, et tam singularum rerum, quam plurium, id est, partis. Senatusconsulto cautum est: vt etiam, si earum rerum, quae in abusu continentur, vt puta vini, olei, tritici vsusfructus legatus sit, legatario res tradantur, cautionibus interpositis, de restituendis eis, quum vsusfructus ad legatarium pertinere desierit*: Eiusdem SC. mentio fit *l. 1. D. de usufr. ear. rerum. l. 24. de vsufr. leg. l. vlt. vsufr. quemadm. caueat. l. 69. ad L. Falcid. l. 1. C. de vsufr.* Quando illud factum sit non liquet. Sane non adscendit ad tempora Ciceronis, quibus, ceu ex *Topic. cap. III.* patet, corporum tantum, non item quantitatum et iurium, erat vsusfructus. Quum vero illud SC. iam interpretati sint Massurius Sabinus, Nerua, Cassius, et Proculus, ceu colligi potest ex *l. 5. §. 1. et l. 3. D. de vsufr. ear. rer.* quos omnes sub Tiberio floruisse constat: hoc quoque, vel certe Augusto imperante, SC. factum esse oportet. Vid. Marc. Aurel. Galuan. *de vsufruct. cap. III.* Ger. Noodt *de vsufr. II. 20. p. 589.* Schulting. *Iurisp. vet. Anteiustin. p. 658.*

§. VIII.

Quibus modis finitur vsusfructus.

Ceterum ita constitutus vsusfructus, finiebatur vel tempore, ad quod fuerat constitutus, vel morte fructuarii, vel capitis deminutione, vel non vtendo per constitutum tempus, vel facta in iure cessione, vel consolidatione, vel mutatione denique aut interitu rei fructuariae, de quibus omnibus plenius iureconsulti, inprimis Ger. Noodt *de Vsufr. II. 5. sequ.* Eadem omnia locum quoque habebant in vsufructu ciuitati legato. Mori enim et ciuitas videbatur, simulac interiisset, veluti absorpta terrae motu, vel inundatione. Capite minui, si in eam induceretur aratrum. *l. 21. D. quib. modis vsusfructus vel vsus amitt.* Quemadmodum enim aratrum adhibebatur in condendis vrbibus, eo fine, vt vbi sulcum duxissent Triumuiri coloniae deducendae, muri exstruerentur, et eos quodammodo religio occuparet: (Vid. *Lib. II. Tit. I. §. 6.*) ita

Source : BIU Cujas

ita aratrum toti areae vrbis inductum, eam reddebat sacram, vt habitari a nullo mortalium posset. Hinc Zonar. *Tom. II. Annal.* refert, Carthaginis aream Senatum Romanum sacrasse, et decreviſſe, ἐπάρατον, τὸ ἐπ' αὐτὴν κατοικῆσαι τινα. *Execrabile fore, ibi quemquam habitare.* Pertinet huc locus Horat. *Lib. I. Carm. Od.* 16. *v.* 17.

Irae Thyeſten exitio graui
Strauere, et altis vrbibus ultimae
Stetere cauſſae, cur perirent,
Funditus imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

Ad quae verba Scholiaſtes: *Condendis atque euertendis ciuitatibus. Haec conſuetudo fuit, vt* ARATRO *fierent, vt de condenda Virgilius:*

Interea Aeneas vrbem deſignat ARATRO.

Item Cicero de evertenda in Philippicis: Vt vexillum tolleret, et ARATRVM *circumduceret.* Plura de eo ritu habent P. Faber *Semeſtr. I.* 8. Iac. Raeuard. *Coniectan. II.* 7. Quod ſi neutrum horum contingeret, vſusfructus ſaeculo circumacto finiebatur. *l.* 56. *de vſufr. l.* 8. *de vſufr. leg.* P. Fab. *Semeſtr. l. c.* Ger. Noodt. *de vſufr. II.* 6. *p.* 614.

TIT. VI.

DE

VSVCAPIONIBVS ET LONGI TEMPORIS PRAESCRIPTIONIBVS.

MOdis adquirendi rerum dominium, iure ciuili inuentis, accenſenda etiam eſt VSVCAPIO, de qua hoc titulo agit Imperator. Nos rem ex antiquitate explicabimus.

§. I.

Vſucapionem, quae et *vſus auctoritas* dicta veteribus, ex iure Attico ad Romanos fluxiſſe, admodum fit veroſimile. Plato certe, qui in pleriſque talibus ius Atticum ſequi ſolet, vſucapionem quoque admittit in ſua republica. Vid. Plat. *de Leg. XII. p.* 691. Sed

Vſucapio e iure Attico eſt.

Source : BIU Cujas

non nisi mobilium, quibus si quis aperte intra vrbem per annum, ruri per quinquennium vsus sit, vsucapionem completam esse iusserat. Porro si ruri occulte res haberetur, vsque ad decennium vindicari eam posse volebat, sin extra territorium, aduersus possessorem aeternam auctoritatem fore denunciabat. Et ad leges Atticas procul dubio respicit Isocrates, *in Archid. p.* 239. quando sub persona Archidami ait: ἀλλὰ, μὴν οὐδ' ἐκεῖνο ὑμᾶς λέληθεν, ὅτι τὰς κτήσεις, καὶ τὰς ἰδίας καὶ τὰς κοινὰς, ἂν ἐπιγίνητε πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῴας ἅπαντες εἶναι νομίζουσιν. *Sed nec illud vos praeterit, possessiones siue priuatas, siue publicas praescriptione longi temporis et confirmari, et patrimonii loco habendas, persuasum esse omnibus.*

§. II.

Lex XII. Tab. de vsucapionis tempore.

Romam eam inuexerunt leges decemuirales, in quibus ita cautum legimus: VSVS AVCTORITAS FVNDI BIENNII, CETERARVM RERVM ANNVVS VSVS ESTO. Gothofr. *ad Leg. XII. Tab. Tab. VI.* Res ergo immobiles Romae biennio, mobiles anno vsucapiebantur. Quum vero eo tempore, quo XII. Tabulae condebantur, intra Italiam consisteret Romana potentia: factum est, vt vsucapio non nisi in fundis Italicis vel Italici iuris, adeoque in rebus tantum mancipi haberet locum. Fundorum vero prouincialium proprietatem numquam adquirebat priuatus, sed populus, (*a*) adeoque in iis non procedebat vsucapio. Qua de re eleganter Theophilus in §. 40. *Inst. de rer. diuis.* Οἱ τὰ στιπενδιάρια καὶ τριβυτάρια ἔχοντες πάλαι κατὰ συγχώρησιν δήμου ἢ βασιλέως, οὐκ ἦσαν δεσπόται. Ἡ γὰρ δεσποτεία αὐτῶν ἢ παρὰ τῷ δήμῳ, ἢ παρὰ τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' εἶχον τὴν ἐπ' αὐτοῖς χρῆσιν, καὶ ἐπικαρπίαν, καὶ ἀπολαυσάτην, κατοχὴν ὥστε δύνασθαι καὶ ἐφ' ἑτέρων μεταφέρειν, καὶ κληρονόμοις παραπέμπειν. Τῶν γὰρ Ἰταλικῶν ἀγρῶν ἤτοι οἰκίων οἱ δεσπόται τὴν δεσποτείαν εἶχον. *Qui olim ex conceſſione populi vel Principis ſtipendiaria vel tributaria praedia habebant, domini non erant: nam dominium illorum erat aut apud populum aut apud principem, ſed vſum et fructum eorum habebant, et pleniſſimam poſſeſſionem, ita vt et transferre poſſent in alios, et ad heredes tranſmittere. Italicorum autem*

(*a*) Quamuis enim praedia eiusmodi sub conditione annuae praestationis vel prouincialibus, vel ipsis ciuibus concederentur; supremum tamen et directum dominium erat penes populum. Hinc vocabantur praedia stipendiaria et tributaria. Theophil. *in* §. 40. *Inst. de rer. diuis.* Vid. Bynkersh. *de rebus manc. et nec mancipi VIIII. p.* 130. *sequ.*

Source : BIU Cujas

autem fundorum domuumque domini dominium habebant. Itaque non magis vsucapione adquiri poterat praedii prouincialis dominium quam rei commodatae, aut praedii fructuarii. Ian. Vinc. Grauin. *de Leg.* XII. *Tabul. p.* 317. Res mobiles omnes vsucapi poterant, mancipi aeque ac nec mancipi. Atque ita intelligenda illa Vlpiani *Fragm.* XVIIII. 8. *Vsucapione dominia adipiscimur tam mancipi rerum, quam nec mancipi.* Cuiac. Paratit. *ad tit. C. de vsucap. transf.*

§. III.

Vt et de vsucapione peregrinis deneganda.

Iisdem legibus decemuiralibus denegatum fuerat peregrinis ius vsucapiendi, eamque in rem ita cautum : ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS ESTO. Cicero *de Offic.* I. 12. Hostis tum erat peregrinus, ceu post Ciceronem etiam Caius docet *l.* 234. *pr. D. de verbor. signif.* Et hoc sensu Ennius de Scipione Africano apud Stephan. *in Fragm. vet. poet. p.* 107.

(*Hic est ille situs,*) *cui nemo ciuis, neque hostis,*
Quiuit pro factis reddere operae pretium.

Quum ergo vsucapio esset modus adquirendi iuris ciuilis : non magis communis ea cum ciuibus erat peregrinis, quam mancipatio aut in iure cessio. Videtur tamen postea hoc ius communicatum esse cum Latinis Iunianis, iisque peregrinis, quibus commercium datum erat. Nam hos etiam mancipationis ius habuisse, patet ex Vlpiani *Fragm.* XVIIII. 4. Post constitutionem Antonini Caracallae, ciuitatemque cum omnibus ingenuis communicatam non superfuit Latinitatis illius vsus, superfuit tamen discrimen inter fundos Italici soli et prouinciales, quod demum sustulit Iustinianus. *l. vn. C. de vsucap. transf.* Ezech. Spanh. *Orb. Rom. Exerc.* II. *Cap.* 25. *p.* 399. *sequ.*

§. IIII.

Lex Atinia de vsucapione rerum furtiuarum.

Quod vero Lex XII. Tabularum rerum furtiuarum vsucapionem inhibuit, id de ipso tantum fure videtur intellectum, vsque ad legem ATINIAM, qua primum cautum, *vt quod subreptum esset, eius rei aeterna esset auctoritas, nisi si in eius, cui subreptum esset, potestatem reuertisset.* Ita Gell. *Noct. Att.* XVII. 7. Paullus *l.* 4. §. 6. *D. de vsurp. et vsucap.* Iulianus *l.* 33. *pr. D. eod.* Incerta est legis aetas, nisi quod ante Scaeuolam, Brutum, et Manilium, vt et P. Nigidium latam fuisse ex Gellio constat. Praeterea iam Cicero in *Verr.* I. *Cap.* 42. eius meminit. Vnde non admodum a veritate

Source : BIU Cujas

abludere videtur coniectura Steph. Vin. Pighii, *Annal. T. II. p.* 255. legem hanc A. V. C. IↃLVI. Caio Cornelio Cethego et Q. Minutio Rufo Coss. a C. Atinio Labeone Tribuno plebis latam, existimantis. Exstat Andr. Puluaei *liber singularis ad legem Atiniam, seu de rei furtiuae prohibita alienatione*, qui editus Venetiis, MDLXXXV. postea in *Oceano Iuris* vel *tractatu tractatuum T.* XVII. *Vol.* XXIIII. *p.* 216. ac denique in *Thesauro iur. ciuil. Tomo* IIII. *p.* 327. locum obtinuit.

§. V.

Leges Iulia et Plautia de vsucapione rerum vi possessarum.

Sequutae sunt leges IVLIA et PLAVTIA (*b*) de vsucapionibus, aut potius de vi publica et priuata, quibus ad res vi possessas prolatum est, quod de furtiuis statuerat lex Atinia. Cautum enim his legibus fuerat, vt res vi possessae vsucapi haud possent, longo quantumuis tempore, nisi reditu ad verum dominum vitium exuissent. *l.* 33. §. 2. *D. de vsurp. et vsucap.* Legis PLAVTIAE vel PLOTIAE iam meminerunt Caelius ad Ciceronem *Epist. ad Fam.* VIII. 8. et ipse Cicero *ad Att. Epist.* IIII. 16. *pro Caecin. cap.* XXVI. *pro Milon.* XIII. nec non Sallust. *de Bello Catilin. cap.* XXXI. eaque lata est A. V. C. IↃCLXIIII. Cn. Pompeio Strabone et L. Porcio Catone Coss. a M. Plautio Tribuno plebis, vt luculenter ostendit Steph. Vin. Pigh. *Ann. Tom.* III. *p.* 228. Iulia vero, vt obseruat Hotomanus *de legib. p.* 77. non alia est, ac illa, quam de vi publica, et priuata tulit Augustus. Et quia in illam procul dubio et Plautia migrauit, inualuit, vt iuncto nomine diceretur Iulia et Plotia, quemadmodum *Iuliae et Papiae* vocabulum duas diuersas leges coniungit.

(*b*) Iura nostra de his legibus tamquam de una loquuntur. Legem *Plautiam* et *Iuliam* commemorant Iulianus *d. l.* 33. §. 2. *D. de vsurp. et vsuc.* et Tribonianus §. 2. *Inst. h. t.* Sed diuersas fuisse leges *Iuliam* et *Plautiam* vel *Plotiam*, hancque illa multo esse antiquiorem certissimum est, ac paullo post demonstrabitur.

§. VI.

Lex Scribonia de seruitutibus non vsucapiendis.

His attexenda lex SCRIBONIA, quae et ipsa ad vsucapionem pertinuit. Eam aliqui Coelio Curioni, Tribuno plebis; alii, et in his Galuan. *de vsufr. cap.* XII. L. Scribonio Liboni, qui anno IↃCCXXI. cum M. Antonio consulatum gessit; alii denique, et maxime Raeuardus *ad Leg. Scribon. I. p.* 794. huius nepoti L. Scribonio Liboni tribuunt, quem Tiberii temporibus, anno V. C. DCCLXVIIII. cum Sisenna Tauro consulem fuisse, ex Dione Cass. LVII.

Source : BIU Cujas

LVII. p. 601. adparet. Legis sensus vt eo expeditior sit, notandum est, antiquissimis temporibus seruitutes vsucapi haud potuisse. Quum enim possessionem requireret vsucapio *l. 25. D. de vsurp.* quae in seruitutibus, vtpote rebus incorporalibus, locum non habere videbatur. *l. 32. in fin. D. de seru. vrb. praed. et l. 43. D. de adquir. rer. dom.* factum est, vt nec vsucapi posse crederentur, maxime quum in duodecim tabulis nihil esset de rerum incorporalium vsucapione statutum, *l. 14. pr. D. de seruitut.* et praeterea vsucapio sit modus adquirendi dominium, seruitutis autem dominium nullum esse posset. Ast licet non esset seruitutum possessio: erat tamen earumdem vsus, quem deinde prudentes quasi pro possessione acceperunt, adeoque interpretatione sua etiam seruitutum, saltim rusticarum, vsucapionem inuexerunt. Clarissime hoc elucet ex verbis Ciceronis *pro A. Caecin. XXVI. Aquaeductus, haustus, iter, actus, a patre; sed rata auctoritas harum rerum omnium a iure ciuili sumitur.* Quum vero haec quasi vsucapio seruitutum, a prudentibus inuecta, a veteris iurisprudentiae principiis videretur abhorrere: lata demum est lex Scribonia, qua seruitutum vsucapio penitus sublata est. *l. 4. §. vlt. D. de vsurp. et vsuc.* Neque dubium est, quin ea lex ad omnes in vniuersum seruitutes pertinuerit; siquidem hoc ius vsitatum fuisse generaliter, scribit Vlpianus. *l. 10. §. 1. D. de vsurp. et vsucap.* Attamen etiam post hanc legem is, qui longo tempore non vi, nec clam, nec precario vsus erat seruitute, vtili actione a praetore adiuuabatur. *l. 10. pr. D. si seruit. vind.* Demum et Iustinianus legem Scriboniam satis aperte sustulit, et seruitutum quoque, omniumque rerum incorporalium praescriptionem admisit. *l. vlt. C. de praescript. long. temp.* Conf. Raevard. *l. c.* Ant. Schulting. *Iurisp. vet. anteiust. p. 256. sequ.*

§. VII.

Longa possessione capio rerum immobilium inventa.

Hactenus de VSVCAPIONE, cui leges decemuirales, vt dixi, in rebus mobilibus anni, in fundis biennii spatium praefinierant. Quandoquidem enim tunc ciuitate agrisque perpetuo ciues detinebantur, rariusque relicto natali solo Italia egredi consueuerant: tam breue temporis spatium rebus vsu adquirendis habita inter praesentes et absentes nulla distinctione, sufficere credebatur. Iac. Raeuard. *Tribon.* IIII. *p.* 772. Quum vero sensim Romani longe lateque proferrent imperii fines, partim edictis, partim principum constitutionibus, in eius, quod lege antiqua rebus immobilibus vsu adquirendis datum fuerat, spatii locum eatenus longius temporis

Source : BIU Cujas

poris interuallum surrogari coepit, vt vbi vsucapio cessaret, vel vti in praediis prouincialibus, praescriptione saltim longi temporis hoc ius posset adquiri. §. 2. *Inst. de vsuc.* Vnde res immobiles prouinciales non biennio, sed longo tempore vsu adquirebantur, id est, vt Paullus *Rec. Sent. V.* 2. 3. interpretatur, *inter praesentes decennii, inter absentes vicennii spatio continuo.* Quum vero antiqua illa ac decemuiralis adquisitio vsucapio diceretur: noua haec dicta est LONGA POSSESSIONE CAPIO, *l.* 4. *in fin. D. pro emt. l. vlt. D. eod.* vel LONGAE POSSESSIONIS PRAEROGATIVA. *l.* 5. *D. de itin. actuque priu.*

§. VIII.

Differentiae inter vsucapionem et longa possessione capionem.

Qua in re ergo ab vsucapione distincta fuerit illa longa possessione capio, luculenter suo more ostendit Iac. Raeuard. *Tribon.* VIII. *seq. p.* 776. Illa ciuilis erat, haec partim ciuilis, partim honoraria. Illa exiguo; haec longiore tempore constabat. In illa nulla absentiae praesentiaeue ratio habebatur; in hac multum intererat, praesentium an absentium ius in immobilibus excludendum esset. In illa tempus semper certum erat: in hac nonnumquam incertum, quoties scilicet quis titulum probare non poterat. Tunc enim requirebatur vetustas, cuius origo excederet memoriam; eaque legis vicem tenebat, teste Vlpiano *l.* 1. §. *fin. D. de aqua et aqu. pluu. arcend.* Denique quum vsucapio rerum immobilium tantum in Italico solo procederet: *princip. Inst. de vsucap.* longa possessione fundi tam prouinciales, quam Italici iuris, capi poterant, vt erudite demonstrant Theophil. *pr. Inst. h. t.* et Iac. Raeuard. *Tribon. X. p.* 781. *sequ.*

§. VIIII.

Iustiniani constitutio.

Sed Iustinianus *l. vn. C. de vsucap. transf.* vsucapionem rerum immobilium et longi temporis praescriptionem in vnam veluti massam conflauit, resque mobiles triennio, immobiles inter praesentes decennio, inter absentes vicennio vsucapi voluit. Negat Raeuardus, eius rei iustam rationem habuisse Imperatorem, quia haec omnia, quae de vsucapione rerum immobilium sanxit, iamdudum ante eius tempora Praetorum edictis Principumque constitutionibus fuerint inuecta. Quare et hic Iustiniani prudentiam legislatoriam requirit in *Tribon. X. p.* 781. Sed ea de re alibi erit dicendi locus.

§. X.

Source : BIU Cujas

§. X.

Ceterum quum tempus in vsucapionibus deberet esse continuum: interruptio illius dicebatur VSVRPATIO, *l. 2. & l. 5. D. de vsurp.* et de hac re egit Appii Claudii liber de vsurpationibus, cuius meminit Pompon. *l. 2. §. 36. D. de orig. iur.* Sunt tamen et aliae huius vocis significationes. Sic usurpari dicitur seruitus, quae vtendo retinetur. *l. 6. §. 1. l. 8. fin. l. 9. l. 16. D. quemadm. seru. amitt.* Immo et vsurpata dicitur seruitus, quae amissa, vsu iterum adquisita est *l. 40. §. 1. D. ex quib. cauſſis mai.* Reliqua, quae ad hunc titulum pertinent, a doctoribus plenius solent inculcari. Quid vsurpatio?

TIT. VII.

DE DONATIONIBVS.

INter modos adquirendi iuris gentium etiam DONATIO est, quam tamen modis adquirendi ciuilibus accensuit Caius, quia eius temporibus ex lege Cincia non valebat donatio, nisi sollemniter et per mancipationem facta. Frid. Brummer. *ad leg. Cinc. cap.* XIII. Quod quamuis mutatum esset tempore Iustiniani: noluit tamen Tribonianus Caii ordinem turbare. Plura hanc in rem diximus in *Additionibus ad Vinn. p. 253.* Quum ergo ritus nonnulli obseruati sint in donationibus: ii paullo accuratius videntur ex antiquitatibus Romanis explicandi.

§. I.

DONATIONES veteri iure in varia genera dispescebantur. Aliae erant SIMPLICES, aliae REMVNERATORIAE. Illae iterum vel *mortis cauſſa*, vel *inter viuos* fiebant; ad posterius genus etiam donationes *propter nuptias* referendae. Donationes quotuplices.

§. II.

DONATIONES, quae ob cauſſam fiebant, MVNERA; reliquae generatim DONA (*a*) adpellatae sunt. Corn. Fronto *de Differ. verb.* Differentia doni et muneris.

(*a*) Vix ergo locum habet obseruatio Agraetii apud Dionys. Gothofr. *Vet. Gramm. p.* 1348. *Donum dantis est, munus accipientis: illud a dando, hoc a muniendo vel mouendo dicitur.*

Source : BIU Cujas

verb. p. 1331 : MVNVS, *quod amicus vel cliens, vel libertus officii causſa mittunt. Poſſunt et illa nihilominus* DONA *dici, quae donant pauperibus diuites vel potentes. Illud quoque donum putandum eſt, quod militibus donatur in caſtris, vt corona vallaris.* Clarius Vlpianus *l.* 194. *D. de verb. ſign. Inter* DONVM *et* MVNVS *hoc intereſt, quod inter genus et ſpeciem : nam genus eſſe* donum, *Labeo a donando dictum :* munus *ſpeciem. Nam* munus *eſſe donum cum cauſſa, vt puta natalitium, nuptialitium.* Et Marcianus *l.* 214. *D. eod.* MVNVS *proprie eſt, quod neceſſarie obimus, lege, more, imperioue eius, qui iubendi habet poteſtatem.* DONA *autem proprie ſunt quae nulla neceſſitate iuris, officii, ſed ſponte praeſtantur, quae ſi non praeſtentur, nulla reprehenſio eſt, et ſi praeſtentur, plerumque laus ineſt.* Vbi adde, quae notat Io. Goeddeus.

§. III.

Dona et munera Romae frequentiſſima.

Et initio quidem et munera, et dona, rara admodum erant in tanta veterum paupertate, etiam inter cognatos et perſonas coniunctas, vt patet ex *Excerpt. Peireſcian. p.* 154. vbi Polybius, de rebus, Aemiliae matri a P. Scipione donatis, agens : τοῦτο δὲ, inquit, παντα χῆ, μὲν ἂν εἰκότως φαίνοιτο καλὸν, ἐν δὲ Ρώμῃ καὶ θαυμαστὸν, ἁπλῶς γὰρ οὐδεὶς οὐδενὶ δίδωσι τῶν ἰδίων ὑπαρχόντων ἑκὼν οὐδέν. *Atque id, quum vbique praeclarum, tum Romae admirabile videatur eſſe, qua in vrbe nemo quidquam ſponte alteri de ſuo donat.* Poſtea, creſcente luxuria, nihil fuit Romanis in donando magnificentius. Munera et dona patronis mittebant clientes et liberti, dominis ſerui, principibus et magiſtratibus ciues, amicis amici, cognatis cognati (*b*), et quidem variis occaſionibus, quarum praecipuas hic conſiderare operae fuerit pretium.

(*b*) De clientum liberalitate erga patronos iam ſupra Cornelium Frontonem audiuimus. De donis et munuſculis, quae liberti praeter operas debebant, videndi ſunt Caius *Inſt.* II. 9. 4. Quinctil. *Declam. vlt.* Nec ſervos ab illo donandi onere immunes fuiſſe, docet Terent. *Phorm.* I. 1. *v.* 5. *ſequ.* vbi Dauus :

Nam herilem filium eius duxiſſe audio
Vxorem, ei, credo, munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum eſt, hi qui minus habent,
Vt ſemper aliquid addant ditioribus?
Quod ille vnciatim vix de demenſo ſuo,
Suum defraudans genium, comparſit miſer,
Id illa vniuerſum accipiet, haud exiſtimans,
Quanto labore partum. Porro autem Geta
Ferietur alio munere, vbi erit puero natalis dies,
Vbi initiabunt : omne hoc mater anferet.
Puer cauſſa erit mittundi.

Impe-

Source : BIU Cujas

Imperatoribus missa esse munera, inprimis Kalendis Ianuariis, patet exemplo Augusti, apud Sueton. *Octau. LVII.* Tiberius vero eum donandi morem edicto inhibuit, strenasque oblatas respuit. Dio Cass. LVII. p. 613. Caligula eas se recepturum, edixit. Suet. *Calig. XXXXII.* Claudius eas denuo edicto sustulit. Dio Cass. LX. p. 659. Postea vix quisquam Imperatorum eiusmodi munuscula respuit. Magistratus prouinciales dona et munera non poterant iure recipere; permittebantur tamen iis xenîola, modo vetus illud obseruarent: Οὔτε πάντα, ὅτε πάντοτε, ὅτε παρὰ πάντων. *Neque omnia, neque omni tempore, neque ab omnibus. l. 6. §. 3. D. de off. procos. l. 18. D. de off. praesid.* Vnde mira continentia Ciceronis, qui in prouincia etiam xeniola illa respuit. Cicero *ad Attic. Epist. V. 10.*

§. IIII.

Praecipue donis et muneribus celebrabantur Kalendae Ianuariae, quibus strenae mittebantur vel munuscula, dulcia praesertim boni ominis caussa, veluti caricae, id est, ficus in Caria prouenientes, quarum optimae erant Cauniae, Gronou. *Diatr. in Stat. Papin. Cap. XIIII. p.* 77. caryotides, mella, huiusque generis alia, vt a rebus dulcibus dulces anni dies auspicarentur. Quam in rem egregia multa habet Ios. Scalig. *ad Tibull. Lib. I.* Martialis *Epigr. VIII.* 33. *v.* 11. Veluti strenae.

Hoc linitur sputo Iani caryota Kalendis,
Quam fert cum paruo sordidus asse cliens.

Et *Epigr.* XIII. 27.

Aurea porrigitur Iani caryota Kalendis,
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Ditiores aurum et argentum mittebant, praecipue Imperatoribus, vt Augusto apud Sueton. *Octau.* LVII. Theodosio et Arcadio apud Symmach. *Epist. X.* 28. Sed et aliis occasionibus, veluti ob victoriam, quinquennalia, decennalia, &c. Imperatoribus offerebantur dona. Et tale est *aurum oblatitium*, de quo *l. 5. l. 9. l. 14. C. Theod. de senat. Lib.* VI. *tit.* 2. id est, aurum a Senatoribus et viris clarissimis sponte promissum. Decuriones enim et curiales iis occasionibus offerebant aurum coronarium, de quo integer titulus est in codice Theod. puta *Libro* XII. *Tit.* XIII. ad quem praeclare docet Gothofredus, iam libera rep. parta victoria ducibus triumphaturis offerri consueuisse coronas, aliaque munera, ad ornandum triumphum, et inde ortum esse *aurum coronarium*, quod a bonis principibus saepe remissum, a malis reuocatum esse, copiose ostendit. Vide eius *Comment. ad Cod. Theod. Tom.* IIII. *p.* 602. Nec Kalendis tantum Ianuariis, sed et diebus proxime insequentibus, strenas mittebant. Et inde est, quod Festus *voce strena p.*

Source : BIU Cujas

447. hoc munus ita dictum putat, a numero, veluti TRENAM; vel *trinam*, quippe quo *significatum sit, alterum tertiumque venturum similis commodi.* Sed sustulit et illam donandi licentiam Tiberius, edictoque cauit, ne strenarum commercia vltra Kalendas Ianuarias exercerentur. Sueton. *Tiber.* XXXIIII.

§. V.

Apophoreta Saturnalia et matronalia.

Porro viri Saturnalibus, feminae matronalibus, id est, Kal. Martiis strenas atque apophoreta dabant et accipiebant. Apophoretorum in Saturnalibus (*c*) exempla sunt apud Sueton. *Octau. LXXV. Vesp. Cap.* XIIII. et Martial. *Epigrammatum libro* XIIII. qui totus huc pertinet. De matronalibus Tibullus *Eleg.* III. 1. *v.* 1.

Martis Romani festae venere Kalendae:
Exoriens nostris hinc fuit annus auis.
Et vaga tunc, certa discurrunt vndique pompa
Perque vias vrbis, munera, perque domos.

Et Martialis *Epigr. X.* 24.

Natales mihi Martiae Kalendae,
Lux formosior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus et puellae
Quinquagesima liba.

Et *Epigr. V.* 84. *v.* 10.

Scis certe, puto, vestra iam venire
Saturnalia, Martias Kalendas,
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Vnde est, quod Kalendas has Martias Calendas *femineas* adpellat Iuuenal. *Sat.* VIIII. *v.* 53. [lucemque capit *l.* 31. §. 8. *D. de donat. int. vir. et vxor.*] Quum vero multi Saturnalibus auidius a clientibus exigerent munera: Publicia lex lata est a Publicio, Tribuno plebis, vt non nisi cerei ditioribus mitterentur. Macrob. *Saturn. I.* 7. Quae lex eadem videtur, cum illa, qua vetitum ne quis in pecuniam luderet, sponsionemue in ludo, nisi qui virtutis caussa susceptus esset, faceret, de qua *l.* 3. *D. de aleatorib.* Tota enim lex procul dubio fuit sumtuaria.

§. VI.

(*c*) Haec apophoreta dicta etiam *sigillaria.* Sueton. *Claud. V.* Spartian. *Hadr. XVII.* Alias ipsa Saturnalium dierum adpendix dici consueuit *sigillaria*, a sigillis vel paruis imaginibus, quibus pro se et suis piaculum Saturno faciebant. Macrob. *Sat. I.* 13.

Source : BIU Cujas

§. VI.

Solebant et diebus natalibus munera accipere honoratiores atque amici. Martialis *Epigr.* VIIII. 54. Munera natalitia.

Natali tibi, Quinte, tuo, dare parua volebam
Munera, tu prohibes: imperiosus homo es.

Et alibi *Lib.* VIII. *epig.* 64. lepide exagitat Clytum, qui vt noua semper munera natalitia auferret, septies octiesue in anno natalem celebrabat. A natalibus diuersa χαρισία, id est, sollemne conuiuium, cui tantum cognati intererant, litium ponendarum et amoris instaurandi gratia institutum. Val. Max. II. 1. Hic aeque ac in natalibus dabantur munera. In primis mittebantur aues, (Martial. *Epigr.* VIIII. 56.) die natali et anuli, lunulae, aliaque huius generis ad mundum muliebrem pertinentia. Plaut. *Epidic. V.* 1. *v.* 33. Vestis cubitoriae natali suo sibi donatae meminit dispensator Trimalcionis apud Petron. p. 14. vbi conferendae Iani Woweri aliorumque doctissimorum virorum adnotationes, p. 150. ex quibus patet, caenatorias eiusmodi vestes a clientibus mitti consueuisse patronis. Nec modo accipiebant natalibus suis munera, sed et dabant, vt patet ex Inscriptione apud Gruter. p. CCCCXIIII. 2.

HIC. ARCAE. AVGVSTALIVM. SE. VIVO. HS. XX. DEDIT. VT. EX. REDITV. EIVS. SVMMAE. DIE. NATALI. SVO. IV. KAL. FEBR. PRAESENTES. VESCERENTVR. ET. OB. DEDICATIONEM. STATVAE. DECVRIONIBVS. ET. SEVIRIS. ET. IVVENIBVS. SPORTVLAS. ET. POPVLO. EPVLVM. ET. OLEVM. EADEM. DIE. DEDIT.

Et p. DLXXI. 1. alius municipio HS. LXV. legat, VT. EX. REDITV. EIVS. SVMMAE. QVOTANNIS. VIII. ID. NOVEMBRIS. NATALE. SVO. MVNICIP. EPVLVM. ET. CRVST. ET. MVLSVM. DARETVR.

§. VII.

Die octauo a natali puellae; nono pueri lustrabantur, accipiebantque nomina Festus *voce lustrici p.* 507. *Lustrici dies infantium adpellantur puellarum octauus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* Addi possunt Macrob. *Saturn.* I. 16. Plutarch. *Quaest. Rom. p.* 288. Vnde hi *dies nominum* adpellantur apud Vlpian. *Fragm. tit. XV.* Ita enim ibi legendum esse pro *nonum diem*, ex codice Tiliano ostendit Em. Merill. *Obs. II.* 33. Fiebat haec *lustratio*, vel, vti Terent. *Phorm. I.* 1. vocat, *initiatio*, impositioque nominum, variis adhibitis sol- Itemque diebus lustricis missa.

Source : BIU Cujas

lemnitatibus. Expiatum enim infantem, et aduersus fascinum probe praemunitum, eximebant cunis, et per aedes ditissimorum ciuium boni ominis caussa, nec non ob religionem per Deorum Dearumque templa circumferebant. Pers. *Sat. II. v.* 31. Suet. *Calig. cap. XXV. Ner. cap. VI.* Hinc porro nomen accipiebat infans, et vocabantur ad epulum propinqui, Iul. Capitolin. *Clod. Albin.* IIII. et denique intra trigesimum a natiuitate diem professio natalitia ad acta fiebat. Ita enim intelligendum esse locum Iulii Capitol. *in vit. Marc. cap.* VIIII. ostendimus in *Comment. ad L. Iul. et Pap. II.* 14. *p.* 266. Tunc ergo dona et munera mittebantur infanti eiusue matri, idque est, quod significat Terent. *Phorm. I.* 1. *v.* 13.

Ferietur alio munere, vbi erit puero natalis dies,
Vbi INITIABVNT : *omne hoc mater auferet :*
Puer caussa erit mittundi.

§. VIII.

Nuptialia dona.

Nec praetermittenda munera nuptialia. Neque enim temere quisquam conuiuiis nuptialibus intererat, quin munusculo, sponso sponsaeque oblato, beneuolentiam testaretur. Et haec sunt *nuptialia munera* (*d*), quorum mentio fit apud iureconsultos. *l.* 1. §. 5. *D. de tut. et rat. distrah. l.* 13. §. 2. *D. de administr. tut.* Quae tam nonnumquam magna erant, vt sponsae vel ad dotem sufficerent. Quinctiliani sane filiae Nonio Celeri nubenti L millia numum contulit Plinius. Vid. *Epist. VI.* 32.

(*d*) Item *munera nuptialitia l.* 194. *D. de Verbor. sign.* Apud Ciceron. *pro A. Cluentio VI. VIIII.* et Apulei. *de Asino aureo VI.* nuptialia dona paullo aliter accipiuntur, pro muneribus, quae ante contractas nuptias mulieri a viro offerebantur.

§. VIIII.

Xenia hospitibus missa aliaque liberalitatis exempla.

Liberalitatem non minorem ostentabant, in donandis hospitibus. His missa munera XENIA κατ' ἐξοχήν adpellata sunt. Plin. *Epist. VI.* 31. *Summo die, abeuntibus nobis xenia sunt missa.* Sed saepe diuites ac potentiam adfectantes, donis plane priuatorum fortem transgressis, plebeiorum animos, liberalitatisque laudem sibi conciliare studebant. Exemplo esse potest Plinius, qui Curiano, Gratillae filio, legatum remisit, Plin. *Epist. V.* 1. Voconio Firmo censum equestrem suppleuit, Id. *Epist. I.* 19. Martialem viatico iuvit, Idem *Epist.* III. 21. Artemidoro philosopho, vrbe excedere iusso,

Source : BIU Cujas

iusso, sub Domitiano, pecuniam, qua opus erat, a locupletibus negatam, ipse mutuatus, gratuitam dedit, Id. *Epist. III.* 11. Calvinae patris debita remisit. Id. *Epist. II.* 4. Vt alia stupenda prorsus liberalitatis exempla praetermittamus.

§. X.

Et olim quidem libere quisque donare poterat, quantum vellet. At postea A. V. C. IↃXXXXVIIII. a M. Cincio Alimento, Tribuno plebis, lata est lex CINCIA, quam et MVNERALEM vocat Plautus apud Festum *voce muneralis p.* 323. Eius primo capite cautum, ne quis ob causam orandam donum munusue caperet. Vid. Cic. *Epist. ad Attic. I. vlt. Tacit. Annal. XI.* 5. *XIII.* 42. Quum enim instituto iure patronatus, de quo supra *Lib. I. Tit. II. §. XXVIIII.* patroni pro clientibus gratis postularent: hi gratum animum ostensuri patronis Kalendis Ianuariis, Saturnalibus, natalibus, varia xeniola, strenas et munuscula offerebant, quae deinde a rabulis in debiti necessitatem transformata, adeo plebem premebant, vt patriciis veluti stipendiaria videretur. Hinc veterem morem reduxit Cincius. Vid. Fridr. Brummeri V. C. *Comment. ad Leg. Cinc. III. sequ.*

Legis Cinciae de donis et muneribus caput primum.

§. XI.

Paullo post ea lex obsoleuit. Contemtu tamen oppressam renouauit Augustus Imperator, poenamque quadrupli adiecit. Iterum desuetudine abolitam, quum reuocari non posset, Claudius ita temperauit, vt ne oratores vltra dena sestertium caperent. Tacit. *Ann. XI.* 5. Sub Nerone legi iterum pristinus vigor redditus, at sub finem eius imperii, vel certe paullo post, constitutio Claudii renouata est. Addidit Traianus SC. vt omnes litigantes iurarent, antequam agerent, nihil se ob aduocationem cuiquam dedisse, promisisse, cauisse: peractis vero caussis, non nisi dena sestertium dare liceret. Post ea tempora adeo exspirauit lex ista, vt honorario aduocatorum tantum non sordidum mercedis nomen daretur, neque dubitarent iureconsulti statuere, locationem conductionem intercedere inter aduocatum et clientem. *l.* 38. §. 1. *D. locati l. vlt. C. de condict. ob caus. dat.* Immo iam ante multae fraudes huic legi factae erant per xenia, strenas, natalitia, captationes vltimarum voluntatum, palmaria, redemtiones litium, aliasque huiusmodi artes, quas erudite, vt solet, explicat laudatissimus Brummerus *l. c.*

Variae huius legis relationes et mutationes.

§. XII.

Source : BIU Cujas

§. XII.

Eiusdem legis caput aliud.

Alio eiusdem legis capite cohibebantur donationes intra certam summam, quae tamen hodie ignota est (*e*): neque licebat cuiquam plus donare, quam lex permiserat, nisi donatio vel publica esset, vel remuneratoria, vel cognatis personisque coniunctis facta. Si plus donatum fuerat: non tota donatio, sed qua legitimum modum superabat, rescindebatur (*f*); si acu rem tetigit Brummerus *ad Leg. Cinc.* XII.

(*e*) Quanta fuerit haec summa, nondum liquet. Franc. Hotomanus *de Donat. VIIII.* negat, quemquam potuisse donare vltra dodrantem bonorum. Sed id nullo fundamento dici, ostendit Brummer. ad *L. Cinc. XII.* Alii ducentos tantum aureos donari potuisse, existimant, argumento *l.* 34. *C. de donat.* Sed nec certius videtur, istam legem de lege Cincia loqui, nec recte infertur, quia donationes cc. aureos excedentes ea lege iubentur insinuari, ideo eas lege Cincia fuisse prohibitas. Maximarum sane donationum exempla exstant apud Plin. *Epist. VI.* 25. et 32. II. 4. VIII. 14. I. 19. Vnde satis magnam oportet fuisse summam, hac lege praefinitam. Schulting. *ad Vlpian. p.* 561. *seq.*

(*f*) Ita Brummerus ob Vlpiani locum, qui exstat *Fragm. I.* 1. *Imperfecta lex est, veluti Cincia, quae supra certum modum donari prohibet, exceptis quibusdam cognatis, sed si plus donatum sit, donationem non rescindit.* Vnde colligit vir doctissimus, donationem ex hac lege pro parte, qua modum excedebat, fuisse rescissam. Enimuero sic perfecta fuisset lex Cincia. Rectius itaque dixeris, ex lege Cincia donationem etiam immodicam ipso iure valuisse, exceptionem tamen datam fuisse ei, qui conueniebatur ex sua liberalitate vltra modum à lege definitum, *l.* 21. §. 1. *l.* 24. *D. de donat. l.* 5. §. 2. *et* 5. *D. de doli mal. et met. except.* quae exceptio etiam fideiussori proderat. *l.* 24. *D. de donat.* Prodita quoque fuisse videtur actio rescissoria, qua rescindebatur, quod fuerat vltra modum donatum. *l.* 21. §. 1. *D. eod.* Quibus remediis non fuisset opus, si ipsa lege Cincia irritum fuisset, quod erat vltra modum legitimum donatum. Vid. Ant. Schulting. *ad Vlpian. l. c. p. m.* 562.

§. XIII.

Caput tertium eiusdem legis.

Alio huius legis capite cautum fuerat, vt in donatione, quibusque personis facta, mancipatio traditioue interueniret, exceptis donationibus conditionalibus et mortis caussa factis. Brummerus *ad Leg. Cinc.* XIIII. Exempla exstant in marmoribus Gruterianis, quae egregie illustrat idem Brummerus.

§. XIIII.

Variae horum capitum relatio-

Accesserunt postea varia SC. variaeque constitutiones, quibus legi Cinciae subinde vel obrogatum, vel derogatum est. Sic postea inualuit, vt inter personas coniunctas donatio valeret, quibuscum-

Source : BIU Cujas

buſcumque verbis facta, etiamſi nulla interceſſiſſet mancipatio. Paull. *Sent. Recep.* IIII. 1. 11. *et V.* 11. 4. idque introductum eſt conſtitutione D. Pii, cuius mentio fit *l.* 4. *C. Theod. de donat.* Sane ante haec tempora etiam cognati, perſonaeque coniunctae in donationibus ius commune, hoc eſt, legem Cinciam ſequebantur, vt patet exemplo matris Voconii Romani, quae donationem ſeſtertii quadringenties, non prius legitime peregiſſe videbatur, quam fundos emancipaſſet, teſte Plin. *Epiſt. X.* 3. Brummer. *ad L. Cinc.* XIII. Idem D. Pius primus vetuit, ne poſſet donatarius vlterius conueniri, quam in quantum facere poſſet. *l.* 20. *l.* 41. §. *vlt. D. de re iud. l.* 28. *D. de R. I.* Sic et miles donare non poterat *focariae*, *l.* 2. *C. de donat. int. vir. et vx.* immo nec heredem illam inſtituere, vt vulgo colligunt ex *l.* 14. *D. de his quae vt indign.* Aliud tamen adparet ex marmore apud Grut. *Inſcr. p.* MCVII. 3. D. M. M. AVREL. VITALIS. MILITIS. CL. PR. ANTONINIAN. RAVENN. NATIONE. PANN. III. PROVIDENTIA. STIP. XXVIII. VALERIA. FAVSTINA. FOCARIA. ET. HERES. EIVS. BENE. MERENTI. POSVIT. immo et ex *l.* 13. §. 2. *D. de teſtam. milit.* et *l.* 5. *C. eod. tit.* Conf. Merill. *Obſeru. Lib. VIII.* 32. *p.* 124. Ipſine legi Cinciae, an Principum conſtitutionibus id debeatur, quod ei, qui aliquem a latronibus, vel hoſtibus eripuerat, in infinitum donare liceret, dummodo donatio, et non merces laboris adpellaretur, non facile dixeris. Extat eiuſmodi exceptio apud Paullum *Recept. Sent. V.* 11. 6. et verbis neſcio cur immutatis *l. penult.* §. *vlt. D. de donat.* nes et mutationes.

§. XV.

Inualuerat etiam, vt donatio fieri non poſſet verbis generalibus, ſed ſingulae res, quas quis eſſet donaturus, enumerari deberent. *l.* 1. *Cod. Hermog. de donat.* Ex quo textu patet, aeuo adhuc Diocletiani hoc ius obtinuiſſe. Ita enim ibi Diocletianus et Maxim. Auguſti: *Non eſt iuris incerti*, (in emancipatum donatione aliquid transferri non poſſe;) *ſi generaliter eidem partem tertiam bonorum donaſti, quia generaliter bonorum portio donari non poteſt, quum ſingulae res nominari debeant, quae donatione, mancipatione, vel in iure ceſſione transferuntur.* Scilicet quia in donatione requirebatur mancipatio, haec fieri non aliter poterat, niſi per adprehenſionem rei. Vnde Vlpian. *Fragm.* XVIIII. 6. *Res mobiles non plures mancipari poſſunt, quam quae manu capi poſſunt: immobiles autem etiam plures ſimul.* At ſecus tamen ſe res habebat inter patrem et filium ſuum, cui partem bonorum donare licebat. Id- In donationibus res ſingulae nominari debebant.

Source : BIU Cujas

que patet ex inscriptione apud Gruterum, p. IↃCCCLXXX. 3. qua pater liberis omnibus bonis cedit:

MARVLLO ANTIOCHENO.
HELENAE. TERTVLLIANAE. P. MARVL. PAT.
VIVENS. BONIS. CESSIT.
PARTE. SIBI. QVOAD. VIXER. RETENTA.

Vid. V. C. Schulting. *Not. ad Cod. Hermog. p. m.* 713. *sequ.*

§. XVI.

Donatio facta a parentibus.

Quae filiis suis donabant parentes, magis destinata videbantur voluntate paterna, quam donata. *l.* 11. *c. h. t.* Hinc requirebatur, vt pater in ea voluntate perseuerans decessisset. Paull. *Rec. Sent. V.* 11. 3. Tamen ne sic quidem rata erat donatio, ita vt res donata posset a filio vsucapi, nisi eadem res arbitrio familiae erciscundae esset adiudicata. *l.* 18. *C. famil. erciſc.* Vnde et parentes praelegare ea solebant liberis, quae viui donauerant. Vid. Plin. *Hist. Nat.* XXXIII. 2. At nouissimo iure id quoque mutatum est. *l.* 25. *C. de donat. inter vir. et vx.*

§. XVII.

Insinuatio ad acta introducta a Constantino Chloro, postea subinde mutata.

Aliam mutationem ius istud subiit tempore Constantini Chlori, qui omnes donationes in scriptis fieri, actisque insinuari iussit. Eius deinde constitutionem firmauit filius Constantinus Magnus. *l.* 1. *C. Theod. de sponsal.* Postea Theodosius et Valentinianus, non modo scripturam remiserunt, sed et insinuationem, si donum ducentos aureos non excederet. *l.* 29. *C. h. t.* Iidem principes etiam secundum caput legis CINCIAE de certa donationis summa sustulisse dicuntur (*g*). Ast Iustinianus summam actis insinuandam primo ad trecentos, mox ad quingentos aureos auxit, exceptis quibusdam donationum speciebus, *l.* 34. *l.* 36. *C. eod.* Conf. Brummer. *ad leg. Cinc.* XII. *sequ.* inter quas et remuneratoriam esse, docet Cuiac. *Obs.* XXVII. 40. Videtur tamen etiam Iustini tempore saepe scriptura adhibita, vt docet fragmentum vetustae donationis, Iustini aeuo, Maximo consulatum gerente, factae, quod recenset Barn. Brisson. *de Formul.* VI. *p.* 558.

§. XVIII.

(*g*) Ita Brummerus V. C. *ad Leg. Cinc. XIII.* qui id colligit ex *l. vlt. C. Theod. de sponſ.* Sed ibi tantum de donatione propter nuptias agitur, ostenditurque, quaenam sit insinuanda.

Source : BIU Cujas

§. XVIII.

Ad donationes propter nuptias quod attinet, earum naturam satis accurate exponit Imperator §. 3. *Inst. h. t.* Alias quidem inter virum et vxorem constante matrimonio donatio non valebat, nisi certis ex caussis, veluti mortis caussa, serui manumittendi gratia &c. Eandem prohibitionem constitutione sua firmauerat Antoninus Imperator (*h*), *l.* 42. *D. de donat. inter vir. et vxor.* qui tamen et ideo mulieri donare permiserat, vt vir ab Imperatore lato clauo (*i*), vel equo publico (*k*), similiue honore ornaretur. Vlpian. *Fragm. VIII.* 1. Paull. *Recept. Sent. II.* 23. Quod, vel ideo prouisum, aiunt, vt ne coniuges ob mutuum amorem se inuicem spoliarent, vt ait Vlpianus *l.* 1. *D. de donat. inter vir. et vxor.* vel, ne bonorum, quae inter eos quasi communia esse debebant, societas leuissimi munusculi acceptatione tolleretur, vt existimat Plutarch. *Quaest. Rom. p.* 265. (*l*) et *Coniugal. praecept. p.* 143. *Tom. II. Operum.* Sed haec omnia intelligenda de donationibus stante matrimonio factis. Alia erat ratio donationis propter nuptias, id est, constitutionis pecuniae, qua mulieri praestabatur securitas dotis, vt, si de hac periclitaretur, aliquid vice dotis dissipatae haberet §. 3. *Inst. de donat.* Ea quum initio donatio ante nuptias vocaretur, eo quod tantum ante matrimonium impletum fieret; postea D. Iustini constitutione permissum est, vt tam ante, quam post nuptias constitui vel

Donatio propter nuptias.

(*h*) Lex haec est ex Caii Commentariis ad Edictum desumta, adeoque intelligi non potest Antoninus Caracalla, vt existimat Lud. Charondas *ad Vlpian. l. c.* cuius ad tempora Caius non peruenit, sed Antoninus Pius. Vid. Guil. Grot. *de vit. Iurecons. II.* 7.

(*i*) Id est, dignitate senatoria, cuius insigne erat latus clauus. Vid. *Graeu. Praef. Tomi VI. Thesaur. Antiqu. Rom.*

(*k*) Id est, dignitate equestri. Ita explicat etiam Caius *l.* 42. *D. de donat. inter vir. et vx.*

(*l*) Rationes alias suppeditant, *l.* 2. *et l.* 3. *eod.* Sed nulla tamen harum genuina esse et ad prohibitionis huius originem pertinere videtur. Vera caussa ex principiis iurisprudentiae veteris deriuanda, secundum quae vir et vxor pro una persona habebantur, non secus ac pater et filia familias. Quemadmodum ergo inter hos donatio non valebat, nisi pater donans in ea voluntate perseuerans decessisset: ita non magis valida erat donatio inter virum et vxorem, quae in manum conuenerat. Barn. Brisson. *de Ritu Nuptiar. p.* 214. Postea quum raro vxores in manum conuenirent, et tamen posteriores Imperatores ius vetus constitutionibus suis firmarent: ICti alias rationes excogitandas putarunt, quamvis sibi ipsi non satis constent. [Rad. Forner. *rer. quotid. III.* 23. *p.* 218.]

Source : BIU Cujas

augeri posset, quumque iam nomen antiquum inconcinnum videretur, Iustiniani iussu *donatio propter nuptias* vocari coepit §. 3. *Inst. h. t. l. vlt. C. de donat. propter nupt.* Graecis est ἀντιφέρνα, ad quam proxime accedunt θεώρητρον et ὑποβόλον, quorum hoc est, quod ob dotis quantitatem, quum soluto matrimonio dos repetitur, huic subiicitur, et veluti sub dote, quae in maiorem quantitatem excrescit, tamquam minus et infirmius ponitur: Harmenop. IIII. 10. 1. illud autem quod virgini, non viduae datur, διὰ τὴν τιμὴν τῆς παρθενίας, *in honorem virginitatis*. Id. *Promtuar. V.* 5. 7. Vnde hoc cum veterum ἀνακαλυπτηρίῳ non male comparat Dionys. Gothofredus. Similis quoque est theoretro Germanorum *morgengaba* vti et ὑποβόλῳ *incrementum dotis*, ibidem passim receptum. Erat autem *theoretri* quantitas in singulas libras dotis semiaureus: Harmenop. *ib.* §. 9. et *hypoboli* apud veteres dotis dimidia pars, postea pro libra librae triens. Idem §. 4. Videtur res pactis definita, eoque pertinere puto *instrumenta* ὑποβολικὰ, vel, vt ibi codices habent, *hyperbolica*, apud Sidon. Apollin. *Epist. VII.* 2. et συμφωνηθὲν ὑποβόλον, *pactum hypobolum*, apud Harmenop. IIII. 10. 7.

§. XVIIII.

Donatio mortis caussa.

Quemadmodum vero donationes inter viuos sua natura erant irreuocabiles, nisi ob certas caussas, quas iureconsulti exponunt: ita semper reuocari poterant donationes, MORTIS CAVSSA factae, morte non sequuta. Sed et hic ad formulas erat respiciendum. Poterat enim etiam sic mortis caussa donari: VT NVLLO CASV EIVS REPETITIO ESSET, id est, ne si conualuisset quidem donator, et tunc credebatur inter viuos donatum. *l.* 27. *D. de mort. causs. don.* Plures formulas, in huiusmodi donationibus vsurpatas, accurate suo more collegit Barn. Brisson. *de Form.* VII. *p.* 690.

§. XX.

Leges adiectae donationibus.

Postremo et hoc monendum videtur, donationibus consueuisse varias conditiones ac leges adiici, vt non modo ex multis iuris nostri fragmentis constat, quae idem colligit Brisson. *de Form.* IIII. *p.* 557. verum etiam ex Plauti *Asin.* IIII. 1. vbi scitum et elegans exstat syngraphi inter adolescentem, amicam, et lenonem conscripti exemplum, in quo plurimae leges viginti minarum donationi adiiciuntur. Immo et lapides exstant, in quibus curiis, vel integris corporibus, donationes fiunt, certis adiectis legibus, veluti VT QVOTANNIS NATALI SVO SPORTVLAE VIRITIM DIVIDANTVR,

Source : BIU Cujas

TVR, vel VT. LARGIVS. ROSAE. ET. ESCAE. PATRONO. SVO. ET. QVANDOQVE. SIBI. PONERENTVR. et quae ſunt huius generis aliae. Briſſon. *ibidem.*

TIT. VIII.

QVIBVS ALIENARE LICET, VEL NON.

COniunctim hoc titulo exhibet Imperator quae dici poterant de iis, quae vel non alienari poterant a dominis, vel poterant a non dominis. Nos ſingula ex antiquitatibus Romanis illuſtrabimus.

§. I.

Fundus dotalis alienari non poterat a marito.

A marito alienari non poterat fundus dotalis, quamuis alias eius eſſet dominus *pr. Inſt. h. t.* Ad quae rectius intelligenda monere nonnulla licebit de dotium origine et natura, maxime quum haec materia in Inſtitutionibus plane praetermiſſa ſit a Triboniano.

§. II.

Dotium origo et natura apud alias gentes,

Dotes quo fine olim inter mortales conſtitutae ſint, a nemine, quod ſciam, accuratius oſtenſum eſt, quam a Iac. Perizonio, V. C. *in Diſſert. ad Leg. Vocon. p.* 113. *ſequ.* Quemadmodum ſcilicet filii apud pleraſque gentes in domo paterna manebant, domini ac heredes omnium, quae parentes reliquiſſent, bonorum futuri: ita filiae contra per nuptias in perpetuum dimittebantur e domo paterna, atque hinc innuptae debebant ex bonis paternis ali, nuptae vero inſtrui dote, ne plane exſortes eſſent paternae hereditatis. Apud pleraſque tamen gentes dotem maritus vxori, non vxor marito offerebat. Iſta ſane conſuetudo viguit inter Germanos, teſte Tacito *de Mor. Germ. Cap.* XVIII. Aſſyrios, teſte Aelian. *Hiſt. Var.* IIII. 1. Babylonios, teſte Herodot. I. 196. et Armenios, ceu patet ex *Nou.* XXI. [Hebraeos. Selden. *vx. Hebr. Libr.* II. *Cap.* II. *p.* 96.] Sed diutiſſime permanſit apud Germanos, eiuſdemque originis gentes, ceu ex multis medii aeui teſtimoniis et diplomatibus alio loco probauimus.

Source : BIU Cujas

§. III.

vt et apud Romanos.

Communis hic mos erat omnibus fere gentibus, praeterquam Romanis, qui dotem dabant filiabus, (*a*) etiamsi eaſdem ad aequas hereditatis partes admitterent. Tam neceſſariae enim Romanis videbantur dotes, vt vel his ſolis ſe a concubinis ſeiungerent matronae. Hinc apud Plaut. *Trin. III.* 2. *v.* 63. adoleſcens:

Sed vt inops, infamis ne ſim, ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi
Sic ſine dote dediſſe magis, quam in matrimonium.

Conf. Id. *Act. III. Scen. III. v.* 3. et *l.* 1. *D. ſolut. matrim.* vbi Pomponius *publice intereſſe*, ait, *dotes mulieribus conſeruari, quum dotatas eſſe feminas, ad ſobolem procreandam, replendamque liberis ciuitatem quam maxime ſit neceſſarium*: nec non Paullus *l.* 2. *D. de iur. dot.* qui *reipublicae intereſſe*, ait, *mulieres dotes ſaluas habere, propter quas nubere poſſint.* Poſtea tamen, lata lege Voconia, Romanae quoque mulieres contentae eſſe iuſſae ſunt dote ſua, nec hereditates adfectare. Eae dotes fuere luculentiſſimae. L. Paullo vxor ſecunda attulerat dotem XXV. talentorum. *Excerpt. Peireſc. ex Polyb. p.* 99. Africanus quoque maior vtrique filiae dotis nomine promiſerat L. talenta. *Ibid. p.* 155. (*b*) Non ſemper tamen dos in numerata pecunia conſtabat, ſed et in fundis et praediis, tam vrbanis, quam ruſticis, *l.* 13. *l.* 14. §. 1. *D. de fund. dotal.* immo et in ſeruis vel ancillis, *l.* 9. *C. de rei vind.* aliiſque, quae aeſtimationem admittebant, et vſui eſſe poterant marito ad ferenda matrimonii onera.

(*a*) Dos illa Romanarum mulierum veluti complementum pretii erat, quo mulieres ſibi viros coëmebant, et hinc Tacitus tamquam rem a Romanis moribus diuerſiſſimam notat, quod apud Germanos ſoli viri ſibi coëmerint vxores, non vxores viros. Vid. Tacit. *de moribus Germ. XVIII.*

(*b*) Plerumque tamen dos illuſtrium feminarum erant *decies centena*, id eſt, *decies centum millia ſeſtertium.* Martial. *Epigr. XI.* 24.

Nubere Sila mihi, nulla non lege parata eſt,
Sed Silam nulla ducere lege volo.
Quum tamen inſtares: decies mihi dotis in auro
Sponſa dabis? dixit: Quid minus eſſe poteſt?

Hortalum quoque Auguſtus, promiſſa decies ſeſtertii cenſu, quem fortaſſis vxor in dotem non datura ſit, illexit ad ducendam vxorem procreandoſque liberos. Tacit. *Annal. II.* 37. Eamdem dotem Flauiae, Athenagorae filiae dedit Seuerus. *l.* 6. §. 1. *D. de vſur. et fruct.* Adde Iuuenal. *Sat. VI. et X. v.* 335. Martial. *Epigr. II.* 65. Senec. *conſolat. ad Helu. Cap. XII.*

§. IIII.

Source : BIU Cujas

§. IIII.

Triplex vero erat dotem constituendi ratio. Aut enim DABATVR, aut PROMITTEBATVR, aut DICEBATVR, Vlpian. *Fragm. VI.* 1. Quae saepe coniunguntur in iure veteri, quamuis a Triboniano sollemnia haec vocabula passim sublata, aliaque reposita sint, vti obseruat Cuiac. *Obs. XI.* 29. et *Papin. Quaest. Lib. XI. ad l.* 7. §. 1. *D. solut. matr.* DARI dos dicebatur, si praesens offerretur marito, idque plerumque fiebat eo ritu, vt pecunia illa dotalis consignata pridie nuptiarum apud auspices deponeretur, in crastino nuptiarum viro tradenda. De Messalina Sueton. *Claud. XXVI. Messalinam, quum comperisset, super flagitia atque dedecora C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio adfecit.* Et Iuuenalis *Sat. X. v.* 333. de eadem Messalina: Ea vel dabatur,

- - - Dudum sedet illa parato
Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, et RITV *decies centena* DABVNTVR
ANTIQVO, *venit cum* SIGNATORIBVS *auspex.*

§. V.

DOS PROMITTEBATVR interposita stipulatione, dummodo *persona interrogata responderet, et stipulato promitteret*, ut ait Caius *Instit. II.* 9. 3. Exemplum eiusmodi stipulationis est apud Plautum *Trinum. V.* 2. *v.* 34. *sequ.* vel promittebatur,

-- LY. *Sponden' ergo tuam gnatam vxorem mihi?*
CA. *Spondeo, et mille auri Philippum dotis.* LY. *Dotem nihil moror.*
CA. *Si illa tibi placet, placenda dos quoque est, quam dat tibi.*
CH. *Postremo, quod vis, non duces, nisi illud, quod non vis, feres.*
CH. *Ius hic orat.* LY. *Impetrabit, te aduocato atque arbitro. Istac lege, (cum ista dote,) filiam tuam sponden' mihi vxorem dare?*
CH. *Spondeo.* CA. *Et ego spondeo idem hoc.*

Illud addo, dotem promissam solui consueuisse tribus pensionibus, annua, bima, trima die, vt docent exempla apud Cicer. *Epist. VI.* 18. *et ad Attic. XI.* 4. 23. *et vlt.* [Vlpian. *Fragm. VIII.* 16.] et in *Excerpis Peirescianis p.* 157. vbi id fieri oportuisse ait Polybius κατὰ τὺς Ρωμαίων νόμυς, *secundum Romanorum leges.* Quum locum

Source : BIU Cujas

locum a Salmasio mirifice perturbatum egregie illustrat Ger. Noodt *de Foen. et Vsur.* III. 6.

§. VI.

vel dicebatur.

Dotis denique DICTIO fiebat verbis quibusdam sollemnibus, (*c*) vt recte notarunt Cuiacius *ad Vlpian. Fragm.* VI. 1. Barn. Brisson. *de Form.* VI. *p.* 543. Ast docet tamen Caius *Instit.* ibid. *obligationem hanc et nulla praecedente interrogatione contrahi potuisse.* Videtur ergo haec dotis dictio in eo constitisse, quod dotem dicturus summam nominaret, sponsus eamdem, stipulatione haud interposita, acciperet. Exemplum est apud Terent. *Andr. V.* 4. *v.* 47. vbi Chremes:

-- Dos, Pamphile, est
Talenta quindecim. PA. *Accipio.*

Ea enim verba sollemnia et legitima fuisse, obseruat Donatus Scholiastes, his verbis: *Ille nisi dixisset*: ACCIPIO, *dos non esset.* Vnde facile patet, hanc sollemnem fuisse dotem constituendi formulam, a *datione* ac *promissione dotis* diuersissimam. Add. Sidon. Apollin. *Epist. I.* 11. Tales formulae dotem dicendi occurrunt etiam in iure nostro *l.* 25. *l.* 44. §. 1. *l.* 46. §. 1. *l.* 57. *princ. D. de iure dot.*

(*c*) Negant hoc Cl. Salmas. *de modo vsur. XVI.* et Oisel. *ad* Caii *Instit. l. c.* Sed non sequitur, vt ideo, quod nulla interceserit stipulatio, verba quoque sollemnia adhibita fuisse negemus. Erant etiam praeter stipulationes multae aliae formulae sollemnes. Sane sollemnium verborum in dotis dictione obseruandorum meminit. *l.* 3. *C. Theod. de incest. nupt.* et dictio dotis a datione minus sollemni distinguitur in *l. vlt. C. Theod. de dotib.*

§. VII.

Qui dare, promittere, dicere dotem potuerint?

Dicere vero dotem poterat ipsa mulier, vel eius debitor, vel pater, auus, aliique per virilem sexum cognatione iuncti. *Dare* autem et *promittere* licebat omnibus, etiamsi nulla propinquitate coniunctis. Vlpian. *Fragm.* VI. 2. et Paullus *l.* 41. *D. de iure dot.* Ipsa vero mulier nihil in his poterat sine auctoritate tutorum. Cicero *pro Flacco* XXXIIII. XXXV. *Dotem Valeria pecuniam omnem suam dixerat. Nihil istorum explicari potest, nisi ostenderis, illam in tutela Flacci non fuisse. Si fuit, quaecunque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est.* Addatur Cicero ibid. cap. XXV. Vlpian. *Fragm.* XI. 27. Hinc si nullus erat mulieri tutor: dandus erat a Praetore vrbano ex lege Papia Poppaea, ad dotem dandam, dicendam, promittendamue. Vlpian. *Fragm. XI.* 20. De eo tutore plura diximus in

Source : BIU Cujas

in *Comment. ad L. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. Cap. XIII. p. 253. sequ.* vbi et ostendimus, tutorem mulieri ob dotem, vel pupillo ob litem cum tutore datum, ideo *Praetorianum*, vel *praetorium* appellatum esse, quia hic non dabatur suffragante maiore parte tribunorum plebis, vti alii tutores ex lege Atilia dati, sed a solo praetore. Add. Vlpian. *Fragm. XI.* 24.

§. VIII.

Quaecumque pater genero vel eius patri ad ferenda matrimonii onera dederat, ea dotis *profectitiae* nomine veniebant. Quae alius quicumque obtulerat, dos *aduentitia* vocabatur. Ac olim quidem profectitia aeque ac aduentitia dos marito cedebat: (vid. supra Lib. I. Tit. X. §. VII.) Postea quum raro vxores in manum conuenirent, et frequentissima contra essent diuortia, distingui inter profectitiam et aduentitiam coepit. Profectitia, mortua in matrimonio muliere, ad patrem tota reuertebatur, siue esset filia familias, siue sui iuris, *l. 59. D. sol. matr.* liberis tamen relictis, in singulos quintae partes manebant penes virum, quemadmodum et praemortuo patre, dos profectitia tota penes virum remanebat. Vlpian. *Fragm. VI.* 4. Aduentitia dos semper penes maritum remanebat, (*d*) Cuiac. *Obseru. IX.* 4. praeterquam si is, qui dederat, vt sibi redderetur, esset stipulatus: quae dos specialiter *receptitia* dicebatur. Vlp. *l. c. n.* 5. Quae tamen omnia iure nouo mutata esse, *ex l. 6. D. de iur. dot. l. 12. pr. l. 26. §. 2. D. de pact. dot. l. 5. D. de diuort. l. 48. l. 59. D. solut. matr. l. vn. §. 6. C. de rei vx. act.* satis constat. Quid dos profectitia, aduentitia, receptitia?

(*d*) Exemplum tamen Augusti, qui marito dotem aduentitiam abiudicauit, exstat apud Valer. Max. VII. 7. 4. Sed tum Augustus facti indignitate motus, magis ex aequo et bono, quam ex iuris rigore vel fori vsu, decreuit, vt obseruat Ant. Schulting. *ad Vlpian. Fragm. VI. 5. p. 582.*

§. VIIII.

Quum vero frequentissima essent apud Romanos diuortia, adeoque verendum videretur, ne, dissipata dote, vxores domo extruderentur: non modo repudiatae concessum, vt dotem actione rei vxoriae repeteret, quam in actionem ex stipulatu conuertit Iustinianus, *l. vn. §. 14. C. de rei vxor. act. in exstipul.* verum etiam cautum est sub Augusti imperio, ne maritus fundum Italicum dotalem, vxore vel inuita, alienaret, vel consentiente, obligaret. Ex qua lege istud ius manarit, dubium visum est viris doctis. Legi Iuliae et Alienatio fundi dotalis Italici lege Iulia prohibita.

Source : BIU Cujas

et Papiae illud tribuit Iac. Gothofredus *ad L. Iul. et Pap. Cap. XX. sequ.* sed argumentis admodum incertis, et quae ipse postea desefit p. 335. Magis probabile est, esse hoc caput legis Iuliae de adulteriis, cui etiam illud inserit Barn. Brisson. *ad L. Iul. de adult.* XXVIIII. *p.* 123. Nam huic legi istud caput diserte tribuit Paullus *Recept. Sent. II.* 21. [Add. Io. Guil. Hoffmanni *Comm. ad L. Iuliam de adulter. Cap.* VIII. §. 7. *p.* 163. *sequ.*] Et caput legis Iuliae de dote soluto matrimonio repetenda plane aliud, et ab hoc diuersissimum fuisse, demonstrauimus in *Comm. ad L. Iul. et Pap. Popp. II.* 19. *p.* 327. Cur vero ad sola praedia Italica haec lex pertinuerit, facile patet. Sola praedia Italica poterant vsucapi, non item prouincialia, vt supra ostensum. Hinc non necesse erat, vt viro alienatione praedii dotalis prouincialis interdiceretur, quum hoc ab vxore, soluto matrimonio, facile posset vindicari, nullaque ei opponi posset exceptio vsucapionis. Ex quo vero Iustinianus vsucapionis ius etiam ad praedia prouincialia protulit: non potuit non etiam praediorum dotalium in prouinciis sitorum alienationem inhibere. *l. vn.* §. 15. *C. de rei vx. act.* qua etiam maritum fundum dotalem, consentiente vxore, alienare vetuit.

§. X.

Alienare pignus poterat creditor, et quomodo.

Vidimus maritum, licet dominum, praedia dotalia alienare haud potuisse: secus in pignore se res habebat, quod alienari poterat a creditore, non soluente debitore, etiamsi ille non esset dominus. §. 1. *Inst. h. t.* Et quidem, si ea lege traditum fuerat pignus, vt a creditore distraheretur, non opus erat vlla denunciatione: *l.* 4. *princ. D. de pign. act.* nec exigebatur denunciatio, si certo die soluenda erat pecunia, et pignus simpliciter datum esset, modo non, antequam dies venerat, vendidisset, siquidem tunc furti se obligabat. *l.* 73. *D. de furt.* At postea tamen et hoc casu requiri coepit vna denunciatio, et mora biennii. *l.* 4. *C. de distr. pign. l. vlt.* §. 1. *C. de iur. dom. imp.* Reliquis casibus trina requirebatur denunciatio, vt debitor vel pignus lueret, vel sciret, illud distractum iri. Paull. *Recept. Sent. II.* 5. 1. Iustinianus vero veteres ambages nouis, iisque multo longioribus commutauit, et trinam quidem denunciationem plerisque casibus sustulit, vnicamque sufficere voluit: addidit tamen, vt facta denunciatione, elapsoque post eam triennio, pignus creditori adiudicaretur, dato insuper debitori biennio, intra quod rem suam posset recuperare. *l. vlt.* §. 3. *C. de iure domin. impetr.*

§. XI.

Source : BIU Cujas

§. XI.

Pupillos pupillasue alienare haud posse, nisi auctoribus tutoribus, vel ius naturae suadet. Et quid Romae hac in re vsitatum fuerit, iam supra ad titulum *de auctoritate tutorum* dicere occupavimus. De alienatione rerum pupillarium remissiue.

TIT. VIIII.

PER QVAS PERSONAS CVIQVE ADQVIRITVR.

QVicumque erant alieni iuris, ii non sibi adquirebant, sed iis, quorum in potestate erant. Quia enim et serui omnino, et liberi ratione patris in classe rerum esse censebantur: nihil magis videbatur rationi consentaneum, quam vnumquemque per rem suam adquirere. Vid. *Elem. nostra iur. ciu. sec. ord. Instit. Lib. II.* §. 470. Ea de re hoc demum titulo agit Tribonianus.

§. I.

Et liberi quidem, quum ex Romuli instituto non multo melioris essent conditionis, quam serui, instar horum quoque non sibi adquirebant, sed patri, qui liberam habebat rerum omnium, quas liberi quocumque titulo adquisiuerant, dispositionem, adeo vt eas alteri ex liberis, immo et extraneis, donare possent. Vid. Sext. Empir. *Pyrrhon. hypot. III.* 24. Adde Senec. *de Benef. VII.* 4. Dionys. Hal. *Ant. Rom. VIII.* vbi hic auctor πολιτικώτατος: *Romanis*, inquit, *filiis nihil proprii est viuis patribus, sed et pecunias, et corpora liberorum, patribus ad eorum arbitrium tradidit lex Romuli.* Et Arrian. Diss. Epictet. II. 10. Υἱῶ τῦ προσώπω ἐπαγγελία πάντα αὐτῦ ἠγεῖσθαι τῦ πατρός. *Filii officium est, vt, quae habet, omnia patris esse ducat.* Add. Sueton. *Tiber. XV.* Adquaestus per liberos.

§. II.

Postea tamen filiis concessum tamquam peculium, quidquid militiae labore erant lucrati. Et id quidem eodem tempore factum videtur, quo ipsa libera testamentifactio concessa est militibus. Id primo sub Iulio Caesare factum ad tempus; postea id ius auctum a Tito, Domitiano, Nerua, et Traiano, Imperatoribus: vti testa- Mutatio huius iuris.

Source : BIU Cujas

tur Vlpianus *l.* 1. *pr. de teſt. milit.* Sane ſub Claudio et Nerone non ignotum fuiſſe peculium militare, docet Iuuenal. *Sat. vlt. v.* 52.

-- Nam quae ſunt parta labore
Militiae, placuit non eſſe in corpore cenſus,
Omne tenet cuius regimen pater.

Quem locum fruſtra ſollicitauit P. Pithoeus. Additum poſtea et *quaſi caſtrenſe peculium*, (*a*) permiſſumque liberis, quidquid artibus liberalibus adquiſiuerint, ſeparatum habere a rationibus paternis. §. *vlt. Inſt. de milit. teſt.* Excepit etiam Conſtantinus M. (*b*) bona materna, quorum vſumfructum tantum patribus conceſſit. *l.* 1. *C. de bon. mat.* Vnde multo magis rationi videbatur conſentaneum, bona materni generis, ad liberos pertinere, et iſta ſtatuerunt Gratianus, Valentinianus et Theodoſius. *l.* 6. *C. Theod. eod.* Porro idem ad lucra nuptialia et ſponſalitia porrectum eſt a Theodoſio et Valentiniano, itemque a Leone, et Anthimio. *l.* 1. *l.* 4. *l.* 5. *C. de bon. quae liber.* Denique Iuſtinianus haec generatim ad omnia bona liberorum aduentitia produxit, quorum dominium penes liberos, vſumfructum penes parentes eſſe iuſſit. *l.* 6. *C. de bon. quae liber.* Reliqua, quae vel a patre vel eius contemplatione, ad filium perueniebant, patri adquirebantur. Quo etiam pertinuiſſe, quae filius accipiebat, congiaria, oſtendit Cuiac. *Obſ. XXI.* 7.

(*a*) Fit illius mentio etiam in Digeſtis *l.* 1. §. 15. *de collat. l.* 3. §. 5. *de bon. poſſeſ. l.* 7. §. *vlt. de donat. l.* 16. §. 12. *ad SC. Trebell.* quae loca omnia a Triboniano interpolata eſſe putat Fr. Balduin. *Iuſtinian. III.* Sed Iac. Gothofr. *ad l.* 3. *C. Theod. de poſtul. Tom. I. p.* 143. *ſequ.* de omnibus id adfirmare non audet, quia, quamuis aduocatis primus hoc priuilegium tribuerint Theodoſius iunior et Valentinianus III. tamen ante ea tempora peculium quaſi caſtrenſe habuerint praecincti, vel adminiſtratores prouinciarum. Hieronym. *ad Nepotian. Cap.* 17. Abſoluit etiam Tribonianum V. C. Ant. Schulting. *ad Paull. Rec. Sent. V.* 9. 4. *p.* 470. ob *l.* 8. *D. pro ſoc.* vbi locum habere haud potuit interpolatio.

(*b*) Iam ante Conſtantinum M. notabilem quamdam exceptionem introduxit Hadrianus, quae exſtat *l.* 50. *D. ad Senatuſc. Trebell.* alteramque Antoninus Pius, quae eſt in *l.* 52. *D. de adquir. vel omitt. hered.* Vid. Ger. Noodt *de uſufructu II.* 4. *p.* 608.

§. III.

Adquaeſtus per ſeruos.

Simile quid in ſeruo obſeruatur, qui nihil habebat proprii, niſi quod dominus habere ei permitteret, idque itidem vocabatur *peculium*. Solebant illud de demenſo ſuo vnciatim comparcere ſervi, ac eo deinde ita negotiari, vt lucrum inde qualecumque ad ſe redi-

Source : BIU Cujas

rediret. Demensi loco singulis mensibus accipiebant serui quinque modios et quinque denarios, idque vocabatur *mensiruum*. Sen. *Epist. LXXXI.* Lips. *Elect. I.* 8. Talia etiam erant *annua*, quae dabantur seruis publicis. Plin. *Epist. X.* 40. Lips. *Elect. I.* 22. *p.* 125. Quidquid ergo de hisce mensiruis annuisque stipendiis deparserant, id peculii loco erat. Apud Terent. *Phorm. I.* 1. *v.* 5. seruus conserui fortunam dolens:

Quod ille vnciatim vix de demenso suo,
Suum defraudans genium, comparsit miser,
Id illa vniuersum accipiet, haud existimans,
Quanto labore partum.

Eam deinde pecuniam, permittente domino, vel foenore locabant, vel inde sibi emebant seruulum, cuius ex operis lucrarentur. Talis seruus serui vocabatur *vicarius*, et pertinebat ad peculium. Immo si his quoque seruis vicariis aliquid peculii esset, et hi seruulos haberent: erant hi vicariorum vicarii, quorum mentio fit in *l.* 25. *D. de pecul. leg.* Haec sunt seruorum peculia, in quae quid iuris fuerit domino, iureconsulti docere solent.

§. IIII.

Addi personis, per quas adquiritur, veteri iure oportebat etiam matresfamilias, quae et ipsae olim in manu vel potestate maritorum erant, adeoque omnia maritis adquirebant. Sed de his harumque peculio dictum est supra *Lib. I. Tit. X. §. VI.* Iam addo, inde natam esse praesumtionem, quod quidquid habet vxor, id mariti esse intelligatur. *l.* 51. *D. de donat. inter vir. et vx.* cuius legis sensum plane exprimere videntur illa Plauti Casin. II. 2. v. 25. vbi Murrina: Adquaestus per matremfamilias.

Ita est. vnde ea tibi est?
Nam PECVLII *probam nihil habere addecet*
Clam virum et quod habet partum, ei haud commodum est,
Quin aut viro subtraxerit, aut stupro inuenerit.
Hoc viri esse censeo omne, quidquid tuum est.

§. V.

Solebant nonnumquam et liberae personae in seruitute esse, quamuis non essent seruilis conditionis. Et hae quoque adquirebant possessoribus, ex operis suis, quamdiu bona fide eas in ser- Adquaestus per personas liberas.

Source : BIU Cujas

vitute tenebant. Alias per extraneam perſonam nihil adquiri poterat, ſi diſceſſeris a procuratoribus, quos ipſe excipit Imperator. §. 5. *Inſt. h. t.* qui tamen ſi in iudicio aliorum cauſſas agerent, domini litis eſſe fingebantur, de quo dominio litis vide Boehmeri *diſſ. ſing.* et Chriſt. Gothofr. Hoffm. *diſſ. de procurat. cap. I. 7. et ſequ.*

§. VI.

Quid iuris poſt emancipationem liberorum.

Tollebatur iſtud ius parentum et dominorum emancipatione et manumiſſione. Sed emancipatorum liberorum, antiquo iure parentes tertiam peculii aduentitii partem propriam ſibi retinebant, ex conſtitutione vero Iuſtiniani dimidii peculii vſumfructum, tamquam pretium emancipationis. *l. 6. §. 3. C. de bon. quae lib.*

TIT. X. XI. XII.

DE

TESTAMENTIS ORDINANDIS, TESTAMENTIS MILITARIBVS, ET QVI TESTARI NON POSSVNT.

SEquuntur iam vltimae voluntates, quibus vel vniuerſitatem adquirimus, ſeu vt Ambroſ. *Lib. I. de Caino et Abele* loquitur, *bonorum hereditatem*, vel res ſingulas. Ad prius potiſſimum genus teſtamenta pertinent, quorum antiquiſſimam rationem hic expendemus, maxime quum ipſe Imperator moneat, *nihil hic antiquitatis nos penitus ignorare debere*, §. 1. *Inſt. de teſt. ordin.*

§. I.

Teſtamenta quotuplicia.

Duorum generum apud Romanos fuiſſe teſtamenta, quorum altero IN PACE, altero IN PROCINCTV vſi ſint, recte docuit Iuſtinianus: §. 1. *Inſt. de teſtam. ord.* quamuis ſatis incommode ipſa teſtamenta haec *procincta* vocet, quae veteres, et ipſe Theophilus, rectius IN PROCINCTV, vel, vti in vetere Gloſſa eſt, ENDO PROCINCTV, adpellitant. Vtraque ſunt antiquiſſima, et iam ante leges XII. tabularum Romae inualuerant. Sane teſtamenta IN PROCINCTV facta ſunt iam tempore M. Coriolani, qui ante decemuiros vixit. Plutarch. *Coriolan. p.* 198. Teſtamenti vero in pace iam ſub regibus facti, idem meminiſſe videtur Plutarchus

Source : BIU Cujas

chus in Romulo, vbi Tarrutius, Anci Marci temporibus, Laurentiam dicitur τελευτήσας ἀπολύσαι κληρονόμον, quae phrasis alias hereditatem testamento delatam denotat. Perizon. *ad Leg. Vocon. p.* 134. Fallitur ergo Desid. Herald. *Rer. quotid. cap. vlt. §. 4. et 9.* falluntur et alii interpretes, qui haec testamentorum genera demum in XII. Tabulis exemplo iuris Attici recepta fuisse putant.

§. II.

Testamenta in comitiis calatis facta.

Testamenta IN PACE fiebant in comitiis calatis, id est, quae pro collegio pontificum, aut regis flaminumue inaugurandorum caussa, habebantur, et diuidebantur in *curiata* per lictorem curiatim calata, et *centuriata*, per cornicinem. Lael. Felix apud Gell. *Noct. Att. XV.* 27. In his ergo et testamenta fiebant per modum legis, et praemissa procul dubio sollemni rogatione, qualem in adrogatione factam obseruat Gell. *Noct. Att. V.* 14. VELITIS IVBEATIS, QVIRITES, VTI L. TITIVS L. VALERIO TAM IVRE LEGEQVE HERES SIBI SIT, QVAM SI EIVS FILIVS FAMILIAS, PROXIMVSVE ADGNATVS ESSET. HAEC ITA VT DIXI, ITA VOS QVIRITES ROGO. Vnde recte obseruauit illustris Thomas. *Diss. de prim. init. succes. testam. §.* XII. heredes hoc modo institutos legitimos potius fuisse, quam testamentarios. Scilicet existimabant Romani, legem non nisi noua lege tolli posse, adeoque et nemini licere leges de hereditatibus intestatorum migrare, aliumque instituere heredem, nisi noua lege in comitiis calatis condita. V. A. Bynkersh. *Obs. II. 2. p.* 113. Ex quo fundamento etiam pacta successoria irrita putabant, quia *priuatorum cautio legum auctoritate non censebatur*, *l. vlt. D. de suis et legit. hered.* neque *ius publicum priuatorum pactis mutari poterat. l.* 38. *D. de pact.* Haec certa sunt: reliqua, quae refert Theophilus *ad §. 1. Inst. h. t.* de populo bis in anno huius rei caussa conuocato, ab eruditis vocantur in dubium (*a*). Probabile vero est, ideo electa esse comitia calata, vt notio pontificum interueniret, sine quorum auctoritate sacra priuata ad heredem transire non potuissent. Vnde etiam auctores eos fieri oportebat in arrogationibus. Cic. *pro Domo cap. XIII.*

(*a*) Maxime ob locum Gellii *Noct. Att. XV. 27. In libro Laelii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est, Labeonem scribere, calata comitia esse, quae pro collegio pontificum habentur, aut regis aut flaminum inaugurandorum caussa, eorum autem alia esse curiata, alia centuriata: curiata per lictorem curiatim calari, id est, conuocari, centuriata per cornicinem. Iisdem comitiis quae calata*

Source : BIU Cujas

ta adpellari diximus, et teſtamenta fieri ſolebant. Inde ergo patet, populum non teſtamentorum cauſſa calatum, ſed teſtamenti factionem fuiſſe comitiorum veluti adpendicem. Thomaſ. *Diſſert. cit. §. XVI.*

§. III.

Teſtamenta in procinctu.

Teſtamenta IN PROCINCTV fiebant a militibus, in cinctu Gabino (vid. Seru. *ad Virgil. Aen. VII. v.* 612.) ad praelium ituris. Vellei. Paterc. II. 5. In procinctu enim ſtantes vel cinctu Gabino, et ſcutis manus inſerentes, ſagaque accingentes, ſimul etiam tribus aut quatuor (*b*) audientibus, heredem ſuum nuncupabant. Plutarch. *in Coriolano p.* 198. Vnde ignorantiam antiquitatum produnt, qui huius generis teſtamenta ob militum ſimplicitatem inuenta putant *arg. princ. Inſt. de milit. teſtam.* Nimirum lecta erat antiqua militia ex ciuibus, et quidem non ex vltima faece plebis, ſed ex flore delibato ciuium. Quare potius ad pelliciendos in militiam animos inuentum eſt hoc teſtandi priuilegium: immo et religionis cauſſa admiſſum, et hinc abolitum, ſimul ac bella auſpicato geri deſierant. Cic. *de Nat. Deor. II.* 3. Cinctum enim Gabinum ſumebant imperatores, qui ſe Dis Manibus pro exercitu deuouebant. Liu. VIII. 9. 10. X. 7. 28. Hinc eodem induebantur milites, in rebus trepidis, quaſi deuoti Dis Manibus. Vltima vero horum deuotorum voluntas quum pro lege eſſet, Liu. X. 29. *iunct.* XXVI. 11. etiam teſtamenta militum in procinctu facta rata eſſe iubebantur, tacito populi ſuffragio, tanquam νόμοι ἄγραφοι, quemadmodum teſtamenta in comitiis calatis condita tamquam νόμοι ἔγγραφοι valebant. Hinc facile reddideris rationem, cur tam raro, et non niſi in extremo rerum diſcrimine, huiuſmodi teſtamenta condita. Vid. Vellei. II. 5. Plutarch. *in Coriol. p.* 217. Extra periculum enim et cinctum Gabinum milites teſtabantur iure ordinario. Caeſar *de B. G. I.* 39. Flor. III. 10.

(*b*) In Plutarchi textu eſt: τριῶν, καὶ τεττάρων, qui conficiunt ſeptem, ſed aut particula coniunctiua hic, vt alias ſaepe, pro disiunctiua ponitur, aut pro ἢ legendum ἤ.

§. IIII.

An haec rata fuerint poſt periculum?

Quum vero non niſi praeſentiſſimo mortis periculo in procinctu fierent teſtamenta: Vellei. Paterc. *Hiſt. II.* 5. Cic. *de Orat. I.* 53. veroſimile eſt, defunctis periculo teſtatoribus, teſtamenta illa euanuiſſe, inſtar donationum mortis cauſſa, licet verbis diſertis haud reuocata. Thomaſ. *Diſſ. laudata* §. XXVII.

§. V.

Source : BIU Cujas

§. V.

Ceterum teſtamenta, in calatis comitiis facta, exoleuiſſe videntur, latis legibus XII. Tabularum. Iis enim quum fuiſſet cautum: PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER FAMILIAE PECVNIAE TVTELAEVE SVAE REI, ITA IVS ESTO: Vlpian. *Fragm. XI.* 14. *l.* 53. *pr. D. de V. S. pr. Inſt. de L. Falc. Nou. XXII. cap.* 2. Cic. *de Inuent. II.* 50. Auct. ad Herenn. I. 13. latiſſima profecto omnibus facta fuerat teſtandi facultas. Quumque ciues iam ſuo arbitrio poſſent de bonis diſponere: quis, quaeſo, adeo deſipuiſſet, vt mallet in comitiis calatis, auctore populo, collegioque pontificum teſtari? Ergo tum demum videntur teſtamenta proprie ſic dicta, exemplo iuris Attici, inualuiſſe (*c*). Teſtamentifactio per Leg. XII. Tab. introducta.

(*c*) Leges enim Solonis Athenienſibus, non exſtantibus liberis, conceſſiſſe liberam teſtandi facultatem, conſtat ex Plutarch. *Solon. p.* 90. et Demoſth. *Orat. in Steph. II. p.* 983. Exempla teſtamentorum Atticorum haud pauca exſtant apud Diog. Laertium. Adde Pfeifferi *Antiqu. Graec. IIII.* 63. *p.* 770. *ſequ.* Quin in teſtamentorum vi atque auctoritate Graeciae populos alioquin inter ſe moribus et inſtitutis diſſidentes conueniſſe, Iſocrates in *Aegenetico* tradit.

§. VI.

Quemadmodum vero ICti eodem fere tempore legis actiones componebant: *l.* 2. §. 6. *D. de O. I.* ita et teſtamentis certam quamdam formam dabant, inueniebantque TESTAMENTVM PER AES ET LIBRAM, cuius meminit Imperator, §. 2. *Inſt. de teſtam. ordin.* vel *per familiae emtionem*, vti vocatur §. *eod.* Quum enim ex iuris Romani principiis leges de ſucceſſione inteſtatorum non niſi alia lege tolli poſſent, et tamen decemuiri liberam cuiuis patrifamilias teſtamentifactionem conceſſiſſent: inueniendus erat color, quo iuris analogia ſeruaretur. Itaque fingebant, hereditatem non tam per vltimam voluntatem, quam per venditionem et mancipationem transferri. [Bynkersh. *de reb. manc. Cap.* 1. *p.* 105.] Vnde errat Balduin. *ad* XII. *Tab.* XXVIIII. *p.* 119. *edit. Baſil.* qui ipſum ritum mancipationis vel *aeris* et *librae*, in teſtamentis eiuſmodi adhibendum, duodecim tabulis praeſcriptum putat (*d*). Vid. Thomaſ. *Diſſ. ead.* §. XXXIII. *ſequ.* Teſtamentorum forma.

(*d*) Exſtitit equidem in XII. Tabulis lex: QVI SE SINIT TESTARIER, LIBRIPENSVE FVERIT, NI TESTIMONIVM FARIATVR, IMPROBVS INTESTABILISQVE ESTO. Gell. *Noct. Att. XV.* 13. *VI.* 7. Sed ea non ad teſtamenta pertinuit, verum ad eos, qui in mancipatione quacumque vel teſtes adhibiti vel libri-

Source : BIU Cujas

libripendes, postea testimonium ferre de eo, cui interfuerant, detrectabant. Vid. Iac. Gothofr. XII. *Tab. Tab. VII. p.* 221. Idemque sentiendum de altero capite: QVI NEXVM FACIT MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO. Festus *voce nuncupata.* Nam hoc quoque caput ad mancipationem, non ad testamentum, pertinet, vt contra Franc. Hotomanum docuit Iac. Gothofr. *ad XII. Tab. Tab. VI. p.* 210.

§. VII.

Testamentum per aes et libram.

In testamento vero, quod per aes et libram fiebat, duae res agebantur; nam et FAMILIAE MANCIPATIO *fiebat et* NVNCVPATIO TESTAMENTI. Constituebantur scilicet *familiae emtor*, *antestatus* et *libripens*, cum *quinque testibus* ciuibus Romanis, quibus praesentibus more maiorum fiebat mancipatio vel imaginaria venditio hereditatis. Quinctilian. *Declam. CCCVIII. Non dixerim*, inquit, *testamentum, cui libripens deest, et familiae emtor, et caetera iure necessaria.* Perfecta rite mancipatione testator tabulas tenens: HAEC, inquit, VTI IN HIS TABVLIS CERISVE SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR, ITAQVE VOS, QVIRITES, TESTIMONIVM PRAEBITOTE. Vlpian. *Fragm. XX.* 9. Isidor. *Orig.* IIII. 24. Tum vltimis verbis accedebat antestatio, aurescque testium tangebantur, vt docet Clem. Alex. *Strom. V. p.* 574. in testamenti factione sui temporis memorans ζυγὰ καὶ ἀσσάρια, καρασισμούς τε καὶ τὰς τῶν ὤτων ἐπιψάυσεις, *libras, asses, mancipationes, et attrectationes aurium.* Testium vero nec subscriptio requirebatur, nec subsignatio, quam primus exegit Praetor. §. 2. *Inst. de test. ord.*

§. VIII.

Testamentis conficiendis adhibiti iureconsulti.

Ipsis concipiendis consignandisque tabulis plerumque adhibebant iureconsultum, ne quidquam, quod ad earum sollemnitates pertinet, praetermitteretur. Docet id Arrian. *Dissert. Epict. II.* 13. Νομικὸς καὶ ἐξηγῆται τὰ νόμιμα, ἀλλὰ διαθήκην μὲν ὡς γράφει, μὴ εἰδὼς, πῶς δεῖ γράφειν, ἢ παραλαβὼν τὸν εἰδότα. *Iureconsultus ei leges enarrat. Atqui testamentum nemo scribit, nisi aut ipse sciat, quomodo scribendum sit, aut eius rei peritum adhibeat.* Cicero *de Orat. II.* 6. Scaeuolae illudens: *Nam si nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te ciues cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes vnus.* Add. Suet. *Ner. XXXII.* vbi *studiosis iuris*, id est, ICtis, sub Nerone id *haud impune fuisse*, dicitur, *si testamenta scripsissent aut dictassent*, in quibus principi nihil fuerit relictum. Nonnumquam tamen testatores, non adhibito

Source : BIU Cujas

hibito iureconsulto, voluntatem suam, quam poterant, clarissime exprimebant. Cuius rei elegans exemplum est in *l. Lucius Titius* 88. §. 17. *D. de legat.* 2. Vbi testator: *Lucius*, inquit, *Titius hoc meum testamentum scripsi sine vllo iurisperito, rationem animi mei potius sequutus, quam nimiam, et miseram diligentiam: et si minus aliquid legitime, minusue perite fecero, pro iure legitimo haberi debet hominis sani voluntas.* Quo casu petita intestati bonorum possessione, heredes scripti portiones suas ex fideicommisso petere poterant.

§. VIIII.

Scribendis vero liberti serui amici.

Scribendo nonnumquam serui vel liberti, nonnumquam amici, adhibebantur; aliquando etiam ipsi testatores testamenta sua integra conscribebant, *l.* 28. §. 1. *C. h. t.* quae tunc vocabantur *holographa*. Testamentorum a seruis et libertis scriptorum exempla sunt in *l.* 1. §. 8. *l.* 15. *princ. D. ad L. Cornel. de falsi.* nec non apud Suet. *Aug. Cap. CI. Tiber. cap. vlt.* De amicis, testamenta scribentibus, videndus Plin. *Epist. VI.* 22. De holographis agit Isidorus *Orig. V.* 24. Testamenti alieni scriptor *testamentarius* in iure nostro vocatur, de quo vocabulo Brisson. *de Form. VII. p.* 587. et *de Verb. signif. hac voce.* Ceterum vel sub Nerone, vel sub Claudio, vt ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet, cautum est. Suet. *Ner.* XVII. *l.* 1. §. 7. *l.* 6. *pr. l.* 14. *pr.* §. 2. *l.* 15. *pr. D. ad L. Corn. de falsi. Pariat. Leg. Mos. et Rom.* VIII. 9.

Quaedam testamenta holographa.

§. X.

Conscribenda erant lingua Latina.

In testamentis semper vtebantur lingua Latina (*e*), ac proinde legatum, Graece scriptum, haud valebat, teste Vlp. *Fragm. XXV.* 9. Secus se res habebat in fideicommissis, quae et Graece relinqui poterant, immo et Punice, et quacumque alia lingua. Quae enim iuris gentium erant, et alia lingua; quae iuris ciuilis, Latina duntaxat poterant explicari. *l.* 8. §. 4. *D. de acceptilat.*

(*e*) Plura testamenta Romanorum integra ex vetustis lapidibus aliisque monimentis collegit Barn. Brisson. *de Form. VII. p.* 677. *sequ.* et Mabillon *in adpend. de re diplom.* qui tamen et testamentum Iulii Caesaris, manifesto suppositiitium, retulit *Lib. V. Tab. I. n. III.*

§. XI.

Saepe plures tabulae eodem exemplo conficiebantur. *l. vlt. D. de his quae in test. l.* 1. §. 5. *D. de bon. poss. sec. tab.* Quem morem etiam Augustus obseruauit, teste Suet. *Oct. Cap. CI.* et Tiberius, dem ex-

Source : BIU Cujas

emplo factae.

berius, teste eodem in *Tiber. cap. vlt.* Tabulas has vel priuatim apud amicum, vel in aede sacra apud virgines Vestales, vel aedituos, deponebant. *l.* 1. §. 2. *D. de bon. poss. sec. tab. l.* 3. §. 2. *D. de tab. exhib.* Lipsius ad Tacit. Ann. I. p. 17. Virgini Vestali maxime testamentum suum commendauerat Iulius Caesar, Suet. *Iul. LXXXIII.* cuius exemplum sequutus etiam Augustus. Id. *Octau. CI.* Conf. Tac. *Annal. I.* 8.

§. XII.

Testamenta quomodo scripta?

Scribebantur fere testamenta in ceris, quae ligneis tabulis erant insusae. Vnde in formula nuncupationis dicitur: *vti in his tabulis, cerisue scripta sunt*, quemadmodum et alias loquebantur veteres. Liu. I. 24. Vtrumque iungebatur euitandae captionis ergo. Proprie enim non inscribebatur tabulis, sed ceris. V. A. Corn. van Bynkershoeck. *Obseru. III.* 21. Schulting. *Iurisprud. Antiqu. p.* 629. Male ergo Cl. Salmasius per ceras intelligit ceras exteriores, quibus signa impressa erant, negatque ceratarum tabularum mentionem facere in scriptis suis iureconsultos. (*f*) Salmasius *de subscrib. et sign. testam.* XVIIII. XX. XXVI.

(*f*) Quamuis enim earum vsus, reperta papyro, rarior fuerit; aliquem tamen adhuc fuisse tempore Constantini M. immo et Theodosii, ex Themist. *Orat. XVI. et XVIII.* patet, vbi mentio fit πινακιδίων καὶ τῶ σιδήρω. Occurrunt etiam cerati codicilli. *l.* 52. *D. de legat.* 3. et ligneae tabulae *l.* 1. *D. de bon. possess. contra tab.* Adde Schulting. ad Vlpian. *Fragm. XX.* 9. *p.* 629.

§. XIII.

Testamentum praetorium.

Aliud postea testamentorum genus sensim inualuit, quia Praetor, insuper habitis illis sollemnitatibus, mancipatione scilicet et nuncupatione, sola exigebat septem testium signacula. Septem, inquam, testium, vt scilicet praeter quinque illos, quos exigebat ius ciuile, etiam essent, qui emtorem familiae et libripendem referrent. Vid. §. 1. *Inst. h. t. et ibi interpretes.* Ceterum satis antiquum est hoc testamentum Praetorium, iam Ciceroni *in Verr. I.* 45. memoratum. Ibi enim Verres Praetor edixisse dicitur: SI DE HEREDITATE AMBIGATVR, ET TABVLAE TESTAMENTI NON MINVS MVLTIS SIGNIS, QVAM E LEGE OPORTEAT, AD ME PROFERENTVR, SECVNDVM TABVLAS TESTAMENTI POSSESSIONEM HEREDITATIS DABO. Et, ne quis hoc Edictum a Verre primum inuentum existimet, statim addit Cicero: *Hoc tralatitium est*, id est edictum

Source : BIU Cujas

edictum vetus, et ex anteriorum Praetorum albis in illud Verrinum translatum.

§. XIIII.

Manſit antiqua teſtandi ratio per aes et libram diutiſſime, adeo vt Vlpianus ſcribat *Fragm. XX. 2. Illis duobus teſtamentis* (in comitiis calatis, et in procinctu) *abolitis, hodie ſolum in vſu eſt, quod* PER AES *et* LIBRAM *fit, id eſt, per mancipationem imaginariam.* Vnum itaque memorat teſtandi modum. Quamuis enim et Praetoria teſtamenta tunc frequentarentur: ea tamen non niſi improprie hoc nomen ſuſtinebant quum ex eis non hereditas, ſed bonorum poſſeſſio daretur. *l. 7. l. 9. D. de bon. poſſ. ſec. tab.* Denique quum et conſtitutionibus quaedam nouae inueherentur obſeruationes: in vnum conflari coeperunt ritus, ex iure ciuili, praetorio et conſtitutionibus principum nati, id quod temporibus Theodoſii iunioris factum eſſe, non ſine adparatu docet Iac. Gothofredus *ad l. 1. C. Theod. de teſtament. et codicill. Tom. I. p. 334. ſequ.* Ex eo itaque inualuit, vt teſtamenta I. vno contextu, II. praeſentibus ſeptem teſtibus, III. iiſdemque ſubſcribentibus et IIII. annulo ſignantibus, fierent, et V. a teſtatore ipſo vel ſcriberentur vel ſubſcriberentur. §. 3. *Inſt. h. t.* Quibus ſextam ſollemnitatem addiderat Iuſtinianus, vt per manus teſtatoris et teſtium nomen heredis exprimeretur §. 4. *Inſt. h. t.* Eam vero ipſe iterum ſuſtulit. *Nou.* CXVIIII. 9. Vt adeo parum diuturna fuerit huius ſubtilitatis obſervatio.

Noua teſtandi ratio per conſtitutiones introducta.

§. XV.

His praemiſſis, et maxime ſi obſeruaueris, teſtamenta olim in comitiis calatis facta eſſe, facile patet, cur quidam teſtes eſſe non potuerint, veluti mulieres, impuberes, ſerui, furioſi, ſurdi, muti. Nam nullus horum admittebatur ad comitia. Thomaſ. *not. ad Inſt. h. t.* Et hinc etiam nullam cum iis eſſe teſtamenti factionem, dicitur.

Cur quidam teſtes eſſe non potuerint?

§. XVI.

Ad TESTAMENTVM MILITARE quod attinet, quo ritu illud antiquiſſimis temporibus in procinctu factum ſit, iam ſupra (§. III.) diximus. Vbi etiam, illud cum auſpiciis euanuiſſe, ex Cicerone obſeruauimus. Sub Imperatoribus (*g*), quum loco militiae lectae

Teſtamentum militare.

 placeret

(*g*) Quia teſtamenta in procinctu facta iam Ciceronis tempore exoleuerant: militaria teſtamenta, de quibus in iure noſtro agitur, ex conſtitutionibus Principum deriuanda ſunt. Vlp. *Fragm. XXIII.* 10. et quidem primum ex edicto Caeſaris, hinc Titi, poſtea Domitiani, mox Neruae, ac poſtremo Traiani. *l. 1. pr. D. h. t.*

Source : BIU Cujas

placeret mercenaria: eo quoque inter alia priuilegio ornati sunt milites, vt quomodocumque facta ab iis testamenta valerent, etiam sine legitima obseruatione. Vlp. *Fragm.* XXIII. 10. Hinc et ratum erat militare testamentum, si praesentibus commilitonibus aliquot, heredem quis nuncupasset, vel si eius nomen gladio in arena, vel litteris sanguine rutilantibus in vagina scripsisset. *l.* 15. *C. de test. milit.* Ita vero demum valebat testamentum, si testator vel in castris mortuus esset, vel post missionem intra annum. Vlpian. *ibid.* Neque opus tamen erat, vt in acie extremoque periculo fierent testamenta, donec Iustinianus in expeditione et castris tantum constitutis militibus sollemnitates remitteret. Sibi sane hanc militaris testamenti restrictionem disertis verbis tribuit Iustinianus. *pr. Inst. h. t. l.* 17. *C. eod.* (*h*)

(*h*) Tribonianismum ergo esse oportet, quod *l.* 1. *et* 15. *C. de milit. test.* huius coarctati priuilegii mentio fit. Vid. Giphan. ad *l.* 1. *C. eod.* Donell. *Comm. VI.* 28.

§. XVII.

Distinctio inter paganos et milites.

Nihil horum licebat *paganis*. Ita enim sub Imperatoribus dici coeperant, quicumque non erant milites. Suet. *Aug. XXVII. Galb. XVIIII.* Plin. *Epist. VII.* 25. *X.* 18. Tacit. *Hist. I.* 35. *II.* 14. 88. *III.* 43. et 77. Eaque adpellatione nihil est in iure frequentius. Ratio videtur, quia milites emeriti impetrata missione ab Imperatoribus in pagis ad colendos agros, sibi donatos, collocabantur. [Quo in primis pertinebant fundi limitrophi, de quibus singulari *tit. LVIIII. Cod. Lib. XI.* Conf. Iac. Gothofred. *Tom. II. Cod. Theod. p.* 234. et Gundlingiana *Part. I. Diss.* 1.] Vnde pagani, qui non amplius erant milites, et producto vocis vsu, omnes ἀστόλεμοι καὶ ἀστράτευτοι, qui et *priuati* saepissime adpellantur.

§. XVIII.

Quinam testari non poterant.

Immo inter paganos ne poterant quidem omnes testari. Cuius rei in promtu est ratio. Non peregrinis hoc licebat, quia testamenti factio ad iura Quiritium pertinebat. Non filiisfamilias, quia nihil habebant, de quo testarentur, praeter peculia castrense et quasi castrense, in quibus pro patribusfamilias erant. Nec filiifam. participes erant iuris comitiorum, nisi magistratum gererent. Vlpian. *Fragm. XX.* 10. vt taceam Legem XII. Tabularum non filiisfam. sed patribusfamilias liberam fecisse testandi facultatem. Non

Source : BIU Cujas

(*i*) Non impuberibus, quia iis nec in comitiis locus erat, nec in militia (*k*). Non furiosis, quia nullum iis erat animi iudicium. Hinc si dilucida erant furoris interualla, interea, dum furor remiserat, poterant testari. *l. 9. C. qui test. fac. poss.* Non prodigis porro, quia vetere iure furiosis aequiparabantur. *l. 12. in fine D. de tut. et curat. dat.* Non surdis et mutis, quia et hi nec rogationem audire, nec suffragium dare in comitiis poterant, immo nec testes rogare, pronunciata sollemni formula: *Vos Quirites testimonium praebitote.* Apulei. *de asino aur. II.* Vlpian. *Fragm. XX. 9.* Cuiac. *Obs. VI. 37.* Quod secus erat in caecis. Denique nec captis ab hoste, deportatisue in insulam, vt et quamcumque capitis deminutionem vel maximam, vel mediam, passis testari licebat, amisso quippe iuris ciuitatis, quum testamentifactio esset ciuium Romanorum propria. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I. 12. p. 153.*

(*i*) Vnde Iuuenal. *Sat. XVI.*
Solis praeterea testandi militibus ius,
Viuo patre, datur.
Exceptum tamen peculium castrense et quasi castrense per constitutiones principum.

(*k*) Augustum etiam impuberes Tribunos militum fecisse, probant ex Sueton. *Aug.* XXXVIII. Vnde et tribunis militum impuberibus factam esse testandi potestatem ex *l. 4. C. de test. milit.* obseruat Aleander *ad* Cai. *Inst. II. 3. 3.* Sed nec Suetonius, nec dicta lex loquitur de impuberibus. Vid. notas Graeuii, Rubenii, Casaub. ad Suet. et Schult. *ad* Caii *inst. l. c. p. 45.*

§. XVIIII.

Feminae olim in comitiis calatis plane testari non poterant, quia nullus iis accessus erat ad comitia. Postea permissa iis testamenti factio, si essent sui iuris, sed non nisi auctoribus tutoribus. Vlp. *Fragm. XX. 15.* Cic. *pro A. Caecin. VI.* Hinc earum testamenta non poterant esse arcana, sed magno periculo subiiciebant, feminas, ceu discimus ex *l. 77. §. 24. D. de legat. 2.* Ex qua lege inferri haud potest, feminas non nisi nuncupatiua testamenta condidisse, quamuis id intulerit Merill. *Obs. II. 1. p. 69.* et *IIII. 39. p. 55.* Tabularum enim a feminis scriptarum exempla habemus apud Val. Max. VII. 8. 2. Suet. *Galb. V.* Plin. *Epist. II. 20.* Heredum quoque a feminis scriptorum mentio fit *l. 19. D. de inoff. test. l. 37. §. 6. D. de legat. 3. l. 3. C. de inoff. test. l. 33. D. de vulg. et pup. subst.* Vid. *Comment. nostr. ad. L. Iul. et Pap. II. 11. p. 240. sequ.* Feminae, quae in manum conuenerant, capite deminutae, et filiarum familias loco erant, neque adeo testari poterant, vt recte docent M. Aur. Galuan. *de vsufr. IX. vlt.* et V. C. Ant. Schult. *ad*

An feminis olim testari licuerit?

Source : BIU Cujas

ad Vlpian. p. 632. Vnde errant Cuiac. *Obſ. VII.* 11. et Aleander *ad Caii Inſt.* II. 2. 1. qui matribusfamilias, ſi in manum conueniſſent, teſtandi fuiſſe facultatem, exiſtimant.

§. XX.

Ius exheredandi olim liberrimum.

Ad exheredationem quod attinet, liberum olim erat, ex XII. Tabulis, filios vti occidere, ita exheredare, *l.* 11. *in fine D. de liber. et poſtum.* immo et praeterire, idque adhuc tempore Ciceronis obſeruabatur, vt patet ex libro *de Orat.* I. 38. Poſtea filii, in poteſtate conſtituti, aut inſtituendi, aut nominatim exheredandi erant. *pr. Inſt. de exh. lib. L.* 30. *D. de lib. et poſt.* Itaque ex eo tempore filios ſuos exheredare quidem licebat, at nominatim (*l*). Idemque obſeruandum erat in adoptiuo, quamdiu in poteſtate erat, itemque in poſtumo, non item in poſtuma. Filiae enim poſtumae, nepotes et pronepotes, exheredari poterant inter ceteros, immo et praeteriri, dummodo poſtumae legatum relinqueretur, ne per obliuionem videretur praeterita. Vlpian. *Fragm.* XXII. 21. *ſequ.*

(*d*) Non requirebatur tamen praeciſe nomen proprium, ſed et ſufficiebat deſcriptio, vel demonſtratio, e. g. *filius meus exheres eſto*, dummodo vnus eſſet filius: aut cum elogio vel conuicio: *non nominandus, non filius meus, latro, gladiator, l.* 1. 2. *et* 3. *D. de lib. & poſtum.* Conf. Aleand. et Oiſel. *ad* Caii *Inſt. II.* 3. *princ.* Barn. Briſſon. *de Form. VIII. p.* 605.

§. XXI.

Poſtea reſtrictum per querelam inofficioſi teſtamenti.

Aſt quum parentes abuti coepiſſent hac exheredandi licentia, veluti Tettius, qui in gratiam nouercae filium infantem exheredabat: Valer. Max. VII. 7. Reineſ. *ad Inſcr. Claſſ.* I. 10. *p.* 24. factum eſt, vt leges querelam inofficioſi teſtamenti concederent liberis, iniuſte exheredatis. Et de ea iudicabant Centumuiri. Valer. Max. VII. 7. Quinctil. *Inſt.* IIII. 7. Plin. *Epiſt.* IIII. 8. Qua de re plura ad titulum XVIII.

§. XXII.

Noua Iuſtiniani conſtitutio.

Sed Iuſtiniano minus e republica viſum eſt, tantam rem eſſe arbitrariam. Hinc certas tantum ob cauſſas ratam eſſe iuſſit exheredationem, quas recenſuit Nou. CXV. et de quibus plura tradunt Iureconſulti.

§. XXIII.

Abdicatio diſcernenda ab exheredatione.

Addimus ſub finem, diſtinguendam ab exheredatione eſſe ABDICATIONEM, qua parentes liberos degeneres, et ſe indignos, e conſpectu ſuo protinus abire iubebant. Exempla ſunt apud Valer. Max.

Source : BIU Cujas

Max. V. 8. 3. et 4. Vnde recte quidem Hotoman. in *partit. iur. X.* 10. statuit, abdicationem non fuisse modum soluendi patriam potestatem: in eo tamen ipsi adsentiri nolim, quod Graecis tantum nota fuerit, qui liberos per praecones e familia eiicere solebant, idque vocabant ἀποπεμπειν vel ἀποκηρύσσειν vel ἐκκηρύσσειν. Nec probabile est, Quinctilianum, dum huius abdicationis toties meminit, exempla tantum puerilium exercitationum ex Graecorum scholis proferre voluisse. Graecum enim hunc ritum etiam inter Romanos sensim inoleuisse, quamuis eum leges Romanae haud probarent, adparet ex *l. 6. C. de patr. potest.*

TIT. XIIII.

DE

HEREDIBVS INSTITVENDIS.

SAtis succincte hanc materiam tractauit Tribonianus, quum latius multo patuerint veteres illae de heredum institutione leges. Iuuabit ergo, quae desunt, ex antiquitatibus Romanis supplere.

§. I.

Etiam serui instituti poterant heredes.

Nihil intererat, liberumne quis hominem, an seruulum, heredem institueret. Nam et serui heredes esse poterant, siue alieni, siue proprii. Illi, quia hereditatem adquirebant dominis adire iubentibus: hi, quia libertatem simul consequebantur, et sic fiebant hereditatis capaces. Hinc est, quod serui proprii non nisi data simul libertate, instituti possent, donec Iustinianus, Iureconsultos quosdam sequutus, institutionem serui proprii, etiam sine expressa libertatis datione, valere voluit, *l. pen. C. de necess. seru. hered. instit.*

§. II.

Qui heredes instituti non potuerint?

Institui tamen non poterant I. *peregrini*, qui plane nihil ex testamento ciuis Romani capiebant. Cic. *pro A. Caecina XXXV.* nec II. *caelibes*, per legem Papiam Poppaeam. Dio Cass. LIIII. *p.* 531. Sozom. *Hist. eccl. I.* 9. Quae caelibatus poena a Constantino demum M. sublata est. Sozom. *ibid. l. vn. C. Theod. de infirm. poen. caelib.* nec III. *Orbi*, id est, parentes, qui sterile matrimonium fuerant experti. Hi enim inter se decimam tantum, non solidum,

Source : BIU Cujas

capiebant. (*a*) Sin vero ex priore matrimonio supereſſent liberi, totidem decimas capere poterant, quot ſuſtulerant liberos. Vlpian. *Fragm.* XIII. 1. Ex teſtamento extranei non niſi ſemiſſem capere poterant. Vid. *Comm. noſtr. ad L. Iul. et Pap. II.* 21. *p.* 343. Excipiebantur porro IIII. *vniuerſitates*, quas quidquam capere potuiſſe negant Plin. *Epiſt. V.* 7. Vlpian. *Fragm.* XXII. 5. Quod ideo receptum videtur, quoniam vniuerſitates hereditatem cernere non poterant. Capere tamen iis licebat fideicommiſſa, Vlp. *l. c.* idque conceſſerat *SC. Apronianum*, cuius originem non cum Cuiacio *ad Vlp. ibid.* ad tempora D. Marci, ſed cum Ant. Auguſtino *de Legib. et SCt.* ad Hadriani imperium referimus, ſub quo occurrit conſul Apronius. A. C. CXVII. et CXXIII. Vid. Schulting. *ad Vlpian. Fragm.* XXII. 5. *p.* 635. Videtur tamen tempore D. Marci id, quod ciuitatibus conceſſum fuerat SC. Aproniano, etiam ad collegia fuiſſe productum, idque adparet ex *l.* 20. *D. de reb. dub.* Immo et alio SC. conceſſum eſt, vt municipia heredes inſtitui poſſent a libertis ſuis. Vlpian. *l.* 1. §. 1. *D. de libert. vniu.* Erant vero liberti vniuerſitatum ſerui publici manumiſſi. Hinc apud Gruter. p. LXXIII. 13. ISID. REG. L. PVBLICIVS EVTYCHES MVN. TAR. LIB. Porro V. nec mulieres heredes in parte quantacumque inſtitui poterant poſt Legem Voconiam. Cic. *Verrin. I.* 43. Eas enim capere potuiſſe δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας, XXV. *millia nummum*, ex Dione Caſſ. *Lib.* LVI. *p.* 578. patet. Male haec verba Dionis habita ſunt ab interpretibus, quorum plerique crediderunt, legem Voconiam prohibuiſſe, ne quis, qui centum millia HS in bonis haberet, plus quam quadrantem bonorum, id eſt, XXV. millia HS feminae relinqueret. Vidit eum errorem Bachouius *ad Inſt. h. t.* Sed eo ſe ne ipſe quidem expedire potuit. Felicius V. C. Iac. Perizonius *de Leg. Vocon. p.* 144. *ſequ.* docuit, in textu Dionis intelligendas eſſe drachmas, quas ſemper in animo habent Graeci Scriptores, quoties de Romana pecunia loquuntur. Gronou. de *Pecun. vet. III.* 16. Itaque per hanc legem mulieri non licuit relinquere vltra XXV. millia drachmarum, ſeu CM ſeſtertium, antequam lex

(*a*) Per legem Papiam Poppaeam, cuius caput ea de re agens ſingulari nomine dicitur *lex decimaria l.* 2. *C. Theod. de iure liberor.* Praeter decimam tamen etiam vſumfructum tertiae partis bonorum, et dotem praelegatam, et ſi liberos habebant, eiuſdem partis proprietatem capere poterant. Vlpian. *Fragm. XV.* Add. *Comm. noſtr. ad L. Iul. et Pap. Popp. II.* 14. *p.* 259. [*Tom. VIII. huiuſce Edit.*

Source : BIU Cujas

lex illa Voconia per opulentiam ciuitatis subuerteretur. Gell. *Noct. Att. XX.* 1.

§. III.

Vniuersitates quaedam heredes scribi poterant.

Dum vero vniuersitates heredes instituí potuisse negauimus, intelligendum id est de municipiis et collegiis, Romanorum imperio subiectis, non de ciuitatibus, ἀυτονόμοις, quae iure suo legibusque vtebantur. Sic apud Tacit. *Annal.* IIII. 43. Vulcatius Moschus, exsul, bona sua reliquit Massilienſibus. Quod exemplum frustra Plinio et Vlpiano opponit Muretus *ad Tacit. ibid.* Erant enim Massilienses ἀυτονόμοι et liberi, teste Strabone *Geogr.* IIII. *p.* 197. *sequ.* conf. Grot. *de iure belli et pac. I.* 3. 12. Postremo etiam vniuersitates heredes instituí poterant. *l.* 12. *C. de her. inst.* iisque legare etiam Paulli temporibus licebat. *l.* 122. *princ. D. de legat.* 1.

§. IIII.

Qui Dii potuerint instituí heredes?

Heredes quoque instituí non poterant VI. Dii. (*b*) Quod ideo procul dubio inductum, ne bona ciuium vsibus subtracta sacerdotum luxuriae seruirent, quamuis et altera ciuilis ratio accederet, quod Dii hereditatem cernere, atque adire non possent. Coeperunt tamen Romani Principes Diis quibusdam, vt hereditatum capaces essent, ius liberorum dare, ridicula profecto liberalitate. Dio Cass. *LV. p.* 549. Tale ius, teste Vlpiano *Fragm. XXV.* 6. impetrauerant Iupiter Tarpeius, de quo Petr. Fab. *Semest.* III. 4. Iust. Rycqu. *de Capitol. Rom.* XVIII. XVIIII. XX. Apollo Didymaeus, (qui et Branchides vel Branchiades, Pompon. Mel. *de Sit. Orb. I.* 17. et ibi Isaac. Voss. p. 83.) Mileti cultus, quae vrbs etiam in numis suis praefert ΔΙΔΥΜΕΑ ΜΙΛΗΣΙΩΝ, apud Patin. *Numis. Imp. aer. p.* 73. Conf. V. C. Burmanni *Iou. καταβάτην p.* 100. Mars in Gallia, de quo Caesar *de Bell. Gall. VI.* 17. Minerua Milienſis, vel vt alii (*c*) legunt, Ilienſis, de qua L. Holstenius *ad Steph. voce Ἴλιον.* Hercules Gaditanus, de quo Iustin. *Hist.* XXXXIIII. 5. Appian. *Punic. p.* 256. Diana Ephesia, de qua legi merentur Iac. Menetreii *Symbolica Dianae Ephes. statua* et L. Holsten. *Epist. de*

(*b*) Hoc quoque obseruat Vlpian. *Fragm. XXV.* 6. quem locum minus accurate P. Faber *Semestr. III.* 1. de religionibus priuatis non suscipiendis, diisue praeter Senatus auctoritatem non colendis, interpretatur. Vid. Schulting. *Iurispr. anteiustin. p.* 635.

(*c*) Veluti Hadr. Turneb. *Adverss. VII.* 21. Cuiac. *Obseru. X.* 5. licet dissentiant P. Fab. *Semestr. III.* 4. et Rad. Forner. *Rer. Quotid. II.* 8. qui Meliensem legi iubet.

Source : BIU Cujas

fulcris seu verubus Dianae Ephesiae Dianae simulacro adpositis, apud Gronou. *Thes. Ant. Graec. Tomo* VII. Mater Deorum Sipelensis, vel, vt alii legere iubent, Sipylensis, vel Sipylene. Sane ΜΗΤΗΡ ΣΙΠΥΛΗΝΗ legitur in *Marmoribus Arundellianis. p.* 11. et 12. Th. Reines. *inscript. Class. I. n.* 43. Iac. Spon. *Miscell. p.* 350. Ita enim dicta a Sipylo monte, ceu adparet ex marmore Smyrnensi, quod commentario illustrauit Car. Patinus Patau. CIↃIↃCLXXXV. 40. De ea Diua videndus Heins. *ad Prudent. περὶ στέφαν. X. v.* 196. Marqu. Gud. *ad Phaedr. Fab.* III. 20. Denique Coelestis Salinensis Carthaginis, de qua vt et reliquis copiosissime Schulting. *Iurispr. antiq. p.* 636. *sequ.*

§. V.

As hereditarius.

Ceterum hereditatem veteres semper vt ASSEM considerabant, eiusque adeo duodecim concipiebant vncias. Erat enim AS quidquid ad μονάδα atque vnitatis rationem poterat reduci, quasi εἷς. Salmas. *de vsur. p.* 536. Idem *de modo vsur. p.* 261. Fluxit *assis* vox a Doribus, Siculis, et Tarentinis, a quibus et ipsum grauis ponderis numum, et plerasque rei pecuniariae adpellationes Romani acceperant. Nam ex Dorico ἀὶς Tarentini et Siculi fecerunt ἄς: inde Romani vtrumque vocabulum *aes* et *as* habuerunt. Quorum vocabulorum eadem erat significatio, quia primus as ex aere fuerat percussus. Conf. Scalig. in Varr. *de Lat. Lingu.* IIII. *p.* 69. Porro quum ἄς a Siculis etiam λίτρα diceretur: factum est, et vt Romani *assem* vocarent *libram.* (*d*) Et quum duodecima pars τῆς λίτρας Siculis esset ὐγκία, idem nomen etiam placebat Romanis. Praeclarus hanc in rem locus est Iulii Pollucis *Lib.* VIIII. *cap.* 6. *segm.* 80. Ἀλλὰ μέντοι παρ' αὐτῷ (Ἀριστοτέλει) τις ἂν ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ καὶ ἄλλα εὕροι Σικελικῶν νομισμάτων ὀνόματα, οἷον ὐγκίαν, ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα. *Ceterum apud eumdem* (Aristotelem) *in Himereorum Politia etiam alia inueniet Siculorum nomina, vtpote* VNCIAM, *quae valet aereum vnum.* Hinc Romani omne totum *assem*, vocabant; idque diuidebant in duodecim vncias, quasi id demum esset perfectum, quod XII. partibus vel vnciis constaret. Eleganter Balbus *de Asse* apud I. F. Gronou. *de Pec. Vet. p.* 883. *Quidquid vnum est, et quod ex integrorum diuisione remanet*

(*d*) Asses enim erant librales vsque ad bellum Punicum primum. Postea asses sextantarii cudi coeperunt. Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 13. Vnde errat Festus *voce sextantarii asses*, dum hanc mutationem demum a bello Punico secundo factam existimat. Vid. Io. Harduin. *Not. ad* Plin. *l. c.*

Source : BIU Cujas

manet, assem ratiocinatores vocant. Exemplum est non modo in hereditate, verum etiam in vsuris, de quarum computandi ratione per vncias post Salmasium egregie commentati sunt Io. Frider. Gronou. in *Dissert. tribus de Centesima et asse vnciario*, et Ger. Noodt *de Foen. et vsuris* II. 2.

§. VI.

Hinc facile explicantur nomina, quibus hereditatis partes designare solent iureconsulti. Quum enim AS integrum bonorum corpus significet, in duodecim vncias diuisum: vndecim vnciae vocabantur DEVNX, quasi *vncia vna demta.* (*e*) Pari ratione *decem vnciae* vocabantur DEXTANS, quasi *desextans*, hoc est, demta sexta parte, nec non DECVNX, quasi *decem vnciae. Nouem vnciae* DODRANS, quasi *dequadrans*, id est, demto *quadrante*; *octo vnciae* BES, siue a veteri *des*, vt Varro coniicit, siue quasi *bis triens*, vt Festus mauult. Balbus *ibid.* potius *bessis* dicendum esse, monet, quam *bes* vel *des*: *quoniam binas ex tribus assis partes sibi vindicet.* Qua de re pluribus inter se disceptant Scaliger, Salmasius, Vossius. Conf. Ian. Vinc. Grau. *ad XII. Tab. p. 338. sequ. Septem vnciae* dicebantur SEPTVNX, cuius nominis ratio per se patet. *Sex vnciae* SEMIS, quasi *semias*; *quinque vnciae* QVINCVNX; *quatuor vnciae* TRIENS, id est, tertia pars assis: *tres vnciae* QVADRANS, id est, quarta pars assis; *duae vnciae* SEXTANS, quasi sexta pars assis. Quae vero de partitione harum vnciarum in iure inculcantur, de iis copiose differunt doctores, et inprimis Gu. Budaeus *de asse.* Sunt tamen et alia vocabula iuris eodem pertinentia. Nam duplicatus as erat DVPONDIVS, quemadmodum vnum pondus ASSIPONDIVM vocabatur. Dimidia pars vnciae est SEMVNCIA, tertia DVELLA, vel BINAE SEXTVLAE, pars eiusdem quarta SICILICVM, vel vti Balbus p. 886. scribit, SICILIQVVS, *l.* 21. §. 2. *D. de ann. legat.* pars sexta SEXTVLA, quam minimam aeris partem vocat Varro *de Ling. Lat. Lib.* IIII. *p.* 40. *edit. Scalig.* et tamen octaua etiam pars vnciae vocatur DRACHMA, duodecima HEMISESCLA, vel DIMIDIA SEXTVLA, sexta decima TREMISSIS, quarta et vicesima SCRVPVLVS. Ita Balbus *de Asse p.* 886. Add. Volus. Maecian. *de Asse* apud eumdem Gronou. p. 874. sequ. Eius partes.

(*e*) De enim in compositione tollit, *vndeuiginti*, *duodeuiginti*, vt patet exemplis, *demens*, *destruere*,

Source : BIU Cujas

TIT. XV. XVI.

DE VVLGARI ET PVPILLARI SVBSTITVTIONE.

DE ſubſtitutionibus vix eſt, quod ex antiquitate moneamus, quod non iam a iureconſultis ſit explicatum. Quare paucis tantum de origine ſubſtitutionum, et quibuſdam earum circumſtantiis, dicemus.

§. I.

Subſtitutionum origo. Multum intererat Romanorum, ne teſtamenta deſtituerentur, tum ob conditiones varias, quibus plerumque ab herede ſatisfactum cupiebant, tum maxime ob ſacra priuata, quae interire nolebant.

§. II.

Heredes ſecundi. Ne ergo deeſſet heres, ei vel eis, quem quoſue inſtituerant, ſubſtituere ſolebant alios, ad quos in caſum deficientium priorum bona deuoluerentur, (*a*) eoſque vocabant HEREDES SECVNDOS, Cic. *de Inuent. II.* 21. *pro A. Cluent. XI.* Grut. *Inſcr. p. DXXVIIII*, 3. *p. DLVIIII.* 7. Reineſ. *Inſcr. Claſſ. VIII.* 13. 14. 15. Rem ita deſcribit Appianus *de bello ciuili Lib.* II. *p.* 518. Ἔθος Ρωμαίοις παραχράφειν τοῖς κληρονόμοις ἑτέρους, ἐι μὴ κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι. *Mos eſt Romanis, heredibus ſubſtituere alios, ſi priores heredes non fierent.* Porro et his heredibus nonnumquam ſubſtituebantur, qui tertio vel vlteriore gradu ſuccederent. Sic Auguſtus teſtamento ſuo primo

(*a*) Subſtitutio ergo vulgaris e XII. Tabulis eſt, et conſequens ampliſſimae poteſtatis de rebus ſuis diſponendi: pupillaris moribus inducta dicitur *l.* 2. *D. h. t.* Cuiac. *Obſ. VII.* 6. Enimuero et haec in legibus XII. tabularum omnino reperit fundamentum. Pater enim familias ex ea lege etiam de PECVNIA SVAE REI legare poterat. Suis rebus etiam accenſebantur filii familias, quippe qui, tamquam res mancipi, in dominio iuris Quiritium erant. Bynkershoeck *de iure occid. lib. I. p.* 145. Ergo rationi conſentaneum videbatur, patrem de pecunia filii ſui, qui ipſe per aetatem teſtari non poſſet, teſtari, adeoque eidem ſubſtituere pupillariter poſſe.

Source : BIU Cujas

mo loco Tiberium et Liuiam, secundo nepotes pronepotesque, tertio primores ciuitatis scripserat. Tacit. *Ann. I.* 8. Suet. *Aug. cap.* CI. Meminit quoque *tertiorum heredum* Suet. *Claud.* VI.

§. III.

Formula vulgariter substituendi est apud Caium *Inst.* II. 4. 1. ILLE HERES MIHI ESTO, QVOD SI HEREDITATEM MEAM ADIRE NOLVERIT, ILLVM SVBSTITVI, AD QVEM HEREDITAS MEA DEBEAT PERTINERE. Videtur tamen haec formula ab Aniani manu esse, obseruante Aleandro *ad Caium ibid.* Certe non fuit perpetua, ceu ex plurimis pandectarum locis patet, quos colligit Brisson. *de Form.* VI. *p.* 607. Formula substituendi vulgariter.

§. IIII.

Haec vulgaris substitutio. Pupillaris quasi duplex testamentum complectebatur, siquidem prius sibi paterfamilias, deinde filio impuberi, heredem instituebat, in eum casum, si hic intra pubertatem decessisset. *l.* 2. §. 4. *D. de vulg. et pupill. subst. l.* 20. *D. eod* §. 2. *Inst. h. t.* Quamuis enim et hic dissentirent Proculeiani et Sabiniani, quorum illi id adfirmare, hi negare solebant: Merill. *Obs.* III. 12. posteris tamen Proculi doctrina constanter placuit. Recepta hic erat formula: ILLE FILIVS, SI INTRA PVBERTATEM DECESSERIT, ILLVM SVBSTITVO. Cai. *Inst.* II. 4. 2. Cuiusmodi substitutionem ita describit Horat. *Serm.* II. 5. *v.* 45. Substitutio pupillaris eiusque formula.

Si cui praeterea validus male filius, in re
Praeclara sublatus, aletur; nec manifestum
Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
Arrepe officiosus, vt et scribare secundus
Heres, et, si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias.

§. V.

Inprimis vero id accurate obseruatum legimus, quod parentibus de liberorum salute sollicitis commendat Iustinianus §. 3. *Inst. de pupill. subst.* vt substitutionem pupillarem in ima parte tabularum scriberent, eamque separatim signarent, (*b*) ne substitutus heres Cautela in substitutione pupillari obseruata.

(*b*) Vnde et tabulae secundae adpellatae vltimi illi versus, qui substitutionem pupillarem complectebantur. Vid. Barn. Brisson. *Sel. Ant. Rom. III.* 12. *p.* 54.

Source : BIU Cujas

heres pupillo ſtrueret inſidias, malletque rapere hereditatem, quam incerta ſpe exſpectare. Sic Horat. *Sat. II. 5. v. 53.*

---- Quid prima ſecundo
Cera velit verſu.

Ad quae verba videnda virorum doctorum *ſcholia.* Eamdem cautionem nonnumquam in vulgari ſubſtitutione adhibebant. Et huc quoque pertinent illa Suet. *Caeſ.* LXXXIII. *Nouiſſimo teſtamento tres inſtituit heredes ſororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, et L. Pinarium et Q. Paedium ex quadrante, reliquos in* IMA CERA. *C. Octauium etiam in familiam nomenque adoptauit.* Conf. Salmaſ. *de mod. vſurar. cap. XI.* Cai. *Inſt. II.* 4. 2. ibi Oiſelius.

TIT. XVII. XVIII. XVIIII.

QVIBVS MODIS TESTAMENTA INFIRMANTVR.

DE QVERELA INOFFICIOSI, ET HEREDVM QVALITATE, ET DIFFERENTIA.

DE modis, quibus teſtamenta infirmantur, paullo accuratius dicere poterat Iuſtinianus. Nos ne actum agamus, pauca ab eo omiſſa ſupplebimus.

§. I.

Teſtamenta nulla et iniuſta.

Quemadmodum iureconſulti rebus omnibus nomina ſua tribuebant: ita et modos infirmandi teſtamenta accurate ſuis diſtinguebant vocabulis. Sic quae ab initio inualida erant teſtamenta ob perſonarum vel voluntatis vitium ea NVLLA eſſe dicebant. Alia ſunt INIVSTA, ſive non iure facta, in quibus ſcilicet non obſervata ſunt ſollemnia iuris extrema. *l. 1. D. de iniuſt. rupt. irr. fact. teſt.*

§. II.

Infirmata ex poſt facto.

Ex poſt facto infirmabatur teſtamentum iure vel *praetorio* vel *ciuili.* Priori caſu dicebatur BONORVM POSSESSIO CONTRA TABVLAS DARI, de qua ſuo loco. Poſteriore teſtamenta vel RVMPI, vel IRRITA FIERI, vel DESTITVI, vel RESCINDI, ferebantur.

§. III.

Source : BIU Cujas

§. III.

RVMPEBANTVR teſtamenta partim adgnatione heredis ſui, vel certe quaſi adgnatione, de qua Hub. *Praelect. II.* 17. 1. *p.* 189. partim nouo teſtamento, ſollemniter facto. *l.* 2. *D. eod.* partim inciſione, deletione, cancellatione. *tit. de his quae in teſt. delent.* Rupta.

§. IIII.

IRRITVM FIEBAT TESTAMENTVM capitis deminutione, maxima, media, ac minima. *Maxima* enim ſeruum faciebat, *media* peregrinum, *minima* filium familias. Quum vero nullus horum teſtari poſſet: facile patet, ſic rem incidiſſe in caſum, a quo incipere non poſſet. DESTITVTVM denique dictum eſſe teſtamentum, ex quo nullus heres erat, vel dupondii ſciunt. Irrita et deſtituta.

§. V.

Denique RESCINDI teſtamentum dicebatur per QVERELAM INOFFICIOSI. Eius originem diu ignoratam, ex antiquitatis parietinis reſtituere iuuabit. Franc. Duarenus *ad h. t. Cap. II.* eam a principibus inuentam putat. Sed ante principes eam notam fuiſſe, patet ex Valer. Max. VII. 7. 2. Nec felicius eam ex praetoris edicto deriuat Pithoeus *ad collat. leg. Moſ. et Rom. XVI.* 3. Nam haec actio non, vt aliae praetoriae rei perſequutoriae, ad actum reſcindendum comparatae, annalis eſt, verum quinquennium durat. Nec praetor vmquam exheredatis ſuccurrit, vti ait Vlpianus *l.* 8. *pr. D. de bon. poſſeſſ. contra tab.* Nec denique locus Paulli *Rec. Sent.* IIII. 8. 5. ex quo id collegerat Pithoeus, hoc dicit, vbi tantum *actionis Praetoriae*, non querelae inofficioſi, fit mentio. Veriorem ergo originem ſibi inuenire viſus eſt Cuiac. *Obſ. II.* 21. *XVII.* 17. Docet enim ex inſcriptione *l.* 4. *D. de inoffic. teſt.* querelam hanc introductam eſſe lege GLICIA, quam lectionem etiam Codicis Florentini tuetur auctoritas. Et nihil ſane Gliciis Romae eſt celebrius. Frequenter eorum meminere Tacitus, Suetonius, Florus, Liuius, quin et marmora Capitolina, in quibus A. V. C. IↃIIII. laudatur. Reſciſſa per querelam inofficioſi, cuius quae origo?

M. CLAVDIVS C. F. GLICIA. QVI.
SCRIBA. FVERAT. DICTATOR.
COACT. ABDIC. SINE. MAG. EQV.

Steph. Vinand. Pigh. *Annal. Tom. II. p.* 50. Grut. *Inſcr. p. CCXC.* Tom. IIII. *Heineccii Antiq. Rom.*

Source : BIU Cujas

11. Vnde inuidia ſtimulatus videri poterat Hotomanus, qui *Diſp. de quarta legit. cap. I.* ne Cuiacio gloriam detectae legis tribuat, legem plane nullam agnoſcit Gliciam, querelamque inofficioſi ex moribus magis, et conſilio iureconſultorum, quam ex certa aliqua lege fluxiſſe, contendit. Cum Cuiacio ſane faciunt recentiores paene omnes, et in his Ant. Auguſtin. *de Leg. et SC. in lege Glicia*, et Ian. Vinc. Grauina *de Leg. et SC. LXXX. p. 649. ſequ.* Sed negari nequit, Hotomani ſententiam Cuiaciana eſſe veroſimiliorem. Gliciorum enim nomen, familiae, non gentile eſt. Leges vero a cognominibus cognominatae non deſinebant in IA ſed in ANA, verbi cauſa lex Iunia Norbana. Sigon. *de Nom. propr. p. m.* 1426. Ergo haec lex aut *Claudia* dicenda fuiſſet, aut *Gliciana*, non Glicia. Quare nihil dici poteſt veroſimilius, quam quod moribus et iureconſultorum auctoritate inualuerit haec querela, et quidem libera adhuc republica. Meminerunt enim illius Cicero *adu. Verr. I.* 42. et Valer. Max. VII. 7. 5. ex quo conſtat, iam ad C. Calpurnium Piſonem hanc querelam fuiſſe delatam. Atqui praeturam hic Calpurnius geſſit anno V. C. IↃCLXXXII. Scilicet liberrima olim erat patribusfam. teſtandi exheredandique facultas. Quum vero ea abuterentur homines maxime blanditiis nouercalibus deliniti: ICti de remedio cogitare coeperunt, quo iniuſte exheredatis ſuccurreretur. Quod non obſcure innuit Pomponius, dum latiſſimam illam poteſtatem teſtatorum *coanguſtatam* fuiſſe ait *interpretatione iura conſtituentium. l.* 120. *D. de verb. ſignif.* Iam quamuis ICtis nouas leges condere vel veteres euertere haud liceret: tamen quum ex iuris principiis furioſi condere non poſſent teſtamentum; non alia ac commodiore colore iniuſte exheredatis ſuccurrere poterant, quam ſi fingerent, parentem liberos iniuſte exheredantem ſanae ac integrae mentis haud fuiſſe, idque inde demonſtrarent, quod liberos bene de ſe meritos ſine iuſta cauſſa vel praeterierint vel exheredes ſcripſerint. Bynkersh. *Obſ. II.* 12. *p.* 153. Πῶς γὰρ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν μανίαν, τὸ χαλεπαίνειν αὕτως καλὰ τῆς Φύσεος; *Cur enim furorem non diceremus, ita naturae ſuccenſere?* inquit interpres *Baſilic. XXXVIIII.* 1. Ceterum hanc actionem vocabant QVERELAM, εὐφημίας ἕνεκα. Cognati enim non ſe inuicem accuſare, ſed inter ſe *conqueri* dicebantur. Voſſ. *Inſt. Orat. I.* 6. 2. Neque tamen ſemper eo nomine veniſſe hoc remedium animaduertimus, ſed illud aliquando actio, *l.* 12. §. *vlt. l.* 15. §. 2. *D. l.* 25. *l.* 27. *C. de inoffic. teſt.* aliquando accuſatio adpellatur, *vt l.* 6. §. *vlt. l.* 17 *l* 22. *D. eod. tit.* Vocabant eamdem querelam INOFFICIOSI, quia quemadmodum *beneficia*

Source : BIU Cujas

cia aliorum sunt, ita *officia eorum, quos necessitudo suscitat, et opem ferre iubet.* Seneca *de Benefic.* III. 8. Contra officium ergo testati videbantur, qui proximos vel praeterierant, vel exheredes iniuste scripserant.

§. VI.

Ceterum hac querela, testamento, ceteroquin sollemniter facto, obiiciebatur dementia furorue testatoris. Non enim tanta inhumanitas cadere videbatur in sani capitis hominem, vt sine caussa exheredes scriberet filios. Instituebatur ea in iudicio centumuirali seu quadruplici, vt patet ex Plin. *Epist.* IIII. 24. Vnde et ipsa haec querela aliquando *iudicii centumuiralis* nomine venit. *l.* 13. *D. de inoff. test.* Add. *l.* 17. *D. eod.* Valer. Max. VII. 7. 1. et 2. et VII. 8. 1. Eiusdem natura.

§. VII.

Ceterum cessabat querela, relicta legitima, seu certa et legibus definita bonorum portione. Ea olim semper erat hereditatis quadrans. *l.* 8. §. 6. *et* 8. *D. de inoff. test. l.* 2. *C. de inoffic. donat.* Quae quarta quando et qua occasione inoleuerit, incompertum sibi esse fatetur Iac. Cuiac. *Obseru.* II. 21. III. 8. vbi tamen eamdem a Marco Imp. inuentam suspicatur, deceptus loco Nicephori. At inter primos Ian. a Costa *princ. Inst. de inoff. test.* et Claud. Chiffl. *de legit. port.* [*Tom. V. Thes. iur. ciu. p.* 721.] nec non post hos Ant. Schultingius *Iurispr. Anteiust. p.* 381. docuerunt, legitimam illam portionem ex legis Falcidiae rationibus prudentum interpretatione esse inductam. Sane heredibus, quibus inofficiosi querela competit, QVARTAM FALCIDIAM deberi, disertis verbis dicunt Paullus *Recept. Sent.* IIII. 5. 5. et Vlpianus *l.* 8. §. 9. *et* 14. *D. de inoffic. testam.* Absolute quoque illam portionem QVARTAM vocat Plin. *Epist. V.* 1. et FALCIDIAM Iustinianus *l.* 31. *C. de inoff. test.* Vnde patet, satis antiquam et forsan Augusti temporibus aequalem (*a*) esse legitimam illam portionem. Origo legitimae portionis.

(*a*) Augusti enim temporibus latam esse legem Falcidiam, ostendemus infra *Lib. II. Tit. XX. sequ.* §. *XIIII.* Occasionem forsan dedit T. Tettius Vibo, qui filium infantem exheredauerat. Val. Max. VII. 7. 3. Reines. *Inscript. Classe XXIII.* 1.

§. VIII.

Sed auxit illam portionem Iustinianus per *Nou. XCII.* et *Nou. XVIII.* 1. vbi legitimam portionem, si liberi quatuor, vel pauciores essent, trientem: sin quinque vel plures, semissem esse iussit. Inuecta a Iustiniano mutatio.

Source : BIU Cujas

§. VIIII.

Quibus casibus haec querela locum habuerit, vel non habuerit?

Competebat porro haec querela non modo liberis aduersus parentes, sed et his aduersus liberos. Sane et matrum testamenta hac querela impugnata, legimus, iam ante SC. Orphitianum, apud Plin. *Epist. V.* 1. Valer. Max. VII. 7. 4. Quod eo minus mirandum, quia ex eodem Valerio Max. *Lib. VII. Cap.* 7. *exemplo* 2. constat, etiam filios in adoptionem datos patrum naturalium testamenta impugnasse. Postea id remedium ad solos parentes, liberos, fratres restrictum, *l.* 1. *D. h. t.* Immo iure nouo cessabat haec querela etiam in fratribus et sororibus, nisi turpis instituta esset persona: *l.* 27. *C. h. t.* cessabat etiam contra testamentum militis: *l. vlt.* §. 1. *C. eod.* cessabat denique praescriptione quinquennii, *l.* 8. §. *vlt. D. eod.* de quibus omnibus plenius agunt iureconsulti.

§. X.

Heredes quotuplices?

Pergimus ad heredum qualitatem et differentiam. Erant illi vel NECESSARII, vel SVI et NECESSARII, vel EXTRANEI ac VOLVNTARII. *pr. Inst. de her. qual.*

§. XI.

Heredes necessarii.

NECESSARII erant, qui cogebantur esse heredes etiam inuiti. Tales erant serui, quibus pro libertate data, id iugum imponebant leges, vt heredes esse cogerentur, quo subhastatio bonorum non fieret nomine dominorum, si forte aes alienum aliter dissolui non posset, sed sub eorum nomine. Infamiae enim quid habere videbatur illa subhastatio, quam hoc ordine factam nouimus. Proponebatur edictum a Praetore, quo creditoribus possessio bonorum dabatur. Qui vbi triginta dies a die deserti vadimonii possederant: eiusdem Praetoris iussu creari solebat Magister, ad bona distrahenda. Cic. *ad Attic. VI.* 1. Quinctilian. *Inst. Orat. VI.* 4. *l. vlt. D. de curat. bon. dand.* Tum fiebat praescriptio in celeberrimis vrbis locis: ITA ILLE DEBITOR NOSTER IN EIVSMODI CAVSSA EST, VT BONA EIVS DIVENDI DEBEANT, QVICVMQVE EMERE VOLET, ADESTO. Theoph. *pr. Inst. de succes. subl. quae sieb. per bon. vendit. Idque* est illud *triste carmen magistri*, de quo Cicero *de Orator. I.* 57. vel *libellus*, *bonis alicuius suspensus*, apud Senecam *de benefic.* IIII. 12. Paucis diebus post denuo adeundus erat praetor, vt liceret legem bonorum vendendorum facere, atque inde ita v. c. praescribebant: HAEC QVICVMQVE EMERIT, CREDITORIBVS IN DIMIDIAM PARTEM EORVM, QVAE IPSIS DEBENTVR,

Source : BIU Cujas

TVR, RESPONDERE DEBET. Theophil. *ibid.* Interea aderant bonorum emtores, qui totam maſſam bonorum emebant, vocati etiam *ſectores*, de quibus Cic. *pro S. Roſc. Amer. VI.* Scilicet ſectores vocabantur, *qui ſpem lucri ſui ſequuti, bona condemnatorum ſemel auctionabantur, proque iis pecunias penſitabant ſingulis, ac deinde pro compendio ſuo ſingulas quaſque res populo vendebant.* Aſcon. Paed. *in Verr. III. pag.* 1845. Nonnumquam, ſi deeſſet ſector, auctio fiebat, eaque indicebatur acerba voce praeconis, cuius formula, ſed iocoſa, eſt apud Plaut. *Menaechm. V. 9. v. vlt.* Qua de re Cicero *Epiſt. ad Attic. VI.* 1. Sigon. *de ant. iure ciu. Rom. I.* 11. *p.* 149. et *de Iudic. I.* 18. *p.* 449. *ſequ.* Ne ergo haec infamia in defuncti domini manes redundaret, ab obaeratis ſervus inſtituebatur heres, et is cogebatur hereditatem adire, atque hinc dici ſolebat HERES NECESSARIVS.

§. XII.

SVI et NECESSARII erant liberi, NECESSARII, quia et ipſi heredes eſſe cogebantur: SVI, quia iam viuis parentibus quaſi domini habebantur; §. 2. *Inſt. h. t.* §. 3. *Inſt. de hered. quae ab inteſt. l.* 11. *D. de lib. et poſtum.* Vnde et *particeps patris* eleganter dicitur filiusfamil. apud Terent. *Heauton. Act. I. ſcen.* 1. *v.* 97. Sui et neceſſarii.

Nec fas eſſe, vlla me voluptate hic frui,
Niſi vbi ille huc ſaluus redierit meus particeps.

Quia tamen durum videbatur, ob defuncti parentis infortunium liberos ſuperſtites quaſi infamiam contrahere: praetor ipſis poſtea conceſſerat beneficium abſtinendi. *l.* 11. *l.* 12. *l.* 57. §. 1. *D. de adquir. hered. l.* 71. §. 9. *eod.* ex quo loco, id beneficium iam ante Sabini tempora liberis datum fuiſſe, adparet.

§. XIII.

Denique EXTRANEI erant, qui nec neceſſarii erant nec ſui. His ergo liberum erat, vel adire hereditatem, vel repudiare, ſi magis expedire videretur, vnde et VOLVNTARII dicti. Adquirebatur ſcilicet hereditas *cretione*, ſi Charondae credimus, *aditione*, *pro herede geſtione*, *immiſtione*, *agnitione*. Charond. *ad Vlp. Fragm. XXII.* 27. qui tamen fallitur, dum immixtionem huc refert, quum ea ad heredes ſuos pertineat, quos ipſo iure heredes eſſe, diximus. Quamvis autem *cretio* et *aditio* ſemper eſſent coniunctae: tamen ideo non illa erant ſynonyma, vti ſibi perſuaſit Donell. *Comm. iur. ciu. VII.* 8. ſed actus diuerſi. Idque vel inde patet, quod ſequiore aeuo hereditas etiam ſine cretione adiretur, quale priuilegium ma- Extranei.

Source : BIU Cujas

tri, patruis, aliisque cognatis tribuerat Constantinus *l. 1. et 2. C. Theod. de legit. heredit.*

§. XIIII.

Cretio hereditatis quid et quotuplex.

CRETIO erat actus eorum, qui cum cretione erant heredes instituti. Vlpian. *Fragm. XXII. 25.* Cum cretione dicebatur institutus, cui testator iniunxerat, vt hereditatem cerneret. Ea cretio erat vel PERFECTA vel IMPERFECTA. Nam si scripserat testator: TITIVS HERES ESTO, CERNITOQVE IN DIEBVS CENTVM PROXIMIS, QVIBVS SCIERIS POTERISQVE: NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO. Vlp. *l. c. §. 27.* haec formula pertinebat ad *cretionem perfectam.* Sin vltima verba essent omissa: dicebatur heres institutus cum *cretione imperfecta*, itemque, si loco exheredationis adiectum esset, SI NON CREVERIS, TVNC MAEVIVS HERES ESTO. Vlp. *ibid. §. 34.* Erat quoque cretio vel VVLGARIS vel CONTINVA. *Vulgaris*, in qua adiiciebantur verba: QVIBVS SCIERIS POTERISQVE. *Continua*, in qua non adiiciebantur. Vlp. *Fragm. ibid. §. 31. 32.* Ceterum horum verborum ea erat vis, et potestas, vt in cretione vulgari dies tantum vtiles, in continua omnes numerarentur. Schulting. *ad Vlpian. ibid. p. 644.* Cernere vero hereditatem, non erat facere, vt viderent, aliquem esse heredem, ceu interpretatur Varro *de lingua Lat. V. 8. p. 43. edit. Gothofr.* sed decernere, se heredem esse velle, ceu ipse Varro *Lib. VI. 5. p. 57.* rectius atque accuratius docet. Cuiac. *Obs. VII. 18.* Iac. Perizon. *Not. ad Sanct. Mineru. VIIII. 15.* Fiebat ista cretio intra certos dies, praesentibus testibus. Cicero ad *Att. XIII. 44.* Sic centum dierum meminit Vlpian. *ibid.* et ius nostrum *l. 22. §. 1. D. quando dies leg. ced. l. 3. §. 8. D. de minorib. l. 2. §. vlt. D. de suis et legit. hered.* quae loca veterem ritum cretionis redolere videntur: sexaginta dierum Cicero *Epist. ad Attic. XIII. 44.* In ipso actu dicenda ab herede erant verba cretionis: QVVM ME MAEVIVS HEREDEM INSTITVERIT, EAM HEREDITATEM ADEO CERNOQVE. Vlp. *ibid. §. 28.* Barn. Brisson. *de Form. VII. p. 600. et 601.* Et hinc CRETIONIS SOLEMNITAS, *l. vn. C. Theod. de cret. et bonor. possess.* SCRVPVLOSA SOLLEMNITAS, *l. 8. C. Theod. de matern. bon.* CRETIONIS COMMENTVM, *l. 1. C. Theod. eod.* CRETIONEM DICERE. *l. 5. C. Theodos. eod. tit.*

§. XV.

An aliis sollemnitatibus o-

Dictis cretionis verbis, heres dicebatur *hereditatem adiisse.* Nec aliis ritibus quam illa testatione mentis, facta videtur hereditatis aditio; quamuis quibusdam casibus aditio et sine cretione fieri posset.

Source : BIU Cujas

posset. Sunt equidem, qui aditas hereditates existimant percussione digitorum: Cuiac. *Obs.* VII. 18. Merill. *Obs.* IIII. 34. quod signum dominii apud veteres fuisse, putant. Alii etiam saltationem addunt, quasi laetitiae signum. Ant. Dadin. Alteserra *de fiction. iur. tract.* III. 19. Sed vtrumque ritum collegêre ex male intellecto loco Ciceronis *de offic.* III. 19. ad quem addendae eruditae obseruationes Io. Ge. Graeuii. Addunt alii Ambros. *de offic.* III. 2. Sed et hic Ciceronem non intellectum manifesto exscripsit. pus fuerit adituris hereditatem?

§. XVI.

Qui sine cretione heredes erant scripti, ii etiam (*b*) sine aditione sola, PRO HERede GESTIONE heredes fieri poterant. Pro herede vero gerebat, qui rebus hereditariis, tamquam dominus, vtebatur, veluti qui auctionem rerum hereditariarum faciebat, seruis hereditariis cibaria dabat. &c. Vlpian. *Fragm.* XXII. 26. Quid pro herede gestio?

(*b*) Addidi τὸ *etiam*, quia et hi cernere poterant hereditatem, si volebant, nec tamen cogebantur. Petr. Fabr. *Semestr.* II. 22. Aueran. *Interp. iur.* II. 12. 15. *p.* 151.

§. XVII.

IMMIXTIO ad necessarios et suos heredes pertinebat. AGNITIONEM, sublata cretione sollemni aiunt inualuisse. §. *vlt. Inst. de hered. qual. et different.* §. *vlt. Inst. de bon. poss.* Sed sic ea vel ab aditione non differt, vel ad bonorum possessionem potius, quam ad hereditatem, pertinet. Sustulit vero cretionem in bonis maternis Constantinus, *l.* 1. *C. Theod. de matern. bon.* nec non Constantius, *l.* 4. *Cod. Theod. eod.* et Valentinianus *l. vn. C. Theod. de cretione.* Postea eamdem penitus aboleuit non Arcadius, vt in *l.* 17. *C. de iure delib.* dicitur, sed Iustinianus, invento beneficio inuentarii, (de quo *l. fin. C. de iure delib. Nou. I.* 2. 1.) Quilibet enim tuto adire ex eo potuit hereditatem, quum eo ipso bona heredis et defuncti separentur, omnisque impediatur actionum confusio. Quid immixtio et agnitio?

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. XX-XXII.

DE

LEGATIS, EORVMQVE ADEMTIONE, ET TRANSLATIONE, ET LEGE FALCIDIA.

HActenus Imperator de vniuerſalibus adquiſitionibus egit, ad eaſque etiam plures, qui infra ſequentur, tituli pertinent. Placuit tamen illi, interſerere hic ſingularum rerum adquiſitionem, quae per legata fit. An ſatis concinne, alii videant. Nos pauca ad hos quoque titulos delibabimus.

§. I.

Legatum quid?

LEGATVM eſt donatio, quae legis modo, id eſt imperatiue, teſtamento relinquitur. Vlp. *Fragm.* XXIIII. 1. *Legis modo* inquit Vlpianus, quia veluti legem teſtator dicit heredi, quid ab eo praeſtari velit, vnde et graecis legare, eſt νομοθετεῖν (*a*) *Nouell.* XXII. 2. Io. Chryſoſt. *Homil. I. ad Act. Apoſt. p.* 615. Quin et ipſum verbum LEGARE nihil ſignificat aliud, quam mandare et veluti legem dicere. Ita Plaut. *Caſin. I.* 1. *v.* 12.

Quin potius quod tibi LEGATVM EST *negotium*
Id curas?

Hinc LEGATI dicuntur a *legando*, quia cum mandatis mittuntur, non quia publice leguntur, ceu coniicit Varro *de Lingu. Lat. VI.* 16. *n.* 7. Nec aliam ob cauſſam RELEGATI adpellantur, quam quia *lege*, a populo vel principe lata, ciuitate exeſſe iubentur. *Imperatiue* ergo fieri debebat haec donatio, id eſt, *verbis directis. l.* 2. *C. commun. de legat. l.* 15. *C. de teſtam.* Scholiaſt. Horat. *ad Satyr.* II. 1. 9. Verba enim precaria non erant valida ex legibus XII. tabularum, ſed ex voluntate tantum heredum deſcendebant. Denique *teſtamento* relinquenda erant legata, non codicillo, antequam ſcilicet Iuſtinianus legatorum fideique commiſſorum naturam exaequaſſet.

(*a*) Hinc teſtatores plane more legislatorum loquebantur. Hi verbis imperatiuis vti ſolebant: iiſdem vtebantur teſtatores: PRAECIPITO, SVMITO &c. Legislatorum formula erat DAMNAS ESTO, *l.* 2. *pr. l.* 27. §. 5. *D. ad L. Aquil.* Eadem vero etiam teſtatoribus ſollemnis erat.

§. II.

Source : BIU Cujas

§. II.

Legatorum genera erant quatuor, VINDICATIONIS, DAMNATIONIS, SINENDI MODO, ET PRAECEPTIONIS. Caius *Inſtit.* II. 5. 1. Vlpian. *Fragm.* XXIIII. 2. Paull. *Sent. Recept.* III. 7. (*b*) Quorum differentiam licet ſuſtulerit Iuſtinianus, dum legatorum omnium, quibuscumque tandem relicta ſint verbis, eamdem naturam eſſe voluit: *l.* 2. *C. comm. de legat.* olim tamen permultum intererat inter haec legatorum genera, quae a iureconſultis diſputatione fori inducta eſſe, non abs re exiſtimat V. C. Schultingius *ad Vlp. l. c. p.* 649. Legata quotuplicia?

(*b*) Ant. Faber *Coniect. VI.* 1. quatuor ſpecies ad duas reuocat, *vindicationis* et *damnationis*, cui tamen reſpondit Oſw. Hillig. *Donell. enucl. Lib. VIII. p. III.*

§. III.

Per VINDICATIONEM his verbis legabant: DO, LEGO, SVMITO, HABETO. Vlpian. *ibid.* §. 3. quibus Caius *Inſt.* II. 5. addit formulas: ILLAM REM TIBI PRAESVME, VINDICA. Tunc vero legatum erat in legatarii arbitrio, idque ipſe ſibi, adita hereditate, ſtatim capere vel rei vindicatione petere poterat. Tale erat illud apud Virgil. *Aeneid. V. v.* 533. Legatum per vindicationem.

SVME, *pater*, (*nam te voluit rex magnus Olympi*
Talibus auſpiciis exſortem dicere honorem,)
Ipſius Anchiſae longaeui hoc munus HABEBIS.

Ad quae verba Seruius, Scholiaſtes: *Sume*, inquit, *percipe. Nam verbum eſt iureconſultorum quo vtuntur, quoties legatum non ab herede datur, ſed eſt in accipientis arbitrio, id eſt, vindicationis, vel optionis.*

§. IIII.

Per DAMNATIONEM legabatur his verbis (*c*): HERES MEVS DAMNAS ESTO DARE, DATO, FACITO, HEREDEM MEVM DARE IVBEO. Vlpian. *ibid.* §. IIII. Vim verborum illorum, quibus, ceu ex *l.* 2. *pr. et l.* 27. §. 5. *D. ad L. Aquil.* adparet, etiam legiſlatores vtebantur, idem explicat Seruius ad Virgil. *Aeneid.* XII. *v.* 727. *In iure quum dicitur* DAMNAS ESTO, *hoc eſt, damnatus es, vt des, hoc eſt, damno te, vt des, neque alias libereris.* Perinde ergo hic heres erat obligatus, ac ſi vel a iudice, vel ab ipſo legiſlatore, eſſet damnatus. Vnde et lis inficiando creſcebat in duplum. Paull. *Recept. Sent.* I. 19. 1. Legatum per damnationem.

(*c*) Dicebatur enim tunc res *optimo iure* legata. Vlpian. *Fragm. XXIIII.* 11.

Source : BIU Cujas

§. V.

Legatum sinendi modo.

SINENDI MODO ita legabatur: HERES MEVS DAMNAS ESTO SINERE L. TITIVM SVMERE ILLAM REM, SIBIQVE HABERE. Vlpian. *Fragm.* XXIIII. 5. Cai. *Inst.* II. 5. 9. Heres ergo damnabatur quidem, vt aliquid sumi pateretur, sed legatario simul permittebatur, vt aliquid sumere posset.

§. VI.

Legatum per praeceptionem.

Denique PER PRAECEPTIONEM legabant his verbis: L. TITIVS ILLAM REM PRAECIPITO. Vlpian. *Fragm.* XXVI. 6. vel vt in notis Magnonis est: P. S. T. Q. H. PRAECIPITO SVMITO, TIBIQVE HABETO. Res hoc modo legata *praelegatum* vocabatur, vel *praecipuum*. Fest. *voce excipuum p.* 284. idque relinquebatur vni ex coheredibus. Exempla sunt apud Valer. Max. VII. 8. 4. Plin. *Epist.* V. 7. Sidon. *Epist.* VI. 12.

§. VII.

Differentia horum legatorum.

Differentia inter hos legandi modos non vna erat. Per VINDICATIONEM legari poterant res, quae tempore mortis et facti testamenti testatoris ex iure Quiritium fuerant (*d*). Quod si tamen res quae non vtroque tempore in dominio testatoris erat, ita legaretur: SC. Neronianum huiusmodi legatum eatenus sustinebat, vt in legatum damnationis inflecteretur. Vlpian. *Fragm.* XXIIII. 11. Per DAMNATIONEM res omnes legari poterant, etiam alienae, dummodo tales essent, vt dari possent. Vlpian. *Fragm. l. c.* §. 8. Cai. *Inst.* II. 5. 6. SINENDI MODO legabantur res propriae testatoris et heredis. Vlp. *ibid.* §. 10. non alienae, vti visum Caio. Denique PER PRAECEPTIONEM relinquebantur eaedem, quae per vindicationem. Vlpian. *Fragm.* XXIIII. 11. Si coniunctim vna res legata fuerat pluribus PER VINDICATIONEM: pars deficiens ceteris collegatariis adcrescebat: sin vero PER DAMNATIONEM, pars deficiens penes heredem manebat. Oisel. *ad Cai. Inst.* II. 5. 4. Legatum *vindicationis* poterat repudiari: *l.* 7. *l.* 44. §. 1. *l.* 86. §. 2. *D. de*

(*d*) Si res legata pondere, mensura, numero constabat, sufficiebat, si tempore mortis iure Quiritium testatoris esset. Ratio vero, ob quam hic exigebatur dominium Quiritarium, haec erat, quia legatario eiusmodi concedebatur rei vindicatio, quae olim instituebatur hac formula. HANC EGO REM EX IVRE QVIRITIVM MEAM ESSE AIO. Cicero *pro Mur. XII.* Hac vero formula vtique vti haud potuisset legatarius, nisi res legata testatoris fuisset ex iure Quiritium. Vid. V.C. Schulting. *Iurispr. anteiust. p.* 651.

Source : BIU Cujas

de legat. 1. non aeque legatum damnationis. Plures differentias dedit Merill. *Obſ. VI.* 32.

§. VIII.

Suſtulit hanc differentiam, ceu ſupra diximus, Iuſtinianus (*e*), ita tamen ſuſtulit, vt non ſatis caute plures leges, quae ad iſtud diſcrimen pertinent, pandectis inſeri permiſerit. Vid. M. Aurel. Galuan. *de Vſufr. XXXX. vlt.* V. C. Schulting. *Iuriſpr. ant. p.* 849. Merill. *Obſ. VI.* 33. Ea ſublata eſt a Iuſtiniano.

(*e*) Primo SC. Neroniano non quidem ſublata, quae inter formulas legandi erat differentia; ſed tamen conſtitutum, vt ſi alio modo aliquid relictum eſſet, ſaltim valeret, tanquam ſi eſſet per damnationem relictum. Vlp. *Fragm. XXIIII.* 11. Poſtea Conſtantinus M. verborum quidem, at non actionum differentiam ſuſtulit. *l.* 15. *C. de teſt. l.* 21. *C. h. t.* Denique et hanc aboleuit Iuſtinianus. Vid. Ian. a Coſta ad *Inſt. §. 2. h. t.*

§. VIIII.

Porro non modo ſingulae res legari poterant, ſed vniuerſarum quoque pars, vt puta: MAEVIVS HERES MEVS CVM TITIO HEREDITATEM MEAM PARTITO, DIVIDITO. Quo caſu dimidia pars bonorum legata videbatur. Poterat et alia pars, veluti tertia, quarta, quinta, legari, quae ſpecies PARTITIO adpellabatur. Vlp. *Fragm.* XXIIII. 25. §. 5. *Inſt. de fideicomm. hered.* Cicero *pro Caecin.* IIII. *et* V. Legata pars hereditatis.

§. X.

Legari non poterat a legatario, nec legatum dabatur, niſi extraneo. Non autem filiofamilias heredi inſtituto, vel ſeruo proprio, nec ei, qui in heredis poteſtate mancipioue erat, niſi ſub conditione. Vlp. XXIIII. 20. *ſequ.* Legari etiam olim non poterat ciuitatibus, poſtea poterat ciuitatibus illis, quae ſub imperio Populi Romani erant, idque primum a Nerua introductum, ac poſtea ſub Hadriano SCo diligentius cautum fuerat. Vlp. *Fragm.* XXIIII. 28. Quod deinde D. Marcus etiam ad collegia, *l.* 20. *D. de reb. dub.* immo et ad vicos extendit. *l.* 73. §. 1. *D. de legat.* I. Vid. Merill. *Variant. ex Cuiac.* II. 14. V. C. Schulting. *Iuriſprud. Ant. p.* 659. A quo et quibus legari potuerit.

§. XI.

Anceps quoque inter eruditos quaeſtio eſt de legatis POENAE NOMINE RELICTIS. Iuſtinianus enim haec ita definit §. *vlt. Inſt. de legat. Poenae nomine legari videtur, quod coercendi heredis cauſſa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat: veluti ſi* Legata poenae nomine relicta.

Source : BIU Cujas

quis ita scripserit: HERES MEVS, SI FILIAM SVAM IN MATRIMONIVM TITIO COLLOCAVERIT, *vel ex diuerso*, SI NON COLLOCAVERIT, DATO DECEM AVREOS SEIO. Addit Iustinianus, eiusmodi legata veteri iure prohibita fuisse, (idque etiam constat ex Iul. Capitolin. *Anton. Pio VIII. Ael. Helu. Pertin. VII.*) se vero ea rata esse iussisse, dummodo nihil impossibile, vel legibus interdictum, vel alias probrosum, fuerit heredi iniunctum.

§. XII.

Dubia aduersus hanc doctrinam.

Sed animaduertit amplissimus Bynkershoekius, hac admissa definitione, vix superesse discrimen inter legata conditionata, et poenae nomine relicta. Legislatorum instar erant morientes, et si in tabulis scripserant: LEGO SEIO CENTVM, SI FILIAM TITIO VXOREM DEDERIT, rata erat haec vltima voluntas. Cur quaeso legatum poenae nomine relictum illicitum fuisset habitum, si scriptum esset in tabulis: HERES, SI FILIAM TITIO VXOREM DEDERIT, SEIO DECEM AVREOS DATO. Quid, quaeso, inter vtramque formulam interest? Bynkersh. *de legat. poenae nomine relict. III. p.* 361. *sequ.*

§. XIII.

Clarissimi Bynkershoekii sententia.

Existimat ergo vir laudatissimus, Tribonianum, qui veteribus legata poenae nomine relicta fuerint, non satis intellexisse. Nam ex *l.* 1. *D. de his quae poenae causs. relinquuntur*, adparere, ea legata poenae nomine visa relinqui, quibus testator heredem ad probrosum aliquid faciendum cogere voluerit. Bynkersh. *ib. cap. IIII.* Quae si ita sunt, Iustinianus profecto nihil noui statuit, dum, quae veteres tamquam regulam posuerant, ipse loco exceptionis habuit, regulam fingens, veteribus incognitam.

§. XIIII.

Eius illustratio.

Sed non est fortassis, quod Iustinianum plane deseramus, quippe cuius definitionem etiam Vlpianus agnouit. *Fragm. XXIIII.* 17. Scilicet saepe heredem legatis, non nisi vexandi caussa, onerabant testatores, iisque illum ad aliquid faciendum omittendumque adigebant, nulla alia adducti ratione, quam stolida voluntate. Tale erat testamentum Staberi, de quo Horat. *Satir. II.* 3. *v.* 84. *sequ.*

Heredes Staberi summam incidere sepulcro,
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnauit populo paria, atque epulum arbitrio Arri,
Frumenti, quantum metit Africa.

Quum

Source : BIU Cujas

Quum ergo disputarent veteres, an legata eiusmodi valerent, quibus heres ad aliquid sine ratione contra animi sententiam faciendum omittendumque cogeretur: Iustinianus has tricas sustulit, iussitque, haec legata rata esse, exceptis iis quae vel impossibilia essent, vel legibus interdicta, vel alias aperte probrosa. Vid. Gundlingii *Diss. de principe hered. VI.* 32. *p.* 78.

§. XV.

Quemadmodum vero legibus XII. Tabularum tantum quisque legare poterat, quantum volebat: ita inde fiebat, vt plures hereditatem tot legatis exhaustam adire nollent. Hinc primo lata LEX FVRIA testamentaria a C. Furio, Tribuno plebis (*f*), qua cautum, ne cui liceret vltra mille asses (*g*) vel legare, vel mortis caussa donare, praeterquam cognatis, certisque personis, quales erant e. g. cognati manumissoris. Vlp. *Fragm.* XXVIII. 7. Si quis alius vltra hanc summam legatum acceperat: non rescindebatur quidem legatum, sed legatarius tamen quadruplum reddere cogebatur. Vnde haec lex *minus quam perfecta* dicitur Vlpiano *Fragm. l.* 2. Confer. Cuiac. *Obseru. XX.* 31. Lex Furia testamentaria.

(*f*) Vir doctus Guid. Pancirol. *Thesaur. Var. Lect. II.* 278. eamdem hanc legem putat cum Fusia Caninia. Qua in re eum perspicue errare, vel inde patet, quod haec Lex fuit Voconia antiquior: Fusiam autem Caniniam demum sub Augusto latam, supra demonstrauimus.

(*g*) Cuiacius *Obs. XVIIII.* 31. Substituit *mille aeris* quomodo et Varro *de L. L. lib.* VIII. dicit, *mille aeris legasse.* Sed *as* et *aes* olim promiscue dicebatur. Pondus vero assium pro temporum ratione varium fuisse, docet Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 3.

§. XVI.

Mox vero hanc legem eluſit Romanorum calliditas. Coeperunt enim vni quidem non vltra mille asses legare, sed tamen tot scribere legatarios, vt et sic penes heredem nihil, aut parum, remaneret. Hinc postea LEX VOCONIA, a Q. Voconio Saxa, A. V. C. IↃLXXXXIIII. Caepione et Philippo Coss. lata est, ex qua lege non solum femina, heres institui haud poterat, nisi in certa bonorum parte: sed et illud cautum fuerat, ne quis census plus vlli legaret, quam ad heredem heredesue perueniret. Cic. *Verr. I.* 43. Lex Voconia.

§. XVII.

Enimuero etiam Voconia illa lex oblitterata demum est per opulentiam ciuitatis: Gell. *Noct. Att. XX.* 1. nec, *sufficiens ad rei consummationem visa est. princ. Inst. de L. Falcid.* Ergo nouissime demum lata est LEX FALCIDIA. Eius oblitteratio.

Source : BIU Cujas

§. XVIII.

Lex Falcidia.

Est et hoc plebiscitum, quod tulit P. Falcidius Trib. pleb. (*h*) temporibus triumuirorum, Cn. Domitio M. F. Caluino, et C. Asinio Pollione Coss. (*i*) anno ab V. C. Iocclxiiii. vt testantur Dio Cass. XXXXVIII. *p.* 377. Euseb. *Chron. num.* MDCCCCLXXXVIII. et Isidor. *Etymol. V.* 15. Breuissime Dio: καὶ ὁ νόμος φαλκίδιος ὠνομασμένος, (πλεῖστην καὶ νῦν ἔτι ἰσχὺν ἔς τὰς τῶν κλήρων διαδοχὰς, ὥς τε τινὰ τὸ τέταρτον καὶ καταλειφθείσης οἱ οὐσίας ἀπολαβόντα τὸ λοιπὸν ἀφεῖναι, ἔχων,) ὑπὸ τοῦ πυβλίου φαλκιδίου δημαρχήσαντος ἐτέθη. *Lex etiam Falcidia a P. Falcidio Tribuno plebis lata, quae nunc quoque plurimum valet in hereditatibus adeundis: ea autem permittit, vt heres, si adire hereditatem grauetur, quadrante accepto, reliquum dimittat.* Sed non videtur tamen vir doctissimus vim legis satis percepisse. Ea enim non permittit heredi, quadrante accepto, hereditatem repudiare, sed testatorem obstringit, vt quartam heredi saluam relinquat, idque si non fecerit, heredi potestatem facit, tantum detrahendi legatariis, quantum desit quartae suae.

(*h*) Ridiculus ergo Glossatorum error est, qui Falcidiam hanc legem dictam volunt ἀπὸ τοῦ φάλκης, ὃ δηλοῖ δρεπάνην, id est, *a falce* vel *defalcando*. Vid. Scholiast. in Harmenopul. *Promptuar. V.* 9. Eumdem tamen errorem etiam Latini Glossatores errarunt, ceu in praefatione obseruauimus.

(*i*) Non anno Iocclxiii. P. Seruilio Isaurico iterum et L. Antonio Coss. vt tradit Aleander *ad Cai. Inst. II.* 6. 1. *p.* 121.

§. XVIIII.

Eius capita et legitima verba.

Lex, cuius ipsa legitima verba supersunt *l.* 1. *D. ad L. Falcid.* pluribus constitit capitibus, (*k*) quorum priore libera permittitur legandi facultas his verbis: QVI CIVES ROMANI SVNT, QVI EORVM POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACERE VOLET, VT EAM PECVNIAM, QVASQVE RES, QVIBVSQVE DARE LEGARE VOLET, IVS POTESTASQVE ESTO. (VT HAC LEGE SEQVENTE LICEBIT. (*l*) Secundo capite modus legatorum constituitur: QVI-

(*k*) Magna cura ea capita collegit illustrauitque Francisc. Balduinus, et cum lege Voconia, Iulia, Papia Poppaea, Rhodia, Aquilia edidit, *Bas.* 1559. 8. [nec non V. C. Iac. Voorda, cuius in hanc legem Commentarius Franequerae prodiit.]

(*l*) Adduntur in vulgatis editionibus verba VT HAC LEGE SEQVENTI LICEBIT: sed ea νοθεύονται, vt obseruauit Cuiac. *ad C. ad L. Falcid.*

Source : BIU Cujas

QVICVMQUE CIVIS ROMANVS POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACIET, IS QVANTAM CVIQVE CIVI ROMANO PECVNIAM IVRE PVBLICO DARE LEGARE VOLET, IVS POTESTASQVE ESTO, DVM ITA DETVR LEGETVR, NE MINVS, QVAM PARTEM QVARTAM HEREDITATIS EO TESTAMENTO HEREDES CAPIANT. EIS, QVIBVS QVID ITA DATVM LEGATVMQVE ERIT, EAM PECVNIAM SINE FRAVDE SVA CAPERE LICETO: ISQVE HERES, QVI EAM PECVNIAM DARE IVSSVS DAMNATVS ERIT, EAM PECVNIAM DEBETO DARE, QVAM DAMNATVS EST. Ex his ergo satis constat de vera legis Falcidiae sententia, meritoque pro inepti leguleii additamento reputanda sunt illa apud Hieronym. *in Chron. C. Falcidius tribunus plebis, legem tulit, ne quis testamento plus legaret, quam vt quarta pars apud heredes superesset*, SI HEREDES QVATVOR AVT MINVS ESSENT: SIN AVTEM PLVS QVATVOR; TVNC II SEMISSEM RETINERENT. (*m*) Vid. a Cont. *Lect. Subcef. I. 3.*

(*m*) Haec enim ex recentissimo Graecorum iure esse, erudite demonstrauit Oisel. *ad Caii Inst. II. 6. 1. p. m. 120.*

§. XX.

Ceterum deductio quartae, quam lex haec Falcidia permisit, imperante Vespasiano ad fideicommissa vniuersalia primum producta est SC. Pegasiano; [*Tit. XXIII. §. 6.*] deinde etiam ad singularia §. 5. *Inst. de fideic. hered.* immo et ad fideicommissa, ab intestato relicta, quod a D. Pio factum refert Paullus ICtus *l. 18. D. ad L. Falcid.* ac denique ad donationes mortis caussa ex constitutione Seueri. *l. 5. C. eod. l. 2. C. de donat. mort. causs.* Id quod tamen ab intestato admittendum haud videtur Cuiacio *Obs. III.* 17. quia mortis caussa donationes ab intestato factae legatis non aequiparentur. *l.* 20. §. 1. *D. de mort. causs. don.* Verum legis Falcidiae vires maxime elisit IVSTINIANVS, permissa facultate testatoribus, vtiliter prohibendi Falcidiae detractionem, quum antea huiuscemodi voluntati, quantumuis expressae, heredes minime parere cogerentur. Vid. Vinc. Grauina *de Leg. et SC. Rom. LXXVII. p. 637.* Relationes et mutationes huius legis.

§. XXI.

Quae alias de sensu legis Falcidiae casibusque eo pertinentibus disputari solent, ea a Doctoribus dudum sunt occupata, nec tam ad antiquitates, quam ipsam Iurisprudentiam pertinere videntur. Conclusio tituli.

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. XXIII-XXV.

DE FIDEICOMMISSIS VNIVERSALIBVS ET SINGVLARIBVS, ET DE CODICILLIS.

HActenus de hereditatibus et legatis, quae verbis directis relinquuntur: iam etiam de FIDEICOMMISSIS agendum, propter quae quum codicilli reperti sint, eadem opera etiam de codicillorum origine ac iure erit differendum.

§. I.

Fideicommissa veteri iure inualida.

Vetere iure Romano non ratae erant vltimae voluntates, nisi verbis imperatiuis conceptae. Lex enim XII. Tabular. ea solum confirmabat, quae quis *legassit*. LEGARE vero erat veluti *legem dicere*, atque adeo testatoris non erat, vti verbis precatiuis, sed directis et imperatiuis. (*a*) Hinc inter ea, quae ex XII. tabulis erant licita, *l.* 120. *D. de verb. signif.* non referuntur fideicommissa, et id sibi volunt verba Vlpiani *Fragm. XXV.* 1. *Fideicommissum est, quod non ciuilibus verbis, sed precatiuis, relinquitur: nec ex rigore iuris ciuilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.*

(*a*) Vide supra *Lib. II. Tit. XX-XXII.* §. 1.

§. II.

Quibus formulis relicta?

Relinquebantur ergo fideicommissa verbis precatiuis, vel ad heredem fiduciarium, vel ad eum, cui relinquebantur, directis. Paull. *Sent. IIII.* 1. 5. *et* 6. Magis enim hic voluntas spectanda videbatur, quam verba, *l.* 16. *C. de fideic.* nec proinde tam quaerendum, quocum quis loqueretur, quam in quem voluntatis dirigeretur intentio. *l.* 77. §. 26. *D. de legat.* 2. Hinc passim in iure nostro formulae occurrunt: FIDEI TVAE COMMITTO, PETO, C. SEII, CONTENTVS SIS ILLA RE. VOLO TIBI ILLVD PRAESTARI. ROGO, PETO, VOLO, MANDO. (*b*) DEPRECOR. CVPIO, INIVNGO, DESIDERO, IMPERO. &c. Et quamuis Paullus *l. c.* excludat verba RELIN-

(*b*) Immo et IVBEO, quod precativum esse negat Alciatus. Vid. *l.* 28. §. *vlt.* D. *de libert. leg.*

Source : BIU Cujas

LINQVO et COMMENDO, quae ipse nullam fideicommissi actionem parere existimat: hae tamen formulae etiam, vt et aliae omnes, idoneae visae sunt post *l.* 2. *C. commun. de legat. et fideicomm.* Vid. Cuiac. *ad Paull. ibid. p. m.* 385. *sequ.* Barn. Brisson. *de Form.* VII. *p.* 668. *sequ.*

§. III.

Quod si ergo verbis eiusmodi precatiuis aliquid esset relictum: heredis erat arbitrium, velletne illud praestare, an nollet. Nullo enim iuris vinculo, sed tantum pudore et fide eorum, qui rogati erant, continebantur fideicommissa. §. 1. *Inst. h. t.* Saepius tamen veteres heredum fidei committebant, siue clam, siue verbis in testamento expressis, maxime si iis quidquam relinquere cuperent, qui per leges erant incapaces. Cuius rei exempla sunt apud Ciceronem *de Finib.* II. 57. Quinctilian. *Declam.* CCCXXIIII. et Valer. Max. IIII. 2. 7. qui refert, Q. Pompeium Rufum exsulem, quum ex testamento ciuis Romani nihil capere potuisset, tamen bona cuiusdam accepisse, qui matri praedia sua fideicommiserat, vt haec illa filio Pompeio restitueret. Sed eiusmodi fideicommissa, vt dixi, non necessario praestabantur, poteratque adeo hereditas ab herede fiduciario impune retineri. Quamobrem et hereditatem, ex fideicommisso restitutam, fiduciarii veluti liberalitati imputabant. Et ita ego interpretor verba in marmore apud Reines. *Inscr. Class.* II. 73. L. CESTIVS QVA EX PARTE AD EVM HEREDITAS M. AGRIPPAE MVNERE PERVENIT.

Fideicommissorum natura ante Augusti tempora.

§. IIII.

Primus rem mutauit, et fideicommissa, quorum antea mos inter exempla probitatis et perfidiae fluctuauerat, et exemplo, et seueritate, stabiliuit Augustus. De quo ipse Imperator noster, §. 1. *Inst. h. t. Postea D. Augustus primus semel iterumque, gratia personarum motus, vel ob insignem quorumdam perfidiam, iussit consulibus auctoritatem suam interponere. Quod quia iustum videbatur, et populare erat, paullatim conuersum est in adsiduam iurisdictionem, tantusque eorum fauor factus est, vt paullatim etiam Praetor proprius crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, quem* FIDEICOMMISSARIVM *adpellant.* Ex hoc ergo loco patet, I. primum Augustum fidei suae commissa praestitisse, gratia personarum motum. Personae vero illae procul dubio fuerunt L. Lentulus, et eius heres fideicommissarius. Nam *ex illius persona etiam fideicommissa coepisse* dicuntur. *pr. Inst. de codicill.* Discimus deinde, II. Augustum negotium dedisse Consulibus cognoscendi de fideicommissis, nomi-

Augusti ea de re constitutio.

Source : BIU Cujas

natoſque heredes ad reſtituendas hereditates compellendi. Quae iuriſdictio Coſſ. tantum delegata erat a Principe, nec ad prouincias pertinebat, vbi fideicommiſſa exſequutionem nullam habebant, antequam Claudius id negotium Praeſidibus daret. Sueton. *Claud. cap.* XXIII. Praeterea ex eo loco intelligimus, III. Praetorem fideicommiſſarium (*c*) ideo poſtea creatum, vt tanto accuratius de fideicommiſſis ius diceretur. In quo tamen, neſcio, an Imperator fallatur. Conſtat enim primo ex Suet. *Claud. XXIII.* Claudium Imperatorem non vnum, ſed duos conſtituiſſe praetores fideicommiſſarios, qui praeter morem non darent iudices pedaneos, ſed ipſi cognoſcerent, et ferrent ſententias, quamuis poſtea vnum horum Praetorum detraxerit Traianus *l.* 2. §. 32. *D. de Orig. iur.* Deinde et conſtitutis iam praetoribus fideicommiſſariis, conſules concurrentem iuriſdictionem cum iis exercebant. Vlpian. *Fragm. XXV.* 12. ita quidem, vt apud conſules de maioribus; apud praetores fideicommiſſarios de minoribus ſummis ageretur. Quinctilian. *Inſt. Orat. III.* 6. Conf. Cuiac. *Obſ. XXI.* 34. Merill. *Obſ. VI.* 36. Immo nonnumquam ipſi Imperatores de fideicommiſſis cognoſcebant: quale quid de Commodo Imperatore refert Papinianus, *l.* 26. *D. de probat.*

(*c*) Vocatur et PR. DE FIDEICOMMISS. in *Inſcriptionibus* Gruteri p. CCCLXXXXIII. 6.

§. V.

Senatusconſultum Trebellianum.

Quum ergo ſemel fiduciarii eſſent certa iuris neceſſitate obſtricti, neque amplius fideicommiſſorum reſtitutio ex heredum voluntate penderet; factum eſt, vt ſaepe in hunc onus omne obligationum, commodum vero in fideicommiſſarium transferretur. Cuius rei cauſſa quum haud raro teſtamenta deſtituerentur: imperante Nerone VIII. Kal. Sept. L. Annaeo Seneca et Trebellio Maximo Coſſ. ſuffectis, factum eſt SCtum, vt reſtituta ex teſtamento vniuerſa hereditate, actiones omnes, quae heredi et in heredem competebant, ſimul cum hereditatis commodo tranſirent in eum, cui reſtitueretur hereditas. §. 4. *Inſt. h. t.* Non vero directe actiones ab herede remouebantur, ſed vtiles tantum fideicommiſſario, et in eum, dabantur a Praetore, adeoque heres, conuentus a creditoribus ex SC. Trebelliano habebat exceptionem. *l.* 1. §. 4. *D. ad SC. Treb. l.* 1. §. 8. *D. quand. de pecul. act. annal. eſt.*

§. VI.

Source : BIU Cujas

§. VI.

Quoniam vero sic etiam heredes rogati, inutilem molestiam refugientes, repudiabant hereditatem, ex qua nihil ad eos commodi esset rediturum: sub Vespasiano, Pegaso et Pusione Coss. SC. conditum est, quo permittebatur heredi fiduciario detrahere quartam ex bonis fidei suae commissis. Adeoque hoc SC. legem Falcidiam, quae ad legata tantum pertinebat, ad fideicommissa etiam vniuersalia protulit. §. 5. *Inst. h. t.* Grauina *de Leg. et SC. LXXVIII. p.* 639. [Conf. Cl. Iacob. Voorda *ad leg. Falcid. Cap. VI. p.* 83.]

Senatus consultum Pegasianum?

§. VII.

Nihil tamen hoc SC. fuerat de actionibus hereditariis cautum, sed post illud ipse heres onera hereditaria sustinebat. *d.* §. 5. *Inst. h. t.* Opus ergo erat certis stipulationibus, inter heredem et fideicommissarium interponendis, vt lucrum et damnum hereditarium pro rata parte inter eos commune esset. Quae stipulationes partis et pro parte dicebantur. Vlpian. *Fragm. XXV.* 15. Hinc quoties heredi fiduciario quarta ex testamento erat salua, toties hereditatem restituebat ex SC. Trebelliano. Sin plus dodrante esset restituendum, quartam ex SC. Pegasiano detrahebat, et de obligationibus sibi cauebat interpositis stipulationibus. §. 6. *Inst. h. t.* Ast quum stipulationes illae multis viderentur captiosae: placuit Iustiniano, exploso SC. Pegasiano, Trebelliano omnem auctoritatem praestare, vel potius ex duobus facere vnicum, idque Trebelliani nomine insignire, ita quidem, vt quartam heres semper haberet saluam, actionesque inter eum et fideicommissarium pro rata diuiderentur, heredi vero simul adeundi hereditatem imponeretur necessitas. §. 7. *Inst. h. t.* Immo iure nouissimo, si heres adire quartaque contentus esse nollet, deficientibus coheredibus aut substitutis, ipse fideicommissarius adire potest per *Nouell. I. cap. I.* §. 1.

Stipulationes necessariae inter heredem et fideicommissarium; et nouum ius a Iustiniano introductum.

§. VIII.

Ad fideicommissa pertinet quoque SC. APRONIANVM. Nec municipia enim olim, nec municipes, heredes institui poterant, quoniam incertum corpus erat, vt neque cernere vniuersi, neque pro herede gerere possent. Vlpian. *Fragm. XXII.* 5. Plin. *Epist. V.* 7. Fideicommissaria tamen hereditas municipibus restituenda erat per SC. Apronianum cuius de aetate iam *Lib. II. Tit. XIIII.* §. 2. disseruimus.

Senatusconsultum Apronianum.

Source : BIU Cujas

§. VIIII.

Differentia inter legata et fideicommissa singularia.

Haec de FIDEICOMMISSIS *vniuersalibus*. Ad SINGVLARIA quod attinet, magna olim erat inter ea et legata differentia. In legatis rigor iuris, in fideicommissis fauor voluntatis regnabat. *l. pen. D. de legat.* 1. Fideicommissum ad eum, cui aliquid dimissum erat, poterat peruenire, herede licet mortuo, si talis erat conditio testamenti: legatum ita relinqui non poterat. Fideicommissum codicillis, etiamsi per testamentum non essent confirmati, relinquere licebat: legatum codicillis relictum non valebat, nisi illi essent testamenti confirmati. A legatario legatum alteri relinqui non poterat; fideicommissum poterat. Per legatum seruo alieno directa libertas non dabatur; per fideicommissum recte dabatur. Fideicommissis tardius, quam scriptum erat, solutis, vsurae et fructus debebantur, legatorum non vsura, sed duplum debebatur, si inficiaretur heres (*d*). Haec omnia tradit Caius *Instit. II.* 7. 8.

(*d*) Vltimam hanc differentiam, ex qua se expedire haud possunt Alexander et Oisel. *ad Cai. l. c.* accurate explicant atque illustrant V. C. Schulting. *Iurispr. Antiqu. p. m.* 130. Gerard. Noodt *de foenor. et vsur.* III. 7.

§. X.

Eam sustulit Iustinianus.

At Iustinianus, ne quid antiqui iuris integrum relinqueret, legata et fideicommissa per omnia, quod ad effectum attinet, exaequauit. §. 3. *Inst. de legat. l.* 2. *C. comm. de leg.*

§. XI.

Codicillorum nomen et natura.

Quemadmodum fideicommissa eludendis legibus fuerant reperta: ita declinandae iuris testamentarii subtilitati acceptus est vsus CODICILLORVM. CODICILLORVM vero voce nihil denotabant aliud, quam scripturam quamdam ad alios missam. Hinc saepe codicillos pro epistolis ponit Cicero *Epist. ad Fam. IIII.* 12. *VI.* 18. *ad Attic. XII.* 8. *ad Quint. Fratr. II.* 10. Praecipue tamen id nomen tribuebatur epistolis, ad praesentes missis. Vnde Seneca *Epist. LV. Video te, mi Lucili, quum maxime audio, adeo tecum sum, vt dubitem, an incipiam non epistolas, sed* codicillos, *tibi scribere.* Vnde recte colligas, codicillos, quos deinde Imperatores, tamquam vltimae voluntatis genus, adprobarunt, nihil aliud fuisse, quam *epistolas scriptas ad heredes de eo, quod post mortem suam scribentes ab heredibus fieri vellent.* (*e*) Boehmer. *Diss. de Codicill. sine testib. valid. Cap. I.* §. 3. 4. *p.* 5. 6.

(*e*) Hinc codicilli etiam *Epistolae* vocantur *l.* 89. *pr. D. de legat. II. l.* 41. §. 2. *D. de legat.* 3. Et quamuis vulgo differentiam statuant inter codicillos et epistolas

Source : BIU Cujas

epistolas fideicommissarias, vt facit Petr. Muller. *ad Struu. Ex. XXIIII.* 68. non opus tamen esse hac subtilitate praeclare euicit laudatissimus Boehmerus *Diss. laudata I.* 7. *et* 8.

§. XII.

Eorumdem origo.

Primus eiusmodi codicillos ad Augustum scripserat L. Lentulus, (quem anno V. C. IↃCCLI. cum M. Valerio Messalino Consulem fuisse, ex Reinesii *Inscr. Class. X. n.* 3. *p.* 597. discimus,) qui Romae fecerat testamentum, et Augustum filiamque heredem instituerat, deinde decedens in Africa, scripserat codicillos, quibus aliquid ab heredibus fieri petierat. Quamuis vero ante ea tempora inauditum esset, per epistolam vel codicillos heredi aliquid iniungi, quod ei necessitatem imponeret, vltimam illam defuncti voluntatem implendi: parebat tamen Augustus Lentuli codicillis, ipsaque filia eius exemplo rubore suffusa ex iis legata praestabat. Quod principis exemplum facile imitati sunt alii. Quare Augustus, conuocatis sapientibus viris, interque eos C. Trebatio Testa, cuius tum auctoritas maxima erat, quaesiuit, an possit recipi, nec abhorreret a iuris ratione codicillorum vsus? Adnuente Trebatio et illud codicillorum institutum magnopere probante, Augustus auctoritatem illi accommodauit. Post quae tempora, quum et Antistius Labeo (qui tamen *nihil, nisi quod iustum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset, ratum pensumque habere solebat*, Gell. *Noct. Att. XIII.* 12. ac proinde magna apud omnes auctoritate, teste Tac. *Annal. III.* 75. erat,) codicillos fecisset: iam nemini dubium erat, quin iure optimo codicilli admitterentur. Ita rem refert Iustinianus ipse *princ. Inst. h. t.*

§. XIII.

Formulae codicillorum.

Non aliter vero concipi solebant codicilli ac epistolae. Hinc praemittebatur sollemnis illa, qua epistolas auspicari solebant, salutatio: *L. Titius heredibus primis et substitutis salutem. l.* 56. *D. de fideic. libert. l.* 37. *§. 2. et* 3. *D. de leg.* 3. *l.* 30. *§.* 1. *de adim. vel transf. leg.* Nec tamen semper ad heredes, sed et nonnumquam ad ipsos fideicommissarios verba dirigebantur. Cuius rei exemplum exstat *l.* 75. *pr. D. de leg.* 2. Integras formulas Latinas aeque ac Graecas magno studio collegerunt Barn. Brisson. *de Form. VIII. p.* 686. *sequ.* et Guido Pancirol. *Thesaur. Var. Lect. I.* 29.

Source : BIU Cujas

§. XIIII.

Codicilli testamento confirmati.

Confirmati tamen codicilli esse debebant testamento, vt heredi necessitas imponeretur praestandi, quod erat rogatus. Hinc testamentis inseri solebat formula: *Si quos codicillos reliquero, valere volo. l. 56. pr. D. de fideic. libert.* Alias vltimam defuncti voluntatem implere non debebat heres, nisi vltro vellet. Quod facere se solere, ait Plinius *Epist. II.* 16. Sed postea per Seueri et Antonini constitutionem illa codicillos confirmandi necessitas remissa est, modo adpareret, testatorem a voluntate, quam in codicillis expresserat, non recessisse. Ant. Faber *Coniect. XV.* 16.

§. XV.

Sollemnitatibus an opus fuerit in codicillis?

Ex his ergo facile adparet, in codicillis non magis, quam in epistolis, desideratam esse vllam sollemnitatem. §. 3. *Inst. h. t.* Non ergo testibus opus erat in codicillis testamento confirmatis, qui omnem virtutem atque efficaciam suam a testamento mutuabantur, ut recte animaduertunt Bachou. *ad tit. Inst. de fideicommiss. hered.* §. *vlt. et* Boehm. *Diss. eadem, I.* 10. Sane in Digestis numquam exiguntur testes, immo alia omnia elucent ex *l.* 8. §. 2. *D. de iure codicill.* et *l.* 89. *pr. D. de legat.* 2. Quin nec in codicillis ab intestato necessarios visos esse testes, erudite probat laudatissimus Boehmerus *Diss. ead. I.* 23. *p.* 22.

§. XVI.

Ius novum sensim introductum.

Sed et hanc antiqui iuris simplicitatem sensim peruertit sequentium Imperatorum νομοθεσία. Hac permissum, vt codicilli etiam nuncupatione, sine vlla scriptura, fierent. *l.* 8. §. 3. *C. de SS. Eccles. l.* 3. *pr. C. de bon. libert.* Id quod tamen a codicillorum indole plane abhorret. Hinc ex eo tempore etiam testibus opus visum est, quos in codicillis ab intestato primum exigit Constantinus M. vel, vt alii malunt, Constantius. (*f*) *l.* 1. *C. Theod. de testam. et codicill.* Postea Theodosius vulgo dicitur generatim in omnibus codicillis testes desiderasse, ob *l. vlt.* §. *vlt. C. de codicill.* Sed iam Iacobus Gothofredus animaduertit, comma vltimum illius legis non esse Theodosii, verum a Triboniano adsutum, quod etiam ex *l.* 7. *C. Theod. de testam. et codicill.* clarissime patet. An testes etiam in codicillis, testamento confirmatis, exegerit Iustinianus, adhuc sub iudice lis est. Plerique adfirmant ob *l.* 28. §. 1. *C. de testam. l. vlt. C. de codicillis*: Sed non contemnendis rationibus id negat laudatus Boehmerus, *Diss. ead. I.* 27. *sequ. p.* 26. *sequ.*

LIB.

(*f*) Vulgo, iam Diocletiani tempore testes adhibendos fuisse codicillis, colligunt ex *l.* 22. *C. de fideicomm.* Sed conferatur Boehm. *Diss. ead. I.* 25. *p.* 24.

Source : BIU Cujas

LIB. III. TIT. I.

DE HEREDITATIBVS, QVAE AB INTESTATO DEFERVNTVR.

QVam libera et lata fuerit Romanorum de facultatibus ſuis diſponendi facultas, ex iis, quae adhuc dicta a nobis ſunt, ſatis intelligitur. Si quis vero eo arbitrio non eſſet vſus: bona deuoluebantur ad proximas neceſſitudines, eaeque HEREDITATES vocabantur LEGITIMAE *l.* 1. 2. 3. *D. de petit. heredit. l.* 1. §. 8. *D. ad SC. Tertyll.* nec non HEREDITATES INTESTATORVM. *Auct. Collat. Leg. Moſ. et Rom. XVI.* Quum ergo antiquum ſuccedendi ordinem totum immutarint leges recentiores, et maxime *Nouella* CXVIII. operae pretium facturi videbimur, ſi antiquitates Romanas hic rimemur paullo accuratius.

§. I.

Primi omnium ſuccedebant heredes ſui.

Veteres Romani in ſucceſſione inteſtatorum non id agebant, vt heredes eſſent, quos defunctus reliquis cariores habuiſſe videretur, (quod principium poſtea Iuſtiniano placuit) ſed vt facultates penes familiam manerent, nec ad alias gentes peruenirent. Itaque non alios ad inteſtatorum hereditatem vocabant, quam qui eiuſdem eſſent gentis et familiae. V. A. Bynkershoeck *Obſ. II.* 1. Et hinc eſt, quod huiuſmodi hereditates REDIRE dicerentur; Terent. *Andr. XI.* 5. *v.* 4. *Eius morte ad me lege* REDIERVNT *bona.* Ad quae verba adpoſite Donatus: *Hic ius tractauit, dicendo:* REDIERVNT, *quia in familiam redeunt, ſi non eſt heres de proximo, aut ex teſtamento.* Primo omnium vero inteſtatorum hereditas deferebatur HEREDIBVS SVIS, idque ex legibus XII. Tabularum eſt (*a*), in quibus ita fuerat cautum: AST SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, ADGNA-

(*a*) Immo et iam antea ſub regibus heredes ſuos ab inteſtato primos omnium ſucceſſiſſe, exiſtimat Schulting. *ad* Vlpian. *Fragm. p.* 665. eaque in re diſceſſionem facit a Galuano *de Vſufruct. VIII.* 13. *ſequ.* qui hanc legem ex inſtitutis Solonis deriuare mavult.

Source : BIU Cujas

ADGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO. Paull. *l.* 9. §. 2. *D. de liber. et posthum.* Vlpian. *Fragm.* XXVI. 1. Iac. Gothofr. *Leg.* XII. *Tab. Tab. V.* 2. Non ergo singulare fuit in XII. Tabulis caput de successione suorum, nec proprie dici potest, eos ad successionem lege vocari, quia per se et ipso iure heredes erant, et ius sui heredis eos dominos quodammodo faciebat, etiam vivo parente: §. 2. *Inst. de hered. qual. et differ. l.* 11. *D. de lib. et postum.* adeo, vt eorum successio non tam hereditas esse videretur quam continuatio dominii. Cuiac. *Obs.* XXV. 14. Iac. Gothofr. *ad Leg.* XII. *Tab. Tab.* V. Ant. Fab. *de Error. pragmat. Dec.* III. *err.* 1. (*b*)

(*b*) Praecipue huc facit locus Plauti *Trinum.* II. 2. apud quem Lysiteles patri interroganti, num de suo amico subuenire vellet, respondet:

- - - - De meo.
Nam quod tuum est, meum est: omne meum est autem tuum.

§. II.

Quinam dicti heredes sui?

Vocabantur vero heredes SVI, in potestate defuncti constituti, quique proximum potestatis locum obtinebant. Tales erant et filii, et filiae. Neque enim decemuiri ea in re sequuti erant ius Atticum, quod primo ordine filios, et post eos demum filias ad hereditatem paternam admittebat: Isaeus *Orat.* VIIII. Sed ab initio vrbis filii et filiae aequo iure heredes sui erant. Periz. *de L. Vocon. p.* 133. Porro sui heredes erant nepotes et neptes ex filiis masculis, quos in potestate auus habebat, dummodo in potestatem patris non essent recasuri. Cai. *Inst.* II. 3. 6. Paull. *Recept. Sent.* IIII. 8. 4. *sequ.* Vlpian. *Fragm.* XXII. 14. Nec intererat, naturales essent hi liberi, an adoptiui. Immo et vxor, quae in manu erat mariti, et nurus, quae in manu erat filii, quem quis in potestate habebat, inter suos heredes referebantur, teste Vlpiano *Fragm.* XXII. 14. *et* Caio *apud Auctorem Collat. Leg. Mosaic. et Roman. Tit.* XVI. 2 Gell. *Noct. Att.* XVIII. 6. Dionys. Halic. II. *p.* 95. (*c*). Idem ius sequiore aeuo consequebantur liberi, siue per subsequens matrimonium, siue per curiae dationem, siue per rescriptum principis legitimati, modo hi postremi in hunc finem legitimati essent, vt succederent. §. 2. *Inst. h. t.*

§. III.

(*c*) Conf. supra *Lib. I. Tit. X. n.* 4. 6. et Pith. *ad Collat. Leg. Rom. et Mosaic. p. m.* 790.

Source : BIU Cujas

§. III.

Quin et *post mortem patris nati, vel reuersi ab hostibus, aut ex primo secundoue mancipio manumissi, cuiusue erroris caussa probata, licet non essent in potestate sui tamen patri heredes efficiebantur*, vt tradit Paull. *Recept. Sent.* IIII. 8. 7. Quem locum vt intelligamus, sciendum est, loqui eum I. de *postumis*: nam et hi sui heredes erant, quia si viuo parente nati essent, in eius potestate fuissent futuri. II. De *reuersis ex captiuitate*, qui vt omnia iura, ita et ciuitatem ac suitatem postliminio recipiebant. §. 4. *Inst. h. t.* (*d*) III. De *filiis ex primo vel secundo mancipio manumissis.* Si enim filiusfamilias emancipandi gratia alicui fuerat mancipatus, ac in huius mancipio ad tempus manserat: (quod poterat fieri,) amittebat iura suitatis. Ex primo vero et secundo mancipio manumissus, eadem recipiebat, siquidem non nisi ter venditus, et ter manumissus, a patria potestate liberabatur. Quemadmodum ergo primum et secundum manumissus, si tertia mancipatio non accessisset, testamentum patris rumpebat: Vlpian. *Fragm.* XXIII. 3. ita idem et ab intestato succedendi ius recuperabat. Cai. *Inst.* II. 8. 1. Denique et IIII. de iis loquitur Paullus, *quorum erroris caussa fuerat probata.* Per errorem scilicet nonnumquam contrahebatur matrimonium inter disparis conditionis personas, veluti si ciuis Romanus peregrinam aut Latinam, aut dedititiam duxisset, quam ciuem existimarat, aut si ciuis Romana per errorem nupsisset peregrino, vel Latino, vel dedititio. Quotiescumque id fuerat factum, cessabat suitas, siquidem liberi ex eiusmodi nuptiis procreati in potestate haud erant. Ast si erroris caussa probata erat, parentes ipsi aeque ac liberi eorumdem et ciuitatis, et familiae iura, adipiscebantur. Vlp. *Fragm.* VII. 4. Add. *Comment. nostr. ad L. Iul. et Pap. Popp.* II. 1. *p.* 117.

Suis etiam accensebantur postumi, reuersi ex captiuitate, bis mancipati, per errorem ex impari connubio procreati.

(*d*) Sin in captiuitate obiissent, fingebantur ante mortem decessisse ex lege Cornelia. Vlpian. *Fragm. XXIII.* 5.

§. IIII.

Hi ergo heredes sui omnes hereditatem partiebantur, sed ita, ut sibi filiaeque in capita, remotiores in stirpes, hoc est, in patris sui locum portionemque, succederent. §. 6. *Inst. h. t.* Nec vllum inter filios filiasque, nepotes neptesque intercedebat discrimen, quippe qui aequis portionibus, nullaque habita sexus ratione, defunctorum hereditates consequebantur, vt erudite docet Iac.

Quomodo heredes sui successerint?

Source : BIU Cujas

Perizon. *Diss. de Lege Vocon. p.* 133. *sequ.* Ast has quidem feminarum hereditates demum coercuit lex Voconia, qua praeter alia fuerat cautum, ne femina ad vllam defunctorum successionem admitteretur. Perizon. *l. c. p.* 135. Eaque lex etiam ad heredes suas et consanguineas pertinebat, adeo, vt neque vnicam filiam heredem instituere liceret: Augustin. *de Ciuit. Dei III.* 21. immo ne fidei quidem commissam hereditatem restituere ei feminae, cui destinata erat a testatore. Cicero *de Finib. II.* 17. Nec enim tantum ad testamenta haec lex pertinebat; verum etiam ad hereditates ab intestato, vt luculenter idem demonstrauit Perizonius *p.* 105. *sequ.* Hinc, quum Polybius *Excerpt. de virtut. et vit. p.* 1462. retulisset, Scipionem Africanum hereditatem maternam permisisse sororibus, statim addit, ἧς οὐδὲν αὐταῖς προσῆκε κατὰ τοὺς νόμους, *ex qua nihil ad ipsas secundum leges pertinebat.* Vbi per νόμους, *leges*, intelligenda lex Voconia. Ex quo vero lex illa Voconia oblitterata est per opulentiam ciuitatis: (Gell. *Noct. Att. XX.* 1.) mansit tamen mos, vt feminae ad hereditates legitimas saltim vltra consanguineas non admitterentur. Quod institutum ex ratione legis Voconiae deriuat. Paull. *Recept. Sent. IIII.* 8. 12.

§. V.

Inter suas heredes erant etiam vxores, quae in manum conuenerant.

Ad vxores quod attinet, eae, si in manu essent, inter suas fuisse heredes, adeoque marito successisse, iam supra §. II. obseruauimus, idque diserte tradit Dionys. Hal. II. *p.* 95. vbi eas dicit fuisse κοινωνὸς ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν, *participes omnium bonorum pariter, ac sacrorum.* Idque firmatur exemplo Laurentiae, quae mortuo marito Tarrutio, admodum locuplete, omnium bonorum eius facta est compos. Macrob. *Saturn. I.* 10. Plut. *Quaest. Rom. XXXV.* Quamuis, vtrum ex testamento, an ab intestato successerit, nondum liqueat. At postea et id mutatum, forsan quod rarius vxores in manum conuenire coepissent. Vnde inualuit, vt denique vxores non nisi ex edicto Praetoris VNDE VIR ET VXOR ad bonorum possessionem vocarentur. Qua de re infra erit agendum.

§. VI.

Ius suitatis quo pacto sublatum.

Tollebatur illud ius suitatis cum maiore ac media capitis deminutione, tum etiam emancipatione. Hinc emancipati omni hereditate excidebant, nec vllum erat medium iure ciuili proditum, ad aliquam paternarum facultatum partem consequendam. §. 9. *Inst. h. t.* Immo nec emancipatorum filii, si essent post emancipationem con-

Source : BIU Cujas

concepti, suorum heredum loco erant auo, §. 9. *Inst. quib. mod. ius patr. pot. solu.* adeoque nec hi vllam auitae hereditatis partem sortiebantur, quemadmodum nec adoptati a filio emancipato. Paull. *Recept. Sent. IIII.* 8. 12.

§. VII.

Emancipatis succurrebat Praetor.

Consuluit tamen emancipatis Praetor, naturali aequitate motus: siquidem edicto VNDE LIBERI eis dedit bonorum possessionem, non secus, ac si tempore mortis in potestate parentis fuissent. *tit. D. vnde liberi.* Quo beneficio etiam emancipatorum liberi fruebantur: non vero eorum adoptiui, qui ne quidem tanquam quasi cognati bonorum possessionem petere poterant. Paull. *Recept. Sent. VI.* 6. 12. Nec eodem Praetoris edicto vocabantur ipsi emancipati, si se aliis in adoptionem dedissent, nisi ante mortem patris iterum fuissent emancipati. Tunc enim ius Praetorium versus suum parentem recuperabant. Vlpian. *Fragm. XXVIII.* 8. §. 10. 11. *Inst. h. t.*

§. VIII.

Ius recentius, quo discrimen inter suos et emancipatos sublatum.

Ast omnia haec ius recentius correxit, quippe quo et emancipati ad parentum successionem vocantur, *Nou. CXVIII.* 1. (collatis tamen bonis antea acceptis,) et ipsi, qui se in adoptionem aliis dederunt, per *l. pen. C. de adopt.*

§. VIIII.

Nepotes ex filiabus inter cognatos succedebant.

Quae de nepotum neptiumque successione supra diximus, ea ad eos demum easue pertinent, qui quaeue et virili sexu descendebant. Nam qui ex filiabus nati fuerant, nepotes, aut ex neptibus pronepotes, ii non vna cum filiis et filiabus nepotibusque ex filiis ad successionem vocabantur, sed post adgnatorum lineam inter cognatos connumerari consueuerant. §. 15. *Inst. h. t.* Paull. *Recept. Sent. IIII.* 8. 10. Ast hoc quoque mutandum putarunt Valentinianus, Theodosius et Arcadius Impp. *l. 9. C. de suis et legit. lib.* qui iusserunt nepotes ex filia auo materno auiaeque vna cum defuncti filiis ac filiabus succedere; ita tamen, vt duas tantum partes maternae portionis acciperent, tertia penes filios filiasque maneret. Sed et id denique mutauit in *Nouella CXVIII.* 1. Iustinianus (*e*).

(*e*) Vocat id ius barbarum *principio Nouellae* XXI. quum tamen et Deus filios filiabus in hereditate praeferendos sanxerit. Num. XXVII. 8. Conf. Iac. Perizon. *ad L. Vocon. p.* 109. Selden. *de Succeſſ. Hebr. I. pag.* 2.

Source : BIU Cujas

§. X.

Heredes sui succedebant etiam ignorantes.

Id adhuc videtur monendum, suos heredes, quia ipso iure tales erant, etiam ignorantes esse hereditatem consequutos, veluti furiosos, infantes, peregrinantes, nec tutoris auctoritate pupillo, nec furiosis consensu curatoris fuisse opus, nisi forte soluendo haud esset hereditas. Paull. *Recept. Sent.* IIII. 8. 5. et 6.

TIT. II.

DE

LEGITIMA ADGNATORVM SVCCESSIONE.

DEficientibus heredibus suis, lex duodecim Tabularum ad superiorem titulum §. I. relata, ad successionem vocabat proximos ADGNATOS, et his quoque deficientibus GENTILES. Vnde de legitima ADGNATORVM GENTILIVMQVE SVCCESSIONE ad hunc titulum erit agendum.

§. I.

Adgnati quinam dicti?

Adgnatos definiunt iureconsulti, *cognatos*, *per virilis sexus personas cognatione coniunctos*, siue naturale sit id vinculum, siue ciuile, quale est adoptio. Nam et per adoptionem quis adgnationis iura consequitur. §. 2. *Inst. h. t.* Dictos vero ita putant, quasi *a patre cognatos*, §. 1. *Inst. de legit. adgn. tutela* §. 1. *Inst. h. t.* eamque etiam LEGITIMAM COGNATIONEM vocant Cai. *Inst. II.* 8. 3. *l.* 12. §. *vlt. D. de rit. nupt.* (*a*) Sed quamuis ea omnia recte se habeant, si adgnati opponantur *cognatis*: minus tamen sufficit definitio, si adgnati distinguendi sint a *gentilibus*. Nam et hi sunt cognati, per virilis sexus *personas cognatione coniuncti*, et tamen in legibus XII. Tabularum ab adgnatis seiunguntur. Quare paullo accuratius ex antiquitatibus Romanis quinam adgnati, quinam gentiles, quinam cognati denique dicti sint, erit indagandum.

(*a*) Alias tamen *legitima cognatio* ea est, quae adoptione constat, adeoque opponitur *naturali*, *l.* 4. §. 2. *D. de gradib. et affin.* Conf. Brisson. *de Verb. Sign. Lib. X.* voce *legitimae cognationes.*

§. II.

Source : BIU Cujas

§. II.

Romanorum multae erant GENTES, *patriciae* partim, partim *plebeiae* (*b*), quas accurate descripserunt Glandorpius, Ant. Augustinus, Fuluius Vrsinus, et, qui huius opus multis additamentis locupletarunt, Car. Patinus et Vaillantius. Singulae gentes nominibus suis distinguebantur, et hinc gens alia dicta est *Cornelia*, alia *Sempronia*, alia *Tullia*, alia *Cincia*, et sic porro. Quemadmodum vero fieri solet, vt gens vna in varias stirpes ac familias abeat: ita et Romae vnius gentis plures fuere familiae, quae et ipsae cognominibus suis discernebantur. Festus *p.* 292. GENS *adpellatur, quae ex multis familiis conficitur.* Sic e Cornelia gente natae sunt familiae *Scipionum*, *Lentulorum*, *Sullarum*, *Cinnarum*, *Cossorum*, *Dolabellarum.* Denique, quum et familiae denuo in nouas stirpes abirent, factum est, vt et hae *agnominibus* secernerentur. Sic gens *Virginia* in plures familias abiit: hinc cognomina *Tricostorum*, *Rufforum*, &c. Tricostis iterum in diuersas stirpes diuisis, nata inde sunt agnomina *Rutilorum*, et *Caelimontanorum.* Et inde est, quod Romani tot vsi sint nominibus, quorum primum, quod personae proprium erat, *praenomen* (*c*); secundum, quod vniuersae genti commune, *nomen*; tertium, quod familiam ex ea gente notabat, *cognomen*; et quartum denique, quod stirpem plerumque eius familiae, vel aliquam rem gestam, vel fatum habitumue corporis, aut animi, indicabat, *agnomen* dicebatur. Sic in nomine A. VIRGINIVS TRICOSTVS CAELIMONTANVS, *Aulus* erat *praenomen*, huic viro *proprium*: *Virginius nomen* gentilitium: *Tricostus cognomen*, familiam illam gentis Virginiae, ex qua Aulus prodierat, designans: Romanorum gentes, familiae, nomina.

(*b*) Equidem antiquissimis reipublicae temporibus soli patricii gentem habere dicebantur. P. Decius apud Liuium X. 6. *Semper ista audita sunt eadem, vos solos gentem habere.* Hinc etiam patricii alii *maiorum*, alii *minorum gentium* dicebantur. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I. 7. p.* 109. At postremo quum honores, auspicia, connubia, cum plebe communicarentur: etiam gentilia iura acceperunt plebeii. Vnde aliae gentes patriciae, aliae plebeiae.

(*c*) Singulare id fuit in gente Sulpicia, quod duplici saepe praenomine vsa sit, altero communi *Seruius*, altero proprio singulis: e. g. *Caius*; Fulu. Vrsin. *de Famil. Rom. p.* 268. quamuis errare videatur vir doctissimus, quum id semper in gente Sulpicia obseruatum esse, existimat. Nam celeberrimus iureconsultus vno plerumque *Seruii* cognomine vsus est, nec duo habuisse videtur viris doctissimis, et maxime V. C. Euer. Ottoni *in vita Seruii Sulpicii Cap. I. §. 4. Tomo V. Thesaur. iur. p.* 1561.

Source : BIU Cujas

denique *Caelimontanus agnomen*, quod certam illius familiae ſtirpem denotabat. Vid. Car. Sigon. *de Nom. Rom. p.* 1403. *et* 1427. *edit. Dionyſ. Gothofr.* Iam facile ergo patet, quinam fuerint ADGNATI, quinam GENTILES dicti? Quicumque ex eadem ſtirpe familiaque prodierant, vocabantur adgnati. Sic P. Cornelio Scipioni omnes Scipiones erant adgnati. Quicumque vero ex eadem Cornelia gente deſcenderant, veluti Lentuli, Coſſi, Cinnae, Sullae, Dolabellae, ei erant gentiles. Hinc Cicero *in Topic. VI.* GENTILES *ſunt, qui inter ſe eiuſdem nominis ſunt, qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, qui capite non ſunt deminuti.* Et Feſtus voce *Gentilis p.* 292. GENTILIS *dicitur, et ex eodem genere ortus, et is, qui ſimili nomine adpellatur, vt ait Cincius: Gentiles mihi ſunt, qui meo nomine adpellantur.* Adparet ergo, gentiles eſſe omnes, qui eodem nomine vtuntur. Quod vero Cicero addit, *qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit*, inde factum eſt, quod et liberti patronorum nomina aeque, ac cognomina, adſumebant, qui tamen ideo non erant gentiles. Sic *P. Terentius Afer* non fuit Terentiorum gentilis, quia ipſe non erat ingenuus, quemadmodum et *Tiro* non ideo erat M. Tullii adgnatus, quia et ipſe id cognomen adſumſerat. Denique idem Cicero addit, gentiles non debere eſſe *capite deminutos.* Capitis enim deminutio, etiam minima, ceu ſupra dictum, familiae iura perimebat.

Quinam adgnati? quinam gentiles?

§. III.

Lex XII. Tabularum de ſucceſſione adgnatorum.

Iam vt ad ipſam adgnatorum ſucceſſionem veniamus: de ea ita cautum fuerat in legibus XII. Tabularum. AST SI INTESTATVS MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, ADGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO. Non ergo vocabantur adgnati, niſi deficientibus heredibus ſuis (*d*). Nec omnibus ſimul adgnatis lex dabat hereditatem, ſed ei tantum, qui tunc, quum certum eſſet, aliquem inteſtato deceſſiſſe, proximo gradu erat. Qua in re adeo legis litterae inhaerebant iuris interpretes, vt ſi proximus adgnatus omiſiſſet, vel ante aditam hereditatem deceſſiſſet, non daretur ad hereditatem acceſſus remotioribus (*e*). §. 7. *Inſt.*

(*d*) Et ita quidem deficientibus, vt ne ſpes quidem ſupereſſet. Nam *quamdiu ſuus heres ſperatur heres fieri poſſe, tamdiu locus adgnatis non eſt, veluti, ſi vxor praegnans, aut filius apud hoſtes ſit.* Vlp. *Fragm. XXV.* 3.

(*e*) Exiſtimant quidem Alexander et Iac. Oiſel. *ad* Caium ibid. adgnatum

Source : BIU Cujas

7. *Inſt. h. t.* Cai. *Inſt. II.* 8. 4. Paull. *Recept. Sent. IIII.* 8. 23. Vlpian. *Fragm. XXV.* 5. Fabrott. *ad Theoph. §. 7. de legit. adgn. ſucc.*

tum remotiorem iure ciuili excluſum, a Praetore vocatum edicto *vnde cognati*: ſed id quidem non fiebat, niſi ſimul eſſet proximus adgnatus. Adgnato enim proximo non veniente, ſucceſſiue cognati vocabantur, vt recte obſeruat Schulting. *Iuriſpr. ant. p. 139.*

§. IIII.

Plures eiuſdem gradus adgnati ſuccedebant in capita.

Sin plures eiuſdem gradus eſſent adgnati, omnes ſuccedebant in capita, ſiue maſculi eſſent, ſiue mulieres. Neque enim XII. Tabulae vllum inter ſexus hac in re ſtatuerant diſcrimen, vt recte animaduertit IVSTINIANVS §. 3. *Inſt. h. t.* et Paull. *Rec. Sent. IIII.* 8. 22. Poſtea autem excluſae ſunt adgnatae omnes, praeterquam ſorores. Vnde Paullus *Recept. Sent. IIII.* 8. 22. *Feminae ad hereditates legitimas vltra conſanguineas ſucceſſiones non admittuntur.* Add. Vlp. *Fragm. XXV.* 6. Quam mutationem iuriſprudentiae mediae adſcribit Imperator *d.* §. 3. Paullus vero id iure ciuili *Voconiana ratione* introductum eſſe, dicit. Quod quomodo ſit intelligendum, erudite exponunt Perizon. *Diſſ. de lege Vocon. p.* 106. *ſequ.* Schulting. *Iuriſpr. antiqu. p.* 412. Tamen et his conſuluit Praetor, edicto *vnde cognati* eas ad ſucceſſionem vocans. *d.* §. 3. *h. t.*

§. V.

Quo iure ſucceſſerint patres emancipatis liberis?

Non adgnationis, ſed patronatus iure etiam ſuccedebant patres liberis emancipatis, quos contracta fiducia emancipauerant. §. 8. *Inſt. h. t.* Quod eleganter explicat Caius *Inſt. I. 6. 3. Tamen quum tertio mancipatus fuerit filius a patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, vt ei a fiduciario patre remancipetur, et a naturali patre manumittatur: vt, ſi filius ille mortuus fuerit, et in hereditate naturalis pater, non fiduciarius, ſuccedat.* Succedebat ergo pater filiis emancipatis, tanquam patronus, vel manumiſſor, ſi interpoſuiſſet illam fiduciam. Sin eam omiſiſſet, ſuccedebat eodem iure pater fiduciarius. Praetor tamen deinde, aequitate naturali motus, patrem naturalem vocauit ad bonorum poſſeſſionem edicto *vnde decem perſonae.* §. 1. *et* 2. *Inſt. de bon. poſſ.*

§. VI.

Mutationes nouo iure inuectae.

Sed haec omnia denuo mutauit ius recentius, a Iuſtiniano maxime introductum. Nam primo confuſa ſunt adgnationis et cogna-

Source : BIU Cujas

cognationis iura. *Nou.* CXVIII. 4. Deinde et remotiores adgnati, propioribus hereditatem repudiantibus, vocati postea sunt per constitutionem, cuius meminit Imperator. §. 7. *Inst. h. t.* Porro ad adgnatas quod attinet, iis idem ius dedit Iustinianus, quo adgnati gaudebant, quamuis illae haud essent consanguineae. *l. pen. C. de legit. hered.* Denique et fiducia non amplius opus erat, postquam Iustinianus, edita constitutione, voluit, vt emancipationes semper, interposita fiducia factae, fingerentur. §. 8. *Inst. h. t.* Immo omnem quae inter suos et emancipatos intercedebat, differentiam ratione successionis plane sustulit idem Iustinianus *Nou.* CXVIII. 2.

§. VII.

Successio gentilium.

Deficientibus adgnatis, ex legibus XII. Tabularum vocabantur GENTILES. Ita enim Decemuiri: SI ADGNATVS NEC ESCIT, GENTILES FAMILIAM HABENTO. Vlp. *Fragm. XXV.* 1. Processit ergo lex XII. Tabularum a domo ad familiam, a familia ad gentem, ex ea procul dubio ratione, vt ne bona, si cognati succederent, in aliam gentem transferrentur. Bynkersh. *Obs.* II. 1. Meminit huius gentilium successionis adhuc Cic. *de Orat.* I. 38. vnde colligas, eius tempore gentilitias successiones nondum in desuetudinem abiisse, quemadmodum et de Caesare refert Sueton. *Iul.* I. eum a Sulla *vxoris dote, et gentilitiis hereditatibus, mulctatum.* Sed eas procul dubio aboleuit Praetoris edictum, quo et cognati succedere iussi sunt. Sane sua iam aetate obsoleuisse illam gentilium successionem, testantur Vlpian. ibid. et Caius apud *Auct. Collat. Leg. Mos. et Rom. XVI.* 2.

TIT. III.

DE

SENATVSCONSVLTO TERTVLLIANO.

QVum matres liberos non haberent in potestate, nec adgnatis possent accenseri, nisi conueniissent in manum: consequens erat ex iuris Romani principiis, vt nec mutua esset inter matres liberosque successio. At postea hoc visum est ab aequitate pietateque abhorrere. Vnde vtrisque consultum est a posterioribus legislatoribus, et maxime duobus SCis, de quibus hoc, et insequente titulo, vberius agendum.

§. I.

Source : BIU Cujas

§. I.

Primus Praetor liberos ad matris, et hanc ad illorum ſucceſſionem vocauit.

Ac primum quidem Praetor, naturalem ſequutus aequitatem, matres ad liberorum, liberoſque ad matrum ſucceſſionem vocauit edicto *vnde cognati. princ. Inſt. h. t.*

§. II.

Poſtea et Claudius matribus hoc beneficium indulſit.

Poſtea et Claudius Imperator, miſertus materni luctus, in ſolatium amiſſorum filiorum legitimas matribus detulit eorum hereditates. §. 1. *Inſt. h. t.* Quo vulgo referunt locum Suetonii *in Claud. XVIIII. Naues mercaturae cauſſa fabricantibus magna commoda conſtituit, pro conditione cuiuſque: ciui vacationem legis Papiae Poppaeae, Latinae ius Quiritium, feminis ius quatuor liberorum.* Sed locus hic referri non poteſt ad ius ſuccedendi, matribus trium quatuorue liberorum in bonis filiorum datum, quum id demum Hadriani temporibus inductum ſit: ſed ad liberationem a tutela, mulieribus eiuſmodi conceſſam, teſte Vlpiano *Fragm.* XXVIIII. 3. Schulting. *Adnot. ad h. l. p.* 677. Probabile eſt, quod obſeruauit Cui. ac *Not. poſteriorib. ad* §. 1. *Inſt. h. t.* et cum eo Ianus a Coſta, perſonale magis fuiſſe illud Claudii beneficium, quam ius omnibus commune mulieribus.

§. III.

Senatusconſulti Tertulliani hiſtoria.

Tandem aſperam illam iuris ciuilis ſubtilitatem plane ſuſtulit SC. TERTVLLIANVM, cuius de aetate in tanta faſtorum conſularium obſcuritate vix licet certi quidquam ſtatuere. Diui Hadriani temporibus illud factum eſſe dicitur. §. 2. *Inſt. h. t.* Sed quia, imperante Hadriano, nullus in faſtis occurrit Tertullius conſul, quum contra ſub Antonino anno Chriſti CLVIII. memorentur *Tertullus et Sacerdos Coſſ.* dudum ſuſpicatus eſt Cuiacius in *Not. priorib. ad Inſt. h. t.* (*a*) in illo inſtitutionum paragrapho intelligendum eſſe Antoninum Pium, qui et ipſe aliquando ductum ex adoptione nomen *Hadriani* prae ſe tulerit. Vid. *l.* 37. *D. de iudic. iunct. l.* 5. §. 1. *D. ad L. Iul. de vi publ. l.* 91. *D. ad L. Falcid. iunct. l.* 93. *D. eod. l.* 58. §. 3. *D. ad SC. Trebell.* (*b*) Sed dubito, an haec omnia rem conficiant.

(*a*) Ita etiam Hotom. *de Leg. p. m.* 157. Vinc. Grauina *de Legib. et SC. LXXXIII. p.* 655. *ſequ.*

(*b*) Addit Cuiacius aliud exemplum, epiſtolam nimirum D. Hadriani de beneficio diuiſionis fideiuſſoribus conceſſo. §. 4. *Inſt. de fideiuſſ. l.* 26. *D. de fideiuſſ.* Nam et hanc D. Pii eſſe exiſtimat, ob *l.* 49. §. 1. *D. de fideiuſſ.* Sed falſum id eſſe, vel inde

Source : BIU Cujas

ficiant. Nullus sub Hadriano in fastis occurrit Tertullus consul: sed quis nescit, plures vno anno suffectos fuisse, quorum rarius meminerint fasti consulares? Sane in ipso iure nostro laudantur *Tertullus et Maximus Coss. l. 29. §. 5. D. ad leg. Iul. de adult.* quorum nec fasti faciunt mentionem, nec annus ipse certus est. Rarissimum deinde hoc, quod Hadriani et Antonini nomina confundantur: nec temere vnus pro altero videtur intelligendus. Iuuare Cuiacium videri posset Zonaras *XII. p. 593.* qui ait, legem esse Antonini Pii, qua statutum sit, vt liberis intestato mortuis, parentes succederent, ac liberi, si ipsi liberis carerent, parentibus partem legitimam relinquerent. Sed ea omnia falsa esse, nemo, historiae iuris paullo peritior, potest ignorare (*c*). Nam et patri multo ante Pii tempora successio ab intestato data est etiam in bonis filii emancipati, eique iam antea competiit querela inofficiosi, et ius quoque quartae ad excludendam inofficiosi querelam antiquius esse, iam supra obseruauimus ad *Lib. II. Tit. XVIII. XVIIII. §. 7.*

inde intelligitur, quod illa D. Hadriani Epistola edicto perpetuo fuit comprehensa. Paull. *Recept. Sent. I. 21. 1.* adeoque eam iam ante Antonini Pii imperium exstitisse oportet.

(*c*) Idem sentiendum de narratione Chronici Paschalis *ad an. CLXXVI.* vbi tum constitutum esse ait auctor, vt ab intestato pater liberis succederet, ac filio ingrato προσγχιον relinqueretur ex bonis paternis. Sed quam raro historici recentiores ea, quae ad ius pertinent, accurate exponant, iam a Iac. Gothofredo ostensum est *ad L. 1. C. Theod. de infirm. poen. coelib. et orbit.*

§. IIII.

Eius aetas.

Quare tutissimum videtur, statuere, SC. Tertullianum omnino Hadriani temporibus fuisse confectum, consulum vero suffectorum, sub quibus id factum, periisse memoriam, nec adeo certum annum ei facile posse adsignari. Id modo exploratum videtur, Tertullianum SC. Orphitiano esse antiquius, priusque matribus de bonis liberorum quam liberis de bonis maternis fuisse prospectum. Cuius rei rationem, quam sese ignorare fatetur Vinnius *ad princ. Inst. de SC. Orphit.* hanc esse suspicatur V. C. Ant. Schultingius *ad Vlpian. Fragm. XXVI. 8. p. 669.* quod mater, si voluerit, pietatis officio per testamentum potuerit satisfacere: id quod per aetatem saepe non licuerit liberis. Quia ergo saepius liberorum hereditate exciderint matres, quam materna liberi: mirum haud esse putat laudatissimus Schultingius, quod prius de matrum, quam de liberorum, successione cogitarit Senatus.

§. V.

Source : BIU Cujas

§. V.

Ceterum SC. illo Tertulliano cautum est, vt mater ingenua trium, libertina quatuor liberorum ius habens, ad bona filiorum filiarumue admitteretur intestato mortuorum, licet ea in potestate parentis esset, ita tamen, vt si alieno iuri subiecta esset, iussu eius adiret hereditatem, cuius iuri esset subiecta. §. 2. *Inst. h. t.* Eiusdem materia.

§. VI.

Indulgetur ergo id beneficium matri, non item auiae, ceu diserte verbis tradit Iustinianus. §. *eod.* Neque omnes matres eo beneficio gauisae sunt: sed quae ius liberorum habebant, de quo supra ad LIB. I. TIT. XXV. §. 2. *sequ.* egimus. Et ingenuis quidem matribus tribus; Latinis, ius Quiritium consequutis totidem; libertinis quatuor liberis opus erat, si vellent succedere in bonis liberorum. Iul. Paull. *Recept. IIII.* 9. 1. *et* 7. 8. Porro hos liberos fuisse oportebat viuos (*d*), et quidem vel septimo pleno, vel decimo mense natos, siquidem immaturi non proderant, quemadmodum nec tergemini vno partu editi (*e*), nec monstrosi aut prodigiosi (*f*), nec abortus abactique infantes proficiebant. Paull. *loc. cit.* §. 1. *seq.* Defectus tamen omnes, quin et ipsam orbitatem supplebat beneficium principis, quo etiam ius liberorum consequebantur eae, quae nunquam peperissent: de quo supra LIB. I. TIT. XXV. *n.* 8. diximus. Quae matres ex hoc SC. successerint liberis?

(*d*) Mortui enim non proderant, vt nec in lege Papia Poppaea. *l.* 129. *D. de V. S.*

(*e*) Nisi per interualla infantes exclusi: qualia exempla sunt *l.* 3. *D. si pars hered. pet.* et apud Plin. *Hist. Nat. VII.* 11.

(*f*) Secus ac in lege Papia Poppaea, secundum quam etiam monstrosi partus numerum liberorum supplebant. *l.* 135. *D. de V. S.* Iac. Gothofr. *ad L. Pap. c. XII.* Sed in promtu causa est, siquidem in lege Papia de damno vitando, in SC. Tertulliano de captando lucro agebatur.

§. VII.

Obseruandum etiam est, anteferre hoc SC. matri liberos defuncti, omnesque, qui ei heredum suorum loco sunt, siue primi gradus siue vlterioris, quin et emancipatos, quippe quos et Praetor ante matrem ad bonorum possessionem vocabat. Praeferebatur etiam pater, ad quem ipsa lege hereditas bonorumue possessio edicto *vnde legitimi*, vel *vnde decem personae* pertinebat. Denique et frater consanguineus matri praeferebatur, quin et adoptiuus. *l.* 1. §. *vlt. D. de suis et legit. hered.* Soror vero consanguinea non Quinam matribus praelati?

Source : BIU Cujas

excludebat matrem, sed simul cum ea adibat hereditatem pro dimidia, si filia decessisset: ast, si filius, pro virili. *l.* 2. *C. Th. de sec. nupt.* Quae omnia breuiter, ast accurate, complexus est Vlpian. *Fragm. XXVI.* 8.

§. VIII.

Mutationes iure nouo invectae.

Sed haec omnia suo more immutauit Iustinianus. Nam praeterquam quod trium quatuorue liberorum ius noluit amplius a matribus desiderari, fratres etiam tam consanguineos quam vterinos matres excludere vetuit. *Nou.* CXVIII. 2. Quae omnia a doctoribus vberius ad hunc titulum ipsamque Nouellam istam solent explicari.

TIT. IIII.

DE

SC. ORPHITIANO.

QVemodmodum matribus consultum fuerat SC. Tertulliano, ita liberi ad successionem in bonis maternis vocantur SC. ORPHITIANO (*a*), de quo hoc titulo differendum.

(*a*) Alterius SC. Orphitiani, quod ad manumissiones pertinuit, meminit Paullus *Recept. Sent. IIII.* 14. 1. quod idem esse cum hoc, putat Guil. Ranchin. *de Succeſſ. ab inteſt. §. V.* 2. diversum a nostro mauult Schulting. *Iurisp. ant. p.* 427. cuius sententia videtur verosimillima, quia vix intelligas, quid commune inter se habeat manumissio, et successio liberorum in bonis maternis.

§. I.

Ex legibus XII. Tabularum matris inteſtatae hereditas non pertinebat ad liberos.

Ex legibus XII. Tabularum ad liberos matris inteſtatae hereditas haud pertinebat, quia feminae suos heredes non habebant. Vlpian. *Fragm. XXVI.* 7. Immo nec locus erat bonorum possessioni *vnde liberi* ad obtinenda bona materna: siquidem haec tantum suis dabatur, vel iis, qui sui mansissent, nisi fuissent emancipati, *l.* 1. *§. 6. D. vnde liberi.*

§. II.

Source : BIU Cujas

§. II.

Poterant tamen liberi vti querela inofficioſi.

Poterat tamen contingere, vt liberis liceret maternam petere hereditatem, aut querelam inſtituere inofficioſi teſtamenti, etiam antequam liberi SC. Orphitiano ad ſucceſſionem in maternis bonis vocarentur. Quando enim matres a patribus fuerant emancipatae, adeoque nullos habebant adgnatos, liberis ab inteſtato competebat bonorum poſſeſſio, *vnde cognati*: qua impetrata, omnino teſtamentum matris poterant impugnare, quemadmodum idem licebat aliis, quibus haec bonorum poſſeſſio fuerat data. *l. 6. pr. D. de inoffic. teſt.* Sin in manum conueniſſent matres, liberis ſuis erant loco conſanguinearum, et hinc etiam hoc caſu liberi tanquam proximi heredes ab inteſtato, hereditate adita, procul dubio poterant materna teſtamenta querela inofficioſi impugnare, arg. *l. 7. D. eod.* Et talia fuere exempla querelae inofficioſi aduerſus matrum teſtamenta motae, ante SC. Orphitianum, quorum meminit Valer. Max. VII. 8. 2. VII. 7. 4. Plin. *Epiſt.* V. 1. Vid. Schulting. *Iuriſpr. ant. p. 668.*

§. III.

Sc. Orphitiani hiſtoria.

Sed praecipue liberis conſultum eſt SC. ORPHITIANO, facto Rufo et Orphito Coſſ. *princ. Inſt. h. t.* Atqui Iulianus Rufus et Gavius Orphitus (*b*), vel, vt in faſtis Hub. Golzii *ad ann.* IↃCCCCXXX. vocantur, Vettius Rufus et Cornelius Scipio Orphitus, faſces tenuere anno V. C. IↃCCCCXXXI. Chriſti CLXXVIII. teſte Henr. Noriſ. *Epiſt. Conſul. p. 462. Tom. XI. Theſ. Ant. Rom.* Vnde conſtat, eodem anno prodiiſſe illud SC. Anteceſſit illud Imperatorum Antonini et Commodi Oratio, in Senatu recitata, cuius meminit Vlpian. *Fragm.* XXVI. 7. Qua de re Iul. Capitolin. *vit. Marci Anton.* XI. *M. Antoninus etiam leges addidit de viceſima hereditatum, de tutelis libertorum, de bonis maternis, et item de filiorum ſucceſſionibus pro parte materna.* Vltima etiam lex non alia eſt, quam SC. Orphitianum, quod et alias ſoli M. Antonino tribuitur. *l. 9. D. ad SC. Tertull. et Orphit. l. 6. D. eod. l. 230. D. de verbor. ſignif.*

(*b*) *Orphitianum* an *Orphicianum* ſcribendum ſit, nondum conſtat. *Orphitorum* cognomen in antiquitate notiſſimum. Tamen et Q. ORPHICI mentio fit in Inſcriptione apud Gruter. p. IↃLXXV. 1.

§. IIII.

Eius materia.

Ceterum hoc SC. data eſt tam filio, quam filiae, legitima matris hereditas, etiamſi alieno iuri ſubiecti ſubiectaeue eſſent, ita, vt

Source : BIU Cujas

praeferrentur consanguineis et adgnatis defunctae matris. *pr. Inst. h. t.* Liberis vero omnibus hoc concessum beneficium, etiam vulgo quaesitis, quippe quorum mater incerta esse haud potest. §. 3. *Inst. eod.* Paull. *Recept. Sent. IIII.* 10. 1. Nec capitis deminutione perimebantur istae successiones. §. 2. *Inst. eod.* Quod tamen de minima intelligendum. Nam ad filiam, quae vel ancilla, vel liberta ex SC. Claudiano fuerat facta, non magis, quam ad Latinos et peregrinos, legitima illa matris intestatae hereditas pertinebat. Paull. *ibid.* §. 2. 3.

§. V.

Quo pacto liberi ex hoc SC. matris heredes facti?

Quamuis vero liberi patri ipso iure heredes essent: (vide supra *Lib. III. Tit. I.* §. 1.) matris tamen illi heredes fiebant non ipso iure, sed vel aditione hereditatis simplici, vel bonorum possessionis petitione, vel cretionis sollemnitate. Paull. *Recept. Sent. IIII.* 10. 4. *et ibi.* Cuiac. immo et pro herede gestione maternam hereditatem adquirere potuisse filium, ex *l.* 3. C. *ad SC. Orph.* patet.

§. VI.

Mutationes nouo iure invectae.

At ne hoc quidem SC. mutatione caruit. Primo enim constitutionibus illud ad nepotes etiam et pronepotes prolatum est. §. 1. *Inst. h. t. l.* 11. *C. de suis et legit. lib.* Deinde et vulgo quaesitos eo tantum casu matribus succedere passus est Iustinianus, si haec non sit illustris, nec alios liberos habeat legitimos. *l. pen. C. ad SC. Orphit.* Denique vsus huius SC. plane obsoleuit, ex quo per *Nou.* CXVIII. 1. liberi matri patrique eodem iure succedere coeperunt.

TIT. V.

DE

SVCCESSIONE COGNATORVM.

DEficientibus suis et adgnatis proxime ad successionem vocabantur COGNATI, cuius iuris originem ad hunc titulum ex antiquitatibus repetere iuuabit.

§. 1.

Source : BIU Cujas

§. I.

Leges XII. Tabularum nullam habebant cognatorum rationem, quidquid in contrarium nitatur M. Vertran. Maurus *de iure liber. XXVII.* Quamuis enim apud Paullum *Recept. Sent. IIII.* 8. 22. legamus: *Ceterum lex XII. Tabularum nulla discretione sexus cognatos admittit*: recte tamen Kittershusius *ad h. t.* et Iac. Gothofr. *ad LL. XII. Tab. Tab. V.* obseruarunt, in mendo cubare illum Paulli locum, legendumque esse non *cognatos*, sed *adgnatos*. Sane praeter heredes suos, adgnatos, et gentiles, nullus iure decemuirali succedendi ordo proditus legitur.

An cognatos ad successionem vocarit Lex XII. Tabularum.

§. II.

Tota ergo illa succedendi ratio e iure praetorio descendit, quo bonorum possessio ex edicto VNDE COGNATI promittebatur cognatis, si sui heredes adgnati deficerent, ceu obseruat ipse Imperator *princ. Inst. h. t.*

Cognatorum successio ex iure praetorio est.

§. III.

COGNATI quinam vocentur, notum est, scilicet qui propinquitate sanguinis etiam per feminas coniunguntur. *l. vlt. §. 2. D. de gradib.* Per adoptiones contingebat adgnatio ciuilis, quae tamen non cognationis, sed adgnationis iura tribuebat. *l. 4. §. 2. D. de gradib.* Sed et vulgo quaesiti, qui nullos adgnatos habebant, cognatos tamen suos habere poterant: non vero serui saltim ratione successionis, quia seruilium cognationum in successionibus nulla habebatur ratio, *l. 1. §. 2. D. vnde cognati.* adeo, vt ne per manumissionem quidem cognationem reciperent. *l. 7. D. eod.*

Quinam cognati?

§. IIII.

Cognatorum loco etiam habebantur adgnati, minimam capitis deminutionem passi, exceptis fratribus et sororibus emancipatis, non tamen etiam liberis eorum, qui vna cum fratribus, in potestate retentis, succedebant pro portionibus dimidiis. (*a*) §. 1. *Inst. h. t.*, ibique Theophilus.

Iis etiam accensi adgnati capite deminuti.

(*a*) Hoc tamen non ex Praetoris edicto est, sed ex lege Anastasiana, cuius mentio fit *l. 4. C. de legit. tutor. l. vlt. de legit. hered.*

§. V.

Quamuis vero etiam cognati gradu tantum proximi ad successionem vocarentur: non vltra septimum tamen gradum hoc Praetoris beneficium sese porrigebat, siquidem e septimo gradu vocati ban-

Ad quotum gradum succeserint cognati?

Source : BIU Cujas

bantur sobrino sobrinaue nati nataeue, §. *vlt. Inst. h. t.* quum adgnati non solum ad decimum vsque gradum, sed in infinitum, vocarentur. Franc. Duaren. *Comment. ad tit. vnde cognati. p.* 580.

§. VI.

Ius novum. Sed et haec omnia mutauit iurisprudentia Iustinianea. Ex quo enim per *Nou.* CXVIII. 4. cognati adgnatis per omnia sunt aequiparati: isto Praetoris beneficio non amplius opus fuit: nec ad septimum tantum gradum, sed in infinitum, cognati aeque, atque adgnati, admitti coeperunt.

TIT. VI.

DE

GRADIBVS COGNATIONVM.

QVum *stemmata* COGNATIONVM in quaestionibus de successione soleant numerari: operae pretium se facturum credidit Tribonianus, si de gradibus cognationis singulari titulo ageret.

§. I.

Gradus vnde dicti? GRADVS vero dictos docet Paullus *l.* 10. §. 10. *D. h. t. a similitudine scalarum, locorumque procliuium, quos ita ingredimur, vt a proximo in proximum, id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus.* Tota illa lex prolixissima decerpta est ex Paulli *libro singulari, de gradibus, et adfinibus et nominibus eorum*, quem libellum Paulli, lege ista non multo prolixiorem, integrum in amici cuiusdam sui bibliotheca exstitisse, refert Cuiac. *Obs. IIII.* 40.

§. II.

Lineae quid et quotuplices? LINEAS concipiebant duas, DIRECTAM alteram, alteram TRANSVERSAM, quarum illa genitores et genitos, haec e latere iunctos, comprehendit. Illa iterum in SVPERIOREM et INFERIOREM distinguebatur. In his vero lineis ita numerabant personas, vt semper generata persona nouum gradum adiiceret. *princ. et* §. 7. *Inst. h. t.*

§. III.

Linea directa superior. In linea directa superiore, primo gradu erant *pater* et *mater*: secundo *auus* et *auia*: tertio *proauus* et *proauia*: quarto *abauus* et

Source : BIU Cujas

et *abauia*: quinto *atauus* et *atauia*: sexto *tritauus* et *tritauia*: septimo et reliquis gradibus propria nomina deficiunt, iique communi vocabulo *maiores* adpellantur. *l.* 10. §. 7. *D. h. t.* In linea inferiore, primo gradu erant *filii* et *filiae*: secundo *nepotes* et *neptes*: tertio *pronepotes* et *proneptes*: quarto *abnepotes* et *abneptes*: quinto *atnepotes* et *atneptes*: sexto *trinepotes* et *trineptes*: septimo gradu denuo nomina cognationum propria exspirant, et remotiores descendentes *posteri* vel *posteriores* dicuntur. *d. l.* 10. §. 7. *eod.* Denique in linea transuersa numerabantur SECVNDO gradu *fratres* et *sorores*: TERTIO *fratris sororisque filii* et *filiae*, (*a*) *patruus*, *amita*, *auunculus* et *matertera*; QVARTO *fratris* et *sororum nepotes*, *neptes*, *fratres patrueles*, *sorores patrueles*, *consobrini* et *consobrinae*, *amitini* et *amitinae*, *patruus magnus* et *amita magna*, *auunculus magnus*, et *matertera magna*: QVINTO, *fratris* et *sororis pronepotes* et *proneptes*, *fratris patruelis*, *sororis patruelis*, *amitini*, *amitinae*, *consobrinorum consobrinarumue filii*, *filiae*, *propior sobrino sobrina*, (*b*) *propatruus*, *proamita*, *proauunculus*, *promatertera*: SEXTO *fratrum sororumque abnepotes* et *abneptes*, *fratris patruelis*, *sororis patruelis*, *amitini*, *amitinae*, *consobrini*, *consobrinae nepos*, *neptis*: *patrui magni*, *amitae magnae*, *auunculi magni*, *materterae magnae nepos*, *neptis*: *propatrui*, *proamitae*, *proauunculi*, *promateterae filii*, *filiae*, *abpatruus*, *abamita*, *abauunculus*, *abmatertera*. Reliqui gradus denuo propriis nominibus destituuntur. §. 7. *Inst. h. t.* Paull. *Recept. Sent. IIII.* 11. 1. *sequ.*

Inferior.

Transuersa.

(*a*) Propriis nominibus et hae cognationes destituuntur. Vid. Plaut. *Poenul. V.* 2. Paull. *l.* 10. §. 14. *D. de grad.* Vulgo tamen vocantur *nepotes*. Vid. Casaub. *ad Spartian. Hadr. II.*

(*b*) Id est patrui magni, amitae magnae, auunculi magni et materterae magnae filii filiae. Conf. Theod. Ryck. *ad* Tacit. *Annal. XII.* 64.

§. IIII.

Quum vero haec omnia difficilius concipiantur: in schemate quodam veteres iureconsulti solebant rem omnem ob oculos ponere. Quale etiam Institutionibus suis inseruerat Iustinianus, secundum §. *vlt. Inst. h. t.* et in paraphrasi Theophilus, quod tamen vtrumque periit. At plura tamen eiusmodi schemata antiqua supersunt. Tria elegantissima dedit Isidorus Hispalensis *Orig. VIIII.* 7. *p.* 1059. *sequ. edit. Dionys. Gothofr.* quorum primum scalarum, alterum arboris, tertium rotae refert imaginem. Alia huius generis in scriniis suis habuit Cuiacius, quorum vnum, codici cuidam

Schema graduum cognationis.

Source : BIU Cujas

Theodosiano praemissum, edidit *Lib. VI. Obs. Cap. XXXX. p. m.* 268. quod licet non nisi adgnatos complectatur, dignum tamen videtur, quod et hic ponatur ob oculos, vt modus ille veterum delineandi gradus adgnationis eo rectius intelligatur.

TAB. A.

TIT. VII.

DE SERVILI COGNATIONE.

CVm Vinnius, tum ceteri fere omnes, notant, in plerisque Msc. et in Graeca paraphrasi hunc locum nullam nouam inscriptionem habere, sed cohaerere titulo praecedenti. Nos tamen insuper habita illa χρίσει, pauca tantum delibabimus, quae ad antiquitates facere videbuntur.

§. I.

Nulla cognatio seruilis.

SERVORVM nulla olim cognatio intelligebatur in caussa successionis. Quamuis enim in nuptiis contrahendis etiam iure antiquo seruilis cognationis ratio haberetur, eaque nuptiis esset impedimento, si forte pater et filia, frater et soror essent manumissi: §. 10. *Inst. de nupt. l.* 14. §. 2. 3. *D. de ritu nupt.* in successionibus tamen naturalis illa seruorum cognatio insuper habita est. *l. vlt.* §. 5. *D. de grad. et adfinit.*

§. II.

Libertis succedebant sui, et deinde patroni ex lege XII. Tabularum.

Neque id solum de seruis ipsis nondum manumissis intelligendum, qui nec successorem habere, nec alteri succedere poterant: *l.* 4. *C. comm. de succes.* sed et de LIBERTINIS. Nam et his defunctis sui tantum heredes, non vero adgnati vlli aut cognati, ad successionem vocabantur. Deficientibus suis, proximi heredes erant patroni, de quibus in lege XII. Tabularum fuerat cautum: SI LIBERTVS INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AST PATRONVS, PATRONIVE LIBERI ESCINT, EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM PROXIMO PECVNIA DVITOR. Iac. Gothofr. *Leg. XII. Tab. Tab. V.* De qua lege titulo sequente agemus.

§. III.

Source : BIU Cujas



Source : BIU Cujas



Source : BIU Cujas

DE GRADIBVS AD EINTESTATES




Tritauus.	Patruus maximus.				
Adauus.	Patruus maior.	Patrui maioris filius.			
Abauus.	Patruus magnus	Patrui magni filius.	Patrui magni nepos		
Proauus.	Patruus	Patrui filius	Patrui nepos	Patrui pronepos	
Auus	Frater	Fratris filius.	Fratris nepos.	Fratris pronepos.	Fratris abnepos.

LEGE HEREDITATES — Pater — QVEMADMODVM REDEANT

EGO

Vxor quae in manu uiri est.	CONSANGVINEI	Filius qui expotestate non exiit	SVNT INTER SE	Filia quae in potestate est.
Nurus quae in manu filii est	HI QVOQVE SVNT	Nepos qui expotestate non exiit	INTER SE CONSANGVINEI	Neptis quae in potestate est.
Pronurus quae in manu nepotis est.	ITEM CONSANGVINEI	Pronepos qui expotestate non exiit.	SVNT INTER SE	Proneptis quae in potestate est
Abnurus quae in manu ab nepotis est	ET HI INTER SE	Abnepos qui expotestate non exiit	SVNT CONSANGVINEI	Abneptis quae in potestate est.
Adnurus quae in manu adnepotis est	SVNT QVOQVE INTER	Adnepos qui expotestate non exiit	SE CONSANGVINEI	Adneptis quae in potestate est
Trinurus quae in manu trinepotis est	ITEM II SVNT INTER	Trinepos qui expotestate non exiit	SE CONSANGVINEI	Trineptis quae in potestate est

Source : BIU Cujas



Source : BIU Cujas

§. III.

Id vero quum inhumanum videretur humaniſſimo Imperatori, Iuſtiniano: antiquum illud ius conſtitutione ſua correxit, voluitque, ſi quis in ſeruili conſtitutus conſortio, liberum (*a*) vel liberos habuerit, ſiue ex libera, ſiue ex ſeruilis conditionis muliere: vel contra ſerua mulier ex libero vel ſeruo habuerit liberos cuiuſcunque ſexus, et ad libertatem his peruenientibus, ii qui ex ſeruili ventre nati ſunt, libertatem meruerint, vel dum mulieres liberae erant, ipſi in ſeruitute eos habuerint, et poſtea ad libertatem peruenerint, vt hi omnes ſucceſſionem patris vel matris veniant, patronatus iure hac in parte ſopito. *princ. Inſt. h. t.* Iuſtiniani conſtitutio deperdita.

(*a*) Ita ipſe Imperator *princ. h. t.* loquitur, quemadmodum et alibi. *l.* 33. *C. de inoff. teſt.* Sed et Aurelius Victor eodem vocabulo, numero ſingulari vſus eſt: *Nerua Traianum in liberi locum adoptauit.*

§. IIII.

Non exſtat quidem amplius illa Iuſtiniani conſtitutio, cum ipſo ſcilicet priore codice intercepta: epitomen tamen eius, in membranis quibuſdam Latine expreſſam, exhibet Cuiacius *Obſ. XX.* 34. vbi et ex Baſilicis conſtitutionem Graecam recenſet, quam ipſe integram hanc eſſe Iuſtiniani conſtitutionem, exiſtimat. Graece ſane illam ſcriptam, ſatis patet ex §. 3. *Inſt. de ſucceſſ. libert.* Eam reſtituit Cuiacius.

TIT. VIII.

DE

SVCCESSIONE LIBERTORVM.

LIBERTINI apud Romanos ſaepe erant opulentiſſimi, et hinc multum referebat, quis eorum in bona ſuccederet. Quamvis vero omnes libertini, vt ſupra obſeruauimus, initio eſſent cives Romani: alia tamen iam olim erat ſucceſſio libertorum, alia ingenuorum, ceu ex ſequentibus patebit.

§. I.

Quemadmodum ingenuis primo loco heredes ſui, ſecundo adgnati ſuccedebant: ita ad LIBERTORVM ſucceſſionem primo loco here- Patroni ſuccedent.

Source : BIU Cujas

bant libertis deficientibus suis.

heredes sui, secundo patroni patronorumue liberi vocabantur. Legem ipsam decemuiralem §. II. ad superiorem titulum adduximus. Conf. Vlp. *Fragm. XXVII.* 1. et *XXVIIII.* 1. Patroni enim, vt recte obseruat Arn. Vinn. *ad princ. Inst. h. t.* eodem apud Romanos iure censebantur, ac adgnati, quod et Iustinianus obseruans in Constitutione Graeca apud Cuiac. *Obs. XX.* 34. Δοκοῦσι δὲ, inquit, ΣΥΓΓΕΝΕΙΣ εἶναι τῶν ἐλευθερομένων οἱ ἐλευθερώντες αὐτούς. *Videntur enim adgnati libertinorum, qui illos manumiserunt.* Vnde et patronorum nomina liberti adsumebant, tanquam filii, teste Lactant. *Diu. Inst. IIII.* 3. Sic Pompeii M. libertus Pompeius Leneus dictus, Plin. *Hist. Nat. XXV.* 5. Ciceronis alter Laurea Tullius, Plin. *Hist. Nat. XXXI.* 2. alter Tullius Tiro, cuius frequens mentio in Epistolis ad familiares. (*a*). Quin saepe ea conditione legatum patroni libertis relinquebant, vt ne de nomine suo exirent. Vid. *l.* 94. *D. de legat.* 3. *l.* 88. §. 6. *de legat.* 2. *l.* 108. *D. de condit. et demonstr.* Quare non mirum est, in libertorum successionibus eumdem locum tenuisse patronos, quem in ingenuorum hereditatibus adgnati tenebant.

(*a*) Constat hoc ex ipso iure nostro. *Vid. l.* 77. §. 15. *D. de legat.* 2. *l.* 38. §. 2. *et l.* 94. *D. de leg.* 3. Dionys. Gothofred. *ad l.* 108. *D. de cond. et demonstr.* Car. Sigon. *de Nomin. Rom. p.* 1418. qui etiam ex Plinio et Quinctiliano obseruat, libertos nomen patroni, seruos praenomen heri adsumsisse, dictos quippe *Lucipores, Marcipores, Publipores*, quasi Lucii, Marci, Publii pueros. Ceterum praeter hos patronos libertini sibi etiam alios eligebant, quorum se tutelae credebant, dicti hinc eorum *clientes.* Vid. Casaub. *ad Sueton. Iul. II.*

§. II.

Legitima illa successio qualis?

Succedere ergo liberto non poterat patronus, si illi essent heredes sui, quales erant liberi non naturales tantum, sed etiam adoptiui, vt et vxor, quae in manum conuenerat. His vero deficientibus, licebat quidem liberto, testamento facto patronum praeterire: si vero intestatus decessisset, patroni patroniue liberi ad successionem vocabantur, hereditate in capita diuisa, et gradibus remotioribus exclusis. Hinc si patronus superstes esset et alterius patroni filius: ad solum patronum hereditas deuoluebatur. Patroni quoque nepotes succedere non poterant, si alterius patroni supersset filius. Et sic de reliquis casibus statuendum. Vlpian. *ibid.* Paull. *Rec. Sent. III.* 2. 1. *sequ. l.* 23. §. 1. *D. de bon. libert.*

§. III.

Source : BIU Cujas

§. III.

Sed iniqua poſtea haec teſtandi libertas viſa eſt Praetoribus, qui ne patroni (*b*) libertorum hereditatibus fraudarentur, edicto illis conſulendum putabant. Illo libertus, facto teſtamento decedens, liberis ſuis et naturalibus haud relictis, iubebatur patrono eiuſue liberis dimidiam bonorum partem relinquere: ſi nihil, aut minus certe parte dimidia, reliquerat: dabatur patrono contra tabulas, partis dimidiae bonorum poſſeſſio. (*c*) Vlpian. *ibid.* Suet. *Neron. XXXII.* Dio Caſſ. *LI. p.* 454.

Eadem mutataſa Praetoribus, tum reſtricta, libertorum teſtamenti factione.

(*b*) Totum illud beneficium ad patronos, non item ad patronas pertinuit, quum tamen inter eos haud diſtinxiſſent Leges XII. Tabularum. Vlpian. XXVIIII. 4. et 5.

(*c*) Non dabatur haec bonorum poſſeſſio, niſi hereditas eſſet data, aut bonorum poſſeſſio petita, quod ſecus fiebat in bonorum poſſeſſione, quae liberis contra tabulas dabatur. Latius haec exſequitur Ant. Faber *Error. pragm. decad. L. err. 7. n. 6. ſequ.*

§. IIII.

Quod ſi vero inteſtatus deceſſerat libertus, relicto herede ſuo, ſed adoptiuo tantum, vel vxore, quae in manum conuenerat: dabatur denuo patrono contra hos ſuos heredes, partis dimidiae bonorum poſſeſſio. Vlpian. *l. c.* Soli ergo patronum excludebant naturales liberi, ſiue ſui, ſiue emancipati, ſiue in adoptionem dati, ſi modo ex vlla parte ſcripti heredes erant, vel bonorum poſſeſſionem contra tabulas petierant. Nam alias exheredati videbantur, adeoque patronum excludere non poterant. §. 1. *Inſt. h. t.*

Tum excluſis quibuſdam heredibus ſuis.

§. V.

Aſt haec omnia de libertorum tantum bonis edixerat Praetor. *In bonis libertae*, inquit Vlpianus, *patrono nihil iuris ex edicto datur. Fragm. XXVIIII.* 2. Quod non ita intelligendum, ac ſi patronis Praetor hic ſuccurrere noluerit, ſed quod non opus hac in re fuerit Praetoris beneficio. Libertae enim nullos habebant heredes ſuos, qui patronum excluderent. Quumque patroni legitimi eſſent earum tutores, conſequens erat, vt nec teſtari, nec in manum conuenire ſine eorum auctoritate poſſent. Vlpian. *Fragm. XI.* 27. Itaque inteſtatis mortuis, ſemper hereditas ad patronos pertinebat, neque contingebat, vt hi bonis earum exciderent.

In libertae bona ſemper ſuccedebat patronus.

Source : BIU Cujas

§. VI.

Lex tamen Papia quibusdam libertabus conceſſit teſtamenti factionem.

Aſt lege Papia Poppaea, quae varia foecunditati praemia propoſuit, etiam libertabus quodammodo facultas data eſt, patronos hereditate excludendi. Ea enim lex tutela liberauit libertas, quae vel quatuor liberos eſſent enixae, Vlp. *Fragm. XXVIIII.* 3. vel certe ius quatuor liberorum beneficio principum impetraſſent, cuius rei exemplum exſtat apud Sueton. *Claud. XVIIII.* nec non apud Grut. *Inſcript. p. DCXXXI.* 2. vbi mentio fit Corneliae Zoſimae, HABENTIS. IVS. QVATVOR. LIBERORVM. BENEFICIO. CAESAR. Conſequens ergo erat, vt hae libertae et libere ſine auctoritate patronorum teſtarentur, et patronos hereditate excluderent. Ne tamen id fraudi eſſet patronis, eadem lege cautum eſt, vt pro numero liberorum, libertae ſuperſtitum, patrono virilis pars deberetur. Vlpian. *ibid.* Add. *Comment. noſtr. ad L. Iul. et Pap. Popp. II.* 11. *p.* 242.

§. VII.

Eiusdem legis caput de bonis liberti centenarii.

Eadem lege etiam de bonis libertorum nonnulla ſtatuta ſunt, quae nobis ſeruauit Iuſtinianus §. 2. *Inſt. h. t.* Cautum eſt enim, vt ex bonis liberti eius, qui ſeſtertium CM. patrimonium reliquerat, et pauciores quam tres liberos, (ſiue is teſtamento facto, ſiue inteſtatus mortuus erat,) virilis pars patrono, eiuſue liberis maſculis, deberetur, ſin tres liberos haberet, patrono in eius hereditate nihil iuris eſſet. Sin non haberet ſeſtertium centum, liberam libertus haberet teſtandi facultatem, et ſi libertus liberos non haberet, iure antiquo patroni eorumue liberi maſculi ab inteſtato ſuccederent: ſin relictis liberis decederet, patronus ius nullum in eius bonis haberet. Nam ſumma haec pro Auguſtei aeui opulentia minor procul dubio videbatur, quam vt eius rationem haberent leges. Perizon. *Diſſert. de lege Vocon. p.* 171. Conf. Iac. Gothofr. *ad Leg. Pap. Popp. XXV. p.* 296. et *Comment. noſtr. II.* 22. *p.* 350. *ſequ.*

§. VIII.

Aliud eiusdem legis caput de ſucceſſione patronae.

Denique quum beneficium Praetoris, quod §. III. et IIII. deſcripſimus, ad ſolos patronos, non item patronas, pertineret: eadem lex Papia Poppaea patronae ingenuae duos, libertinae tres liberos enixae, id iuris dedit, quod patronus habebat ex edicto, vt ſcilicet poſſet bonorum poſſeſſionem contra tabulas liberti, aut ab inteſtato contra heredes non naturales petere. Vlpian. *Fragm. XXVIIII.* 5. 6. Vid. *Comm. noſtr. ad Leg. Iul. et Pap. Poppaeam II.* 22. *p.* 357.

Source : BIU Cujas

p. 357. Eadem lex Papia liberis patronae ingenuae, trium liberorum iure honoratae, idem ius conceſſit, quod ipſi patronae tribuerat. Vlp. *ibid. n.* 7. Add. *Comm. noſtr. II.* 22. *p.* 358.

§. VIIII.

Omnes vero hae leges non niſi de libertis, ciuibus Romanis, loquuntur. Tempore enim conſcriptarum XII. Tabularum, vti et libera republica, omnes libertini ad ciuitatem Romanam adſpirabant. Poſtea ſub Auguſto, quo imperante etiam lex Papia Poppaea lata eſt, libertini quidam dedititiae conditionis eſſe coeperunt, quemadmodum ſub Tiberio Iuniani Latini orti ſunt: (Vide ſupra *ad Lib. I. Tit. IIII. V.* §. 11. *ſequ.*) at ne Latini quidem, nedum dedititii, habebant teſtamenti factionem, *l.* 1. *pr. D. de ſuis et legit. hered.* ſed bona eorum, tamquam ſeruorum peculia, manumiſſores retinebant. §. 4. *Inſt. h. t.* Porro SC. Largiano (*d*) cautum, vt liberi manumiſſoris, non nominatim exheredes ſcripti, extraneis heredibus in bonis Latinorum praeferrentur. *l. vn. C. de Lat. lib. toll.* Immo et D. Traianus edixit, vt liberti Latini, qui inuito vel ignorante patrono ad ciuitatis iura feſtinaſſent, ex beneficio principis, viui quidem ciues Romani haberentur, at morerentur tamen Latini. §. 4. *Inſt. h. t. l. vn. princ. et* §. *vlt. C. de Lat. lib. toll.* Quare in eo duriſſima erat Latinorum dedititiorumque conditio, nec poterat vllo caſu patronus libertorum eiuſmodi hereditate priuari.

Qualis fuerit ſucceſſio in bonis dedititiorum et Latinorum.

(*d*) Videtur id SC. conditum anno V.C. IↃCCLXXXXIIII. Ti. Claudio, Druſi F. Caeſ. Aug. et A. Caecina Largo Coſſ. Quod vero Largianum, non Claudianum dictum id SC. inde eſſe videtur, quod Claudius Caeſar hunc conſulatum per duos tantum menſes geſſit, collegae vero Largo magiſtratum in annum totum prorogauit, teſte Dione Caſſio LX. p. 671.

§. X.

Verum Iuſtinianus nullam hic antiqui iuris vel volam, vel veſtigium reliquit. In conſtitutione enim, quam *ſuperiore titulo* §. *IIII.* allegauimus, quaeque Baſilicis exſtat *Tom. VI. p.* 595. iuſſit, vt ſi libertus, vel liberta, minores centenariis eſſent, id eſt, minus, quam centum aureorum, haberent ſubſtantiam; (*e*) nullum locum

Nouum ius a Iuſtiniano inuectum.

(*e*) Pro mille enim ſeſtertiis Lege Papia Poppaea definitis Imperator vnum aureum ſubſtituit, et quidem tamquam interpres. (*Vid.* §. 3. *Inſt. h. t.*) Sed haec interpretatio hiſtoriae plane repugnat. Aureus enim, qualis Iuſtiniani aeuo

Source : BIU Cujas

locum haberet patronus in eorum succeſſione, dummodo teſtamentum fecerint. Sin inteſtati deceſſerint, nullis liberis relictis, patronatus ius ex lege XII. Tabularum integrum maneret. In maiorum centenariis bona, ſi liberos haberent heredes vel bonorum poſſeſſores, nihil iuris patrono eſſet: ſin ſine liberis deceſſerint inteſtati, ad omnem hereditatem patroni patronaeue vocarentur; ſin vero fecerint teſtamentum, patronoſque aut patronas praeterierint, hi per bonorum poſſeſſionem tertiam bonorum partem, (non vt antea dimidiam,) conſequerentur, ita, vt eam portionem ſine onere haberent, et ne legata quidem aut fideicommiſſa liberis liberti libertaeue praeſtare cogerentur. Ius porro illud ſuccedendi in bonis libertorum Iuſtinianus etiam ad collaterales patronorum cognatoſque vſque ad quintum gradum extendit. §. 3. *Inſt. h. t.* Denique ſublata Latinitatis et dedititiorum conditione, omnibus promiſcue libertinis teſtandi ius indulſit. *l. vn. C. de Lat. lib. toll. et l. vn. C. de ded. lib. toll.* adeoque patronis vel ius ſuum, vel ſaltim partem ſperatae hereditatis non exiguam ademit.

aeuo in vſu fuit, vix centum ſeſtertiis reſpondit. Siquidem adhuc Vlpiani aevo dena tantum ſeſtertia centum aureos conficiebant. Hinc aduocatorum honorarium denis ſeſtertiis definitum dicitur apud Tacit. *Ann. XI.* 7. centum aureis apud Vlpian. *l.* 1. §. 12. *D. de extraord. cognit.* Vid. Gronou. *de Pecun. vet. I.* 5. Sed ſaepius in Pandectis ex CM. ſeſtertium Tribonianus exſculpſit C. aureos. Vid. Cuiac. *Obſeru. XVIIII.* 31. et *ad l.* 10. D. *de dolo malo.*

TIT. VIIII.

DE

ADSIGNATIONE LIBERTORVM.

ADSIGNATIO LIBERTORVM veluti exceptio erat legum de ſucceſſione libertorum. Nam quod generaliter ſuperiore titulo definitum eſt, patroni liberos, mortuo parente, aequis portionibus in bonis libertorum ſuccedere, id hanc habere exceptionem intelligitur, niſi vni ex liberis libertum adſignauerit patronus. Quae ADSIGNATIO qualis fuerit, ad hunc titulum docendum eſt.

§. I.

Source : BIU Cujas

§. I.

Satis opima olim erant iura patronatus. Praeter ſpem enim ſucceſſionis, cum iſto iure coniunctam, de qua titulo praecedente actum, patrono debebantur operae, dona, munera. Vid. Iac. Oiſel. *ad Caii Inſt.* II. 9. 4. *p. m.* 156. Immo libertus, non minus, quam filius, alere tenebatur patronum, pro modo facultatum, ſi is ad egeſtatem vergeret. Paull. *Recept. Sent.* II. 32. 1. *l.* 5. §. 18. et *l. vlt. D. de agnoſc. et alend. lib.* Vnde opulenti liberti, veluti pars quaedam erant patrimonii, et iure is locuples videbatur, cui plures eſſent liberti locupletiores. Iura patronatus in quonam conſtiterint?

§. II.

Quemadmodum igitur parentes liberis certam bonorum portionem ſolebant dare, ita et iisdem poterant adſignare libertos. ADSIGNARE vero LIBERTVM erat teſtificari, cuius ex liberis libertum parens eſſe velit. *l.* 107. *D. de verb. ſignif.* Ea adſignatio non ſolum teſtamento et codicillis fiebat, ſed et per modum contractus, aut donationis inter viuos vel mortis cauſſa, quibuscunque verbis, epiſtola, chirographo, pure, ſub conditione, immo et ſolo nutu. *l.* 1. §. 3. *et l.* 7. *D. de adſign. lib.* Dabatur tamen ea adſignandi facultas tantum ei, qui duos pluresue liberos in poteſtate habebat. §. 2. *Inſt. h. t.* Quod ſi is, cui adſignatus erat libertus, emancipatus fuiſſet, euaneſcebat adſignatio. *l.* 1. *fin. D. eod.* §. 2. *Inſt. h. t.* Cui non opponenda. *l.* 9. *D. h. t.* vbi Modeſtinus et emancipato libertum adſignari poſſe ſtatuit. Poteſt enim pater et emancipato adſignare, ſi velit. At ſi ſuo adſignarit, eumque poſtea emanciparit, mutaſſe videtur ſententiam. Merill. *Obſ.* VII. 13. Adſignatio libertorum qualis?

§. III.

De hac ergo libertorum adſignatione prodiit SC. CLAVDIANVM anno V. C. IↃCCLXXXXVIII. Velleio Rufo et P. Oſtorio Scapula Coſſ. ſuffectis (*a*), cuius ipſa legitima verba nobis ſeruauit Vlpianus *l.* 1. *pr. D. h. t.* SI QVI DVOS PLVRESVE LIBEROS, IVSTIS NVPTIIS De ea Sc. Claudianum.

(*a*) In §. 3. *Inſt. h. t.* hi Coſſ. vocantur Sabellius Rufus et Aſterius Scapula: in *l.* 1. *pr. D. eod.* Velleius Rufus et Oſterius Scapula, quomodo etiam ap. Hub. Golzium *in Feſtis p.* 239. legitur. Genuina nomina reſtituiſſe ſibi videtur Pigh. *Annal. Lib. XVIII. p.* 576. *Tom. III.* vbi alterum coſſ. *P. Suilium Rufum*; alterum *P. Oſtorium Scapulam* vocat. Ceterum alias nomina *Aſterius*, *Haſterius*, *Oſterius*, *Auſterius*, *Auſterus* ſaepe confundi, docuit V. A. Bynkersh. *Obſ. III. p.* 242.

Source : BIU Cujas

QVAESITOS, IN POTESTATE HABERET, DE LIBERTO LIBERTAVE SVA SIGNIFICASSET, CVIVS EX LIBERIS SVIS EVM LIBERTVM EAMVE LIBERTAM ESSE VELLET, IS EAVE QVANDOQVE IS, QVI EVM EAMVE MANVMISIT INTER VIVOS VEL TESTAMENTO, IN CIVITATE ESSE DESISSET, SOLVS EI PATRONVS SOLAVE PATRONA ESSET, PERINDE, ATQVE SI AB EO EAVE LIBERTATEM CONSEQVVTVS CONSEQVVTAVE ESSET. VTIQVE SI EX LIBERIS QVIS IN CIVITATE ESSE DESISSET, NEQVE EI LIBERI VLLI ESSENT, CETERIS EIVS LIBERIS, QVI MANVMISIT, PERINDE OMNIA IVRA SERVENTVR, AC SI NIHIL DE EO LIBERTO, EAVE LIBERTA, IS PARENS SIGNIFICASSET.

§. IIII.

Eius explicatio. Ex hoc ergo SC. quisque libertum vni ex liberis in potestate constitutis pro arbitrio adsignabat. Quo facto, non omnes patroni liberi, sed is, cui adsignatus libertus fuerat, ad successionem vocabatur. Quod ius etiam tum saluum erat illi, cui libertus adsignatus, si patronus mediam capitis deminutionem fuisset passus. Eo vero, cui libertus adsignatus fuerat, ita capite deminuto, reliquis liberis iura patronatus salua erant, perinde ac si nihil patronus de adsignatione liberti significasset. Vinc. Grauina *de Leg. et SC.* LXXXII. *p.* 652. Arn. Vinn. *Comment. ad Inst. h. t.*

TIT. X.

DE

BONORVM POSSESSIONIBVS.

DIximus supra ad *Lib.* I. *Tit.* II. §. 24. Praetores id praecipue egisse, vt leges sub specie aequitatis edictis suis euerterent, eumque in finem noua commentos esse vocabula. Huius rei specimen hic titulus dabit. Saepe enim vbi HEREDITATEM negabant leges, Praetores dabant BONORVM POSSESSIONEM, quum tamen inter ea vocabula, quod ad effectum attinet, parum differentiae esset.

§. I.

Source : BIU Cujas

§. I.

Quum hic in vocabulis luserit Praetor, de ipso illo vocabulo praetorio nonnulla praemittenda sunt. Notandum ergo, plerumque differre BONORVM POSSESSIONEM, et POSSESSIONEM BONORVM. Illa enim hereditatem praetoriam, haec illam possessionem, in quam creditores, legatarii aliiue immittebantur, denotat (*a*). Brisson. *de Verb. signif. p. m.* 4. Non obseruarunt tamen illud discrimen Macer *l.* 4. §. *vlt. D. de offic. eius cui mand. iurisd.* et Paullus *l.* 35. *pr. D. de oblig. et action.* Vocabatur etiam praetoria ista hereditas absolute POSSESSIO, et Graecis διαδοχὴ, vel διακατοχὴ. Vnde Vlpianus *Titulum XXVIII. Fragmentorum* inscribit *de possessionibus dandis.* Ad quam rubricam quidem obseruat V. C. Schultingius p. 671. vocabulum *possessionis* simpliciter hoc sensu non solere vsurpari: sed aliud euincunt *l.* 12. *D. de Carbon. edict. l.* 77. §. 31. *D. de legat.* 2. Aliquando et *hereditatis possessionem* apud veteres legi, iam obseruauit Cuiac. *Obs.* IIII. 16.

Quid bonorum possessio, quid possessio bonorum?

(*a*) Vtrumque vocabulum accurate distinxit Imperator. §. 4. *Inst. h. t.*

§. II.

Vlpiano *l.* 3. §. 2. *D. de bon. possess.* BONORVM POSSESSIO est *ius persequendi retinendiue patrimonii, siue rei, quae cuiusque, quum moritur, fuit.* Sed quum paullo obscurior ea sit definitio: rectius dixeris, esse hereditatem, personis quibusdam, iure ciuili inhabilibus, edicto arbitrioque (*b*) praetoris delatam. Vnde et Graeci eam saepius vocant πραιτωρίαν διαδοχὴν, vel, vti in Glossis est, ὑπαρχόντων διακατοχὴν.

Quid sit bonorum possessio?

(*b*) In praetoris fuisse potestate, velletne bonorum possessionem dare, nec ne, satis euincunt exempla, quibus praetor bonorum possessionem certis personis negauit, quas tamen edicto suo non exceperat. Sane Q. Metellus, Praetor, Vecilio, lenoni, bonorum Iuuentii possessionem secundum tabulas dare recusabat, tantum quod leno esset. Val. Max. VII. 7. 7. Nonnunquam tamen et consules intercedebant. Sic quum Genucius, Matris magnae Gallus, a Cn. Oreste, Praetore, bonorum possessionem secundum tabulas impetrasset: Mamercus Aemilius Lepidus Cos. Praetoriam iurisdictionem abrogare non dubitauit, non aliam ob caussam, quam quia Genucius amputatis genitalibus nec vir esset, nec mulier. Val. Max. VII. 7. 6.

§. III.

Ceterum varie diuiduntur BONORVM POSSESSIONES. Aliae ORDINARIAE sunt, a praetore introductae: *l.* 3. §. *vlt. de Carbon. edict.* aliae EXTRAORDINARIAE, quae ex legibus, SC. constitu-

Quotuplex?

Source : BIU Cujas

ſtitutionibus principum, vel iure nouo deſcendunt §. 3. *Inſt. h. t.* De bonorum poſſeſſionibus extraordinariis, quae ex Conſtitutionibus Principum natae ſunt, conſulendus eſt Cuiac. *Obſ. XI.* 14. Ordinariae vel EDICTALES erant, vbi nulla opus erat cauſſae cognitione, *l.* 30. §. 1. *D. de adquir. hered. l.* 1. §. 4. *D. ſi tabulae teſt. nullae exſtab.* vel DECRETALES, quae cognitionem (*c*) decretumque deſiderabant. *l.* 1. §. 7. *D. de ſucceſſ. edict. l.* 2. §. 1. *D. quis ordo in poſſeſſ. ſeruetur. l.* 2. §. 11. *D. ad SC. Tertull. et Orphit.* Vtraque vel EX TESTAMENTO dabatur, vel AB INTESTATO. Si ex teſtamento, tum vel CONTRA TABVLAS, id eſt, contra teſtamentum, ſiue *contra lignum*, dabatur, eaque Graecis ἐναντίωσις κατὰ διαθήκης dicitur; vel SECVNDVM TABVLAS: *princ. Inſt. h. t.* aut, ſi ſine ſcripto teſtamentum conditum, tum vel SECVNDVM NVNCVPATIONEM, vel CONTRA EAMDEM bonorum poſſeſſio competebat. *l. vlt. C. de bonor. poſſ. ſecund. tab. l.* 1. *C. de bon. poſſ. contra tab.* Ab inteſtato vero dabatur vel ius legitimum habentibus, vel non habentibus propter capitis deminutionem. Denique bonorum poſſeſſio aut CVM RE dabatur, aut SINE RE. *Cum re*, ſi is, qui acceperat, cum effectu bona retinebat; *ſine re*, quum alius iure ciuili euincere hereditatem poterat. Sic verbi cauſſa, ſi ſuus heres inteſtato erat; bonorum poſſeſſio alii data erat ſine re, ſiquidem ſuo heredi euincere hereditatem iure legitimo licebat. Vlp. *Fragm.* XXVIII. 13. XXIII. 6.

(*c*) Equidem bonorum poſſeſſiones aliae de plano, aliae pro tribunali petebantur. *l.* 2. §. 1. *D. quis ordo in bon. poſſeſſ.* Aſt dari aliter non poterant, quae exigebant decretum, quam pro tribunali: quia neque decretum de plano interponi, nec cauſſae cognitio alibi, quam pro tribunali, fiebat. *l.* 3. §. *ſi cauſſa* 8. *D. de bon. poſſeſſ.*

§. IIII.

Bonorum poſſeſſio contra tabulas.

Quod ad bonorum poſſeſſiones attinet, quae ex teſtamento deſcendunt, eae, vt dixi, vel ſecundum tabulas dabantur, vel contra tabulas. CONTRA TABVLAS bonorum poſſeſſio erat omnium prima, de qua edixerat Praetor, vnde et *ex prima parte vel ex primo edicto* bonorum poſſeſſio dari dicebatur, quoties dabatur contra tabulas. *l.* 4. *et l.* 12. *D. de edict. Carbon. et l.* 2. *D. de bon. liber.* Quem ordinem ab aequitate etiam atque etiam commendat Vlp. *l.* 2. *pr. D. de bon. poſſ. ſec. tab.*

§. V.

Source : BIU Cujas

§. V.

Dabatur autem ea bonorum possessio liberis emancipatis, a patre testamento praeteritis: non autem suis, qui praeteriti testamentum nullum dicunt: *l.* 1. *D. de iniust. rupt. irr. fact. test.* nisi hoc remedio vti malint, quod ipsis licet iure nouo. *l.* 2. *C. de bon. poss. contra tab.* Proprie tamen haec bonorum possessio, vti dixi, ad solos emancipatos pertinet. Quamuis enim iis non debetur legitima hereditas: praetor tamen, naturalem sequutus aequitatem, hos quoque ad bonorum possessionem vocabat. *l.* 1. §. *vlt. D. quis ordo in bon. possess.* Eadem parte edicti vocabat adoptiuos, non vero in adoptionem datos. Vlpian. *Fragm. XXVIII.* 3. Hos enim, quia in aliam familiam, aliaque sacra transierant, non iuuabat Praetor, nisi eo casu, si ipsi a patre naturali heredes instituti essent, et alii liberi praeteriti. Tunc enim, his bonorum possessionem petentibus, illi quoque vna admittebantur. *l.* 8. §. 11. *D. de bon. possess. contr. tab. l.* 1. §. 12. *D. de ventr. in poss. mitt.* Alias nihil intererat, siue emancipati naturales essent, siue adoptiui, siue nati, siue postumi, siue primi, siue vlteriorum graduum. *l.* 1. *pr. l.* 3. *pr.* §. 1. *et seq. D. de bon. poss. contra tab.* Ceterum emancipati, impetrata contra tabulas bonorum possessione, cauere debebant fratribus, qui in potestate manserant, et bona, quae moriente patre habuerant, se collaturos. Paull. *Sent. V.* 9. 4. Vlpian. *Fragm.* XXVIII. 4. Cui data sit?

§. VI.

SECVNDVM TABVLAS dabatur bonorum possessio iis, quibus, licet testamento scriptis heredibus, subtilitas aliqua iuris ciuilis obstabat. Quod si enim eorum, quibus contra tabulas competebat bonorum possessio, aut esset, aut peteret nemo (*d*): praetor scriptos heredes admittebat, dummodo testamentum non minus, quam septem testium ciuium Romanorum signis esset signatum, Vlpian. *Fragm.* XXVII. 6. Eam enim solam sollemnitatem in testamentis requirebat Praetor. Vnde in edicto suo Verres apud Cic. *Verr. I.* 45. SI DE HEREDITATE AMBIGITVR, ET TABVLAE TESTAMENTI, OBSIGNATAE NON MINVS MVLTIS SIGNIS, QVAM E LEGE OPORTEAT, AD ME PROFERENTVR: SECVNDVM TABVLAS TESTAMENTI POTISSIMVM HEREDITATEM DABO. Bonorum possessio secundum tabulas.

(*d*) Praetor enim nulli legitimo heredi ius suum adimere poterat. Quare haec bonorum possessio *secundum tabulas* non semper dabatur cum re, obstante iure ciuili, Vlpian. *Fragm. XXIII.* 6.

Source : BIU Cujas

DABO. Ex quo loco simul discimus, hanc bonorum possessionem satis antiquam esse, maxime, quum Cicero eo loco obseruet, id edictum *tralatitium* esse.

§. VII.

Ordo bonorum possessionis ab intestato.

INTESTATI dabatur bonorum possessio, si tabulae nullae exstarent, per octo gradus (*e*). Primus dictus est VNDE LIBERI. Dabatur ea bonorum possessio liberis, non solum emancipatis, et adoptiuis, sed et suis, quos confirmandi iuris ciuilis caussa vocabat, non vero in adoptionem datis, Vlpian. *Fragm.* XXVIII. 8. Secundus VNDE LEGITIMI. Hac edicti parte vocabat praetor ad bonorum possessionem, QVEM DEFVNCTO HEREDEM ESSE OPORTERET, SI INTESTATVS MORTVVS ESSET (*f*). Tales erant adgnati quibus ex lege XII. Tabularum hereditas debebatur. Nec non omnes reliqui, quos vel lex alia, vel sc. heredes faciebat. *l.* 2. §. 4. *l.* 3. *D. vnde legit.* His vetere iure etiam extraneus manumissor accensebatur. Si quis enim, filium emancipaturus, extraneo cuidam illum imaginaria venditione ter mancipauerat, et hic extraneus eumdem manumiserat, non interposita a patre naturali fiducia de remancipatione: extraneus adquirebat sibi ius patronatus, adeoque adgnati loco erat. Vid. supra *Lib. I. Tit. XII.* §. 9. *et Lib. III. Tit.* VIII. §. 1. Attamen huic extraneo manumissori praetor praeferebat decem personas. Et haec est origo tertii gradus VNDE DECEM PERSONAE. Tales erant pater, mater, auus, auia, tam paterni quam materni, filius, filia, nepos, neptis, tam ex filio quam ex filia, frater sororue, consanguinei vel vterini, §. 1. *Inst. h. t.* Vlp. apud *Auct. Collat. Leg. Mos. et Rom. XVI.* 9. (*g*) Et ex hoc capite profecta est bonorum possessio, de qua Valer. Max. VII. 7. 5. Quartus gradus erat VNDE COGNATI. Quamvis enim hos non vocarent leges XII. Tabularum: *l.* 1. *pr. D. vnde cogn.* proximos tamen eorum vocabat praetor, iisque etiam

(*e*) Vlpianus *Fragm. XXVIII.* 7. tantum septem numerat gradus, omittitque gradum tertium.

(*f*) Legitima haec sunt edicti verba, quae seruauit Iulianus *l.* 1, *et* 4. *D. vnde legitimi*, vnde et haec bonorum possessio vocatur TVM QVEM HEREDEM, a vocabulis initialibus. *l. vn.* §. *vlt. D. vt ex legib.*

(*g*) In Fragmentis Vlp. omissus est ille bonorum possessionis gradus VNDE DECEM PERSONAE, quia forsan ordinarie tum emancipatio fiebat contracta fiducia, adeoque hoc edictum haud magni vsus esset. In pandectis vero altum de hac bonorum possessione silentium est, quia ea ob constitutionem Iustiniani, de qua §. 2. *Inst. h. t.* euanuerat.

Source : BIU Cujas

tiam accenſebat adgnatos capite minutos. Vlp. *Fragm.* XXVIII. 9. Quinto TANQVAM EX FAMILIA (*h*), vocabantur adgnati patronorum, quibus alias ex legibus XII. Tabularum non debebatur ſucceſſio in bonis libertorum; Vlp. *Fragm.* XXVIII. 7. Sextus PRO PATRONIS inſcribebatur. Quamuis enim ſatis hactenus cautum videretur patronis, eorumque liberis, qui erant in familia: denuo tamen eos vocandos cenſuit praetor, ſi forte tempore vel repudiatione factum eſſet, quo minus ex praecedentibus partibus edicti venire poſſent. Quin eadem edicti parte vocabantur etiam liberi patronorum emancipati, et in adoptionem dati, nec non patronorum parentes, quorum omnium nulla in iure ciuili habita fuerat ratio. Vid. Theoph. *ad §. 1. Inſt. h. t.* Schulting. *Iurispr. vet. Anteiuſt. p.* 673. Vnde non eſt, quod mirentur Fr. Hotomanus, Bachouius, Arn. Vinnius, aliique viri doctiſſimi, toties in edicto praetoris patronos ad bonorum poſſeſſionem vocari. Septimus gradus eſt VNDE VIR ET VXOR. Quamuis enim praetoris beneficio olim opus haud eſſet coniugibus, quum nuptiae fierent vel per confarreationem, vel per coemtionem, vel per vſum, ſiquidem tunc vir omnia vxoris bona dotis nomine capiebat, vxor vero marito erat heres ſua: (vide ſupra *Lib. I. Tit. X. §. 6. 7.*) magnus tamen erat illius vſus ex quo rariores eſſe coeperant illi nuptiarum ritus. Ceterum ex hoc edicto vir vxori inteſtatae, et vxor viro inteſtato, ſuccedebat, ſi nemo eſſet, qui ex anterioribus gradibus ad bonorum poſſeſſionem vocaretur. Theophil. *ad §. 1. Inſt. h. tit.* Octauo denique loco vocabantur COGNATI MANVMISSORIS. Vocari enim ad bona filii emancipati manumiſſorem patrem, eiuſque adgnatos et cognatos, nec non patronum patroni, etiamſi is ipſe libertinus eſſet, tradit Imperator in ſaepius laudata conſtitutione de ſucceſſione libertorum, quae exſtat in Baſilicis *Tom. VI. p.* 595.

(*h*) Vel potius TVM QVEM EX FAMILIA. Omnia enim haec genera bonorum poſſeſſionum nomina a vocibus initialibus capitum edicti ſortita ſunt; Cuiac. *ad Vlp. Fragm. XXVIII. 7.* Ian. a Coſta *ad §. 2. Inſt. h. t. et §. 4. Inſt. quib. mod. tut. fin.*

§. VIII.

Eo vſque praetoris beneficium porrigebatur. Si nemo eſſet, ad quem bonorum pertineret poſſeſſio, aut ſi quis eſſet quidem, ſed ius ſuum omiſiſſet, vel capere non poſſet, vel ante apertum teſta- Bona caduca.

Source : BIU Cujas

testamentum decessisset, ex lege Papia Poppaea bona omnia, tamquam caduca, quasi caduca, ereptitia, vacantia, populo deferebantur, adeoque succedebat aerarium. Vlpian. *Fragm.* XXVIII. 7. *l.* 21. *l.* 13. *pr. et l.* 15. §. 3. *D. de iure fisci.* Tacit. *Annal.* III. 28. Postea huiusmodi bona ex parte non populus, sed fiscus occupabat, praecipue tempore Hadriani. *l.* 20. §. 6. *D. de hered. petit.* Denique Antoninus Bassianus Caracalla (*i*) omnia caduca fisco vindicauit. Vlpian. *Fragm. XVII.* 2.

(*i*) Hunc enim ab Vlpiano plerumque indigitari, quoties vel Imperatoris absolute meminit, vel Antonini, luculenter post Ezech. Spanhemium, ostendit V. C. Schulting. *Iurispr. vet. Anteiust. p.* 617.

§. VIIII.

Quid si bonorum possessio non petita.

Quum vero plures gradus successionis introduxisset praetor, eosque per ordinem disposuisset: in vnaquaque vero specie successionis plures saepe exstarent disparis gradus personae: ne actiones creditorum differrentur, sed haberent quos conuenirent, et ne facile in possessionem bonorum defuncti mitterentur, petendae bonorum possessioni certum tempus praefiniuerat, et parentibus quidem liberisque annum, ceteris centum dies vtiles. Vlpian. *Fragm.* XXVIII. 10. §. 4. 6. *Inst. h. t.* An dies, quibus pater sciuerat, bonorum possessionem competere, etiam filio cedant, disputant Cuiac. *Obs.* XIIII. 8. et Merill. *V.* 2. Intra hos dies si quis non petierat, ad bonorum possessionem sequens gradus admittebatur, perinde ac si superiores non essent. §. 5. *Inst. h. t.* Vlpian. *ibid.* §. 11. Quae omnia ex SVCCESSORIO EDICTO proficiscuntur, de quo singularis exstat in pandectis titulus.

§. X.

Quomodo petita?

Ceterum vetus petitio, postulatio, vel agnitio bonorum possessionis sollemnis erat, vt patet ex *l.* 1. *C. comm. de succes.* adeoque fieri debebat conceptis verbis ac formulis, quae quales fuerint, hodie vix liquet, siquidem nec Brissonius eas restituere potuit. Nec apud quemuis magistratum peti poterat bonorum possessio, sed in vrbe apud praetorem, in prouincia apud praesidem. *l.* 2. §. 1. *seq. D. quis ordo in bon. possess.* Ast formulas aeque, ac illam praetores et praesides adeundi necessitatem sustulere posteriores Imperatores, §. *vlt. Inst. h. t.* inprimis Constantinus, qui, exclusis inanibus verborum captionibus, concessit, vt quilibet iudex vel magistratus, etiam municipalis, posset adiri, atque apud hunc, interposita

Source : BIU Cujas

posita qualicunque voluntatis testatione, bonorum possessio peti. *l. vlt. C. qui admitt. ad bon. possess.*

§. XI.

Quemadmodum vero heredes praetorii bonorum possessionem PETERE et POSTVLARE dicebantur: ita praetor eamdem DABAT, et tum bonorum possessio ACCIPI et AGNOSCI dicebatur. In danda bonorum possessione formula vtebatur Praetor: BONORVM POSSESSIONEM DO. Ast si decreto interposito daret, dicebat: IN BONA IRE IVBEO; Valer. Max. VII. 7. Formulae IN POSSESSIONEM ESSE IVBEO: alia erat ratio, quae tunc locum habebat, quando praetor in possessionem mittebat rei seruandae caussa, vel legatorum seruandorum gratia, siue quod reus neque potestatem sui faceret, neque defenderetur. Adeoque haec sollemnia verba ad possessionem potius bonorum, quam ad bonorum possessionem videntur pertinuisse. Briss. *Form. V. p.* 408. Quomodo data?

§. XII.

Et hoc quidem fuit ius antiquum bonorum possessionis. At Iustinianus hic quoque multa suo more mutauit. Nam ex intestati bonorum possessionibus tertiam, quintam et octauam speciem plane sustulit; reliquas in pandectas referri iussit, mox et illas inutiles redditurus, inducta per Nouellam CXVIII. noua ab intestato succedendi ratione. §. 2. 3. *Inst. h. t.* Ius nouum.

TIT. XI.

DE

ADQVISITIONE PER ADROGATIONEM.

PLures sunt modi adquirendi per vniuersitatem. Caius *Inst.* II. 2. *princ.* eo refert *hereditatem*, *emtionem* (per quam non cum Contio mulieris in manum conuentionem, nec cum Aleandro emtionem familiae, sed emtionem bonorum debitoris intelligimus. Vid. Iac. Oisel. *ad* Caii *Inst. l. c. p. m.* 92.) et *adrogationem.* Sed recte A. Contius *Disp. iur. ciu.* I. 12. alios quosdam addit adquirendi modos, veluti *bonorum possessionem*, *addictionem bonorum*, *libertatum conseruandarum caussa*, et eam, quae fiebat *reda-*

Source : BIU Cujas

cta libera muliere in seruitutem ex SC. Claudiano. Quum ergo de *hereditatibus* et *bonorum possessionibus* satis prolixe adhuc egerit Imperator, *emtio* vero *bonorum* quae iam Iustiniani aeuo ab vsu recesserat, itidem supra satis explicata sit: nunc reliquas adquisitionum, quae per vniuersitatem fiunt, species exsequemur, et hoc quidem titulo de *adquisitione per* ADROGATIONEM; sequente XII. de *bonorum addictione, quae fit libertatis conseruandae caussa*; et titulo denique XIII. de *SCto Claudiano* agemus.

§. I.

Omnia bona et iura adrogati transibant ad adrogatorem.

Quid ADROGATIO sit, et quo ritu, quaque sollemnitate fieri debuerit, iam supra *Libro I. Tit. XI. §. V. sequ.* dicere occupauimus. Vbi etiam §. VI. VII. *et* XVIII. obseruatum est, adrogatum transisse in alia sacra, aliamque familiam, adeoque adrogatorem adrogatum in potestate habuisse. Gell. *Noct. Attic. V.* 19. Quum itaque patria potestas etiam illud ius complecteretur, vt quidquid adquirerent filii, non sibi, sed patri adquirerent: (vid. supra *Lib.* I. *Tit.* VIIII. §. 7.) consequens erat, vt et adrogati bona vniuersa et iura adquireret adrogator. Vnde omnia, quae adrogati fuerant, tacito iure ad eum transire dicuntur, qui adrogauit. *l.* 15. *pr. D. de adopt.* Cum capite ergo etiam fortunae eius in familiam et domum adrogatoris transferebantur, adeo, vt et actiones et nomina transirent sine cessione. §. 1. *Inst. h. t.* Attamen filius, stricto iure, manebat debitor, adeoque adrogator ex debito filii directe conueniri non poterat. §. *vlt. Inst. h. t. l. pen. C. ne vx. pro marit.*

§. II.

Exceptis iis, quae capitis deminutione perimebantur.

Excepta tamen erant ea iura, quae capitis deminutione perimi solebant. Talia erant operarum officialium obligationes, ius adgnationis, vsus et vsusfructus. Haec quum capitis deminutione perire possent, *l.* 7. *D. de cap. demin. l.* 1. *D. quibus mod. vsusfr. amittatur.* Paull. *Recept. Sent.* III. 6. 39. omnes vero, qui se adrogari sinunt, capitis deminutionem paterentur: non poterant profecto cum reliquis iuribus ad adrogatorem transire. §. 1. *Inst. h. t.*

§. III.

Ius nouum.

Sed et haec sustulit Iustinianus. Adrogatoribus enim non omnium bonorum adquisitionem, sed vsumfructum tantum, dominio adrogatis integro seruato, concessit. Mortuo autem filio adrogato, in adoptiua familia, etiam dominium rerum eius ad adrogatorem transire voluit, nisi supersessent aliae personae, quae partem

in

Source : BIU Cujas

in iis, quae adquiri non possent, ex constitutione antecedant. §. 2. *Inst. h. t.* Idem etiam Iustinianus consultissima ratione sanxit, vt adrogator ex filii adrogati contractibus conueniretur, et, si ille hunc defendere nollet, creditoribus bona filii, quorum pater adrogator vsumfructum habiturus fuisset, possidere permitteretur. §. *vlt. Inst. h. t.*

TIT. XII.

DE EO CVI LIBERTATIS CAVSSA BONA ADDICVNTVR.

BONORVM ADDICTIO libertatum conseruandarum caussa tota ita comparata est, vt sine antiquitatum cognitione intelligi nequeat. Ast antiquorum mores, in venditione bonorum obseruati, aliaque, ad quae hoc titulo adluditur, iam alio loco exposita sunt, ad quae hic licebit lectorem remittere.

§. I.

Caesar hoc titulo suppo-nendus.

Saepe fiebat, vt obaeratus quisquam facto testamento, heredem instituere extraneum, simulque seruis quibusdam libertatem vel legaret, vel fideicommisso daret. Non adeunte ergo herede, et hereditatem ob latitans aes alienum sibi suspectam repudiante, libertates etiam corruebant. *l. 2. C. de test. man. l. 1. C. de fideic. libert.*

§. II.

Rescriptum D. Marci.

Quum vero nihilominus magnus esset libertatis fauor: D. Marcus, Imperator, rescripto ad Pompilium Rufum statuit, vt bona, quae iam non sine ignominia defuncti venire debebant, seruo potius cuidam testamento manumisso addicerentur (*a*), ea tamen lege, vt non solum serui, quibus tum directo, tum per fideicommissum libertas data, libertatem consequerentur, verum etiam creditoribus caueretur de solido singulis soluendo. Quin et fisco

(*a*) Is ergo, cui addicta bona, nec heres erat, nec bonorum possessor. Bonorum tamen possessori adsimilabatur. *l. 2. §. 21. D. de fideicomm. lib.*

Source : BIU Cujas

bona non aliter addici passus est Imperator, quam vt libertas iis esset salua, qui eam adita hereditate consequi potuissent. Ipsum rescriptum D. Marci integrum exstat. §. 1. *Inst. h. t.* De Pompilio Rufo, ad quem Imperator rescripsit, disputant, seruusne, an liber homo fuerit? Seruum fuisse, existimat Theophilus *d.* §. 1. vbi eum ἕνα τῶν τυχόντων ἐλευθερίας ἐν τῇ διαθήκῃ, *vnum eorum, qui libertatem testamento consequuti fuerant*, adpellat. Sed negat Arnold. Vinn. ad *d.* §. 1. siquidem haec nomina seruis non magis conueniant, quam Caii Seii. *l.* 23. *D. de manumiss.* Sed seruum fuisse, mihi vix videtur dubitandum. Quid mouisset enim extraneum, vt tam duris conditionibus addici sibi pateretur hereditatem Virginii Valentis, aere alieno oppressam? Nomen vero Pompilii Rufi non a D. Marco, sed ab Imperatore Iustiniano ei datum videtur per προλῆψιν, quia libertini solebant aut manumissorum, aut eorum, quorum se patrocinio adplicabant, nomina adsumere. Atque ita etiam sentit Eguinarius Baro.

§. III.

Caussa huius rescripti.

Caussae ergo huius constitutionis sunt tum libertatis fauor, tum defuncti existimatio, quam per bonorum venditionem laesam fuisse, supra *Lib.* II. *Tit.* XVII. XVIIII. *n.* 11. obseruauimus.

§. IIII.

Ius nouum a Iustiniano inuectum.

Sed et his suo more nonnulla addidit Iustinianus *l. vlt. C. de testam. manum.* qua cautum est, I. vt ius postulandi bonorum addictionem annuum esset. II. Vt si plures simul satisdato postularent, iis bona simul addicerentur. III. Vt eius potissimum, qui plus se praestiturum esset pollicitus, ratio haberetur. IIII. Vt qui plus, quam alter, cui bona addicta, intra annum offerret, altero libertatem suam retinente, bona obtineret. Quae omnia commentatores latius exsequuntur.

Source : BIU Cujas

TIT. XIII.

DE

SVCCESSIONIBVS SVBLATIS, QVAE FIEBANT PER BONORVM VENDITIONEM ET EX SC. CLAVDIANO.

QVidquid de adquisitione per bonorum venditionem dici potuit, iam supra *Lib.* II. *Tit.* XVIII. XVIIII. §. 11. occupatum est. Obseruatis enim ritibus, ibi descriptis, actiones omnes et iura defuncti ad bonorum emtorem vel sectorem, transibant, vnde et is a creditoribus, non secus ac bonorum possessor, conueniebatur, quia vterque successor erat praetorius. Car. Sigon. *de Iudic.* I. 18. *p.* 450. Theoph. *pr. Inst. h. t.*

§. I.

Senatus consulti quoque Claudiani meminimus iam aliquoties supra *Libro* I. *Tit.* III. *n.* 5. et *Lib.* I. *Tit.* XVI. *n.* 8. vbi etiam eius occasionem et historiam in compendio exposuimus, nihil vt hic addendum videatur, praeter id vnum, quod mulier eiusmodi libidinosa in seruitutem detrusa simul cum libertate omnem amiserit substantiam. §. 1. *Inst. h. t.* Quod, tanquam saeculo suo indignum, sustulit Iustinianus. *d.* §. 1. *Inst. h. t.* De Sc. Claudiano remisso.

TIT. XIIII.

DE

OBLIGATIONIBVS.

IVS nobis IN REM competit, vel IN PERSONAM. De *illo* hactenus actum: *hoc* quum ex OBLIGATIONIBVS sit, de iis iam agere incipit Iustinianus ab hoc titulo vsque ad *Lib.* IIII. *Tit. V.* Videndum ergo, quid Romanis obligatio, et quot eius genera fuerint.

Source : BIU Cujas

§. I.

Obligatio apud Romanos quid?

OBLIGATIONEM definiunt veteres, quod sit *iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendae, secundum nostrae ciuitatis iura. pr. Inst. h. t.* At haec definitio non est obligationis in genere, sed speciatim obligationis ciuilis et mixtae. Quamvis enim alias naturalis aequitas omnes conuentiones, etiam nullis legibus ciuilibus definitas, seruari iubeat, nihilque tam congruum sit fidei humanae, quam ea quae placuerunt, inter homines seruari: *l. 1. D. de pact.* Romani tamen experientia edocti, saepe homines ea, quae promiserint, serio se promisisse, negare, certis obligationum generibus certam formam certumque ordinem dederant, ita quidem, vt nisi quis istam formam sequutus fuerit, nulla inde valida nasci videretur obligatio (*a*). Et hinc addita sunt verba: *secundum nostrae ciuitatis iura.* Ceterum non existimandum est, Romanos negasse pacta esse seruanda. Potius eum virum malum atque improbum iudicabant, qui pacta violasset. Legenda, quae in eam rem differit Seneca *de Benef.* III. 15. Attamen non adsistebant iura iis, qui nudum pactum inierant, quod fidem in negotiorum contractibus sanxissent. Gell. *Noct. Att. XX.* 1. adeoque sibi imputare deberet, qui nuda pactione alterum sibi obstrinxerit, quod communem conuentiones firmandi modum, puta stipulationem omiserit. Merill. *Obs.* VII. 39. Iure ergo Romano vetere non pacta nuda, immo nec iusiurandum, vllam producebant obligationem, sed soli contractus. Primus quinquaginta de contractibus leges dederat Ser. Tullius Rex. Dionys. Halic. *Ant. Rom.* IIII. *p.* 218. Quem etiam primum aes signasse, numumque, praecipuum contractuum instrumentum, cudisse, tradit Plin. *Hist. Nat.* XXXIII. 3. cuius narrationem ope-

(*a*) Pacta ergo nuda non producebant obligationem ciuilem, cuius rei eam rationem reddit Sex. Caecilius apud Gell. *Noct. Att. XX.* 1. *quia fidem maiores in negotiorum contractibus sanxerint.* At postea tamen indignatus praetor, hac in re impune falli fidem, non quidem actionem, sed exceptionem tamen ex pacto dedit. *l. 7. §. 4. D. de pact.* Immo et quibusdam pactis adstitit, iisque certas actiones accommodauit, veluti constitutae pecuniae, et pacto hypothecae. Ante haec edicta variis artibus eludebantur pacta, crebraeque in foro erant disputationes de conuentionibus, pactorumne an in contractuum numerum essent referendae? Quo respicit Plaut. *Aulul. II. v.* 81.

- - At scio, quo vos pacto soleatis perplexarier!
Pactum non pactum est, non pactum autem pactum est, quod vobis lubet.

Adde Ger. Noodt. *de Pact. et Transact. X. p.* 678. *sequ.*

Source : BIU Cujas

operose defendit B. Branchu. *Obseru. D.* II. 12. quamuis alii numos Numae et originem et nomen debere, contendant. Eas leges deinde abrogauit Tarquin. Superbus. Dionys. Hal. IIII. 245. Denique plerasque in XII. Tabulis restituerunt decemuiri, quos sequuti iureconsulti disputatione fori eo rem deduxere, vt nemo posset, nisi certa adhibita forma, contrahere.

§. II.

Obligatio vel ciuilis vel praetoria, naturalis, ciuilis, mixta.

Quum vero forma illa obligationibus data esset vel per leges ciuiles, vel per edicta Praetorum: factum est, vt obligationes in CIVILES et PRAETORIAS vel HONORARIAS distinguerentur. §. 1. *Inst. h. t. l.* 1. §. *pen. D. de exercit. act. l.* 8. §. 2. *D. de fideiuss. l.* 8. §. *vlt. D. de accept.* Illae legibus vel constitutae sunt, vel comprobatae, veluti ex contractibus obligatio litterarum et verborum, ex delictis furtum nec manifestum, damnum iniuria datum, &c. Has praetor ex sua iurisdictione constituit, quales sunt ex conuentionibus constituta pecunia, e delictis iniuria &c. Sed reuera hanc distinctionem, saluo tamen discrimine praescriptionis, sustulit Iustinianus, dum omnes obligationes miscuit, corporique suo iuris inseri iussit promiscue. Thomas. *Not. ad Inst. h. t.* Praeterea obligationi adsistit lex, et quidem vel sola *naturalis*, cui non adstipulatur ius ciuile, vel *ciuilis*, cui naturalis aequitas resistit, vel *naturale et ciuile ius* simul. Vnde primi generis obligatio NATVRALIS, secundi CIVILIS, tertii MIXTA adpellatur. §. 1. *Inst. de obligat.*

§. III.

Quid contractus et delictum?

Porro omnes obligationes nasci constat vel ἀμέσως ex naturali *aequitate* vel *lege*, vel ex *facto*, eoque vel *licito* vel *illicito*. Quae ex facto licito descendunt obligationes, CONTRACTVS dicuntur: quae ex illicito, DELICTA vel MALEFICIA audiunt. Cai. *Inst.* II. 9. *princ.* Contractus quum consensu ineantur, isque vel *verus* sit, vel *praesumtus*, ii qui ex vero nascuntur, CONTRACTVS; qui ex praesumto, QVASI CONTRACTVS adpellantur. In delictis quoque vel *dolus* concurrit, vel *culpa* tantum. Si dolus, VERVM DELICTVM; sin culpa, QVASI DELICTVM inde nascitur. Thomas. *Diss. de vsu pract. action. aduers. iudicem imperite iudic.* §. 2.

§. IIII.

Source : BIU Cujas

§. IIII.

Quid interſit inter pacta et contractus?

CONTRACTVS (*b*) ergo in ſe conſiderati Romanis iureconſultis ſunt conuentiones, quibus ſubſunt cauſſae ciuiles, id eſt, eiusmodi negotia, quae iure ciuili recepta adeoque idonea ſunt ad producendam obligationem. Ger. Noodt. *de Pact. et Tranſact.* VIIII. *p.* 673. Paullo aliter ego contractus a pactis diſtinguo. Pactum enim neque nomen et cauſſam, contractum aut nomen et cauſſam, aut certe, ſi nomine caret, cauſſam habere oportet. *l.* 7. §. 1. *et* 2. *D. de pact.* Habere autem nomen dicitur, cui eiusmodi inditum eſt vocabulum, quod producat actionem eiusdem nominis, vt contractus nominati. Cauſſam vero habet negotium, quod vel a *rei traditione*, vel a *verbis ſolennibus*, vel a *litteris*, vel a *conſenſu* de praeſenti effectum ſumit. Vnde contractuum in eos, qui RE, VERBIS, LITTERIS vel CONSENSV ineuntur, diuiſio. Ideo DO VT DES conuentio eſt ſine nomine, ſed, quia tamen a datione vel facto ſumſit effectum, contractibus accenſetur. *Dabo vt des* eſſet nudum pactum, quia nulla cauſſa praecedit. Vnde ſimul patet, cur promiſſio rei futurae non ſit contractus, quamuis adſit conſenſus mutuus. Non enim conſentiunt in id, quod ſtatim detur, vel fiat, ſed quod in poſterum dandum faciendumque ſit. Inter contrahentes ita conuenit: *vendo*, *emo*; *loco*, *conduco*. Inter paciſcentes: *vendam*, *emam*: *locabo*, *conducam*. Porro inde patet, cur in contractibus innominatis locus fuerit poenitentiae. Ex parte enim eius, qui nondum quod promiſſum erat praeſtiterat, nudum erat pactum. Ergo alterum fas erat poenitere, vel datum repetere, condictione cauſſa data, cauſſa non ſequuta. *l.* 5. *pr. et* §§. *ſequ. D. de condict. cauſſ. dat.*

(*b*) Sunt et alia contractuum nomina. Vocantur enim συναλλάγματα, *negotia ciuilia*, *cauſſae*, *cauſſae ciuiles*, *formae negotii*, *contractus negotii* vel *negotia contractus*. Loca colligit Ger. Noodt. *ibid. cap.* VIIII. *p.* 673.

§. V.

Contractus quotuplices?

Contractus porro nominati, vt dixi, vel *re* perficiuntur, vel *verbis*, vel *litteris*, vel *ſolo conſenſu*: de quibus quatuor contractuum ſpeciebus agendum diſtinctius.

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. XV.

QVIBVS MODIS RE CONTRAHITVR OBLIGATIO.

QVamuis plures sint contractus, quibus RE contrahitur obligatio, veluti omnes contractus innominati, quippe qui demum ex datione vel facto obligant, *l.* 7. §. 2. *D. de pact. l.* 5. *pr. D. praescript. verb.* placuit tamen Imperatori, de MVTVO tantum, COMMODATO, DEPOSITO et PIGNORE tanquam contractibus nominatis realibus, hic agere.

§. I.

MVTVI DATIO est, *quando ita alteri aliquid traditur, quod pondere, mensura, numero continetur, vt accipientis fiat, et quandocunque aliud eiusdem generis*, id est, *naturae et qualitatis, reddatur.* Transfertur ergo hoc contractu dominium rei fungibilis in alterum, eoque fit alienatio, non quidem talis, qualis erat rerum mancipi, et quam solam Cicero *Topic. ad Trebat.* XVIII. vocat *abalienationem*, sed qualis est rerum nec mancipi. Est enim alienatio *omnis actus, quo transfertur dominium. l.* 1. *C. de fundo dot.* Bynkershoek. *de reb. mancipi et nec mancipi* VIIII. *p.* 135. Quo ipso corruit quidquid in contrarium adferunt Salmasius et Iac. Oiselius, quorum sententia dudum est a iureconsultis accuratioribus, et inprimis a Car. Hannibale Fabrotto et Io. Iac. Wissenbachio explosa. Vid. Ant. Schulting. *ad Caii Inst.* II. 9. 1. *p.* 147. Res vero FVNGIBILIS est, quae, vt in definitione est, pondere, mensura et numero continetur. Ipsum argentum olim foeneratores non adnumerabant, sed adpendebant. Plin. XXXIII. 3. Varro *de Lingua Lat.* IIII. *fin.* Postea aes rude tantum, aliaque, quae pondere constant, adpendi sunt solita, vt cera, pix, lardum (*a*), cetera. Reliquas res vel admetiebantur, vel adnumerabant (*b*). Vid. Oisel. Quid mutuum?

(*a*) Sic Varro *de re Rust. III.* 17. refert, *Hirrium Caesari duo millia muraenarum mutua dedisse in pondus.* Et Plin. VIIII. SS. C. *Hirrium Caesari sex millia numero muraenarum mutuo adpendisse, permutare quidem pretio noluisse, nec alia merce.*

(*b*) Vnde et grex ad numerum dari mutuo potest. *l.* 35. §. 6. *de contr. emt.*

Source : BIU Cujas

ad Caii Inſt. II. 9. 1. *p. m.* 148. Addidi porro in definitione, aliud quandocumque eiusdem generis, id eſt, naturae et qualitatis reddendum. Quamuis enim Caius *ibid.* addat *ſtatuto tempore*, et in ipſis inſtitutionibus noſtris *princ. h. t.* pro *et quoniam nobis non eadem res* &c. legendum ſit *et quandoque nobis non eadem res*, vt docent Anton. Auguſtin. *Emend.* III. 7. et alii (*c*): tempus tamen, quando debitor ſoluere debeat, adiici neceſſario non oportebat.

(*c*) Aliter quidem Aleander ad Caii *Inſt. l. c.* At Schultingius *p.* 149. docet, τὸ *quandoque* in *princ. Inſt. h. t.* idem eſſe ac *quandocunque*, neque opus fuiſſe, vt tempus adiiceretur mutuo. Sane aliud fuit mutuum, aliud foenus, alia actio mutui, alia calendarii. Cuiac. *Obſ. XI.* 37.

§. II.

Vnde dictum mutuum?

MVTVVM vero non adpellatur, quaſi a me ita tibi datum ſit, vt *ex meo tuum* fieret, ceu exiſtimant Caius *Inſt.* II. 91. Paullus *l.* 2. §. 2. *D. de rebus credit.* et Iuſtinianus *princ. Inſt. h. t.* (*d*) ſed a voce Sicula μοῖτον. Varro *de Lingua Lat.* IIII. *p.* 29. *Si datur, quod reddatur, mutuum eſt, quod Siculis* μοῖτον. Pleraſque enim rei pecuniariae adpellationes Romanos a Siculis mutuatos eſſe, iam alibi a nobis obſeruatum eſt *Libro* II. *Tit.* XIIII. *n.* 5. Ceterum ad antiquitates praecipue pertinet quod creditores pecuniam vel ex arca numerarent, vel a trapezita, ſeu argentario. Qui ex arca numerabat, dicebatur *ex arca vel de domo numeraſſe*, et accipiebat cautionem, cuius elegans formula exſtat in *l.* 40. *D. de reb. credit.* Qui a trapezita numerabant, dicebantur *de menſa numeraſſe*, idque referebatur in rationes. Quo de diſcrimine multa potius, quam bona cumulauit Claud. Salmaſ. *de Mod. Vſur. Cap.* XI. *p.* 473. *ſequ.* Rem explicat Donatus ad Terent. *Adelph. Act.* II. *Scen.* IIII. *Ego ad forum ibo. tunc enim in foro magis, et de menſae ſcriptura, quam ex arca domoque vel ciſta, pecunia numerabatur.*

(*d*) Pertinet ergo haec etymologia ad originationes Stoicas, quibus nimium quantum indulſiſſe iureconſultos veteres, iam ſupra *Libro I. Tit. I. n.* 3. obſeruauimus. Adde Cuiacii *Obſ. XI.* 37.

§. III.

Quid foenus?

Multum vero intererat inter *mutuum* et *foenus*, quamuis haec a plerisque confundi ſoleant. Aſt accurate diſtinxit Plaut. *Aſinar. l.* 3. *v. vlt.*

Nam ſi MVTVAS *non potero, certum eſt, ſumam* FOENORE.

Diſtin-

Source : BIU Cujas

Distinxere etiam iureconsulti nostri, *l.* 33. *D. de reb. credit.* et Imperatores Arcadius, Honorius et Theodosius, *l.* 6. *C. Theod. de denunc. et edit. rescind. Lib.* II. *Tit.* IIII. Inprimis vero accurate hoc discrimen exsequutus est Nonius Marcell. *V.* 70. *p.* 731. quem locum ita ego legendum existimauerim : MVTVVM *a* FOENORE *hoc distat, quod mutuum sine vsuris, foenus cum vsuris sumitur : et est accepti foetus. Vnde et foenus dictum est, vt Graece* τόκος, *quasi partus mutui sumti. - - - - Vnde honestius mutuum est, quod sub amico adfectu fiat meum tuum, vsu temporis necessarii : foenus sumeret dedecet.*

§. IIII.

Differentia inter foenus et mutuum.

Ex his verbis non vna elicitur MVTVI et FOENORIS differentia. I. *Mutuum* erat gratuitum, neque ob id vsurae ordinarie debebantur : *foenus* vsuris exhauriebat debitores. Adeoque illud ad contractum commodati, hoc ad locationem conductionem accedebat propius. Ger. Noodt. *de Foenorib. et vsur.* I. 6. *p.* 239. II. *Illud* sub amico adfectu dabatur : *hoc* inexplebilis habendi cupiditas inuenerat. Seneca *de Benef.* VII. 10. III. *Illud* honestum, *hoc* bonis omnibus turpe videbatur. Nota sunt illa Catonis, qui quum varios recensuisset adquirendi modos, quaesitus, *quid foenerari?* respondit : *Quid hominem occidere?* Plin. *Hist. Nat.* XVIII. 5. Cic. *de Offic.* II. 25. Idem Cato *de Re Rust. init. Est interdum praestans, mercaturis rem quaerere, ni tam periculosum siet, et item foenerari, si tam honestum. Maiores enim nostri sic habuerunt, et ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli. Quanto peiorem ciuem existimauerint foeneratorem, quam furem, hinc licet existimare.* Non minus in vsuras inuehitur Seneca *de Benef.* VII. 10. Vnde profecto non mirum, M. Antonium Octauiano Caesari inter reliqua probra obiecisse etiam auum argentarium. Sueton. *Aug. I.* IIII. Porro *mutuum* ad tempus necessarium dabatur : *foenus* in certum statumque diem. Solebant enim foeneratores et argentarii sedentes ad medium Ianum (*e*) in singulas Kalendas foenerare pecunias. Horat. *Epod.* II. *v.* 67.

(*e*) Testatur Cicero *de Offic.* II. 25. *et Phil. V. VI. VII.* Horat. *Epist.* I. 1.

O ciues, ciues, quaerenda pecunia primum,
Virtus post numos. Hoc Ianus summus ab imo
Perdocet.

Tres scilicet Romae erant Iani statuae, ad quarum vnam creditores, ad alteram foenori posituri numos, ad tertiam exigentes conueniebant. Alex. ab Alex. *Genial. dier.* I. 14. Rappold. *ad Horat. p.* 322.

Source : BIU Cujas

Haec vbi loquutus foenerator Alphius,
Iamiam futurus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quaerit Kalendis ponere.

Idem *Serm. I. 3. v. 86.*

Odisti et fugis, vt Drusonem debitor aeris,
Qui, nisi quum tristes misero venere Kalendae,
Mercedem aut numos vnde vnde extricat.

Et ideo codex, cui inscribebantur illa creditorum nomina, KALENDARIVM (*f*) vocabatur. *l. pen. D. si cert. pet. l. vlt. D. de pecul. l. 88. D. de legat. 2.* Senec. *de Benef. I. 2. et Epist.* XIIII. *et* LXXXVII. In hoc ergo Kalendario, praemisso Kalendarum nomine, debitorum subiiciebantur nomina. Vnde Martial. *Epigr.* VIII. 44.

Superba densis arca palleat numis:
Centum explicentur paginae Kalendarum.

Eamdem ob causam *Kalendarium exercere* dicuntur foeneratores. *l. 34. §. 1. et l. 39. et l. 41. §. 6. D. de legat. 3. et in Kalendarium conuersa pecunia* est, quae nominibus et foenore occupata. *l. 39. §. 14. D. de administr. tut. l. 64. D. de leg. 3.* Vt ergo ad foenus redeamus, illud, redeuntibus Kalendis, soluendum erat, quum mutuum, non nisi vsu necessario finito, reddi soleret.

(*f*) Kalendario isti priuati praeponere solebant seruum. *l. 41. D. de reb. credit.* Erant vero et ciuitatibus eiusmodi Kalendaria, quibus praeerant curatores Kalendarii, de quibus *l. 18. §. 2. D. de muner. et honor. et l. 9. §. 7. D. de administrat. rerum ad ciuitatem pertin.* Meminit eorumdem curatorum vetus lapis apud Gruter. *Inscript. p.* CCCCXXXXVI. 7.

P. OTACILIO L. F. PAL. RVFO.
PAT.
IIII. VIR. I. D. II. Q. FLAM. PERPETVO.
DIVI. HADRIANI. AB. EODEM. EQVO. PVBL.
HONORATO. CVRATORI. KALENDARI. R. P.
AECLANENSIVM. ELECTO. A. DIVO PIO.
PATRONO. MVNICIPI.

§. V.

Diuersae actiones, quibus mutuum et foenus petitur.

Accedit V. et haec differentia, quod diuersae ex *mutuo* et *foenore* nascebantur actiones. Mutuum enim repetebatur condictione certi ex mutuo; *pr. Inst. h. t.* foenus actione Kalendarii. Cuiac. *Obs. XI.* 37. quae tamen procul dubio fuit species condictionis certi ex stipulatu.

§. VI.

Source : BIU Cujas

§. VI.

Et ex his facile soluetur quaestio, qualis veteribus fuerit contractus foenoris? Diximus eum proxime accedere ad locationem conductionem, quia numi vsui dantur et accipiuntur pro certa mercede. Vnde Horat. *Serm.* I. 2. *v.* 9. Mutuum et foenus, quales contractus?

Omnia CONDVCTIS *coëment obsonia* NVMIS.

Vbi *numi conducti* sunt foenore sumti. Sed foenus tamen proprie non est locatio, quia numorum non vsus, sed abusus est. Accedit, quod contracta locatione eadem res reddenda est, contracto foenore non item. Quare in negotio vsurario duplex interuenit contractus, mutui puta, et foenoris, quorum illo re, id est, pecuniae datione, hic verbis, id est stipulatione (*g*) initur. Neque enim citra stipulationem foenus contrahebatur, nisi nauticum. *l.* 5. §. 1. *et l.* 7. *D. de naut. foenor.* item foenus reip. vel mensae argentariae (*h*), vt et in his rebus, quae mensura constant. Cuiac. *Obseru.* VIII. 15.

(*g*) Paull. *Recept. Sent.* II. 14. 1. *Si pactum nudum de praestandis vsuris interpositum sit, nullius est momenti: ex nudo enim pacto inter ciues Romanos actio non nascitur.* Conf. *l.* 24. *D. de praescript. verb.*

(*h*) Mensarii publicam rationem conficiebant: argentarii priuatam. Egregia sunt, quae de vtrisque obseruat Car. Sigon. *de ant. iure ciu. Rom.* II. 11. *p.* 323. *seq.*

§. VII.

Vt vero tota rei vsurariae ratio eo rectius intelligatur: sciendum est, *vetus admodum in vrbe fuisse foenebre malum, et discordiarum seditionumque creberrimam caussam, eoque antiquis ac minus corruptis moribus non raro cohibitum. Nam primo* XII. *tabulis sanctum, vt ne quis vnciario foenore amplius exerceret, quam antea ex libidine locupletium agitaretur.* Tacit. *Ann.* VI. 16. Quod vnciarium foenus lege XII. Tabularum constitutum si quis excedere non dubitaret, is quadruplo luebat. Cato *de Re Rust. praefat.* Lex XII. Tab. de foenore.

§. VIII.

Sed quam parum diu ea lex saluberrima valuerit, vel ex eo patet, quod paullo post in Manliano illo tumultu clamaret obaeratus: *Se militantem, se restituentem euersos penates, multiplici iam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem vsuris, obrutum foenore esse.* Liu. VI. 14. Quare breui post tempore, id est A. V. C. CCCLXXVIII. a C. Licinio Stolone, Tribuno plebis, lege cautum est, vt dedu- Lex Licinia de eodem.

Source : BIU Cujas

cto eo de capite, quod vsuris praenumeratum esset, id quod superesset, triennio aequis portionibus persolueretur. Liu. VI. 35.

§. VIIII.

Lex Duillia Maenia de eodem.

Paullo post C. Marcio et Cn. Manlio Coss. rogatio perlata est a M. Duillio et L. Maenio, Tribunis plebis, de vnciario foenore. Ex quo patet, denuo exoleuisse legem XII. Tabularum, maximasque iterum pro minimis irrepsisse vsuras. Qua de re Liuius VII. 16. *Haud aeque laeta patribus insequente anno C. Marcio et Cn. Manlio Coss. de vnciario foenore a M. Duillio et L. Maenio, tribunis plebis, rogatio est perlata: et plebs aliquanto eam cupidius sciuit, accepitque.*

§. X.

Lex de foenore semiunciario.

Sed quemadmodum locupletiores nullo foenore poterant satiari: ita plebs ne vnciarium quidem aequo animo ferebat. Vnde *dein rogatione tribunitia ad semiuncias redacta vsura*, vt ait Tacit. *Annal.* VI. 16. Factum id anno V. C. CCCCVIII. T. Manlio et C. Plautio Coss. Liu. VII. 27. *Inde ocium domi forisque mansit. T. Manlio Torquato et C. Plautio coss. semiunciarium tantum ex vnciario foenus factum, et in pensiones aequas triennii, ita vt quarta praesens esset, solutio aeris alieni dispensata est.*

§. XI.

Lex Genucia de vsura non facienda.

Postquam semel a plebe animaduersum est, posse minores vsuras, quam lex XII. Tabularum constituerat, plebiscitis introduci, eo denique prolapsa est effrenis licentia, vt omne foenus tolleret, ac ne leuissimam quidem vsuram concederet creditoribus. Qua de re egit lex Genucia, descripta a Liuio VII. 41. *Praeter haec inuenio apud quosdam, L. Genucium, tribunum plebis, tulisse ad populum, ne foenerare liceret.* Paullo aliter Tacit. *Ann. VI.* 16. *Postremo vetita versura*, nisi forte pro *versura* malis *vsuram* ponere. Vtcumque se res habeat, lata est haec lex Genucia anno V. C. CCCCXIII. C. Martio Rutilo IIII. et Q. Seruilio Coss.

§. XII.

Fraudes foeneratorum lege Sempronia coercitae.

Sed dici non potest, quam ingeniose, quamque fraudulenter hanc legem eluserint foeneratores, quorum intererat, vt quod per legem Genuciam non licebat, calliditate consequerentur. Meminit earum fraudum Tacitus *Ann.* VI. 16. sed breuiter: *Postremo*, inquit, *vetita versura, multisque plebiscitis obuiam itum fraudibus, quae*

Source : BIU Cujas

quae toties repreſſae, miras per artes rurſum oriebantur. Sed qua in re conſtiterint illae foeneratorum verſutiae, plenius multo oſtendit *Liu. XXXV.* 7. *Inſtabat enim cura alia, quod ciuitas foenore laborabat: et quum multis foenebribus legibus conſtricta auaritia eſſet, via fraudis inerat, vt in ſocios, qui non tenentur iis legibus, nomina tranſcriberent: ita libero foenore obruebant debitores.* Scilicet plebiſcitum illud Genucium Romae quidem, aſt non in Latio, valebat: licitumque adeo erat ſociis et Latini nominis, vſuras quantascunque a debitoribus ſtipulari. Callide ergo foeneratores agebant cum ſociis et Latini nominis, vt paterentur pecunia ſuo nomine foenori locare. Quo fiebat, vt, nec quidquam vetante lege, non minus ac antea gliſceret foenebre malum, ciuesque vſuras mordaciſſimas pendere cogerentur. Aſt anno denique V. C. IↃLX. L. Cornelio Merula et Q. Minucio Thermo Coſſ. coerceri has foeneratorum artes placuit, lataque eam in rem eſt lex Sempronia. Et initio quidem edictum, *vt qui poſt diem proximorum Feralium ſocii ciuibus credidiſſent pecunias, profiterentur: et ex ea die pecuniae creditae, quibus debitor vellet, legibus, ius creditori diceretur.* Poſtea vero vbi profeſſionibus detecta eſt magnitudo aeris alieni, per hanc fraudem contracti, M. Sempronius, Tribunus plebis, ex auctoritate patrum plebem rogauit, plebsque ſciuit, VT CVM SOCIIS AC NOMINE LATINO PECVNIAE CREDITAE IVS IDEM, QVOD CVM CIVIBVS ROMANIS, ESSET, Liu. *Hiſt. XXXV.* 7. Factum eſt ergo lege Sempronia, vt quum antea ciues tantum obligaret lex Genucia, deinde etiam ſocii ac Latini nominis eadem tenerentur.

§. XIII.

Vſura centeſima demum legitima habita.

Sed his omnibus legibus nihil actum. Recruduit ſubinde foenebre malum, ſiue quod pecuniae incrementum non ſub antiqua amplius foenoris adpellatione peteretur, (quod lex prohibebat,) ſed ſub nouo vſurae vel poenae nomine; ſiue quod debitores in contrahendo foenore legis beneficio renunciarent, vt erudite oſtendit Ger. Noodt. *de Foen. et vſur.* II. 4. *p.* 269. Denique eo res deuenit, vt vſura centeſima legitima haberetur, maiores centeſimis vſurae improbarentur, niſi quod nauticum foenus contrahentium arbitrio relinqueretur. *l.* 40. *D. de reb. cred. l. vlt. C. de vſur. rei iudic.* Si quid ſupra centeſimam ſolutum, non repetebatur quidem illud, ſed ſortem tamen minuebat: conſumta vero ſorte, repetebatur quidem, teſte Paullo *Recept. Sent.* II. 15. 2. aſt non tamquam

quam vsura, sed tamquam sors indebite soluta. *l. 26. princ. D. de condict. indeb.* (*i*) *l. 18. l. 26. §. 1. C. de vsur.*

(*i*) Vsurae enim praestantur; quasi poena morae. *l. 40. D. de reb. cred.* Quae autem quis poenae nomine persoluerat, ea non repetebantur iure antiquo. *l. 42. D. eod. l. 46. D. de reg. iur.* Vid. Ger. Noodt. *de foen. et vsur. II. 13.* Petr. Faber *ad tit. de Reg. iur. p. 224.*

§. XIIII.

Ea non inducta lege Gabinia.

Quis primus hunc vsuris modum constituerit, incertum videtur. Plerique huc trahunt *legem Gabiniam*, decepti loco Ciceronis *Epist. ad Att. V. 21. Salaminii quum Romae versuram facere vellent, non poterant; quod lex Gabinia vetabat.* Quum vero Salaminiis tunc cum Scaptio res esset, qui quaternas postulabat vsuras, non abs re colligere sibi videntur ex hoc Ciceronis loco, centesimam vsuram inductam esse lege Gabinia. Vid. Barn. Briss. *Antiq. Rom. III. 1. p. 46.* Franc. Hotom. *de Legib. p. 74.* Sed rationem hos fugere, iam pridem ostendit Io. Fr. Gronou. *de centes. et vnciar. vsur. ἀντεζητήσεις II. 36. p. 60.* et post eum Ger. Noodt. *de Foen. et vsuris II. 4. p. 269.* Nihil enim aliud hac lege Gabinia fuerat cautum, quam, vt ne quis legato prouinciali Romae sub vsuris daret mutuam pecuniam: et si dedisset, ne quis magistratus ex ea syngrapha ius diceret, addita poena, cum aduersus foeneratores, qui vsuram a prouincialibus contra legem acciperent, tum aduersus prouinciales, qui darent. Ascon. Paedian. *ad* Cic. *pro Cornelio.*

§. XV.

Sed ex edicto Praetoris SC. et constitutionibus.

Certius ex eadem Ciceronis epistola colligitur, modum hunc vsuris esse constitutum edicto praetoris. Sane enim quum Cicero Ciliciae procos. praeesset, ad Atticum scribebat, *Lib. V. Epist. vlt. Interim, quum ego in edicto tralatitio centesimas me obseruaturum, haberem, cum anatocismi anniuersario: ille ex syngrapho postulabat quaternas. Quid ais? inquam, possumne contra meum edictum?* Ex his verbis adparet, Ciceronem in edicto proconsulari, Cilicibus proposito, promisisse, centesimas se obseruaturum, neque adeo vlteriores cuiquam vsuras adiudicaturum. Id quod etiam Lucullus obseruauit in prouincia, teste Plut. *Vit. Lucull. p. 504.* Quum itaque iam supra *Prooem. XV.* demonstratum sit, proconsules in edictis suis edicta praetorum in plerisque esse sequutos: verosimillimum sane est, ex eodem fonte vsuram centesimam hausisse Ciceronem proconsulem, adeoque hunc vsurarum modum ex iure hono-

Source : BIU Cujas

honorario esse. Quod etiam obseruauit Ger. Noodt. *de Foenor. et Vsur.* II. 4. *p.* 269. Accessere tamen deinde cum SC. tum et Principum constitutiones, quibus ille vsurarum modus firmatus est. Senatusconsulti eiusmodi, Marcello Sulpitioque Coss. facti, mentio fit apud Ciceron. *Epist. ad Att. V.* 21. Constitutionum vero exempla sunt in *l.* 13. §. 26. *D. de act. emt. et vend. l.* 20. *C. de vsur.*

§. XVI.

Foenus nauticum.

Sed hic vsurarum modus tantum ad foenus ordinarium pertinebat, non item ad pecuniam traiectitiam, quae quamdiu in mari erat nauis, infinitas recipiebat vsuras, quia omne pecuniae istius periculum penes creditorem erat, donec nauis in portum adpulisset. *l.* 1. *l. vlt. C. de naut. foen.* Paull. *Rec. Sent.* II. 16. 3. Vnde errat Guill. Budaeus *Adnot. ad Pandect. p.* 364. qui pecuniam traiectitiam pro itu et reditu non nisi duplicem centesimam admisisse existimat, vt recte atque erudite ostendit Ger. Noodt. *de Foen. et vsur.* II. 7. *p.* 276. Simul ac subducta esset nauis periculo: cessabat illud foenus nauticum, idemque seruabatur, quod in aliis pecuniis, quae periculo erant debitoris, adeoque non nisi centesima vsura exigi poterat. *l.* 4. *D. de naut. foen.* quam etiam, tamquam ordinarium foenus nauticum, retinuit Iustinianus, ceu adparet ex *l.* 26. §. 1. *C. de vsuris.* Formulas contractus de foenore nautico habemus in *l.* 122. §. 1. *D. de verb. oblig. l.* 3. *C. de naut. foen.*

§. XVII.

Nouum ius a Iustiniano inuectum.

At Iustinianus nouissime omnia mutauit, ita tamen, vt sibi suo more parum constaret. Nam vsuras nauticas non nisi centesimas esse voluit *l.* 26. §. 1. *C. de vsur.* qua in lege etiam vulgares et populares vsuras semisses statuit: mercatoribus vero besses, et illustribus non vltra trientes concessit. Centesimas tamen etiam exigi passus est ex speciebus, foenori datis, veluti oleo, frumento, aliisque rebus fungibilibus, quarum incertum et varium pretium esse solet. *l.* 23. *C. eod.* Quin centesimis paullo maiores vsuras petere licebat ab agricolis, quibus creditum fuerat frumentum, quippe qui soluebant octauam singulorum modiorum partem. *Nou.* XXXII. *cap.* I. Ast *Nou.* CVI. longe ampliores indulsit: quam constitutionem denuo ipse aboleuit *Nou. CX.* Vt adeo ex eo tempore procul dubio *l.* 26. *C. de vsuris* in foro aliquamdiu viguerit.

Source : BIU Cujas

§. XVIII.

Modus computandi vsuras.

Quum vero modus computandi vsuras, quo vsi sunt Romani, multum ab hodierno differat, neque omnibus adeo expeditus videatur: (*k*) dabimus operam, vt post Salmasium, Gronouium, Martinum Schookium, (*l*) Vinc. Grauinam et Ger. Noodt. rem omnem, quanta fieri potest, perspicuitate, explicemus. Romani sortem vniuersam foenore occupandam diuidebant in centena: de qua summa maxima, quam stipulari licebat, vsura erat centesima in mensem, Columella *de Re Rust.* III. 3. id est, si quis centenos denarios credidisset, poterat a debitore sibi singulos denarios in singulos menses stipulari, eaque vsura vocabatur CENTESIMA nec non *legitima*, *l.* 7. §. 4. *et* 10. *D. de adm. tut.* vel *maxima* et *grauissima. l.* 7. §. 8. *et l.* 54. *D. de adm. tut. l.* 38. *D. de negot. gest.* Ea pars centesima singulis Kalendis solui solebat. *l.* 26. *D. depos.* Et inde est, quod Ouidio *de remed. amor. v.* 265. vocantur *celeres ac tristes Kalendae.* Quum vero duodecim sint menses: quidquid per integrum annum vsurarum praestandum erat, id vocabant ASSEM *vsurarium*, et quia eum suo more in duodecim vncias distribuebant:

(*k*) Adeo intricatus iam veteribus videbatur ille vsuras computandi modus, vt pueros suos ab ipsis incunabulis ad intelligentiam huius calculi instituerent. Hinc Horat. *Serm. I. 6. v.* 72.

- - - Magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laeuo suspensi loculos tabulamque lacerto
Ibant, octonis referentes idibus aera.

Et de *Arte poet. v.* 325.

Romani pueri, longis rationibus, assem
Discant in partes centum deducere. Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Vncia, quid superat? poteras dixisse: triens; heu
Rem poteris seruare tuam. Redit vncia, quid fit?
Semis.

Vides exempla arithmetica, ex arte foeneratorum desumta, quibus iam pueros exercebant Romani, vt tricis huius calculi eos tanto maturius adsuefacerent.

(*l*) Magna et acris inter Martinum Schookium et Gronouium ea de re nata est controuersia. Modum computandi vsuram explicauerat Gronouius *de Pec. Vet. III.* 13. Quo loco quum dissensisset a Salmasio, huius defensionem infeliciter suscepit Schookius *Exerc. Sacr. XVIII.* vbi vnciarium foenus idem putat cum centesima. Edidit ergo Gronouius anno MDCLXI. Α'ποξήγησιν *de centesimis vsuris & foenore vnciario aduersus Theologi storieophilosophologum.* Sequutae sunt eodem anno Martini Schookii *Vindiciae suae & virorum doctorum sententiae de foenore vnciario.* Sed & his Io. Fr. Gronouius opposuit Α'ποξήγησιν secundam anno MDCLXIII. Sequuta denique Schookii *Seria & solida responsio*, edita Coloniae Brandeburgicae MDCLXVIII. Alios libellos eristicos prodiisse, non memini. Tertiam tamen Α'ποξήγησιν, postumam edidit Iacobus Gronouius filius.

Source : BIU Cujas

bant : (vid. supra *Lib.* II. *Tit.* XIIII. *n.* 5.) hinc, quod singulis mensibus vsurae nomine soluendum erat, VNCIAM vocabant. Ergo *vncia* erat centesima pars sortis, quae in singulos menses, tamquam vsura, dependebatur : duodecim vero vnciae, vel partes centesimae, quas singulis annis lucrabantur foeneratores, *assem vsurarium* constituebant. Et iste as vsurarius intelligendus in loco Plinii *Epist. X.* 62. quem ita vulgo exhibent editiones : *Nam et praediorum comparandorum aut nulla, aut rarissima occasio est; nec inueniuntur, qui velint debere, reipublicae praesertim, duodenis assibus, quanti a priuatis mutuantur.* Certissimum est, aut delendum hic τὸ *duodenis*, vt iubet Ger. Noodt. *de Foen. et vsur. II.* 2. *p.* 265. aut *vsuris* reponendum, quod malunt Salmas. *de modo vsur.* VII. *p.* 269. et Gronou. Ἀντεξήγ. II. *de Centes. vsur. et asse vsurar.* §. LXI. *p.* 107. As enim vsurarius, vel vsura assis maximum erat foenus, quod a priuatis exigebatur : duodeni vero asses ipsam sortem superassent. Vnde miror vulgatam lectionem tueri V. C. Christophorum Cellarium.

§. XVIIII.

Quid vsurae centesimae vel asses?

Hisce ergo obseruatis, facile licebit singula vsurarum nomina explicare. CENTESIMA vel assis vsura, legitimarum omnium maxima, singulis mensibus e centum denariis reddebat vnum, adeoque vertente anno denarios duodecim, id est, nostro loquendi more *duodecim pro centenis.* Haec vsura licet satis magna, tamen legitima erat, vt supra obseruauimus, adeoque satis vsitata. Cautio sane eiusmodi, qua ex mora promittebantur vsurae centesimae, occurrit in *l.* 40. *D. de reb. cred.* cui legi iungi meretur locus Sidonii Apoll. *Epist.* IIII. 24. et Marmor apud Gruter. *Inscr. p.CLXXV.* 4. vbi donum datum, VT. EX. VSVRIS. CENTESIMIS. EIVS. QVANTITATIS. QVAE. EFFICIT. ANNVOS.--X--DC. DIE VIII. KAL. OCTOBR. NATALI. DIVI. AVGVSTI. EROGARENTVR. EX. ARKA.

§. XX.

Quid deunces?

Proximae erant *vsurae* DEVNCES, quae tres quadrantes et duas duodecimas vnciae singulis mensibus, vndecim vncias per annum, reddebant, id est, *vndecim pro centenis.* Nec hae infrequentes erant veteribus. Meminit sane earum Persius *Sat. V. v.* 149.

Quid petis? vt numos quos hic quincunce modesto
Nutrieras, auidos pergant suadere DEVNCES?

Quemadmodum ergo vsuras asses vel centesimas maximas et grauissimas vocabant, ita deunces *auidas* vocat Persius.

Source : BIU Cujas

§. XXI.

Quid decunces vel dextantes?

Sequuntur DEXTANTES, vel DECVNCES, quae tres quadrantes et duodecimam partem vnciae in menſem, decem vncias in annum reddunt, id eſt, noſtro loquendi more *decem pro centenis*. Mentio fit vſurarum eiusmodi in marmore apud Salmaſ. *de modo vſur. VII. p.* 276.

§. XXII.

Quid dodrantes?

DODRANTES vſurae tres quadrantes vnciae ſingulis menſibus, nouem vncias in annum, reddebant, id eſt, *nouem pro centenis*. Eiusmodi tamen vſurae nuſquam, quod ſciam, meminerunt veteres.

§. XXIII.

Vſurae beſſes?

Excipiunt has vſurae BESSES, quae ſingulis menſibus duas tertias partes vnciae, in annum octo vncias reddebant, id eſt, *octo pro centenis*. Meminit eiusmodi vſurarum Cicero *Epiſt. ad Att.* IIII. 15. et *l. pen. C. de vſur.*

§. XXIIII.

Quid ſeptunces?

SEPTVNCES porro dicebantur vſurae, quae ſingulis menſibus dimidiam et duodecimam partem vnciae, vertente anno, ſeptem vncias aſſis vſurarii, adeoque noſtro loquendi more *ſeptem pro centenis* reddebant. Exemplum exſtat in marmore Veneto, quod deſcribit, ſuoque more illuſtrat Salmaſ. *de modo vſur. Cap. VII. p.* 277. *ſeqq.*

§. XXV.

Quid ſemiſſes?

Frequentiſſimae porro vſurae erant SEMISSES vel SEMISSALES, quae ſemiunciam ſingulis menſibus, et ſemiſſem, vel ſex vncias, in annum praeſtabant, eaeque *ciuiles* et *modicae* dicuntur Plinio *Hiſt. Nat.* XIIII. 4. Conueniunt ſane cum hodiernis, paſſim in Imperio ſcitis, quae *ſex pro centenis* reddere dicuntur. Saepius earum meminerunt leges noſtrae, *l.* 5. *D. de oper. publ. l.* 10. *D. de pollicit. l.* 17. *D. de vſur. l.* 102. §. 3. *D. de ſolut.* nec non ex auctoribus Plinius *ibid.* et Columella III. 3. immo et vetus Inſcriptio apud Gruter. p. CCXV. 2. VOLO. AVTEM. EX. VSVRIS. SEMISSIBVS. HS. X. N. COMPARARI. AVGVSTALIVM. LOCI. N. AD. INSTRVMENTVM. TRICLINIORVM. DVVM. QVOD. EIS. ME. VIBO. TRADIDI. CANDELABRA. ET. LVCERNAS. Aliud marmor ſimile a Scaligero iam prolatum, illuſtrat idem Salmaſ. *de mod. vſur. cap. VII. p.* 281.

§. XXVI.

Source : BIU Cujas

§. XXVI.

Vsurae QVINCVNCES tertiam et duodecimam partem vnciae in menſem, quinque vncias in annum, reddebant, id eſt, *quinque pro centenis*. Eas vſuras *leuioribus* adnumerat Vlpianus *l.* 7. §. 10. *D. de adminiſtrat. tutor.* Perſius vero *Sat. V. v.* 149. *modeſtas* appellat, dum ita canit. Quid quincunces?

- - - *Numi, quos hic* QVINCVNCE *modeſto*
Nutrieras.

Mentio quoque earumdem fit *l.* 17. *D. de vſur. et l.* 102. §. 3. *D. de ſolut.* et in marmore apud Salmaſium *ibid. p.* 283.

§. XXVII.

TRIENTES minimis accenſet Iul. Capitolin. *vit. Anton. Pii* II. eaeque tertiam partem vnciae in ſingulos menſes, quatuor vncias in annum, id eſt, vt nos loquimur, *quatuor pro centenis* reddebant. Meminit huiusmodi vſurarum Cicero *Epiſt. ad Attic.* IIII. 15. *l.* 7. §. 10. *D. de adminiſtr. tut.* et Lamprid. *vit. Alex. Seu. XXI.* Quid trientes?

§. XXVIII.

QVADRANTES vſurae quartam partem vnciae ſingulis menſibus, tres vncias in annum reddebant, id eſt, *tres pro centenis*. Exemplum earum exſtat *l.* 21. *D. de ann. leg.* Quid quadrantes?

§. XXVIIII.

Proximae ſunt SEXTANTES, quae ſextam partem vnciae ſingulis menſibus, duas vncias vertente anno praeſtabant, id eſt, *duos pro centenis*. Quae denique duodecimam partem vnciae ſingulis menſibus, et integro anno integram vnciam, id eſt, vnum pro centenis reddebant, dicebantur vſurae VNCIAE vel VNCIARIAE. Tacit. *Ann. VI.* 16. ex quo facile etiam patet, quodnam fuerit foenus ſemiunciarium apud Liu. VII. 27. Quid ſextantes, vnciariae, ſemiunciariae?

§. XXX.

Sed caue exiſtimes, his vſuris contentam fuiſſe foeneratorum auaritiam. Minime omnium. Praeterquam enim quod modum vſurarum legitimum miris fraudibus intendebant, quas accurate deſcribit Ger. Noodt. *de Foen. et vſur. II.* 13. *p.* 291. non dubitabant ii, qui malis incertisque nominibus credebant, vſuras maiores centeſimis ſtipulari. Tum vero et aſſem vſurarium multiplicabant, et Vſurae binarum, ternarum, quinarum centeſimarum.

Source : BIU Cujas

partes eius, exigentes aliquanto supra legitimam vsurarum summam, e. g. binas, ternas, centesimas, ita tamen, vt nunquam ab assis ratione recederent. Binarum centesimarum, exactarum a foeneratoribus, meminit Cicero *Verrin.* III. 71. Triplicis vsurae, id est, ternae centesimae Iuuenal. *Sat.* VIIII. *v.* 7.

Non erat hac facie miserabilior Crepereius
Pollio; qui TRIPLICEM VSVRAM *praestare paratus*
Circuit, et fatuos non inuenit.

Quaternas vsuras exegerunt Scaptius et Matinius, impudentissimi foeneratores, vel potius Brutus, qui eorum opera in pecuniis foenori locandis vtebatur, de quibus Cicero *Epist. ad Attic. V.* 21. *VI.* 1. *et* 2. Immo eo progressa erat foeneratorum auaritia, vt ne quinas quidem vsuras exigere dubitarent. Qua de re Horat. *Serm. I.* 2. *v.* 12.

Fusidius vappae famam timet, ac nebulonis,
Diues agris, diues positis in foenore numis.
Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque,
Quanto perditior quisque est, tanto acrius vrget.

Atqui sanguinolentae plane erant hae vsurae, siquidem, qui binas centesimas spoponderant, singulis annis *viginti quatuor*; qui ternas, *triginta sex*; qui quaternas, *quadraginta octo*; qui quinas, *sexaginta pro centenis* vsurae loco soluebant. Hadriani temporibus inualuerat, vt foeneratores creditis mille aureis, ex ea summa eodem momento deducerent centum, et cautione nihilominus in mille aureos concepta, vsuras praeterea centesimas in singulos annos stipularentur, easque vertente anno in sortem redigerent. (*m*) Quod genus vsurarum adeo mordax erat, vt intra sex annos sors duplicaretur. Dosith. *Sent. D. Hadr.* III. 5. *pag.* 864. Cuiac. *Obs. XXI.* 9.

(*m*) Est hic ANATOCISMVS, quem olim licitum fuisse, postea vero SC. prohibitum, patet ex Cic. *Epist. ad Attic. V.* 21. Postea eumdem constitutionibus suis proscripserunt Imperatores. Vid. *l.* 27. *D. de re iudicat. l.* 20. *C. ex quib. caus. infam. irrog.* Add. Ger. Noodt. *de Foen. et Vsuris* II. 11. *p.* 286.

§. XXXI.

Contractus commodati et depositi.

Sufficiant haec de mutuo, foenore et vsuris. COMMODATI et DEPOSITI contractus, qui et ipsi re ineuntur, ita sunt comparati, vt in iis Romani a iure gentium et communi omnium hominum con-

Source : BIU Cujas

consuetudine haud recesserint. Vnde vix quidquam hic ex antiquitatibus videtur explicandum. Depositi contractus id singulare habebat apud Romanos, quod si quis dolose circa depositum esset versatus, is ex legibus duodecim tabularum duplo hoc lueret. Quam legem decemuiralem Iac. Gothofred. *ad Leg.* XII. *Tab. Tab.* III. his verbis expressit: SI QVID ENDO DEPOSITO DOLO MALO FACTVM ESCIT, DVPLIONE LVITO. Ea vero poena non tantum inficiando crescebat, vt fieri solebat in aliis, quod existimavit tamen vir summus Iac. Cuiacius *Paratitl. C. depositi.* et Pithoeus *ad Coll. Leg. Mos. et Rom. X. p.* 771. sed omnis omnino dolus depositarii ex legibus XII. Tabularum duplo, vt videtur, vindicabatur, (*n*) et quidem non duplicatis (vt Marcil. *Interp.* XII. *Tab. XV. p.* 70. putat) fructibus, sed dupli eius rei praestatione, quam quis custodiendam tradiderat. Schulting. *Iurisp. anteiust. p.* 771. Ian. Vinc. Grauina *de LL.* XII. *Tab.* LI. *p.* 353. Furi enim similis videbatur depositarius dolosus. *l.* 13. *D. depos.* Tam dirum etiam hoc crimen videbatur veteribus, vt et de deposito negando cogitantes a Diis cum vniuersa familia exstirpatum iri, crederentur, quo pertinet exemplum Glauci Spartani, apud Herodot. *Lib.* VI. *p.* 229. quod breuiter his versibus complexus est Iuuenal. *Sat.* XIII. *v.* 199.

Spartano cuidam respondit Pythia vates:
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere et fraudem iure tueri
Iurando. Quaerebat enim, quae numinis esset
Mens, et an hoc illi facinus suaderet Apollo.
Reddidit ergo metu, non moribus, et tamen omnem
Vocem adyti, dignam templo veramque probauit
Exstinctus tota pariter cum prole domoque.

Praeterea eos dentes amittere putabant, qui depositum ne[illegible]t, de qua veterum opinione quaedam notauit Casaubon. *in Lect. Theocrit. p.* 85. Quare et Plin. *Epist. X.* 97. non putabat, se luculentius probitatis testimonium praebere posse Christianis, quam dum *eos se inuicem sacramento obstringere*, ait, *ne fidem fallant, ne depositum adpellati abnegent.* Quare non mirum est, Decemuiros tam improbis hominibus dupli poenam statuisse. Enimuero postea prae-

(*n*) Actio enim a Iustiniano prodita, quae inficiando crescit, procul dubio recentioris aeui, et ab Imperatoribus demum inuenta est. Schulting. *Iurispr. anteiust. p.* 771.

Source : BIU Cujas

praetor hanc poenam mitigauit, actionemque in simplum tantum dedit, praeterquam si depositum esset miserabile negatum, quo casu veterem dupli poenam retinuit. *l.* 1. §. 1. *D. depos.* Verba edicti haec fuere: QVOD NEQVE TVMVLTVS, NEQVE INCENDII, NEQVE RVINAE, NEQVE NAVFRAGII CAVSSA DEPOSITVM SIT, IN SIMPLVM: EX EARVM AVTEM RERVM, QVAE SVPRA COMPREHENSAE SVNT INIPSVM IN DVPLVM; IN HEREDEM EIVS, QVOD DOLO MALO EIVS FACTVM ESSE DICETVR, QVI MORTVVS SIT, IN SIMPLVM, QVOD IPSIVS, IN DVPLVM IVDICIVM DABO. Idem tamen praetor etiam infames esse iussit, QVI DEPOSITI SVO NOMINE NON CONTRARIO IVDICIO, DAMNATVS ESSET. *l.* 1. *et l.* 6. §. 7. *D. de his qui not. infam.*

§. XXXII.

Contractus pignoris.

Contractus PIGNORIS quid sit, quae inde actiones nascantur, quaenam ac quanta praestanda diligentia, satis a doctoribus explicatur. De alienatione quoque pignoris supra actum *Lib.* II. *Tit.* VIII. *n.* 10. Quare nihil est, quod de contractibus, re initis, addamus amplius, praeterquam quod monendum videatur, pignori saepe accessisse contractum FIDVCIAE, quoties nimirum debitor creditori pignus mancipabat vel in iure cedebat, ea lege, vt reddita pecunia illud sibi remanciparet. Quo ipso dominium rei oppignoratae in creditorem translatum esse, recte obseruat Isidor. *Orig. V.* 21. Saepe huius fiduciae in pignoribus interpositae meminerunt Paullus *in Rec. Sent.* I. 10. II. 13. *V.* 22. Tertullianus, et alii. Tu vide Cuiacii et aliorum virorum doctorum scholia ad Paullum, et Salmas. *de Mod. Vsur. Cap.* XIIII. *p.* 590. *sequ.*

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. XVI-XX.

DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS SEV STIPVLATIONIBVS.

SEquuntur contractus, qui verbis ineuntur, et quidem non quibusuis, sed sollemnibus, et accurate conceptis. Horum olim tres erant, STIPVLATIO, DOTIS DICTIO & IVSIVRANDVM, quo liberti operas promittebant patrono. Cai. *Inst.* II. 9. 3. Sed de *dotis dictione* egimus supra *Lib.* II. *Tit.* VIII. Iurisiurandi a libertis praestandi saepe in iure fit mentio, quamuis formula eius, quod meminerim, non exstet. Iam de STIPVLATIONIBVS quaedam ex antiquitatibus repetenda, de reliquis parcius agendum erit.

§. I.

Commune horum contractuum nomen hodie est STIPVLATIO, quae, vnde dicta sit, non adeo expeditum est. Vulgo id vocabulum deriuant a veteri *stipulum*, quod idem sit, ac firmum. Paull. *Recept. Sent. V.* 7. 1. *princ. Inst. de verb. oblig.* quemadmodum et in Glossis Basilic. στιπῦλον est ἰσχυρὸν, *firmum*. Alii a *stipe* dictam existimant stipulationem, quia de stipe, vel re pecuniaria, potissimum stipulari et restipulari consueuerint veteres. Ita enim Varro *de Lingua Lat.* IIII. 16. *p. m.* 30. *Aes quoque stipem dicebant. Nam quod asses librae pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant, quo minus loci occuparet: a stipando stipem dicere coeperunt. Stipare ab* στίβειν *fortasse Graeco vocabulo. Id adparet, quod vt alias, tum institutum etiam nunc, diis cum thesauris asses dant, stipem dicunt, et, qui pecuniam alligat,* STIPVLARI *et* RESTIPVLARI. Eodem modo Festus in voce *stipem p. m.* 139. *Stipem dicebant pecuniam signatam, quod stipparetur. Ideo* STIPVLARI *dicitur is, qui interrogatus spondet stipem, id est, aes.* Denique ab his omnibus abit Isidorus *Orig.* IIII. 24. *p.* 930. qui stipulationem deducit a *stipula*, hanc adiiciens rationem: *Veteres enim, quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum iungentes, sponsiones agnoscebant.* Stipulatio vnde dicta?

Source : BIU Cujas

Quae Isidori obseruatio, si vera esset, simul insignem stipulandi ritum nos doceret. Sed quum nusquam huius ritus fiat mentio, nisi huc referre velis ritum Germanicis gentibus sollemnem, adhibendi in firmandis obligationibus *festucam*, *culmum*, *stipulam*, vel simile aliquod symbolum, cuius exemplum exstat Capitular. *Lib. VI. §. 285. edit. Lindenbrog.* nec etiam Varroni et Festo facile concedamus, stipulationes olim solis pecuniariis promissionibus accessisse: merito Paulli et Iustiniani deriuationem reliquis anteponimus. Eadem est sententia Menagii *Amoen. iur. ciu. Cap.* XXXVIIII. *p.* 372. vbi idem sentientem laudat Salmasium, et etymologiam huius vocabuli ita explicantem: STVPVLVM *veteres, quod erat firmum, dixere, et solidum, ex Graeco* στυφελὸν *et* στυφλὸν, *quod* στερεὸν, στερρὸν *et* σκληρὸν *Grammatici exponunt. Inde* STVPVLVM, *et postea* STIPVLVM, *vt* σικελὸς, *Siculus. Ab eo* STIPVLARI, *firmare, et* STIPVLATIO, *quae interponitur ad firmandum pactum.*

§. II.

Stipulatio quid?

Erat vero stipulatio conceptio verborum, quibus is, qui interrogabatur, daturum facturumue se, quod interrogatus erat, respondebat. *l. 5. §. 1. D. de verb. obl.* Vnde et *interrogatio* nonnumquam simpliciter dicitur. Sen. *de Benef.* III. 16. et Graecis ἐπερώτησις (*a*), vel ὁμολογία, ἢ ἀπὸ ἐρωτήσεως, &c. Salmas. *de Vsur.* VI. *p.* 127. Ceterum qui stipulabatur, eum *interrogare* dicebant vel *rogare.* Is, a quo quis stipulabatur, *spondere* vel *promittere dicebatur.* Plaut. *Pseud. I. 1. v.* 112. *sequ.*

- - *PS.* ROGA *me viginti minas,*
Vt me effecturum tibi, quod promisi, scias.
ROGA; *CA. obsecro hercle PS. gestio* PROMITTERE.

Vnde et, quid sit *reus stipulandi*, quid *reus promittendi*, facile adparet.

(*a*) Ex quo simul patet, cur baptismus vocetur συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν. 1. Petr. III. 21. Interrogationes enim baptismales et responsiones baptizati vel sponsorum, stipulationum instar sunt: *Credisne? credo. Abrenuncias? abrenuncio.*

§. III.

Stipulationum formulae.

Conceptiones illae verborum nihil erant aliud, quam interrogationes, ad quas alter congrue respondebat. Veluti: SPONDES? SPONDEO. PROMITTIS? PROMITTO. DABIS? DABO. FACIES? FACIAM. §. 1. *Inst. de verb. obl.* Sic eodem loco Plautus *v.* 115.

CA. DABISNE *argenti mihi hodie viginti minas?*
PS. DABO.

Eius-

Source : BIU Cujas

Eiusdem tamen virtutis erat responsio, concepta impersonaliter, qualis est illa apud eundem Plaut. *Pseud.* IIII. 6. *v.* 14.

SI. Nullum periculum est, quod sciam stipularier.
Vt occoepisti verba, viginti minas
DABIN'? *BA.* DABVNTVR.

Conf. Plaut. *Bacchid.* IIII. 6. 38. Saltim si serui ita stipulati essent, non minus adquirebant dominis, quam si iis stipulati essent nominatim, vel sibi, vel conseruorum cuidam. *l.* 15. *D. de stipul. seru.* Nonnumquam et is, qui promiserat, denuo rogabat, et, qui rogauerat, denuo promittebat, idque vocabant *restipulari.* Stipulatio vero et restipulatio *Sponsio* dicebatur. Nota est sponsio iudicialis: *spondesne quingentos, si meus sit? spondeo, si tuus sit. Et tu quoque spondesne quingentos, ni tuus sit? spondeo, ni meus sit.* Car. Sigon. *de Iudiciis I.* 21. *p.* 466. Quaerunt prudentes nostri, cur in stipulatione interrogatio et responsio exigantur? Et hic multi multa et varia differunt. Sed acute obseruat Guido Pancirol. *Var. Lect.* III. 25. nihil magnae rei, et quae in perpetuum obligare deberet, sine interrogatione et responsione gestum esse apud Romanos. Tales enim interrogationes et responsiones factas, obseruamus in ferendis legibus, plebiscitisque, in rogando senatu, in adrogationibus, contrahendis nuptiis, pangendis foederibus, facienda deditione, vt facile adpareat, praecipuum semper animi deliberati signum Romae visum esse interrogationem, ac sequutam responsionem congruam.

§. IIII.

Id porro accurate erat obseruandum, vt responderetur congrue. Hinc si alter rogaret quinque, alter decem promitteret, vel si alter rogaret pure, alter cum conditione promitteret, inutilis erat stipulatio §. 5. *Inst. de inutil. stipul.* Exemplum est apud Plaut. *Trinum. V.* 2. *v.* 34. *sequ.* Quum enim interroganti Lysiteli: *Spondeń' ergo tuam gnatam vxorem mihi?* responderet Charmides: *Spondeo, et mille auri Philippum dotis*: inutilis erat stipulatio. Et hinc, quum denique inter eos de dote quoque conuenisset, repetebatur stipulatio: *v.* 39.

Respondendum erat congrue.

LY. Isthac lege filiam tuam SPONDEN' *mihi vxorem dari?*
CH. SPONDEO.

§. V.

Satis tamen recta videbatur stipulatio, si alter alteri interroganti respondisset *quidni? l.* 1. §. 2. *D. de verb. oblig.* Nec refe-

Sufficiebat tamen re-

Source : BIU Cujas

ſponſio qualiscumque, dummodo congrua.

rebat, Latine quis an Graece ſtipulatus eſſet, item eademne vterque lingua vſus eſſet, nec ne. §. 1. *Inſt. de verb. obl.* Sufficere enim videbatur, modo per interpretes ſe inuicem intelligerent. *l.* 1. *fin. D. de verb. obl.* Quae quum ita ſint, ne forte contrahentes in formula errarent, ſaepe ſtipulationes ICti componebant, ceu variis Ciceronis teſtimoniis demonſtrat Briſſon. *de Formul. Libro VI. p.* 490.

§. VI.

Non vero nutus et reſponſio litteris ſcripta.

Stipulatio vero fiebat verbis, ore prolatis. Hinc interrogante altero, altero tantum adnuente, nulla concepta videbatur ſtipulatio. *l.* 1. §. 2. *D. h. t.* Neque etiam ſtipulari poterant ſurdi et muti, neque promittere. §. 7. *Inſt. de inut. ſtipulat.* Nec ſufficiebant litterae inter abſentes. §. 11. *Inſt. eod.* Si tamen in inſtrumento eſſet ſcriptum, promiſiſſe aliquem, omnia praeſumebantur ſollemniter acta. §. 17. *Inſt. eod.* Paull. *Rec. Sent. V.* 7. 2. Fallitur ergo Cl. Salmaſius, *de Vſur.* VI. dum exiſtimat, ſi quis in chirographo eſſet faſſus, ſe promiſiſſe, id perinde valuiſſe, ac ſi interrogatione praecedente reſponſum fuiſſet, idque perperam colligit ex *l.* 41. §. 2. *D. de vſur.* In chirographo enim illo, hac lege memorato, etiamſi ſtipulationis nulla fieret mentio, intelligi tamen debet, eam interceſſiſſe, vt recte obſeruat Ger. Noodt *de Foen. et vſur.* III. 2. Idem etiam ſentiendum de *l. ea quae* 57. *D. de donat. inter vir. et vx. l.* 134. *D. de V. O.*

§. VII.

Qui potuerint ſtipulari?

Stipulari poterant omnes, quibus licebat contrahere, quiue intelligebant negotium, ac velle poterant. Aſt inutilis erat ſtipulatio furioſorum, §. 8. *Inſt. de inut. ſtipul.* vt et ſeruorum promiſſio. §. 6. *eod.* Et hinc iocoſa tantum eſt Pſeudoli ſerui promiſſio apud Plaut. in *Pſeud. I.* 1. *v.* 112. Stipulari tamen ſerui poterant ex perſona dominorum. Vnde quacunque formula eſſent ſtipulati, non ſibi, ſed dominis adquirebant, praeterquam ſi factum in ſtipulatione contineretur. *pr.* §. 1. *et* 2. *Inſt. de ſeru. ſtipul.* Immo et ſeruus hereditarius, nondum licet adita hereditate, vtiliter ſtipulabatur, quia hereditas iacens in pleriſque perſonae defunctae vicem ſuſtinebat. *princ. Inſt. eod.*

§. VIII.

Stipulationes pupillorum.

Ad pupillos quod attinebat, ii aut infantes erant, aut pubertati propiores. Infantes nec rogare, nec promittere poterant: ſed

Source : BIU Cujas

ſed eorum res adminiſtrabant tutores. Sin vero ab ipſis tutoribus, vel eorum fideiuſſoribus, aliquid eſſet ſtipulandum: eorum vice ſtipulabantur ſerui vel proprii vel publici. Exemplum vide ſupra *Lib.* I. *Tit.* XXIIII. §. 3. Pubertati propiores aut alios obligabant, aut obligabantur aliis. Priore caſu recte ſtipulabantur etiam ſine tutoris auctoritate. Poſteriore vero rogati inutiliter promittebant, niſi auctores fierent tutores. §. 9. *Inſt. de inut. ſtipul.*

§. VIIII.

Stipulationes liberorum qui in poteſtate erant.

Qui erant in poteſtate, liberi vtiliter ſtipulabantur, poterantque et promittere aliis, et alios rogare. §. 6. *Inſt. h. t.* excepto mutuo, cui reſiſtebat SC. Macedonianum, de quo infra ad *Lib.* IIII. *Tit.* VII. agetur pluribus. Inter patrem tamen et filium in poteſtate conſtitutum inutilis erat ſtipulatio, ſiquidem hi iure Romano pro vna perſona reputabantur.

§. X.

Aliis ſtipulari non licebat.

Nemo quoque poterat aliis ſtipulari, praeterquam iuri ſuo ſubiectis. §. 4. *Inſt. de inut. ſtip.* Receptum enim a iureconſultis Romanis erat hoc principium, obligationem ex contractu non niſi contrahentes adficere. *l.* 3. *C. de inut. ſtipul.* Solebant tamen hoc caſu poenam ſtipulari, vt ſi alteri non eſſet ſatisfactum, haec ſolveretur. §. 18. *Inſt. h. t.* Quin et tunc quoque aliis ſtipulari licebat, ſi eius, qui rogabat, intereſſet. Hinc recte tutor a contutore ſtipulabatur, rem pupillo ſaluam fore. §. 19. *Inſt. h. t.*

§. XI.

Correi ſtipulandi et promittendi.

Poterant et duo pluresue REI fieri et STIPVLANDI et PROMITTENDI. Stipulandi quidem, ſi poſt vtriuſque interrogationem promiſſor reſponderit: *vtrique veſtrum dare ſpondeo.* Promittendi, ſi duo quaeſiti, ſinguli reſponderint ſeparatim: *Spondeo.* Exemplum eſt apud Plaut. *Trinum. V.* 2. *v.* 39. vbi Lyſiteli iuueni interroganti: *Iſthac lege filiam tuam ſponden' mihi vxorem dare?* non ſolum Charmides ſocer reſpondet *ſpondeo*, ſed et Callicles amicus addit: *et ego idem ſpondeo hoc.* Eiusmodi vero obligationum is erat effectus, vt vel ſolidum ſingulis deberetur, vel promittentes ſinguli tenerentur in ſolidum, ita tamen, vt vel alter accipiendo, alter ſoluendo debitum, omnium perimeret obligationem, et omnes liberaret. *pr. et* §. 1. *Inſt. de duob. reis ſtipul.*

Source : BIU Cujas

§. XII.

Stipulatio pura et in diem et sub conditione facta.

Omnis stipulatio vel PVRE, vel IN DIEM, vel SVB CONDITIONE, et ad certum locum fiebat. Si pure promissum, debitum confestim peti poterat: sin in diem, dies quidem statim cedebat, sed non prius, quam venisset, promissum poterat exigi. Si sub conditione: existente demum conditione committebatur stipulatio. Si locus denique insertus stipulationi: tantum tempus promittenti concedendum erat, quantum sufficere videbatur ad rem eo loco praestandam. §. 2. 4. 5. *Inst. de V. O.*

§. XIII.

Ad certum tempus stipulari nemo poterat, vbi et de stipulationibus praeposteris.

At si ita quis stipulatus esset: *Decem aureos annuos, quoad vivam, dare spondes?* pure facta obligatio videbatur, et perpetuabatur: petenti tamen exceptio pacti opponi poterat. Ad tempus enim ex principiis iuris Romani deberi non poterat. §. 3. *Inst. eod.* Inutiles porro erant stipulationes: POST MORTEM MEAM VEL TVAM DARE SPONDES? PRIDIE QVAM MORIAR, VEL MORIARIS DARE SPONDES (*b*)? Nam quod ad priorem attinet, non ferebant iuris Romani principia, vt obligatio a persona heredis inciperet. *l.* 11. *D. de obl. et action.* Cuiac. *ad l.* 217. *D. de V. S.* Posterior vero ideo non poterat non inutilis esse, quia tempus mortis semper incertum est. Caii *Inst.* II. 9. 7. *et* 8. Aeque inutiles erant stipulationes praeposterae, quibus tamen Iustinianus itidem perfectum robur accommodauit. §. 4. *Inst. de inut. stip.* Denique si quid, aut quod non erat in rerum natura, vel in commercio, aut sub conditione impossibili promittebatur: inutilis et haec videbatur stipulatio. §. 1. 2. 10. *Inst. eod.*

(*b*) Iustinianus tamen eas valere iussit *l.* 11. *C. de contr. et comm. stip.*

§. XIIII.

Stipulatio supponebat iustam caussam.

Inprimis vero respiciebatur ad caussam. Neque enim in stipulationibus sola verba valide obligabant, non magis, quam in dominio transferendo sola sufficiebat traditio. Quemadmodum enim hic iusto titulo opus erat: ita, vt stipulatio valide obligaret, subesse debebat obligandi caussa. Et talis caussa etiam vocabatur *caussa ciuilis. l.* 49. §. 2. *D. de pecul.* Deficiente vero tali caussa, agenti obstabat exceptio doli mali. *l.* 2. §. 3. *D. de dol. mal.* Schult. *Iurispr. anteiust. p.* 464. Vnde adeo non valebat promissio ex turpi caussa, vt et exceptio petenti opponi posset, *l.* 8. *D. de condict. ob turp. vel ini. causs.* et si accipientis solius esset turpitudo, soluti dare-

Source : BIU Cujas

daretur condictio. *l.* 1. *fin. l.* 2. §. 1. *l.* 4. §. 2. *D. eod.* Exemplum insigne Otaciliae Laterensis exstat apud Valer. Max. VIII. 2. 2. Commune itaque stipulatio erat omnium obligationum adstringendarum vinculum. Vnde adhibebatur in emtionibus venditionibus, Varro *de re Rust.* II. 2. 3. 5. Plaut. *Captiu.* I. 2. *l.* 3. §. 1. *D. de act. emt.* in pactis, Paull. *Sent. Rec.* II. 22. *l.* 7. §. 12. *D. de pact.* in mutuo, *l.* 6. §. 1. *D. de nouat.* in cautionibus vel chirographis, *l.* 40. *D. reb. credit. l.* 122. §. 1. *D. de V. O.* in locationibus conductionibus, *l.* 54. *pr. D. locat. l.* 58. *pr. D. de fideiuss.* in societatibus, *l.* 71. *D. pro soc.* immo in reliquis contractibus omnibus.

§. XV.

Stipulationibus nonnumquam accessit mancipatio.

Porro nec id praetermittendum videtur, stipulationi nonnumquam veluti adpendicem accessisse mancipationem per aes et libram: quod in acceptilationibus factum constat. Pertinet huc egregius locus Ciceronis *de legib.* II. 21. *Hoc vero nihil ad pontificium ius, et e medio est iure ciuili, vt per aes et libram heredem testamenti soluant, et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset.* Et paullo ante *cap. XX. Quin etiam cauent, vt cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per aes et libram heredem testamenti soluat, propterea, quod eo loco res est, ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.* Addendi sunt Franc. Connan. *Comment. iur. ciu.* VII. 3. 2. Iac. Raeuard. *ad l.* 35. *D. de Reg. Iur.* Ger. Noodt *de Pactis et Transact. p.* 671. Id vero eo minus mirandum, quo certius est, et aliis contractibus ad transferendum dominium non comparatis accessisse *mancipationem.* Et tunc rem habere dicebantur *iure nexi*; translato dominio *iure mancipii.* Omnia, quae per aes, et libram alienabantur, erant res mancipi. *Nexus* quoque et *mancipatio* non differebant ratione ritus: sed, quod ad effectum attinet, ius *nexi*, et ius *mancipi* differebant quam maxime. Probant id loca Manilii et Scaeuolae apud Varron. *de Lingu. Lat.* VI. 5. quae egregie illustrat Io. Frid. Gronou. *Epist.* CCCII. *ad Claud. Salmas. in Syll. Epist. vir. illustr. script. Tom.* II. *p.* 549.

§. XVI.

Stipulationes iudiciales.

Ceterum stipulationes imperator diuidit in IVDICIALES, PRAETORIAS, CONVENTIONALES et COMMVNES. A mero iudicis officio proficiscebatur cautio de dolo. Nam in rei vindicatione et actione quod metus causa, iudex exigere tenebatur cautionem de dolo. *l.* 20. *et* 45. *D. de rei vind. l.* 9. §. 5. *et* 7. *D. de eo quod met. causs.*

Talis

Talis etiam erat cautio de persequendo seruo, qui in fuga erat, restituendoue pretio. Nam si seruus erat legatus, qui se interim in fugam proripuerat, officio iudicis continebatur, vt interponeretur cautio, qua heres, se seruum persequuturum restituturumque legatario, promitteret. *l.* 69. §. 5. *D. de legat. I. l.* 14. §. 11. *D. quod met. cauſſ.* Stipulationes porro iudiciales interponebantur etiam in iudicio familiae erciscundae. *l.* 25. §. 10. *D. famil. erciſc.*

§. XVII.

Praetoriae. PRAETORIAE a mero praetoris officio proficiscebantur, semperque interponi solebant ante litem contestatam, quia ab illa iudicium primordia capiebat. Cuiac. *Obseru. XV.* 10. Tales erant cautiones damni infecti, legatorum seruandorum causſa, iudicatum solui, ratam rem haberi, cautio fructuaria, &c. de quibus prolixe iureconsulti. Vid. Arn. Vinn. *ad §. 2. Inſt. de diuiſ. ſtip.* Quae stipulationes quibus formulis solitae sint concipi, exemplo cautionis *iudicatum solui* ostendemus. In ea actor ita rogabat fideiussores: QVOD FVNDVM TVSCVLANVM, QVEM POSSIDET L. TITIVS, ABS EO VINDICATVRVS SVM, CVIVS REI C. AQVILLIVS IVDEX DATVS EST, EAM REM RECTE DEFENDI, AVT, SI EA RES SECVNDVM ME HEREDEMVE MEVM IVDICATA ERIT, QVOD A. C. AQVILLIO EOVE, QVI IN EIVS LOCVM SVBSTITVETVR, IVDICATVM ERIT, ID RECTE PRAESENTARI, DOLVMQVE MALVM ABESSE ABFVTVRVMQVE ESSE, ET QVAMDIV RES NON DEFENDATVR, AVT, SI QVOD HVIVS REI IVDICATVM ERIT NON PRAESTETVR, DOLVSVE MALVS NON ABERIT, QVANTI EA RES SIT, DARI SPONDES? SPONDEO. Cuiac. *Obſ. X.* 29. Barn. Briſſon. *de Form. Lib. V. p.* 393. Porro id singulare erat in stipulationibus praetoriis, quod in iis non temere metuenda esset captio, quia interpretationem non ex mente promittentium, sed praetoris recipiebant. *l.* 52. *D. de verb. oblig. l.* 9. *D. de ſtipul. praetor.* (*c*)

(*c*) Ad praetorias stipulationes etiam referuntur AEDILITIAE. Erat autem iis locus in interrogationibus, quae de vitiis morbisque in vendendis seruis fieri solebant. Venditorem enim emtori repromittere oportebat, se, si quid occulti morbi vel vitii in seruo vendito inuentum fuerit, duplum verbi gratia praestiturum. Theophil. *Paraphr.* §. 2. *Inſt. de diuiſ. ſtipul.* De his Aedilitiis stipulationibus plura habet Cuiac. *Obſ. VIIII.* 3.

§. XVIII.

Source : BIU Cujas

§. XVIII.

Conuentionales. Sine stipulatione dos dici poterat.

CONVENTIONALES non iussu iudicis vel Praetoris, sed arbitrio contrahentium concipiebantur, adhibito saepe, vt supra obseruauimus, iureconsulto; earumque totidem paene genera erant, quot rerum contrahendarum. §. 3. *Inst. de diuis. stipul.* Obligationum enim firmandarum gratia inuentae fuerant stipulationes. Paull. *Recept. Sent. V.* 7. 1. Vnde nulla temere de re paciscebantur veteres, nisi interposita stipulatione. Erant tamen omnino quaedam negotia, de quibus, etiam non interposita stipulatione valide paciscebantur. Nam si sponsa sponso, mulierue marito, aut socer genero, aut debitor mulieris eiusdem marito dotem dicere vellet: fieri id poterat, nulla praecedente interrogatione (*d*), Caius *Inst. II.* 9. 3. Quamuis enim ea ipsa quoque dotis dictio sollemnibus fieret verbis, Cuiac. *ad l.* 7. *D. de pact. et l.* 1. *D. de verb. oblig.* Brisson. *de Formul. VI.* nec vllo fundamento id in dubium vocent Cl. Salmasius *de mod. vsur. XVI. p.* 716. *seq.* et Oisel. *ad* Cai. *ibid.* inde tamen non sequitur, vt stipulatione fuerit opus. Formulam dicendi dotem prodidisse videtur Terent. *Andr. V.* 4. *v.* 46. de qua iam supra egimus, *Libro II. Tit. VIII. n.* 6.

(*d*) Sed sine stipulatione dotem *dicere* poterant tres tantum personae, mulier, pater, mulierisque debitor. Reliqui dicebantur dotem vel *dare*, vel *promittere*, et hi communi iure obligabantur, adeoque vti debebant stipulatione. Cai. *Inst. II.* 9. 3. *l.* 41. *D. de iur. dot.*

§. XVIIII.

Sine stipulatione promittebantur operae, dona, munera a libertis.

Deinde et sine stipulatione contrahebatur obligatio, si libertus patrono aut *donum*, aut *munus*, aut *operas* se praestiturum iurasset. Cai. *ibid.* Solebant enim serui dominis manumissuris promittere certa dona, munera (*e*), certasque operas loco praemii manumissionis futura. Quum vero serui domino promittere valide nihil possent, quia vinculum potestatis vnitatem personae inducere videbatur: §. 6. *Inst. de inutil. stipul.* tenebantur illi post manumissionem denuo se obligare iureiurando, quod si dicere nollent, ne liberi quidem addicebantur. Cic. *Epist. ad Attic. VII.* 2. Simul ac vero iurassent liberti, nulla opus erat stipulatione.

(*e*) Dona et munera libertorum quid fuerint, et quodnam inter ea discrimen interceserit, docetur *l.* 18. *l.* 194. *et l.* 214. *D. de V. S.* Adde Oisel. *ad* Cai. *ibid.*

Source : BIU Cujas

§. XX.

Sponsalia contracta per stipulationem.

Inprimis obseruandum, nobilissimum stipulationum conuentionalium genus fuisse SPONSALIA, de quibus quum nihil in institutionibus dixerit Iustinianus, pauca monebimus. Fuit hoc in more priscis temporibus positum apud Latinos, vt qui vxorem ducturus esset, ab eo qui nuptum daturus erat, eam in matrimonium datum sibi iri stipularetur, alterque sponderet, vnde et *sponsaliorum* nomen natum est (*f*). Si non data fuisset vxor, sponsus habebat actionem ex stipulatu vel sponsu. Gell. *Noct. Att. IIII.* 4. *l.* 2. *et l.* 3. *D. de sponsi.* Iam a Romanis quidem non dabatur actio ex stipulatu ex sponsalibus: et ipsi tamen stipulationibus vtebantur. Huius veteris moris multa exstant vestigia apud Plautum, qui in *Aulul. I.* 4. Megadorum ab Euclione filiam stipulantem inducit his verbis:

ME. Quid? nunc etiam mihi despondes filiam? EV. Illis legibus Cum illa dote, quam tibi dixi. M. SPONDEN' *ergo? EV.* SPONDEO.

Ex *Trinumo* Plauti iam supra exemplum vidimus, n. IIII. Sed et *in Curculione Act. V.* 2. Phaedromus ita a milite stipulatur:

PH. SPONDESNE, *miles, mihi hanc vxorem? M.* SPONDEO.

In eo tamen a reliquis stipulationibus differebant sponsalia, quod et absens absenti per epistolam vel internuncium recte despondebatur. *l.* 4. *et l.* 7. *D. de sponsal.* Ea quoque in sponsalibus adhibebatur cautio, vt in tabulas plerumque redigerentur conuentiones sponsalitiae. Vnde Iuuenalis *Sat. XVI.*

Si tibi legitimis pactam iunctamque TABELLIS
Non es amaturus.

Dari etiam solebant arrhae, et annulus pronubus, de quibus, aliisque huc pertinentibus ritibus copiosius agit Barn. Brisson. *de ritu nupt. p.* 204. *Jequ.* Illud quaeri solet, an et sponsalia de praesente et de futuro, quae vocant, nota fuerint Romanis? Adfirmat Huberus: probat Gundlingius in *Gundlingianis Part. X. p.* 380. vbi ex Nonio et Arnob. *adu. gent. X. p.* 140. ostendit, Romanos distinxisse inter SPERATAS, PACTAS et SPONSAS. Discrimen hoc eleganter explicat Gronou. *ad* Gell. *Noct. Attic. IIII*, 4. *Virgo* SPERATA *dicebatur alicui destinata, sed nondum promissa: quum conuenta erat conditio,* PACTA: *vbi inter-*

(*f*) Vnde non est, quod cum Verrio Flacco *apud* Festum p. 444. sponsalia deriuemus e lingua Graeca, indeque natum existimemus id vocabulum, quod sponsi σπονδὰς, interpositis rebus diuinis, facerent.

Source : BIU Cujas

interpositae stipulationes, SPONSA. *Pactae* ergo similes erant quodammodo desponsatis de futuro; sponsae de praesente. Sed veritati magis consentaneum est, sponsalia Romanorum in vniuersum omnia fuisse de futuro, vel, vt Florentinus definit, *mentionem et repromissionem nuptiarum futurarum. l. 1. D. de sponsal.* Pactas etiam conuentas dici consueuisse, patet ex Festo: *Conventae dicebantur, cum primus sermo de nuptiis et earum conditione habebatur.*

§. XXI.

Denique COMMVNES stipulationes reliquae sunt, quae tum a praetore, tum a iudice exigebantur, qualis erat cautio rem pupillo saluam fore. §. 4. *Inst. de diuis. stipul.* Stipulationes communes.

§. XXII.

Ex stipulatione nascebatur *condictio certi*, si certa esset stipulatio; sin incerta, actio *incerti ex stipulatu. princ. Inst. de V. O.* Ex sponsalibus, quae in Latio competebat, actio *ex sponsu* dicebatur. Gell. *Noct. Attic. IIII.* 4. Cuiac. *ad Tit. C. de Sponsal.* Ex sponsu vero agere idem erat quod ex stipulatu. *l.* 19. §. 2. *D. de aedilit. edicto.* At apud Romanos sponsalia nuda renunciatione et liberrimo repudio soluebantur. *l. 1. C. de sponsal. l. 12. §. 1. 2. D. de diuort. l. 2. C. de repud.* Ex quo facile patet, in contractuum numero haud fuisse stipulationem sponsalitiam. Vid. Fr. Hotom. *de Sponsal. Cap. IIII. p. 357.* Actiones ex hoc contractu natae.

TIT. XXI.

DE

FIDEIVSSORIBVS.

STipulatione etiam sese obligabant FIDEIVSSORES, vnde de iis hoc titulo seorsum agitur.

§. I.

Qui se obligabant pro aliis, plura apud Romanos sustinebant nomina. In iudiciis promittentes pro aliis dicebantur *vindices*, *vades*, *subuades*: Reliqui *fideiussorum*, *sponsorum*, *adpromissorum*, *fidei promissorum* (*a*), nominibus veniebant. Variae fideiubentium nomina.

(*a*) Nomina haec omnia, praeterquam *fideiussorum* in toto Digestorum opere non exstare voluit Tribonianus, ceu obseruat Salmas. *de mod. vsur. XVI. p. 702.*

Source : BIU Cujas

§. II.

Quinam vindices?

VINDICES in XII. Tabulis erant, qui pro eo, qui in ius priuata auctoritate vocabatur, sese obligabant. Si quis enim alteri in publico adclamasset: AMBVLA IN IVS: aut eundum illi erat; aut ferendum, vt praeuia antestatione obtorto collo ad tribunal raperetur, nisi datis fideiussoribus se ab hac ignominia vindicasset. Qua de re Festus voce *vindex p. m.* 476. VINDEX *ab eo, quod vindicat, quo minus is, qui prensus est, ab aliquo teneatur* (*b*). Legibus XII. tabularum de his ita fuerat cautum: SI ENSIET, QVI IN IVS VOCATVM VINDICIT, MITTITO, ASSIDVO (*c*) VINDEX ASSIDVVS ESTO: PROLETARIO CVIQVE VOLET, VINDEX ESTO. Gell. *Noct. Att. XVI.* 10. Quorum verborum is sensus est: *Si tamen sit aliquis, qui pro in ius vocato vel prenso fideiubeat, dimittitor. Ceterum locupleti vindex locuples esto, pauperi, prolem tantum sufficienti reipublicae, quilibet vindex esto.* Iac. Gothofr. *ad XII. Tab. Tab. I.*

(*b*) Vindex ergo non est *procurator*, vt putat Boeth. *ad* Cic. *Topic. II.* nec *praedicator*, vel *praediator*, vt Boethii locum legit Cuiac. *Obseru. V.* 29. nec confundendus cum *vade*, quod plures fecere, interque hos etiam Vinc. Grauina *de Leg. XII. Tab. p.* 377. *sequ.*

(*c*) *Assiduus* veteribus idem est, ac locuples, quasi *asses* qui *dare* possit. Cic. *Topic. ad Trebat. II.* Vtitur hac voce eodem significatu Plautus *Amphitr. I. 1. v.* 13.

Noctes diesque ASSIDVO *satis superque est,*
Quod facto aut dicto adest opus, quietus ne sies.

§. III.

Quinam vades, praedes, subuades?

Si ventum in ius, satisdare debebat reus, se stato die adfuturum. Car. Sigon. *de Iudic. I.* 20. Eadem cautio exigebatur in publico iudicio etiam ab accusatore, vt recte obseruat Iac. Gothofr. *ad Leges XII. Tab. Tab. II. p.* 191. Qui ergo se tunc obligabant pro reo, si iudicium esset publicum, *vades*: sin ciuile, *praedes* dicebantur. Vnde Auson. *Eidyll. XII.*

Quis subit in poenam capitali iudicio? VAS.
Quis quum lis fuerit numaria? quis dabitur? PRAES.

Fest. voce *vadem p. m.* 471. VADEM *sponsorem significat, datum in re capitali.* Sed si antiqui eam obseruarunt inter has voces differentiam: sane eam neglexerunt posteri, qui in quocumque iudicio, siue ciuili, siue capitali *vades* exigebant. Vnde Varroni *de Lingu. Lat. V. 7. p.* 42. vas est, *qui pro altero vadimonium promittit.*

Source : BIU Cujas

tit (*d*). *Praedes* quoque poſtea non ii dicti ſunt, qui in iudicio ciuili ſe obligabant pro aliis, ſed qui partim pro publicanis, partim in iudiciis publicis de mulcta ſoluenda populo cauebant. Varro *ibid. p.* 42. Feſt. *voce praes. p.* 375. *Manceps dicitur, qui quid a populo emit conducitue, quia manu ſublata ſignificat, ſe auctorem emtionis eſſe, qui idem* PRAES *dicitur, quia tam debet praeſtare populo, quod promiſit, quam is, qui pro eo* PRAES *factus eſt.* Car. Sigon. *de ant. iure ciu. Rom. II.* 4. *p.* 293. et Briſſon. *de verb. ſig. voce praedes. p.* 450. Qui denique pro actore ſe obligabant, *ſubvades* dicebantur, vt ſuſpicatur Gothofred. *ibid. p.* 191. niſi cum Salm. *de Mod. vſur. c. XVI. p.* 701. dicere malis, *ſubuades* fuiſſe, qui pro vadibus fideiubebant, quemadmodum *ſubpraedes*, qui pro praedibus. Quamquam iam Gellii aetate huius vocabuli vſus ac paene ſignificatio perierat. Vid. *Noct. Att. XVI.* 10.

(*d*) Qui prouocabat, *vadari*, qui prouocabatur, *vadimonium promittere* dicebatur. Sigon. *de Iudic. I.* 20. *p.* 454.

§. IIII.

Quid fideiuſſores, ſponſores, adpromiſſores, fidepromiſſores?

Ad eos quod attinet, qui pro priuatis ſe extra iudicium obligabant: ii, ſi vltro ſe offerrent, iuberentque pecuniam credi ſua fide, ſuoque periculo, dicebantur FIDEIVSSORES. Si darentur a debitore, cui quis nolebat credere, dicebantur SPONSORES. Salmaſ. *de Mod. uſur. XVI. p.* 693. 707. quamuis id diſcrimen in Digeſtis non obſeruari, ſed ſponſores vbique in illis obliteratos eſſe *ibidem. p.* 707. obſeruet. ADPROMISSORES erant, qui quod ſuo nomine alii promiſerant, idem pro altero quoque promittebant. Feſt. voce *adpromiſſor. p. m.* 245. *l.* 5. §. 2. *D. de V. O. l.* 64. §. 4. *D. ſolut. matr. l.* 43. *D. de ſolut.* Iidem dicti etiam videntur FIDEPROMISSORES. Paull. *Recept. Sent. I.* 9. 5.

§. V.

Formulae fideiubendi.

Diuerſa vero illa nomina, vt recte a Cuiacio *ad Paull. Rec. Sent. I.* 20. obſeruatum eſt, potiſſimum a formulis, quibus ſtipulationes concipiebantur, ſortiti ſunt fideiuſſores (*e*). Qui enim rogatus: FIDEIVBES? reſpondiſſet: FIDEIVBEO: dictus eſt *fideiuſſor*. At qui rogatus: FIDEPROMITTIS? reſpondebat: FIDEPROMITTO: *fidepromiſſor* vocabatur. Denique ſi quaeſitum: SPONDES? is, qui reſponderat SPONDEO, *ſponſor* adpellatus eſt. §. 1. *Inſt. de verb. obl.*

(*e*) Eae nonnumquam etiam Graece conceptae. §. 7. *Inſt. h. t. l.* Graece §. pr. *D. eod.*

Source : BIU Cujas

Adpromissores etiam procul dubio rogati sunt, an *adpromitterent*? Quo verbo vtitur Cicero *pro Sex. Rosc. Am. VIIII.*

§. VI.

Maxime in iudiciis.

Fuere etiam in fideiussionibus iudicialibus certae adhibitae formulae, qualem iam supra *Lib. III. Tit. XVI-XX. n.* 17. vidimus. Vadimonium inprimis accurate concipiebatur, adhibito iureconsulto, ceu ex Cicerone *Epist. ad Q. Fratr. II.* 14. demonstrat Car. Sigon. *de Iudic. I.* 20. *p.* 454. In hac formula et illa erant verba sollemnia: REVM ADFVTVRVM IN DIEM TERTIVM, VEL PERENDINVM. Vid. Brisson. *Form. Lib. V. p.* 367. 2.

§. VII.

Quibus obligationibus accesserit fideiussio?

Fideiussio accedebat obligationibus omnibus, quin et praecedere poterat obligationes, *l.* 6. §. 2. *D. de fideiuss.* ita tamen, vt praecedens fideiussoris obligatio tum demum vires caperet, quum et principalis obligatio, cuius illa accessio erat, constituta esset. *l.* 35. *D. de fideiuss.* Is vero, qui sponsione sua antecesserat debitoris obligationem, proprie MANDATOR vocabatur. *l.* 12. §. 14. *D. mandat.* In fideiussione dotis caussa id notabile, quod illa post nuptias stante matrimonio a marito data, non obligaret, ante nuptias data, firma validaque haberetur, ceu ex Harmenop. *Promt. IIII.* 8. 9. vt et *l.* 1. *C. Theod. ne fidei. dot. dent.* ostendit Cuiac. *Parat. ad tit. C. ne fidei. dot. dent.* dissentiente tamen Iac. Gothofredo *Comment. ad Cod. Theod. ibid.* Et sane quid magis a ratione alienum est, quam dotem non credi marito, cui se ipsam vxor credere non dubitauit? *l.* 2. *C. ne fidei. dot. dent. l.* 8. *C. de pact. conu.*

§. VIII.

Fideiussorum obligatio.

Singuli fideiussores tenebantur in solidum, liberumque adeo erat creditori, a quo vellet solidum petere, quemadmodum et in eius positum erat arbitrio, debitoremne, an fideiussorem, eiusue heredes, conuenire mallet. *l.* 20. *D. de cond. indeb. l.* 16. §. *vlt. D. de fidei. l.* 5. *C. eod.* Vno tamen soluente, liberabantur ceteri. §. 4. *Inst. h. t.* Cai. *Inst. II.* 9. 2. Iac. Cuiac. *Obseru. XXIII.* 25.

§. VIIII.

Beneficium divisionis,

Ast illum veteris iuris rigorem sustulit Hadrianus, cuius ex epistola inter fideiussores aeque, ac mandatores, diuidebatur actio, si litis contestandae tempore omnes essent soluendo. *l.* 26. *D. eod.* Haec epistola deinde inserta est Edicto perpetuo, vnde id beneficium

Source : BIU Cujas

ficium ex edicto praetoris deriuat Paull. *Rec. Sent. I.* 20. 1. Ex quo patet, humani quid passum esse Cuiacium, qui *ad tit. Inst. de SC. Tertull.* epistolam illam non Hadriano, sed D. Pio, tribuit, ante cuius tempora iam compilatum erat Edictum perpetuum. Quomodo vero a D. Pio esse potest, quod iam Edicto perpetuo insertum fuerat? Videtur tamen D. Pius illud beneficium diuisionis noua epistola stabiliuisse, cuius quaedam supersunt vestigia *l.* 49. §. 1. *D. de fideiuss.*

§. X.

Denique et Iustinianus beneficium ordinis indulsit, *Nou. IIII.* 1. de quo, nec non de beneficio cedendarum actionum plura commentantur doctores, quae hic repetere non vacat. et ordinis.

§. XI.

Fideiubere poterant omnes, qui et stipulari. At non mulieres, quae in omni genere negotiorum atque obligationum, tam pro viris, quam pro feminis, intercedere prohibebantur. Paull. *Recept. Sent. II.* 11. 1. Non ergo valebant fideiussiones iudiciales mulierum. Nam nefas videbatur, mulierem in forum prodire, et vel suam ibi caussam agere; adeo, vt quum aliquando mulier in foro caussam pro se ipsa egisset, Senatus consuluisse feratur Deos, τίνος ἄρα τῇ πόλει σημεῖον εἴη τὸ γεγενημένον; *ecquid hoc exemplum vrbi portenderet?* Plut. *in Num. p.* 77. Nec magis valebant priuatim interpositae fideiussiones mulierum, quia fideiussio quasi ciuile ac virile negotium videbatur, a quo arcendae feminae. *l.* 1. §. 1. *et l.* 2. §. 1. *D. ad SC. Velleian. l.* 2. *pr. D. de reg. iur.* Eaque prohibitio tam seuera erat, vt olim ne renunciari quidem huic beneficio posset. Secura ergo erat mulier, pro alio quae intercesserat, nisi vel pro tutoribus filiorum indemnitatem promisisset: Paull. *Rec. Sent. ibid.* §. 2. (*f*) vel decipiendi animo et dolo malo id feciset. Paull. *ibid. l.* 11. *D. ad SC. Velleian.* Immo non fideiussiones tantum, sed omnes omnino mulierum intercessiones ex quocunque contractu irritae erant. Iac. Gothofr. *Comm. ad l.* 2. *D. de R. I.* Ger. Noodt *Obseru. I.* 18. Mulieres fideiubere non poterant.

(*f*) Ita quidem Paullus. Sed alia omnia habentur in *l.* 6. *C. ad SC. Velleian. l.* 1. et *vlt. C. si mater indemn. promis.* Qui textus quum partim ab Alexandro Seuero, partim a Diocletiano sint: aut corruptum Paullum esse oportet, aut ius istud constitutionibus mutatum.

§. XII.

Source : BIU Cujas

§. XII.

Origo SC. Velleiani.

Omnia haec ſancita SENATVS CONSVLTO VELLEIANO, cuius legitima verba *l.* 2. §. 1. *D. eod.* ſeruata indicant, conditum illud eſſe M. Silano et Velleio Tutore Coſſ. ſed faſti id par conſulum fere omittunt. M. Silanum conſulem praeferunt anno V. C. IↃCCLXXI. Quare et tunc illud SC. conditum putat Schilter. *Exerc.* XXVIII. 2. Sed diſerte Vlpianus *l.* 2. *pr. D. ad SC. Vell.* adfirmat, primum quidem temporibus Auguſti, mox deinde Claudii, eorum edictis cautum eſſe, ne feminae pro viris ſuis intercederent: poſtea vero factum eſſe hoc SC. Ex quibus verbis patere videtur, illud vel extremo Claudii imperio, vel poſtea fuiſſe conditum. Tunc vero quum anno IↃCCLXXXXVIII. in faſtis occurrant P. Valerius Aſiaticus II. et M. Iunius Silanus Coſſ. inter ſuffectos autem iſtius anni Velleius Rufus, qui forſan Valerio Aſiatico vltro ſe abdicanti ſuffectus eſt: Vid. Hub. Golzii *faſt. conſul. p.* 239. non dubitandum quibuſdam videtur, eo ipſo anno, referente ad Senatum Velleio Rufo, hoc SC. prodiiſſe, dictumque inde eſſe Velleianum. Schulting. *Iuriſpr. ant. p.* 640. Id et mihi olim viſum. Sed iam aliter videtur. Vlpianus Velleium iſtum non vocat Rufum, ſed Tutorem. Silani autem et Velleii Tutoris conſulatus memoratur bis in marmore apud Gruter. *Inſcr.* p. CCCCLXX. *n.* 1. *et* 2. vbi par iſtud conſulum ita ſcribitur:

L. SILANO. FLAMINI. MARTIALI. C. VELLAEO. TVTORE.
COS. NON. DECEMBR.

Conſules autem quum fuerint anno V. C. IↃCCLXIII. et ſub Auguſto primum ea de re cautum fuiſſe dicatur, procul dubio hi ipſi Coſſ. nomen et originem SC. dederunt. Nec alii ſunt auctores legis Iuniae Velleiae, cuius mentio fit in *l.* 10. §. 2. *D. de teſt. tut. l.* 13. *D. de iniuſt. rupt. irrit. teſt.* Ceterum ex marmore illo diſcimus, Silanum illum non Marci, ſed Lucii, praenomen tuliſſe, eaque in re non minus, quam in chronologia huius SCi, errare Vlpianum.

§. XIII.

Mulieres etiam ante hoc SC. nullum ciuile negotium Romae ge-

Nam quamuis Auguſti Claudiique edicta, quibus mulieres pro viris intercedere prohibuerunt, illud SC. anteceſſiſſe dicat Vlpianus *l.* 2. *pr. D. eod.* facile tamen patet, eum rem non adeo accurate retuliſſe. Saltim Claudio recentius hoc SC. dici non patiuntur faſti conſulares. Forte ipſe Vlpianus faſtos conſulares non adeo accuratos habuit, et Velleium Rufum confudit cum Velleio Tutore.

Source : BIU Cujas

tore. In tanto enim consulum suffectorum numero, quid facilius est, quam errare et decipi? Quin probabile est, iam ineunte rep. prohibitum fuisse feminis, ne pro aliis intercederent, ceu ostendit celeberrimus Ludewigius, in *Differ. iuris Rom. et Germ. circa SC. Velleian. diff.* 1. Ab initio sane vrbis Romani feminas perpetuo ocio mancipabant, easque nec molere patiebantur, nec cibos coquere, nec vllam partem rei familiaris suscipere. Plutarch. *Quaest. Rom. p.* 284. non ob aliam procul dubio caussam, quam quod pro Italorum ingenio feminarum suarum pudicitiae diffiderent. Eodem pertinebat interdictio vini seuere sancita, Plutarch. *in Num. p.* 77. quodque eas ne de rebus quidem necessariis dicere paterentur sine viris, (Idem *ibid.*) nedum conuiuiis vacare. Val. Max. II. 1. 1. Multo minus iis concedebant, vt prodirent in forum, vel vllum ciuile negotium peragerent. Plutarch. *ibid.* rere poterant.

§. XIIII.

Quod vero in vsum reuocanda videretur prisca illa seueritas ac disciplina, inde factum arbitror, quod, abrogata lege Oppia, (de qua Liu. XXXIIII. 5. et Valer. Max. VIIII. 1. 3.) et mulierum tutela sensim exolescente, feminae paullo liberius viuere, et negotiationibus, versuris, intercessionibus vacare coeperant. Quae licentia et Augusti et Claudii edictis, et hoc SC. coercenda visa est. Accessit postea Nouella CXXXIIII. 8. ex qua *Authentica: si qua mulier C. ad SC. Velleian.* fluxit, de qua fuse doctores. Cur hoc SC. conditum?

TIT. XXII.

DE

LITTERARVM OBLIGATIONIBVS.

NOn vllius temere conuentionis obscurior nobis natura est, quam contractus, qui LITTERIS initur, in quo explicando adeo fluctuant eruditi, vt quem potissimum sequaris, vix adpareat. Sane quum ICti plerique vbi contractuum nominatorum varia genera recensent, litterarum obligationis non meminerint, *l.* 1. §. 1. *l.* 4. *D. de O. et A. l.* 8. §. 1. *D. de fideiuss. l.* 52. *pr. D. de O. et A. l.* 1. §. 1. *de nouat.* non dubitant quidam, veteres hoc contractus genus plane ignorasse, idque vel constitutioni-

Source : BIU Cujas

bus sequiorum principum, vel ab ipso Iustiniano demum, inventum esse. Ita Duarenus, Donellus, Wissenbachius, aliique viri docti statuunt. Sed antiquam satis esse litterarum obligationem, et verum contractum, satis adparet ex *Fragm. Vet. ICti post Collationem LL. Mos. et Rom. edito* §. *VII.* vbi mentio fit adquisitionis *per* SCRIPTVRAM *et stipulationem*. Deinde litterarum obligationem inter contractus referri videmus, in *l.* 2. §. 1. *D. de obl. et act.* et apud Cai. *Institut. II.* 9. 1. *pr. et* §. 13. Nos itaque, quae ex antiquitatibus ad illustrandam hanc materiam facere videbuntur, paucis delibabimus.

§. I.

Obligatio litterarum, alia antiqua, alia noua.

Olim, inquit Imperator, *princ. Inst. h. t.* SCRIPTVRA *fiebat obligatio, quae* NOMINIBVS *fieri dicebatur, quae nomina hodie non sunt in vsu.* Quum ergo ipse Imperator largiatur, aliam olim, quam suo aeuo, in vsu fuisse litterarum obligationem, eamque factam esse nominibus doceat: inquirendum erit, qualia illa fuerint NOMINA, quaeque inde nata sit obligatio?

§. II.

Antiquam plerique interpretantur de expensi latione.

NOMINIBVS olim factam obligationem litterarum, etiam Cicero *ad Attic. Epist.* IIII. 18. confirmat, vbi de turpi pactione Memmii et Caluini; *Haec pactio*, inquit, *non verbis, sed* NOMINIBVS, *et praescriptionibus multorum, tabulis esse facta quum diceretur: prolata a Memmio est, nominibus inductis.* Sed qualia illa nomina? Plerumque hunc contractum doctores accipiunt de modo aliquo pecuniae vel credendae, vel creditam probandae, quales erant *adnumeratio*, *expensi latio*, *stipulatio*, de quibus Cic. *pro Q. Roscio Com.* III. quibus *chirographi exhibitionem*, *tabularum obsignationem*, *testium interceſſionem*, addit Gell. *Noct. Att.* XIIII. 2. *Expensi latio*, quae Salmasio maxime huc pertinere videtur, erat scripta professio datae pecuniae. Ascon. Paedian. *in* Cic. *Verrinam* III. *p.* 1848. Fieri solebat per nomina, quae creditor vel foenerator in tabulas accepti et expensi inscribebat, idque praesente debitore, qui et ipse in tabulas suas referebat, quantum deberet. Quae tabulae prolatae in iudicio fidem faciebant debiti. Cic. *pro Rosc. Com. V.* De hac expensi latione, nec non nominibus per scripturam mensae argentariae, plura habet Barn. Brisson. *de Form. Lib.* VI. *p.* 356. Salmas. *de Vsur. cap.* VI. *et* XVII. et *de Modo vsurar. cap.* XI. *p.* 473. *sequ.* In hoc ergo contractum litterarium constitisse, putant,

Source : BIU Cujas

putant, quod nominibus ita tabulis inscriptis obligati fuerint debitores non minus, ac si stipulatio, vel aliud vinculum, interfessisset. Sigon. *de Iudic. I. 5. p. 408.*

§. III.

Quod tamen refellitur.

Enimuero hos rem acu haud tetigisse, vel Caii fragmenta ostendunt; in quibus LITTERIS *fieri* dicitur *obligatio, aut a re in personam, aut a persona in personam. A re in personam, velut si id, quod ex emtione, aut conductione, aut societate debes, alii reddas. A persona in personam, veluti si id, quod mihi alter debet, alteri personae delegem, vt reddere debeat.* Cai. *Inst. II. 9. 12.* Quae tametsi ab Aniano videantur corrupta, ita tamen comparata sunt, vt ad nomina illa foeneratorum nihil faciant. Argentariorum tabulis inscribebantur nomina debitorum, qui mutuam acceperant pecuniam: hic etiam ex emtione aut conductione aut societate nasci dicitur litterarum obligatio. Ibi solus debitor, cuius nomen fuerat inscriptum, obligabatur: hic etiam quaedam delegatio, aut certe nouatio fiebat. Quod et docet *l. pen. C. Theod. de denunc. vel edit. rescript. Si quis debiti, quod vel ex foenore, vel mutuo datae pecuniae sumsit exordium, vel ex alio quolibet titulo, in litterarum obligationem, facta cautione, translatum est, &c.* Ergo et hactenus satis obscurum est, quaenam fuerit litterarum obligatio.

§. IIII.

Antiquae illius litterarum obligationis natura explicatur ex Theophilo.

Sequendus ergo hac in re videtur Theophilus, *Paraphr. Inst. III. 21.* qui vnus forsan nobis huius contractus indolem naturamque luculentissime explicauit. Quamuis enim in quibusdam non semper rem acu tangere soleat Theophilus, si quando lucem mutuare iuri antiquo conatur: in hoc tamen titulo eum tanto tutius sequemur, quanto certius ex illo Caii loco colligimus, illum, quaecunque de litterarum obligatione adfert, ex Caii institutionum libris sinceris ac genuinis, vel certe ex alterius veteris iureconsulti scriptis hausisse (*a*). Iac. Oisel. *ad* Caii *Inst. ibid. p. 161.* Schulting. *Iurispr. vet. Anteiust. p. 163.* Is ergo Theophilus luculentam hanc dedit verborum Institiniani παράφρασιν λίτερις ἐσὶ τὸ παλαιὸν χρέος εἰς καινὸν δάνειον μετασχηματιζόμενον ῥήμασι, ᾗ γεάμ-

(*a*) Non ergo est, quod Theophili fidem in dubium hic vocent Barn. Brisson. *de Form. Lib. VI. p. 537.* et Salmas. *de Vsur. VI.* Neque enim ipsi Theophilo fidem habemus, sed Caio, aut alii Iureconsulto veteri, quem ille manifesto exscripsit.

Source : BIU Cujas

μασι τυπικοῖς. *Litterarum obligatio est veteris nominis in nouum creditum, per sollemnia verba et sollemnes litteras transformatio.* Introducta ergo litterarum obligatio nouationis caussa, eaque contracta est partim verbis sollemnibus, partim litteris. De quibus denuo Theophilus in editione Fabroti: *Nam si, quum quis mihi centum aureos deberet ex emptione aut locatione, aut mutuo, aut stipulatione, (multis enim modis nobis aliquid deberi potest,) voluissem hunc mihi obligatum esse litterarum obligatione: necesse erat, verba haec dicere et scribere ad eum, quem litterarum obligatione obligatum habere volebam. Sunt autem haec verba, quae dicebantur et scribebantur:* CENTVM AVREOS, QVOS MIHI EX CAVSSA LOCATIONIS DEBES, EXPENSOS TIBI TVLI (*b*)? *Deinde adscribebatur ab eo, qui iam ex locatione obligatus erat:* EXPENSOS MIHI TVLISTI, *et tunc prior obligatio exstinguebatur, nouaque ex litteris nascebatur obligatio, quae ex eo nomen habet, quod litteris consistat.* Haec est sollemnitas, quam in litterarum obligatione veteri obseruatam esse, tradit Theophilus, quamuis eius exemplum tantum ad prius litterarum obligationis genus pertineat, quod Caius *a re in personam fieri*, ait.

(*b*) Formulam hanc vt et sequentem: EXPENSOS MIHI TVLISTI: Latine exhibet editio Fabroti, ad Codices MSS. exacta, eaque procul dubio genuina illa et antiqua formula est inducendi litterarum obligationem. Ast Dionysii Gothofredi editio loco Latinae Graecam formulam habet: τὰς ἑκατὸν χρυσίους, ἃς ἐμοὶ ἐξ αἰτίας μισθώσεως χρεωφείλεις, σὺ ἐκ συνθήκης καὶ ὁμολογίας δώσεις τῶν οἰκείων γραμμάτων; *Centum aureos, quos mihi ex caussa locationis debes, tu mihi ex conuentione et pactione dabis propriarum litterarum?* ad quae debitor respondebat: ἐκ τῆς συνθήκης ὀφείλω ταῦτα οἰκείων γραμμάτων; *Ex conuentione illas debeo mearum litterarum.* Sed facile intelligitur Latina illa, quae habet editio Fabroti, omissa esse a librariis, Latina illa vel non curantibus, vel non satis intelligentibus, eorumque loco reposita illa Graeca. Vid. Schulting. *l. c. p.* 163.

§. V.

Locus Theophili illustratus.

Ex hoc ergo quantiuis pretii loco discimus, I. litterarum obligationem factam esse *nominibus*. Quicumque enim debebat, eius nomen non modo referebatur in tabulas excepti et expensi, ceu docet Cicero *pro Q. Rosc. Comed. V. Expensum tulisse non dicit, cum tabulas non recitat.* sed et in chirographa, adhibitis testibus et pararii. Senec. *de Benef. Lib. II. et Lib. III. cap.* 15. Et inde Horatius *Epist. II.* 1. *v.* 105.

Scriptos NOMINIBVS *certis expendere numos.*

Inde

Source : BIU Cujas

Inde, qui mutuam pecuniam sumebant, SCRIBERE dicebantur. Loca Plauti *Asin. II.* 4. *v.* 34. *Curcul. III. v.* 40. *Trucul. I.* 1. *v.* 53. Cicer. *ad Attic. VIIII.* 2. et alia, iam adduxit V. C. Rich. Bentleius *ad Horat. p.* 628. *sequ.* Porphyrion *ad Horat. Serm. II.* 3. eleganter id explicat hunc in modum: *Iuris verba.* SCRIBERE *est mutuum sumere*; inde denique est; quod RESCRIBERE eodem teste Porphyrione, et restituere, quod et Seru. *ad Aen. VII. v.* 422. obseruat, et Donatus ad Terent. *Phorm. V.* 7. *v.* 29. Discimus, II. nomina illa non solum inscripta esse in caussa pecuniae ex mutuo numeratae, sed et, si quis ex caussa emtionis, locationis, societatis &c. deberet. Sane enim nominis ex caussa emtionis venditionis facti meminit Cicero *de offic. III.* 14. Constat porro ex hoc loco Theophili, III. litterarum obligationem nouationem debiti, immo et delegationem nonnumquam induxisse, vt ex Caio discimus. Si *nouationem* inducebat litteris obligatio *a re in personam*; sin *delegationem*, *a persona in personam* fieri dicebatur. Ita enim distinctionem Caii interpretandam esse, res ipsa docet. Et hinc lucem capit loquutio vetus: *ab aliquo scribere.* Horat. *Serm. II.* 3. *v.* 69.

Scribe decem a Nerio. - - -

vbi legendus laudatissimus vir Rich. Bentl. *p.* 629. Denique IIII. ex hoc Theophili loco discimus, quod litterarum obligationem praecedere debuerit sollemnis stipulatio, eaque deinde redigenda fuerit in scripturam. Et haec est illa *scripturae proprietas*, cuius meminit *l.* 2. *D. de obl. et action.*

§. VI.

Effectus vero is videtur fuisse, vt aliquis teneretur litteris, quasi ex caussa pecuniae expensae, quando tamen nihil saepe erat numeratum, nec exceptioni etiam non numeratae pecuniae locus relinqueretur. Schulting. *ad* Caii *Inst. II.* 9. 12. *p.* 163. Effectus litterarum obligationis.

§. VII.

Haec de antiquissima litterarum obligatione. Alia scriptura nullam producebat validam obligationem, *l.* 25. *§. fin. D. de probat.* sed requirebantur verba, stipulationi propria, quae si in scripturam redacta fuissent, praesumebatur praecessisse solemnem stipulationem: et tunc non ex his scriptis, sed ex stipulatione, vel ob chirographum ex stipulatu agebatur, cuius actionis mentio fit. *l.* 17. *pr. D. de doli mali et met. except.* Schulting. *ad* Cai. *ibid. p.* 164. Scriptum alias nullam producit obligationem.

Source : BIU Cujas

§. VIII.

Noua litterarum obligatio.

Inualuit tamen postea, ex quo antiqua illa litterarum obligatio obsoleuerat, noua obligationis species, quae et ipsa litterarum obligatio dici posse videbatur. Sensim enim sub Imperatoribus fuerat receptum contra iuris antiqui regulas, vt ex chirographis quoque peti posset credita pecunia, (*c*) et ex ea nasceretur condictio, quamuis non praecessisset stipulatio. *pr. Inst. h. t.* Sed tunc quidem reus vel querelam non numeratae pecuniae instituere, vel opponere poterat exceptionem non numeratae pecuniae, nisi multum temporis effluxisset. Et quum alias quilibet reus suam exceptionem probare debeat: *l.* 1. *D. de except.* hic quidem onus probandi deuoluebatur in actorem. *l.* 14. §. 2. *l.* 3. *C. de non num. pec.* Multum vero illud tempus in hac exceptione antea ex principalibus constitutionibus vsque ad quinquennium procedebat: a Iustiniano vero ita contractum est, vt vltra biennii metas huiusmodi exceptio minime extendatur. *d. L.* 14. *C. eod.*

(*c*) Immo et nouae potuere induci obligationes, interueniente chirographo, ceu patet ex *l.* 6. *C. Theod. de de-nunc. vel edition. rescript.* vbi legendus Iac. Gothofred. commentarius.

TIT. XXIII-XXVII.

DE CONTRACTIBVS CONSENSVALIBVS, EMTIONE VENDITIONE, LOCATIONE CONDVCTIONE, SOCIETATE, MANDATO.

DE contractibus, qui RE, VERBIS, LITTERIS ineuntur, satis multa hactenus diximus: de iis, qui SOLO CONSENSV citra verborum scripturaeque proprietatem perficiuntur, eo pauciora ex antiquitatibus erunt monenda, quo minus in his contractibus iuris gentium Romani a simplicitate iuris istius recesserunt.

§. I.

Contractus consensuales.

Contractus omnes consensuales, vt et ex realibus *depositi*, *commodati*, *pignoris*, ex innominatis *aestimatorius* et *permutatio*, ex quasi

Source : BIU Cujas

quasi contractibus *negotiorum gestio* et *tutela* erant contractus bonae fidei, reliqui fere stricti iuris. Inter quos quaenam fuerit differentia, infra *Lib. IIII. Tit. VI.* occasione actionum bonae fidei et stricti iuris commodius explicabimus. sensuales erant bonae fidei.

§. II.

Quibus ritibus alienari consueuerint res mancipi, et nec mancipi iure Quiritium, supra *Libro II. Tit. I.* ostendimus. Quamuis ergo emtioni venditioni aliquando accederet mancipatio, aliquando in iure cessio, aliquando traditio, tamquam modi adquirendi: ipsa tamen emtio venditio, tamquam titulus, perfecta videbatur, simul ac de pretio inter emtorem et venditorem conuenerat, tametsi pretium nondum esset numeratum, immo ne arrhae quidem datae, quippe quae non ad inducendam obligationem, sed ad euidentiorem probationem, dabantur. *princ. Inst. h. t.* Cai. *Inst. II.* 9. 14. *l.* 35. *pr. D. de contr. emt.* Dubitari enim non poterat, quin de pretio conueniisset, adeoque deberetur reliquum, si arrha data esset. Varro *de Lingu. Lat.* IIII. 36. *p.* 28. *Arrhabo sic dicta, vt reliquum reddatur. Hoc verbum a Graeco ἀρραβὼν, reliquum, ex eo quod debitum reliquit.* Emtio venditio quomodo contracta.

§. III.

Antequam contractus perficeretur, ante omnia de rei vendendae natura et qualitate dispiciebatur. Iusserant enim aediles titulos singulorum seruorum scribi, Gell. *Noct. Att.* IIII. 2. quales titulos complures colligit Barn. Brisson. 2. *de Form.* VI. *p.* 492. *seq.* Simile quid et in reliquarum rerum venditionibus obseruabatur, vti idem laudatissimus auctor p. 496. sequ. demonstrat. Praeterea ne in venditionibus mancipiorum deciperentur emtores, iubebantur illa interea, dum praeconium fiebat, in orbem currere, saltare, sese denudare, vt sanitatem suam probarent spectantibus. De quo ritu eleganter differit Gronouius Pater *Diatrib. ad Stat. Cap. XVI. p.* 85. Id vbi fiebat, mancipia dicebantur *produci.* Terent. *Eun. I.* 2. *v.* 54. *Heaut. I.* 1. *v.* 92. Si in re indicanda mentitus esset venditor, duplum eius, quod intererat, tenebatur praestare. Hinc *actio de emto ex modo*, quae locum habebat in duplum, si quis in distrahendo fundo de modo, id est, spatio, mentiebatur. Paull. *Recept. Sent. II.* 17. 4. Idem fiebat, si vitia quaedam rei venditae falso dicerentur abesse. Cicero *de offic.* III. 16. si vero quis, seruum pluris venditurus de eius artificio vel peculio fuisset mentitus, Actiones contra venditorem mentientem.

Source : BIU Cujas

tus, tenebatur actione aestimatoria ex emto, *l.* 13. §. 4. *D. de act. emti*, adeoque emtori, quanti minoris valuisset, praestare compellebatur, nisi paratus esset ille ad redhibitionem. Paull. *Sent.* II. 17. 6. Cic. *pro Planc. XXV.*

§. IIII.

Periculum rei venditae ad emtorem pertinebat.

Quum vero solo consensu perficeretur emtio venditio: statim periculum rei, etiamsi nondum traditae, ad emtorem pertinebat, adeo, vt si res interim periisset, pretium tamen esset numerandum, tametsi nihil consequeretur emtor. Si tamen seruus, bona fide comparatus, fuga se proripuerat ex veteri vitio, scilicet, vt iam antea apud venditorem fugisset: non tantum pretium venditor, sed et ea, quae per fugam abstulerat, (*a*) reddere cogebatur. Paull. *Rec. Sent.* II. 17. 11. Cuiac. *Obseru.* XVIII. 10. Schulting. *ad Paull. ibid. p.* 295.

(*a*) Solebant enim serui, priusquam se in pedes coniicerent, aliquid conuasare. Terent. *Phorm.* I. 4. *v.* 12.

- - - Nam absque eo esset,
Recte ego mihi vidissem, et senis essem
vltus iracundiam.
Aliquid conuasassem, atque hinc me
coniicerem protinus in pedes.

Conf. Cuiac. *Paratitl. C. de furt. et seru. corrupt.*

§. V.

Vt et fructus.

Quemadmodum vero periculum ad emtorem pertinebat, etiamsi nondum esset dominus: ita et ex die emtionis, si pretium esset numeratum, et fructus et operae seruorum, et foetus pecorum, et ancillarum partus, reliquaque emolumenta omnia, emtoris erant. Paull. II. 17. 7. *l.* 41. §. 5. *D. de fideic. libert.* Cuiac. *Obs. XXI.* 15.

§. VI.

Quid traditio?

Sequuta traditione, etiam dominium transferebatur, si venditor esset dominus, et tunc statim soluendum erat pretium, aut certe ex eo tempore vsurae debebantur, nisi de eo fides fuisset habita. Paull. *Recept. Sent. II.* 17. 9. *l.* 6. §. 1. *D. de vsur.* Interea tamen salua erat emtori redhibitio ob latens vitium, modo intra sex, modo intra duos menses vtiles. Paull. *Recept. Sent. II.* 17. 5. *l.* 9. §. *vlt. l.* 55. *D. de aedil. edict.*

§. VII.

Source : BIU Cujas

§. VII.

Ad euictionem quod attinet, dominus, accepto pretio, auctoritatis actioni manebat obnoxius. Paull. *Rec. Sent. II.* 17. 1. Sin partem tantum accepiſſet pretii, eatenus duntaxat auctoritatis nomine tenebatur. *l.* 13. §. 9. *de act. emti.* Auctoritas vero idem eſt ac actio de evictione. *l. vlt. D. de euict.* Barn. Briſſon. *de Verb. Sign. voce Auctoritas p.* 64. Salmaſ. *de vſur.* VIII. Sed ea euictio non ſemper promittebatur. Aliquando enim pro voluntate contrahentium ſtipulationes in ſimplum, duplum, triplum, quadruplum concipiebantur: *l.* 56. *pr. D. de euict.* aliquando, ſi res pretioſiores venierant, ex iuris neceſſitate promittendum erat duplum. *l.* 37. §. 1. *D. eod. l.* 31. §. 20. *D. de Aedil. edict.* At quoties accedebat mancipatio, illa erat ordinarie, et ex ipſa iuris diſpoſitione, praeſtanda. Quod diſcimus ex Plaut. *Perſ.* IIII. 3. *v.* 55. Quid evictio?

At ſuo periculo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio neque promittet, neque quiſquam dabit.

Ac poſtea *v.* 16.

- - - Nihil mihi opus eſt
Litibus, neque tricis. Quamobrem ego argentum numerem foras?
Niſi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?

Plaut. *Curcul.* IIII. 2. *v.* 8. *et ſequ.* Vnde et Paull. *Rec. Sent.* II. 17. 3. *Res emta, mancipatione et traditione perfecta, ſi euincatur: auctoritatis venditor duplo tenus obligatur.* Quo tamen de loco quum mirae ſint Cuiacii, Salmaſii, aliorumque doctorum virorum altercationes, videndus omnino Schulting. *ibid. p.* 291. *ſequ.* Nihil iam addo de pactis emtioni venditioni adiiçi ſolitis, niſi quod aliquando, addita poena, prohiberetur ius retrahendi rem venditam. Sic apud Reineſ. *Inſcr. Claſſ.* XII. 68. LOCVM. EMTVM. QUISQVE. REVOCARE. VOLET. REIP. FISCO. INFERRE. DEBET. HS. VICIES.

§. VIII.

LOCATIONES CONDVCTIONES quid ſint, ſatis a doctoribus explicatur. Intercedebat in hoc contractu merces pro vſu rei, vel opera, eaque in locatione praediorum ruſticorum *penſio*: in locatione habitationis ἐνοίκιον vel συγονόμιον, in reliquis locationibus *reditus* vel *redactus* dicebatur. Cuiac. *Obſ.* IIII. 26. Satis vero conſtat, locationes apud Romanos vel PVBLICAS fuiſſe, vel PRIVATAS. Publicas res qui conducebant, *publicani* dicebantur, iique Locationes publicae. Quinam publicani?

Source : BIU Cujas

plerumque erant equites Romani. Cic. *pro Planc. XI.* Vnde eos *honestissimos viros, et firmamentum ceterorum ordinum* vocat idem *pro lege Manil. II. et VII.* Quin quanto in honore illi fuerint apud Romanos, maxime post Ciceronis aetatem, vel inde patet, quod Vespasiani parenti, publicano, posita est statua, cum titulo; ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. Suet. *Vespas. I.* At ab exteris hi publicani tanto maiori habebantur despicatui, maxime a Iudaeis, qui eos, tamquam pestem reipublicae, et generis humani propudium, abominabantur. Matth. XVIII. 17. Marc. II. 15. Ligthf. *Hor. Hebr. et Talmud.* Luc. V. 28. Immo et ipsis Romanis postremo adeo exosi esse coeperunt, vt ob istos quaestus a senatu alienarentur equites. Car. Sigon. *de ant. iure ciu. Rom. II. 4. p. 302. sequ.* Vnde et in iure nostro *magnae audaciae magnaeque temeritatis esse dicuntur publicanorum factiones. l. 12. pr. D. de public. et vectigal.*

§. VIIII.

Publicani conduxerunt vectigalia.

Locabantur vero publicanis partim *vectigalia*, partim *vltro tributa.* Polyb. *Lib. VI. Cap. 15. p. 646. edit. Gronou. Tom. I.* Vectigalia (*b*) censores locabant in lustrum, id est, in quinquennium in Italia aeque ac prouinciis. *l. 3. §. 6. D. de iur. fisc. l. 7. C. de locat.* Immo et agri et praedia ciuitatum in idem tempus locabantur *l. 4. §. 1. D. de admin. rer. ad ciuit. pert.* Quum autem illa vectigalia, siue ad fiscum, siue ad ciuitates et municipia pertinerent, ex agris, pascuis, et portubus publicis, salinis, picariis, cotoriis, hereditatibus, manumissionibus redirent, dicta sunt *decumae, scriptura, portoria, vectigalia salinarum, picariarum, cotoriarum, vicesimarum. l. 17. §. 1. D. de verb. sign.* Publicani qui *decumas* redemerant, *decumani*; qui *scripturas, pecuarii*; qui *portoria, portitores* dicti sunt. Ascon. *in Diuinat. p. 1763. Mancipes sunt publicanorum principes, Romani homines, qui quaestus sui caussa, decumas redimunt,*

(*b*) Vectigalia quae fuerint, eleganter ex antiquitatibus Romanis docuit Petr. Burmannus *de Vectigal. pop. Rom. I. II. III.* Agri publici, hostibus erepti, omnes erant vectigales, iique pro varia deditionis formula triplices habebantur. Vel enim toti publici Romani populi erant, eorumque reditus proprie vectigalia dicebantur: vel militibus inopique plebi diuidebantur per leges agrarias, vel gentibus in deditionem acceptis colendi relinquebantur, vtrobique impositio annuo ex fructibus pascuisque vectigali. Porro et agri vectigales dicti sunt ii, quos permiserant municipiis, vt ex eorum reditibus municipiorum sustinerentur onera, sacra peragerentur, aedes publicae sartae tectaeque seruarentur. Burmann. *ibid. p. 128. 148.* Et de his proprie loquitur titulus Digestorum *si ager vectigalis petatur.*

Source : BIU Cujas

dimunt, decumani adpellantur: si portum aut pascua publica, portitores, aut pecuarii, quorum ratio scriptura dicitur. Sigon. *ibid. p. 296. sequ.*

§. X.

Et vltro tributa.

Vltro tributa dicta sunt sumtus operum publicorum, quorum locatio quinto quoque anno facta est a censoribus. Plutarchus ea vocat ἐργολαβίας, quasi *operum redemturas*. Exempla varia ex Liuio colligit Sigon. *de ant. iure ciu. Rom. II. 8. p. 229.* Perfectum vero opus etiam probandum erat, de qua probatione plura Cuiac. *Obs. XXIII. 33.*

§. XI.

Publicani quotuplices?

Porro publicani alii erant *mancipes*, alii *praedes*, alii *socii*. MANCIPEM definit Festus *p. 311. quisquis a populo aliquid emit, conducitue, quia sublata manu significat, se auctorem emtionis*, vel conductionis, *esse*. Et Asconius Paed. *l. c. p. 1763.* MANCIPES *principes publicanorum* esse ait, *qui quaestus sui caussa exigenda a sociis suo periculo exigant, et reipublicae repraesentent. Praedes* vero, teste eodem Festo, dicebantur, *qui populo se obligabant, interrogatique a magistratu, si praedes sint? respondebant: praedes. Socii* denique erant, qui in partem quaestus et iacturae a mancipibus et praedibus vocabantur. Sigon. *ibid. p. 239.* Omnes vero hi publica vectigalia vel vltro tributa ad hastam *publicam conducebant.* (*c*)

(*c*) Nep. *in Attico VI. Ad hastam publicam nunquam accessit. Nullius rei neque praes, neque manceps factus est.* Columell. *Lib. I. praef. In hac et Saturnia terra nunc ad hastam locamus.* Ouid. *de Ponto IIII. 5.*

Aut populi reditus positam componat ad hastam.

Idem *ibid. v. 139.*

Nunc longi reditus hastae supponere lustri,
Credet, et exacta cuncta locare fide.

§. XII.

Locationes privatae.

Haec de locationibus et conductionibus publicis. Priuati vel praedia sua et res, vel operas, locabant: isque contractus denuo perfectus erat, simul ac de certa mercede inter contrahentes conuenerat. De locatoris et conductoris differentia, Cuiac. *Obs. II. 28.* de reliquis huius contractus iuribus doctores consulendi sunt. Id modo iuuat addere, plerumque priuatos in conducendis locandisque rebus suis imitatos esse conductiones publicas, adeoque conduxisse et locasse in quinquennium. *l. 4. §. 1. D. si cert. petat. l. 25.*

Source : BIU Cujas

25. §. *vlt. D. solut. matrim. l.* 16. *D. de liberat. leg. l.* 89. *D. de V. O.* Plin. *Epist. VIII.* 36. *l.* 13. §. *vlt. l.* 24. §. 2. *et* 4. *D. locati.* Praeterea nec id videtur omittendum, non solum domos, sed et fundos, plerumque locatos esse Kalendis Iuliis. Exempla sunt in *l.* 41. *pr. D. de contrah. emt. l.* 60. *pr. D. locat. l.* 9. *pr. D. qui pot. in pign.* Add. Sueton. *Tiber. XXXV.* Martial. *Epigr. XII.* 33. Ipsae tamen locationes vtplurimum a Kalendis Martiis incipiebant, eodemque tempore et pensiones soluebantur, *l.* 58. *pr. D. de vsufr.* quamuis id non credat Thom. Reines. *ad Inscript. Class. VII. p.* 507. Plura hac de re praeter laudatissimum Reinesium differunt Ant. Augustin. *Emend. IIII.* 14. Cuiac. *ad African. XII.* 8. Guid. Pancirol. *Var. Lect. I. vlt.*

§. XIII.

Origo emphyteuseos.

Diximus supra *n. VIIII. not. b.* eos quoque agros dictos esse vectigales, qui permissi fuerint municipiis, vt ex eorum reditu onera municipiorum sustinerentur, aedesque publicae sartae tectaeque conseruarentur. Burm. *de Vectigal. pop. Rom.* 128. *et* 148. Horum alii in perpetuum locabantur, quorum pensio ipsis inhaerebat, et *vectigal* vocabatur: alii ad certum tempus. Priores proprie agri vectigales dicebantur, et de iis agit titulus Digestorum: *si ager vectigalis petatur.* Deinde vero quia saepe et inculti agri hac lege fruendi darentur, Graecis nominibus venire coeperunt tam agri illi, quam redeuntia inde vectigalia, EMPHYTEVSEOS puta et CANONIS, quod sub Constantino M. primum factum suspicatur Schilter. *Exerc. XVI.* 66. *sequ.* Eadem vero locationis species sensim extensa ad praedia templorum, patrimonialia principis, vrbana, quin et priuatorum. Vnde Zeno Imperator, emphyteusi ab emtione aliisque contractibus seiuncta, nouo contractui emphyteuseos dedit originem. *l.* 1. *C. de iure emphyteus.*

§. XIIII.

Societates publicae.

De SOCIETATE idem, quod de locatione conductione, tenendum, eam vel *publicam* esse, vel *priuatorum.* Publicis accensendae sunt societates publicanorum, vel conducentium vectigalia. Diuisi enim in multas societates conducebant: et deinde ex ordine suo creabant *magistrum societatis*, qui Romae societati ita praeerat, vt et socios quasi senatum cogendi, et ad eos de societatis negotiis referendi potestatem haberet, curamque omnem gereret tabularum et rationum, quae vndique ab iis, qui societati operam dabant, Romam mittebantur. Cic. *Epist. ad Famil. XIII.* 9. *l.*

Source : BIU Cujas

9. *l.* 14. *D. de pact.* Sociis enim huiusmodi permissum erat, corpus vel collegium habere. *l.* 1. *D. quod cuiusc. vniu. nom.* Idem *magistri societatum* in prouinciis habebant aliquos *pro magistro*, quasi muneris sui vicarios, societatisque praefectos. Cic. *ad Attic. X.* 10. Quae omnia optimorum auctorum testimoniis luculenter demonstrant Car. Sigon. *de ant. iure ciu. Rom.* II. 4. Burm. *de Vectigal. Pop. Rom.* VIIII. *p.* 163.

§. XV.

Priuati societates inire poterant, tum omnium bonorum, (κοινοπραξίαν) vel, vt Vlpianus *l.* 73. *pr. D. pro soc.* vocat, vniuersarum fortunarum, tum vnius cuiusdam negotiationis. Cai. *Inst.* II. 9. 16. Quoties prius fuerat factum: quaecumque in dominio sociorum erant, cum reliquis quoque communicabantur, *l.* 1. §. 1. *l.* 2. *D. pro soc.* idque non propter consensum, qui solus ad transferendum dominium non sufficit, *l.* 20. *C. de pact.* verum quia traditio quaedam tacita interueniisse credebatur, et veluti constitutum possessorium, vti praeclare docet Ger. Noodt *Probab.* II. 6. *vlt.* Et talis erat communio bonorum inter Pythagoraeos, dictos ideo κοινοβιους. Vid. Iambl. *Vit. Pythag. cap. V. segm.* 29. *et cap.* XVII. *segm.* 72. 74. Porphyr. *Vit. Pythag. segm.* 20. *et ibi* Luc. Holsten. et Conr. Rittershus. *in Notis.* Societates priuatae cum vniuersales,

§. XVI.

Vnius alicuius negotiationis societas iniri pro lubitu poterat, conditionibusque quibuscumque: adeo vt et tunc valeret societas, si vnus pecuniam daret, alter operam pro pecunia conferret. Nam et tunc, vt eleganter Plautus *Asinar. l.* 3. tum vnius negotiationis.

Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.
Vid. *l.* 52. §. 2. *D. pro soc.*

§. XVII.

Quidquid ex societate illa constante fuerat adquisitum, commune erat sociis omnibus, et diuidebatur partibus aequis, (*d*) si non aliter initio inter socios conueniisset. *l.* 29 *pr. D. de soc.* Recte enim ex *l.* 63. *pr. D. pro soc.* obseruatum est a V. C. Schultingio p. 171. Lucrum et damnum quomodo diuisum inter socios?

(*d*) Per has merito intelligunt tales, quae collationi respondent; id est, partes *pro rata*, quamuis in iure alias partes *aequales* vel *aequae* dicantur *viriles* vel *pares*. Vid. Brisson. *de V. S. hac voce.*

Source : BIU Cujas

p. 171. inter socios ex veterum sententia interceſſiſſe quodammodo ius fraternitatis, *l. 63. pr. D. eod.* arctiſſimamque amicitiam. Quae quum, teſte Publico Syro, *pares aut accipiat, aut faciat*: (*e*) aequum iis viſum eſt, inter ſocios omnia eſſe communia. Aſt poterat tamen inter ſocios aliter conueniri, parteſque communis lucri et damni eorum aliquando arbitrio ſtatuebantur. *l. 29. D. eod.* quin ſaepe ab arbitris ex bono et aequo partes cuique pro rata adſignabantur. *l. 6. et l. 80. D. eod.*

(*e*) De hac paritate inter amicos videatur Cicero *de Legib. I. 12.* Lactant. *Diu. Inſt. V. 14.* Hinc et *fratres* dicuntur ſocii apud Apulei. *Metamorph. X. p. 388. ſequ.*

§. XVIII.

Societas quomodo diſſoluta?

Quemadmodum autem inita ſocietas conſenſu perſeuerat: ita eadem diſſenſu diſſoluitur, et quidem, vt periculum litium inter ſocios pullulantium euitetur, etiam diſſenſu vnius. Cuius rei exempla apud Petron. Arb. *Satyr. p. 26.* et Apulei. *Metamorph. X. p. 389.* vbi et formula renunciandi ſocietati occurrit: *Intelligo nobis conuenire non poſſe, itaque communes ſarcinulas patiamur, et paupertatem noſtram priuatis quaeſtibus tentemus expellere.* Vel: *ſi tibi ſocietas iſta diſplicet: poſſumus omnia quidem cetera fratres manere, ab iſto tamen nexu communionis diſcedere.* Conf. Wower. *ad Petron. p. 118.* Quin et morte tum naturali, tum ciuili vnius ſocii, diſſoluebatur ſocietas. Cai. *Inſt. II. 9. 17.* neque vnquam heres ipſo iure erat ſocius, ne quidem in ſocietate vectigalium, niſi adſcitus a reliquis eſſet. *l. 59. pr. et l. 63. §. 8. D. pro ſoc.* Cuiac. *Obſ. X. 25.* Praeterea egeſtate ſoluebatur ſocietas, *l. 4. §. 1. D. eod.* vt et, ſi quis ſociorum bonis ceſſiſſet. *l. 65. §. 1. D. h. t.* Denique ſi vnius negotiationis cauſſa inita fuerat ſocietas, finito negotio, ipſa quoque ſocietas ceſſabat. *l. 63. §. vlt. l. 65. §. 10. D. eod.*

§. XVIIII.

Contractus mandati origo.

De MANDATO iis, quae doctores inculcare ſolent, nihil eſt, quod addamus, praeter id vnicum, quod is contractus non videatur antiquiſſimus. Sane enim, quum cenſerent veteres, mandatum ex officio atque amicitia proficiſci: *l. 1. §. 4. D. mandati vel contra*, non videntur initio hoc nomine obligationem conſtituiſſe, ſicut nec *ex precario*: *l. 14. D. de precar.* ſed, quod fidem plurimum colerent, maxime data dextra adligabant mandatae ſuſceptaeque operae fidem, quam manum fidei ſacram iudicabant, vti

Source : BIU Cujas

vti acute obſeruat Ger. Noodt. *Probab. IIII.* 12. *p.* 108. Hinc Iſidor. *Orig. IIII.* 4. tradit, inde dictum eſſe mandatum, quod olim in commiſſo negotio alter alteri *manum dederit.* Et ad hunc ritum adludere videtur Plaut. *Captiu. II.* 3. *v.* 82. *ſequ.*

Haec per dextram, te dextra retinens manu,
Obſecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego ſum tibi,
Tu hoc age, mihi heres nunc es, tu patronus, tu pater.
Tibi commendo ſpes opeſque meas. PHI. MANDAVISTI *ſatis.*
Satin' habes, mandata quae ſunt, facta ſi refero? T. *Satis.*

Et Terent. *Heaut. III.* 1. *v.* 82.

ME. *Cedo* DEXTRAM: *porro te, idem oro vt facias, Chreme.*
CH. *Paratus ſum.*

Igitur, quod fides iubebat et pudor, hoc primum mandati ius fuit. Poſt vſus ei actionem adinuenit, adeoque mandatum in ciuile tranſiit negotium. Vid. Celeb. Noodt. *Pand. h. t.*

§. XX.

Dolus in ſocio vel mandatario admiſſus infamia punitus.

Denique adhuc monendum eſt, actiones pro ſocio et mandati, ſi dolus in alterutro contractu concurriſſe probaretur, infamiam inuſſiſſe. Quum enim ſocii fratrum loco haberentur; (§. XVII.) nec mandare cuiquam ſoleamus, niſi cuius fidem ſequimur: merito infamia coercebant veteres, eos qui tam turpiter ſocium vel mandantem defraudaſſent. Cic. *pro A. Caecina III.* Quin et negligentia in crimen mandati iudiciique infamiam reuocabatur, teſte eodem *pro Roſcio XXXVIII.* Quae omnia ex edicto praetoris eſſe, patet ex *l.* 1. *D. de his qui not. inf.*

TIT. XXVIII.

DE

OBLIGATIONIBVS, QVAE QVASI EX CONTRACTV NASCVNTVR.

HActenus de contractibus veris, qui conſenſum verum et expreſſum exigunt. Nonnumquam conſenſus nec verus eſt, nec ex vtraque parte exprimitur, ſed praeſumitur: et tunc obligatio naſci dicitur QVASI EX CONTRACTV. Quod quibus contingat modis, hoc titulo oſtendendum eſt.

§. I.

Source : BIU Cujas

§. I.

Quid negotiorum gestio?

Qui absentis aut ignorantis negotium curandum suscipit, nullo mandato instructus, NEGOTIORVM GESTOR vocatur. Is quasi contractus originem debere videtur relegationi, quae saepe tam repente decernebatur, vt discedendum subito esset patribus familias, nullique demandata negotiorum suorum administratione, peregre proficiscendum. Ne ergo res familiaris, absentibus dominis, detrimenti quidquam caperet, amici se relegatorum negotiis solebant ingerere, absentiumque curare bona. Idque sibi velle videntur verba Theophili §. 1. *Inst. h. t.* Τοῦτο δὲ ἐπινενόηται διὰ τὸ χρήσιμον τῶν ἀπολιμπανομένων, ὅτινες ἀιφνιδίᾳ καὶ σπευδαίᾳ κατεχεθέντες ἀποδημίᾳ, ἐδυνηθέντες τινὶ τῶν οἰκείων πραγμάτων τὴν διοικησιν ἐντίλασθαι, ἀπεδήμησαν. *Idque vtilitatis causſa receptum est, ne negotia eorum desererentur, qui subita et necessaria profectione distenti, nemini rerum suarum administratione demandata, peregre profecti sunt.*

§. II.

Voluntarius procurator.

Negotiorum gestor quoque erat qualiscumque voluntarius procurator, qui se alienis negotiis offerebat, cuius meminit Paull. *Recept. Sent. I.* 3. 3. quemque Cicero *voluntarium amicum* adpellat *pro Caecina V.* Is vero cauere debebat, rem ratam habiturum dominum. Vid. Cuiac. *Obseru.* VII. 26. *X.* 25. Quemadmodum ei nec soluere solebat quisquam, nisi praestita cautione, *amplius eo nomine neminem, cuius petitio esset, petiturum.* Et ita intelligendus locus elegantissimus Ciceronis *in Bruto cap.* IIII. *sequ. Mihi quoque, inquit Brutus, exspectanda sunt ea, quae Attico pollicetis, etsi fortasse ego a te huius voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, sine incommodo exacturum negat. At vero, inquam, tibi ego, Brute, non soluam, nisi prius a te cauero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum.*

§. III.

Actiones ex hoc quasi contractu.

Quemadmodum vero domino aduersus negotiorum gestorem directa competebat actio ad reddendam administrationis rationem: ita negotiorum gestori dabatur contraria ad praestandam indemnitatem, et restituendas impensas vtiles et necessarias, quibus tamen non accensebantur eae, quae pietatis, vel voluptatis causſa fuerant factae. *l.* 45. *pr. l.* 27. *princ. D. neg. gest.* Negotiorum vero gestor et bonam fidem, et exactissimam diligentiam, praestare tenebatur, adeo vt nonnumquam et casus esset praestandus, *l.* 10. *et* 11. *D. neg.*

Source : BIU Cujas

neg. gest. immo et vsurae restituendae, et periculum eorum nominum, quibus ipse pecuniam collocauerat, subeundum, si litis tempore soluendo non essent. Paull. *Sent. Rec. I.* 4. 3. Isque iuris rigor etiam contra patrem sese exserebat, si filii emancipati gessisset negotium. *l.* 37. §. *vlt. D. neg. gest.* Reliqua, quae huc pertinent, doctores satis diligenter inculcant.

§. IIII.

TVTELA quoque quasi contractus est, ex eaque nascitur actio tutelae cum *directa*, ad reddendas rationes et praestanda damna, etiam leui culpa data, *l.* 33. *pr. D. de adm. tut.* tum *contraria*, ad impensas repetendas, impetrandamque indemnitatem. Vbi denuo obseruandum, infamiam mansisse tutorem, si quid dolo malo admisisse iudicaretur. Cic. *pro Caecin. III.* Tutela.

§. V.

COMMVNIO RERVM ipsa non est quasi contractus, sed status, in quo plures dominium vel ius indiuisum in rebus habent, et in quem statum deuenitur et sine conuentione. *l.* 31. *l.* 33. *D. pro soc.* Ac proinde non tantum differt a contractu societatis, quod ostendit Cuiac. *paratitl. tit. C. pro soc.* verum etiam a quasi contractibus. A societate differt, quia ea per contractum seu conuentionem inibatur, vnde societatem Tullio pro P. Quinctio *voluntariam* dictam, obseruat laudatus Cuiac. *Obs. X.* 25. A quasi contractu autem vel ideo diuersa est, quod rei communio est ius in re, id est commune dominium. At rerum communium ADMINISTRATIO, fructuum perceptio, damni illatio, et similia, obligationem quasi ex contractu producunt. Schulting. *ad* Paull. *Rec. Sent. I.* 18. 5. *p.* 258. Communio.

§. VI.

Idem sentiendum de HEREDITATIS COMMVNIONE, ex qua actio familiae erciscundae nascebatur. Eius fundamentum fuit in XII. Tabulis, in quibus cautum fuerat: NOMINA INTER HEREDES PRO PORTIONIBVS HEREDITARIIS ERCTA CITA SVNTO, CETERARVM FAMILIAE RERVM ERCTO NON CITO, SI VOLENT HEREDES, ERCTVM CITVM FACIVNTO. PRAETOR AD ERCTVM CIENDVM ARBITROS TRIS DATO. Ita enim leges has ex Festo, Donato, variisque iuris antiqui reliquiis, restituit Iac. Gothofredus *Fragm. XII. Tab. V.* Lex XII. Tab. de familia erciscunda.

Source : BIU Cujas

§. VII.

Explicatur. Lex plana ac perspicua erit, dummodo, quid ERCTVM CITVM sit, intelligimus. Sed hic quidem in diuersa abeunt auctores. Salmasius *Exercitat. Plinian. p.* 1262. *erctum* idem esse putat, ac hereditatem, simulque reprehendit Tribonianum, qui, saeculi deceptus barbarie, phrasin *familiam herciscere* excogitarit. Ianus vero Vinc. Grauina *de leg. XII. Tab. p.* 327. erctum idem esse contendit ac *horctum*, quod veteribus bonum significarit. Sed quemadmodum neuter coniecturam suam veterum auctoritate probat: ita mihi omnibus coniecturis anteponenda videtur Festi auctoritas, qui in voce *erctum*. *Erctum*, inquit, *citumque fit inter coheredes, vt in libris legum Romanarum legitur. Erctum a* coercendo *dictum, vnde erciscundae et erciscI.* ERCTVM ergo est quasi *coercitum*, id est, integrum, indiuisum, vt recte iudicat Iac. Gothofred. *Not. ad XII. Tab. p.* 207. et ante eum Ios. Scaliger, cuius egregia haec est *p. LV. ad* Festum adnotatio: ERCTVM CITVM *est hereditas diuisa. Glossae*: *Herctus citus διαίρεσις τῶν ὑπαρχόντων. Donatus apud Seruium*: *Erctum non citum, hoc est patrimonium non diuisum. Erctum ciendum, hereditas diuidunda. Glossarium*: *Ciendae διαιρουμένης. Idem erciscundae διαίρεσις, fortasse, διαιρετίας.* CIO vero antiquis idem fuit, ac *diuido*. Vnde apud Seruium Donatus, interpreturus illa Virgilii *Aeneid. VIII. ad fin.*

citae Metium in diuersa quadrigae
Distulerant.

addit: CITAE, *id est, diuisae, vt est in iure* ERCTO NON CITO, *id est, patrimonio vel hereditate* NON DIVISA. Qua in interpretatione licet fallat Donatus, quum, vt Seruius obseruat, CITVM, quoties idem est ac diuisum, syllabam priorem producat: res ipsa tamen certa est, CITVM idem esse ac *diuisum*. Vnde *familiam erctam ciere* idem erit ac hereditatem integram et indiuisam diuidere. Et ex illis antiquis atque obsoletis vocibus nata est postea phrasis FAMILIAM ERCISCERE, quae iam apud Ciceronem *de Orat. I.* 56. Apulei. *Metam. VI. sub extrem.* et Festum *ibid.* occurrit, tantum abest, vt Tribonianus, quod Salmasius putabat, eam ex male intellectis vocibus ERCTVM CITVM conflauerit.

§. VIII.

Iudicium familiae erciscundae. His praemissis facilis erit legis decemuiralis interpretatio. Vult eius prior pars, vt nomina, id est, omnes obligationes et actiones ipso iure inter coheredes pro portionibus hereditariis ipso iu-

re

re ita sint diuisa, vt non nisi pro partalios conuenire, aut possent ab aliis conueniri. Ex quo consequebatur, vt legatarii nec obligationum nec actionum defuncti fierent participes, sed et illarum onere, et harum beneficio eximerentur. Ad ceteras res hereditarias quod attinebat, adita hereditate inter ipsos coheredes communionem quamdam esse volebant decemuiri, et tacitam veluti societatem. Quum tamen nemo teneatur inuitus in communione perseuerare: necesse erat, vt cuiuis coheredum liceret e communione ista discedere, eaque de caussa prodita erat actio ercicundae familiae, qua instituta, praetoris erat, tres arbitros dare, qui portiones facerent, et subortas inter coheredes controversias ex aequo bonoque componerent. Ian. Vinc. Grauina *de XII. Tab. p. 326.*

§. VIII.

Quasi contractus inter heredem et legatarium.

Inter heredem quoque et legatarium quasi contractus esse videbatur. Quamuis enim hic illum cogere non posset ad adeundam hereditatem: *l. 53. D. ad SC. Trebellian.* adita tamen hereditate, videbatur se heres ad exsoluenda legata, implendamque defuncti voluntatem obligasse. *L. 5. §. 21 de oblig. et act.* et hinc legata petebant legatarii *actione ex testamento.* Si legatum per damnationem relictum inficiatus heres, dupli condemnandus erat. Paull. *Rec. Sent. I. 19.*

§. X.

Quasi contractus ex solutione indebiti.

Denique quasi contractus intercedebat inter eum, qui soluisset indebitum, et eum, cui erat solutum. Illi ergo competebat condictio indebiti, de qua integer titulus in Digestis exstat. Cessabat tamen ea condictio, non modo si quid naturaliter debebatur, vel si ex errore iuris solutum erat, de quibus casibus prolixe doctores, verum etiam in omnibus caussis, e quibus lis inficiando crescebat, veluti ex lege Aquillia, ex legato per damnationem, nec non in transactione, aliisque pluribus casibus, in quibus, si quid per errorem fuerat solutum, illud repeti condicique non poterat. *§. 7. Inst. h. t. l. 65. §. 1. D. de condict. indeb.* Nec ea condictio ei competebat, qui integram hereditatem, non detracta quarta Pegasiana, restituerat. Testis est Paullus *Rec. Sent. IIII. 4. 4.* vnde mirum, id negare Merillium *Obseru. VIII. 14.* At quae ratio? Procul dubio, quia leges praesumebant transactionem. Cui sententiae non obstare *l. vlt. C. de condict. indebiti*, ostendit Thomas. in *Schol. ad Huber. Praelect. Inst. h. t.* At Iustinianus quidem discrimen inter legata per damnationem, et reliquas eorumdem spe-

Source : BIU Cujas

cies, sustulit: solis tamen legatis, quae sacrosanctis ecclesiis ceterisque venerabilibus locis relicta fuerant, id dedit priuilegium, vt indebite etiam soluta repeti condicique non possent. Exstat ea Iustiniani constitutio *l. 2. C. comm. de leg.*

TIT. XXVIIII.

PER QVAS PERSONAS NOBIS OBLIGATIO ADQVIRITVR.

NIhil in hoc titulo, saltim quod ad antiquitates attinet, dicitur, quod non iam *Tit. VIIII. Lib. II.* occupatum sit, ad quem nos iure referimus.

TIT. XXX.

QVIBVS MODIS TOLLITVR OBLIGATIO.

VT multi variique contrahendarum, ita et distrahendarum obligationum non pauciores modi sunt, quorum alii ipso iure liberant, vt SOLVTIO, ACCEPTILATIO, NOVATIO, DELEGATIO, CONFVSIO, OBSIGNATIO, COMPENSATIO reique debitae, citra moram, a debitore factam, contingens INTERITVS: alii per exceptionem tollunt obligationem, veluti *pactum*, *sententia*, *tempus* et *similia*. Imperator de prioribus tantum modis, iisque non omnibus, agit.

§. I.

Tollitur obligatio solutione.

SOLVTIONE distrahebatur obligatio, quoties debitor creditori ea, quae debuerat, in solidum praestiterat. De eo, quod circa solutionem iustum veteribus visum est, praeclare agit Barn. Brisson. *de solut. et liberat. Lib. I.* Quum vero olim in solutum datio, multoque magis bonorum cessio, ignota fuerit: nos hic de beneficiorum illorum origine et proprietate nonnulla addemus.

§. II.

Source : BIU Cujas

§. II.

Obaeratorum conditio antiquissima.

Antiquissimis temporibus maximus erat iuris rigor aduersus debitores. Licebat enim creditoribus, illos in neruum ducere, post quam a praetore illis fuerant addicti, si condemnati iusto tempore non soluissent, neque vindex fuisset qui, adprobante creditore, debitum in se susciperet. Salmas. *de mod. vsurar. XI.* 18. Et tunc debitores dicebantur *nexi*, propter neruum, quo nectebantur, itemque *obaerati* propter statum miserum, quem ob aes alienum subibant. Dicebantur etiam *addicti*, non quod in seruilem inciderint conditionem, vt vulgo existimant, (sane enim ingenuitas non erat in commercio, et tantum abest, vt quis pro aere alieno in seruitutem rapi potuerit, vt ne ipse quidem, si voluisset, voluntariam adire potuisset seruitutem,) sed quod creditoribus a praetore fuerant adiudicati, ad operas seruiles quascumque praestandas. Seruiebant ergo hi obaerati creditoribus, sed non erant serui, inter quae magnum discrimen erat. §. 1. *Inst. de Ingen.* Hinc et addicti illi, soluto debito, recuperataque libertate, non erant libertinae conditionis, sed ingenui. Poterant etiam inuito creditore liberari, habebant legem, vtebantur praenomine, cognomine, tribu, &c. Quae omnia a seruorum conditione absunt quam longissime. Vid. Quinctilian. *Inst. V.* 10. *VII.* 4. *et Declam. CCCXI.* Conf. Cuiac. *Obs. XIII.* 9.

§. III.

Obaerati nexi et adiudicati sunt creditoribus iam sub Regibus. Id ius sustulit Seruius Tullius.

Id vero ius rigidum, siue ex antiquo iure Attico, quod ante Solonem, teste Sam. Petito *de Leg. Attic. p.* 412. receptum fuit, siue aliunde profectum, iam sub regibus seruatum legimus. Quum vero iam eo tempore nobiles in ingenua debitorum corpora saeuire coepissent: primus Seruius Tullius, quo erat populari ingenio, cessionis bonorum indulsit beneficium. Rem, paucis compertam, memoriae prodidit Dionys. Halic. III. *p.* 215. qui Regem inducit ita concionantem: ὅσοι δ' ἂν μετὰ ταῦτα δανείσωνται, τὰ μὲν τοὺς ἐκ ἐάσω πρὸς τὰ χρέα ἀπάγεσθαι, ἀλλὰ νόμον θήσω, μηδένα δανείζειν ἐπὶ σώμασιν ἐλευθέροις, ἱκανὸν ἡγέμενον τοῖς δανείσαις τὰς οὐσίας τῶν συμβαλλόντων κρατεῖν. *Si quidam autem in posterum a foeneratoribus mutuum sumserint, eos ob aes in neruum duci non sinam, caueboque lege, ne foeneratoribus ius sit in libera corpora, sed contenti sint debitoris facultatibus.* Nec dubitare licet, quin steterit promissis, quum extremis temporibus, exagitatus a patriciis, in altera concione conquerat, ideo se patriciorum adpeti insidiis,

Source : BIU Cujas

quod pauperum libertatem contra foeneratores seruarit incolumem. Dionys. Halic. IIII. *p.* 240.

§. IIII.

Restituerunt postea decemuiri quorum lex de obaeratis explicatur.

Enimuero non diu admodum humanius illud Seruii Tullii institutum viguit. Praeterquam enim, quod Tarquinius Superbus omnes eius leges aboleuit, ne tabulis quidem in foro relictis, (Dionys. Hal. IIII. *p.* 244. *seqq.*) ipsi etiam decemuiri durissimum illum obaeratos in neruum ducendi morem veluti postliminio restituerunt. Inhumanissimam legem, cuius ipsa legitima verba seruauit Gell. *Noct. Att. XX.* 1. paucis illustrabimus: AERIS CONFESSI (*a*) REBVSQVE IVRE IVDICATIS XXX. DIES IVSTI SVNTO. Non enim aequum visum est decemuiris, debitores, quamquam confessos et iudicatos, tam dira sententia statim opprimere: sed XXX. dies iis praefinire placuit, intra quos pecuniam conquirerent, qua satisfieret creditoribus. Et hi dies vocantur *iusti*, id est, vt ait apud Gellium Caecilius, *quoddam veluti iustitium, et iuris inter eos quasi interstitio quaedam et cessatio, quibus diebus nihil cum eis agi iure possit* (*b*). Postea hi XXX. dies ad duos menses redacti sunt. *l. vn. C. Theod. de vsur. rei iudicat.* postremo ad quatuor menses a Iustiniano *l. pen. et vlt. C. de vsur. rei iudic.* Pergunt decemuiri: POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO, IN IVS DVCITO. In ius ergo iam rapi poterat debitor, circumactis iustis triginta diebus, non quidem, vt de debito denuo cognosceretur, (nam iam antea res iudicata erat,) sed vt addiceretur creditori. Sic enim porro decemuiri: NI IVDICATVM FACIT, AVT QVI LOCVPLES ENDO EO IN IVRE VINDICIT, SECVM EDVCITO, VINCITO, AVT NERVO, AVT COMPEDIBVS, XV. PONDO NE MAIORE, AVT, SI VOLET, MINORE VINCITO. In ius ergo raptis duae erant elabendi viae. Aut iudicatum erat faciendum, aut inueniendus vindex vel expromissor, qui *pecuniam pro addicto dependeret* (*c*), vt ait Seneca *de Benef. III.* 8. Nec soluto debito,

(*a*) Quum haec verba vix sensum idoneum fundant: alii legendum monent AERIS CONFESSO. Ampl. Bynkersh. autem *Obseru. I.* 2. *p.* 2. REIS CONFESSIS.

(*b*) Iusti dies vocabantur, intra quos quodcumque negotium erat suspendendum. Hinc Festus voce *iusti dies p.* 303. etiam eos dies vocat iustos, quum exercitus esset imperatus, et vexillum in aree positum staret. Conf. Macrob. *Saturnal. I.* 16.

(*c*) Solebant enim viri nobiles plebem nonnumquam hac insigni munificentia demereri. Quale exemplum imitari se simulabat nebulo ille apud Naeuium, de quo Cicero *de Orat. II.* 63. *Quae genera ridiculi percurram equidem:*

bito, nec dato vindice, addicebatur obaeratus creditori, neruis compedibusque ab hoc constringendus, quorum tamen onus XV. pondo non debebat esse maius. Saepius ad hunc morem adludunt comici; veluti Plautus *Bacchid. V. 2. v.* 87. *Menaechm. I. 1. v.* 20. Terent. *Phorm. II. 2. v.* 20. vbi lepide Phormio, parasitus:

Dices, damnatum ducent domum:
Alere nolunt hominem edacem: et sapiunt mea quidem sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.

Ad quae verba intelligenda consuluisse iuuabit Donatum *in scholiis*. Exempla quoque exstant apud Liu. *VI. 11. 14.* et alibi passim. Pergunt decemuiri: SI VOLET, SVO VIVITO, NI SVO VIVIT, QVI EVM VINCTVM HABEBIT, LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO, SI VOLET, PLVS DATO. In nexi ergo positum erat arbitrio, suone viuere, an a creditore ali mallet. Si hoc eligeret, tum in quotidianum victum dari ei oportebat libram farris, id est, non panem tanti ponderis (*d*), sed pultem farream (*e*), qua Romani tum frequentius, quam ipso pane, vescebantur. Plin. *Hist. Nat. XVIII. 8.* Valer. Max. II. 5. Iuuenal. *Sat. XIIII.* Denique addunt decemuiri: NI CVM EO PACIT, LX. DIES ENDO VINCVLIS RETINETO, INTERIBI TRINIS NVNDINIS CONTINVIS IN COMITIVM PROCITATO, AERISQVE AESTIMIAM IVDICATI PRAEDICATO.

quidem: sed scitis, esse notissimum ridiculi genus, quum aliud exspectamus, aliud dicitur. Hic nobismet ipsis noster error risum mouet. Quod si admixtum est ambiguum, fit falsius: vt apud Naeuium videtur esse misericors ille, qui iudicatum duci videns, percunctatur ita:

Quanti addicis? mille nummum.

si addidisset tantummodo: ducas licet: esset illud genus ridiculi praeter exspectationem: sed quia addit:

Nihil addo: ducas licet:

addito ambiguo, altero genere ridiculi fuit, vt mihi videtur, falsissimus.

(*d*) Hinc non est, quod suspectam eruditi habeant hanc libram farris. Nec admittenda videtur coniectura Guill. Fornerii *Select. I. 6.* qui in lege decemuirali legendum putat LIBRAM S. FARRIS, id est, *libram semis farris.* Quamuis enim alias minimus modus cibi, quo frugaliores Romae vtebantur, esset *selibra farris:* intelligebatur tamen tunc panis farrei selibra. At farris in pultem conspissati *libra* erat legitimus diarii seruilis modus, immo et panis farrei libra quotidie seruis dari solebat. Horat. *Sat. I. 5.* Postea captiuis libellae duae vel tres dabantur *l. 1. C. Theod. de custod. reor.*

(*e*) Plautum quoque hunc Romanorum victum sale comico adsperssisse, nonnulli existimant, et Romanos vocasse *pultiphagos barbaros*, Mostellar. *III. 2. v.* 142. *Poenul. prolog. v.* 53. *seqq.* Et ita sentiunt Marcil. *ad XII. Tab. p.* 85. Turneb. *Aduers. XVIIII.* 12. Lipsius *de Milit. Rom. V.* 16. Ast ibi non Romanos, sed Carthaginenses, intelligi ostendit Taubmannus. *p.* 559. et 853.

Source : BIU Cujas

TO. AST SI PLVRIBVS ERVNT REI (*f*), TERTIIS NVNDINIS PARTES SECANTO. SI PLVS MINVSVE SECVERVNT, SE FRAVDE ESTO. Sexaginta ergo dies nexus erat in priuato creditoris carcere, intereaque singulis nundinis producendus in forum, proclamandumque per praeconem, quantum pecuniae debeat, si quis forte, tam tristi spectaculo commotus, pro eo dependere vellet. Si neque dependere quisquam esset ausus, nec ipse obaeratus intra hos LX dies transegisset: fiebat SECTIO. At qualis? De corporis sectione id intelligunt Tertull. *Apol.* IIII. Quinctilian. *Inst.* III. 6. ipse Caecilius apud Gell. *XX.* 1. qui tamen negat tam durum ac inhumanum supplicium vnquam sumtum esse ab obaeratis, adeoque illud tantum terroris caussa legi accessisse existimat. At de sectione bonorum id interpretantur Robert. *Rer. Iudic.* II. 6. et Corn. Bynkersh. *Obs. I.* 1. Et sane vt *corpus* saepe notat bona et facultates: (*l.* 25. §. 16. *D. de her. pet.*) ita, qui bona hastae subiecta publica auctionis lege emebant, *sectores* dicebantur. Cic. *pro Sex. Rosc. Amerin.* LXIII. Ascon. Paedian. *ad Ciceron. Verrin.* III. *p.* 1843. *et* 1815. Flor. II. 6. adeoque *sectio* idem est, ac auctio, apud Varron. *de re rust.* II. 10. Minus ergo verosimilis est prior sententia, permissum scilicet fuisse creditoribus, corpus obaerati dissecare. Quis enim adeo fuisset stolidus, vt non maiore lucro, et minore inhumanitatis fama, seruilibus obaeratorum operis vti, vel ipsos trans Tiberim venumdare maluisset?

(*f*) Ita legendum res ipsa monet. Vulgo legunt: AST SI PLVRES REI, et ita quoque legem extulit Gothofredus, nullo sane sensu.

§. V.

Possessio bonorum lege Poetelia Papiria introducta.

Quum veroret sic inhumanior semper visa sit lex illa decemuiralis: multo post lata est A. V. C. DCXXVII. lex POETELIA PAPIRIA, C. Poetelio Libone Visolo et L. Papirio Cursore Mugillano Coss. *ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus, aut in nexo teneretur; pecuniae creditae bona debitoris, non corpus, obnoxium esset, et ne quis in posterum necteretur.* Liu. VIII. 28. Varro *de Lingu. Lat.* VI. 5. *p. m.* 85. Tertull. *Apolog.* IIII. Ergo ex hoc tempore cessauit obaeratorum addictio: cessauit ductio in nexum, idque tantum permissum creditoribus, vt bona possiderent, eaque deinde venderent publice.

§. VI.

Source : BIU Cujas

§. VI.

Quum vero ne sic quidem satis consultum videretur debitorum inopiae, siquidem illa possessio bonorum et famam laedebat, et non liberabat a carcere: ideo saepe flagitare plebs coepit aeris alieni relaxationem, quam legem Romani NOVAS TABVLAS appellare solebant. Senec. *de Benef. I.* 4. Suet. *Iul. LXII.* Quinctilian. *Declam. CCCXXXVI.* Eas vero vt nemo vmquam, nisi perturbandae reip. cupidus, promulgauit: ita optimus quisque, et ocii amantissimus, repudiauit. Liu. *Lib. XXXII. Cap. XXXVIII.* et Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I. 6. p. 96.*

Plebs saepe postulauit nouas tabulas.

§. VII.

Denique Iulius Caesar plenius consulendum ratus debitoribus, inopia deperditis, lata lege cauit, *vt dissecta nouarum tabularum exspectatione, quae tum crebro mouebatur, debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, quanti quasque ante bellum comparassent, deducta summa aeris alieni, si quid vsurae nomine numeratum aut perscriptum fuisset.* Suet. *Iul. XXXXII.* Caesar *de bello ciu. III.* 1. Ergo ex eo tempore licuit debitoribus, possessiones suas, aestimatione prius facta, creditoribus in solutum dare. Quod quum sensim denuo ab vsu recessisset, illud beneficium debitoribus iterum restituit Iustinianus Imperator. *Nou. IIII. vlt. et Nou. CXX.*

Beneficium in solutum dationis.

§. VIII.

Vel eadem, vel alia lege Iulia, introductum quoque est beneficium cessionis bonorum, quo is, qui sine dolo suo malo aeri alieno satisfacere non poterat, bonis suis cedendo liberabatur. Sane legi Iuliae cessionis bonorum origo adscribitur, in *l.* 1. *et l.* 4. (g) *C. qui bon. ced. poss. et tit. C. Theod. qui bonis ex L. Iul. cedere poss.* Alciat. *Parerg. II.* 4. Duaren. *Oper. p.* 703.

vt et cessionis bonorum.

(g) Ex hac *lege* 4. *C. qui bon. ced.* simul discimus, legem Iuliam de cessione bonorum, quae ad solos ciues pertinebat, ante Diocletiani tempora etiam ad prouinciales esse porrectam. Conf. Ez. Spanh. *Orb. Rom. II. vlt.*

§. VIIII.

Alter modus liberationis ACCEPTILATIO, a phrasi ACCEPTVM FERRE, qua veteres in hac stipulationis specie vtebantur, nomen inuenit. *Acceptum* vero *ferre* dicebantur creditores, quum creditum

Acceptum et expensum ferre,

Source : BIU Cujas

quid significet?

ditum recepiſſent, quemadmodum debitores *expenſum ferre* dicebantur, ſi numeratam ſibi pecuniam faterentur. Plin. *Hiſt. Nat. II.* 7. Quemadmodum ergo *expenſilatio* non ignota erat veteribus: Gell. XIIII. 2. in eadem forma dicebatur ACCEPTILATIO.

§. X.

Quid acceptilatio?

Erat autem ACCEPTILATIO imaginaria ſolutio, qua obligatio, ſtipulatione contracta, noua ſtipulatione diſtrahebatur. Quemadmodum ergo promiſſio non nudo pacto, ſed ſtipulatione ſola, facta valebat, ita et eadem non nudo pacto, ſed ſola ſtipulatione tollebatur. Inter iuris enim regulas fuerat receptum, quod eodem modo quidque diſſolui deberet, quo fuiſſet colligatum. *l.* 35. *et* 100. *D. de Reg. iur.* quae regula proprie ad acceptilationem, et expromiſſionem pertinet. Iac. Gothofr. *Comm. de Reg. iur. ibid.*

§. XI.

Quo ritu facta?

Fiebat acceptilatio per *interrogationem*, non *mutuam* quidem, vt Modeſtinus in *l.* 1. *D. de acceptil.* ait, ſed vnicam. Si quis enim antea obligatus fuerat per ſtipulationem, et creditor eum liberari obligatione illa vellet: rogare verbi gratia debebat debitor: DECEM, QVAE TIBI PROMISI, ACCEPTA HABES, VEL FACIS? vel Graece: ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; creditor vero reſpondebat: HABEO, FACIO, ἔχω λαβιὸν. §. 1. *Inſt. h. t. l.* 6. *l.* 7. *l.* 8. §. *vlt. D. de acceptil.* Quo facto liberatus videbatur debitor, etiamſi pecunia non interueniſſet. Quae omnia latius explicat Briſſon. *de ſolut. et liberat. L. II. p.* 127. *ſequ.*

§. XII.

Stipulatio Aquilliana.

Quum vero non niſi verborum obligationes acceptilatione tolli poſſent: repertus demum eſt modus, quo et reliquae obligationes eiuſmodi ſtipulatione ſoluerentur. Nam C. Aquillius Gallus, aequiſſimus ille et ſolertiſſimus cautionum artifex, (Vid. Cicero *de Nat Deor. III.* 30. *et de offic. III.* 14. *et Orat. pro A. Caecin. XXVII.*) compoſuit STIPVLATIONEM AQVILLIANAM, (*h*) quae nobis certiſſimum praebet anxiae veterum in cautionibus com-

(*h*) Tales formulae, ab Aquillio repertae, plures in iure noſtro exſtant, veluti ratio inſtituendorum poſtumorum nepotum, *l.* 29. *D. de liber. et poſtum.* formula doli mali, quam *malitiarum euerriculum* vocat Cic. *de Nat. Deor. III.* 30.

Source : BIU Cujas

componendis diligentiae argumentum. In ea enim, vt recte obseruat Brisson. *libro laudato p.* 163. ne quid omissum videretur, multa ex abundanti sunt adiecta. Ipsam stipulationis Aquillianae formulam recenset Imperator, §. 2. *Inst. h. t.* quam Brissonii exemplo notis quibusdam antiquitatis enucleandae caussa illustrabimus: QVIDQVID TE MIHI EX QVACVNQVE CAVSSA (*i*) DARE FACERE (*k*) OPORTET OPORTEBIT, PRAESENS IN DIEMVE, AVT SVB CONDITIONE, (*l*) QVARVMQVE RERVM MIHI TECVM ACTIO EST, QVAEQVE VEL ADVERSVS TE PETITIO, VEL ADVERSVS TE PERSEQVVTIO EST, ERITVE, (*m*) QVODVE TV MEVM HABES, TENES, POSSIDES, (*n*) DOLOVE MALO FECISTI, QVO MINVS POSSIDEAS, (*o*) QVANTI QVAEQVE EARVM RERVM RES ERIT, TANTAM PECVNIAM DARE STIPVLATVS EST AVLVS AGERIVS. (*p*) SPOPONDIT NVMERIVS NIGIDIVS. Ita obligatione omni in stipulationem deducta, porro fiebat acceptilatio hoc modo: QVOD NVMERIVS NIGIDIVS AVLO AGERIO SPOPONDIT, ID HABERETNE A SE ACCEPTVM, NVMERIVS NIGIDIVS AVLVM AGERIVM ROGAVIT. AVLVS AGERIVS NVMERIO NIGIDIO ACCEPTVM FECIT. Hac acceptilatione, omnis tollebatur obligatio, quamuis non verbis, sed re, consensu vel litteris inita, etiamsi nulla intercessisset praestatio.

(*i*) CAVSSAM dicere mauult, quam *contractum*, siquidem illa et obligationem omnem, et negotia quaecunque complectitur. *l. 9. D. si cert. pet.* Immo et ad vera et ad quasi delicta pertinet. *l. 12. D. de verb. signif. l. 1. pr. D. de obl. et act.*

(*k*) Solebant veteres iureconsulti ita sine coniunctione verba coniungere, veluti *vti frui, ire agere, dare legare.* Qua quid sibi velint, docet Vlpian. *l. 53. D. de verb. signif.* Iungit ergo hic Aquillius OPORTET OPORTEBIT, quum alias verbo *oportebit*, tam praesens, quam futurum tempus, significetur. *l. 8. D. de V. S.*

(*l*) Obligari possumus *pure*, *in diem* et *sub conditione*. §. 2. *Inst. de verb. oblig.* Omnes obligationum species coniungit Aquillius. Ad primam pertinet verbum *oportet*, ad secundam et tertiam, *oportebit*, quia illarum dies nondum venit, harum ne quidem cedit.

(*m*) ACTIO in personam est, PETITIO in rem, PERSEQVVTIO ad extraordinarias magistratuum cognitiones pertinet. Brisson. *ibid. p.* 164. Iungi haec etiam videmus in *l.* 10. *D. de V. S.*

(*n*) HABERE vocabulum generale est, et ius dominii, ius possessionis, et meram detentionem denotat. *l. 38. §. 9. D. de verb. obl.* TENERE ad factum; POSSIDERE ad ius refertur.

(*o*) Dolus enim pro possessione est, semperque possidere intelligitur, qui dolo fecit, quo minus possideret. *l. 150. l. 157. §. 1. D. de reg. iur.*

(*p*) Nomina AGERII et NIGIDII sollemnia fuisse in formulis, patet ex *Collat. Leg. Mosaic. II. 6. l. 41. §. 2. D. de vsur.* Talia et Philosophis in ore erant nomina *Theonis* et *Dionis*, ICtis *L. Titii* et *Maeuii.*

Source : BIU Cujas

§. XIII.

Qua in re locum habuerit?

Attamen acceptilatio, vtut, sine pecuniae interuentu liberaret: non tamen gratuitam semper remissionem continebat, siquidem non donationis tantum caussa. (*l.* 17. *D. de donat.*) sed et transigendi, (*l.* 2. *D. de transact.*) et dotis constituendae, (*l.* 41. §. 2. *D. de iur. dot.*) et voluntatis defuncti adimplendae gratia, (*l.* 5. §. 1. *D. de lib. legat.*) et vt aliud nobis detur, vel fiat, (*l.* 9. *D. de praescr. verb.*) acceptilatio interponebatur.

§. XIIII.

Nouatio.

NOVATIO quoque tollebat obligationem veterem. Ea vero, auctore Vlpiano *l.* 1. *D. de nouat.* est *prioris debiti in aliam vel naturalem vel ciuilem obligationem transfusio atque translatio.* Fiebat et haec per stipulationem, siquidem nudo pacto, quod ex vna caussa debetur, in aliam conuerti non poterat, quamuis constitui posset pacto praetorio. Qua de re denuo accurate Brisson. *de Solut. II. p.* 166. *sequ.*

§. XV.

Contrarius dissensus.

Sed et consensuales contractus CONTRARIO DISSENSV solui, re adhuc integra, consueuisse, constat; nec minus DELEGATIONEM, REI INTERITVM, CONFVSIONEM et EXEMPTIONEM A COMMERCIO liberationem induxisse, notum est. Sed de his omnibus satis prolixe iureconsulti, maxime laudatissimus Brisson. *ibid. p.* 172. *sequ.*

§. XVI.

Obsignatio.

Nota quoque est OBSIGNATIO, qua ipsa quoque tollebatur obligatio. Si enim debitor creditori offerret pecuniam, hic vero eamdem accipere recusaret: poterat illa obsignata deponi, et tunc liberabatur debitor, etiam pecunia deposita deinde casu interiisset. Barn. Brisson. *de solut. II. p.* 179. *sequ.* Deponebantur vero signatae res aliquando apud acta, vel officium, interdum κειμηλιαρχεῖον, vel alio publico loco, quandoque etiam apud virum aliquem bonum, iudicis arbitratu, vt plurimum autem apud aedem sacram. Cic. *ad Att. Epist. V. vlt.* (*q*). Ipsae pecuniae deponendae consignabantur in sacculo, signis non quidem publicis, sed priuatis,

(*q*) Adde supra Libr. II. Tit. I. n. II. not. b. vbi de *rebus sacro commendatis* diximus, et Barn. Brisson. *de Solut. II. p.* 180.

Source : BIU Cujas

tis, ceu patet ex *l.* 11. §. 3. *D. locati conducti. l.* 1. §. 36. *D. depos.* Plura dabit Briſſon. *ibid.*

LIB. IIII. TIT. I.

DE

OBLIGATIONIBVS QVAE EX DELICTO NASCVNTVR, AC 1°. DE FVRTO.

HActenus de obligationibus, quae ex *contractu* deſcendunt; iam de iis, quae ex DELICTO proficiſcuntur. Delicta vero quum vel PRIVATA ſint, vel PVBLICA: de illis, non de his, hoc et ſequentibus titulis agitur. *Priuata* dicebantur delicta, quae ad rem familiarem et priuatam pertinebant, et de quibus actio non cuiuis e populo, ſed ei duntaxat, cui damnum datum, iniuriaue facta fuerat, competebat. Talia erant FVRTVM, RAPINA, DAMNVM INIVRIA DATVM, INIVRIA. Hoc primo titulo de furto agitur: de reliquis delictis in ſequentibus differitur.

§. I.

Vtrum a *furuo*, id eſt, nigro, an a *ferendo furtum* adpellatum ſit hoc delictum, noſtra parum refert. Prius Labeoni apud Paullum *l.* 1. *D. de furt.* Varroni *in Fragm. ex Rer. diuin. XIIII.* Seruio *ad Virg. Aeneid. II. et VIIII.* vt et Nonio *I.* 250. *p.* 511. poſterius Gellio *Noct. Attic. I.* 18. placuit. Sane quum et Graeci olim fures a *ferendo* vocarint φῶρας: quis dubitet, quin et hoc vocabulum, origine Graecum Latinaque ciuitate cum aliis donatum ſit? Eſt vero illud ex eorum numero, quae vſus in deteriorem ſignificationem detorſit. Nam e *ſeruos* olim dictos eſſe *fures*, diſcimus e Nonio IIII. 204. p. 660. Et notus eſt verſus Virgilii: *Ecl. III. v.* 16. Vnde furtum dictum?

Quid domini faciant, audent cum talia fures?

Furari enim proprium erat ſeruorum, notante Seruio *ad hunc* Virgilii *verſum*, adeo, vt furtum *ſeruile probrum* vocet Tacit. *Hiſt. I.* 48. *ſeruile vitium* Saluian. *de gubern. Dei IIII.* De furti definitione hic dicere, operae pretium non eſſet. Quare primum id duntaxat moneo, a contrectatione rerum alienarum, fures veteribus etiam *tagaces*, quaſi qui res alienas tetigerint, dictos eſſe.

Source : BIU Cujas

Cuiac. *Obſ. VI.* 2. Deinde, ICtos veteres exiſtimaſſe, rerum etiam immobilium furtum fieri poſſe. Sane id ex *l.* 38. *D. de vſurp. et vſuc.* Plin. *Hiſt. Nat. II.* 68. et Gell. *Noct. Att. XI.* 18. eleganter probat Io. Fridr. Gronou. *Obſ. I.* 4. *p.* 42. *ſequ.*

§. II.

Furtum quotuplex?

Furta veteres Romani in NOCTVRNA et DIVRNA, et vtraque iterum in MANIFESTA, NEC MANIFESTA, CONCEPTA, OBLATA, PROHIBITA et NON EXHIBITA (*a*) diuidebant: quae diuiſiones partim e XII. Tabulis, partim ex Praetoris edicto ſunt. Periculoſiſſima erant furta nocturna, (*b*) de quibus in legibus XII. Tabularum cauerant decemuiri: SI NOX FVRTVM FAXIT, SIM ALIQVIS OCCISIT, IVRE CAESVS ESTO. Macrob. *Saturn. I.* 4. Verba, ſi tollas ἀρχαϊσμὸς, clara et perſpicua ſunt. *Nox* dicitur pro noctu, vt obſeruant Gell. VIII. 1. Taubm. *ad Plaut. p.* 1000. SIM idem eſt ac *ſi im*, id eſt, ſi eum, ceu ipſe docet Macrob. *l. c.* Vnde ſenſus planiſſimus: *Si quis furem nocturnum occiderit, cum iure occidiſſe videri.* (*c*) Licebat ergo per XII. Tabulas furem nocturnum occidere, quocumque modo, nec opus erat, vt cum telo deprehenderetur, aut vt occiſurus id cum clamore teſtaretur, id enim in diurno tantum furto exigebatur. Cicero *pro Milon. III.* Senec. *Controu. X.* 6. *p.* 427. Vlpian. *apud Auct. Collat. Leg. Moſ. et Rom. VII.* 3. *p.* 759. Vnde vel Triboniani emblema eſt, quando *l.* 4. §. 1. *D. ad Leg. Aquill.* dicitur, ita demum fas fuiſſe furem nocturnum occidere, *ſi occidens id cum clamore eſſet teſtificatus*: vel cum viro celeb. Ger. Noodt. *Lib. I. Obſ. Cap. XV.* ſtatuendum, teſtificationem illam cum clamore faciendam, quam Caius *d. l.* 4. requirit, non quidem ad euitandam poenam homicidii, ſed ad effugiendam poenam L. Aquilliae, fuiſſe neceſſa-

(*a*) Quando dicebant furtum *manifeſtum*, et *nec manifeſtum*, ipſum intelligebant delictum; quum vero furtum *conceptum*, *oblatum*, *prohibitum*, *non exhibitum* dicebant, furtum non delictum, ſed rem furtiuam notabat. Et ſane etiam optimi auctores *furtum* vocant rem furtiuam. Sen. *de Benef. II.* 2. *Furtum non recipit.* Ouid. *Faſt. I. v.* 560. de bubus furtiuis:

Mugitum rauco furta dedere ſono.

(*b*) Fures nocturni Graecis νυκτερίσκοι; Plauto *Trinum. IIII.* 2. *dormitatores* dicuntur, quod interdiu dormiunt, noctu vagantur.

(*c*) Eſſe hanc legem ex iure Attico in XII. Tabulas tranſlatam, patet ex Demoſth. *Orat. pro Timocrate, p.* 790. vbi haec Solonis lex citatur; ἐὰν τις νύκτωρ ὀλίγον κλέπτοι, ἔστιν ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι καὶ ἰδόντα καὶ ἰδόντα; *ſi quis noctu furtum faxit, is impune occiditor, et vulnerator.*

Source : BIU Cujas

ceſſariam, quippe qua et culpa quaeuis vindicatur, non ſolus dolus, vt in L. Cornelia de ſicariis. Quae ſi ſequaris, vt ſunt ſane veroſimillima; non Triboniani hoc emblema erit, ſed εὕρημα, ab ipſo Caio ICto commendatum.

§. III.

Quamuis vero ea lex ipſi iuri diuino Exod. XXII. 3. ſit conſentanea: ſemper tamen paullo durior viſa eſt prudentioribus. Quo factum eſt, vt ea paullatim ab vſu recederet, iique, qui furem nocturnum occidiſſent, ex lege Aquillia conuenirentur, immo et nonnunquam ex lege Cornelia de ſicariis, ſi recte ſe habent Vlpiani verba apud auctorem *Collat. Leg. Moſaic. et Rom. VIII. 3. Si furem nocturnum, quem lex XII. Tabularum omnimodo permittit occidere, aut diurnum, quem eadem lex permittit, ſed ita demum, ſi ſe telo defendat, videamus, an lege Aquillia teneatur? Et Pomponius dubitat, num haec lex nunc ſit in vſu. Et ſi quis noctu furem occiderit, non dubitamus, quin lege Aquillia teneatur. (d) Sin autem, quum poſſet adprehendere, maluit occidere, magis eſt, vt iniuria feciſſe videatur: ergo etiam lege Cornelia (e) tenebitur.* Ex quo loco diſcimus, ſenſim hanc legem non modo obſoleuiſſe, verum etiam actionem datam aduerſus occidentem furem nocturnum. Leges recentiores de furto nocturno.

(d) Eodem referenda *l. 9. D. de L. Corn. de ſicar. et veneſ.* Ger. Noodt. *Probab. I. 9.*

(e) At negat Paullus *Rec. Sent. V. 23. 9.* locum hic habere legem Corneliam. Et profecto ea non iniuriam, ſed dolum, requirit. *l. 7. D. ad Corn. de ſicar.* Vnde non *Cornelia* ſed *Aquillia* ſcribere debuiſſe Vlpianum, argumentis haud leuibus contendit Ger. Noodt. *Probab. I. 9.* et *ad leg. Aquill. V. p.* 182. Ioh. van der Water *Obſeru. I.* 18. Schulting. ad *Collat. Leg. Moſaic. et Rom. p.* 760.

§. IIII.

Poſtremo ex conſtitutionibus inualuit, vt diſtinguerentur furta, quae ruri, et quae in ciuitatibus facta eſſent. Ruri valebat Lex XII. Tabularum, adeoque furem nocturnum ibi quoquo modo licebat occidere: *l. 1. C. quando liceat vnicuique ſine iudice ſe vind.* at in vrbibus, vbi facilius vicini clamore excitantur, id non licebat, adeoque eiuſmodi caedem lex Aquillia vindicabat. Conf. Cuiac. *Obſ. XIIII. 15. XVIIII. 12.* Leges nouiſſimae de eodem.

§. V.

Source : BIU Cujas

§. V.

Furtum manifestum quid?

Ad fures diurnos quod attinet, quos in vetere Gloſſa *interdiarios ἡμεροκλέπτας*, adpellari obſeruat Cuiac. *Obſ. XI.* 27. ii aeque, ac nocturni, vel MANIFESTVM, vel NEC MANIFESTVM furtum commiſerant. Fur manifeſtus, quem Graeci *ἐπ' αὐτοφώρῳ* adpellitabant, erat, qui vel in ipſo furto deprehenſus fuerat, vel eo certe loco, vbi furtum fuerat factum. Immo vlterius furtum manifeſtum Iureconſultis videbatur, ſi fur, eam rem tenens, fuerit viſus, vel deprehenſus, ſiue in publico, ſiue in priuato, vel a domino, vel ab alio, antequam eo peruenisſet, quo deferre vel deponere deſtinauerat. *l.* 3. §. 2. *D. de furt.* Et ita manifeſtum furem deſcribit Virgil. *Eclog. III. v.* 17.

Nonne ego te vidi, Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſca?
Et quum clamarem, quo nunc ſe proripit ille?

Ad quae verba Seruius: *Manifeſti furti arguit, dicendo* VIDI. Sed non ſola ſufficiebat viſio, ſed oportebat eum, qui viderat, id ipſum prae ſe tuliſſe, et indicaſſe, quod fiebat clamore et adcurſu. *l.* 7. §. 2. *D. de furt.*

§. VI.

Fures manifeſti ingenui quomodo puniti ex Lege XII. Tab.

Fures manifeſti vel ſine telo, vel cum telo, fuerant deprehenſi. Si ſine telo; diſtinguebant decemuiri, ingenuine eſſent, an ſerui: et ſi ingenui, puberesne, an impuberes. De ingenuis, qui ad pubertatem peruenerant, ita ſtatuerant: SI LVCI FVRTVM FAXIT, SIM ALIQVIS ENDO IPSO CAPSIT, VERBERATOR, ILLIQVE, CVI FVRTVM FACTVM ESCIT, ADDICITOR. Gell. *XI. vlt.* Virgis ergo caeſi eiuſmodi fures noxae dabantur ei, cuius res ſurripuerant, illique ad ſeruilia addicebantur miniſteria. Vnde ob hanc libertatis iacturam Theophilo *ad princ. Inſt. de perp. et temp. act.* dicuntur fuiſſe *τιμωρίαν κεφαλικὴν*, *poenam capitalem.* Et Seru. *ad Virg. Aen. VIII. p.* 516. *Furtum capitale crimen apud maiores fuit, ante poenam quadrupli.* Nam, quae poena et caput ciuile tollit, *capitalis* recte adpellatur. *l.* 2. *princ. D. de poen. l.* 6. §. *vlt. D. eod. tit. l.* 28. *princ. D. eod. tit.*

§. VII.

Cum ſeruis multo ſeuerius egere decemuiri. De iis enim lex prodita in duodecim tabulis fuerat in hanc ſententiam: SERVVS, VIRGIS CAESVS, DE SAXO DEIICITOR. Gell. *ibid.* Furaciſſimum genu

Source : BIU Cujas

genus mortalium erant ſerui, qui freti virtute ſcapularum, facile omnes expilabant loculos, nullaque poena minus, quam verberibus, poterant ab hoc delicto reuocari. (*f*) Hinc extremum ſupplicium ſeruos fures manebat, ſi in furto fuiſſent deprehenſi, deiectio ſcilicet de rupe Tarpeia, quod ſupplicium ſemper praecedebat fuſtigatio. Qua de re videndus Iuſt. Rycqu. *de Capitol.* IIII. *p.* 44. *ſequ.*

(*f*) Libanius ſeruus apud Plaut. *Aſinar. II. 2. v. 55.*

Quin ſi tergo res ſoluenda eſt, rapere cupio publicum.
Pernegabo, atque obdurabo, periurabo denique.

§. VIII.

Impuberes denique in furto deprehenſos decemuiri verberari iubent praetoris arbitrio, noxiamque ab iis ſarciri. Gell. XI. *vlt.* Quomodo impuberes?

§. VIIII.

Sed quid, ſi cum telo fur fuiſſet deprehenſus? Tunc decemviri ita cauerant: SI SE TELO DEFENSINT, QVIRITATO, ENDOQVE PLORATO, POST DEINDE SI CAESI ESCINT, SINE FRAVDE ESTO. Cic. *pro Mil.* III. Gothofr. *ad Leg. XII. Tab. Tab. II. p.* 6. *Teli* adpellatione, vt ait Cai. *l.* 54. §. 2. *D. de furt.* et ferrum, et fuſtis, et lapis, et denique omne, quod nocendi cauſſa habetur, ſignificatur. Quod ſi ergo eiuſmodi inſtructus armis deprehendebatur fur, occidi impune poterat, ea tamen lege, vt qui eum interemturus erat, *quiritaret* prius, *endoque ploraret*, id eſt, vt ſollemnem illam ingeminaret formulam: QVIRITES VOSTRAM FIDEM, vel PORRO QVIRITES, eoque clamore furem a ſe deprehenſum eſſe, teſtificaretur. Vide de ea formula Briſſon. *de Form.* VIII. *p.* 718. Raeuard. *ad Leg.* XII. *Tab. Tab.* III. Quomodo qui cum telo deprehenſi?

§. X.

At ex quo lex Porcia verberari ciuem Romanum et vinciri; lex Paetelia Papiria vero eumdem addici vetuerat: omnia illa mitigauit praetor, quippe qui in edicto ſuo quadrupli poena furtum manifeſtum vindicauit. Id tamen quadruplum mere poenale erat, ita, vt extra quadruplum adhuc res ipſa reſtituenda eſſet. *l.* 54. §. 3. *D. de furt.* Paull. *Recept. Sent.* II. 31. 12. ad quam recuperandam domino tum rei vindicatio, tum condictio rei furtiuae competebat, quarum illa aduerſus quemcumque poſſeſſorem: *l.* 23. *D.* Quae his in legibus mutarit Praetor?

Source : BIU Cujas

de rei vind. haec aduersus furem, eiusue heredes, in quantum ad hos peruenerat, dabatur *l.* 1. *l.* 5. *l.* 7. §. 2. *l.* 8. *l.* 9. *l.* 19. *D. de condict. furt. l. vn. C. ex delict. def. hered. quemadm. conuen.*

§. XI.

De furto nec manifesto lex XII. Tab.

Fur NEC MANIFESTVS est, qui, licet in furto non deprehensus, furtum tamen feciſſe ſe, negare non potest. Paull. *Rec. Sent. II.* 31. 2. De eo ita leges XII. Tabularum: SI ADORAT FVRTO, QVOD NEC MANIFESTVM ESCIT, DVPLIONE DECIDITO. Gothofred. *Leg. XII. Tab. Tab. II.* Sola vox *adorat* crucem hic figit criticis. (*g*) Sed rem expedit Festus voce *adorare p.* 245. ADORARE *apud antiquos significabat agere. Vnde et legati oratores dicuntur, quia mandata populi agunt.* Sensus ergo legis est: si agatur furti nec manifesti, furem dupli damnatum iri. Gell. *Noct. Att. XI.* 18. Et hic quidem nihil mutauit praetor, qui et ipse furtum nec manifestum duplo vindicauit, praetereaque rei furtiuae vel condictionem, vel vindicationem conceſſit.

(*g*) Nihil agit Marcil. ad *Tab. XII. p.* 203. *sequ.* dum legendum monet *adulat* vel *adolat*, quod veteribus idem fuiſſe ac *fallit*, ex Gloſſis docet. Non ſolent decemuiri ita loqui, neque ſermonis adfectare elegantiam.

§. XII.

An haec lex ex iure Attico?

Hanc furti nec manifesti poenam decemuiros ex iure Attico deſumſiſſe, oſtendunt Ant. Contius *ſubceſ. Lect. XI.* 18. Sam. Petit. *ad Leg. Att. VII.* 5. Sed Solon non profecto furtis nec manifestis, verum leuioribus, dupli poenam ſtatuerat. Decemuiri vero poenam, quam leuiori furto propoſuerat Solon, ad furtum nec manifestum tranſtulerunt, dubium, an ſatis prudenter. Iac. Cuiac. *Obſ.* XVIIII. 12. furtum manifestum ideo ſeuerius punitum cenſet, vt plus conſequeretur, qui diligens fuit in rebus ſuis cuſtodiendis, quam qui negligentior. Sed quum deprehenſio furis magis fortunae ſit, quam diligentiae: nondum ſatisfacit haec ratio, nec ego, vt verum fatear, cur lenius puniendus ſit fur nec manifestus, quam manifestus, ſatis intelligo, niſi forte id aliquam veniam mereri dixeris, quod ingenioſius ille, quam hic, furari didicerit, vel, vt ſerio agamus, niſi maiorem ideo poenam mereri videatur fur ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſus, quod ab eo plus periculi immineat, quam ab eo, qui, re clam ſubtracta, in pedibus ſibi praeſidium eſſe exiſtimat. In aeſtimationem vero veniebat id, quod

Source : BIU Cujas

quod fuerat contrectatum, quamuis quidam ICti veteres, stoicorum sequuti principia, eum, qui aliquot medimnos ex aceruo frumenti sustulerat, totius acerui furem esse iudicarent. De qua philosophia, non sane publici saporis, videndus Horat. *Epist. I.* 16. et ibi Porphyrion. *l.* 21. *D. de furt.* et Merill. *Obs. I.* 24.

§. XIII.

Pergimus ad FVRTVM CONCEPTVM, cuius indoles nec Iustiniani aeuo amplius nota fuit, et hodie in tanta litterarum luce satis obscura est, fatente V. C. Petro Burmanno *ad Petron. Satyr. LXXXXVII.* Legem XII. Tabularum ex Gell. *Noct. Att. XI.* 18. ita restituit Gothofredus: SI FVRTVM LANCE LICIOQVE CONCEPTVM ESCIT, ATQVE VTI MANIFESTVM, VINDICATOR. Sed quid *lanx* sit, quid *licium*, adhuc sub iudice lis est. Operose et eleganter hanc legem explicat Vir doctus et amicus, Abr. Wielingius *in diatriba de furto per lancem et licium concepto*, edita Marpurgi cIↃIↃCCXVIIII. sed, vti fit in re obscura, facile omnes hypotheses, solis superstructae coniecturis, et fractis e naufragio tabulis, vacillant. Multa ea de re multi dixerunt, docte sane et nitide; sed ita vt semper nobis aliquod dubium supersit. Nec aliter de ea, quam ipse elegi, sententia sentio, quam tamen ceu simpliciſſimam et verosimillimam hic licebit breuiter explicare. Lex XII. Tabularum de furto concepto.

§. XIIII.

LICIVM Alexandro ab Alex. *Gen. Dier. VI.* 10. et Marcilio *Interp. XII. Tab. LVIIII. p.* 210. 212. est tela, cui rem furtiuam adligarint fures, vbi aedes introiissent: *lancem* vero eos putat opposuisse oculis, ne adgnoscerentur. Franc. Balduino *Comment. ad* §. 4. *Inst. h. t.* furta per *lancem* et *licium* concepta ea fuisse videntur, *quae religionis obtentu impostores quidam, tamquam sacrificuli licio succincti, et lancem ad colligendas stipes circumferentes commiserint, sacrilegiis proxima.* Sed aliud profecto est *concipere furtum*, aliud *committere*: nec quisquam veterum eiusmodi impostorum meminit. Fr. Hotomani coniectura, quam in *Comment. ad d.* §. 4. *Inst. h. t.* profert, somnio paene similis videtur. Illud enim furtum per *lancem* et *licium* conceptum dici putat, *quod per simulationem religionis, amicti licio sacerdotes deprehendere sint soliti, quum panem, aetitite lapide conditum, vorare iussissent.* Enimuero, quid quaeso aetites et panis ad lancem? LICIVM est quaecumque tela, ex filis contexta, vel contorta. Hinc apud Petronium *Cap. CXXXV.* Variae legis interpretationes.

Source : BIU Cujas

ſoluere licio pannum et *Cap. CXXXI. licium varii coloris filis intortum.* In primis vero eo nomine veniebant cingula, non modo ſeruorum, apud Suet. *Calig. Cap. XXVI.* ſed et lictorum. Quod adeo verum eſt, vt a *licio lictoris* vocabulum arceſſere non dubitet Tiro, apud Gell. XII. 3. In marmoribus quoque ſunt ADPARITORES LIMOCINCTI apud Reineſ. *Inſcr. Claſſ. VI.* 44. vbi conferendus Iſidor. Hiſp. *Orig. I.* 33. Proxime ergo rem acu tangit Alciatus *Parerg. I.* 8. et qui eumdem ſequitur, Pithoeus *Subſec. I.* 2. Hi enim exiſtimant, lictores iubente magiſtratu licio ſuccinctos, ad oſtendendam auctoritatem publicam, cuius licium fuerit inſigne, cum alio comite, indicium in lance fidemque praeferente, furtum quaeſitum domos intrare conſueuiſſe. Quo ritu inuentum furtum *per lancem et licium conceptum* dici ſolitum, putant. Sed quum nec hi omnia viderint: res erit paullo altius repetenda.

§. XV.

Quid concipere furtum?

Ponimus ergo, quod recte obſeruat Iuſtinianus, §. 4. *Inſt. h. t. conceptum furtum* dictum eſſe Romanis, quum apud aliquem teſtibus praeſentibus furtiua res quaeſita et inuenta eſſet. Ita et Caius *Inſt. II.* 10. 3. et Paull. *Recept. Sent. II.* 31. 3. illud definiunt. Vnde ſtatim cadunt Alex. ab Alexandro, Marcilii et Fr. Balduini coniecturae, quippe quibus furtum concipere idem eſt, ac furtum committere. Nec firmo ſatis talo niti videtur clariſſimi Wielingii ſententia, qui *Cap. I. concipere furtum* idem eſſe putat, ac vindicare.

§. XVI.

Conceptio furti facta eſt ritibus quibuſdam, mature abrogatis.

Deinde et id certum eſſe puto, inquiſitionem illam rei furtiuae, adhibitis quibuſdam ritibus, fuiſſe factam, qui tamen Romae ſatis mature exoleuerint. Quod denuo agnoſcit Iuſtinianus: *Sed hae actiones, ſcilicet concepti, et oblati, et furti prohibiti, nec non furti non exhibiti, in deſuetudinem abierunt. Quum enim requiſitio rei furtiuae hodie* SECVNDVM VETEREM OBSERVATIONEM *non fiat: merito ex conſequentia etiam praefatae actiones ab vſu communi receſſerunt.* Ergo *lanx* et *licium* pertinent ad *veterem* illam *obſeruationem*, qua furti olim requiſitionem factam, ait Imperator. Quumque iſte ritus tam cito euanuerit, vt Gellii aetate, ceu ex eius *Noct. Att.* XVI. 10. patet, vix voces intelligerentur: oportet illi aliquid inhaeſiſſe, quod indignum Romanis moribus viſum eſt.

§. XVII.

Source : BIU Cujas

§. XVII.

Praeterea id quoque mihi facile conceſſum iri, puto, quum pleraeque leges XII. tabularum e iure Attico manarint, hanc quoque furti concepti actionem vna cum ritu concipiendi res furtiuas Athenis Romam migrare potuiſſe. Neque aliunde ergo ea omnia, quam e ritibus Atticis, illuſtrari poterunt rectius. Qui ſi cum antiqua illa obſeruatione conueniunt, facile nobis perſuadebunt, vt ritui Romano lucem e Graecorum moribus accendi poſſe, exiſtimemus. Ritus illi e iure Attico erant.

§. XVIII.

Quo vero ritu Athenis requiſitae ſint res furtiuae, luculenter docuit Graecus ſcholiaſtes Ariſtophanis. In huius enim *Nubibus* Socrates ita adloquitur Strepſiadem: *v.* 498. Ritus apud Athenienſes in concipiendo furto adhibiti.

ὑπόδυ νῦν, κατάθου τοιμάτιον.
Abi, depone tunicam.

Reſpondet hic:

- - - ἀδίκημά τι;
- - - *An deliqui quidquam?*

Cui regerit Socrates:

Οὐκ, ἀλλὰ γυμνὸς εἰσιέναι νομίζεται.
Minime, ſed nudos nos incedere fas eſt.

Tum Strepſiades:

Ἀλλ' οὐχὶ φωράσων ἔγωγ' εἰσέρχομαι.
Atqui non furtum conceptum eo.

Ad haec ergo verba Scholiaſtes *p.* 88. *edit. Froben.*: ἔθος ἦν, τοὺς εἰσίοντας εἰς οἰκίαν τινὸς ἐπὶ τὸ ἐρευνῆσαι, γυμνοὺς εἰσιέναι, ἵνα μήτι ὑπὸ τὰ ἱμάτια κρύψαντες λάθωσιν, ἢ ἵνα μὴ ὑπὸ ἔχθρας λάθωσιν ὑποβάλοντες τὸ ζητούμενον, καὶ ζημίας αἴτιος τούτῳ γίνωνται. Οἱ γοῦν μέλλοτες εἰσιέναι, ἵνα ἐπιθεάσωνται χρήματα τοῦ δημοσίου, ἢ καθ' ἕρευναν, γυμνοὶ εἰσήεσαν; ἵνα μή τι ἀποκρύψωνται. *Moris erat, vt qui res furtiuas quaeſitum aedes cuiuſdam ingrederentur, nudi ingrederentur, ne quid ſub veſtibus occulentes, clam ferrent, neue ex inimicitia, quod quaerere ſe ſimulabant, ſub tunica occultatum inferrent, dominoque falſum crimen calumnioſe obiectarent. Hanc ob cauſſam ingreſſuri aedes etiam ad inſpiciendas quaerendaſque res publicas, nudi ingrediebantur, ne quid occultaretur.* Paullo plenius eumdem ritum deſcribit Plato *de Legib. XII. p.* 691. (*h*)

(*h*) Quamuis enim fictae ſint Platonis leges, in pleriſque tamen, quantum potuit, ius Atticum, eum ob oculos habuiſſe, iam ab aliis obſeruatum eſt.

Source : BIU Cujas

φωρᾶν δ' ἂν ἐθέλῃ τίς τι παρ' ὁτῳοῦν, γυμνὸς, ἢ χιτωνισκὸν ἔχων, ἄζωστος προομόσας τὰς νομίμους θεὰς, ἢ μὴν ἐλπίζων εὑρήσειν οὕτω φωρᾶν. Ὁ δὲ παρεχέτω τὴν οἰκίαν, τότε σεσημασμένα καὶ τὰ ἀσήμαντα φωρᾶν. *Furtum requisiturus alicubi, nudus, et licio incinctus, cetera discinctus, Deosque legum custodes adiurans, se inueniendi spe id facere, ita demum requirito. Dominus vero tum exhibeto domum, et in omnibus siue obsignatis, siue minus obsignatis locis liberam furti inquirendi potestatem facito.* Ex his colligimus, Athenienses furta concipere consueuisse nudos, nullaque veste, nisi χιτονίσκῳ, vel *licio*, vti recte interpretatur Dacerius *ad Fest. p.* 199. ad membra verenda tegenda, succinctos. Quamuis enim non per omnia similem χιτονισκὸν fuisse fateamur *licio*: rem ipsam tamen non esse dissimilem, ex sequentibus facile adparebit. Et quid inde, si loco χιτονίσκου aliam vestem, vel telam adhibuerint Romani?

§. XVIIII.

Idem ritus a Romanis receptus.

Hunc ritum ergo vna cum iure Attico Romam migrasse verosimillimum est, nec dubitare nos ea de re patitur Festus, qui sub voce *lance p.* 304. LANCE *et* LICIO *dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quaerere in domo aliena,* LICIO *cinctus intrabat,* LANCEMQVE *ante oculos tenebat, propter matrumfamilias aut virginum praesentiam.* Sane ex hoc Festi loco, in quo nec Graecanici ritus, nec νοθεύσεως vel interpolationis vllum vestigium adparet, satis manifestum est, etiam Romae nudos incessisse, qui res furtiuas requirerent, quia alias non fuisset, quod matres familias virgineſue praesentes reuererentur. Docet quoque idem Festi locus, licio illos incinctos fuisse, quemadmodum et χιτωνισκὸν Plato more Attico concesserat. Denique inde discimus, cui vsui lanx fuerit in hoc negotio. Quum enim nudis incedendum esset requirentibus: sane pudor suadebat, ne faciem conspiciendam darent, agnoscique se paterentur a feminis. Hinc lancem, id est, vti ego interpretor, laruam (*i*) lancis instar concauam, vultui aptabant. Non ergo lancem obiiciebant oculis, ne feminas viderent, (et hinc gratis hic obuertitur, Romanas matronas et virgines non gynaeceo inclusas, sed in cele-

(*i*) Lanx dicitur a Graeco λαγὼν, *cauitas*, adeoque hoc vocabulo descripsisse videntur antiqui, quidquid concauum erat. Vnde corruit ridicula quaestio, quam hic nonnulli mouent, quid profuerit, intrasse gynaeceum, et nihil videre? itemque, an lancem perforatam prae se tulerint? Scalig. *ad Fest. p. LXXII.*

Source : BIU Cujas

celebritate versatas esse,) sed quia eos puderet, a feminis adgnosci. Atque haec est antiqua illa obseruatio, quam in concipiendo furto adhiberi voluerant veteres Romani.

§. XX.

Sublatus ille ritus dicitur lege *Aebutia*. Ita enim Gell. *XVI.* 10. *Sed enim quum proletarii et assidui, et sanates, et vades, et subuades, et viginti quinque asses, et taliones,* FVRTORVMQVE QVAESTIO CVM LANCE ET LICIO *euanuerit, omnisque illa XII. Tabularum antiquitas, nisi in legis actionibus centumuiralium causarum,* LEGE AEBVTIA LATA, *consopita sit: studium scientiamque ego praestare debeo iuris et legum, vocumque earum, quibus vtimur.* Quamuis vero de auctore, atque aetate huius Aebutiae legis non constet, nisi quod a Lud. Charonda laudatur vetus illud dubiae fidei, et fictitium procul dubio monimentum: LVCIVS. AEBVTIVS. TR. PL. VIR. POPVLARIS. LEGEM. TVLIT. AD. POPVLVM. VT. XII. TAB. CAPITA. QVAE. INVTILIA. ESSENT. REIPVBLICAE. TOLLERENTVR. QVAE. LEX. MVLTIS. CONTRADICENTIBVS. TANDEM. ROGATA. EST. satis tamen certum videtur, id quoque XII. Tabularum caput, vna cum aliis, siue illa, siue alia lege, fuisse abrogatum. Sublatus tamen postea lege Aebutia.

§. XXI.

Ex eo tempore non amplius ab ipsis dominis, iisque nudis, requirebantur res furtiuae, sed a praeconibus, et seruis publicis, adhibitis testibus. *l. 3. D. de fugit.* Ad quem morem adludens suo more Plautus *Mercat. III. 4. v. 78.* Quos ritus postea in concipiendo furto adhibuerint.

Certum est praeconum iubere iam, quantum est, conducier,
Qui illam inuestigent; qui inueniant; post ad praetorem illico
Ibo, orabo, vt conquisitores det mihi in vicis omnibus.
Nam mihi nihil relicti quidquam aliud, iam intelligo.

Quamobrem errare putarim viros doctos, qui hunc Plauti locum ad inquisitionem cum lance et licio referunt, quam iam abrogatam fuisse, vel inde patet, quod non ipse priuatim rem furtiuam seu ancillam abductam, requirere audet Eutychus ille Plautinus, sed conquisitores a praetore petere statuit. Non tamen in vniuersum exoleuerat antiqua illa obseruatio. Quamuis enim nec nudi incederent conquisitores, nec faciem tegerent: licii tamen et lancis vsus vel in antiquitatis memoriam seruabatur. Dominus enim, conquisitores comitatus, licio incinctus procedebat, et in lance praeferebat indicium et fidem; eoque pertinere omnino videtur locus

Source : BIU Cujas

locus Petronii *in Satyr. p.* 30. *Intrat ſtabulum praeco cum ſeruo publico, aliaque ſane modica frequentia, facemque fumoſam magis, quam lucidam, quaſſans, haec proclamauit: Puer in balneo paullo ante aberrauit, annorum circa XVI. criſpus, mollis, formoſus, nomine Gyton: ſi quis eum reddere, aut commonſtrare voluerit, accipiet numos mille. Nec longe a praecone Aſcyltos ſtabat, amictus* DISCOLORIA VESTE, *atque in* LANCE *argentea indicium et fidem praeferebat* (*k*). Illuſtris ſane locus. Videmus hic *ſeruum publicum*, quem conquiſitorem Plautus vocauerat; videmus *praeconem*, qualem et Eutychus ille Plautinus ſeſe conducturum, aiebat. Videmus pueri furtim ſubtracti *dominum*, Aſcylton, cum *diſcoloria veſte*, id eſt, *licio*, et cum *lance*, qua non quidem faciem veteri ritu tegebat, ſed *indicium*, id eſt, εὑρετρον, vel indicinae praemium, et *fidem publicam* praeferebat. Videmus denique *modicam frequentiam*, id eſt, teſtes, quos praetor in furti inquiſitione exigebat. Vnde dubitare non poſſumus, quin et poſt legem Aebutiam Romani veteris illius ritus ſaltim memoriam conſeruarint, adeoque ipſe erret Dacerius, qui ſiue Feſtum, ſiue eius epitomatorem Paullum, errare exiſtimat p. 199. non aliam ob cauſſam, quam quia licio non dominus, ſed ſeruus publicus incinctus fuerit. Si diſtinxiſſet tempora ante, et poſt legem Aebutiam, potuiſſet vir doctus hunc nodum ſoluere.

(*k*) Eripere hunc Petronii locum nobis conantur viri docti, eo, quod apud Petronium non res furtiua, ſed amiſſa quaeſita ſit. Sed ſalua res eſt. Quaeritur Gyton fugitiuus, aut potius furtim ab alio ſubtractus. Nec praemium tantum offerunt conquiſitores indici, ſed et omnes cellas pererrant, immo fores oppeſſulatas perfringunt, ceu ex ſequentibus Petronii verbis patet. Id vero ſane non eſt hominum, rem amiſſam quaerentium, ſed inueſtigantium furtiuam.

§. XXII.

Furti concepti poena.

Hic eſt vetus furtum concipiendi ritus. Ceterum furtum hoc modo conceptum, id eſt, quaeſitum et inuentum, tamquam manifeſtum vindicabatur ex lege XII. Tabularum, ſi ſcilicet is, apud quem quaeſitum et inuentum fuerat, ſciuiſſet, rem eſſe furtiuam; vt recte docet Ian. a Coſta *ad §. 4. Inſt. h. t.* (*l*) Sed tamen et

(*l*) Diſſentit Cuiac. *Not. poſterior. ad Inſt. d. §.* idque ob *l. 8. C. ex quib. cauſſ. infam. irrog.* Sed femina quae in hac lege damnata dicitur, infamiam non ſubiit, quod tamen alias fit in actione furti.

Source : BIU Cujas

et haec poena exoleuit, praetorque furtum conceptum primum tripli, deinde dupli poena vindicauit, adeoque illud furto nec manifesto aequiparauit, ceu tradit Gell. *Noct. Att. XI.* 18. Vide §. 4. *Inst. de oblig. quae ex delicto nasc.*

§. XXIII.

Furtum oblatum.

Quum conceptum furtum tanta seueritate leges vindicarent : solebant fures vel ipsi, vel per alios, res furtiuas cuidam offerre, vt apud hunc potius, quam apud se, conciperentur, condemnationisque turpitudo, vt ait Theophilus, penes alium potius, quam penes se, esset. Quod si igitur hac fraude factum, vt res furtiua apud alium conciperetur, dabatur huic contra offerentem *actio* FVRTI OBLATI, quamuis ille fur haud esset, dummodo ipse non ignorarit, rem esse furtiuam. Cai. *Inst.* II. 10. 2. Paull. *Sent.* II. 31. 3. §. 5. *Inst. h. t.* Erat vero haec oblati actio in triplum, non computata rei furtiuae aestimatione, vt docent Gell. *Noct. Att. XI.* 18. et Paull. *Sent. Rec. II.* 31. 14.

§. XXIIII.

Furtum prohibitum et non exhibitum.

Furti PROHIBITI et NON EXHIBITI actiones non e legibus XII. Tabularum, sed ex Edicto praetoris proficiscebantur. §. 4. *Inst. h. t.* earumque plane non meminere Caius et Paullus, siquidem uterque quatuor (*m*) tantum furtorum genera recenset. Prior actio aduersus eum dabatur, qui furtum quaerere, testibus praesentibus, volentem prohibuerat; posterior aduersus eum, qui apud se quaesitam et inuentam rem furtiuam non exhibuerat. Quae vero utrique delicto poena fuerit proposita in praetoris edicto, id quidem nondum expeditum est. De non exhibito tamen certum mihi videtur, actionem ob illud in duplum esse datam. Nam apud Plautum Agarastocles adolescens infortunio mactaturus Lycum, lenonem, Collybisco villico dederat trecentos numos, quos deferret ad lenonem, adsimulans, peregrinum se esse, et locum quaerere, vbi genio indulgeret. Venit postea Agarastocles cum aduocatis testibus, villicum, tanquam fugitiuum, et pecuniam, apud lenonem quaesiturus, quumque hic Milphionem seruum quaeri, ratus, inficiaretur, seruum pecuniamque apud se esse, leno dupli reus fit. Non haec est actio serui corrupti, sed furti non exhibiti. Aiunt enim aduocati in *Poen. Act. III. Scen. I.*

(*m*) Immo Caius *l.* 2. *D. furt.* a se dissentiens duo tantum furti genera agnoscit, *manifestum* et *nec manifestum.* Vnde Tribonianismum hic nonnulli deprehendere sibi videntur viri docti.

Source : BIU Cujas

Ille negabit, Milphionem quaeri, censebit, tuum,
Id DVPLICABIT *omne* FVRTVM.

Idque repetitur *Act.* III. *Scen.* IIII. *v.* 27. *Scen. V. v.* 39. *Act. V. Scen.* VI. *v.* 14. Vide *Elem.* nostra *iur. ciuil. secundum ordinem Instit.* §. MLVIII.

§. XXV.

Omnes furti condemnati infames.

Denique et illud addendum, quocumque furti genere condemnatum infamiae subiisse notam. Paull. *Sent.* II. 31. 15. *l.* 6. *D. de his qui not. infam.* Reliqua, quae de furtis ad hunc titulum solent inculcari a iureconsultis, huc non pertinent.

TIT. II.

DE

VI BONORVM RAPTORVM.

SEcundum delictum priuatum est RAPINA. Vnde de *vi bonorum raptorum* hoc titulo agendum, et antiquitatibus pauca quaedam monenda sunt.

§. I.

Quomodo differant furtum et rapina?

Multum interest inter FVREM et RAPTOREM. Fur, ignoranti domino, et clam; raptor scienti et inuito vi et palam bona sua aufert. *l.* 3. §. 5. *D. de incend. ruin. naufrag.* Vnde apud Plaut. *Epidic.* I. 1. seruus nequam:

TH. Minus iam furtificus sum, quam antehac.
EP. Quid ita? TH. Rapio propalam.

Vt et rapina et vis?

RAPI vero dicebantur res mobiles. Immobiles non rapi, sed INVADI dicebantur. Quare nec actione *vi bonorum raptorum*, sed interdicto *vnde vi*, experiebantur, qui vi possessione rerum immobilium fuerant deiecti.

§. II.

Rapinae poenae.

Actio *vi bonorum raptorum*, quae aduersus raptorem datur, e praetoris edicto est, in quo Praetor: SI CVI DOLO MALO HOMINIBVS COACTIS DAMNI QVID FACTVM ESSE DICETVR, SIVE CVIVS BONA RAPTA ESSE DICENTVR: IN EVM, QVI ID FECISSE DICETVR, EI INTRA ANNVM, QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI

Source : BIU Cujas

RIVNDI POTESTAS FVERIT, IN QVADRVPLVM, POST ANNVM IN SIMPLVM IVDICIVM DABO. ITEM, SI SERVVS FECISSE DICETVR, IN DOMINVM IVDICIVM NOXALE DABO. *l. 2. princ. D. vi bon. rapt.* Ergo actio dabatur contra eum, qui dolo malo rapuerat, non qui errore, putans scilicet, rem esse suam. §. 1. *Inst. h. t.* Sed et hoc diualibus constitutionibus eatenus mutatum est, vt qui vel rem mobilem, vel immobilem, licet suam, alteri vi rapuisset, dominio eius rei excideret, aestimationemque praeterea, si alienam pro sua rapuerit, praestare teneretur. *l. 13. D. quod met. causs. gest. l. 7. C. vnde vi.* Poena rapinae erat quadrupli intra annum, (nam annua erat Praetoris iurisdictio,) post annum in simplum dabatur actio. Quadruplo vero quum etiam rei persequutio contineretur: reuera poena tantum tripli erat. *princ. Inst. h. t. §. 19. Inst. de act.* Perinde quoque erat, siue liber homo, siue seruus, vi rapuisse diceretur: nam contra huius quoque possessorem praetor dabat noxale iudicium, vt vel noxae dederetur seruus, vel damnum praestaretur.

§. III.

Quum vero facile ipsa quemvis natura doceat pernicioſius multo esse crimen raptus, quam furti: merito mireris, praetorem tam leui poena illud voluisse castigare. Ponamus sane, latronem viatori vi extorsisse aureum: quam molli, quaeso, brachio punietur, si quatuor aureos reddere iubebitur? Hoc delictum ita comparatum est, vt ad dolum potius, et laesam securitatem publicam, quam ad actum, damnumque datum, respiciendum videatur. Sed male forsan consultum fuisset magistratibus Romanis, et maxime qui in prouincias quotannis mittebantur, si seuerius vindicari rapinas placuisset. Legum Romanarum hac in re mollities.

TIT. III.

DE

LEGE AQVILLIA,

CIRCA DAMNVM INIVRIA DATVM.

TErtium delictum priuatum est DAMNVM INIVRIA DATVM, quod ex lege Aquillia vindicabatur, de qua hoc titulo erit agendum.

Source : BIU Cujas

§. I.

Quid damnum iniuria datum?

Vocatur id delictum veteribus DAMNVM INIVRIA DATVM, Quinctil. *Declam. CCCLXXXV.* item DAMNVM INIVRIA, *l.* 1. *D. ad L. Aquill.* item INIVRIA, *l.* 1. *pr. D. de iniur. et l.* 9. *§. vlt. D. de tut. et rat. distr.* nec non DAMNVM INIVRIAE, *§.* 4. *Inst. de noxal. act.* et *l.* 30. *pr. D. ad L. Falc.* Barn. Brisson. *de verb. signif. hac voce p. m.* 161. INIVRIA autem fieri dicitur, quod cum damno iniuriam adfert. *l.* 49. *§.* 1. *D. ad leg. Aquill.* vel quod eodem recidit, damnum non iure, id est, dolo vel culpa facientis datum. *l.* 5. *§.* 1. *D. eod.* Glossae nomicae: Δαμνωνιφία, ζημία ἡ ἀδίκως γινομένη.

§. II.

Leges de damno iniuria dato Aquillia antiquiores.

De damno hoc iniuria dato iam ante legem Aquilliam multas alias exstitisse leges, satis adparet ex loco Vlpiani *l.* 1. *D. ad L. Aquill. Lex Aquillia omnibus legibus, quae ante se de* DAMNO INIVRIA *loquutae sunt, derogauit, siue XII. tabulis, siue quae alia lex fuit.*

§. III.

Lex XII. Tab. de damno dato.

Legibus XII. Tabularum quid cautum fuerit de damno iniuria dato, hodie vix constat. Festus *in voce Rupitias p. m.* 415. RVPITIAS ait, *in XII. significat, damnum dederis.* Et Paullus ibidem: RVPITIAT, *damnum dederit significat.* Ex quibus locis colligere quidem licet, fuisse in XII. Tabulis legem de damno dato proditam, in eaque decemuiros vsos esse voce RVPITIAT: nisi forte cum Scaligero *in Adnot.* hoc vocabulum plane explodere, et pro RVPITIAS *rupsit* rescribere malis. Ast quid cautum ea lege fuerit ex his testimoniis non adparet. Alio vero loco idem Festus, explicaturus vocem *Sarcito p. m.* 423. SARCITO, inquit, *in duodecim Seruius Sulpicius ait significare damnum soluito praestato.* Verosimile itaque est, a iuris naturae simplicitate hic non recessisse decemuiros, adeoque nudam damni dati restitutionem exegisse. Quare ita conceptum fuisse arbitror illud XII. Tab. caput: QVI RVPITIAT, SARCITO (*a*). Quemadmodum eamdem legem restituen-

(*a*) Equidem Gothofredus *Fragm. XII. Tab. Tab. VII.* distinxisse putat decemuiros damnum iniuria datum ab eo, quod casu illatum sit, adeoque ita concipit leges.

Si iniuria RVPITIAS - - -
Ast si casu: SARCITO.

Sed huius distinctionis nec in Festo, nec apud alium auctorem, vlla fit mentio, et casum quemquam praestare debuisse, vix verosimile est.

Source : BIU Cujas

tuendam etiam arbitratur Iac. Raeuard. *ad Leg. XII. Tab. Cap.* XXIIII.

§. IIII.

Quae poſt XII. Tabulas vſque ad latam legem Aquilliam de damno dato vel praetores edixerint, vel populus ſciuerit, nos quidem ſcimus cum ignariſſimis. Celeberrima vero eſt ipſa LEX AQVILLIA, cuius de auctore non eadem eſt omnium ſententia. Vlpianus *l.* 1. §. 1. *D. ad L. Aquill.* ita eius hiſtoriam verbis pauciſſimis complexus eſt: *Quae lex Aquillia plebiſcitum eſt, quum eam Aquillius, Tribunus plebis, a plebe rogauerit.* Sed quis ſit ille Aquillius, adhuc ſub iudice lis eſt. C. Aquillio Gallo, celeberrimo illi iuriſconſulto, ſtipulationis Aquillianae inuentori, eam tribuunt nonnulli, et in his etiam Ian. Vinc. Grauina *de Orig. iur. ciu. LX. p.* 97. (*b*) Sed praeterquam, quod an Aquillius hic vnquam Tribunus plebis fuerit, non adeo expeditum eſt; ne temporum quidem ratio concedit, vt eum huius legis auctorem fuiſſe exiſtimemus. Sane eius legis iam meminere Q. Mucius Scaeuola. *l.* 39. *pr. et* Brutus, *l.* 27. §. 22. *D. ad L. Aquill.* quos C. Aquillio Gallo antiquiores fuiſſe, certiſſimum eſt. Io. Bertrand. *Vit. ICtor. II.* 9. 9. Accedit quod Cicero *in Bruto* XXXIIII. ſcribit, *ſe L. Caeſulenum, accuſatorem de plebe, iam ſenem audiuiſſe, quum ab L. Sabellio mulctam lege Aquillia de iuſtitia* (*c*) *petiuiſſet.* Quae quum ita ſint, veroſimillima videtur Steph. Vin. Pighii ſententia, qui in *Annal. Rom. Tom. II. p.* 330. legem hanc latam putat a L. Aquillio P. F. L. N. Gallo, qui A. V. C. DLXXII. tribunus plebis, A. DLXXVII. Praetor Siciliae fuit: vt adeo haec lex antiquiſſimis videatur adnumeranda. Origo legis Aquilliae.

(*b*) At idem Grauina *de Leg. et Sc.* §. *X. p.* 748., ea de re dubitare videtur, incertuſque haeret, huicne iurisconſulto, an alii Aquillio adſcribenda ſit lex Aquillia.

(*c*) Hotomanus *de Leg. p.* 62. Lambinus et P. Manutius et alii legunt *de damno iniuria*, ſed inuitis Codd. MSS. qui lectionem vulgatam ſemper praeferunt. Conf. Ian. Grut. *Not. ad h. l.* Nec tamen adſentior viro eruditiſſimo Antonio Auguſtino, qui in libro *de Nom. propr. Pand. p.* 301. *Theſ. Iur. Tom. I.* hanc legem, cuius Cicero meminit, a noſtra diuerſam fuiſſe ſtatuit.

§. V.

Ceterum tria huius legis capita commemorantur. (*d*) PRIMO CAVE- *quill. cap. I.* quod et ante eum ſuſpicatus eſt Balduin. *ad L. Aquill. p.* 122. Sane Quot fuerint huius legis capita?

(*d*) Plura capita fuiſſe non immerito exiſtimat Ger. Noodt *ad leg. A-*

Source : BIU Cujas

cauebatur de occisis quocumque modo seruis aut animalibus, quae dorso et collo domantur, quaeque gregatim pascuntur, vt actio daretur aduersus eum, qui id damnum dederit iniuria, ad id, quanti res intra annum proximum plurimi fuit. Verba legitima capitis haec fuerunt: QVI SERVVM SERVAMVE, ALIENVM ALIENAMVE, QVADRVPEDEM VEL (*e*) PECVDEM INIVRIA OCCIDERIT, QVANTI ID IN EO ANNO PLVRIMI FVIT, TANTVM AES DARE DOMINO DAMNAS ESTO. *l.* 2. *pr. D. ad L. Aquill.*

Caput primum.

Sane de poena dupli aduersus inficiantem nihil in verbis legis Aquilliae proditum est, nec de noxali actione, de qua §. 4. *Inst. de nox. act.*

(*e*) Hic Hotomanus *ibid.* legere mauult. *Quadrupedemue pecudem*, quam coniecturam probat Ger. Noodt. *ad L. Aquill. II. p.* 177.

§. VI.

Quid damnum hac lege vindicatum?

Vindicatur ergo hoc primo capite aeque, ac reliquis, damnum INIVRIA datum, id est, dolo vel culpa nocentis admissum. Vnde furiosi et infantes, in quos culpa cadere non videtur, lege Aquillia non tenentur. *l.* 5. §. 2. *D. h. t.* Hinc et qui occiderat adgressorem, aduersus quem se telo defenderat, nec iustae defensionis modum excesserat, incidisse haud videbatur in Aquilliam, quia non iniuria, sed indulgente iure naturae, occiderat. *l.* 45. §. 4. *eod.* Nec magis damnum, casu datum, hac lege vindicabatur, §. 4. *et* 5. *Inst. h. t.* dummodo se quis intra officii limites continuerit, nec in re illicita, locoque inconsueto, sit versatus. Quo pertinet casus mirabilis *l.* 11. *princ. D. h. t.* (*f*) Culpa vero hic praestabatur omnis, etiam leuissima, quod secus in aliis delictis, qua non nisi concurrente dolo vindicantur. §. 3. *Inst. h. t.*

§. VII.

(*f*) Casus est de seruo, cuius gula, dum tondetur, et nouacula super gulam est, adiecta a colludentibus pueris pila praeciditur. Solebant enim tonsores artem suam in publico exercere, quod primus inhibuit Domitianus. Martial. *Epigr. VII.* 61.

Abstulerat totam temerarius institor vrbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos,
Et modo quae fuerat semita; facta via est.
Nulla catenatis pila est praecincta lagenis,
Nec Praetor medio cogitur ire luto.
Stringitur in densa nec coeca nouacula turba:
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius, sua limina seruant.
Nunc Roma est: nuper magna taberna fuit.

Source : BIU Cujas

§. VII.

Damnum porro hoc caput vindicat, quod dominio (*g*) infertur. SERVO, SERVAVE, ALIENO, ALIENAVE occisis. Nam et serui tanquam res cadebant sub dominium, adeoque, iis occisis, quaedam fiebat patrimonii deminutio. Seruis autem etiam QVADRVPEDES PECVDES adiungit lex Aquillia, et eas quidem, quae gregatim pascuntur. §. 1. *Inst. h. t.* QVADRVPEDES enim sunt, quae dorso et collo domantur, id est, quae sarcinas vehunt et trahunt. Vlp. *Fragm.* XVIIII. 1. PECVS autem, vt ait Varro, ab eo dicitur, *quod perpascat.* Adde Seru. *ad Virgil. Aeneid.* IIII. *v.* 158. Reliqua animantia vocabantur BESTIAE. Isidor. *Orig.* XII. 2. V. Ampl. Corn. van Bynkersh. *de Reb. manc. et nec. mancip. Cap.* VI. *p.* 119. *sequ.* Inter quadrupedes pecudes an sues habendae essent, dubitasse oportet Romanos iureconsultos, quia alias tanto molimine argumenta testimoniaque ex ipso Homero non corrasissent: Marcianus. *l.* 65. §. 4. *de leg.* 3. et Iustinianus Imperator. §. 1. *Inst. h. t.* Forsan Romae non gregatim pascebantur sues, vt alibi locorum: sed includebantur stabulis, ceu suspicatur Huber. *Praelect. ad Inst. h. t. p.* 340. Immo si gregatim pascebantur, dubitari potuit, an essent *quadrupedes pecudes*, quia dorso et collo non domantur. Vid. *Elem. nostra Iur. Ciu. secund. Inst.* §. *MLXXVI.*

Qua in re damnum datum esse oportuerit?

(*g*) Tamen etiam libero homini vulnerato, item fructuario, creditori, vt et bonae fidei possessori dabatur actio vtilis ex hac lege. *l.* 11. §. 10. *D. h. t.*

§. VIII.

Occiso autem seruo, ancilla, vel pecude, damnum aestimabatur, quanti res eo anno plurimi fuerat, quantumque adeo domini referebat, res illas intra annum non periisse. Is vero annus retrorsum computabatur ex tempore, quo quis fuerat occisus. *l.* 21. §. 1. *D. ad L. Aquill.* Quamobrem si eo anno seruus heres institutus aliena culpa vitam amiserat: etiam hereditatis commodum in aestimationem veniebat. *l.* 23. *princ. D. eod.* Obseruandum quoque, poenam huius legis inficiando creuisse in duplum. *l.* 2. §. 1. *D. eod.* Paull. *Rec. Sent. I.* 19. 1. (*h*).

Poena capite primo statuta.

(*h*) Mirum in modum fallitur Anianus, qui omnes poenas, quae propter inficiationem duplicabantur, e lege Aquillia esse existimat. Ita enim ille in interpretatione ad locum Paulli citatum *p. m.* 259. *Aliqua quae cum ab his, quibus sunt debita, repetuntur, si a debitoribus negata fuerint, dupli satisfactione*

Source : BIU Cujas

tisfactione redduntur, id est, res iudicata legati per damnationem relicti, id est, quid heres legati titulo dare iussus est, et petitum negauerit: vel si damnum alicui per iniuriam factum quis sarcire noluerit: vel de modo agri, cum a venditore emtor fuerit circumscriptus, vt minus inueniatur, quam probatur scriptum. Quae omnia superius comprehensa secundum legem Aquilliam duplicantur. Quem errorem iam animaduertit laudatissimus Bynkersh. *Obs. I.* 13. Eundem tamen cum Aniano errat Papian. *Respons. XV. p. m.* 837.

§. VIIII.

Secundum legis Aquilliae caput.

SECVNDVM Legis Aquilliae caput in vsu esse, negat Imperator, §. 12. *Inst. h. t.* idque iam tempore Vlpiani in desuetudinem abiisse oportet, si genuina sunt verba *l.* 27. §. 4. *D. h. t.* Hinc nusquam eius vllum exstat vestigium. Cuiacius *Paratit. D. et C. ad L. Aquill.* egisse illud existimat de intercepta nobis utilitate quadam, re nostra illaesa, veluti si quis, nullo iure seruitutis imposito, vicini luminibus contra formam veterum aedificiorum offeciisset, quale est exemplum Petronae, damnati ob hanc rem a Theophilo Imperatore. Zonar. *Tom. III. Ann. p.* 115. vel si quis anthiam, piscem conciliatorem aliorum capiendorum, fraude intercepisset, cuius rei exemplum exstat apud Plin. *Hist. Nat.* VIIII. 59. Locus ipse ita se habet: *Ferunt discordem socium, duci insidiatum pulcre noto, cepisseque malefica voluntate; agnitum in macello a socio, cuius iniuria erat: et* DATI DAMNI FORMVLAM *editam, condemnatumque addidit Mucianus aestimata lite decem libris* (*i*). Claud. Chiffletius *de secundo capite legis Aquill. Tom. V. Thesaur. iur. p.* 874. *sequ.* putat de seruo corrupto fuisse actum hoc capite, idque ideoque esse abrogatum, quia postea simpliciter praetor de seruo corrupto agenti duplum promisisset, quum in lege Aquillia in duplum non nisi propter improbam inficiationem fieret condemnatio. Et sane non parum verosimilis est haec coniectura Chifletii. Nam I. praetor in actione de seruo corrupto constituenda iisdem paene verbis vsus est, quibus vti solet auctor legis Aquilliae: QVI SERVVM, SERVAM, ALIENVM, ALIENAM RECEPISSE, PERSVASISSEVE QVID EI DICATVR DOLO MALO, QVOCVM EVM, EAM, DETERIOREM FACERET, IN EVM, QVANTI EA RES ERIT, IN DVPLVM IVDICIVM DABO. *l.* 1. *princ. D. de seru. corr.* Vt fere inde colligas, praetorem legem Aquilliam ante oculos habuisse,

(*i*) Sed illum Plinii locum huc non pertinere, luculenter ostendit Ger. Noodt. *de L. Aquill. I. p.* 176. et Bynkershoek *Obs. I.* 13. *p.* 58. Id enim damnum ex capite III. et I. legis Aquilliae satis commode vindicari potuit. *l.* 27. §. 5. *l.* 21. §. *vlt. l.* 22. *pr. D. ad L. Aquill.*

Source : BIU Cujas

se, eiusque caput voluisse emendare. II. Ex lege Aquillia quoque actionem datam de seruo corrupto, luculenter patet ex *l.* 4. *et l.* 5. §. 2. *eod.* vbi digna notatu videntur Vlpiani verba: *Haec actio* (praetoria, de seruo corrupto) *etiam aduersus fatentem in duplum est, quamuis Aquillia inficiantem dumtaxat coerceat.* Quo loco Vlpianum discrimen, quod inter actionem ex L. Aquillia et actionem de seruo corrupto praetoriam intercedit, exponere voluisse videmus. III. Diserte Anianus *Interp. ad Paulli Recept. Sent. I.* 13. 21. *Hae duae secundum legem Aquilliam similem poenam habent, vt cum his, qui animo vel corpore corruperunt, alia mancipia huiusmodi praesumtores exsoluant.* Vbi quidem in describenda legis Aquilliae poena aberrat Anianus: sed id tamen procul dubio ex Paullo suo hausit, quod L. Aquillia non modo eum, qui corpore, sed et qui animo seruum corruperit, mulctarit (*k*).

(*k*) Ab utroque discedit V. A. Corn. Bynkershoeck *Obs. I.* 13. qui secundum caput legis Aquilliae de deiectis et effusis egisse putat, ob *l.* 31. *D. ad L. Aquill.* Sed quamuis res clara sit, legem Aquilliam etiam de deiectis et effusis egisse: plura tamen fuisse legis Aquilliae capita, iam a Ger. Noodt. *ad L. Aquill. I.* obseruatum est. Adeoque posteriores istas sententias coniungi posse arbitramur.

§. X.

Differentia inter caput L. Aquilliae et actionem de seruo corrupto.

Dupliciter ergo differebat actio legis Aquilliae ab actione de seruo corrupto. Illa culpam, haec dolum malum vindicabat. *l.* 3. §. 1. *D. de seru. corr.* Lex Aquillia non nisi inficiantem; praetor etiam fatentem, seruum a se corruptum esse, dupli damnabat. *l.* 5. §. 2. *eod.* Quum ergo pinguior fuerit praetoria actio, maxime quum non anno exspiraret, sed, instar aliarum actionum, esset perpetua: *l.* 13. *pr. D. de seru. corrupt.* haud profecto mirandum, ex illo legis Aquilliae capite neminem amplius agere voluisse, adeoque illud abiisse in desuetudinem.

§. XI.

Tertium legis Aquilliae caput.

Tertium caput conceptum erat in eos, qui non occidissent seruum, aut gregalem quadrupedem, sed eum eamue aliquo modo laesissent, aut occidissent, vulnerassentue animal, quod pecudum numero non erat, aliaue ratione rem alienam reddidissent deteriorem vrendo, frangendo, rumpendo. Ipsa legis verba seruauit Vlpianus; *l.* 27. §. 5. *D. ad L. Aquill.* CETERARVM RERVM, PRAETER HOMINEM ET PECVDEM, OCCISOS, SI QVIS ALTERI

Source : BIU Cujas

DAMNVM FAXIT, QVOD VSSERIT, FREGERIT, RVPERIT INIVRIA, QVANTI EA RES ERIT IN DIEBVS TRIGINTA PROXIMIS, TANTVM AES DOMINO DARE DAMNAS ESTO. Ad quod caput quum pleraque explicare soleant doctores: nobis iam actum agere non vacat.

TIT. IIII.

DE

INIVRIIS.

QVartum delictum priuatum erat INIVRIA, i. e. contumelia, *quae aut pulsatione corpus, aut conuicio aures, aut turpitudine vitam cuiusquam violat* (*a*). Ita enim iniuriam definit Auctor ad Herennium *Lib.* IIII. *Cap.* XXV.

(*a*) Distinguunt alias iniuriam a contumelia veteres, veluti Augustin. *Confess.* III. 8. et explicatius Seneca *de Constant. Sapient. vel, quod in sapientem non cadat iniur. X.* CONTVMELIA, inquit, *minor est* INIVRIA, *quam queri magis, quam exsequi possumus, quam leges quoque nulla dignam vindicta putauerunt. Hunc adfectum mouet humilitas animi, contrahentis se ob factum dictumque inhonorificum.* Eodem libro *Cap. XVII.* exemplum addit Senatoris, qui a Corbulone in senatu, appellatus struthiocamelus depilatus, amare fleuerit. Sed philosophica magis, quam iuridica, videtur ea distinctio. Siquidem etiam ex quauis contumelia, dolo malo illata, nascitur iniuriae actio. *l.* 5. §. 1. *D. ad L. Aquill.*

§. I.

Lex XII. Tabularum de iniuria leuiore.

Iam leges XII. Tabularum vlciscendas putabant iniurias (*b*): quas decemuiri in *leuiores et atrociores* diuisisse videntur. De leuioribus prodiderant legem: SI QVI INIVRIAM ALTERI FAXIT. XXV. AERIS POENAE SVNTO. Paull. *apud auct. Collat. Leg. Mos. et Rom.* II. 5. Gell. *Noct. Att. XX.* 1. Hoc caput non de iniuria

(*b*) Vnde Paullus apud Auctorem *Collat. Leg. Mos. et Rom. II.* 5. *Iniuriarum actio aut legitima est, aut honoraria.* Legitima *ex lege XII. Tabularum.* Et in *Sentent. Recept. V.* 4. 6. *Iniuriarum actio aut lege, aut more, aut mixto iure introducta est.* Vbi per *legem* XII. Tabulas, per *mores* Praetoris edictum, per *ius mixtum* legem Corneliam intelligit, quum priore loco etiam actionem ex lege Cornelia *legitima* comprehendat.

Source : BIU Cujas

ria tantum petulantis conuicii agit, sed de omni iniuria, etiam reali: quae non cum membri cuiusdam fractura aut ruptura erat coniuncta. Idque luculenter discimus ex illo L. Veracii, vel Neracii, exemplo, qui etiam depalmationem liberorum hominum, qua inprimis delectabatur, luebat XXV. assibus, teste Gellio *Noct. Att. XX.* 1. eumque in finem pediſſequum, assibus onustum, sequi se iubebat, vt statim solui possent XXV. asses. Poena vero illa, vt in magna veterum paupertate, satis grandis, postea, crescentibus Romanorum opibus, admodum leuis fuit. Asses tum erant totius librae siue librales, vt obseruat Plin. *Hist. Nat. XXX.* 3. Vnde, imminuto assium pondere, vocabantur aes *graue*. Postea enim ob aeris alieni multitudinem ex singulis assibus libralibus sextantarii, deinde vnciales, ac denique lege Papiria semiunciales facti. Plin. *ibid.* Hi in stipem dari solebant, et non multo plus valebant quam tres numos Misnicos. Decem asses constituerunt denarium, quatuor sestertium. Fefellit ergo Paullum memoria, dum loco supra ex Auctore collationis legum Mosaicarum et Romanarum adducto pro XXV. *aeris* posuit XXV. *sestertiorum*. Quamuis enim vulgo existiment eruditi, auctis Romanorum facultatibus, assibus substitutos esse sestertios: (Vid. Cuiac. *Obs.* XVIIII. 31. Salmas. *de mod. vsur. VI. et XVII.* Gothofred. *ad Leg.* XII. *Tab. p.* 219.) nec id tamen fert veteris pecuniae ratio. Si enim intelligas XXV. sestertios: summa non aucta, sed imminuta dicenda est, siquidem asses, vt iam dictum, eo tempore fuere librales; sestertius vero non nisi quartam partem denarii valuit. Sin Paullum accipias de XXV. sestertium: immodica erit summa, id est DCXXV. Philippicorum, qua vindicatam esse leuissimam iniuriam, nemo sibi temere persuaserit. Schulting. *Iurispr. Anteiust. p.* 740.

§. II.

Vt et de iniuria atrociore verbali.

Iisdem XII. Tabulis fuerat de atrociore iniuria cautum: SI QVI PIPVLO CENTA SIT, CARMENVE CONDISIT QVOD INFAMIAM FAXIT FLAGITIVMVE ALTERI, FVSTE FERITO. Cic. *apud August. de Ciuit. Dei* II. 9. *et* 12. Horat. *Serm.* II. 1. *Ep.* II. 1. et ibi Porphyrion in *Scholiis*. Cornut. *Schol. in Pers. Sat.* I. *Pipulum* est conuicium, a pipitu pullorum dictum, idemque denotat, quod in Praetoris edicto *conuicium aduersus bonos mores*, item *conuicium cum vociferatione l.* 15. §. 2. *et* 11. *D. de iniur.* Pipulo itaque occentare erat conuicium alteri facere publice. *Carmen* vero *iniuriosum* est quaelibet scripta iniuria, quaelibet satyra, vel epigram-

Source : BIU Cujas

ma, quo alicuius fama nominatim adroditur. Paull. *Sent. V.* 4. 15. Nolebant enim Romani honestorum ciuium famam poetarum licentiae petulantiaeque esse obnoxiam, neque probrum quemquam audire, nisi ea lege, vt respondere liceret, et in iudicio defendere (*c*). Cicero *de Rep.* IIII. apud Augustin. *de Ciuit. Dei II.* 12. Si quis ergo tam insignem iniuriam cuiquam intulisset, fuste feriebatur. Qua de re Horatius *Epist. II.* 1.

- - - Quin etiam lex
Poenaque lata, MALO *quae nollet* CARMINE *quemquam*
Describi : vertere modum, formidine FVSTIS
Ad bene dicendum delectandumque redacti.

Ad quae Horatii verba Porphyrion. *Fustuarium supplicium constitutum erat in auctorem carminum infamium.* Et Cornutus ad Pers. *Sat. I. Lege XII. Tabularum cautum est, vt fustibus feriretur, qui publice inueheretur.* Fustigatio vero facile ad necem vsque procedere poterat. *l.* 7. §. 1. *D. ad L. Aquill. l.* 1. §. 17. *D. ad SC. Silan.* quamuis id improbent leges nostrae. *l.* 8. §. 1. *D. de poen.* Vnde non mirum, quod capitis damnatos iniuriosos eiusmodi homines refert Cicero apud Augustin. *de ciuit. Dei*, *ibid.*

(*c*) Secus ac apud Graecos, vbi et honestissimi viri, ipsique reip. proceres, durante adhuc comoedia antiqua, in scenam protrahebantur, et carminibus iniuriosis differebantur apud populum. Vid. Scalig. *de Arte poet. I.* 8. *p.* 29. *sequ.*

§. III.

Nec non de iniuria reali.

Ad atrociorem iniuriam pertinebant etiam leges de membro rupto vel osse fracto, quae tales fuerunt : SI MEMBRVM RVPSIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. QVI OS EX GENETALI FVDIT LIBERO, CCC. SERVO CL. AERIS POENAE SVNTO. Ita verba legum exhibet Gothofr. *Leg. XII. Tab. Tab. VII.* Et membri quidem rupti talionem fuisse, diserte testantur Festus *voce Talionis. p.* 461. Tribonianus §. 7. *Inst. h. t.* Gell. *Noct. Att. XX.* 1. qui tamen talionem istam, ipsis diuinis legibus admissam, exagitat paullo acerbius. At, quae de osse ex genitali fracto agit, lex paullo obscurior est, nec leuis est dubitandi caussa, an τὸ GENETALI quod post Pithoeum hic posuit Gothofredus, genuinum sit. Id certum videtur, ob fractum os liberi hominis CCC. serui CL. aeris poenam fuisse. *Collat. Leg. Mos. et Rom. II.* 5.

§. IIII.

Source : BIU Cujas

§. IIII.

Cur hae leges sensim ab vsu recesserint?

Hae sunt leges, quas in XII. Tabulas relatas fuisse de iniuriis, accepimus. Sed mirum profecto non est, si illae omnes sensim ab vsu recesserunt. XXV. asses erant paullo leuioris iniuriae poena. Quantilla haec mulcta erat diuitibus? An impediissetⁱ, quaeso, illos, ab inferendis iniuriis? Cui ignotus, quaeso, paullo ante in scenam productus Luctatius Neracius, homo egregie improbus, cui ea lex adeo erat ludibrio, vt obuiorum os palma percuteret animi caussa, oblatis continuo XXV. assibus, per seruum, quem pecunia onustum ideo secum circumducebat? Gell. *Noct. Att. XX.* 1. Idem de vltima lege, quae ossis fracti vindicauit iniuriam, sentiendum est. Nec fustiarium supplicium, quo conuicium carmenque iniuriosum vlciscendum putabant decemuiri, locum amplius habere videbatur in ciuibus Romanis, postquam lex Porcia a verberum fustiumque contumelia corpora eorum exemerat. Denique et talio ita erat comparata, vt in irroganda illa poena facilius possetⁱ, quam in exsequenda, aequilibrium obseruari. Gell. *Noct. Att. XX.* 1.

§. V.

Quae Praetor statuerit de iniuriis?

Vnde de emendandis mutandisque istis legibus non semel cogitatum est. Et primo quidem praetor, teste Labeone apud Gellium *ibid.* ob insignem illius Neracii petulantiam leuiorem XII. Tabularum poenam aboleuit, et aestimationem iniuriae induxit edicto suo. *Propterea*, inquit, *Praetores postea hanc poenam abolescere, et relinqui censuerunt, iniuriisque* AESTIMANDIS *recuperatores se daturos, edixerunt.* Et haec est actionis aestimatoriae origo, quam Praetoris iurisdictio inuexit. Edixerat Praetor: QVI AGIT INIVRIARVM, CERTVM DICAT, QVID INIVRIARVM FACTVM SIT, *l.* 7. *princ. D. h.t.* Iniuria scilicet vel *verbalis* erat, vel *realis*, ad quarum illam et *scripta*, ad hanc *picta* quoque iniuria referri potest. *Verbalis* erat, quae fiebat conuicio, omnique dicto, contra bonos mores in alterius inuidiam sparso. *Realis*, si quis verberibus, vel alio quouis facto, vel gestu, indigne esset adfectus, si cuius bona tamquam debitoris essent possessa, qui nihil debebat, si quis puero praetextato praetextataeue puellae, abducto comite, vel corrupto, stuprum persuasisset (*d*), si quis in alterius

(*d*) Est hoc Exemplum §. 1. *Inst. h.t.* Solebant praetextati et praetextatae non nisi cum comite vel custode prodire in publicum, vt tuti essent adversus illorum insidias, qui pudori illorum volebant illudere, Casaub. *ad* Pers. *Satyr. V. v.* 30. Hos custodes impudici vel vi, vel pecunia, amouebant, et tunc dicebantur abduxisse comites. Vlpian. *l.* 15. §. 17. 18. *D. h.t.*

Source : BIU Cujas

inuidiam veſte lugubri vſus, barbam promiſiſſet, vel capillum ſubmiſiſſet (*e*). *Litteralis* vel *ſcripta* iniuria, ſi quis carmen famoſum in alterius iniuriam, vel alia quaelibet cantica, vel pſalteria (*f*) compoſuiſſet, cantaſſetque, immo et propoſuiſſet. *Picta* denique, ſi quis pictura obſcena, vel infami, alteri illuſiſſet. Deinde iniuriae vel *corpori* inferri dicebantur, vel *dignitati*, vel *famae*. *l.* 1. §. 2. *D. h. t. Corpori* quidem, veluti quum quis pulſatus; *dignitati*, quum comes matronae abductus; *famae*, quum attentata eſſet pudicitia. Porro vel *leuior* erat iniuria, vel *atrocior*. Haec vel *perſona*, vel *tempore*, vel *reipſa* aeſtimabatur. *Perſona*, vt quum magiſtratui; *tempore*, vt ſi ludis (*g*); *re*, vt quum vulnus illatum, os percuſſum: *l.* 7. §. 8. *D. h. t.* Paullus tamen recte addit *locum*, veluti ſi quis in theatro intuliſſet iniuriam. *Rec. Sent. V.* 4. 10. Ad atroces quoque iniurias pertinebant *iniuriae contra bonos mores*, quae extra ordinem puniri ſolebant. De his Paull. *Rec. Sent. V.* 4. 13. et *l.* 1. §. 1. *D. de extr. crimin. Fit iniuria contra bonos mores, veluti, ſi quis fimo corrupto aliquem perfuderit, coeno lutoue obliniuerit* (*h*), *aquas ſpurcauerit, fiſtulas, lacus, quidue aliud ad iniuriam publicam contaminauerit* (*i*). Denique vel *per ſemetipſum* alicui, vel *per alterius* latus, fiebat iniuria. Vnde et pater liberorum, quos in poteſtate habebat; vir vxoris; ſocer nurus nomine, agere iniuriarum poterat. §. 2. *Inſt. h. t.* Et licet ſeruis nulla fieri intelligeretur iniuria: tamen atrox iniuria et ſeruis illata in domini vergere contumeliam videbatur, adeoque a domino iure vindicabatur. §. 3. *ſeq. Inſt. h. t.* Quum ergo tam varia ſint iniuriarum genera: actionem ita inſtitui iuſſit praetor, vt ſpecies illatae iniuriae accurate exprimeretur.

(*e*) Sordidum habitum ſumebant cognati reorum capitis, ad mouendam miſericordiam. Cuiac. *Obſ. VI.* 5. D. Gothofred. *ad l.* 15. §. 27. *D. h. t.* Videntur ergo cognati, cognatis aegre facturi, lugubrem hunc habitum ſumſiſſe. M. Seneca *Declam. X.* 1.

(*f*) *Pſalterium* inſtrumentum muſicum erat, quod ſcurrae vrbicarii proferebant in ſcenam, proludiique loco eo canebant ridicula quae δεικτήρια vel *dicteria* adpellata. Vnde et *dicterium* pro maledicto, et *pſalterium* pro ipſo *dicterio* accipitur. Ioſ. Scalig. *ad* Manil. *V. v.* 145. *p.* 360. *edit. Boecleri.*

(*g*) In *d. l.* 7. §. 8. verba ſunt: *Nam in praetoris conſpectu, an in ſolitudine iniuria facta ſit, multum intereſt.* Sed legendum: *in populi Romani conſpectu.* Solebant veteres ſiglis vti P. R. vnde Praetorem exſculpſerunt ſcribae. Cuiac. *Obſ. VIIII.* 16.

(*h*) Eſt haec ſingularis iniuriae ſpecies, quam Graeci τὸ πηλακίζειν vel προπηλακίζειν adpellarunt. Vid. Salmaſ. *ad ius Attic. VIIII.*

(*i*) Dictum hoc delictum *aquae per iniuriam corruptae*, apud Senecam *Quaeſtion. III.* 20. *iniuria fluuii*, apud Tertull. *adu. Prax. XXVIIII.* Veteribus eiuſmodi

Source : BIU Cujas

iusmodi homines dicebantur *oletare aquam*. Vnde lex vetus apud Frontin. *de Aquaed. II.* NE QVIS AQVAM OLETATO DOLO MALO.

§. VI.

Verba edicti de variis iniuriarum speciebus.

De iniuria verbali aliud exstat edicti praetorii fragmentum: QVI ADVERSVS BONOS MORES CONVICIVM CVI FECISSE, CVIVSVE OPERA FACTVM ESSE DICETVR, QVO ADVERSVS BONOS MORES CONVICIVM FIERET, IN EVM IVDICIVM DABO. *l.* 15. §. 2. *D. h. t.* De reali: NE QVID INFAMANDI CAVSSA FIAT, SI QVIS ADVERSVS EA FECERIT, PROVT QVAEQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM. *l.* 15. §. 25. *D. eod.* Nec non de seruo iniuriam passo: QVI SERVVM ALIENVM ADVERSVS BONOS MORES VERBERAVISSE, DEVE EO INIVSSV DOMINI QVAESTIONEM HABVISSE DICETVR, IN EVM IVDICIVM DABO. ITEM SI QVID ALIVD FACTVM ESSE DICETVR, CAVSSA COGNITA, IVDICIVM DABO. *l.* 15. §. 34. *eod.* Porro de filio familias: SI EI, QVI IN ALTERIVS POTESTATE ERIT, INIVRIA FACTA ESSE DICETVR, ET NEQVE IS, CVIVS IN POTESTATE EST, PRAESENS ERIT, NEQVE PROCVRATOR QVISQVAM EXISTAT, QVI EO NOMINE AGAT, CAVSSA COGNITA IPSI, QVI INIVRIAM ACCEPISSE DICETVR, IVDICIVM DABO. *l.* 17. §. 10. *D. eod.* Reliqua huius edicti de iniuriis fragmenta desiderantur, inprimis caput illud de atroci iniuria, de quo Arnobius *aduers. gentes* IIII. *p.* 89. *edit. Elmenhorst. Ne vestras aures conuicio petulantiore quis pulsaret, de atrocibus* FORMVLAS *constituistis iniuriis.*

§. VII.

Poena iniuriarum praetoria.

Poena ergo iniuriis omnibus a praetore statuitur aestimatio, ei, qui iniuriam fuerat passus, inferenda arbitrio iudicis. §. 7. *Inst.* Et in hac aestimatione partim ad personae dignitatem, partim ad ipsam iniuriae naturam atque indolem, respiciebatur. Si plures iniuriae simul illatae fuerant, agi non poterat ob singulas, sed ob omnes coniunctim. Alias iterum acturo obstabat exceptio iniuriae vna factae. Cuiac. *Obs. XXVI.* 18. Praeter hanc vero pecuniariam poenam etiam infamiae nota inurebatur ei, qui iniuriarum fuerat condemnatus. Paull. *Rec. Sent. V.* 4. 9. Vnde Cicero *in Verr.* II. 8. *Homo omnium ex illo conuentu quadruplatorum deterrimus, C. Sacerdote Praetore damnatus iniuriarum.*

§. VIII.

Source : BIU Cujas

§. VIII.

Lex Cornelia de iniuriis.

Verum et Praetoria illa actio ciuilis impar cohibendae hominum petulantiae visa est L. Cornelio Sullae Dictatori. Vnde is nouam tulit legem CORNELIAM *de iniuriis*, qua et criminale iudicium constitutum est ob certas iniurias, ob quas alias etiam ciuiliter agere licebat. (*k*) Factum id esse anno V. C. DCLXXII. suspicatur Steph. Vin. Pigh. *Annal.* III. *p.* 263. et occasio forsan Sullae subnata est e nimia illa licentia ac petulantia, quae per bella ciuilia inualuerat. Ea vero lege in eos dabatur actio, qui *pulsassent* aliquem, vel *verberassent*, vel *domum alienam vi introissent*. *Pulsare* et *verberare* ita differunt in hac lege, vt illud sine dolore, hoc cum dolore fieri dicatur. *l.* 5. §. 1. *D. h. t.* Car. Andr. Duckeri *Opusc. de Latinit. vet. iureconsult. p.* 145. *seq.* Immo tantopere haec differre videbantur, vt, qui fuerat verberatus, si diceret se pulsatum esse, non certo rem demonstrasse diceretur, teste Paullo apud *Auctorem Collat. Leg. Mos. et Rom.* II. 6. Domus vero quomodo possit vi introiri in alterius iniuriam, facile patet. Paullus *Recept. Sent. V.* 4. 8. huc refert iniuriam a *derectariis* illatam. Ita enim ille: *Mixto iure iniuriarum actio ex lege Cornelia constituitur, quoties quis pulsatur, vel verberatur, vel cuius domus introitur ab his, qui derectarii adpellantur.* Sed vereor, ne verba postrema glossema Aniani sapiant. *Derectarii* enim non a dirigendo dicuntur, quod idem veteribus fuisse ac *effringere*, sine vlla auctoritate idonea suspicantur Car. du Fresne *Glossar. med. et infim. Latin. voce Directarius*, et Andr. Dacerius *ad Festum*, voce *dirigere*: sed a *derigendo*, quod idem est ac καταδύνειν. Vnde Vlpianus *l.* 7. *D. de extraord. crim. Item qui* DERECTARII *adpellantur, hoc est, ii, qui in aliena coenacula se derigunt furandi animo, plus, quam fures, puniendi sunt.* Cuiac. *Obseru. X.* 27. *et* 34. Aeg. Menag. *Amoenit. Iur. Ciuil.* XXXVIIII. Quum ergo derectarii non iniuriae causa, sed furandi animo; non vi, sed clam, in aliena se coenacula immiserint: eorum crimen ad furtum potius vel ad crimina extraordinaria, quam ad legem Corneliam de iniuriis pertinuisse, haud immerito dixeris. Schulting. *ad Paull. l. c. p. m.* 440.

(*k*) Scilicet lex Cornelia quidem criminalis animaduersionis causa reperta: tamen et ciuiliter, aestimatione officio iudicis facienda poterat agi, *l.* 37. §. 1. *D. h. t.* dummodo iniuria eius generis, quam haec lex persequitur, illata fuisset.

§. VIIII.

§. VIIII.

Horum vero auctores facinorum, qui quid contra hanc legem Corneliam admiserant, criminaliter conuenti ita puniebantur, vt vel ad metalla, vel in exsilium, vel in opus publicum damnarentur. (*l*) Paull. *Recept. Sent. V.* 4. 8. Eum qui librum pertinentem ad alterius iniuriam scripserat, composuerat, ediderat, doloue malo fecerat, vt quidquam eorum fieret, intestabilem esse ea lex iubebat. *l.* 5. §. 9. *h. t.* Poena legis Corneliae.

(*l*) Ita quidem Paullus, et vulgo haec verba ad totam legem Corneliam referunt. Sed existimauerim, ea ad solos *derectarios* pertinere, quorum crimen extraordinarium fuisse adparet ex *l.* 7. *D. de extraord. crim.* In ipsa lege Cornelia procul dubio ordinaria quaedam poena in pulsantes, verberantes, et vi domum alienam introeuntes, constituta fuerat.

§. X.

Inter actionem vero Praetoriam et hanc CORNELIAM permultum intererat. Illa honoraria erat, haec ciuilis: illa annua, haec si ciuiliter agebatur, triginta; sin criminaliter, viginti annos durabat: illa priuata, haec etiamsi aliquando criminalis, non semper publica tamen, (*m*) at pro publica vtilitate exercebatur. In illa etiam alieno nomine licebat agere, quod nefas ex lege Cornelia. *l.* 5. §. 6. 7. *D. eod.* Praeterea id quoque singulare habebat lex Cornelia, quod liceret actori deferre iusiurandum, quo reus adfirmaret, sese iniuriam non fecisse, vt tunc et actoris existimatio redintegraretur, et reus eximeretur iudicio. *l.* 5. §. 8. *D. eod.* Denique obseruandum, ex iisdem caussis, de quibus lex Cornelia prodita fuerat, agi potuisse et criminaliter, et ciuiliter, adeoque actoris fuisse arbitrium, vtra vellet actione experiri. Differentia inter actionem ciuilem et criminalem.

(*m*) Vulgo hanc actionem publicam adpellitant auctores, sed negat id Vinnius *ad* §. 8. *Inst. h. t.* ob *l.* 41. §. 1. *D. de procurat. l.* 7. *C. h. t.*

§. XI.

Ceterum plura ad explicandam hanc legem SC. prodierunt. Sic SC. aliquod intestabilem esse iussit eum, qui aduersus aliquem iniuriosum quidquam dixerit, aut epigramma, vel inscriptionem, aliudue quid etiam sine scripto et voce, veluti picturam in alterius iniuriam protulerit, etiamsi nomen illius, in quem factum fuerit, non adiecisset, *l.* 5. §. 10. *D. eod.* Quin aliud SC. eosdem in insulam vel relegari, vel deportari iussit. Paull. *Sent. Rec. V.* 4. Senatus consulta ad legem Corneliam pertinentia.

Source : BIU Cujas

15. *et* 17. Prioris poenae exemplum est apud Tacit. *Ann.* XIIII. 48. 49. Forsan etiam e SC. est, quod si quis a praetextato praetextataue comitem abduxisset, is, qui perfecerat flagitium, capitis damnaretur, qui attentauerit, in insulam deportaretur, comites vero corrupti summo adficerentur supplicio. Paull. *Recept. Sent. V.* 4. 14.

§. XII.

Quid per constitutiones additum.

Accessere his legibus nonnulla per constitutiones principum, veluti, quod illustres viri etiam criminalem iniuriarum actionem possent per procuratores instituere pariter ac suscipere, *l.* 11. *C. de iniur.* quod et is, qui libellum famosum circumtulerat, quasi auctor delicti, capitali sententia esset condemnandus. *l. vn. C. de famos. lib.* et quae sunt huius generis alia, a doctoribus explicatius proponi solita.

TIT. V.

DE

OBLIGATIONIBVS QVAE QVASI EX DELICTO NASCVNTVR.

QVemadmodum obligationes quaedam *quasi ex contractu* nasci dicuntur: ita sunt etiam, quae QVASI EX DELICTO descendunt. Est vero QVASI DELICTVM factum, quod damno vel fuit, vel esse potest, non dolo, sed culpa, commissum.

§. I.

Iudex vt litem suam fecerit?

Primum huius generis quasi delictum admittit IVDEX, SI LITEM SVAM FECERIT: id est, si male iudicando periculo litis se obstrinxerit, caussamque eius, secundum quem litem dederat, in se susceperit, et tamquam suam defenderit. Cic. *de Orat. II.* 75. *Quid si quum pro altero dicas, litem tuam facias?* Fieri autem id poterat dupliciter, vel dolo malo, vel imperitia iudicis. Si dolo: (*a*) tunc verum id erat delictum, quod praeter litis aestimationem etiam

(*a*) Et huc pertinet *l.* 15. §. 1. *D. de iudiciis* inter quam et *pr. Inst. h. t.* antinomiam deprehendere sibi visus est Guil. Budaeus *Adnot. ad l. vlt. D. de aedilit. edict.* sed frustra. Litem enim suam facere dicebatur iudex male iudicans; siue dolo malo, siue imprudentia id feciſſet. Cuiac. *Obſeru. VIII.* 10.

Source : BIU Cujas

etiam famae dispendio puniebatur, (*b*) *l. fin. C. de poen. iudic. qui male iudic.* immo et repetundarum actione, si iudex corrumpi se passus esset, vindicabatur. *l. 3. C. ad L. Iul. repetund.* Sin imperitia: quasi e delicto, obligatus videbatur iudex. Et de hoc iam est quaestio.

(*b*) Glossatores id vocant *syndicatum*, quae vox ex barbaro *syndicare* nata, quae Italis, Hispanis, Gallis est iudicem ratione officii postulare. Vid. Car. du Fresne *Gloss. Lat.* voce *syndicare.*

§. II.

Romani omnem dabant operam, vt iudices essent idonei. Hinc quidam lege impediebantur, ne essent iudices, quidam natura, quidam moribus. Natura, vt surdi et muti et furiosi et impubes res: lege, vt qui moti fuerant senatu: moribus, vt feminae et serui. *l. 12. §. 2. D. de iudic.* Immo et iustam exigebant aetatem, annos scilicet ad minimum viginti quinque, postea viginti, Suet. *Augusl.* XXXII. ac demum octodecim, si magistratum gererent. *l. 57. D. de re iud.* Iac. Cuiac. *Obs. XX.* 32. Praeterea iudices omnes iubebant Romani iurare, ex animi sententia et ex lege se iudicaturos. Idque plerumque fiebat ad aram in comitio, quae puteal Libonis (*c*) dicebatur. Sigon. *de iudic. I.* 28. *p.* 504. Denique vt tanto minus esset periculi, ne imperite iudicarent: solebant aliquando iis vnus aut plures iudicii socii iurisperiti adiungi, quorum consilio omnia agerent. Gell. *Noct. Att. XII.* 13. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. II.* 18. *de antiq. iur. prou. II.* 5. Romanorum sollicitudo in eligendis iudicibus.

(*c*) Erat PVTEAL ara in comitio, superstructa puteo, in quo Naeuii, illius celeberrimi auguris, cotem et novaculam demersam, ferunt: quae quum a Libone quodam fuisset restituta, *puteal* Libonis dicebatur. Horat. *Epist. I. 3.*

--- *Forum* PVTEALQVE *Libonis*
Mandabo siccis.

Insigne huius arae monimentum exstat in numis gentis Scriboniae apud Fulu. Vrsin. *de Famil. Rom. p. 249. edit. Caroli Patini.* Plura Sigon. *de iudic. I. 28. p. 504.*

§. III.

Quamuis ergo, quum res ita se haberet, haud facile videatur potuisse contingere, vt iudex imperite iudicasse crederetur: tamen si id factum esse adpareret, quasi ex maleficio tenebatur, et quantum de ea re iudicantis religioni visum esset, poenam sustinebat, salua tamen existimatione. *l. vlt. D. de extraord. cogn.* Sed quantumuis aequa videatur haec poena: adfirmare tamen quidam non dubitant, eam actionem iam apud Romanos vel nullum, vel exi- Poena iudicum imperite iudicantium.

Source : BIU Cujas

guum habuisse vsum. Thomas. *Dissert. de vsu pract. actionis aduersus iudicem imperite iudicantem XII. p.* 35.

§. IIII.

De deiectis, effusis, positis et suspensis.

Ad obligationes, quae quasi e delicto nasci dicebantur, pertinent etiam DEIECTA, EFFVSA, et POSITA, aut SVSPENSA, quae si nocuissent, constituta erat a praetore actio aduersus eum, qui coenaculum, vnde tale quid factum fuerat, inhabitabat. Edictum ita se habuit: VNDE IN EVM LOCVM, QVO VVLGO ITER FIET, VEL IN QVO CONSISTETVR, DEIECTVM, VEL EFFVSVM QVID ERIT, QVANTVM EA RE DAMNVM DATVM FACTVMVE ERIT, IN EVM QVI IBI HABITAVERIT, IN DVPLVM IVDICIVM DABO. SI EO ICTV HOMO LIBER PERISSE DICETVR, L. AVREORVM IVDICIVM DABO, SI VIVET NOCITVMQVE EI ESSE DICETVR, QVANTVM OB EAM REM AEQVVM IVDICI VIDEBITVR, EVM, CVM QVO AGETVR, CONDEMNARI, TANTI IVDICIVM DABO. SI SERVVS INSCIENTE DOMINO FECISSE DICETVR, IN IVDICIO ADIICIAM: AVT NOXAM DEDERE. *l.* 1. *princ. D. de his qui effud. vel deiecerint.* Quamuis vero haec ex edicto praetoris sint: tamen et in lege Aquillia de deiectis et effusis aliquid cautum fuisse, docet V. A. Bynkershoek. *Obs.* I. 13. (*Lib.* IIII. *Tit.* III. §. VIIII.) Nec si nocitum tantum reipsa fuerit, actionem praetor dabat; sed et si quis ea parte, qua vulgo iter fiebat, id positum aut suspensum habebat, quod posset, si caderet, nocere. Hoc enim casu poena X. aureorum fuerat a praetore constituta, eaque actio popularis erat, et cuiuis e populo concedebatur. Aduersus dominum autem, si seruus posuisset vel suspendisset, agebatur noxaliter. Edicti verba sunt in *l.* 5. §. 6. *et sequ. D. eod.*

§. V.

Actiones contra nautam, cauponem, stabularium.

In NAVTAM quoque, CAVPONEM et STABVLARIVM dabatur actio de damno, aut furto, quod in naui, aut caupona, aut stabulo, factum fuerat, etiamsi nullum eius esset maleficium. Eo vero casu, si quis ex viatoribus, vel vectoribus nocuerat, actio dabatur ex quasi contractu. Aiebat enim praetor: NAVTAE, CAVPONES, STABVLARII, QVOD CVIVSQVE SALVVM FORE RECEPERINT, IN EOS IVDICIVM DABO. *l.* 1. *pr. D. naut. caupon. stabul.* Quamuis vero *stabulum* idem fuerit antiquis quod diuersorium aut πανδοχεῖον, eoque sensu saepius occurrat apud auctores, inprimis Petronium: in hoc tamen edicto pro loco, vbi iumenta stabulantur, accipitur, ceu ex *l.* 5. *D. eod.* adparet. Omnia autem

Source : BIU Cujas

tem huiusmodi loca suspecta erant, quia eo faex hominum confluere solebat. Vigebat inter Romanos et exteros ius hospitii, adeoque viri honestiores non diuertebant in cauponis: sed hominum colluuies ibi delicias quaerebat. Nec viri in dignitate constituti nauibus publicis vtebantur, sed proprias sibi conducebant. Vnde tam famosa erat nautarum, cauponum, stabulariorumque malitia, vt Horatius *Sat. I. 5. v. 4.* de iis canat:

-- Inde forum Appi,
Differtum nautis, CAVPONIBVS, *atque malignis.*

Interesse ergo videbatur reip. hos homines prauos non solum ex quasi contractu, sed et ex quasi delicto teneri. Et haec actio locum habebat, si famuli, quorum operaret ministerio nautae, caupones, vel stabularii vsi essent, damnum furtumue fecissent. Eo enim casu aduersus ipsos nautas, caupones, stabularios actio in duplum competebat. *l. 5. §. vlt. D. de oblig. et act. l. vn. D. furt. adu. naut. l. vlt. §. 1. D. naut. caup. stab. et §. vlt. I. h. t.*

TIT. VI.

DE

ACTIONIBVS.

HActenus de duobus iuris obiectis actum, puta de PERSONIS et REBVS: iam de tertio, quod ACTIONES complectitur, differit Imperator. Totus titulus varias fistit actionum diuisiones et differentias, quae quum intelligi vix possint, nisi quis veterum iudiciorum rationem, seu, vt hodie vocant, processum Romanorum, probe intelligat: dabimus operam, vt post Sigonium, Polletum, aliosque, qui de iudiciis commentati sunt, in quo numero et Caroli Bretto in libello *de ordine antiquo iudiciorum*, recuso a clarissimo Salengre *Antiq. Rom. Thesaur. Tom. II.* totam litigandi iudicandique rationem paullo adcuratius ex antiquitatibus Romanis exponamus.

§. I.

Quemadmodum ius aliud *priuatum* est, aliud *publicum*: ita et iudicia apud Romanos, alia PRIVATA, alia PVBLICA erant. Vtraque breuiter, ast adcurate hunc in modum distinguit Cicero *pro A. Caecina II. Omnia iudicia aut distrahendarum controuersiarum,* Iudicia quotuplicia?

Source : BIU Cujas

aut puniendorum maleficiorum causſa reperta ſunt. Priuatis ergo iudiciis quiſque, quod ſua intererat, perſequebatur; publicis vel ipſe populus ea, quae reipublicae detrimenti quidquam adferre potuiſſent, vel accuſator, populi nomine, crimina publico dedecori futura vindicabat. De publicis infra ad titulum XVIII. de priuatis hoc et ſequentibus titulis agemus.

§. II.

Olim Reges ipſi iudicabant.

PRIVATIS iudiciis magiſtratus, et initio quidem reges, poſt conſules, denique praetores praeerant. De regibus Dionyſ. Halicarn. *X. p. 627.* Τὸ μὲν ἀρχαῖον οἱ βασιλεῖς αὐτῶν ἐτάττοντο τοῖς δεομένοις τὰς δίκας, καὶ τὸ δικαιωθὲν ὑπ' ἐκείνων τοῦτο νόμος ἦν. *Olim, quamdiu regnatum eſt in vrbe, regum arbitrio dirimebantur lites, et quod iuſtum illi iudicaſſent, id erat pro lege.* Idem auctor, *Libro II. Antiquit. Rom. p. 87.* vbi regum iura muniaque deſcribit, id quoque iis datum eſſe negotii, ait, *vt legum patriarumque conſuetudinum haberent cuſtodiam, omniſque iuris, quod vel natura dictat, vel pacta et tabulae ſanciunt, curam agerent.*

§. III.

Poſtea conſules.

Electis regibus, iuriſdictio haec ad conſules delata eſt. Qua de re idem Dionyſ. Halic. *X. p. 627.* Ὡς δὲ ἐπάυσαντο μοναρχούμενοι, τοῖς καθ' ἑνιαυτὸν ὑπατεύουσιν ἀνέκειτο τά τε ἄλλα τῶν βασιλέων ἔργα, καὶ ἡ τοῦ δικαίου διάγνωσις. καὶ τοῖς ἀμφισβητοῦσι πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ὁτουδήποτε, ἐκεῖνοι τὰ δίκαια οἱ διαιροῦντες ἦσαν: *Translato deinde a regibus ad annuos conſules, imperio, inter cetera officia regia, iuris quoque dicundi munus ad eos deuenit, ita, vt quacumque de re orta eſſet inter ciues controuerſia, illi de iure reſponderent,* vel potius, ius dicerent. Idem docet Liuius II. 27. vbi de Appio Claudio: *Appius conſul de pecuniis creditis ius quam aſperrime dicere.* Eadem iuriſdictio etiam penes alios magiſtratus erat, qui conſulari poteſtate praeerant reipublicae, quales aliquamdiu decemuiri et tribuni militum, nonnunquam etiam dictatores erant. De Decemuiris ſane id clariſſimum eſt ex Liuio III. 33. qui eos decimo quouis die ius populo reddidiſſe, teſtatur.

§. IIII.

Ac demum Praetores et Aediles.

Poſtremo iuris dicundi poteſtas in vrbe ad praetorem delata eſt, qui anno V. C. CCCLXXXVIIII. primum creari coepit. Inualuit poſtea, ubi duo praetores creari coeperunt, vt praetorum alius ciuibus, alius peregrinis, ius diceret. Erant quoque poſtremis

Source : BIU Cujas

mis temporibus praetores *prouinciales*, *tutelares*, *fideicommissarii*, *fiscales*. Sed de eorum origine, ac iurisdictione iam supra abunde dictum est, ad *Lib. I. Tit. II. §.* XVIII. XXIII. Attamen et quamdam iurisdictionis partem sibi vindicabant aediles. Hi vero de paucis rebus ius dicebant, in primis autem de venditione mancipiorum, de mensuris, de foro venalium, de iis, quae in viis vrbis publicis contigerant, de quibus etiam edicta proponebant, vt supra *ibid. §.* XXIII. *sequ.* ostendimus. In prouinciis Proconsules, Praetores, Praesides eadem iuris dicundi potestate gaudebant. Municipalibus magistratibus iurisdictio; non item imperium competebat. *l.* 32. *D. de iniur.* Et in prouinciis Praesides.

§. V.

Magistratibus ergo, qui iudiciis praeerant, IVRISDICTIO tribuebatur et IMPERIVM, quae, etsi nonnumquam idem significare videntur, vt prolixe ostendit Ger. Noodt. *de Iurisd. I.* 2. distingui tamen solebant ab adcuratioribus, non quidem ab eo demum tempore, quo edictum perpetuum magistratibus municipalibus notionem quamdam, id est, iurisdictionem sine imperio dedit: vt eidem visum est Ger. Noodt. *de Iurisd. I.* 3. *p.* 123. sed temporibus antiquissimis. Scilicet quum iurisdictio cuiuis iure magistratus competeret: imperium proprie sic dictum, non nisi lege curiata, adhibitis auspiciis dari poterat. Liu. V. 46. Vnde nec dictatori, nisi praemissa lege curiata, equum adscendere licebat. Liu. XXIII. 12. Aliud vero erat imperium magistratuum, aliud militare. Illo accepto pro diuersitate imperii dictatores, coss. praetores; hoc vero dato etiam imperatores vocabantur. Magistratuum ex Sigonii sententia quatuor iura erant apud Romanos, quorum unum in *imperando*, alterum in *iure dicundo*, tertium in *referendo*, quartum in *auspicando* positum erat. Duo posteriora iura, quum in curia et comitiis sese exseruerint, huc non pertinent. Ad *imperium* quod attinet, illud ius *edicendi*, *vocandi*, *prehendendique* complectebatur. *Edictis* vel iurisdictionis suae formulam initio magistratus proponebant, vel ea, qua pollebant, auctoritate, quod visum erat, imperabant, id quod saepius factum esse a consulibus, praetoribus, dictatoribus, censoribus, reliquisque magistratibus nouimus. *Vocatio* ius vocandi prehendendique absentes, *prehensio* denique ius abducendi praesentes complectebatur. Vnde qui vocatione gaudebant, lictoribus, viatoribus, seruisque publicis; qui prensione duntaxat, vt tribuni plebis, viatoribus tantum cum seruis publicis vtebantur. Gell. *Noct. Att.* Quid imperium?

Source : BIU Cujas

Att. XIII. 12. Qui neutro iure fruebantur, veluti quaestores, ii seruis tantum publicis stipati prodibant in publicum, et tunc non imperium, sed potestatem, habere dicebantur. Car. Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. I.* 20. *p.* 220.

§. VI.

Quid Iurisdictio?

IVRISDICTIO duabus constabat partibus, *decreto* scilicet et *iudicis datione*. Nam praetores aut ipsi, caussa cognita, decernebant, aut iudices, qui cognoscerent, dabant, iisque certam praescribebant iudicandi formulam, cuius moris originem ab iisdem regum temporibus repetit Ger. Noodt. *Iurisd. l.* 6. *p.* 127. Neque vero, quod multi existimant, in praetoris positum erat arbitrio, velletne iudicem dare ordinario iure, an mallet ipse extra ordinem cognoscere: sed edicti habenda erat ratio, et ipsius, de quo disceptabatur, negotii. Si enim de iure disceptabatur, ipse Praetor ius dicebat extra ordinem: sin de facto, iudex dabatur. Vnde formula: SI PARET, CONDEMNA. Seneca *de Benef.* III. 7. Ger. Noodt. *de Iurisd. I.* 8. *p.* 130. *sequ.*

§. VII.

Locus vbi ius dictum?

Ad praetorem ergo veniendum erat eis, qui ius suum persequi cupiebant, et quidem in locum iuri dicundo destinatum, qui et ipse *ius* dicebatur (*a*). *l.* 1. *D. de in ius voc.* [*l.* 11. *D. de iustit. et iur.*] Hic vero locus vel *superior* erat, vel *planus*. E superiore loco ius dicere dicebatur praetor, quoties pro tribunali ius dicebat.

Tribunal.

Tribunal (*b*) erat locus amplissimus et spectabilis in foro, fere hemicycli specie introrsum curuatus, in quo in sella curuli (*c*) praesidens praetor, caussas cognoscebat. Vitruu. *Architect. V.* 1. *Item*

(*a*) Olim omnes lites agitatae in comitio. Plaut. Poen. III. 6. *v.* 12. *Cras mane quaeso in comitio estote obuiam.* Postea priuata quidem iudicia instituebantur sub tecto in basilicis, quales erant Opimia, Iulia, Porcia: publica vel in comitio, vel in foro. Pollet. *For. Rom. I.* 2. *et sequ.* Quod vt eo commodius fieret, Marcellus, Octaviae Augusti sororis filius, totum forum velis obumbrauerat, vt scilicet tanto salubrius litigantes consisterent. Quanto prudentius Cato ille Censorius forum muricibus sternendum censuerat? Vid. Broidaei *Coroll. ad Pollet. for. Rom. p.* 18.

(*b*) Tribunal iam Romulum terroris incutiendi caussa inuenisse, testatur Dionys. Halicarn. *Antiqu. Rom.* II. 4.

(*c*) Augustum adfecta valetudine, in lectica e tribunali ius dixisse, testatur *Aug. XXXIII.* Forma sellae curulis in numis innumeris conspicitur. Erat ea communis magistratibus maioribus, praeterquam quod praefectus praetorio carpento pro sella curuli vtere-

Source : BIU Cujas

1. *Item tribunal est in ea aede, hemicycli schematis, minore curuatura formatum. Eius autem hemicycli in fronte est interuallum pedum XXXXVI. introrsus curuatura pedum XV. vti eos, qui apud magistratus starent, negotiantes in basilica ne impedirent.* Vnde latera vel extrema huius curuaturae cornua adpellantur Tacito *Ann. I.* 75. Hinc Martialis *Epigramm. XI.* 99. *v.* 10. *sequ.*

Non te cucullis adseret caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle, veloque,
Nec vindicabit sella saepius caussa.
Rimas per omnes basiator intrabit:
Non consulatus, ipse non tribunatus.
Senique fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget virga basiatorem:
Sedeas in ALTO *tu licet* TRIBVNALI;
Et e CVRVLI *iura gentibus reddas,*
Adscendet illa basiator atque ille.

Quod tribunal adeo proprium erat magistratibus Romanis maioribus, vt ab eo plane abstinendum esset magistratibus municipiorum, quin et minoribus magistratibus Romanorum, veluti tribunis plebis, et triumuiris, quippe qui in subselliis tantum ius dicere solebant, Plutarch. *Praecept. reip. gerend. p.* 813. *Tom. II.* vnde et municipales magistratus *pedanei iudices* vocantur a Paullo *l.* 38. §. 10. *D. de poen.* Ex quo simul adparet, pro subselliis accipiendum esse tribunal, vbicumque illud municipiorum magistratibus tribuitur (*d*).

vteretur. Vopisc. *Aurelian.* 7. Conf. Petri Fabri *Semestr. I.* 3. *p.* 15. Iam ante Messalinae permiserat Senatus, vt carpento vteretur. Suet. *Claud. XI. XVII.* et Agrippinae, teste Dione. Olim et virginibus vestalibus id ius erat, teste Lipsi. *de Vest. XI.*

(*d*) Suet. *de clar. rhet. VI.* C. *Albutius Silus, Nouariensis, quum aedilitate in patria fungeretur, quum forte ius diceret, ab iis contra quos pronunciabat, pedibus e* TRIBVNALI *detractus est.* Lapis apud Reines. *Inscr. class. II.* 89.

MELANTHVS. P. DECII.
ET. COLLEGA. MAG. NE.
TRIBVNAL. NOVVM. A. SOLO.
FECERE.

vt et alius. *Class. VI.* 44.

HONORI.
M. GAVI. M. F.
POB. SQVILLIANI.
EQ. PVB. IIII. VIR. I. D.
IIII. VIR. AP. VB.
CVRATORI. VICETINORVM.
ADPARITORES. ET.
LIMOCINCTI.
TRIBVNALIS. EIVS.

Omnia haec abusiue dici videntur, et municipalibus magistratibus simili ambitione tribui, qua curia eorum *Senatus*, decuriones *senatores*, duumuiri, *Dictatores*, *Coss. Praetores*, subinde appellati sunt. Ger. Noodt. *de Iurisd. I.* 3. *p.* 123. V. C. Eu. Otto *de aedilib. municip. et diss. de consulibus extra Romam.*

Source : BIU Cujas

§. VIII.

Locus planus.

Tribunali opponebatur *planus*, vel vt Cicero vocat, *aequus locus*. Cic. *Epist. ad Fam.* III. 8. Seneca *de Clement.* I. 5. Saepe enim praetor tribunali descendens, in plano retinebatur, saepe ei domi, aut in via, desiderium exponebant ciues. Dum ergo in aequo consistens solo procedensue audiebat, dicebatur *de plano cognoscere. l.* 1. §. 1. *D. de const. princ. l.* 9. §. 3. *D. de officio procons. l.* 6. *D. de accusat.* Et talis est *planaria* illa *interpellatio*, cuius mentio fit *l.* 4. *C. de dilat.* editionis Haloandrinae, quum in vulgatis falso legatur *plenaria.* Qui de plano postulabant, magistratum per libellum adibant, et praetor postulanti respondebat per subscriptionem. *l.* 15. *D. de in ius voc. l.* 29. *D. ad L. Corn. de fals.* At, quae decretum et caussae cognitionem desiderabant, nec libello, nec alibi, quam pro tribunali, poterant explicari. *l.* 9. §. 1. *D. de offic. procons. l.* 3. §. 8. *D. de bon. possess. l.* 1. §. 8. *D. ad SC. Turpill.* Quae vero caussae pro tribunali definiendae fuerint, passim exponere solent iureconsulti (*e*).

(*e*) Caue tamen existimes, idem Romanis fuisse, *de plano* et *summatim* cognoscere. Multa, quae summatim cognoscebantur, pro tribunali tamen erant explicanda, ceu patet exemplo decretalis bonorum possessionis ex Carboniano edicto, vel eius exemplo datae, quae quum fuerit summaria, *l.* 3. §. 4. *D. de Carbon. edicto.* alibi tamen, quam pro tribunali, dari non poterat. *l.* 3. §. 8. *D. de bon. possess. l.* 2. §. 1. *D. quis ordo in possess. seruetur.* Ger. Noodt. *de Iurisd. I.* 10. *p.* 135.

§. VIIII.

Praetoris consilium.

Pro tribunali quoties cognoscebat praetor, consilium adhibendum erat, *l.* 2. §. 29. *D. de orig. iur.* Suet. *vit. Tiber.* XXXIII. quod praetori a tergo adsidebat. Ammian. Marcell. XXIII. *extremo*: quamuis qui illi intererant, non ius dicerent, sed praetorem ius dicentem instruerent. Et ita intelligendus Plinius *Epist.* I. 20. *Frequenter egi, frequenter iudicaui, frequenter in consilio fui.* Saepe tamen et ipsi, qui praetori aderant, *iudices* dicuntur in iure nostro, veluti *l.* 16. *pr. D. de manumiss. vind. l.* 1. *C. de vindicta et apud consil. manum.* Sauaron. *Adnot. ad Sidon. Apollin. Epist.* III. 3. Ger. Noodt. *de Iurisdict.* I. 11. *pag.* 137. In consilio praetoris in vrbe erant equites quinque, totidemque senatores, Vlpian. *Fragm.* I. 13. qui iidem erant cum *decemuiris stlitibus iudicandis*, quorum meminit Pompon. *l.* 2. §. 29. *D. de orig. iur.* ceu ostendunt Iac. Raeuard. *Protribun.* XVIII. *et* XVIIII. et Ger.

Source : BIU Cujas

Ger. Noodt. *de Iurisdict.* I. 12. *p.* 137. Sed hi non confundendi cum Adsessoribus, de quibus in *titulo D. de offic. adsessorum* agitur. Hi enim non erant magistratus, sed iuris studioli, qui itidem in magistratuum consilio erant, eosdemque instruebant de iure. *l.* 1. *D. d. tit.* Iis ordinarium stipendium primus decreuit Alexander Imp. Lamprid. *Alex. cap.* XXXXVI. Erat et *centumvirale* iudicium, cui ipsi quoque praetor vna cum decemuiris praeerat. Dio Cass. LIIII. *pag.* 540. Hinc *hastae iudicium* idem est ac centumuirale apud Valer. Max. VII. 8. 4. quia duabus defixis hastis exercebatur. Quinctilian. *Inst. V.* 2. Eleganter Martialis *Epigr. VII.* 62.

Hunc miratur adhuc centum grauis hasta virorum.

Iam ergo in procliui est, intelligere, cur *centumuiralem hastam cogere* dicantur decemuiri apud Sueton. *Aug.* XXXVI. et cur Plin. *Epist. V. vlt.* scribat: *Sedebant iudices; decemuiri venerant, obseruabantur aduocati, silentium longum, tandem a praetore nuncius, dimittuntur decemuiri.* Ex quibus locis patet, et decemuiros, et ipsum praetorem centumuiralibus iudiciis praefuisse. Causas centumuirales recenset Cicero *de Orat.* I. 38. eoque refert vsucapionem, tutelarum, gentilitatum, adgnationum, alluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aliaque huius generis iura. Ipsum vero centumuirale iudicium in basilica Iulia haberi consueuit (*f*), et quidem publice, *vt densa circumstantium corona latissimum iudicium multiplici circulo ambiret*, vti loquitur Plin. *Epist. VI.* 33. quumque iudices initio ex XXXV. tribubus, et quidem terni ex singulis legerentur, Fest. *voce centumuiri*, adeoque illud collegium CV. postea centum octoginta viris constaret, ita adsessorum frequentia in quatuor consilia vel iudicia distribuebatur, vnde et quadruplex iudicium adpellabatur. Brisson. *de verb. sign.* voce *centumuiri.* e quibus Praetor pro causae dignitate modo vnum, modo plura consilia, adhibebat. Immo nonnumquam quatuor illa iudicia coniungebantur, si causa digna videretur tanta iudicii maiestate. Exempla sunt apud Valer. Max. VII. 7. 1. Plin. *Epist. VI.* 33.

(*f*) In hac basilica quatuor consilia centumuiralia coniunctim sedebant, adeoque plures ibi causae eodem tempore non sine strepitu audiebantur. Vid. Quinctil. *Inst. Orat. XII.* 5. Plin. *Epist. II.* 14. Legi de hoc centumuirali iudicio meretur Sibrandus Tetardus Siccama libro singulari, quem Tomo II. Antiq. Rom. inseruit Io. Graeuius.

Source : BIU Cujas

§. X.

Iurisdictio mandata.

Solebant magistratus iurisdictionem nonnumquam aliis mandare; id quod fieri consueuerat iam a regum temporibus, qui domo profecti, ne vrbs sine imperio esset, deligebant, qui et ius redderent, et subitis mederentur, ceu accurate ex historia antiqua docent Tacit. *Annal. VI.* 11. Liu. *Hist. I.* 41. Ita et saepe postea procoss. praetores, prouinciarum praesides, iurisdictionem mandabant legatis suis. Postea et collegis, et ipsis priuatis aliquando mandatam iurisdictionem legimus, dummodo essent idonei. *l. vlt. §. 1. D. de offic. eius cui mand. iurisd.* Is vero, cui mandata erat iurisdictio, licet nihil proprii haberet, sed aliena, id est, eius, qui mandarat, iurisdictione fungeretur: *l. 1. §. 1. D. eod. l. 5. D. de iurisd.* omnia tamen, quae magistratus erant, expediebat, si scilicet vniuersa ei mandata esset iurisdictio, secus si pars tantum esset mandata *l. 16. D. de iurisd.* Exemplum mandatae iurisdictionis vniuersae est apud Liuium XXIIII. 44. qui M. Aemilium praetorem, cuius peregrina sors erat, iurisdictionem suam Atilio collegae, praetori vrbano, mandasse, refert. Tunc vero mandatarius non secus, ac ipse Praetor, pro tribunali cognoscebat, ceu accurate demonstrat Ger. Noodt. *de iurisd.* II. 9. *p.* 163. consilium etiam exercebat, iudicesque non secus, ac praetor, dabat. Idem *ibid. cap. X. et XI.*

§. XI.

Dies quibus ius dictum.

Certi porro erant dies, quibus praetores ius dicebant. Alii enim erant dies *fasti*, alii *nefasti*, alii *interciſi*. Istis praetori licebat fari tria illa verba: DO. DICO. ADDICO: illis omnia haec effari, nefas habebatur. His, non nisi post operam sacris datam, litibus vacare licebat. Varro *de Lingu. Lat. V.* 4. *p.* 35. *Dies* FASTI, *per quos praetoribus omnia verba sine piaculo licet fari. Dies* NEFASTI, *per quos dies nefas, fari praetorem* DO DICO ADDICO. Ouid. *Fast. I. v.* 47.

Ille NEFASTVS *erit, per quem tria verba silentur,*
FASTVS *erit, per quem lege licebit agi.*

Macrob. *Saturn. I.* 16. Solis ergo diebus fastis integris, et interciſis pomeridie, praetor sui faciebat copiam. Vnde et *dies sessionum* vocantur Vlpiano. *l. 5. §. 19. D. vt in possess. legat.* vbi perperam legi videtur *possessionum* pro *sessionum*. Iac. Raeuard. *Protribun.*

Source : BIU Cujas

bun. I. Ad dies nefastos pertinebant *feriae* (*g*), quae vel *statae* erant et *sollemnes*, vel *repentinae*. Illarum exempla sunt apud Varron. *de Lingua Lat. V. p.* 35. et accuratior recensus fieri solet in Kalendariis Romanis, qualia Gruterus, Lambecius et Graeuius ediderunt (*h*). Hae pro re nata indicebantur, veluti supplicationes, ob rem prospere gestam decretae, item feriae, indictae in honorem principis. *l.* 1. *C. de feriis.* Bynkersh. *Obs. II.* 6. Etiam his Romani a forensibus negotiis et iure dicundo vacabant. Ceterum antiquissimis temporibus soli pontifices fastorum curam gerebant, ad quos, tamquam ad oracula, adire oportebat eos, qui actione experiri vellent, vt, liceretne hoc vel illo die lege agere, cognoscerent. Sed postea fastos istos publicauit Cn. Flauius, Cicero *de Oratore* I. 41. *pro Muraena* XI. *sequ.* Quinctil. *Inst. Orat.* III. 8. *l.* 2. §. 6. 7. *D. de orig. iur.* Qua de re quaedam supra ad prooemium scripsimus §. V. VI.

(*g*) Cum feriis dies nefastos confundunt plurimi. Enimuero multi dies erant nefasti, non quod feriae tunc essent, sed quod pontifices vel ominis vel religionis caussa, indixerant iustitium. Quales dies dicti *atri*, *religiosi*, *ominosi*, *moesti*, *lugubres*. Gell. *Noct. Att. V.* 17. Pollet. *For. Rom. I.* 8. *p.* 80.

(*h*) Messis etiam et vindemiarum ferias iam antiquitus fuisse obseruatas, nec ab Antonino demum vel Iustiniano inuentas, ceu vulgo ex *l.* 1. *D. de fer. et l.* 7. *C. eod.* colligunt, satis patet ex Plin. *Epist. VIII.* 21. *Iulio mense, quo maxime lites interquiescunt.* Perspicue etiam Statius *Sylu. IIII. v.* 39.

Certe iam Latiae non miscent iurgia leges,
Et pacem piger annus habet, MESSESQVE *reuersae*
Dimisere forum.

Feriarum vindemialium meminit Minuc. Fel. Octau. *Cap.* 1.

§. XII.

Singulis cognitionibus certi dies adsignati.

Quamuis vero diebus fastis copiam sui faceret praetor: solebant tamen alios dies postulationibus, alios cognitionibus, alios decretis, alios manumissionibus, alios aliis actibus destinare, vt patet ex Vlpiano *l.* 2. §. 1. 2. *D. quis ordo in possess. seruetur.* Eum in finem in prouinciis praesides certis anni temporibus CONVENTVM, siue FORVM indicebant, id est, tempus et locum distinguendorum negotiorum. De quibus conuentibus iuridicis videndi Theoph. *ad* §. 4. *Inst. qui et ex quib. causs. manum. non lic.* Seru. *ad Virgil. Aeneid. V. v.* 758. *et II. v.* 102. Si quis stato die non aderat, exspectandum ei erat, vsque dum nouus indiceretur conuentus. Seru. *ibid.* Peregrinis tamen procul aduenientibus nonnunquam ius extra ordinem dicebatur, Sen. *Epist. CVI.* nec non militibus, teste Iuuenal. *Sat. XVI. v.* 54. *sequ.*

Source : BIU Cujas

§. XIII.

Ante actionem tentata compositio.

Ceterum qui actione experiri constituerant, prius per amicos faciebant periculum, an quid proficere liceret intra parietes. Quorum opera si frustra esset, tum demum ventum in ius est. Docet id exemplum apud Liu. IIII. 9. et Cicero *pro P. Quinct. V. XI.* a quo eiusmodi amici *disceptatores domestici* vocantur, quos caue confundas cum arbitris. *l.* 13. §. 2. *D. de recept. et qui arbitr. recep.* Ger. Noodt. *de pact. et transact. I. p.* 648. Si res ita componi non posset, tum demum sequebatur in ius vocatio, a qua omnium actionum instituendarum principium proficisci, ait Iustinianus, §. 3. *Inst. de poen. tem. litig.*

§. XIIII.

In ius vocatio antiqua.

Fiebat illa IN IVS VOCATIO priuata auctoritate, ita, vt acturi reos sibi obuios monerent, vt se in ius sequerentur. Qua in re verbis vtebantur: IN IVS EAMVS. IN IVS VENI. SEQVERE AD TRIBVNAL. IN IVS AMBVLA. Barn. Brisson. *de Form. V. p.* 366. Si vocatus frustraretur, aut moraretur; iis, qui proximi adstabant, denunciabatur testimonium. Vocans enim adclamabat: LICET ANTESTARI? quibus adfirmantibus auriculas eorum memoriae caussa tangebat (*i*). Sic Horat. *Serm.* I. 9. *v.* 45.

- - - Casu venit obuius illi
Aduersarius, et, quo tu turpissime? magna
Adclamat voce, et LICET ANTESTARI? *Ego vero*
Oppono auriculam, rapit in ius, clamor utrimque,
Vndique concursus.

Et Plaut. *Curcul. V.* 2.

PH. AMBVLA IN IVS. *M. Non eo. PH.* LICET ANTESTARI? *M. non licet.*
PH. Iupiter te male disperdat miles: intestatus viuito.
C. At ego quem licet. PH. Tu accede huc Curculio. M. Seruum antestari? C. Vide

Item

(*i*) Auris veteribus memoriae locus, vnde eam tangentes, admonebant, et antestabantur. Plin. *Hist. Nat. XI.* 41. [Seruius *ad Virgil. Ecl. VI. v.* 3.] Nota phrasis est: *aurem alicui vellere.* Illius ritus monimentum perpulchrum est lapillus apud Laurinos, in quo caput sculptum, et manus aurem attingens, cum inscriptione MNHMONEYE. *Memento.* Vid. Iust. Lips. *Quaest. per Epist. XXVIII.*

Source : BIU Cujas

Item, vt scias me liberum esse. M. Ergo AMBVLA IN IVS. *Hem tibi.*

C. O ciues ciues! M. Quid clamas? PH. Quid istum tibi tactio est?

M. Quia mihi libitum est.

Facta hunc in modum antestatione, licebat actori reum tergiuersantem quocumque modo, obtortoque etiam collo in ius rapere. Aliquando tamen et sine antestatione licuisse in ius vocatos ad praetorem rapere, si nimirum hi essent improbi, et intestabiles, veluti fures, lenones, raptores, iam obseruarunt Ioach. Hopperus *de Arte Iuris Libr.* III. eiusque discipulus Iac. Raeuard. *ad* XII. *Tab. Cap. V. p.* 27. Et sane hanc obseruationem firmat testimonium Plauti *in Perf.* IIII. 9. *v.* 10. vbi Dordalus leno, in ius vocatus: *Nonne ait antestaris?* Cui aduersarius respondet:

Tuan' ego caussa, carnifex,
Cuiquam mortali libero aures atteram?

Ceterum tantus erat veteris iuris rigor, vt liceret reum, etiam aegrotum, ac senectute paene confectum, iumento impositum, noua funeris facie in comitium rapere. Gell. *Noct. Att. XX.* 1. Quae omnia legibus dememuiralibus inducta sunt, quibus ita cautum fuisse legimus. SIN IVS VOCAT ATQVEAT. NI IT, ANTESTAMINO, IGITVR EM CAPITO SI CALVITVR PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDO IACITO, SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT, QVI IN IVS VOCABIT, IVMENTVM DATO, SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO. Cic. *de Legib.* II. 23. Porphyrion *Schol.* Horat. *Serm.* I. 9. *v.* 76. Non. Marcell. I. 20. *p.* 486. Gell. *l. c.*

§. XV.

Enimuero postquam cultiorum nationum vsus rubiginem pristinam e Romanorum moribus sensim exterfit: multa commenti sunt iuris auctores, vt duriores illae de in ius vocatione leges quodammodo lenirent. Primo enim quasdam personas vel plane non, vel non nisi impetrata a Praetore venia in ius vocare licebat. Deinde matronas in ius vocatas, attingere nefas habebatur. Valer. Maxim. II. 1. 5. (*k*) Idem honor habitus impuberibus et puellis, Quae circa illam postea mutata.

(*k*) Tempore Decemuirorum etiam feminas raptas in ius esse, patet exemplo Virginiae apud Liu. *Hist.* III. 44.

Source : BIU Cujas

lis, alieno iuri subiectis. *l.* 21. *pr. D. de in ius voc.* Parentes quoque et patronos, vt et eorum parentes horumue liberos non passus est praetor, nisi impetrata venia, in ius vocare. §. 3. *Inst. de poen. tem. litig. l.* 4. *et sequ. D. de in ius voc.* Eum, qui id neglexisset, quinquaginta aureorum mulcta coercuit. *l. vlt. et pen. D. de in ius voc.*

§. XVI.

Domo cur abstrahere neminem licuerit?

Inualuit etiam, vt nefas haberetur, quemquam de domo sua in ius rapere, quod sua cuique domus ob Penatium religionem tutissimum deberet esse refugium. *l.* 18. 19. 21. *D. eod.* Si quis tamen diutius latitaret domi, adeoque impediret latitando, quo minus posset in ius vocari: vel sola denunciatione, vel litteris, vel edicto praetoris, euocabatur, et si vel sic quoque se non sisteret, actor in eius bona mittebatur. *l.* 2. *D. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eatur.* Raeuard. *Protrib.* III. *p.* 846. *sequ.* Idem vero institutum ad vineam, balneum, theatrum non porrigebatur, quamuis et hic Dii essent, veluti in hortis Priapus. *l.* 20. *eod.*

§. XVII.

Morbo et senio confectos in ius rapere non licebat.

Immo et inhumanissimus ille mos, reos morbo vel senio languidiores, iumentis impositos ad praetoris tribunal trahendi, iamdudum obsoleuerat tempore Gellii, ceu ex loco eius supra laudato adparet. Quando vero tota illa in ius vocatio ab vsu recesserit, nondum liquet. Plinii aetate illam adhuc frequentatam esse, patet ex eius *panegyrico cap. XXXVI.* At Paulli et Vlpiani aetate illam iam obsoleuisse, nonnulli colligunt ex *l.* 2. §. 1. *D. si quis voc. non ierit.* et *l.* 5. *D. de iudic.* Sed in his legibus nihil tale occurrit, quamuis negari nequeat, iam tum in ius vocationem non amplius priuata auctoritate, sed iussu praetoris, factam esse. Verosimile ergo est, Constantini demum temporibus inualuisse vocationem per exsequutores factam, de qua *l.* 3. *et l.* 7. *C. de annal. except. Nouell. LIII.* 3. *LXVIIII.* 1. *et CXII.* 2. Huber. *Praelect. ad Dig. Lib. II. Tit. IIII.* §. 1.

§. XVIII.

In ius vocatus vel datis vindicibus, vel transactione liberabatur.

Denique et id notandum, debuisse in ius raptum dimitti, si quis vel eius personam defenderet, vel si, dum in ius ibatur, esset transactum. Caius *l.* 22. §. 1. *D. de in ius voc.* Vtrumque ex XII. Tabulis est, quibus ita cautum fuisse, legimus: SI ENSIET, QVI IN IVS VOCATVM VINDICIT MITTITO ASSIDVO VINDEX ASSIDVVS

Source : BIU Cujas

ASSIDVVS ESTO, PROLETARIO, CVIQVE VOLET, VINDEX ESTO. ENDO VIA REM VTI PACVNT, ORATO. Gothofr. *ad Tab. I. p.* 183. VINDEX in his legibus non eſt *procurator*, vti ſuſpicatus eſt Boethius *ad Cic. Top.* II. neque *praedicator*, ceu hunc Boethii locum emendandum exiſtimant Iac. Cuiacius *Obſeru. V.* 29. Hotom. *ad Leg.* XII. *Tab. aſſiduo vindex*, ſed *defenſor*, qui, oblata fideiuſſione, reum prehenſum liberabat. Feſtus *voce Vindex p.* 457. VINDEX *ab eo quod vindicit, quo minus is, qui prenſus eſt, ab aliquo teneatur* (*l*). Solebant tamen etiam reus et actor nonnunquam tranſigere in via, et tunc quoque dimittebatur, qui in ius fuerat vocatus (*m*). Transactio haec ex legibus Atticis deſcendit, ceu adparet ex Petit. *Leg. Attic. p.* 339.

(*l*) Errant ergo Sidonius, Ian. Vinc. Grauina, Barn. Briſſonius et alii complures, qui *vindices* confundunt cum *vadibus*. Vades enim cauebant de iudicio ſiſti, vbi in ius ventum fuerat: vindices cauebant actori, vt reus dimitteretur, antequam in ius veniret. Vid. Gothofr. *ad XII. Tab. Tab. I. p.* 185. Ceterum pertinet huc titulus *D. in ius vocatus vt eat, aut ſatis vel cautum det.*

(*m*) Et hinc lucem capiunt illa Seruatoris verba Matth. V. 25. ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχύ, ἕως ὅτου εἶ μετ' αὐτοῦ ἐν τῇ ὁδῷ, μήποτε σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ. Conf. Luc. XII. 58. Ea ſane pauci recte intelligunt, quum e legibus his XII. Tabularum, et ex antiquitatibus Romanis inſignem lucem accipiant.

§. XVIIII.

Quod ſi nec vindices dati, nec de lite in via eſſet transactum: in ius veniri ſolebat, vbi actor, impetrata loquendi poteſtate, EDEBAT ACTIONEM, id eſt, indicabat, qua demum actione adverſus reum experiri vellet. Quum enim ex vno eodemque facto plures ſaepe actiones competerent, eligenda erat vna, eaque edenda reo. Car. Sigon. *de iudiciis I.* 19. *p.* 451. Et huc pertinent illa apud Plautum *Perſ.* IIII. 9. *v.* 8. Actionis editio et poſtulatio.

SA. Age ambula in ius, leno. D. Quid me in ius vocas?
SA. Illic apud Praetorem dicam, ſed ego in ius voco.

Dicit Saturio, non opus eſſe, vt, antequam in ius ventum, indicetur, cur lenonem in ius vocarit: moris eſſe, vt apud praetorem demum edatur actio. *l.* 1. *D. de edendo.* Actionem actor primum a praetore POSTVLABAT, id eſt, petebat, vt ſibi liceret eamdem in reum intendere. Neque enim praetores omnes easdem actiones dabant, quamuis generatim Edicto promiſiſſent, ſe poſtulantibus actiones daturos. Sic *M. Druſus, praetor vrbanus*, teſte auctore

Source : BIU Cujas

ad Herenn. II. 13. *quod cum herede mandati ageretur, iudicium reddidit, Sex. Iulius non reddidit.* Actio plerumque postulabatur per aduocatos: quos et reus eodem tempore petere solebat. Immo illis, qui in iudicio pro se postulare non poterant, aduocatos si non haberent, praetor ex officio dabat. Vnde in edicto fuit: SI NON HABEBVNT ADVOCATVM, EGO DABO. *l.* 1. §. 4. *D. de postul.* Postulatam actionem, et a praetore impetratam, actor EDEBAT, cuius rei quinque erant diuersae rationes. *Prima* erat, si quis diceret, qua actione vti vellet; *secunda* si actionis describendae actor reo faceret copiam: *tertia*, si actor suam intentionem in libello esset complexus, eamque sic offerret aduersario: *quarta*, si ex libello eam aduersario dictaret: *quinta*, si ad album produceret aduersarium, et monstrata, qua vsurus esset, actione, certam formulam eiusdem recitaret (*n*). *l.* 1. §. 1. *D. de edendo.* Iac. Raeuard. *Protribunal. IIII. p.* 885. In quo maxima adhibenda erat ab actore cautio, quia si vel plus intentione sua complecteretur, quam ad eum pertinebat, vel in actione recitanda aberraret, mentemque lingua praecurreret, caussa statim caderet. Cic. *de Invent. II.* 19. *Ita ius ciuile habemus constitutum, vt caussa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit.* Auctor. *ad Herenn. I.* 2. *In priuata actione caussa cadit, is, qui non, quemadmodum oportebat, egerit.* Quinctil. *Inst. Orat. III.* 8. *et VII.* 3. *Est etiam periculosum quum si vno verbo sit erratum, tota caussa cecidisse videamur* (*o*).

(*n*) Omnes actiones adeo formulis adstrictae erant, vt ideo ipsae formularum nomine veniant. Sic *damni dati formula* dicitur actio Legis Aquilliae, apud Plin. *Hist. Nat. VIII.* 59. Formulae de dolo mentio fit apud Cicer. *de Offic. III.* 14. et *de Nat. Deor. III.* 30. Idem Cicero *pro Q. Rosc. Comoedo: Sunt iura, sunt formulae, de omnibus rebus constitutae, ne quis aut in genere injuriae, aut in ratione actionis errare possit. Expressae sunt enim ex vniuscuiusque damno, doloue, incommodo, calamitate, iniuria, publicae a praetore formulae, ad quas priuata lis adcommodatur. Formularum porro de atrocibus injuriis* meminit Arnob. *Lib. IIII. aduers. gent. p.* 89. *edit. Elmenh.*

(*o*) Nonnunquam tamen praetor eum qui formula ceciderat, restituebat in integrum. §. 33. *Inst. de action.* Seneca *Epist. XXXXVIII. Quid enim aliud agitis quum eum, quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam vt formula cecidisse videatur? Sed quemadmodum* ILLUM PRAETOR, *sic hos* IN INTEGRUM *philolophia* RESTITVIT.

§. XX.

Source : BIU Cujas

§. XX.

Vadimonium concep-tum.

Postulata, impetrata, editaque a praetore actione, actor porro certa verborum conceptaque formula *vadabatur reum* (*p*), id est, vades siue sponsores petebat, promissuros, fore, vt certo die, (is, plerumque perendinus erat,) se in iure sisteret (*q*). Haec quoque sponsionis formula non sine insigni cautione concipiebatur a iureconsulto quodam, ceu ex Ciceronis *ad Q. Fratr. Epist. II.* 14. adparet, vbi negat Caesar, *in tanta multitudine eorum, qui vna fuissent, quemquam fuisse, qui* VADIMONIVM *concipere potuerit.* Ipsa formula periit. Videntur tamen vades spopondisse pro reo, eum certo die ADFVTVRVM. Cic. *pro P. Quinctio VII. Ita disceditur, vt idibus Septembris P. Quinctium sisti Alphenus promitteret. Venit Romam Quinctius: vadimonium sistit.* Acron Horatii Scholiastes ad *Serm. Sat. I.* VADIBVS, *sponsoribus, a vadimonio, quod promittit is, qui ad iudicium vocatur,* CERTO DIE ADFVTVRVM. VADES *ideo dicti, quod, qui eos dederit, vadendi, id est, discedendi habet potestatem.* ACTOR ergo, qui prouocabat, reum *vadari*; REVS *vades dare*; vel *vadimonium promittere*, VAS *spondere* dicebatur. Dies, quo adfore reum spondebant vades, plerumque erat *perendinus.* Quae vox adeo sollemnis erat in vadimonii formulis, vt addubitarent prudentes, an DIEM TERTIVM pro PERENDINO dici liceret, vt testatur Cicero *pro Muraena XII.* Quo pertinet etiam locus Gellii *Noct. Att. VII.* 1. *Et quodam die ius in castris sedens dicebat, atque ex eo loco id oppidum procul videbatur. Tum e militibus, qui in iure apud eum stabant, interrogauit quispiam ex more:* IN QVEM DIEM LOCVMQVE *vadimonium promitti iuberet? Et Scipio manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem protendens:* PERENDIE, inquit, *se sistant illo loco.* Non vero vas spondebat tantum, reum certo die locoque adfuturum, sed et, si haud adfuturus esset, certam spondebat deferri vadimonii poenam (*r*), quam tamen ipsa litis aestimatione maiorem haud esse

(*p*) Vadimonii nulla in Digestis mentio fit, eo quod Tribonianus hanc vocem in veterum fragmentis vbique expunxit, ceu luculenter patet ex *l. 7. pr. D. de injur.* comparata cum fragmento Paulli apud *auctorem collat. leg. Mos. et Rom. II. 6.* Effugit tamen Triboniani manum *l. vlt. §. 1. C. de castr. et militerian.*

(*q*) Alias, si vades dare non posset reus, in carcerem nonnumquam detrudebatur. Plaut. in *Pers. II. 4. v. 18.*

SA. *Vadatur hic me.* PAE. *Vtinam vades desint, in carcere vt sis.*

Guil. a Goes. in *Append. ad Pilatum Iudicem*, Raevard. *ad XII. Tab. Cap. V. p. 29. sequ.*

(*r*) Male vero Ant. Contius *Lect. I. 9.*

Source : BIU Cujas

oportebat. Paullus apud *auctorem collat. leg. Mosaic. & Rom. II. 6.* Concepto hunc in modum vadimonio, acceptisque sponsoribus e iure discedebatur, reusque vel de transactione cogitabat, vel ad contendendum se parabat in perendinum. Saepe tamen praetores ex voluntate litigantium vadimonium in alios dies perendinos differebant. Epitom. Liu. LXXXVI. *Sulla ex fiducia tam certae victoriae litigatores, a quibus adibatur, vadimonium Romam differre iussit.* Iuuenal. *Sat. III.*

- - - *Differt vadimonia praetor.*

l. 9. inde colligit, satisdationem hanc pro litis aestimatione, id est, iudicatum solui, interpositam fuisse. Ipsum quidem vadimonium contrahebatur ob rem, *l. 10. §. 2. D. si quis cautionib.* sed tantum eatenus, ne reus copiam sui facere detrectaret.

§. XXI.

Citatio vtriusque partis per praeconem.

Veniente die, qui *comperendinus* dicebatur, aut aderat reus, et tunc *vadimonium sistere* vel *obire*; aut aberat, et tunc *deseruisse* dicebatur *vadimonium*. Hoc ergo die comperendino aderat et praetor, et actiones postridie editas postulatasque ex tabulis ordine recitari, simulque actores reosque per accensum citari (*s*) iubebat, vt cognoscendis caussis operam, simulque iudices daret. Quorum illud *dicere vadimonia*, hoc *addicere iudicia* vocabant. Macrob. *Sat. I. 26. Comperendini dies fuerunt, quibus* VADIMONIA DICERE *et* IVDICIA ADDICERE *licebat.* Sigon. *de Iudic. I. 21. p.* 456. Citati litigantes, si sese non sisterent, caussa cadebant. Horat. *Serm.* I. 9. *v.* 35.

Ventum erat ad Vestae, & tunc respondere vadato
Debebat, quod ni feciſſet, perdere litem.

Quid, si se haut sisterent?

In primis reus, deserens vadimonium, perdebat litem, et praetor, postulante actore, ex edicto iubebat eius bona possideri. Ita enim edixerat praetor: IN BONA EIVS, QVI IVDICII CAVSSA FIDEIVSSORES DEDERIT, SI NEQVE POTESTATEM SVI FACIAT, NEQVE DEFENDATVR, IRI IVBEBO. Exemplum est apud Ciceronem in *Orat. pro P. Quinctio VI.* cuius ex edicto bona possidebantur, quia vadimonium dicebatur deseruisse. Si tamen reus non exaudiuerat

(*s*) Hoc fine nomina edebantur reorum aeque, ac actorum apud praeconem vel accensum, vt is deinde ordine citare litigantes ad tribunal posset. Ascon. Paedian. *Cic. in Verr. III. Apud veteres et iudices, et rei, et accusatores, et defensores, citabantur a praeone praetoris.* Raeuard. *Protribunal. II. p.* 874.

Source : BIU Cujas

rat vocem praeconis, reſtituebatur in integrum, modo ſtatim iudicem adiiſſet. *l. pen. D. de in int. reſt.*

§. XXII.

Intentio actionis.

Sin vterque ſe ſtitiſſet: tunc ad citationem prior reſpondebat reus: *Vbi tu es, qui me vadatus es? vbi tu es, qui me citaſti? Ecce ego me tibi ſiſto, tu contra et te mihi ſiſte.* Ad hanc enim ſollemnem formulam, omnium interpretum conſenſu reſpicit Plaut. *Curcul. I. 3. v. 5.*

VBI TV ES, QVI ME CONVADATVS *Venereis* VADIMONIIS?
VBI TV ES QVI ME *libello Venereo* CITASTI?
SISTO EGO TIBI ME, *& mihi contra itidem* VT SISTAS,
Suadeo.

Prouocatus hoc modo actor: ADESSE ſe aiebat. Quorſum itidem pertinent illa Plauti, proxime ſequentia:

ADSVM, *nam ſi abſim, haud recuſem, quin mihi male ſit, mel meum.*

Regerebat porro reus, QVID AIS? Cui actor reſpondebat AIO: et tum ipſa ſequebatur actio, reo intenta, certa formula concepta, veluti: AIO, FVNDVM, QVEM POSSIDES, MEVM ESSE, vel AIO, TE MIHI DARE FACERE OPORTERE. Iuuabit ergo formulas actionum praecipuarum, eo ordine, quo eas Imperator hoc titulo propoſuit, colligere, vt, quid ſingulis actionum formulis petere ſoliti ſint Romani, eo dilucidius adpareat. Neque tamen aliquis a nobis requiret, vt omnes actiones, quarum et rhetores meminerunt, explicemus, veluti actionem *dementiae*, *inſcripti maleficii*, *talionis*, *malae tractationis*, *abdicationis*. Earum enim pleraſque non in foro, ſed in Rhetorum ſcholis, natas eſſe, iampridem docuit Cuiac. *Obſ.* VIIII. 13.

§. XXIII.

Actiones quotuplices?

Prima actionum diuiſio eſt, quod aliae IN REM, aliae IN PERSONAM tendunt, quibus alii tertium genus *actionum* MIXTARVM adjiciunt (*t*). Nonnumquam enim res veniebat in controuerſiam,

(*t*) Ipſe Imperator tertium hoc genus adiicit, §. 20. *Inſt. h. t.* quem quidem locum gloſſematibus violatum exiſtimat Ant. Faber *de Error. pragm. Part. IIII. Dec. 94. cap. 5. ſequ.* ſed adgnoſcunt etiam mixtas actiones Diocletianus & Maximianus Imperatores *l. 7. C. de perit. hered.* & Paullus *l. 1. D. fin. regund. l. 29. pr. D. comm. diuid.* Et certe alias quoque ſaepe, quæ mixtam cauſſam habent in rerum diuiſionibus negliguntur, et confunduntur cum ſimplicibus, atque ideo in iure noſtro vnius eiuſdemque rei modo bipartita, modo tripartita fit diſtributio, ceu exemplis quamplurimis oſtendit Ger. Noodt *Probab. I. 12. p. 33. ſequ.*

Source : BIU Cujas

nonnumquam in personam agebatur ex conuentione vel maleficio, nonnumquam et res, et praestationes quaedam personales, simul petebantur. *Actiones in rem*, iterum vel CIVILES erant, vel PRAETORIAE. Illae ex legibus, SC. et constitutionibus; hae ex edicto, vel iure honorario, descendebant. Ciuiles in rem actiones erant *Rei vindicatio*, *actio in rem vtilis*, *hereditatis petitio*, *confessoria*, *negatoria*.

§. XXIIII.

Rei vindicationem praecedebat lis de vindiciis.

REI VINDICATIO institui non poterat, nisi antea certum esset, cuius esse deberent *vindiciae*, id est, quem possidere, quem petere oporteret. Ascon. Paedian. *in Cic. Verrin. III. p.* 1849. *Lis* VINDICIARVM *est*, *quum litigatur de ea re apud praetorem*, *cuius incertum est*, *quis debeat esse possessor*, *& ideo*, *qui eam tenet satisdat pro praede litis vindiciarum aduersario suo*, *quo illi satisfaciat*, *nihil se deterius in possessione facturum*, *de qua iurgium esset. Rursus sponsione ipse prouocatur*, *ab aduersario certae pecuniae*, *aut aestimationis*, *quam amittat*, *ni sua sit hereditas*, *de qua contendit. Praedes ergo dicuntur satisdatores locupletes pro re*, *de qua apud iudicem lis est*, *ne interea*, *qui tenet*, *diffidens causae*, *possessionem deteriorem faciat*, *tecta dissipet*, *excidat arbores*, *et culta deserat.* Ex hoc ergo quantiuis pretii loco satis patet, quo pacto in iure vindiciae postulatae sint. Quoties scilicet incerta erat possessio, is, cuius intererat, postulabat a praetore interdictum de possessione vel adipiscenda, vel retinenda, vel recuperanda, de quibus infra ad *Tit. XV.* Postremum interdictum dabatur iis, qui vi ex aliquo loco erant deiecti. Et quamuis id de vera vi esset intelligendum: Romani tamen inuenerant vim simulatam, et fictam, quae in eo consistebat, quod alter alteri dicis caussa vim inferret in iudicio, tum manus conserendo, tum verbis vindicando. Nam aut seruus vindicabatur aliaque res mobilis, aut fundus. Qui serui possessionem petebat, tenens seruum, vel manum ei iniiciens, in iure apud praetorem ita vindicabat, id est, possessionem per vim simulatam postulabat: HVNC HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO, EIVSQVE VINDICIAS MIHI DARI POSTVLO. Tacente altero aut cedente, praetor seruum addicebat vindicanti, id est, possessionem ei decernebat vsque ad exitum iudicii. Ille vero si contra vindicaturus erat, tum et ipse seruum corripiens, eique manum iniiciens dicebat. ET EGO HVNC HOMINEM MEVM ESSE AIO, EIVSQVE VINDICIAS MIHI CONSERVARI POSTVLO. Tum demum praetor interdicebat: QVI NEC VI, NEC CLAM, PRAECARIO

Source : BIU Cujas

CARIO POSSIDET, EI VINDICIAS DABO. Sigon. *de Iudic. I.* 21. Saepe ad hanc vim fictam adludunt veteres auctores. Ouid. *Amor. I.* 4.

Et dicam: MEA SVNT, *iniiciamque* MANVM.

Et *Lib. II.* 5. *v.* 30.

INIICIAM *dominas in mea iura* MANVS.

Martial. *Epigr. I.* 5.

Et quum se dominum vocabit ille,
Dicas, esse MEOS, *manuque missos.*

Seruius ad illa Virgilii *Aeneid. X. v.* 419.

INIECERE MANVM *Parcae, telisque sacrarunt*
Euandri.

addit, Virgilium sermone iuris vsum. Nam MANVS, ait, INIECTIO *dicitur, quoties nulla iudicis auctoritate exspectata,* (id est ante praetoris decretum,) *rem nobis debitam vindicamus.* Paullo alia erat fundum, domum, aliasue possessiones vindicandi ratio, si quidem tunc petitor eum, vnde petebatur, ex iure manu consertum vocabat. Qua de re Gell. *Noct. Attic. XX.* 10. EX IVRE MANV CONSERTVM *verba sunt ex antiquis actionibus, quae, quum lege agitur, et vindiciae contenduntur, dici nunc quoque apud praetorem solent.* Et paucis interiectis: MANVM CONSERERE *est, de qua re disceptatur, in re praesenti, siue ager, siue quid aliud est, cum aduersario simul manu prendere, et in ea re sollemnibus verbis vindicare.* VINDICIA *id est, correptio manus in re atque in loco praesenti. Id apud praetorem ex XII. Tabulis fiebat, in quibus ita scriptum est*: SI QVI IN IVRE MANVM CONSERVNT. *Sed postquam praetores, propagatis Italiae finibus, datis iurisdictionibus, negotiis occupati, proficisci vindiciarum dicendarum causa in longinquas res grauabantur, institutum est contra XII. Tabulas tacito consensu, vt litigantes non in iure apud praetorem manum conserrent, sed ex iure manum consertum vocarent, id est, alter alterum ex iure ad conserendum manum in rem, de qua ageretur, vocaret. Atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terrae aliquid ex eo, vti vnam glebam in ius, in vrbem, ad praetorem deferrent, et in ea gleba, tamquam in toto agro vindicarent.* Ad hunc ergo locum intelligendum obseruari decet, ex legibus XII. Tabularum vindiciarum litem semper agitatam esse in loco, atque in re praesente. Praetor ergo, in fundum profectus, cum litigantibus, ibique ex iure manum conserentibus, ei parti, cui visum erat, vindicias, seu possessionem dabat. Id vero quum paullo molestius videretur:

Source : BIU Cujas

tur: prætores non amplius in fundos, de quibus lis erat, dicendarum vindiciarum cauſſa proficiſcebantur, ſed litigantes alter alterum ex iure euocabant in rem præſentem, e qua redeuntes glebam aſportabant (*u*), quae et ipſa vocabatur VINDICIAE, teſte Feſto, *voce vindiciæ p. m.* 476. *De quo verbo Cincius ſic ait: Vindiciae olim dicebantur illae, quae ex fundo ſumtae in ius adlatæ erant.* Denique nec in fundum amplius proficiſcebantur litigantes, aut glebam inde deferebant; ſed prudentes, ceu diſerte docet Cic. *pro Muraena XII.* excogitarant nouam formulam vindiciarum, quam litigantibus aeque, ac praetoribus, tamquam carmen quoddam praeſcripſerant. Quod eo ordine factum legimus. Petitor eum, vnde petebatur, ita adloquebatur: FVNDVS, QVI EST IN AGRO, QVI SABINUS VOCATVR, EVM EGO EX IVRE QVIRITVM MEVM ESSE AIO, INDE IBI EGO TE EX IVRE MANVM CONSERTVM VOCO. Cedente aduerſario, prætor fundi illius poſſeſſionem addicebat vindicanti. Sin cedere nollet aduerſarius: tum contra vindicans petitori reſpondebat: VNDE TV ME EX IVRE MANVM CONSERTVM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO. Tum prætor vtrisque:

(*u*) Dixeram in priore editione, videri in imaginaria iſta pugna litigantes, nonnumquam feſtucam in ius attuliſſe, forſan ſi de domus poſſeſſione fuerit controuerſia, idque collegeram ex Gell. *Noct. Att. XX.* 10. vbi *vis feſtucaria* memoratur. Sollicitauit hanc obſeruatiunculam, qui nonnumquam nodum in ſcirpo quaerit, B. Branchu V. C. in *Obſ. dec. II. cap. XV. p.* 84. incompertum ſibi eſſe negans, vnde hanc obſeruationem hauſerim. Paucis dico, ex Gellio, qui vbi de hoc negotio loquitur, eam vim imaginariam vocat *vim feſtucariam*, nec dicit, litigantes ſemper glebam attuliſſe, ſed id modo exempli gratia profert, quia de agro loquitur. Quod ſi ergo agrum repraeſentabat gleba; quidni domum feſtuca? Sane et poſtea a Francis, qui pleraſque ſollemnitates iuris a Romanis adoptauerant, feſtucam traditionis ſignum conſtituebant, et tradere prædium apud eos erat *effeſtucare*, vti ex gloſſariis abunde conſtat. Nec etiamnum illa effeſtucatio ignota eſt in Gelria, Drentia et vicinis prouinciis. Vid. Frid. a Sande *de Effeſtucatione* libellus elegantiſſimus. Quid vero vir doctus attulit melius? Dicit vim iſtam feſtucariam nomen obtinuiſſe a praetoria vindicta, quae et feſtuca dicta ſit apud Plautum: *Mil. glorioſ. IIII.* 1. *v.* 15. Perſ. *Sat. V. v.* 175. Vnde non temere coniici, ejus feſtucae, quam in manumiſſionibus adhibuerint, etiam in aliis vindicationibus vſum fuiſſe, inprimis quum a vindicando dicta ſit vindicta. Sed meliore jure mirarer, vnde hanc obſeruationem ſuam hauſerit Clariſſimus Branchu, niſi res ipſa doceret, eum notulam, quam Thyſius et Oiſelius Gellii textui adleuerant, bona fide ſequutum. Rejicere conjecturam, aliamque ſubſtituere, eamque nullo argumento probare, non eſt errorem Heineccii indicare, vti in titulo capitis promittitur, ſed ſibi placere.

Source : BIU Cujas

que: SVPERSTITIBVS, inquit, PRAESENTIBVS, ISTAM VIAM DICO. INITE VIAM. Quae verba eum sensum habebant, quod actor et reus, praesentibus testibus (*x*), certam viam inire deberent, quasi in agrum profecturi ad conserendam ibi manum, glebasque in rei testimonium referendas. Viam ergo inibant, duce sapiente, quo duce etiam redibant, dicente praetore: REDITE VIAM. Omnia haec ex Ciceronis oratione *pro Muraena XII.* discimus, qua falsе orator hanc obscuram iureconsultorum diligentiam perstringit. Tandem praetor, audita vtraque parte, si adpareret, quemquam vi deiectum, ita secundum eum dicebat vindicias: VNDE TV ILLVM DEIECISTI, QVVM NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO POSSIDERET, EO ILLVM RESTITVAS IVBEO. Sigon. *l. c. I. 21. p. 459. sequ.* Iac. Raeuard. *ad XII. Tab. Tab. VI. p. 32. sequ.*

(*x*) Festus *voce superstites: p. m. 456.* SUPERSTITES *testes praesentes significat. Cuius rei testimonium est, quod superstitibus praesentibus, ii, inter quos controuersia est, vindicias sumere iubentur.*

§. XXV.

Constituto ita possessore, tum demum lis de dominio possessori intendebatur ab eo, qui possessione erat exclusus. Id vero ita fiebat, vt actor primum, an reus auctor esset, quaereret, deinde vindicaret, tum satisdare iuberet, ac denique sponsione prouocaret. Primum ergo quaerebat actor: QVANDO TE IN IVRE CONSPICIO, POSTVLO ANNE SIES AVCTOR? Hanc enim formulam totidem verbis habet Cicero *pro A. Caecin.* XVIIII. et Valer. Prob. *in Notis* (*y*): Auctor vero is esse dicebatur, vnde quis ius suum

Formulae rem vindicandi.

(*y*) Sed denuo intercedit V. C. B. Branchu. *in Obs. dec. II. cap. XV. p. 90.* meque cum aliis errare clamat, dum hanc formulam ad actiones in rem referam, quae potius ad actiones in personam pertineat, siquidem in his ob metum pluris petitionis necesse fuerit, aliquid scire de conditione eius qui litem contestaturus esset. Crederem, si vir doctus, quod tanta fiducia adfirmat, probaret. Sed id non facit. Dabo ergo operam vt me intelligat. Notum est, olim non habitum fuisse pro possessore, qui dolo desierat possidere: id enim si fuisset, frustra praetor inuexisset restitutionem in integrum ob alienationem iudicii mutandi caussa factam. Ius illud de quo *l. 131. D. de reg. iur.* non ex iure antiquo est, sed ex edicto, adeoque a temporibus Hadriani, qui singulari SC. anno V. C. IↃCCCLXXXI. Q. Iulio Balbo et P. Iuuentio Celso Coss. sanciri iussit, *vt qui fecerint quo minus possiderent, perinde condemnarentur, quasi possiderent.* Legitima verba SC. existant *l. 20. §. 6. D. de her. petit.* Ex hoc vero SC. id principium, quod qui dolo malo possidere desiit, pro possessore habeatur, natum esse, testis est

Source : BIU Cujas

ſuum poterat repetere. Raeuard. *Protribun. V. p.* 889. *Qui* enim *petitorio iudicio vtebatur, ne fruſtra experiretur, requirere debebat, an is cum quo inſtituebat actionem, poſſeſſor ſit, vel dolo deſierit poſſidere? l.* 36. *pr. D. de rei vind.* Negante reo, praetor dicebat: QVANDO NEGAT, SACRAMENTO QVAERITO. *Sacramento* (z) vero *quaerere* erat ad certam ſpondendam pecuniam reum prouocare, ni ita eſſet. Itaque petitor pergebat: QVANDO NEGAS, TE SACRAMENTO QVINGENARIO PROVOCO. SPONDESNE TE DATVRVM QVINGENTOS, SI AVCTOR SIS? id eſt, ſi probauero, te auctorem vel poſſeſſorem eſſe? Cui inficiator reſpondebat: SPONDEO QVINGENTOS. SI AVCTOR SIEM. Quo dicto ſtatim ſtipulabatur: TV VERO SPONDESNE IDEM, NI SIM? cui ille, ET EGO QVOQVE SPONDEO. Adfirmante vero illo, ſe eſſe auctorem, ſequebatur actio: QVANDO AIS, NEQVE NEGAS, TE AVCTOREM ESSE, HVNC HOMINEM (FVNDVM) EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. Quaerebat tunc praetor ex reo, an contra vindicaret? Negante eo, praetor ſeruum vel fundum addicebat vindicanti. Si contra vindicaret reus, vtebatur formula: ET EGO EVNDEM HOMINEM (FVNDVM) MEVM ESSE AIO EX IVRE QVIRITIVM. SED NONNE TV DICIS, QVA CAVSSA VINDICAVERIS? Tum actor cauſſam dominii ſui exponebat. Car. Sigon. *l. c.* Raeuard. *Protribun. V. p.* 889. *ſequ.* Briſſon. *de Form. V. p.* 369. 476. *ſequ.* Antequam vero id faceret, poſtulare ſolebat petitor a poſſeſſore, vt ſatisdaret, ſe nihil deterius in poſſeſſione facturum: quod ni faceret, poſſeſſio in petitorem transferebatur, modo ſatisdaret. Si et petitor ſatisdare nollet, penes poſſeſſorem poſſeſſio manebat, quia in pari cauſſa melior erat conditio poſſidentis. Paull. *Recept. Sent. I.* 11. 1. Iac. Menard. *ad Cicer. Verr. I.* 45.

eſt Paullus. *l.* 27. *§.* 3. *D. de rei vindic.* Quum ergo vererentur petitores, ne poſſeſſores res litigioſas alienarent, poſteaque cum alio potentiore, ſibi eſſet negotium: merito interrogabant *an reus ſit auctor*; id eſt, an iam poſſideat, et in poſterum, ſi lis ſecundum actorem daretur, rem praeſtare velit? Id quoque diſertis verbis teſtatus Caius *l.* 36. *pr.* D. *eod.* Negante illo, ſequebatur ſponſio, ſi auctor eſſet, id eſt, ſi poſſideret, et hinc rem praeſtare teneretur. Quid quaeſo opus erat hac interrogatione, in actionibus in perſonam? Et quid illa cum pluris petitione commune habebat?

(z) Feſtus *voce ſacramentum p.* 418. *Sacramentum aes ſignificat, quod poenae nomine penditur, ſiue eo quis interrogatur, ſiue contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta aſſium eſt, in aliis, quingentorum, inter eos, qui iudicio inter ſe contendunt.* Conf. Varro *de Lingua Lat. V.* 36. *p.* 29.

§. XXVI.

Source : BIU Cujas

§. XXVI.

Ita agebant litigantes, si rei instituebatur vindicatio. Ad actionem in rem vtilem quod attinet, ea eodem paene modo, iisdemque fere formulis instituebatur, idemque etiam in HEREDITATIS PETITIONE obseruabatur. Nam hereditatem si quis petere vellet, actio ita intendebatur: AIO, HANC HEREDITATEM MEAM ESSE: negante possessore, pergebat petitor: SPONDESNE CERTAM PECVNIAM, SI MEA SIT? Respondebat hic, SPONDEO SI TVA SIT. Tunc reus restipulabatur, actor vero satisdari iubebat. Cic. in *Verr.* III. ibique Ascon. Paedian. Actio in rem vtilis, et hereditatis petitio.

§. XXVII.

Ciuilis quoque erat in rem actio CONFESSORIA, quae ita intendebatur: AIO VSVMFRVCTVM FVNDI TVI, QVI EST IN AGRO SABINO, ESSE MEVM. vel: AIO, IVS EX FVNDO TVO AQVAM DVCENDI ESSE MEVM. vel: AIO IVS MIHI ESSE, IRE, AGERE IN FVNDO TVO. Barn. Brisson. *de Form. V. p.* 476. Illud vero hic singulare, quod in vindicandis rebus incorporalibus non solum adfirmatiue liceret intendere, sed et negatiue veluti: AIO, TIBI IVS NON ESSE, PARIETEM ITA PROIECTVM IN MEVM, ME INVITO, HABERE. Vel: AIO, TIBI IVS NON ESSE, ALTIVS TOLLERE. Et hinc haec actio dicta NEGATORIA. Brisson. *de Form. l. c.* Cur hoc non aeque licuerit in vindicandis rebus corporalibus, facile liquet. Has vindicare nemo poterat: nisi is, qui non possidebat: incorporales vero etiam possessores vindicare poterant contra alterius vsurpationem. Car. Sigon. *de Iudic. I.* 21. *p.* 475. Et hic est ille vnicus casus, quo, qui possidet, in rem agit, de quo Imperator noster, et Theophilus §. 2. *Inst. de action.* Actio confessoria et negatoria.

§. XXVIII.

Praetoriarum in rem actionum prima PVBLICIANA est, a Publicio, praetore, primum in edicto proposita, §. 5. *Inst. h. t.* Q. Publicium quemdam tempore Ciceronis praeturam gessisse, docet Steph. Vin. Pighius *Annal. Tom. III. p.* 291. Sed an is idem sit auctor actionis Publicianae, adeo pro certo adfirmari non potest, vt probabile sit illam Ciceroniana aetate anteriorem esse. (*a*) Vnde Actio Publiciana.

(*a*) Meminit huius praetoris Cicero *pro Cluent. XXXXV.* Vnde & Bertrand. *de vit. ICtor. II. 16. p.* 201. colligit, Publicium hunc qui alias et Gellius vocatur, auctorem huius actionis esse. Sed antiquiorem esse hanc actionem, vel inde patet, quod iam Terent. *Phorm. II. 4. v. 9.* meminit actionis rescissoriae. Eam vero ab eodem Publicio praetore esse, satis intelligitur ex *l.* 35. *D. de Obl. et act. l.* 57. *D. mand.*

Source : BIU Cujas

multo minus credibile est, Imperatoribus rerum potitis, eam actionem constitutam fuisse, id quod tamen mauult Sigon. *de Iudic.* I. 17. *p.* 441. Petebatur ea actione res, iusta ex caussa tradita, sed nondum vsucapta, ac deinde amissa, perinde ac si esset vsucapta, a quocumque, qui non esset dominus. Vnde hic valebat exceptio, SI EA RES POSSESSORIS NON SIT. *l. vlt. D. de Public. act.* quam tamen exceptionem dominii tribus casibus cessasse, obseruat Cuiac. *Obs. X.* 6. Formula actionis procul dubio et hic fuit: AIO HANC REM, QVAM TV POSSIDES, MEAM ESSE, addita deinde caussa vindicandi, QVANDOQVIDEM EAM BONA FIDE EMI A L. TITIO, ET AB EODEM BONA FIDE TRADITAM ACCEPI.

§. XXVIIII.

Aliae actiones praetoriae in rem.

De actionibus RESCISSORIA, PAVLLIANA, SERVIANA et QVASI SERVIANA nihil est, quod ex antiquitatibus moneam, nisi quod *rescissoria* ab eodem Publicio praetore, de quo paullo ante, inventa sit, ceu in adnotatione subiecta ostendimus, *Seruiana* vero *Ser. Sulpitio*, insigni illi iureconsulto deberi videatur, de cuius quippe praetura testatur Cicero *pro Muraena XX.* Formulam actionis Seruianae indagavit Brisson. *de Form. V. p.* 382.

§. XXX.

Actiones praeiudiciales.

Fuerunt etiam actiones in rem quae propriam habebant obseruationem, et singulare obtinuerant nomen, dictae quippe PRAEIVDICIALES. §. 14. *Inst. h. t.* Tales erant quae de statu instituebantur, inprimis *de libertate*, *de ciuitate* et *de partu agnoscendo*, quas eleganter complectitur Terent. *Eun.* III. 7. *v.* 35. *CH. Principio eam dico esse* LIBERAM. *THR. Hem. CH.* CIVEM *Atticam. THR.* Hui? *CH. Meam* SOROREM. *THR. Os durum!* vbi prima actio est de statu *libertatis*, altera de statu *ciuitatis*, tertia de statu *familiae.* Actiones de libertate duae erant proditae. Aut enim quisquam alterum e seruitute in libertatem, aut e libertate in seruitutem vindicabat. Ille *liberali caussa manu adserere*, hic *in seruitutem adserere quem dicebatur.* In his actionibus id singulare erat, quod ex lege XII. Tabularum vindiciae pro libertate, non pro seruitute darentur, adeoque possessio hominis ad finem vsque iudicii maneret penes eum, qui in libertatem adsereret, non qui in seruitutem. Liu. III. 44. Adserens ergo liberali caussa, ita initio videtur postulasse vindicias: HVNC HOMINEM EGO LIBERVM ESSE AIO, EIVSQVE VINDICIAS SECVNDVM LIBER-

Source : BIU Cujas

LIBERTATEM MIHI DARI POSTVLO. Cui aduersarius respondit: ET EGO HVNC HOMINEM IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO, EIVSQVE VINDICIAS MIHI CONSERVARI POSTVLO. Hinc sequutum decretum praetoris: QVI LIBERTATEM DEFENDIT, EI DO VINDICIAS. Sequente cognitionum die, actio de libertate intendebatur hoc modo: HVNC HOMINEM IVRE QVIRITIVM LIBERVM ESSE AIO, EVMQVE LIBERALI CAVSSA MANV ADSERO. Negante aduersario, et in seruitutem vindicante, sequebantur sponsiones, vt supra NI LIBER SIT, SI LIBER SIT. Sigon. *ibid. p.* 478. Frequentissima huius actionis mentio apud comicos. Terent. *Adelph. II.* 1.

- - *Neque vendendam censeo, quae libera est,*
Nam EGO ILLAM LIBERALI ADSERO CAVSSA MANV,

Plaut. *Poenul. IIII. vlt.*

Omnia memores, quo id facilius fuit: MANV EAS ADSERAT SVVS POPVLARIS LIBERALI CAVSSA.

Idem *Poen. V.* 2.

- - *Et si frugi esse vis,*
EAS LIBERALI *tum* ADSERES CAVSSA MANV.

Plaut. *Perf. I.* 3. *Curcul. V.* 2. Ast si in seruitutem quis adsereret hominem, qui pro libero se gerebat: ea erat ipsa rei vindicatio, de qua supra actum. Denique actio de partu adgnoscendo ita intendebatur: AIO, MVLIEREM HANC EX TE PRAEGNANTEM ESSE. Negante altero, sequebatur more consueto sponsio: NI SIT. Sigon. *ibid. p.* 479.

§. XXXI.

Actiones ex contractibus nominatis.

Alterum genus actionum erat IN PERSONAM, quae et CONDICTIONVM nomine veniebant, eaeque vel ex sola aequitate, vel ex conuentione, vel ex maleficio oriebantur. His quum non res peteretur, sed a persona certa vel praestatio, vel poena, deposceretur: longe aliter concipiendae erant earum actionum formulae. In contractibus ita intendebat actor: AIO, TE MIHI MVTVI, COMMODATI, DEPOSITI NOMINE, DARE CENTVM OPORTERE, AIO TE MIHI EX STIPVLATV, LOCATO, DARE FACERE OPORTERE. Iam aut negabat tunc aduersarius actoris intentionem, aut excipiebat, veluti: NEGO ME TIBI EX STIPVLATV CENTVM DARE OPORTERE, NISI QVOD METV, DOLO, ERRORE ADDVCTVS SPOPONDI, vel NISI QVOD MINOR XXV. ANNIS SPOPONDI. Inficiante reo, sequebatur sponsio, NI DARE FACERE DE-

Source : BIU Cujas

BEAT, vt et restipulatio: SI DARE FACERE DEBEAT. Excipiente eodem: ita spondebatur, NI DOLO ADDVCTVS SPOPONDERIT, et sequebatur restipulatio, SI DOLO ADDVCTVS SPOPONDERIT, Sigon. *de Iudic. I.* 21. *p.* 479. *sequ.*

§. XXXII.

Actio praescriptis verbis.

Ex contractibus innominatis, omnique conuentione, quae caussam habebat absque nomine, nascebatur actio PRAESCRIPTIS VERBIS, quae et incerta, *l.* 6. *C. de rer. permut.* et INCERTI, *l.* 7. §. 2. *D. de pact.* immo et IN FACTVM vocari solet. *l.* 13. §. 1. *l.* 22. *fin. D. de praescr. verb.* In eo haec actio differebat ab aliis, quod quum aliarum actionum formulae essent vel a pontificibus, vel a praetoribus compositae: huius actionis verba solerent a iureconsultis praescribi. Idque est, quod intelligit Val. Max. VII. 2. vbi de A. Cascellio iureconsulto refert, *quod nullius aut gratia, aut auctoritate, compelli potuerit, vt de aliqua earum rerum, quas triumuiri dederant*, FORMVLAM COMPONERET. Brisson. *de Form. Lib. V. p.* 385. quamuis plane aliam nominis rationem reddendam putet Em. Merill. *Obs. VIII.* 16. Hottoman. *in Comment. in Inst. tit. de locat. conduct. p.* 657. *Tomo II. Op.* plane negat, hanc actionem dicendam esse PRAESCRIPTIS VERBIS, sed dicendam potius existimat, PERSCRIPTIS VERBIS, quia reliquarum quidem actionum formulas praetores certis notis in edicto suo proposuerint: si vero nata sit inusitata controuersia, non notis, sed plene perscriptis verbis concipienda fuerit actionis formula. Sed quis credat, toties errasse librarios in vero huius actionis nomine, eamque semper et vbique adpellasse PRAESCRIPTIS VERBIS? Et cur Graeci idem vocabulum retinuerunt, nisi fuisset inter iurisconsultos notissimum? Immo et veteres Glossae verborum iuris habent vocabulum προεκτεθειμένοις βήμασι, idque interpretantur τῆς ἐν τοῖς προγραφεῖσι ῥήμασιν ἐνοχῆς. Quod profecto non *perscripta* sine notis, sed *praescripta verba* significat. Quoties ergo incerta ac sine nomine conuentio intercesserat, ita intendebatur actio, vt ea negotium, de quo conuenerat, complecteretur. Verbi gratia: AIO TE MIHI TRITICVM, DE QVO INTER NOS CONVENIT, OB POLITA VESTIMENTA TVA, DARE OPORTERE. Negante reo fiebat sponsio NI DARE DEBEAT. Car. Sigon. *de Iudic. I.* 21. *p.* 480.

§. XXXIII.

Source : BIU Cujas

§. XXXIII.

Obligationes ex maleficio priuato erant quatuor: ex FVRTO, RAPINA, DAMNO, INIVRIA. Ex FVRTO ACTIO alia poenalis erat, alia condictio rei furtiuae. Condicturus vero rem furtiuam ita intendebat: AIO, VESTEM, QVAM NVPER FVRTO MIHI ABSTVLISTI, MEAM ESSE, TEQVE ILLAM MIHI DARE OPORTERE: (*b*) Ita et in reliquis maleficiis intendebatur actio. In iniuriis: AIO, TE MIHI PVGNVM INFLIXISSE, TEQVE MIHI TANTVM, QVANTVM EGO AESTIMAVERO, DARE OPORTERE. In rapina: AIO TE MIHI LIBRVM VI RAPVISSE, TEQVE MIHI QVADRVPLVM EIVS PRETIVM DARE OPORTERE. In damno iniuria dato: AIO TE HOMINEM MEVM OCCIDISSE, TEQVE MIHI, QVANTVM ILLE HOC ANNO PLVRIMI FVIT, DARE OPORTERE. Sigon. *de iudic. I.* 20. *p.* 480. Actiones ex maleficio.

(*b*) Hoc modo formulam concipit Sigonius *de Iud. I.* 20. *p.* 480. Sed plerumque tamen vſi videntur φράσει: AIO HANC MIHI REM FVRTO TVO ABESSE. *l.* 19. §. 3. *D. de Furt.* Quinctilian. *Declam. XIII.* Quo adludens etiam Martialis *Epigr. VI.* 19.

Sed lis eſt mihi de tribus capellis.
Vicini, queror HAS ABESSE FVRTO.

Briſſon. *de Form. V. p.* 377.

§. XXXIIII.

Ad actiones mixtas praeter *hereditatis petitionem* referuntur iudicia FAMILIAE ERCISCVNDAE, COMMVNI DIVIDVNDO, FINIVM REGVNDORVM, in quibus ita videtur inſtituta actio: AIO TE FAMILIAM DIVIDERE DEBERE, ET HOC NOMINE, QVANTVM MIHI EX INVENTARIO DEBETVR, TE MIHI DARE OPORTERE. AIO RES COMMVNES DIVIDVNDAS ESSE, EOQVE NOMINE TE MIHI DIMIDIVM DARE OPORTERE. AIO FINES AGRI NOSTRI REGVNDOS, TEQVE, QVOD EX AGRO MEO PERCEPISTI, DARE OPORTERE. Sigon. *de Iudic. ibid.* Actiones mixtae.

§. XXXV.

Sufficiant haec de prima actionum diuiſione. Altera eſt, qua actiones in REI PERSEQVVTORIAS, POENALES et MIXTAS diſpeſcuntur. Rei perſequutoriae ſunt omnes in rem actiones, omnesque ex contractu, excepta actione depoſiti miſerabilis: adeoque de his iam ſupra actum. Poenales ſunt actiones ex delicto, quibus non rem, ſed poenam, perſequimur. Mixtis denique, tum id quod intereſt, tum poenam, legibus conſtitutam, perſequimur, veluti Actiones poenales.

Source : BIU Cujas

veluti actione *vi bonorum raptorum*, *damni iniuria dati*, *depositi miserabilis*, et quae sunt huius generis aliae, quas iam antea occupauimus. Formula persequendi poenam fuisse videtur talis: AIO CENTVM MIHI FVRTO TVO MANIFESTO ABESSE, TEQVE EO NOMINE QVADRINGENTOS AVREOS MIHI DARE OPORTERE. Rem vero et poenam simul ita videntur persequuti: AIO TE MIHI VESTEM VI RAPVISSE, EOQVE NOMINE QVADRVPLVM DARE OPORTERE. Ex quibus simul intelligitur, quo pacto ex diuersis delictis in simplum, duplum, triplum, quadruplum, agi consueuerit, vt adeo non opus sit, de hac tertia actionum diuisione seorsum agere. Car. Sigon. *de Iudic. I.* 21. *p.* 481. *sequ.* Addimus in quadruplum olim etiam condemnatos esse foeneratores improbos. Testem eius rei locupletissimum habemus Catonem *de Re rust. init.* cuius locum supra *Libro III. Tit. XV. §. IIII.* adscripsimus.

§. XXXVI.

Actiones arbitrariae, stricti iuris et bonae fidei.

Quarto actiones aliae sunt BONAE FIDEI, aliae STRICTI IVRIS, aut vt rectius dicamus, aliae ARBITRARIAE sunt, aliae BONAE FIDEI, aliae STRICTI IVRIS. ARBITRARIAE id habebant singulare, quod iudex primum ex aequo et bono aestimare iuberetur, quantum reus restitui deberet, et si non pareret, ei potestas esset, illum in maius quid condemnandi, e. g. in quadruplum, velvti in actione quod metus caussa, vel in quantum in litem actor iurasset. Theoph. §. 31. *Inst. h. t.* In actionibus STRICTI IVRIS praetor certum quid exprimebat in formula, in quod reus esset condemnandus. Denique in BONAE FIDEI iudiciis iudicis religioni permittebat, in quantum reum ex aequitate putet condemnandum. Actionum *bonae fidei* tres erant formulae. In contractibus enim potissimum consensualibus actores vtebantur formula EX BONA FIDE. In fiduciis dicebant: VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, NE PROPTER TE TVAMQVE FIDEM FRAVDER. Rei denique vxoriae actioni, et actionibus arbitrariis, propria erat formula; QVANTVM AEQVIVS MELIVS. Quae omnia discimus ex Cic. *de Offic.* III. 15. et *pro Q. Roscio Comoedo* IIII. Hinc tales erant actionum bonae fidei formulae: AIO, TE MIHI DOMVM LOCASSE, TEQVE MIHI EX AEQVO ET BONO DARE FACERE OPORTERE, QVIDQVID ALTERVM LOCATI NOMINE DARE FACERE OPORTET EX FIDE BONA. Cuius formulae exemplum est apud Valer. Max. VIII. 2. 1. *l.* 54. *pr. D. locati.* Item: AIO, ME TIBI, PRAETER DOTEM, ET PATRIMONIVM MEVM DEDISSE, TEQVE

Source : BIU Cujas

QVE MIHI, QVANTVM AEQVIVS MELIVS SIT, DARE OPORTERE. Item: AIO, TE MIHI DOMVM ILLAM, QVAM TIBI MANCVPAVI, VT MIHI REMANCVPARES, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, NE PROPTER TE TVAMQVE FIDEM FRAVDER, REMANCVPARE OPORTERE. Arbitrariae vero actiones ita concipiebantur: AIO TE MIHI VESTEM EXHIBERE, VEL, QVANTVM AEQVIVS MELIVS, MIHI DARE OPORTERE. *l. pen. §. vlt. D. ſolut. matrim.* Cicero *Topic. XVII.* Car. Sigon. *de iudic. I.* 21. *p.* 485. *ſequ.* Actiones ſtricti iuris, omiſſis illis formulis, ad rei certae praeſtationem reo intendebantur. Differentia etiam ea erat inter has actiones, quod in actionibus bonae fidei et arbitrariis res ab arbitris, in actionibus ſtricti iuris a iudicibus diſcuterentur. Illis *libera erat et nullis adſtricta vinculis religio, vt detrahere aliquid poſſent, et adiicere, et ſententiam ſuam, non prout lex et iuſtitia ſuaderet, ſed prout humanitas et miſericordia impelleret, regerent.* Senec. *de Benef. I.* 7. Hos praetor includebat formula, adeoque omnia *ad libellam*, vt ait Cic. *pro Q. Roſc. IIII.* adiudicare tenebantur, hoc eſt, *ad teruncium*, vt explicat Hadr. Turneb. *Adverſ. XXVIIII.* 36. Id quod tum demum intelligetur melius, vbi de iudicum datione, praeſcriptiſque eis a praetore formulis, egerimus.

§. XXXVII.

Quinto aliis actionibus SOLIDVM, aliis MINVS, QVAM SOLIDVM conſequimur. Quoties enim reum, quantum facere poterat, dare oportebat: toties minus quam ſolidum obtinebatur. Formula erat de peculio filii: AIO, ME SERVILIO, FILIO TVO C. AVREOS MVTVOS DEDISSE, TEQVE, QVANTVM EX EIVS PECVLIO FACERE POTERIS, MIHI DARE OPORTERE. Item de dote: AIO, ME TIBI NOMINE DOTIS MILLE DEDISSE, TEQVE MIHI, QVANTVM FACERE POTERIS, DARE OPORTERE. Ita et a parente, patrono, ſocio, milite, donatore, non totum, ſed quantum facere poterant, obtineri poterat, ob beneficium competentiae. Eodemque modo agebatur cum eo, qui bonis ceſſerat, ſi poſtea aliquid adquiſiuiſſet. De quibus omnibus plura iureconſulti. Sigon. *de Iudic. I.* 21. *p.* 483.

Actiones, quibus ſolidum vel conſequebantur, vel non conſequebantur.

§. XXXVIII.

Sexto actiones vel ob FACTVM PROPRIVM reorum, vel filiorum familias ſeruorumque cauſſa intendebantur. Huc pertinent actiones QVOD IVSSV, de IN REM VERSO, de PECVLIO, TRIBVTO-

Actionum ſexta diviſio.

Source : BIU Cujas

BVTORIA, EXERCITORIA, INSTITORIA. De quibus omnibus titulo proxime insequente ex instituto erit agendum.

§. XXXVIII.

Postulatio iudicis.

Hactenus, quo pacto actiones intendere soliti sint veteres, ostendimus. Eas rei vel NEGANDO excipiebant, vel EXCIPIENDO excludere conabantur, ceu infra ad titulum de exceptionibus docebimus. Vbi ergo reus actionis fundamentum vel negando, vel excipiendo eliserat, et sponsiones ea, qua antea diximus, ratione fuerant factae: proximum erat, vt vel IVDICES, vel ARBITRI, vel RECVPERATORES postularentur. *Iudex* cognoscebat de actionibus omnibus, maxime vero de iis, quae erant stricti iuris. *Arbitri* ad diiudicandas causas bonae fidei, et arbitrarias, dabantur, horumque latior erat iudicandi potestas. Festus *p.* 253. ARBITER *est, qui totius rei arbitrium habet et potestatem.* Vnde hi arbitri cum compromissariis non sunt confundendi. Denique, si de persequutione rei agebatur, dabantur *recuperatores*, ita dicti, quod per eos suum quisque recuperaret, (*c*) ceu post Festum *voce Reciperatio p.* 893. recte obseruat Theophil. *ad §. 4. Inst. qui et ex quib. caus. manum. non licet.* Sic A. Caecinae recuperatores dabantur, vt tota Ciceronis oratio docet. Tales etiam in prouinciis datos esse, legimus Cic. *in Verr.* II. 11. 13. Liu. XXXXIII. 1. Inualuit tamen postea, vt et centumuiri, quos praetor in consilio habebat, causas grauiores difficilioresque cognoscerent. Sen. *de Benef.* III. 7. Quod ab Augusti demum temporibus frequentius fieri coepisse, haud obscure colligas ex Tacito *de Orat. XXXVIII.* vbi ita auctor, quisquis sit: *Primus tertio consulatu Cn. Pompeius adstrinxit, imposuitque veluti fraenos eloquentiae, ita tamen, vt omnia in foro, in legibus, omnia apud praetores gererentur. Apud quos quanto maiora olim negotia exerceri solita sunt, quod maius argumentum est, quam quod causae centumuirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, vt neque Ciceronis, neque Caesaris, neque Bruti, neque Caelii, neque Calui, non*

(*c*) Nullum est dubium, quin initio ob rem tantum persequendam dati sint *recuperatores*. Id enim vel ipsum indicat vocabulum. Postea tamen et alii iudices hoc nomen tulisse videntur. Nam et ad aestimationem iniuriarum recuperatores datos, legimus. Tac. *Annal.* I. 74. Gell. 20. 1. nec non in vindiciis secundum libertatem. Suet. *Vespas. III.* quin et pro obtinenda corona murali. Liu. XXVI. 48.

Source : BIU Cujas

non denique vllius magni oratoris liber apud centumuiros dictus legatur; exceptis orationibus Asinii Pollionis?

§. XXXX.

Iudices ergo hi POSTVLABANTVR a litigantibus, ita, vt actor primum iudicem aduersario ferret, quem ipsi commodum erat, in verba sponsionis NI ITA ESSET, rogaretque vt eo contentus esset, nec alium posceret, vel procaret. Verbo enim PROCARE hac in re vsos veteres, docet Festus *voce procum. p.* 380. *Est enim procare poscere, vt cum dicitur in iudice collocando*: SI ALIVM PROCAS, NIVE EVM PROCAS, *hoc est poscis.* Quod si iudicem probaret reus, tunc iudex CONVENIRE dicebatur. Valer. Max. II. 8. (*d*) *l.* 80. *D. de Iudic.* et hinc nihil erat reliquum, quam vt eum postularent a praetore: quod his verbis factum esse, docent Cicero *pro Muraena* XII. et Valerius Probus *in Notis*: PRAETOR IVDICEM ARBITRVMVE POSTVLO, VT DES IN PERENDINUM. Eodem modo postulabantur recuperatores. Cic. in *Verr.* III. 58. *Coepit Scandilius recuperatores aut iudicem postulare.* Centumuiri non postulabantur, nisi vterque litigantium in eos subscripsisset. Plin. *Epist. V.* 1. Formulæ postulandi iudicem vel arbitrum.

(*d*) Licebat ergo eumdem reiicere, et eierare, quod fiebat formulis: EIERO, QVEM TULISTI, IVDICEM, INIQVVS EST: vel HVNC NOLO, TIMIDVS EST, vel NOLO EVM ELIGERE. Cic. *de Orat. II.* 70. Plin. *Paneg. XXXVI.* 4. Brisson. *de Form. V. p.* 369. Ex quo facile patet, vnde natum sit iusiurandum perhorrescentiæ, quod postea inuexit ius canonicum. cap. 11. *de rescript. in 6.*

§. XXXXI.

Iudices postulati a praetore, DABANTVR, vel ADDICEBANTVR, *l.* 80. *D. de Iudic.* Cuiac. *Obs.* IIII. 15. et quidem cum certa formula, quae intentioni actionis reique exceptioni respondebat. Semper his in formulis praetores vtebantur voce PARET, quod idem esse videtur, ac *adparet*, vnde et Festus negat, hoc vocabulum duplici R scribi oportere. Eius verba in voce *parret* talia sunt: *Parret, quod est in formulis, debuit ei producta priore syllaba pronunciari, et non gemino* r *scribi, vt fieret paret, quod est inueniatur, vt comparet, adparet.* Sic, si quis rei instituisset vindicationem, negante reo, iudex in haec verba dari solebat: C. AQVILLI, IVDEX ESTO. SI PARET, FVNDVM CAPENATEM, DE QVO SERVILIVS AGIT CVM CATVLO, SERVILII ESSE EX IVRE Iudices qua formula.

Source : BIU Cujas

QVIRITIVM, NEQVE IS SERVILIO A CATVLO RESTITVATVR, TVM CATVLVM CONDEMNA. Sin exceperat reus, formulae huic etiam addebatur exceptio, veluti: EXTRA QVAM SI TESTAMENTVM PRODATVR, QVO ADPAREAT, CATVLI ESSE. Ita aliis quoque actionibus formulae accommodabantur, ceu iam per omnes actionum ſpecies oſtenderunt Car. Sig. *de Iudic. Rom. I.* 24. *p.* 495. *ſequ.* Barn. Briſſon. *de Form. V. p.* 370.

§. XXXXII.

Numerus teſtium praeſcriptus.

Poſtremo praetor numerum TESTIVM, quibus denunciaretur teſtimonium, praeſcribebat, quorum plerumque decem fuiſſe, ex Valerii Probi *notis* et lege Manilia *de limitibus* oſtendit Sigonius *de Iudic. I.* 25.

Satisdatio.

SATISDABANT tunc quoque litigantes eo modo, quem infra Tit. XI. vberius declarabimus.

Litis conteſtatio.

Denique fiebat LITIS CONTESTATIO. Haec quid fuerit, non adeo clarum atque expeditum eſt. Feſtus ait, litigantes conteſtari litem dici, quum *ordinato iudicio, vtraque pars diceret*: TESTES ESTOTE. Teſtes itaque adhibiti videntur ad probandum, fuiſſe hanc actionem inſtitutam, reum hoc vel illo modo contradixiſſe, ſponſiones has inter litigantes interceſſiſſe, datumque hac formula iudicem, ceu adparet ex *l. vn. C. de litis conteſt.* Quo factum eſt, vt per litis conteſtationem diceretur *quaſi contrahi l.* 3. §. 11. *D. de pecul.* Noodt. *de iuriſdict. I.* 15. *p.* 147. Huber. *praelect. ad Digeſta V.* 1. 21. *p.* 182. *ſequ.*

§. XXXXIII.

Et haec quidem, quae hactenus diximus, IN IVRE FIERI dicebantur: reliqua IN IVDICIO expediri ſolebant. De iudicum vero notione cognoſcendique ordine infra ad tit. XVII. agemus.

TIT. VII.

QVOD CVM EO, QVI IN ALIENA POTESTATE EST, NEGOTIVM GESTVM ESSE DICITVR.

AGi apud Romanos potuiſſe, diximus non ſolum cum iis, quibuscum factum aliquod interceſſerat, ſed et cum iis, quorum in poteſtate erant illi, qui vel contraxerant, vel delictum aliquod commiſerant. De his actionibus hoc et inſequente titulo agendum.

§. I.

Source : BIU Cujas

§. I.

Prima, quae huc pertinet, actio, de qua aliquid ex antiquitate monendum sit, est INSTITORIA, ad quam intelligendam, praecipue ostendendum, quaenam olim Romae fuerit mercatorum conditio. Romulus, qui rempublicam suam non nisi ad militare studium comparatam esse volebat, etiam mercatura interdixerat ciuibus, eamque non secus, ac artes sellularias, a seruis tantum exerceri iusserat. Dionys. Halic. *II. p.* 98. Postea, crescente ciuium numero, crescente luxu, vbi maior esse coeperat rerum necessitas, paullo benignius coeperunt de hoc vitae genere sentire, adeo vt A. V. C. CCLVIIII. Claudio Seruilioque coss. collegium mercatorum Romae instituretur, quod ab aede Mercurii, in qua sacra facere solebant, MERCVRIALE dictum est. De eo Liu. II. 27. *Certamen consulibus inciderat, vter dedicaret Mercurii aedem. Senatus a se rem ad populum reiecit. Vtri eorum dedicatio iussu populi data esset, eum praeesse annonae,* MERCATORVM *collegium instituere, sollemnia pro pontifice iussit suscipere.* Sed et Ouidius *Fast. V. v.* 672. de Mercurio,

Te, quicumque suas profitentur vendere merces,
Ture dato, tribuas ut sibi lucra, rogant.

Actio institoria.

Mercatores quo loco Romae fuerint?

Fuit et aliud mercatorum collegium quod *Capitolinum* dictum est, cuius et Liuius et Cicero meminerunt. Horum vero alii *mercatores κατ' ἐξοχήν*, alii *negotiatores* dicebantur, quorum illi Romae, hi in prouinciis negotiabantur, si recte rem explicauit Sigon. *de antiquo iure ciuium Rom. II.* 10. *p.* 319. [conf. V. C. Io. Aug. Ernesti *Diss. de negotiatoribus*, quae Lips. prodiit.] Hinc apud Reines. *Inscr. Class. I.* 170. alius vocatur MERCATOR NAVICVLARIVS: alius *Class. I.* 178. NEGOTIATOR CRETARIVS, vel vti apud Grut. *p. DCXII.* 3. 4. legitur, NEGOTIATOR ARTIS CRETARIAE. Quamvis vero ab hisce temporibus Romani mercaturae paullo plus, quam olim, statuerint pretii: mansit tamen inter eosdem opinio, adhaerere huic vitae generi nescio quid illiberale, et viro honesto indignum. Satis id adparet ex loco Ciceronis *de Offic. I.* 42. vbi ex instituto de mercatura differitur. Hoc loco Cicero primum distinguit inter *propolas*, vel *arrilatores* et *negotiatores* quos Apuleius *magnarios* vocat. De illis: *Sordidi etiam*, inquit, *putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. Nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Nec vero quidquam est turpius vanitate.* Eos vero qui magnariam exercent mercaturam, multaque vndique adportant, multisque sine vanitate im-

Source : BIU Cujas

pertiuntur, non admodum vituperandos putat Cicero: sed tum demum laudandos, *si satiati quaestu, vel contenti potius, vt saepe ex alto in portum, sic ex ipso portu se in agros possessionesque receperint.*

§. II.

Institores quinam, et quomodo instituta actio institoria?

Quum ergo mercaturae cuicumque inesse videretur aliquid illiberale: non facile solebant mercatores magnarii ipsi in tabernis versari, sed vel seruos, vel libertos, vel liberos homines, mercede conductos, negotiationibus praeficere, quos INSTITORES adpellabant eo, quod negotio gerendo instarent. *l.* 3. *l.* 5. *l.* 13. *§. vltim. D. de institor. act. Instare* autem est negotiari, vti Graecis τὸ ἐνεστάναι teste Hesychio idem ac ὠνεῖζειν. Hinc Nonius: *Instat mercaturam, credo rem faciet, frugi est homo.* Vnde Paullus *Rec. Sent.* III. 4. 72. vbi seruorum varia recenset genera, institores inter ministeria vrbana refert. Quo loco, INSTRVCTORES esse legendum, frustra contendit Tho. Reines. Vide Notam adiectam nouae editioni Gruteri *inscript. p.* IↃLXXV. 9. Si quis cum INSTITORE contraxerat, poterat ipsum dominum vel negotiatorem conuenire. Et tunc actio hunc in modum intendebatur: AIO ME STICHO MAEVII SERVO, QVEM MAEVIVS INSTITOREM SVVM FECERAT, C. AVREOS CREDIDISSE, EVMQVE EIVS REI NOMINE C. AVREOS MIHI DARE OPORTERE. Car. Sigon. *de Iudic. I.* 21. *p.* 484.

§. III.

Actio exercitoria.

Quemadmodum institoria actio a seruo institore nomen acceperat: ita EXERCITORIA ab ipso domino vel EXERCITORE cognominabatur. Ex quo mare tentauerant Romani, multis illi praemiis inuitarunt homines ad nauticam negotiationem. Quin et saepe in corpora et societates coaluerunt negotiatores, nauigationem communi consilio sumtuque promoturi. Sic apud Gruterum *Inscript. p.* CCLVIII. 1. mentio fit SCAPHARIORVM, QVI IVLIAE ROMVLAE NEGOTIANTVR. Et p. DCXVII. 1. et CCCCXXXX. 3. laudantur QVINQVE CORPORATI NAVIGANTES vel NEGOTIANTES, nimirum Ararici, Ligerici, Rhodanici, Druentici et Pericorii (*a*). Quicunque ergo in eiusmodi societate nauali, suo periculo naues

(*a*) Sed et iura loquuntur de *consortio nauiculariorum*, *l.* 11. *C. Theod. de Nauicul.* de *corpore nauiculariorum*, *l.* 32. *eod.* de *coetu nauarchorum* & *concilio nauiculariorum*, cet. Varia iis concessa esse priuilegia, constat ex *l.* 7. *l.* 14. *et l.* 36. *Cod. Theod. eod. tit.* Reines. *Not. ad Inscript. p.* CCCVII. 21.

Source : BIU Cujas

naues vel fluminibus, vel mari ipsi, immittebant, siue suas, siue per auersionem conductas, ii EXERCITORES vocabantur. Vnde *exercitor* est, ad quem obuentiones omnes et reditus nauis perueniunt, siue is dominus nauis sit, siue a domino per auersionem conduxerit. *l.* 1. §. 15. *D. de exercit. act. l.* 1. *D. de furt. aduers. naut.* Sic apud Gruter. *Inscript. p.* CCCCXXXXII. 12. occurrunt EXERCITORES RATIVM VLPIANARVM. Et apud Reines. *Inscr. p.* IOXVII. 20. SCAPHARII, EXERCITORES ARARICI. Iidem aliquando *domini* dicti, veluti *l.* 1. *l.* 2. *C. Theod. de nau. non excus.* et in marmore apud Reines. *Inscr. Class.* III. 21. vbi memorantur DOMINI NAVIVM CARTHAGINENSIVM EX AFRICA. Diuersi ab his erant MAGISTRI NAVIVM, qui naui praeerant, quibusque totius nauis cura fuerat demandata. *l.* 1. §. 1. *D. naut. caupon. stabul. l.* 1. §. 1. *D. de exercit. act. l.* 2. *princ.* §. 2. *et pen. D. ad l. Rhodiam*, iique saepe seruilis erant conditionis, ceu ex iisdem locis adparet (*b*). Quicumque vero cum magistro nauis contraxerat, ei actio in ipsum exercitorem dabatur, eaque intendi solebat hunc in modum: AIO ME STICHO SERVO, QVEM MAEVIVS DOMINVS EI NAVI, QVAM EXERCET, MAGISTRVM PRAEFECERAT, CENTVM AVREOS EIVS REI CAVSSA, CVI PRAEFECTVS ERAT, CREDIDISSE, EVMQVE EIVS REI NOMINE CENTVM MIHI DARE OPORTERE. Car. Sigon. *de Iudic. l.* 21. *p.* 484.

(*b*) Nonnumquam plures magistri diuisis officiis praeponebantur, veluti alter locandis, alter exigendis vecturis. Plerique sic duos vni naui praeficiebant, ne alter sine altero quid ageret. *l.* 1. §. 13. *D. de exercit. act.*

§. IIII.

DE TRIBVTORIA actione praeter ea, quae a iureconsultis dici solent, nihil est, quod addamus, nisi quod ea hunc in modum intendi consueuerit: AIO, MAEVIVM PECVLIARES STICHI SERVI MERCES EX EDICTO NON DISTRIBVISSE, ET QVANTO MINVS TRIBVTVM SIT, QVANTVM DEBVERIT, TANTVM MIHI EVM DARE OPORTERE. Car. Sigon. *de Iudic. l.* 21. *p.* 414. Actio tributoria.

§. V.

Reliquae sunt actiones QVOD IVSSV, DE IN REM VERSO, et DE PECVLIO, quarum *ista* instituebatur si filiusfamilias, vel seruus iussu patris vel domini contraxerat, *illa*, quoties ex contractu illo pater vel dominus factus fuerat locupletior: *haec*, si alienae pote- Actiones de in rem verso et peculio.

Source : BIU Cujas

poteſtati ſubiecti, quibuſcum quis contraxerat, peculium profectitium haberent. Tale, vt ſupra vidimus, et filiifamilias, et ſerui, et ipſae matres familias habere ſolebant. Quod ſi ergo etiam ſine voluntate mariti, domini patrisue cum vxore, ſeruo filioue contractum fuerat: tunc maritus, et dominus et pater, conueniri poterant. Et quidem, ſi in rem non verſum, tantum praeſtare tenebantur, quantum patiebatur peculium. Si partem tantum in rem verſam eſſe conſtaret, partem praeſtabant iidem, reliqua ex peculio, quantum fieri poterat petebantur. Adeoque tunc vtraque actio cumulabatur hoc modo: AIO, ME STICHO, MAEVII SERVO, C. CREDIDISSE, VT MAEVII DOMVM CADENTEM FVLCIRET, ET MAEVIVM QVATENVS ET IN REM VERSVM, ET IN PECVLIO STICHI ESSE CONSTABIT, DARE MIHI OPORTERE. Sigon. *ibid. p.* 484.

§. VI.

SC. Macedonianum.

At quum ſecuri hac actione foeneratores filiisfamilias plurima ſolerent credere, eoque res rediret, vt filii ad praematurum atque improbum ſucceſſionis votum impellerentur: SC. MACEDONIANO cautum eſt ab ampliſſimo ordine, vt ne iis, qui pecuniam filiisfamilias crediderint, etiam poſt mortem patrum actio petitioque daretur. Ipſo quidem iure creditori erat actio, ſed ea elidebatur exceptione SC. Macedoniani. *l.* 11. *D. ad SC. Macedon.*

§. VII.

De huius SC. origine controuerſia.

Quando conditum ſit iſtud Senatus conſultum, non adeo liquido conſtat. Latam eſſe de mutuo legem a Claudio Imperatore, anno V. C. IↃCCC. eaque cautum, ne id a filiisfamilias vmquam repetere poſſent creditores, docet Tacit. *Annal.* XI. 13. Sed exiſtimant plerique, ſaluberrimam hanc legem corruptiſſimis ſub Nerone temporibus obſoleuiſſe. Nam de eadem re iterum ad Senatum retulit Veſpaſianus, Suet. *Veſpaſ. XI. Auctor ſenatui fuit Veſpaſianus, decernendi, ne filiorum familias foeneratoribus exigendi crediti ius vmquam eſſet, hoc eſt, ne poſt patris quidem mortem.* Hoc ſane credere malunt Torrentius *ad Suet.* et Ant. Schultingius *Iurispr. anteiuſt. p.* 278. quam, quod vulgo exiſtimant, errorem in re tam parum antiqua obrepſiſſe Suetonio, accuratiſſimo ſcriptori. Neque enim ratum eſſe, aiunt, vt iura illis tamquam auctoribus adſcribantur, qui ea abolita deſuetudine reſtituerint, idque exemplis demonſtrat Fridr. Brummer. *ad leg. Cinc.* III. Sed longe expeditior ſupereſſet Tacitum Suetoniumque

Source : BIU Cujas

que conciliandi ratio (*c*) modo de primo Vespasiani consulatu certius constaret.

(*c*) Ingenioſe nimirum Taciti et Suetonii ſententias conciliauit Petr. Faber *Semeſtr. I. 25. p. 142.* Claudius Tacito huius SC. auctor fuiſſe dicitur. Sub eodem vero Coſ. fuit Veſpaſianus, iſque conſulatus Veſpaſiani vetus adpellatur a Sueton. *Veſp. VIII.* Claudio ergo tribuitur ea lex, tamquam principi, Veſpaſiano tamquam conſuli. Nam et conſulibus, immo et ſenatoribus tum adhuc ius fuiſſe, referendi ad ſenatum, relationemue poſtulandi, diſcimus ex Gell. *Noct. Att. IIII.* 10. Sed is primus ac vetus Veſpaſiani conſulatus non adeo certus eſt.

§. VIII.

Id vero ſingulare habuit hoc SC. quod non ab auctore vel cos. nomen adeptum eſt, ſed a Macedone quodam, ſiue improbo foeneratore, vti vulgo exiſtimant, ſiue filiusfamilias, vti Theophilo videtur, id nomen habuerit. Et ſane, quamuis plerisque vapulet Theophilus, et ipſi in prioribus editionibus eum notauerimus: iam tamen, veritatis ſtudio adductus, ingenue moneo, probabiliorem et ipſius SCi verbis conuenientiorem eſſe Theophili, quam vulgarem, ſententiam. Aiunt enim patres: *Quum inter ceteras ſceleris cauſſas, Macedo quas illi natura adminiſtrabat, etiam aes alienum adhibuiſſet.* Haec prima cauſſa, quae Senatum mouit, quod Macedo *aes alienum adhibuiſſet inter ſceleris cauſſas.* Atqui *aes alienum* non ratione creditorum dicitur, ſed ratione debitorum. *l.* 213. §. 1. *D. de V. S.* Sequitur altera: *Et ſaepe materiam peccandi malis moribus praeſtaret, qui pecuniam, ne quid amplius diceretur, incertis nominibus crederet.* Haec demum SC. verba ad foeneratorem pertinent. *l.* 1. *D. ad SC. Maced.* Incertis vero nominibus credere non eſt, ſuppreſſa cauſſa mutui, celatoque titulo crediti, et tacito foenore credere, vt rem explicant Paraeus *in Lexic. crit.* Cuiac. *ad C. de SC. Maced. et in Parat. D. eod.* Ian. Vinc. Grauina *de Leg. et Senatusconſ.* LXVIIII. *p.* 629. ſed nominibus non bonis, ſub vſuris immodicis, credere. Tales foeneratores erant Scaptius et Matinius, de quibus Cicero *ad Attic. Epiſt. V. vlt.* nec non Fufidius, de quo Horatius *Serm. I. 2. v.* 12.

A quo denominatum?

Fufidius vappae famam timet ac nebulonis,
Diues agris, diues poſitis in foenore numis,
Quinas hic capiti mercedes exſecat, atque
Quanto perditior quisque eſt, tanto acrius vrget.
Nomina ſectatur, modo ſumta veſte virili,

Source : BIU Cujas

Sub patribus duris tironum. Maxime, quis non
Iuppiter exclamat, simul atque audiuit.

Ger. Noodt *de Foen. & Vsur.* II. 13. *p.* 291. qui totam hanc foeneratorum artem egregie expoſuit. Eiusdem ergo furfuris erat ſceleſtus ille, qui huic SC. occaſionem dedit, Macedoni, tamquam incerto nomini, ſub vſuris mordaciſſimis credendo. Inſcriptiones Gruteri p. LXXX. meminere C. MODESTII MACEDONIS, qui an eiusdem cum noſtro familiae fuerit, alii videant.

TIT. VIII.

DE

NOXALIBVS ACTIONIBVS.

EX delictis eorum, qui in poteſtate erant, dabantur ACTIONES NOXALES, quarum origo erit paullo altius repetenda.

§. I.

Actiones noxales e XII. Tabulis ſunt.

Iam XII. Tabulis cautum fuerat de noxae datione ob furtum, ceu docet Vlpianus *l.* 2. §. 1. *D. de noxal. act.* Ex quo colligimus, actiones illas noxales non aliunde, quam ex ipſo illo vetere iure decemuirali, deſcendere, in quibus etiam horum vocabulorum prima mentio fit, de quibus diſpiciendum accuratius.

§. II.

Quid noxa & noxia?

A nocendo & NOXAM & NOXIAM dici, nemo dubitauerit. Vtrumque vocabulum ita diſtinguit Iuſtinianus, quod *noxa* ipſum quod nocuit, corpus; *noxia* delictum, quod ſeruus commiſit, denotet. *princ. Inſt. h. t.* eademque legimus *l.* 1. *pr. D. ſi quadrup. paup. feciſſ.* Nec abnuit vſus veterum auctorum. Nam Terent. *Eun. V.* 2. *v.* 13. *Vnam hanc* NOXIAM *omitte, ſi aliam admiſero, occidito.* Plaut. *Moſtell. V.* 2. *v.* 56. *Quid grauaris? quaſi non cras iam aliam commeream* NOXIAM. Et ita paſſim alibi. Sed tamen non raro neglectum eſſe iſtud diſcrimen, animaduertimus. Noxa enim plane etiam maleficium, et peccatum qualecunque, denotat, non modo in iure noſtro: *l.* 45. §. 1. *D. de leg.* 1. *l.* 4. *et l.* 32. *D. de noxal. act.* ſed et in duodecim tabulis, vt teſtatur, *l.* 238.

Source : BIU Cujas

l. 238. *in fine D. de verb. sign.* quamuis eo loco multæ editiones *noxæ*; *Florentina noxiae praeferat.*

§. III.

Noxae vero DEDERE, vel IN NOXAM DARE, erat hominem, potestati suae subiectum, animalue viuum tradere ei, cui delicto quodam vel facto illius fuerat damnum illatum. *l.* 1. §. 14. *D. si quadrupes pauperiem feciss.* Quinctilian. *Declam.* VIIII. Noxae ergo olim dabantur non solum animalia, nec solum serui, sed et filiifamilias. *l.* 5. §. *pen. D. de oblig. et action. l.* 3. §. 4. *D. de libero homine exhibend.* immo et filiae familias §. *vlt. Inst. de noxal. act.* quamuis his, ob fauorem pudicitiae, citius, quam filiis, peperciſſe videantur. Magnum tamen hac in re inter seruos liberosque noxae datos intercedebat discrimen. Liberi enim homines, noxae dati, seruiebant quidem, sed non erant serui. Quinctilian. *Instit. orat. VII.* 3. et *Declam.* CCCXI. Cuiac. *Obseru.* XIII. 9. Hinc si tantum adquisitum per eos esset, quantum damni dederant, dimittendi erant, quamuis nulla interposita esset, vti in emancipatione, fiducia. Papinianus apud *Auctor. Collat. Leg. Mos. et Rom.* II. 3. Manumissi quoque non erant libertinae conditionis, sed ingenuitatem recuperabant, non secus, ac filii, a parente venumdati. Quinctilian. *Inst. V.* 10. Quae omnia in seruis secus se habebant, qui vere erant serui ejus, cui dediti fuerant, et omnia domino illo novo adquirebant. Si tamen tantum corrasissent pecuniae, vt huic satisfacere possent, manumittendi et illi erant. Cuiac. *Obs.* XIII. 9. Sed quamuis satis diu haec vigeret consuetudo, siquidem et Paullus adhuc illius meminit: *Recept. Sent.* II. 31. 9. postea tamen sensim obsoleuit noxæ deditio filiorum filiarumque familias, eaque grauiter improbatur ab Imperatore. §. *vlt. Inst. de nox. action. adde l. vlt.* §. 4. *C. de furt. et seru. corrupt.*

Quid noxae dare, et qui noxae dati?

§. IIII.

Non vero proprium et speciale hoc erat actionis cuiusdam nomen, sed qualitas quaedam duntaxat, quæ actionibus *ex delictis* vel *quasi delictis* adiiciebatur. Hinc alia *actio noxalis* erat *furti*, de qua legibus XII. Tabularum ita fuerat cautum: SI SERVVS, INSCIENTE DOMINO, FVRTVM FAXIT, NOXIAMVE NOXIT, NOXAE DEDITOR. *l.* 2. §. 1. *D. de noxal. action.* Gothofred. *de Leg.* XII. *Tab. Tab.* XII. Alia *actio noxalis de dolo*, alia *noxalis de damno iniuria dato*, alia *noxalis arborum furtim caesarum. l.* 3. §. 7. *D.*

Actionum noxalium indoles.

Source : BIU Cujas

ad exhib. l. 9. §. 4. D. de dolo malo l. 19. et l. 28. D. de noxal. act. l. pen. D. commod. l. vlt. C. de furt. l. 7. §. 5. D. arb. furt. caesar. Eodem modo ex edicto praetoris, de *vi bonorum raptorum* et ceteris delictis noxales instituebantur actiones. Huber. *Prael. ad Inst. h. t. p. 396.*

§. V.

Quomodo institutae?

Ea porro harum actionum vis erat ac potestas, vt dominus paterue vel aestimationem litis sufferre, vel seruum filiumue familias noxae dedere cogeretur. Vnde hac similiue formula intendebantur actiones noxales: AIO, STICHVM, MAEVII SERVVM, FVRTO, (RAPINA, ARBORIBVS FVRTIM CAESIS,) NOXIAM MIHI NOCVISSE, ET MAEVIVM AVT AESTIMATIONEM SVFFERRE, AVT STICHVM NOXAE MIHI DEDERE OPORTERE. Ita enim hanc actionis formulam sese habuisse, magis crediderim, quam quomodo eam concipit Sigonius *de iudic. I. 21. p. 484.*

TIT. VIIII.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR.

NOxalis quoque est ACTIO DE PAVPERIE: siquidem et is, cuius quadrupes damnum dederat praeter naturam generis sui, vel aestimationem sufferre, vel quadrupedem noxae dedere iubebatur. Vnde non mirum, Imperatorem de hac quoque actione proxime post noxales agere.

§. I.

Actio quadrupedaria ex XII. Tabulis est.

Haec quoque actio ex Legibus XII. Tabularum descendit, quibus cautum fuisse legimus: SI QVADRVPES PAVPERIEM FAXIT, DOMINVS NOXIAE AESTIMIAM OFFERTO, SI NOLIT, QVOD NOXIT, DATO. *l. 1. princ. §. 1. et 2. D. h. t.* De quadrupedibus ergo lex agit, adeoque ea aliquanto latius hoc vocabulum accipit, quam lex Aquillia. Quum enim haec pecudes tantum quadrupedes commemoret, quales sunt, quae gregatim pascuntur: (Vide supra *Lib.* IIII. *Tit.* III. §. VII.) lex illa XII. Tabularum *quadrupedes* tantum exprimit, adeoque damnum etiam ab aliis quadrupedibus quae non essent pecudes, datum vindicat, non tamen a feris bestiis, etiamsi essent in dominio. Hic enim requirebatur.

Source : BIU Cujas

rebatur damnum contra naturam animalis datum. *l.* 1. §. 7. *D. h. t.* Beſtiarum vero genitalis eſt feritas. *l.* 1. §. 10. *eod.* Damnum vero a quadrupede datum vocatur *pauperies*. *l.* 1. §. 1. *eod.* Feſt. *voce pauperies p.* 358. (*a*) Quae vox ea damna ſignificat, quae quadrupes, feritate commota, intulit, non ſi quid depauerit. Nam hoc caſu altera dabatur actio de *paſtu pecoris*, quae ex iiſdem legibus XII. Tabularum deſcendit. *l.* 14. *fin. D. de praeſcript. verb.* (*b*) Ceterum actio DE PAVPERIE, aeque ac de paſtu, noxalis erat, et aduerſus dominum competebat, vt aut damni ſufferret aeſtimationem, aut quadrupedem noxae dederet.

(*a*) Caper in *Orthographia* ita diſtinguendum putat inter *paupertatem* et *pauperiem*, vt *illa* egenorum conditionem, haec *damnum* denotet.

(*b*) Schultingius ad Paull. *Rec. Sent. l.* 15. 1. recte obſeruat, ob quadrupedes alieno agro immiſſas non datam actionem de paſtu pecudis, ſed inſtituendam tunc fuiſſe actionem ex lege Aquillia. *l. vlt. C. ad L. Aquill.* et hinc Iuuenalem *Satyr. XIIII. v.* 151. hoc delictum vocaſſe *iniuriam*, id eſt, damnum iniuria datum.

§. II.

Idem ſpeciatim de cane cautum eſſe *lege* quadam PESVLANIA, tradit Paull. *Recept. Sent.* I. 15. 1. Sed de ea lege PESVLANIA nimium quantum inter ſe diſſentiunt Interpretes. Vir ſummus, Iac. Cuiacius, qui in vetere quodam Codice legerat PESOLONIA, primum ſuſpicabatur, Paullum ſcripſiſſe *lege Solonia*. Nam de hoc legiſlatore ſcribit Plutarchus *in Solon. p.* 91. Ἔγραψε δὲ καὶ βλάβης τετραπόδων νόμον, ἐν ᾧ κύνα δακόντα παραδῆναι κελεύει κλειῷ τετραπήχει δεδεμένον. *Scripſit etiam legem de noxia quadrupedum, qua canem mordentem, quatuor cubitorum catenae adligatum dedi iuſſit.* Vnde non dubitandum exiſtimabat Cuiacius, quin ad hanc ipſam Solonis legem Paullus reſpexerit. Eam Cuiacii coniecturam deinde magnopere probarunt Ant. Auguſtinus et Conr. Rittershuſius, adeo, vt hic eam lectionem in ipſum textum admittere haud dubitarit. Sed ſane vocabuli terminatio magis Romanam, quam Atticam legem videtur indicare. Quis enim vmquam Solonis leges vocauit *Solonias*? Et cur Paullus in libro, quo prima iuris Romani elementa complexus eſt, legem quamdam Graecam adduxiſſet? Si recte ſe habet ſcriptura, ac non potius *Petiliana* vel alio modo ſcriptum fuit: veroſimilius eſt, Peſulanum quemdam, quiſquis is demum fuerit, tribunum plebis, ſpeciatim de cane ſanxiſſe, quod lex XII. Tabularum generatim

Lex Peſulania de cane.

Source : BIU Cujas

de quadrupedibus ſanxerat, adeoque legem PESVLANIAM plebiſcitum quoddam eſſe, cuius tamen auctorem aeque, ac aetatem, ſcimus iuxta cum ignariſſimis. Hotomanus *de Legib. Rom. p.* 88. Sane ob damnum quoque, a canibus datum, competebat noxalis actio, ſi canis ſolutus fuiſſet. *l.* 2. §. 2. *D. h. t.* (*c*) Quod procul dubio Peſulania illa lege primum inuectum eſt.

(*c*) Fallitur ergo Iac. Cuiacius *Adnot. ad Paulli Recept. Sent. p. m.* 252. negans, canes his actionibus contineri, eo quod illi inter pecudes non ſint. Hoc enim de actione ex lege Aquillia verum eſt, non de actione quadrupedaria. *l.* 2. §. 2. *D. ad L. Aquill.*

§. III.

Edictum aedilitium de cane aliisque beſtiis.

Eodem hoc titulo Imperator meminit EDICTI AEDILITII, (*d*) per quod non licebat canem aliudue animal ſiue ſolutum, ſiue ligatum in viis publicis vbi vulgo iter fit, homineſque conſiſtunt, habere. Si aduerſus ea factum eſſet, et homo liber ex ea re periiſſet, ſolidorum CC. ſin alias libero homini nocitum eſſe diceretur, quod aequum bonumque iudici videretur, tanti condemnaretur dominus: ceterarum vero rerum, quantum damnum datum fuerit, dupli (*e*), §. 1. *Inſt. h. t.* et *l.* 40. *l.* 41. *l.* 42. *D. de edict. aedil.* vbi ipſa legitima Aedilis verba habentur. Extra locum publicum fas erat Romanis, quaeuis habere animalia, veluti canes, vrſos et hujus generis alia. Ea ſolebant interdiu vincta alligataque habere: noctu vero dimittere libera: Varro *de Re Ruſt. I.* 21. Hinc canis apud Phaedrum *Fab.* III. 7. *v.* 18.

Quia videor acer: adligant me interdiu.

Nonnumquam etiam epigramma addebant: CAVE CANEM, ne quis praetereuntium propius accederet, et a cane latitante inuaderetur. Exemplum exſtat apud Petron. Arbitr. *Satyr. Cap. LXXII.*

(*d*) Praetori hoc edictum tribuit Paullus *Rec. Sent. I.* 16. 2. partim, quod de iiſdem rebus, de quibus aediles, praetores quoque ius dicere ſolebant. Cuiac. *Obſ. VIII.* 28. partim quod edictum aedilitium in praetoris edictum poſtremo transfuſum videtur. Ian. a Coſta *ad* §. 2. *Inſt. de diuiſ. ſtipulat.*

(*e*) Immo tempore Paulli etiam extraordinaria poena habebat locum. Vid. Paull. *Recept. Sent. I.* 15. 13. Id quod nec ex praetoris, nec ex aedilitio edicto eſt.

§. IIII.

Formulae harum actionum.

Ex his ergo facile patet, quibus formulis etiam hae actiones intendi conſueuerint. Si quis enim actionem quadrupedariam inſtituere vellet, ita intendebat: AIO, BOVEM MAEVII SERVVM MEVM, STICHVM,

Source : BIU Cujas

STICHVM, CORNV PETIISSE, ET OCCIDISSE, EOQVE NOMINE MAEVIVM MIHI AVT SERVI AESTIMATIONEM PRAESTARE, AVT BOVEM MIHI NOXAE DARE OPORTERE. Sin ex aedilitio edicto esset agendum, formula erat: AIO, VRSVM MAEVII MIHI VVLNVS INTVLISSE, ET MAEVIVM, QVANTVM AEQVIVS MELIVS, MIHI DARE OPORTERE, vel: AIO VRSVM MAEVII MEAM MIHI VESTEM DISCIDISSE, EVMQVE DVPLVM, QVANTI VESTIS EST, MIHI DARE OPORTERE. Sigon. *de Iudic.* I. 21. *p.* 484.

TIT. X.

DE IIS, PER QVOS AGERE POSSVMVS.

QVum omne iudicium litigantium desideret praesentiam, neque omnes tamen promiscue ea prudentia atque facundia esse soleant, vti ipsi pro se agere, actionemue excipere possint: inuenti sunt a Romanis COGNITORES & PROCVRATORES, qui alienas causas in iudiciis agerent. De his ergo hoc titulo paullo adcuratius agendum.

§. I.

Iam a Romulo inuentum fuisse *ius patronatus*, jussosque esse patricios, lites pro clientibus plebeiis suscipere, iam supra ostendimus ex Dionys. Hal. II. p. 84. vbi etiam obseruatum a nobis est, sequente aeuo, vbi iam istud institutum exoleuerat, natum inde esse aliud *patronorum* genus, quod se totum forensibus controuersiis consecrarit, operamque litigantibus aut commodarit, aut locarit. Rittershus. *ad* XII. *Tab. p.* 82. Frider. Brummer. *ad Leg. Cinc.* II. *p.* 20. Ceterum huic forensi operae dare se solebant adolescentes nobilissimi, quibus primum hoc erat industriae specimen, primum honorum rudimentum. Nec temerario impetu ruebant in forum, sed plerumque a consulari quodam deducebantur, ceu docet Plin. *Epist.* II. 14. qui etiam sua aetate hunc morem sensim exolescere, dolet, quamuis ipse eum in vsum revocare conatus sit, ceu patet ex eodem *Epist.* VI. 23. Est haec origo *aduocatorum*, qui *superesse* dicebantur negotiis, (Vid. Gell. *Noct. Att. I.* 22.) quamuis tunc nondum fas esset litigantibus, abesse a iudicio. Origo aduocatorum.

§. II.

Source : BIU Cujas

§. II.

Nemo alterius nomine agere poterat.

Nam ne fieri quidem poterat ex antiqui iuris Romani principiis, vt alterius nomine quisquam ageret. Primo enim generalissima erat regula iuris, PER EXTRANEAM PERSONAM NIHIL ADQVIRI POSSE. §. 5. *Inst. per quas pers. adquir. l.* 126. §. 2. *D. de verb. obl. l.* 73. §. *vlt. D. de reg. iur.* Quum vero etiam per sententiam iudicis adquiratur: consequens erat, vt extranea persona alieno nomine agere haud posset. Deinde paullo ante ad titulum de actionibus obseruauimus, omnes actiones atque exceptiones in stipulationem esse deductas: stipulari vero aliis nemo poterat ex tritissima Romani iuris regula *l.* 38. §. 17. *D. de verb. obl.* Vnde et ob hanc rationem nemo pro alio agere poterat in iudiciis. Denique eodem loco monuimus, actiones omnes certis formulis sollemnibusque verbis fuisse comprehensas. Iam hae formulae omnes ita conceptae erant, vt vnusquisque, quod suum esset, petere posset. Vt vero peteret quis, quod alteri deberetur, nulla erat prodita iure ciuili actio. Ger. Noodt. *Comm. ad Pand.* III. 3. *p.* 126. Vt paucis dicamus, actiones erant *actiones legis*: *l.* 2. §. 6. *D. de orig. iur.* actiones autem huiusmodi nec diem, nec conditionem, nec procuratorem admisisse, iuris erat certissimi. *l.* 123. *pr. D. de reg. iur.* Ex quibus omnibus non poterant non colligere Romani, necessariam esse litigantium praesentiam, nec posse quemquam alieno nomine vel intendere litem, vel excipere (*a*).

(*a*) Iam ab antiquissimis tamen temporibus excipiebantur actiones *pro populo*, *pro libertate*, *pro pupillo*. Quum enim nec totus populus, nec seruus, nec pupillus agere ipsi possent: conuenientissimum erat, his casibus admitti procuratores. Excipiebantur etiam absentes reip. caussa, aut si apud hostes essent, pro quibus furti ab aliis agi poterat ex lege Hostilia. *pr. Inst. h. t.*

§. III.

Quid cognitores & procuratores?

Enimuero, quum hoc molestissimum esset illis, qui subtilitates iuris forique ambages parum intelligebant: inuenti demum sunt COGNITORES et PROCVRATORES, qui aliorum lites susciperent. Quale inter eos discrimen fuerit, quibusdam paullo videtur obscurius. Vtrosque fuisse caussarum ministros et suffragatores, docet Imperator. *l. vlt. C. Theod. de cognit. et procurat.* Ast in eo diuersam illorum conditionem fuisse animaduertunt, quod procurator absentis litigatoris, cognitor praesentis caussam egerit, idque

Source : BIU Cujas

que colligunt ex Festo et Asconio Paediano. Sed non dicit Festus, cognitores egisse causas, dominis praesentibus, verum causas illis a dominis praesentibus fuisse mandatas. Quod vbi factum, domino deinde licebat suo arbitrio abesse, vt patet ex Ciceron. *pro Q. Rosc. Comoed.* II. et Horat. *Serm.* I. 5. *v.* 35. vbi poeta:

- - - Ire domum, atque
Pelliculam curare iube: si COGNITOR *ipse.*

Quare dicere malim, in eo positam fuisse differentiam, quod I. cognitores praecipue in status controuersiis, procuratores in reliquis causis ciuilibus locum habuerint: II. quod cognitores cum solemnitate aliqua a praesentibus, procuratores, sine eiusmodi sollemnitate per mandatum ab absentibus fuerint constituti. Prius docet Donatus *ad Terent. Eunuch.* IIII. 7. *v.* 35. vbi, quum dixisset comicus:

Principio eam dico esse liberam, ciuem Atticam, sororem meam.

addit Donatus: *in tria diuisit officium defensionis suae: in* ADSERTORIS, *Principio eam dico esse liberam: in* COGNITORIS, *ciuem Atticam: in* FRATRIS, *meam sororem.* Posterius vero erudite suo more demonstrauit Iac. Gothofredus *ad d. l. vlt. C. Theod. de cognit. et procurat.* Inde est quod vocantur praesentium cognitores, *l. vlt. C. Theod. de cognit. et proc.* qui litem alterius suscipiunt coram eo, cui dantur, Fest. *voce cognitor*, qui praesentium causam norunt, et tuentur, vt suam. Ascon. Paed. *ad Cic. Diuin. cap.* IIII. Quinam cognitores esse potuerint, disquirit Paull. *Rec. Sent.* I. 2. Atque hinc saepe oriebatur disceptatio forensis: *Non licet tibi agere mecum: cognitor enim fieri non potuisti.* Quinctil. *Instit. Orat.* III. 6. Ordinarie cognitores permittebantur senibus, et aegrotantibus, de quibus *Auct. ad Heren.* II. 13. *Ex aequo et bono est, quod maior annis LX. et cui morbus caussa est, cognitorem det.* Sed quum formulae sollemnes sensim ab vsu recederent; obsoleuit etiam nomen cognitorum, adeo vt Tribonianus illud vbique expunxerit (*b*), ceu ex *l.* 28. §. 7. *D. de poenis*, comparata cum Paulli *Rec. Sent. V.* 25. 10. ad oculum patet.

(*b*) Meminit adhuc *cognitorum* Paullus *Rec. Sent. I.* 2. 5. Meminit Codex Theodosianus. Sed Tribonianus vbique eos expunxit, non quia putauit, alioquin derogatum iri dignitati cognitorum, qui erant iudices a principe dati, vt existimat Iac. Guther. *de Offic. dom. Aug. I.* 25. Sed quia Iustiniani aeuo cognitorum opera aeque, ac ipsum nomen, in foro non amplius audiebatur.

Source : BIU Cujas

§. IIII.

Cur procuratoribus adfictum dominium litis?

Ne tamen, inuentis cognitoribus et procuratoribus, vetus illud iuris Romani principium de quo *num.* II. diximus, plane reiiceretur, neque procuratores alieno nomine agere viderentur; finxerunt suo more ICti, DOMINIVM LITIS in procuratorem transire, id est, *facultatem quamdam, vi cuius actio ita alicuius propria videretur, vt illam quasi suo nomine mouere posset ac peragere, l.* 4. §. 3. *D. de alienat. iud. mut. causs. l.* 4. §. *fin. D. de adpell.* Boehmer. *Diss. de domin. lit.* 1. 12. Id vero dominium litis in procuratorem transferebatur per litis contestationem, per quam quippe cum aduersario quasi contrahebatur, dummodo antecessisset principalis mandatum. Schilter. *Exerc. X.* 46. Boehmer. *ibid. n.* 24. 26.

§. V.

Effectus dominii litis.

Varii vero erant huius dominii effectus, veluti I. quod omnes iudicii actus, ipsaque sententia in procuratorem dirigetur, *l. vn. C. de fatisdat.* II. Quod, lite contestata, citatus principalis impune emaneret, neque ratum esset, quod ille inuito procuratore in iudicio gessisset. Boehm. *ibid. III*, 10. III. Quod nec procurator ex actione famosa condemnatus notaretur, et principalis tunc integrae famae censeretur, *l.* 6. §. 2. *D. de his qui not. infam.* IIII. Quod principalis posset pro procuratore cautionem interponere. *l.* 8. §. 3. *et l.* 15. *D. de procur.* V. Quod procuratoris negligentia et contumacia domino noceret. *l.* 78. §. 2. *D. de legat.* 2. VI. Quod procurator sibi adquireret actionem directam tum ex stipulatu, tum rei iudicatae, adeoque et agere ex vtroque posset, et conueniri (*c*). VII. Quod procurator, vi huius dominii, posset alium ipso iure sibi substituere, *l.* 8. 11. 23. *C. de procur.* nec non substitutionem reuocare, dummodo res adhuc esset integra. Boehmer. *Diss. ead.* II. 18. VIII. Quod procurator, nisi caussa cognita, mutari non posset. *l.* 17. *D. de procur.* VIIII. Quod dominum etiam reconuentione pulsatum defendere teneretur. *l.* 33. §. 3. *sequ. l.* 35. *D. de procurat.* X. Quod litem ad heredes transmitteret. Quam tamen veteris iurisprudentiae subtilitatem iam dudum sustulere Theodosius et Valentinianus Imperatores. *l. fin. C. Theod. de procur.* XI. Quod procuratoris esset,

(*c*) Neutro tamen casu illa actio efficax est. *l.* 28. *D. de procur.* Sed procurator conuentus, exceptione domini se tueri potest. Boehmer. *Diss. de Domin. lit. II.* 15.

Source : BIU Cujas

set, et interponere adpellationem, et eamdem prosequi. *l.* 18. *D. de adpellat. l.* 2. *C. de procurat.* XII. Quod procurator, mortuo domino, litem nihilominus prosequi teneretur. *l.* 23. *C. de procur.* et quae sunt huius generis alia.

§. VI.

Procuratores in quibus iudiciis locum habuerint?

Locum tamen procuratores habebant tantum in iudiciis priuatis, non aeque in publicis. In his neque accusator per procuratorem agere poterat, propter necessitatem inscriptionis, de qua infra suo loco agemus: neque reus, si ipse praesens, et crimen ita comparatum esset vt capitis damnari posset. Boehm. *Diss. ead.* II. 13.

§. VII.

Quinam defensores, patroni caussarum, et aduocati?

A procuratoribus differebant DEFENSORES, qui sine mandato rei absentis nomine interueniebant, litemque suscipiebant, de quibus satis accurate agunt doctores ad *tit. D. de procur. & defens.* Differunt etiam PATRONI CAVSSARVM, ADVOCATI, PROCVRATORES et COGNITORES, quorum discrimen hoc tradit Ascon. Paedian. *ad Cicer. Diuinat. in Verr. p.* 1759. *Qui defendit alterum in iudicio, aut* PATRONVS *dicitur, si orator est; aut* ADVOCATVS, *si aut ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico; aut* PROCVRATOR, *si negotium suscipit; aut* COGNITOR, *si praesentis caussam nouit, et sic tuetur, vt suam.* Sed de *cognitoribus* paullo ante; de *aduocatis* et *patronis caussarum* supra satis accurate egimus.

TIT. XI.

DE

SATISDATIONIBVS.

TOto coelo a fori nostri vsu distat vetus SATISDATIONVM ratio, de qua quaedam ex antiquitatibus monere iuuat, sed pauca: quum pleraque ipse Imperator exsequutus sit.

§. I.

Satisdatio quid?

SATISDARE iureconsultis est, datis fideiussoribus cauere. *l.* 1. *D. qui satisd. cogantur.* quamuis aliquando, latiore vocabuli notione,

Source : BIU Cujas

tione, & reliquae cautiones satisdationum nomine veniant. *l.* 61. *D. de V. S. l.* 21. §. 2. *D. de pecun. const. l.* 49. *D. de solut.* Et sane ignotae veteribus fuisse videntur cautiones, vel per pignora, vel per iusiurandum, vel per nudam promissionem praestitae, quae tamen postea etiam in vsu esse coeperunt, ceu ex titulo eodem Digestorum adparet.

§. II.

Satisdationis quaenam fuerit ratio in iudiciis realibus?

Distingui, quod ad satisdationem attinet, solebat inter iudicia IN REM, & in PERSONAM. Quoties IN REM agebatur, satisdandum erat I. a possessore; quod si victus esset, nec rem ipsam restitueret, nec litis aestimationem, potestas futura sit petitori aut cum eo agendi, aut cum fideiussoribus eius, quae satisdatio vocari solebat IVDICATVM SOLVI. *princ. Inst. h. t.* Quin idem possessor cauebat etiam datis fideiussoribus, nihil se deterius in possessione facturum. Quod ni faceret, possessio in satisdantem adversarium transferebatur. Paull. *Recept. Sent.* I. 101. Vide supra *Lib.* IIII. *Tit. V. n.* 24. 25. Satisdatio haec *iudicatum* solui hac formula concipiebatur: SI EA RES SECVNDVM ME, HEREDEMVE MEVM, A SEMPRONIO IVDICE, QVIVE IN EIVS LOCVM SVBSTITVTVS ERIT, IVDICATA ERIT, QVOD OB EAM REM TE, HEREDEMVE TVVM DARE, FACERE, PRAESTARE, OPORTEBIT, QVANTI EA RES ERIT, DARE SPONDES? Barn. Brisson. *de Form. V. p.* 393. Satisdare etiam tunc cogebantur. II. Procuratores actorum, qui REM RATAM DOMINVM HABITVRVM, cauebant. *princ. Inst. eod.* Idem etiam III. de tutoribus curatoribusque est intelligendum, qui et ipsi non secus, ac procuratores, cauebant, *princ. Inst. eod.* sed id tamen tum demum locum videtur habuisse, si quando, an tutores essent, dubitabatur. *l.* 23. *D. de adm. tut.* Vulgo enim a tutoribus et curatoribus de rato non satisdabatur. *l. vlt.* §. 3. *C. de adm. tut.* Huber. *Praelect. ad Inst. h. t. p.* 399. Et hoc innuere videtur Iustinianus, dum *d. pr. Inst. h. t. tutoribus agentibus hanc satisdationem aliquando remissam esse*, ait.

§. III.

Vt et in iudiciis personalibus.

Ad iudicia IN PERSONAM quod attinet, ne hic quidem actor satisdare cogebatur, immo nec reus, si suo nomine iudicium accipiebat. Id quod de cautione IVDICATVM SOLVI videtur intelligendum. Cautio enim REM RATAM HABERI ab actoris procuratore omnino erat praestanda, quandoquidem edicto praetoris fuerat cautum: CVIVS NOMINE QVIS ACTIONEM SIBI DARI POSTVLAVERIT,

Source : BIU Cujas

LAVERIT, EI, QVO NOMINE AGIT; ID RATVM HABERE EVM, AD QVEM EA RES PERTINERET, BONI VIRI ARBITRATV SATISDET. Rei autem procuratorem IVDICATVM SOLVI cauere oportebat, *quia nemo defensor in aliena re, sine satisdatione, idoneus esse creditur.* §. 1. *Inst. h. t.* Hinc falsus est Alphenus, dum *negauit, aequum esse, procuratorem satisdare: quod reus satisdare non deberet, si adesset.* Cic. *pro P. Quinct.* VII. Car. Sigon. *de Iudic.* I. 27. *p.* 500.

§. IIII.

In causis bonae fidei, et arbitrariis, si in arbitrum compromississent, aliquando deponebatur certa pecunia. Cic. *pro Q. Rosc. Com.* IIII. *Quaero abs te quid ita de hac pecunia compromissum feceris, arbitrum sumseris, quantum aequius melius sit dari, repromittique, si pareret?* Quum enim periculum esset, vt alterutra pars arbitri sententiae staret: plerumque haec pecunia deponebatur, vt mulctae loco eriperetur ei, qui hoc modo elusisset arbitrium. Sigon. *ibid. p.* 501. Quid Compromissum?

§. V.

Et haec erat vetus satisdandi ratio, quam demum litis contestatio sequebatur. Vide supra *Lib.* IIII. *Tit.* VI. *num.* 42. Sed haec omnia postea immutata sunt. Nam nouo iure reus, siue in rem, siue personali actione conueniretur, numquam cauebat IVDICATVM SOLVI, sed tantum IVDICIO SISTI. quae cautio etiam iureiurando, vel nuda promissione praestari poterat, nisi reus de fuga esset suspectus. Procurator actoris, nisi dominus praesens actis insinuaret mandatum, satisdare cogebatur, REM RATAM HABERI. Rei vero procurator non adigebatur ad satisdationem, sed sufficiebat, si reus vel in iudicio, vel extra iudicium, pro eo caussisset, IVDICATVM SOLVI. Rei absentis defensori semper erat satisdandum IVDICATVM SOLVI, alias non admittebatur ad suscipiendam pro alio sine mandato actionem. Haec noua est illa satisdandi ratio, quae Constantinopoli introducta, omnes deinde reliquas prouincias imperii peruasit, necessarium esse existimante Iustiniano, *caput omnium ciuitatum, nempe regiam vrbem, eiusque obseruantiam, omnes prouincias sequi.* §. 7. *Inst. h. t.* Noua satisdandi ratio.

Source : BIU Cujas

TIT. XII.

DE PERPETVIS ET TEMPORALIBVS ACTIONIBVS, ET QVAE AD HEREDES, ET IN HEREDES TRANSEVNT.

VT rerum corporalium erat vſucapio: ita et ratione iurium praeſcriptio. Inter iura vero, quae in bonis ſunt, quum etiam ſint actiones, conſequens erat, vt et iſtis lapſu temporis praeſcriberetur. Hinc actiones aliae PERPETVAE erant, aliae TEMPORARIAE, aliae HEREDIBVS, et IN HEREDES, aliae vel IISDEM, vel IN EOSDEM, minus competebant. Qua de re hoc titulo dicendum.

§. I.

Actiones quaenam perpetuae.

Quemadmodum leges perpetuae ſunt obligationis: ita et actiones, quae ex legibus naſcebantur, erant PERPETVAE, ita, vt iis nullo vmquam tempore praeſcriberetur. *pr. Inſt. h. t.* Poſtea, quum intereſſe videretur reipublicae, lites aliquando finiri: conſtitutionibus principum cautum eſt, vt eiusmodi actionibus, quae ex lege deſcendunt, triginta aut aliquando quadraginta annorum ſpacio praeſcriberetur. *princ. Inſt. h. t.* Remanſit tamen antiqui vocabuli vſus, adeoque et actiones, quae circumactis triginta vel quadraginta annis exſpirant, PERPETVAE vocatae ſunt. Briſſon. *de Verb. Signif.* voce *Perpetuus.* Tempus enim XXX. annorum veteribus erat γενεά, et id ſatis longum ſpacium videbatur homini, ius ſuum perſequuturo. Hinc Gloſſae Nomicae, Περπετεῦον καλεῖ καὶ τὸν τριάκοντα ἐτίας χρόνον, καὶ τὸν ἄχρι τῆς ζωῆς τοῦ ἀνθρώπου χρόνον. PERPETVVM *vocat triginta annorum ſpacium, tum, quod per vitam hominis durat.* Ergo omnes actiones ciuiles ex conuentione erant perpetuae, et triginta annos durabant. *l. 3. C. de praeſcr. trig. an.* (*a*) Idem annorum terminus praefixus eſt

(*a*) Excipiuntur tamen actiones perſonales ad promiſſam ſeruitutem conſequendam competentes, quibus inter praeſentes decem, inter abſentes viginti annorum lapſu praeſcribebatur. *l. 16. C. de vſufr. l. 13. C. de ſeruit.* Alias exceptiones, quae pleraeque ex recentiore iure deſcendunt, dabit Stryk. *de Praeſcript. act. ciuil. p.* 314.

Source : BIU Cujas

est actionibus mixtis, *l. 7. C. de hered. pet.* nec non actionibus ex delicto ortis, quoties ciuiliter agitur, quia et hae actiones personales, adeoque per *l. 3. C. de praescr. trig. ann.* perpetuae sunt. At criminales accusationes quamuis et ipsae personales sint: plerumque tamen XX. tantum annos competunt. *l. 12. C. ad L. Corn. de falsf.* (*b*)

(*b*) Exceptis criminibus continuis, vt et parricidio, et suppositi partus, de quibus semper recte agitur. *l. 13. D. ad SC. Silan. l. 19. §. 1. D. ad L. Corn. de falsf.* Notum quoque est delictis carnis quae vocant quinquennio praescribi, nisi vel vis, vel incestus accesserit. *l. 29. §. 9. D. ad L. Iul. de adult. l. 39. §. 5. eod.* Idem tenendum de crimine peculatus, *l. 7. D. ad L. Iul. pecul.* et quibusdam aliis, de quibus ICti plenius agunt.

§. II.

Actiones praetoriae annuae.

Praetoris quum annuum esset imperium, neque edictum eius, vt supra *Lib. I. Tit. II.* ostendimus, diutius valeret: consequens erat, vt et omnes actiones praetoriae non nisi annuae essent. *pr. Inst. h. t.* Postea tamen et hae ex parte factae sunt perpetuae. Nam quaedam et hodie temporariae sunt, praesertim quae ad rescissionem actus gesti, aut poenam tendunt. *l. 35. pr. D. de oblig. & act.* (*c*) Quod etiam de actionibus aedilitiis dicendum, siquidem et aedilium iurisdictio vertente anno exspirabat (*d*). Enimuero, quum durum videretur, rei persequutorias actiones, Praetoris edicto datas, tam breui temporis lapsu perimi, et eum, qui res alienas detinebat, decedente praetore, securum praestari: inualuit vt actiones praetoriae, quibus rem persequimur, tamdiu durarent,

Nonnullae etiam perpetuae.

(*c*) Perpetuae tamen sunt ex praetoriis poenalibus actio furti manifesti. *pr. Inst. h. t.* Quod ideo inductum, quia actio haec ex XII. Tabulis descendit, quamuis praetor poenam mutarit. Gell. *Noct. Att. II. 18.* Eiusdem naturae ex eadem ratione sunt actio furti aduersus nautas caupones et stabularios: *l. vlt. §. vlt. D. naut. caupon.* actio depositi miserabilis: *l. 18. D. depos.* actio serui corrupti: *l. 13. D. de seru. corrupt.* actio de effuso et deiecto, quoties liber homo laesus. *l. 5. §. 5. D. de his qui effud. vel deiec.* Quarum omnium eadem est ratio, quia actio furti aduersus nautas, et actio depositi in duplum, vere ex legibus XII. Tab. actiones reliquae ex L. Aquillia originem trahebant, quamvis quaedam circa eas praetor immutasset. Biennalis est actio doli. *l. fin. C. de dol. mal.*

(*d*) Attamen si ex edicto aedilitio rescindendus erat contractus, veluti per actionem redhibitoriam, sex mensibus tantum durabat actio, nisi tantum propter ornamenta detracta animal redhiberetur, quo casu actio bimestris tantum erat, *l. 28. D. de aedilit. edict.*

Source : BIU Cujas

durarent, quamdiu ciuiles, id est, reales, si possessor esset in conditione vsucapiendi, ob res mobiles triennium; ob immobiles X. vel XX. personales XXX. annos. *l.* 35. *pr. D. de obl. et act. l.* 8. §. 7. *D. de precar.* Tricennales quoque erant actiones praetoriae, quae ex delicto non poenam, sed rem persequebantur, Stryk. *de inuestig. action. Sect.* III. 3. 4. *p.* 331. qui de his omnibus tam accurate commentatus est, nihil vt addi hic posse videatur.

TIT. XIII. XIIII.

DE

EXCEPTIONIBVS ET REPLICATIONIBVS.

QVae in iudiciis actoris fuerint partes, quaue formula is actionem intenderit, supra titulo VI. satis superque explicauimus. Diximus ibidem, n. XXXVIII. reum actionem vel *negando* excepisse, vel *excipiendo* elidere esse conatum. Ea EXCEPTIO a praetore erat postulanda, aeque ac actio (*a*) et quidem proposita actione. Vnde tamquam ridiculum errorem veteris poëtae exagitat Terent. *in Eunuch. prooem. v.* 10. quod in comoedia induxerit reum, caussam prius dicentem quam actor thesaurum vindicans dixisset, vnde is sibi thesaurus sit, aut vnde in patrium monimentum peruenerit. Ad quem locum Donatus: *Possessorem fecit, priorem agere, quam petitorem, quod abhorret a consuetudine, et iuris, et litium.* Si reus excipiebat, actor denuo replicabat. Vnde iam de EXCEPTIONIBVS et REPLICATIONIBVS erit agendum.

(*a*) Saepe nihil addebat ad inficiationem, et tunc *pura* ea dicebatur defensio. Sin addebat exceptionem: *coniuncta* vocabatur. Car. Sigon. *de iudic. I.* 21. *p.* 472. Cic. *de Inuent. II.* 20. *Agit is, cui manus praeciſa est, iniuriarum: postulat is, quocum agitur, a praetore exceptionem. -- Is qui agit,* IVDICIVM PVRVM *postulat; ille, quocum agitur, exceptionem ait addi oportere.*

§. I.

Exceptiones quotuplices? Erant exceptiones duorum generum. Aliae ex lege proficiscebantur, aliae ex edicto praetoris; quarum illae CIVILES, hae PRAETORIAE vocantur. Saepe enim, vbi lex dederat actionem: prae-

Source : BIU Cujas

praetor dabat exceptionem. Sic quum pactum ex Romani iuris principiis nihil operaretur: exceptionem tamen pacti admittebat Praetor, adeoque haec praetoria erat exceptio. Vtraeque exceptiones iterum in PERPETVAS, siue PEREMTORIAS, et TEMPORARIAS, seu DILATORIAS, dispescebantur. Illae litem plane finiebant (*b*), veluti si reus opponeret, REM esse IVDICATAM. Hae eam tantum differebant, veluti si reus exciperet, debere se IN DIEM. Veniente enim die, nihil impediebat, quo minus actio institui posset, postquam pluris petitionem minus periculosam esse iusserat Zeno Imperator.

(*b*) Vocatae hae exceptiones etiam PRAESCRIPTIONES; sic praescriptionis rei iudicatae meminit *l.* 10. *D. de excepr. praescr. et praei.* praescriptionis doli *l.* 91. *D. de sol. et lib.* Praescribere vero est ante scribere, et inde hoc nomen datum videtur exceptionibus, quod quum ex iis penderet lis, vt ait Quinctilian. *Inst. Orat. VII. 6.* a praetore dictari ante actiones ipsisque actionibus praeponi et praescribi solerent. P. Fab. *Semestr.* I. 21. *p.* 118. *sequ.*

§. II.

Reo excipiente, actor REPLICABAT, id est, exceptionem illius noua exceptione elidere conabatur. Veluti, si quis ageret aduersus Caium, hunc sibi debere centum; et Caius exciperet, pactum inter se intercessisse de non petendo: actor verbi caussa respondebat, pactum illud nouo pacto esse sublatum, et tunc quidem REPLICARE dicebatur. Si tum quoque reo suppeteret noua exceptio, qua actoris replicatio elidi commode posset: ea DVPLICATIO adpellabatur: Immo nonnumquam ad TRIPLICATIONEM et QVADRVPLICATIONEM, pro varietate negotiorum procedebatur. Quae omnia satis adcurate docet Imperator his titulis. Illud vero obseruare licebit, exceptiones aeque, ac replicationes, includi consueuisse sponsionibus, quarum ratio ex sequente §. elucebit. Prouocabant scilicet se inuicem litigantes ad certam pecuniam, quae ei lucro cederet, qui iudicio vicisset. Vid. Cic. *in Verr. I.* 45. et ibi Ascon. Paedianus, Liu. XXXVIIII. 43. Valer. Max. II. 8. 2. Cicero *pro Caecin.* XVI. *et in Verr.* III. 57. 58. Replicatio.

§. III.

Vt vero ex antiquitatibus, qua forma proferri exceptiones et replicationes consueuerint, ostendamus: separanda omnino sunt *bonae fidei*, *arbitraria* et *stricti iuris* iudicia. In iudiciis arbitrariis et stricti iuris statim, intenta actione, reus opponebat exceptionem, Quaenam fuerit excipiendi et replican-

di ratio in iudiciis ſtricti iuris ?

nem, eamque deinde replicatione elidebat actor: adeoque non in iudicio, ſed in iure excipiendum replicandumque erat, ante litis conteſtationem. Sic intendente actore: AIO HVNC HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE, ſtatim addebat, qui rei cauſſam agebat: ET EGO NEGO, QVOD IAM RES IVDICATA SIT. Sequebantur ſponſiones ex parte actoris: SPONDESNE QVINGENTOS, SI HOMO ISTE EX IVRE QVIRITIVM MEVS SIT? SPONDEO. Ex parte vero altera: TV VERO SPONDESNE, NI HOMO TVVS SIT, NIVE RES IVDICATA SIT? SPONDEO. Denique et actio et exceptio inſerebatur formulae, quia iudex dabatur, hoc modo: SI PARET, HVNC HOMINEM IVRE QVIRITIVM CAII ESSE, NEQVE RES IVDICATA SIT, SEIVM CONDEMNATO. Aliud exemplum dedit Ge. Graeu. *Epiſt. ad Schilterum*, inſerta Schilt. *Exercit. ad Pand.* VII. 3. *p.* 222. Conf. Ger. Noodt *de Iuriſd. & Imp.* I. 13. *p.* 144. Car. Sigon. *de Iudic.* I. 21. *p.* 479. Exceptiones proponebantur verbis: SI NON, vel AC SI NON: item: AVT SI, AVT NISI, EXTRA QVAM SI, QVOD. Exempla ex ipſo iure colligit Cuiac. *Obſ. V.* 34. et multo accuratius Briſſon. *de Form. Lib. V. p.* 402. *ſequ.* Par ratio erat replicationum, quae eodem tempore, eademque ratione opponendae, in ſtipulationem deducendae, formulaeque erant inſerendae.

§. IIII.

Quaenam in iudiciis bonae fidei ?

Alia vero erat ratio iudiciorum bonae fidei, in quibus nihil attinebat, exceptiones in iure a praetore ſpeciatim impetrari, formulaeque includi, ſiquidem arbitri libera, et nullis adſtricta vinculis religio et detrahere aliquid poterat, et adiicere. Senec. *de Benef.* III. 7. Hinc locum habebat exceptio etiam poſt litis conteſtationem oppoſita. Quin exceptiones bonae fidei iudiciis ineſſe dicebantur. *l.* 3. *D. de reſcind. vendit. l.* 84. §. 5. *D. de legat.* 1. *l.* 21. *D. ſolut. matrim.* Ger. Noodt *ibid.* et *Probab.* II. 1. *p.* 42. *ſequ. de Foenore, et Vſur.* III. 15. *p.* 330. *de forma emendandi doli mali V. p.* 488. VIII. *p.* 495. *de pact. et tranſact. XI. p.* 682.

§. V.

Probatio exceptionis et replicationis facta in iudicio.

Vbi ad iudicium ventum, actor ſuam actionem et replicationem, reus exceptionem et duplicationem probabat. Nam et reus excipiendo actor fiebat. *l.* 1. *D. de except.*

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. XV.

DE

INTERDICTIS.

TRibus verbis, vt supra *Lib.* I. II. *n.* XXII. diximus, praetoris potestatem circumscripserant veteres. DABAT enim, DICEBAT et ADDICEBAT. Ad dicendi potestatem etiam INTERDICTA referuntur, de quibus hoc titulo quaedam ex antiquitatibus monebimus.

§. I.

Controuersiae aut de iure in re erant, aut de possessione. Si quis constans et perpetuum ius, in re sibi competens, persequebatur, eoque nomine actionem instituebat: dicebatur PETERE. Sin possessionem vel adipisci, vel retinere, vel recuperare vellet; qua de re ante institutas actiones reales plerumque incidebat controuersia: (Vid. *Lib.* IIII. *Tit.* VI. *n.* 24.) tunc non *petere* aut *agere*, sed INTERDICERE dicebatur. *Interdicere* ergo non solum erat praetoris, (*a*) sed et eius, qui de possessione agebat, adeoque idem erat, ac interdictum a praetore postulare, vel eodem vti. Quinctil. *Inst.* III. 6. *Non debuisti* INTERDICERE, (id est, interdicto vti,) *sed* PETERE, id est, actionem petitoriam instituere,) *an recte interdictum sit, ambigitur.* Eadem significatione vox INTERDICERE occurrit. *l.* 1. §. *pen. D. de via publ. l.* 3. *D. de tab. exhib. l. pen. D. ne quid in loco publ.* et locis aliis quamplurimis, collectis a Barn. Brisson. *de verb. sign. voce Interdicere p.* 290. Quid interdicere fuerit?

(*a*) In digestis etiam praetor nonnunquam INTERDICERE dicitur, veluti *l. vnic. pr. D. vt in flum. publ. l.* 1. §. 29. *D. de aqua quot. l. vn. pr. D. de fonte.* Sed frequentior tamen et antiquior est altera significatio.

§. II.

Quemadmodum ergo, qui possessionem rei in controuersiam deductae, petebat, INTERDICERE dicebatur: ita praetor tunc, si iu- Quid interdictum dare?

Source : BIU Cujas

si iustae praeces viderentur, (*b*) INTERDICTVM DABAT, quod aliquando etiam DECRETI, aliquando ACTIONIS nomine veniebat. Cuiac. *Obs. V.* 17. Faciebat id certa formula, qua aliquid fieri vel iubebat, vel vetabat, ita tamen, vt nihil interim de ipsa caussa decerneret, vt recte obseruauit Theophil. *princ. Inst. h. t.* Sic exempli caussa edicebat praetor: VTI NVNC POSSIDETIS EVM FVNDVM. Q. D. A. (id est *quo de agitur.*) QVOD NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS, ITA POSSIDEATIS, ADVERSVS EA VIM FIERI VETO. Fest. *voce possessio p.* 372. Vlpian. *l.* 1. *D. vti possid.* Reliquas formulas, quibus praetor de adipiscenda recuperandaque possessione edicebat, collegit Brisson. *de Form. V. p.* 388. *sequ.*

Formula interdicti.

(*b*) Dispiciebatur, an quis VEL VI, VEL CLAM, VEL PRECARIO possideret, quae vocabula Interdicto VTI POSSIDETIS similibusque inserebantur. *l.* 1. §. 5. *D. vti possid.* Hinc Chaerea apud Terent. *Eunuch. II.* 3.

Hinc tu mihi vel VI *vel* CLAM *vel* PRECARIO *Fac tradas.*

Ad quae verba Donatus: *Secundum ius loquutus est. Nam his tribus mala fide aliquid possidetur.* Vnde falluntur, qui interdictum *vti possidetis* possessorio summarissimo, quod vocant, comparandum existimant.

§. III.

Nec solum de possessione praetor interdicta dabat, sed et de iis controuersiis, quae de rebus sacris, religiosis, publicis, et huius generis aliis, incidebant, si qua vis in iis vel facta esset, vel metueretur. Sic de rebus sacris edicebat praetor: IN LOCO SACRO FACERE, INVE EVM IMMITTERE QVID VETO. *l.* 1. *D. ne quid in loco sacro fiat.* De religiosis: QVO QVAVE ILLI MORTVVM INFERRE, INVITO TE IVS EST, QVO MINVS ILLI EO EAVE MORTVVM INFERRE, ET IBI SEPELIRE LICEAT, VIM FIERI VETO. *l.* 1. *D. de mort. inferend.* Eodem modo praetor interdixerat, de locis et itineribus publicis, de fluminibus, de ripis, aliisque eiusmodi rebus, de quibus ipsae formulae exstant in *Libro* XXXXIII. *Digestorum.*

Interdicta de rebus sacris, religiosis, publicis.

§. IIII.

Ceterum ab actionibus interdicta toto coelo differebant. In actionibus non petebat actor statim, vt praetor aduersario aliquid imperaret, vel prohiberet, sed aiebat, verbi caussa, rem esse suam, vel sibi quid deberi ex mutuo vel alia caussa, iudiciumque

Differentia inter actiones et interdicta.

Source : BIU Cujas

que ad iudicem petebat. Ac in interdictis rogabatur praetor, vt interdiceret iubendo, aut vetando, formulis, quales adhuc adduximus. Ant. Schult. *ad Paulli Recept. Sent. V. 6. p.* 453. Cuiac. *Obſ. V.* 17. Actionibus inſtitutis, plerumque dabantur iudices: at interdicta ipſe interponebat praetor, nec in iis opus erat iudice. Car. Sigon. *ibid.*

§. V.

Dato tamen interdicto, ac negante altera parte, recte illud contra ſe petitum, iudicium erat dandum, et iudex vel recuperator conſtituendus, qui hac de re cognoſceret, ſententiam ferret, litemue, ſi ita ferret caſus, aeſtimaret. Cic. *pro Caecin.* II. *l.* 1. §. 41. *D. de vi et vi armat. l.* 3. §. *vlt. D. vti poſſidet. l.* 3. §. 1. *D. de itin. et actu priu.* Hinc iſto caſu etiam ſponſiones inter partes interponebantur: SI RECTE INTERPOSITVM INTERDICTVM? ſiue SI ADVERSVS EDICTVM PRAETORIS VIS ESSET FACTA? Exemplum eſt apud Ciceron. *pro Caecin.* VIII. XVII. Quinctil. *Inſtit. Orat.* VII. 5. XII. 10.

Dato Interdicto, nonnumquam ſequebatur iudicium.

§. VI.

Quae quum ita ſint, facile patet, hoc caſu, quo negabat alter, ſe interdicto teneri, litigantes fuiſſe ad ius ordinarium remittendos. *l.* 1. §. 2. *D. ſi ventr. nom. mul. in poſſeſſ. miſſ.* Quamvis et interdicta ipſa IVS ORDINARIVM vocentur. Frontin. *de limit. agror. p.* 41. *De poſſeſſione controuerſia eſt, de qua ad interdictum, hoc eſt* IVRE ORDINARIO *litigatur.* Ad quae verba Aggen. Vrbicus: *De poſſeſſione fit controuerſia, quoties de totius fundi ſtatu per interdictum, hoc eſt,* IVRE ORDINARIO *litigatur. Hoc non eſt diſciplinae noſtrae iudicium, ſed apud praeſidem prouinciae agitur, vt ex lege reſtituatur poſſeſſio, cui poterit attinere.*

Cur interdicta vocentur ius ordinarium?

§. VII.

Reliqua quae de ſingulis interdictis dici poſſent, iam a doctoribus occupata ſunt, quorum expilare ſcrinia nihil attinet. Id modo addimus, interdictorum ad inſtar introductas eſſe EXTRAORDINARIAS COGNITIONES, quae ideo interdictis quodammodo adſimilantur. Vnde AD EXEMPLVM INTERDICTORVM *tunc rem agi*, aiunt Diocletianus et Maximianus, *l.* 3. *C. de interdict.* qualis locutio etiam eſt in *l.* 2. *C. vnde vi l.* 4. *C. eod. l. vlt. C. de liber. exhib. l. vlt. C. de action.* Add. Briſſon. *de Form. V. p.* 300. Varias Interdictorum diuiſiones, explicant ICti. Alia enim dicunt eſſe

Quid cognitiones extraordinariae?

Source : BIU Cujas

PROHIBITORIA, alia RESTITVTORIA, alia EXHIBITORIA. Deinde alia ADIPISCENDAE, alia RETINENDAE, alia RECVPERANDAE POSSESSIONIS cauſſa dari obſeruant. Denique alia ipſis ſunt SIMPLICIA, alia DVPLICIA. Sed dari etiam interdicta mixtae naturae, veluti quae ſimul *prohibitoria* et *exhibitoria*, vel *prohibitoria* et *reſtitutoria* ſunt, obſeruat Cuiac. *Obſ.* IIII. 11. Cui etiam eam debemus obſeruationem, quod quamuis vulgo, bina tantum illa interdicta retinendae poſſeſſionis duplicia eſſe, doceant, eiusdem tamen naturae ſit interdictum, quod inter corriuales redditur ex *l.* 1. §. 26. *D. de aqu. quot. & aeſtiu.* Cuiac. *Obſ.* IIII. 11.

TIT. XVI.

DE

POENA TEMERE LITIGANTIVM.

INtereſt reipublicae, ne temere ad litigandum procedant homines. Hinc et Romani TEMERITATEM LITIGANTIVM partim pecuniaria poena, partim iurisiurandi religione, partim infamiae metu, coercuerunt. *princ. Inſt. h. t.* De ſingulis nonnulla monere haut abs re fuerit.

§. I.

Iusiurandum calumniae in ciuilibus.

Ad iusiurandum CALVMNIAE quod attinet, illud ſatis antiquum eſt, quamuis poſtea Iuſtinianus nonnihil in eo immutarit. *l.* 2. *C. de iureiur. propt. cal.* Et antiquis quidem temporibus de calumnia iurandum erat omnibus, qui iusiurandum alteri detulerant, Paull. *recept. ſent.* II. 22. *l.* 34. *l.* 37. *de iureiur.* neque quisquam ab hac lege eximebatur, praeterquam parentes et patroni, liberis et libertis iusiurandum deferentes. *l.* 7. §. 3. *D. de obſequ. parent.* Sed et is, qui nouum alteri opus nunciabat, iurare prius tenebatur, NON CALVMNIAE CAVSSA SE OPVS NOVVM NVNCIARE. *l.* 5. §. 14. *D. de op. nou. nunciat.* Praeterea, qui damni infecti, itemque qui ad exhibendum agebat, iurare prius debebat de calumnia. *l.* 13. §. 3. *D. de damn. inf.* nec non qui theſaurum ſuum, in alieno defoſſum, effodere volebat, *l.* 15. *D. ad exhibend.* vt et creditor, qui in poſſeſſionem bonorum debitoris miſſus, rationum inſtrumentorumque debitoris recognitionem diſpunctionemque iterum petebat. *l. vlt. C. de reb. credit.* Sed hoc quidem erat iusiu-

Source : BIU Cujas

iusiurandum calumniae *speciale*. Praeter id etiam postea receptum *generale*, quod ab initio iudicii ab actore, reo et aduocatis exigitur, cuius formulae sunt in *d. l.* 2. *princ. C. de iurei. propter cal.*

§. II.

Haec in priuatis iudiciis. In publicis semper accusatori eieranda erat calumnia. Hinc in lege Seruilia, quam Car. Sigonius restituit, cautum fuerat: *Qui pecuniam ab altero petet, is eum, unde petet, ex praetoribus, quei in eum annum, lecti erunt, ad iudicem in eum annum, quei ex H. L. factus erit, in ious educito, nomenque eius deferto si deiurauerit, calumniae caussa non postulare.* Et de Metello auctor est Asconius Paedian. in Cic. *Cornelian. p.* 1300. eum, Curionem accusaturum, bis iurasse, semel adactum a patre, iterum lege tum, quum iuraret calumniam. Et in criminalibus.

§. III.

Si quis tamen iurisiurandi immemor calumniose alterum vel in ius vocasse, vel accusasse diceretur: poenas is dabat haud leues. Exstabat quod ad accusationes publicas attinet, lex vel Memmia vel Remmia (*a*), incertae aetatis, qua cauebatur, vt calumniatoribus poena, constituto iudicio, imponeretur. Ea poena in quo constiterit, nondum constat. Plerumque huc trahunt locum Cic. *pro S. Rosc.* XX. *Sin autem sic agetis, vt arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo, aut tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet, sed si ego hos bene noui, litteram illam, cui vos vsque inimici estis, vt etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput vobis adfigent, vt postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.* Inde ergo colligunt, poenam legis Remmiae fuisse stigma fronti inustum. Sed quamuis non adeo certum sit, hanc poenam ex lege Remmia esse: ex ipso tamen hoc Ciceronis loco palam est, Poena calumniae ex lege Remmia.

(*a*) Valer. Max. III. 7. 9. hanc legem vocat *Memmiam*, quam lectionem etiam editiones pleraeque Ciceronis in Oratione *pro S. Roscio XVIIII.* praeferunt; quum tamen in MSS. codicibus constanter legatur *Remmia*, quo nomine etiam in iure nostro venit. *l.* 13. *D. de testib. l.* 1. §. 2. *ad SC. Turpil.* Vnde non satis certum est, quod existimat Stephan. Vin. Pigh. *Annal. ad Ann.* IↃCXIII. *p.* 484. legem hanc latam esse *a C. Memmio Gallo, Tribuno plebis.* Sane et Remmia gens Romae non ignota. Remmii enim, Aedilis, meminit Aurel. Victor *de Vir. Illustr. LXVI.* Alius Remmii mentionem facit Tacit. *Annal. II.* 68.

Source : BIU Cujas

est, omnino litteram calumniatorum frontibus inuri consueuisse. Sed qualem? procul dubio litteram K. Non enim CALVMNIA, sed KALVMNIA scribebant veteres, vt patet ex Terentii Scauri, Velii Longi et Diomedis Orthographia. Vnde et Iulian. in Μισοπώγωνι p. 360. non obscure ait K fuisse illud calumniatorum insigne. Sed huius rei illustrationem dedit vir de iurisprudentia Rom. optime meritus, Henr. Brencmannus, cuius de lege Remmia liber insertus etiam est Thesauro iur. ciu. Tom. III.

§. IIII.

Aliae calumniae poenae.

Postea et aliae calumniae poenae inualuerunt, veluti exsilii, vel relegationis in insulam, vel ordinis amissionis. Paull. *Rec. Sent. V.* 4. 11. Quod tamen itidem de caussis criminalibus tantum videtur intelligendum, nec non de controuersiis status. Nam et in his actoris calumnia exsilio poterat puniri. Paull. *Rec. Sent. V.* 1. 5. In caussis ciuilibus calumniantes actores in impensas damnabantur, *l.* 79. *pr. D. de iudic.* immo et in quadruplum eius, quod quis litis alteri intendendae caussa acceperat. *l.* 1. *sequ. D. de calumn.* Licebat quoque reo ab actore sibi stipulari decimam rei petitae partem, si eum per calumniam actionem mouere crederet, (*b*) Cuiac. *Obs.* VII. 5. Quod ita procul dubio factum: SPONDESNE DECIMAM PARTEM EIVS, QVOD PETIS SI CALVMNIATVS ES? Ad quae actor: SPONDEO SI CALVMNIATVS SVM. Sed de impensis litis a calumniante victori restituendis ipsi ICti in suis libellis plura liberaliter dare solent.

(*b*) Meminere huius decimae partis summae libello comprehensae Diocletianus et Maximianus Augusti. *l.* 3. *C. Hermogen. de Calumn.* Sed eam decimam sua aetate minus vsitatam fuisse, testatur Tribonianus. §. 1. *Inst. h. t.* At reduxit tamen eam Iustinianus *Novella CXII.* 2. Plura de hac litis decima Theophil. *ad* §. 24. *Inst. de action.* et Franc. Iuret. *ad Symmach. Lib. IIII. Epist.* 55.

§. V.

Aliae calumniae poenae.

INFAMIA quoque coercebant temere litigantes in quibusdam iudiciis. Omnes enim ex delicto quocumque condemnati erant infames, si vere, id est, dolo malo, deliquisse dicerentur. *l.* 7. *D. de publ. iudic.* Eamdem ignominiam subibant, qui tutelae, mandati, directa aeque, ac nonnumquam contraria, *l.* 6. §. 5. *D. de his qui not. inf.* [depositi directa, itemque pro socio actione damnati fuerant, §. 2. *Inst. h. t. L. I. D. de his, qui not. inf.*] Sed de hisce famosis iudiciis singulis suo loco diximus.

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. XVII.

DE OFFICIO IVDICIS.

DIximus supra, titulo huius libri sexto, alia a litigantibus facta esse IN IVRE, coram praetore, alia in IVDICIO, coram iudice pedaneo. Illic quid factum sit, iam illo loco satis explicauimus. Reliquum est, vt et IVDICIORVM Romanorum FORMAM addamus.

§. I.

Actione coram praetore solenniter intentata, vel *iudices*, vel *arbitri*, vel *recuperatores* dabantur, et quidem cum certa formula. In actionibus stricti iuris talis erat formula: C. AQVILLI IVDEX ESTO, ET SI PARET, FVNDVM CAPENATEM SERVILII ESSE EX IVRE QVIRITIVM, NEQVE IS SERVILIO A CATVLO RESTITVATVR, TVM CATVLVM DAMNATO. Tum ergo iudicis erat cognoscere, an fundus esset actoris? Nonnumquam reus exceptionem obiecerat, et tum illa quoque comprehendebatur formula, (*a*) iudicisque erat, cognoscere, an exceptio illa possit a reo demonstrari. Veluti si praetor hac formula dederat iudicem: C. AQVILLI IVDEX ESTO, ET SI PARET, AGRVM CAPENATEM SERVILII ESSE, CATVLVM DAMNATO, EXTRA QVAM, SI TESTAMENTVM PRODVCATVR, EX QVO ADPARET, CATVLI ESSE. Hic praecipue iudex cognoscebat, an tale exstaret testamentum. Id quod etiam de replicatione, duplicatione, et ceteris adlegationibus est obseruandum. Sin iudicium esset bonae fidei: talis erat formula: SI PARET, MAEVIVM SERVILIO DOMVM VENDIDISSE, TVM QVANTVM MAEVIO SERVILIVM OB EAM REM DARE EX FIDE BONA OPORTET, TANTI DAMNATO. Sin arbitrarium denique, talis erat formula: ESTO ARBITER, ET SI PARET, MAEVIVM VESTEM SERVILII HABERE, NEQVE IS ARBITRIO IVDICIS EXHIBVERIT, TVM, QVANTVM IN LITEM SERVILIVS IVRARIT, TANTI DAMNATO. Sigon. *de Iudic. I.* 24. *p.* 497. *sequ.* Paucis: *Praetor* de *iure*

Iudex datus cum formula.

(*a*) Iniquus ergo erat praetor, si in data formula omitteret exceptionem. Et tunc tribunorum poterat implorari auxilium. Cic. *Acad. Quaest.* IIII. 30.

Source : BIU Cujas

cognoscebat, decernens, quid iure sit pronunciandum, si actor intentionem suam probasset: *iudex* deinde de *facto* dispiciebat, vtrum actor actionem suam, an reus exceptionem, possit demonstrare. Si iuris tantum esset quaestio, Praetor solus extra ordinem cognoscebat. Ger. Noodt *de iurisdict. & imper. I.* 8.

§. II.

Legendus erat.

Legebantur hi iudices a praetoribus in vrbe; in prouincia vero a praeside. Sen. *de Benef.* III. 7. ita tamen, vt discrimen esset inter iudicia publica, et priuata. In publicis iudices legebantur ex decuriis, quae in album mitti solebant. Tales decuriae iudicum initio erant binae, deinde tres, postea Augustus quartam ex inferiore censu addebat, quae vocabatur *ducenariorum*, iudicabatque de minoribus summis, quae ad CC. millia numum non excederent. Ex quo patet, iudices selectos praecipue quidem de criminibus, at aliquando tamen etiam de caussis priuatis iudicasse. Suet. *Aug. Cap.* XXXII. Hanc decuriam ducenariorum in ferreo annulo esse iusserat Augustus, teste Plin. *H. N. Lib.* XXXIII. *cap.* 1. Deinde Caligula quintam adiiciebat: Suet. *Calig. Cap.* XVI. sextam, quam addi precabantur iudices, Galba negabat. Sueton. *Galb.* XIIII. Ex his ergo decuriis ordinarie petebatur iudex in caussis publicis. Inscriptio apud Reines. *Class.* VI. *p.* 406.

L. CLODIO. C. F. SERG.
VITELLINO. II. VIR. I. D.
IVDIC. EX. V. DEC.
EQVO PVBL.

In priuatis iudiciis vel ex decuriis sumebantur, vel a praetore eligebantur iudices, ita tamen, vt litigantibus fas esset susceptos reiicere, et clamare: HVNC NOLO, HIC TIMIDVS EST, ET BONA SAECVLI PARVM INTELLIGIT. ILLVM VOLO, QVIA CAESAREM FORTITER AMAT. Plin. *Paneg.* XXXVI. et alter Plin. *Hist. Nat. I. praef. l.* 80. *D. de iudic. l.* 23. *D. de adpellat.* Numeri iudicum, qui caussas priuatas iudicarent, ita meminit Gell. *Noct. Attic.* XIIII. 2. *Quo primum tempore a praetoribus lectus in iudices sum, vt iudicia, quae adpellantur priuata, susciperem.*

§. III.

Addici etiam poterat invitus.

Vbi placuisset demum iudex, et a praetore esset ADDICTVS: non licebat illi iudicium renuere, nisi iusta esset excusandi caussa.

Source : BIU Cujas

sa. *l.* 1. *pr. et* §. 2. *de vacat. et excuſ. mun.* Cuius rei exempla exſtant apud Sueton. *Claud.* XV. et Plin. *Epiſt. X.* 66. Munus enim publicum erat hoc iudicandi onus, neque quisquam illud poterat ſine iuſta cauſſa ſubterfugere. Vnde et inſcii, immo et inuiti dari poterant iudices. *l.* 39. *D. de iudic.* Plin. *Epiſt.* III. 20. *Vt in recuperatoriis iudiciis, ſic nos in his comitiis, quaſi* REPENTE ADPREHENSI, *ſecuri iudices fuimus.* Qui locus non ita intelligendus eſt, ac ſi praetor de medio, quemcumque libuiſſet, pro arbitrio adprehenderit, ſed quod ex ſelectis, quoscumque vellet, etiam inuitos iudices litigantibus dare potuerit. Ger. Noodt *de iurisd. et imper.* I. 13.

§. IIII.

Vbi et cum quibus iudicarit?

Porro iudex, maxime ſi ſolus eſſet datus, in conſilium adhibebat aliquot amicos, vel iurisperitos, et cum his ſedebat in ſubſelliis. Gell. *Noct. Att.* XIIII. 2. Vnde facile patet, cur dicti ſint IVDICES PEDANEI. Non enim in tribunali, vt magiſtratus, ſedebant, ſed in ſubſelliis, adeoque veluti ad pedes praetoris. Ceterum iudicium, in foro, et comitio, exercebatur, e. g. ad puteal Libonis, et haec ſunt *loca iudiciorum*, quorum meminit Modeſtinus *l.* 6. §. 2. *D. de iudic.*

§. V.

Quomodo in leges iurarit?

Simul ac in hunc locum ſe contulerat iudex, primo omnium iurabat, ex lege ſe iudicaturum, cuius iurisiurandi ſollemnis formula erat: EX ANIMI SENTENTIA. Cic. *Acad. Quaeſt.* IIII. 47. cuius veſtigium in *l.* 2. §. 2. *C. de iureiur. propt. calumn.* deprehendit Cuiac. *Obſeru.* I. 21. Iurabat vero, aram tenens, id eſt, *puteal Libonis*, de quo iam ſupra quaedam monuimus. Vnde Cicero *pro Flacco* XXXVI. *Ergo is, cui ſi aram tenens iuraret, crederet nemo, per epiſtolam, quod volet, iniuratus probabit.* Iac. Raeuard. *Var. V.* 8. P. Faber. *Semeſtr.* I. *p.* 212.

§. VI.

Iudice abſente dies diffindebatur.

Si ipſo die iudicii, non aderat iudex, vel morbo, vel alia iuſta cauſſa impeditus, tum dies iudicii proferebatur. Qua de re in legibus XII. Tabularum fuerat cautum: SI MORBVS SONTICVS, VOTVM, ABSENTIA REIP. ERGO, AVT STATVS DIES CVM HOSTE INTERCEDAT: NAM SI QVID HORVM FVAT, VNVM IVDICI ARBITROVE, REOVE, EO DIE DIFFENSVS ESTO. Gothofred.

Source : BIU Cujas

ad XII. *Tab. Tab.* II. Ea enim lege permittitur, vt si iudici, vel reo, causſa sontica fuerit, iudicii dies differri posſet. *l.* 2. §. 3. *D. si quis caution.*

§. VII.

Litigantes absentes edicto citabantur.

Si iudex adesſet, litigatorum vero alter se haud sisteret, neque iustam adferret excusationem, tunc absens edictis citabatur. Initio enim altera pars petebat edictum primum, deinde per intervallum non minus decem dierum, alterum, ac tertium, ac denique impetrabat PEREMTORIVM, *quod inde hoc nomen sumserat, quod perimeret disceptationem, id est, vltra non pateretur aduersarium tergiuersari. Comminabatur enim is, qui edictum dederat, etiam absente diuersa parte, cognoturum se et pronunciaturum. l.* 68. *l.* 69. *l.* 70. *D. de iudiciis.* Non semper tamen quatuor opus erat edictis, sed nonnunquam tria, nonnunquam duo, nonnunquam *vnum pro omnibus* sufficiebat, *quod aestimare oportebat eum, qui ius dicebat, et pro conditione causſae vel personae, vel temporis, ordinem edictorum, vel compendium moderari. l.* 72. *D. de iudic.*

§. VIII.

Praesentes iurabant calumniam.

Praesentes vtrique litigantes statim iubebantur iurare calumniam, vt superiore titulo diximus, cuius rei exemplum est apud Cicer. *pro P. Quinct.* Tum iussi sunt patroni dicere: id quod duabus fiebat vicibus, adeoque patroni vel oratores quater ex certo horarum interuallo perorabant. Appian. *de bello ciu.* I. *p.* 663. Primo enim totam causſam iudici verbis breuissimis, ac veluti per indicem, exponebant, et haec vocabatur CAVSSAE CONIECTIO, (*b*) Ascon. Paedian. *ad Cic. in Verr.* III. *p.* 1841. *Quum litigatores ad iudicem venissent, antequam causſa ad iudicem ageretur, quasi per indicem rem exposuerunt, atque id ipsum dictum est* CAVSSAE CONIECTIO, *quasi causſae in breue coactio.* Postea vero integris iustisque orationibus statum causſae exponebant, simulque testibus, litteris, tabulis, deductisque ex ipsa re argumentis, suam vel actionem, vel exceptionem, probabant, vt satis patet ex Ciceronis orationibus pro *P. Quinctio et Roscio Comoedo.* Ceterum hic mos procul dubio Athenis, vt alia, Romam migrauerat. Nam et Athenienses, antequam causſam perorarent, praemittebant breuem eius-

Tum fiebat causſae coniectio. Hinc oratores dicebant.

(*b*) Vnde adparet, cur *l.* 1. *D. de reg. iur.* regula iuris dicatur *quasi quaedam causſae coniectio.* Iungi ibi merentur Commentarii Iac. Raeuardi et Iac. Gothofredi.

Source : BIU Cujas

eiusdem coniectionem, quae etiam προβολὴ dicebatur. Vnde Budaeus *Comment. Graec. Lingu. p.* 632. *Est autem* προβολὴ *intentio, et obiectio iudicii dictati, quasi petitio digladiantis.* Postea in XII. Tabulis cautum: AB ORTV ANTE MERIDIEM CAVSSAM CONIICITO (*c*), CVM PERORANT AMBO PRAESENTES. Et inde factum, vt, translata in iudices notione, litigantes primo coniicere caussam, deinde iusta oratione perorare iuberentur. Gell. *Noct. Att.* XVII. 2. Ne tamen in immensum euagarentur oratores, lege Pompeia cautum fuerat, vt ad clepsydram dicerent. Cic. *de Orat.* III. 34. Id. *de Orat.* XXXVIII. Quot clepsydrae cuique dandae essent, eius rei penes iudices erat arbitrium. Plin. *Epist.* IIII. 9. II. 11. I. 23. VI. 2. Vnde saepe sex, vel plures, perorantibus datas esse nouimus.

(*c*) Gothofredus et alii legere malunt CONSCITO, sed hoc idem fuisse videtur ac caussam coniicere. *Consciscere* enim dicebatur Praetor, dum postulantibus seu perorantibus per se, vel per alios, litigatoribus, de re tota cognoscebat, vt ipse ait Gothofr. p. 188. At id non faciebat praetor, verum iudex.

§. VIIII.

Iudices, quando audiebant partes, dicebantur OPERAM DARE. *l.* 18. *pr. D. de iudic. l.* 13. *pr. D. de vacat. et exc. mun.* Cuiac. *Obs.* V. 33. Quam molestum vero fuerit iudicibus, perorantes audire oratores, et quam parum saepe ad ea, quae dicebantur, attenderint, facile patet ex loco C. Titii apud Macrob. *Saturn.* II. 12. *Veniunt in comitium tristes, iubent dicere: quorum negotium est, narrant. Iudex testes poscit, ipsus it minctum: vbi redit ait, se omnia audiuisse, tabulas poscit, litteras inspicit, vix prae vino sustinet palpebras.* Sed haec forsan de laxa posteriorum temporum disciplina intelligenda sunt. Iudices interea quid egerint?

§. X.

Interim audiebantur etiam testes, et quidem, non remotis partibus, ceu hodie fieri solet, ex male intellecta constitutione Leonis *l.* 14. *C. de testibus.* Ibi enim *secretarium* non est locus, vbi testes secreto, et remotis partibus, audiuntur, sed locus in quo iudices postremis temporibus causssas cognoscebant, ceu constat ex Hesychio in voce Σέκρετον, vel vt Salmasius mauult, σέκρητον, qui id interpretatur συνέδριον, et Suida in voce Στόλη. Plura de hoc *secretario* iudicum, (nam et *secretarium* erat in ecclesiis, vbi Testium producio.

Source : BIU Cujas

Episcopi et Presbyteri audiendis fratrum negotiis vacabant. Sulpic. Seu. *Dial.* II. 1. *Epist.* I. *et* III.) obseruauit H. Vales. *ad Amm. Marcellin. Lib.* XV. *cap.* VII. *p.* 69. et Gundlingius in Gundlingianis *Part.* VIIII. *Obs.* IIII. Potius Romani producentem testes semper adesse patiebantur, vt eos interrogaret. Quibus in interrogationibus praecipue elucebat oratorum sollertia. Saepe, loco testium, tabulae producebantur, vt fides fieret iudici. Cic. *pro Q. Rosc. init.* Gell. *Noct. Att.* XIIII. 2.

§. XI.

Sententia a iudice quomodo lata?

Caussa demum vtrimque perorata, post meridiem ferenda erat sententia. Ita enim denuo legebatur in XII. Tabulis: POST MERIDIEM PRAESENTI LITEM ADDICITO. Gell. *Noct. Att.* XVII. 2. Si quid ergo obscuritatis caussa haberet, dicebat iudex SIBI NON LIQVERE, quo facto de integro erat instituenda cognitio. Gell. *Noct. Att.* XIIII. 2. Cicero *pro A. Caecina* II. Vno iurante, sibi non liquere, reliqui ferebant sententiam, *l.* 36. *D. de re iud.* et quidem de plurium sententia. Si paria essent iudicum suffragia, res erat in pendenti, donec magistratus vnam earum sententiarum confirmaret. *l.* 28. *D. de re iud.* Id quod tamen aliter se habuisse in iudiciis centumuiralibus, si paribus consiliis actor vicisset, vel victus esset, erudite docet ὁ πάνυ Cuiac. *Obs. X.* 20. Sin ad liquidum res erat deducta, ferebatur sententia: veluti in caussis status: VIDERI SIBI HVNC HOMINEM LIBERVM. *l.* 28. §. 1. *D. de liber. causs.* in actione iniuriarum: VIDERI IVRE FECISSE, vel NON FECISSE. *princ. Inst. de iniur.* in caussa exheredationis: VIDERI MATREM IVSTAS HABVISSE CAVSSAS EXHEREDANDI. Verbo enim VIDERI veteres in sententiis ἰδικῶς vsos esse, idem obseruat Cuiac. *Obs.* III. 26. In caussis contractuum: QVVM CONSTET, TITIVM SEIO EX ILLA SPECIE L. ITEM EX ILLA SPECIE VIGINTI QVINQVE DEBERE, IDCIRCO L. TITIVM SEIO CENTVM CONDEMNO. *l.* 1. §. 1. *D. quae sent. sine adpell. resc.* Sin absoluendus videretur reus, formula erat: SECVNDVM ILLVM LITEM DO. Val. Max. II. 8. 2.

§. XII.

Quomodo ab arbitro?

Ita iudices pronunciabant. Arbitri, in actionibus arbitrariis, primum arbitrium dicebant, deinde, nisi paruisset reus, ferebant sententiam reumque condemnabant, quantum in litem esset iuratum. *l.* 18. *pr. de dolo malo.* Prius fiebat hac formula: ARBITROR TE

Source : BIU Cujas

TE HOC MODO SATISFACERE ACTORI DEBERE. Posterius vero hoc modo: CENTVM, DE QVIBVS ACTOR IN LITEM IVRAVIT, REDDE.

§. XIII.

Remedia condemnato competentia.

Perfecto iudicio, reque iudicata nihil reliquum erat, quam vt damnatus iudicato satisfaceret (*d*). Semel enim finita causſa in iudicium amplius deduci non poterat. Vnde Donatus *ad Terent. Andr.* VIII. 1. *v.* 7. explicaturus verba, comicis admodum familiaria: ACTVM EST, *Haec res*, inquit, *secundum ius ciuile dicitur, in quo cauetur, ne quis rem actam apud iudices repetat. Sic ipse Terentius in Phormione: Actum, aiunt, ne agas.* Fas tamen illi erat, vel restitutionem in integrum petere, cuius de causſis abunde disſeritur a iurisconsultis, vel actorem calumniae postulare, de cuius criminis poena ad superiorem titulum diximus, vel iudicem, siue quod litem suam fecerit, siue falsi, aut repetundarum, postulare, de quibus iudiciis partim supra ad *Tit. V. n.* 1. partim infra *Tit.* XVIII. *n.* 67. *sequ.* agitur: vel denique interponere adpellationem, antequam sententia in rem iudicatam transiisſet. Sed de adpellatione quum in Institutionibus tacuerit Imperator, plura hic dicere, nihil attinet.

(*d*) Id nisi faceret, vi mixti imperii, quod praetori competebat, exsecutio fiebat per lictores, qui morem non gerentes coercebant, damno, captisue pignoribus. Quin aliquando fabri ipsis adiungebantur, qui omnia disturbarent, inprimis si nouum opus nunciatum, vel interdictum datum. Vid. Casaub. *ad Suet. Iul. c. XVII.* Nonnumquam veteri iure sequebatur addictio, die trigesimo, id est, reus, iterum in ius raptus a praetore, addicebatur actori, nisi vel sponsorem dediſſet, vel iudicatum soluiſſet. Tunc reus abductus ab actore in priuato carcere tenebatur, donec aut opera, aut pecunia satisfeciſſet. Qua de re supra dictum est pluribus. Exemplum est apud Ciceron. *pro Flacco XVIIII.*

TIT.

Source : BIU Cujas

TIT. XVIII.

DE

IVDICIIS PVBLICIS.

PLane diuersa erant a iudiciis *priuatis* PVBLICA, quorum illis sua quisque persequebatur, his respublica delicta publica vindicabat. Vnde Iustinianus *princ. Inst. h. t.* PVBLICA IVDICIA *neque per actiones ordinantur, neque omnino quidquam simile habent cum ceteris iudiciis, magnaque diuersitas eorum est et in instituendo, et in exercendo.* Quum ergo *Titulo* VI. et sequentibus de iudiciis priuatis sit actum: nihil iam videtur reliquum, quam vt de publicis quoque ex antiquitatibus nonnulla moneamus.

§. I.

Quid interfit inter iudicia publica et popularia?

Iudicia PVBLICA quae fuerint, tum demum recte cognoscemus, si ea a POPVLARIBVS, EXTRAORDINARIIS ac denique POPVLI iudiciis accurate seiunxerimus. Cum POPVLARIBVS ergo actionibus in eo conueniebant iudicia publica, quod vtrobique cuiuis ex populo actio vel accusatio permitteretur, quum in priuatis iudiciis non nisi is, cuius intererat, actoris vice fungi posset. Ast in eo haud leue inter populares actiones et publica iudicia intercedebat discrimen, quod illae ad ciuilem mulctam actori adplicandam, haec ad publicam animaduersionem essent comparata. Vnde illae erant cognitionis praetoriae, haec coram quaesitoribus ac iudicibus instituebantur. Quales populares actiones erant ALBI CORRVPTI, SEPVLCRI VIOLATI, DEIECTI VEL EFFVSI. *l.* 43. §. 2. *D. de procur. l.* 3. §. 5. *et fin. D. de his qui effud. vel deiec.* Zonar. *Annal. Tom.* II. *p.* 6. Καὶ τὸν δῆμον ποπύλας ὠνόμασεν, ὅθεν καὶ παρὰ ταῖς βίβλοις ταῖς νομικαῖς ποπυλάρια κέκληται ἡ δημοτικὴ ἀγωγή. *Quod nos δῆμον vocamus Romani populos adpellarunt. Vnde et in libris legum popularis vocatur, quae cuilibet de populo datur, actio.* Ita enim vertendum esse hunc locum, iam monuit Brisson. *de verb. sign. p.* 443. quum in vulgari versione perperam legatur *plebeia educatio.* Thomas. *Dissert. de Abigeis num.* VIIII.

§. II.

Source : BIU Cujas

§. II.

Quid inter easdem et extraordinarias cognitiones?

Magna quoque iudiciorum publicorum et EXTRAORDINARIORVM delictorum similitudo erat ac conuenientia. Vnde de eorum discrimine haut leuis est controuersia inter iureconsultos, veluti Ant. Matth. *de crimin. proleg.* IIII. 7. *p.* 53. Thomas. *diss. laud. n.* XII. *sequ.* Beyer. *Posit. ad pand. de extraord. crim. p.* 613. Sed plana tamen res est. In eo conueniunt iudicia EXTRAORDINARIA et PVBLICA, quod vtraque tendunt ad animaduersionem publicam, et crimina, quibus respublica laeditur, vindicanda: sed differunt tamen variis modis, quos nescio, an accuratius quis exposuerit, quam ὁ πάνυ Graeuius *in animadu. ad Sigonium Tom.* II. *Thesaur. Antiquitatum Rom.* praemissis, vbi ita scribit vir doctissimus: PVBLICA *iudicia erant de criminalibus, de quibus lex certa lata erat, et finita illa lege poena, secundum quam legem postulabatur, a quocumque ciue, qui publici criminis aliquem volebat accusare, nisi essent, quibus iure id licebat. Publica dicebantur, et quia pertinebant ad statum publicum, siue reipublicae, non ad priuatorum statum, vt iudicia priuata, et quia ex legibus publicis oriebantur.* EXTRAORDINARIA *erant, quae ex legibus publicis non oriebantur, sed in quibus quaerebatur de criminibus, de quibus aut nullae leges erant, aut, si leges essent, cum crimen atrocius duceretur, quam vt secundum leges iudicaretur, puniendum esse. In iudiciis publicis sortiebantur inter se praetores, quam quisque deberet exercere quaestionem, de vi, de adulterio: in extraordinariis cognoscebant aut Coss. aut totus Senatus, aut Princeps, aut Praefectus Vrbi intra C. lapidem, aut praef. praet. vltra C. lapidem, aut in prouinciis imperatoris legati Aug. pro Praet. in populi vero proconsules.* Ex quibus patet, I. publica iudicia instituta esse de criminibus, de quibus leges latae erant, et finita illis legibus poena, secundum quas leges postulari posset a quocumque ciue, qui publici criminis aliquem vellet accusare, nisi essent, quibus iure id haud liceret (*a*). Ast extraordinaria iudicia ex legibus publicis non orta sunt, in iisque quaesitum de criminibus, de quibus aut nullae exstabant leges, aut poena nulla fuerat finita. II. in iudiciis publicis sortitos esse inter se praetores, quam quisque deberet exercere quaestionem, veluti de vi, de adulterio, de maie-

(*a*) Explicat id Macer. *l.* 1. *D. de publ. iudic.* Sic publica iudicia oriebantur ex lege Iulia de adulteriis, maiestatis, de vi publica et priuata, peculatus, ambitus, &c.

Source : BIU Cujas

ſtate. *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* In extraordinariis vero cognouiſſe aut conſules, aut totum ſenatum, aut Principem, aut praefectum vrbi intra centeſimum lapidem, aut in prouinciis imperatoris legatos Auguſti pro praetore, in populi vero proconſules. (*b*) Addit Graeuius aliam differentiam, *quod in iudiciis publicis quilibet ex populo accuſare potuerit; in extraordinariis vero non niſi is, cuius interfuerit*, quam licet argumentis haud poenitendis in dubium vocarit illuſtris Thomaſ. *ibid.* et iure quidem, ſi haec definitio ad omnia crimina extraordinaria referatur: id ſatis tamen certum videtur de pleriſque. Sane id conſtat de actione ſepulchri violati, *l.* 1. §. 9. *l.* 6. *D. de ſepulcr. viol.* expilatae hereditatis, *l.* 4. *D. expil. her.* Quin ob hanc ipſam cauſſam haec delicta *priuata* appellantur *l.* 1. §. *vlt. D. de poen. l.* 2. *et ſequ. D. de concuſſ. l.* 3. *D. de praeuaricat. l.* 1. *D. de ſtellionat.* quia non omnibus promiſcue accuſandi ius erat. Alioquin enim et plura eius generis crimina ad ſtatum reip. pertinent, veluti ruptio aggerum Nili. Tunc vero et accuſationi locus erat, et inſcriptioni in crimen. *l. vlt. D. de delict. priu.* et poenae capitali. *l.* 1. §. *vlt. l.* 9. *D. de extraord. crimin.* Quae omnia non cadere in delicta priuata, nemo non videt. Ceterum plura erant eiusmodi extraordinaria crimina, veluti ſollicitatio alienarum nuptiarum, inquinatio lacuum, et aquarum publicarum corruptio, interpellatio puellarum de ſtupro, abactio partus, dardanariatus, aliaque plura, de quibus doctores ad Pandectarum *Lib.* XXXXVII. *Tit.* XI. *et ſequ.*

(*b*) Obſeruauit hoc ipſe Sigon. *de Iudic. II.* 4. *p.* 540. Et in hoc praecipua *extraordinariorum* et *publicorum* iudiciorum ſita fuiſſe videtur differentia. Quin ideo dicta haec iudicia videntur EXTRAORDINARIA, quia tunc non ii, penes quos criminum quaeſtiones ordinariae eſſent, ſed alii ſuperiores magiſtratus, extra ordinem iudicarent.

§. III.

Quid inter ea et iudicia populi?

Interdum et priuatas et publicas cauſſas non magiſtratus cognoſcebant, ſed populus, et tunc eiusmodi iudicia vocabantur POPVLI. Priuata eius generis rariora erant, publica paullo frequentiora, iisque inprimis maieſtatis aliaque crimina vindicabantur, in quibus de capite ciuis Rom. quaerebatur. Hinc eleganter Plaut. *in Menaechm.* IIII. 2. V. 18. diſcernit iudicia *priuata*, *publica*, et quae *coram populo* exercebantur. En eius verba: *Aut ad* POPVLVM, *aut in* IVRE, *aut ad* IVDICEM *res eſt.* Sed de his populi iudiciis ſub finem tituli aptior erit dicendi locus.

§. IIII.

Source : BIU Cujas

§. IIII.

Quaenam crimina vindicata iudiciis publicis?

Ceterum iudiciis PVBLICIS proprie ita dictis vindicabantur crimina publica, quae vel aduersus rempublicam fuerant commissa, vel reip. salutem laedere, dignaque adeo videbantur, quae lege et poena publica vindicarentur. Prioris generis erant crimina ambitus, repetundarum, vis publicae; posterioris, homicidium, veneficium, parricidium, crimina falsi, adulterii, plagii. Car. Sigon. *de Iud.* II. 2. *p.* 531. *seq.* Non ergo omnia crimina iudiciis publicis vindicabantur, sed ea, de quibus leges iudiciorum publicorum exstabant. Vnde Macer. *l.* 1. *D. de public. iudic. Non omnia*, inquit, *iudicia in quibus crimen vertitur, et publica sunt, sed ea tantum, quae ex legibus iudiciorum publicorum veniunt, vt Iulia maiestatis.*

§. V.

Quibus poenis animadversum in reos? Quid damnum?

Ea crimina poenis vindicabantur, quarum octo genera, Ciceronis auctoritate, prodidit Isidor. *orig. V.* 27. *p.* 934. *edit. Dion. Gothofr. damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, seruitutem et mortem.* DAMNVM alias et *mulcta* vocatur. Initio reip. quum nondum esset pecuniae tanta copia, duarum ouium et triginta boum suprema mulcta erat. Fest. *voce peculat.* Quum vero ea res ob inaequale armentorum pretium inaequalem faceret mulctae aestimationem: paullo post exactos reges A. V. C. CCXXXXVIII. lege Ateria Tarpeia constituti sunt in singulas oves aeris deni, in boues centeni. Gell. *Noct. Att.* XI. 1. Dionys. Halic. X. *p.* 674. Fest. *voce peculatus p.* 359. in *ouibus* et in *mulctam.* Plura de ea lege eiusque diuersis capitibus Io. Koolius Vltraiectinus, cuius *de lege Ateria Tarpeia* libellus recusus est *Tomo V. Thesaur. iur. p.* 1521. vbi *Cap.* III. *et sequ.* permulta de mulctis generatim differit.

§. VI.

Vincula.

VINCVLORVM nomine veniunt compedes, pedicae, boiae, manicae, catenae, nerui, carcer. Carcerem primus ad terrorem ciuibus inferendum aedificauit Ancus Marcius, Liu. I. 33. quamuis alii id tribuant Tullo Hostilio: Sed id forsan de parte carceris intelligendum. Carceris enim pars subterranea vocabatur *latomiae* vel *lautumiae.* Fest. *hac voce.* Liu. XXVI. 27. XXXII. 26. XXXVII. 3. XXXVIIII. 44. *l.* 1. §. 4. *D. de aleat.* Eius alia pars erat *Tullianum*, alia *robur.* Fest. *hac voce.* Liu. XXXVIIII. 59. quarum prior a Tullio rege exstructa, a quo etiam iste locus Tul-

Source : BIU Cujas

liani nomen obtinuisse videtur. Distinguebant porro Romani, vtrum accusatus crimen esset confessus, an inficiatus? Ante confessionem rei in custodiis liberis habebantur, siquidem vel ipse magistratus eos domi adseruabat, vel alii priuati nobiles eorum suscipiebant custodiam, ceu patet exemplis apud Liu. XXXII. 46. XXXVIIII. 114. Sallust. *de Bell. Catil.* XXXXVIIII. Post confessionem vero in vincula publica coniiciebantur, dum ferretur et exsequutioni mandaretur sententia. *l.* 5. *D. de cust. et exhib. reor. l.* 2. *C. eod.* Ipsi carceri praeerat commentariensis, cuius erat, eos, qui in vincula publica coniicerentur, in commentarios referre, eorumque nomina triumuiris rerum capitalium singulis mensibus ingerere. *l. vlt. C. eod.* Plin. *Hist. nat.* VII. 38.

§. VII.

Verbera. VERBERA fustibus et virgis infligebantur. Et illis quidem Romani in castris (*c*), his in vrbe vtebantur, nec ab vllo temere extremum sumtum est supplicium, quin virgis prius in terga saeviretur. Liv. VII. 19. Sed postea virgarum metu ciues esse variis legibus liberatos, iam supra, *Adpend. Lib.* I. *n.* XXVIII. obseruauimus. Sub imperatoribus variis verberum generibus saeuitum est in corpora etiam libera, veluti *virgis*, *flagris*, *plumbatis*, de quibus suppliciorum generibus accuratius actum ab iis, qui de cruciatibus martyrum ex instituto egerunt. Magis ignominiosa *fustigatione* erat *flagellatio*. Illa liberi homines, hac serui adficiebantur. *l.* 10. *D. de poen. l.* 28. §. 2. *D. eod. tit. l.* 45. *D. de iniur.* Vnde flagella, seruilia verbera, sustinuisse, patet, Christum, Seruatorem nostrum, *Io.* XVIIII. 10. quod se ad seruilem humilitatem pro nobis demisisset. Plura de flagellatione et fustigatione notauit Em. Merill. *in Notis philol. ad passion. Christi p.* 19. De *plumbatis*, quas Constantinus *l.* 2. *C. de exact. tribut.* sustulit, Cuiac. et Amaya *ad illam legem*, Guid. Pancirol. *Thesaur. var. lect. Lib.* I. *Cap.* 41. Iac. Gothofred. *ad l.* 2. *C. Theod. de quaest.* et V. A. Corn. van Bynkersh. *Obseruat.* I. 2. qui et *Lib.* I. *Cap.* 21. quae in *l.* 7. *D. de poen.* sit *vinculorum verberatio*, erudite disputat.

(*c*) Fustuarium supplicium ordinarium erat eorum, qui ducem deseruerant. Cicero *Phil.* III. 6. Liu. V. 6. Quo ritu istud sumtum sit, docet Polyb. *Hist. VI. p.* 670.

Source : BIU Cujas

§. VIII.

TALIONIS poenam iniuriis atrocioribus ſtatuerant decemuiri, quorum haec lex reliqua eſt apud Feſtum et Gell. *Noct. Att.* XXI. 1. SI MEMBRVM RVPIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. Verum quum omnes talionem hanc tranſactione a ſe amoliri poſſent, neque credibile ſit, quemquam adeo ſtolidum fuiſſe, vt oculum ſibi excuti pro oculo, quam paciſci cum laeſo, maluerit: facile eſt, ad exiſtimandum, etiam antiquiſſimis temporibus rariſſimum apud Romanos fuiſſe talionis vſum, tantum abeſt, vt eam ſequiore aeuo obtinuiſſe, veroſimile ſit. Talio.

§. VIIII.

IGNOMINIA vel Cenſorum nota, vel lege aut edicto praetoris inurebatur. Illam tamen paullo leuiorem viſam, opinor. Cicero ſane apud Non. Marcell. I. 93. *Cenſoris iudicium nihil fere damnato*, ait, *adferre*, *praeter ruborem*. De infamia qua praetor edicto certos homines notabat, ſingularis exſtat digeſtorum titulus, ad quem plura commentantur interpretes. Ignominia.

§. X.

De EXSILIO, SERVITVTEQVE iam ſupra ſatis multa notauimus. MORS vel CIVILIS, vel NATVRALIS et VIOLENTA erat. Morte *ciuili* plectebantur, quibus adimebatur libertas, vel ciuitas, qua de re iam ſuo loco actum eſt, nec hae mortis ſpecies differunt ab exſilio et ſeruitute. Aſt *naturali* ac *violenta* morte, quae in primis huc pertinet, animaduertebatur in eos, qui extremo digni videbantur ſupplicio. Et antiquis quidem temporibus vſitatiſſimum erat ſuſpendium in arbore infelice (*d*). Quod ſupplicium metuendum erat P. Horatio, quum ſororem occidiſſet. Liu. I. 26. Nec infrequens praecipitatio ex rupe Tarpeia, de qua Iuſt. Rycquius *de Capitol. Cap.* IIII. *p.* 44. *ſequ.* Quod ſupplicium licet antiquitus ſeruis cum liberis hominibus commune eſſet, ceu ex Lege XII. Tab. demonſtrat Gell. *Noct. Att.* X. 18. poſtea tamen fuit liberorum hominum proprium: ſerui vero, ſub furca caeſi, in crucem Exſilium, ſeruitus, mors.

(*d*) *Infelix arbor* Turnebo in *Adverſ. IIII.* 3. eſt ſtipes ſeu furca, eumque ea in re ſequitur Sigon. *de Iudic. III.* 3. Aſt Catoni et Plinio felices arbores vocantur, in vniuerſum, quae fructum ferunt; infelices, quae neque ſeruntur vnquam, neque fructum ferunt. Conf. Coel. Rhodig. *lect. antiq. VIIII.* 7. Brodaeus *Miſcell. IIII.* 6.

Source : BIU Cujas

agi consueuerunt (*e*). Quo de supplicio, eiusque ritibus, multa disputata sunt a Iusto Lipsio, Gretsero, Ge. Calixto, Barth. Nihusio, et plurimis, qui Christi passionem commentariis illustrarunt eruditis. Instar omnium esse possunt Ant. Bynaeus *de passione Christi* et Sagittar. in *harmon. euangelist. de passion. Dom. Part. II. n.* 418. *sequ.* Saepe etiam fontes, virgis caesi, demum securi percutiebantur a lictoribus. Exemplo esse possunt Iunii Bruti filii, patris ipsius iussu ita percussi, apud Liu. *Hist. II.* 5. vt et Campani, eodem modo tractati, teste Liu. XXVI. 15. (*f*) Non rara quoque erat strangulatio, quae triumuirorum interuentu a lictoribus laqueo fiebat, et quidem plerumque in ea carceris parte, quae *Tullianum* vocabatur. Sallust. *de Bello Catilinar.* LV. Cicero *in Vatinium Cap.* XI. Valer. Max. V. 4. 7. VI. 3. 1. Ex altera carceris parte, quam *Robur* adpellabant, praecipitatio fiebat. Quale supplicium describit Festus *voce Robur. p.* 410. Singulare quoque supplicium parricidarum erat *culleus*, de quo infra suo loco dicemus (*g*). Sub Imperatoribus multae aliae poenae receptae, multae veteres abrogatae. In iure nostro supplicia licita occurrunt, *ad furcam damnatio*, *viuicomburium*, *capitis amputatio*, quibus proximae *metalli coercitio*, et *deportatio in insulam*, quae, quia caput vel naturale vel ciuile adficiunt, poenae CAPITALES adpellantur. *l.* 28. *pr.* §. 11. *l.* 8. §. 1. *l.* 46. *D. de poen.* Illegitimae contra erant poenae, si quis inedia necaretur, *l.* 10. *D. de interd. et releg. iunctis Basilicis*, vel si animaduerteretur in aliquem securi, telo, fuste, laqueo, veneno, virgis. *l.* 8. §. 1. 3. *D. de poen.* praecipitatione. *l.* 25. §. 1. *D. eod.* Inter NON CAPITALES licitas sunt *fustium admonitio*, *flagellorum castigatio*, *damnatio in opus tempo-*

(*e*) Vnde Cicero Philipp. I. *Talis animaduersio fuit Dolabellae, cum in audaces sceleratosque seruos, tum in impuros nefariosque liberos.* Hos scilicet ad saxum, illos ad crucem condemnavit. Add. Cic. *ad Attic. Epist.* XIIII. 17.

(*f*) Ignominiosius videbatur, securi, quam gladio feriri. Hinc Vlpianus, *l.* 8. §. 1. *D. de poen.* negat, in eum telo animaduerti posse alio, qui ad gladium damnatus sit. Eodem pertinet, quod Papiniano securi percusso, Antoninus Caracalla dixit: *Gladio te exsequi oportuit meum iussum.* Vid. P. Fab. *Semest.* I. 3. *p.* 20.

(*g*) Haec omnia libera republica fiebant. Sub Imperatoribus multae aliae, ac longe acriores poenae inventae sunt, veluti damnatio ad metalla, ad bestias, viuicomburium, aliaque huius generis supplicia. Nec desunt exempla, quod homines arboribus incuruatis illigati, postea, remissis illis, in partes distracti sunt. *Vopisc. in Aurelian. Cap.* VII. Qualia multa hinc inde in historia Augusta, et in martyrologiis occurrunt. Addatur Sagittarii libellus *de cruciatibus Martyrum.*

Source : BIU Cujas

temporarium, *relegatio*, *infamia*, *dignitatis priuatio*. *l.* 6. §. *vlt. l.* 7. *l.* 8. *pr. l.* 28. *pr.* §. 4. 6. *D. de poen. l.* 103. *D. de verb. sign.* Illicitae autem sunt poenae carceris perpetui, *l.* 8. §. 9. *l.* 35. *D. de poen.* et tormentorum. *l. pen. D. de quaestion.* Cuiac. *Obs.* XIIII. 34. Sed omnes tamen has illicitas poenas principes saepe per modum priuilegii irrogasse, satis constat.

§. XI.

Iudicia publica a quibus exercita?

Ceterum publica iudicia exercebant initio reges ipsi. Romulus, teste Dionysio Halic. II. *p.* 87. de delictis maximis ipse cognoscebat, minora senatoribus permittebat. Postea Tullus Hostilius instituit duumuiros, qui perduellionem iudicarent, simulque ab eorum sententia prouocationem concessit ad populum. Liu. I. 26. De Tarquinio Superbo auctor est idem Liuius I. 55. eum, vt metum incuteret populo, cognitiones capitalium rerum sine consilio per se solum exercuisse, propterque eam caussam occidere, in exsilium agere, bonis mulctare, consueuisse. In Regum locum succedebant consules, quos quaestionibus publicis non secus, ac reges, praefuisse, satis patet exemplo Iunii Bruti apud Liu. II. 5. Enimuero quum eodem anno P. Valerius Poplicola legem de prouocatione tulisset: inualuit postea, vt non consul de capite ciuis Rom. iniussu populi quaereret, verum ii, quos populus quaestionibus publicis praefecisset, quique inde *Quaesitores parricidii* sunt adpellati. Meminit eorum iam lex XII. Tabularum, si vera scribit Pompon. *l.* 2. §. 23. *D. de orig. iur.* Festus *voce Quaestores p.* 160. *Quaestores parricidii adpellati, quos solebant creare caussa rerum capitalium.*

§. XII.

Quaesitores quomodo constituti?

Solebant vero eiusmodi Quaesitores olim ita constitui, vt primo fieret SC. quo tribuni iubebantur primo quoque tempore ad plebem ferre de quaestione huius vel illius criminis. Liu. IIII. 51. Fiebat deinde a tribunis rogatio hoc modo: VELITIS IVBEATIS, VT QVAERATVR, QVAE PECVNIA CAPTA, ABLATA, COACTA AB REGE ANTIOCHO, QVOD AES PVBLICVM RELATVM NON EST, VTI DE EA SER. SVLPICIVS PRAETOR VRBANVS AD SENATVM REFERAT, QVEM EAM REM SENATVS VELIT, QVAERERE DE IIS, QVI PRAETORES NVNC SVNT. Liu. XXXVIII. 54. Consentiente et suffragante plebe, a senatu res modo dictatori, (Liu. VIIII. 26.) modo consulibus, (Liu. IIII. 51.) modo ex praetori-

Source : BIU Cujas

toribus cuidam negotium dabatur, quaerendi de crimine. Et hi dicti deinde sunt *Quaesitores parricidii*, vel *Quaesitores rerum capitalium*.

§. XIII.

Quaestiones quando factae sint perpetuae?

Enimuero haec mutata sunt anno V. C. IOCIIII. quo perpetuae esse coeperunt quaestiones, atque ordinariae. Quum enim eo anno L. Piso, tribunus plebis, legem de repetundis tulisset: addidit, vt singularis de eo crimine praetor quaereret. Cicer. *Brut.* XXVII. Pigh. *Annal.* II. *p.* 447. Eadem ratione L. Sulla Praetori cuidam *quaestionem* de maiestate, aliis de peculatu, et de ambitu quaestionem demandauit. Solebant ergo sex, qui tunc in vrbe erant, praetores, inito magistratu, iurisdictionem vrbanam, peregrinam, et quatuor illas quaestiones in sortem coniicere; adeoque fortunae, cuinam earum quaeuis obtingeret, committere. (*h*) Sigon. *de Iudic.* II. 4. *p.* 540. L. Cornelius Sulla etiam quaestiones quatuor alias publicas inuexit, de sicariis, veneficiis, falso, et parricidio, adeoque totidem addidit praetores. *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* Solebat tamen senatus, quum raro plures, quam octo, praetores crearentur, suo arbitrio modo binas iurisdictiones; modo binas quaestiones, modo iurisdictionem, et quaestionem, vni alteriue deferre. Sigon. *ibid. p.* 542. Sed et extra ordinem nonnunquam Senatus populique decreto quaerebant siue consules, siue alii constituti quaesitores. Exempla sunt apud Ciceronem *de Fin.* II. 16. et *Brut.* XXII.

(*h*) Ante haec tempora praetores bini singulas domi Iurisdictiones, ex S. C. sortiebantur, vrbanam et peregrinam: reliqui quatuor prouincias foris gubernandas suscipiebant.

§. XIIII.

Quaesitorum sessio.

Quaesitores ergo isti in foro atque in tribunali praeerant iudiciis publicis, sedentes in sella curuli, gladiumque positum ante se habentes in signum imperii. Aderant praeterea Iudex Quaestionis, iudices, scribae, accensi, praecones, lictores, adparitores, et alii, qui Quaesitorem in iudicando exsequendaque sententia iuuabant. Sigon. *de Iudic.* II. 4. *p.* 544.

§. XV.

Source : BIU Cujas

§. XV.

Inter iudices primum locum occupabat IVDEX QVAESTIONIS, non idem sane cum Quaesitore, ut aliqui sibi persuadent, sed ab hoc diuersissimus. Sane in caussa Oppianici praetor erat Verres, iudex quaestionis C. Iunius. In caussa Verris, praetor M. Glabrio, iudex quaestionis Q. Curtius. In caussa Cluentii praetor Q. Naso, iudex quaestionis Q. Voconius. Inter quaesitorem et iudicem quaestionis hoc interfuisse, ait Quinctilianus *Instit. Orat. VIII.* 3. quod praetor seu quaesitor in iis, quae essent imperii; iudex quaestionis in iis, quae ad cognitionem pertinebant, fuerit occupatus. Fuit ergo non quidem magistratus, *l.* 1. *pr. et* §. 1. *D. ad L. Corn. de sicar.* sed persona tamen publica, (*i*) quae veluti partes praetoris, siue absentis, siue nimis occupati agebat, vnde et *princeps iudicum* vocatur Asconio Paediano. Praetor quoque praesens dabat accusationem, vel negabat, cogebat iudices et dimittebat, iudex vero quaestionis datam actionem exercebat, iudices sortiebatur, testes audiebat, quaestiones habebat, tabulas inspiciebat, et si qua erant huius generis alia. Sigon. *ibid. p.* 546. *sequ.* Ger. Noodt *de iurisdict. et imper. II.* 5. *p.* 158. Schulting. *Iurisprud. antiqu. anteiust. p.* 728.

Quis iudex quaestionis.

(*i*) Videtur hoc munus post aedilitatem capi consueuisse. Sane C. Iunius, iudex quaestionis, in Cluentiana fuit aedilitius, teste Cicer. *pro Cluent. XXXIII.* Et huc pertinet etiam inscriptio apud Sigon. *de Iudic. II.* 5. *p.* 548.

C. OCTAVIVS. C. F. C. N. C. PRON. PATER. AVGVSTI.
TR. MIL. BIS. Q. AEDIL. PL. CVM TORANIO IVDEX QVAESTIONIS.
PR. PROCOS. IMPERATOR ADPELLATVS EX PROVINCIA MACEDONIA.

Gruter. *Inscr. p. CCCLX.*

§. XVI.

Reliqui iudices quasi consilium praetoris erant, adeoque adsidebant in subselliis. Legebantur initio ex ordine senatorio, deinde ex equestri, ex lege Sempronia: tum ex vtroque ordine ex lege Seruilia Caepionis, hinc iterum ex equestri ex lege Seruilia Glauciae, porro iterum ex senatorio, ex lege Liuia Drusi, tum ex tribus ordinibus, senatorio, equestri, et plebeio, ex lege Plautia Siluani: hinc denuo ex senatorio, ex lege Cornelia Sullae, ac paullo post denuo e tribus ordinibus, ex lege Aurelia Cottae, postremo ex senatoribus solis, ex lege Iulia Caesaris. Numerus ex lege Seruilia Glauciae fuit quadringentorum

Quales reliqui iudices.

Source : BIU Cujas

quinquaginta: quamuis non idem semper fuerit seruatus. Hic numerus denuo in varias decurias descriptus erat, vti diximus supra Lib. IIII. Tit. XVII. §. II. Ex eadem lege iudicem nec oportebat triginta annis minorem esse, nec maiorem sexaginta. Aliis legibus cautum fuerat, vt iudices viginti quinque ad minimum annorum essent, quamuis vigesimum annum sufficere iterum statuerit Augustus Sueton. *Aug. XXXII.* (*k*) Legebat eos quotannis praetor, simul iurans, se eos dolo malo scientem non legisse: lecti vero aderant in subselliis, et iurati ferebant sententiam.

(*k*) Pro vigesimo anno trigesimum ponit Sigon. *de Iudic. II.* 8. sed depravatum esse illum locum Suetonii, iamdudum obseruarunt Cuiac. *Obs. XX.* 32. et Graeu. in *prolegom. T. XI. Thesaur. antiqu. Rom.*

§. XVII.

Rei primum in ius vocati, deinde postulata facultas deferendi nomen.

Etiam publica iudicia incipiebant ab *in ius vocatione l.* 8. *D. de accusat.* In iure deinde a quaesitore postulabat accusator, vt liceret sibi *nomen deferre.* Coel. *ad Cicer. Epist.* VIII. 6. Cic. *diuinat. Verr.* XX. quae tamen postulatio etiam absente reo fieri poterat: erant vero qui accusare non poterant, veluti mulieres, (*l*) pupilli, qui stipendium merebant, infames. Sic nec liberti iure accusabant patronos, *l.* 8. *D. de accusat.* nec quaestores praetores et praesides suos. Cic. *diuin. Verr.* XVIIII. Vnde et accusatus postulare poterat, si ei commodum videretur, vt iudicium de accusatore fieret, liceretne illi accusare, nec ne. Auct. *ad Herenn. I.* 12. Quin et locus erat anticategoriae, vel accusationi accusatoris, si quis ei maius crimen obiiceret, *l.* 19. *C. qui accus. non poss.* et tunc causa maioris criminis praeferebatur minori, quamuis prius delato. *l.* 1. *C. eod. tit.* De quibus antecategoriis erudite, vt solet, agit Cuiac. *Obs.* XX. 7. Exemti quoque erant aliqui ab aliorum accusationibus, veluti magistratus, Liu. XXXXV. 37. et absentes reip. causa. Valer. Max. III. 7. 9. Qui nomen deferebat, vocabatur accusator, idque turpe munus habe-

(*l*) Nisi parentum, liberorumue, patroni vel patronae, vel eorum filii, filiae, vel nepotis mortem exsequerentur. *l.* 1. *D. de accusat.* quod et de pupillis obseruandum, qui alios consilio tutorum facere reos poterant, si de patrum, vel auorum morte habenda esset quaestio, *l.* 2. §. 1. *D. eod.* Praeterea feminae admittebantur, si deferrent crimen maiestatis, *l.* 8. *D. ad leg. Iul. Maiest.* annonae, *l. vlt.* §. 2. *D. ad L. Iul. de annon.* et denique sacrilegii. *l.* 10. *C. de Epise. et Cleric.*

Source : BIU Cujas

habebatur, nisi quis aut reipublicae, aut patrocinii, aut paternarum, aut propriarum inimicitiarum caussa ad accusandum accederet. Cic. *de offic.* II. 14. Publicos tamen Romae fuisse accusatores, qui delicta publica persequerentur, patet ex Cicer. *pro Sex. Rosc.* XX. Plin. *Epist.* III. 17.

§. XVIII.

Si socii repetundarum quem postulabant, oportebat eos simul potestatem *patronos nominandi* postulare. Concedebatur id SCo, vt patet ex Liu. XXXXIII. 12. Cic. *diuinat. Verr. XX.* Nominati hi sociorum patroni, simul erant accusatores reorum. Sin vero duo pluresue accusationem simul deposcerent: iudicium antea fieri debebat, quis illorum deberet nomen deferre, id quod DIVINATIONEM vocabant, quia non de facto quaerebatur, sed de futuro, vter deberet accusare. Ascon. Paedian. *in Cic. Diuin. Verr. p.* 1757. Gell. *Noct. Att. II.* 4. *l.* 16. *D. de accus.* Exemplo esse potest diuinatio Ciceronis in Verrem, in qua cum Caecilio Iudaeo, disputat, vter accusandi partes suscipere deberet. Qui in hac diuinatione vicerat, primasque agebat partes, *accusator*, reliqui *subscriptores* dicebantur, iique, vt ait Asconius, accusatorem adiuuare solebant. De subscriptionibus vid. Cic. *diuin. in Verr. XV. Epist. ad Q. fratr. III.* 4. *pro Muraena* XXIIII. *Epist. ad famil. VIII.* 8. Alia ab hac subscriptione est, qua accusator ad similitudinem supplicii, seu talionis, se obstringebat, si non probasset, simulque cauebat, se in crimine perseueraturum vsque ad sententiam. *l.* 7. *pr. D. l. vlt. C. de accus. et inscr. l. vlt. C. de calumn. l.* 2. *C. de exh. et transm. reis.*

In crimine repetundarum simul postulati patroni. Sin plures se offerrent accusatores, iudicio praemittebatur diuinatio.

§. XVIIII.

Die constituta, vtraque parte praesente ipsa fiebat *delatio nominis*, ita tamen, vt accusator prius verbis conceptis iuraret, se non calumniandi caussa deferre nomen. Vide supra *Tit.* XVI. *n.* 2. Fiebat ea delatio nominis eadem formula, qua solebat in iudiciis priuatis lis intendi, veluti: AIO, TE IN PRAETVRA SPOLIASSE SICVLOS CONTRA LEGEM CORNELIAM, ATQVE EO NOMINE SESTERTIVM MILLIES A TE REPETO. Fatente reo, statim fiebat aestimatio litis. Negante eodem, postulabatur, vt nomen inter reos reciperetur, ac tunc scribebatur libellus accurate concipiendus, nominis, criminis, loci, temporis, personarum facta mentione. *l.* 3. *pr.* §. 1. *seq. D. de accusat.* Quo facto tempus inquirendi dabatur. Ascon. Paedian. *in Verr. I. p.* 1816. Crimen

Delatio nominis, eiusque receptio.

Source : BIU Cujas

ergo, quod obiiciebatur, libello subscriptum, relinquere oportebat accusatores, simulque accedere debebat subscriptio ad similitudinem poenae, de qua paullo ante diximus. Quod ideo inventum fuerat a Romanis, vt ne facile quis prosiliret ad accusationem, *quum sciret, inultam sibi accusationem non futuram. l. 7. pr. D. de accusat.* Cauebant itaque singuli accusatores, se probaturos, quod crimen obiecturi sint, et perseueraturos etiam in crimine, vsque ad sententiam. Libelli formula erat: HOC COS. ET DIE APVD ILLVM PRAETOREM VEL PROCOS. L. TITIVS PROFESSVS EST, SE MAEVIAM LEGE IVLIA DE ADVLTERIO REAM DEFERRE, QVOD DICAT, EAM CVM C. SEIO, IN CIVITATE ILLA, DOMO ILLIVS, MENSE ILLO, CONSVLIBVS ILLIS, ADVLTERIVM COMMISISSE. *l. 3. pr. D. de accusat.* Et haec professio deinde vel ab ipso accusatore, vel ab alio, si forte ille litteras nesciret, eius nomine erat subscribenda, vt docet Paullus iureconsultus. *d. l. 3. §. 2. D. de accusat.* Hinc Asconius *in Cornelianam p. 1307. Detulit nomen Publius, subscripsit Caius.* Quemadmodum vero accusator nomen DEFEREBAT, ita illud RECIPIEBAT praetor; quae receptio, quum aliquando esset in quaesitoris arbitrio, postulari debebat. Seneca *in Ludop. 683. T. II. Postulat nomen recipi, edit subscriptionem, occisos senatores triginta.* Et Coel. *ad Ciceron. Epist. VIII. 8. Nec Laterensis praetor, postulante Pausania, quo ea pecunia peruenisset, nomen recipere voluit.* Recepto vero nomine, praetor certam diem, qua accusator et reus adessent, constituebat, et plerumque quidem diem tricesimum ex lege Licinia et Iulia. Cic. *Vatin. XIII.* Quod tempus, si paullo breuius videretur, licebat accusatori diem longiorem poscere ad inquirendum, praecipue in crimine repetundarum, vt patet ex Ascon. *ad Cic. in Verr. I. p. 1815.*

§. XX.

Delato nomine reus vestem mutabat.

Ex eo tempore reus vestem mutare, et patronos conquirere solebat. Posita enim toga alba, non quidem atram, seu pullam, (*m*) vt Sigonius *de Iudic. II. 10. p. 563.* suspicatur, sed sordidam et ob-

(*m*) Atram seu pullam vestem sumebant in luctu, ceu multis ostendit Kirchmann. *de Funer. Rom. II. 17.* Vnde et Paull. *Rec. Sent. I. 21. 14.* ait: *Qui luget, abstinere debet a conuiuiis, ornamentis, purpura, et alba veste.* Albam tamen vestem sub Imperatoribus in luctu adhibitam esse a mulieribus, docent Lipsius *ad Tacit. Ann. II.* Forner. *rer. quotid. II. 21.* idque probant ex Plutarchi *Quaest. Rom. p. 270.* et Herodian. *Hist. IIII. 2.* Sed ex vtroque auctore

Source : BIU Cujas

et obsoletam, sumebat. Liu. VI. 20. Vnde *sordes* pro reatu, et *sorditatos* pro reis saepe dici, obseruat Graeuius *in prolegomenis Tomi XI. Thesaur. Ant. Rom.* Idem etiam rei amici et cognati saepe faciebant, nonnunquam et ipsi magistratus, si viri bene de rep. meriti vita et salus in discrimen vocaretur. Cic. *post redit V.* Plutarch. *in Vita Gracchor. p.* 829. Promittebat etiam reus barbam et capillum, vt constat ex Gell. *Noct. Att. III.* 4. Liu. II. 61. Cic. *pro Ligar. XI.*

tore patet, albae vesti locum tantum fuisse per eos dies, quibus nondum iusta facta fuerant marito. Alias enim et feminas pulla veste in luctu vsas esse, adparet ex Lactant. *de mort. persequut. XXXVIIII.* Ceterum non modo quoad colorem vestes in luctu mutabantur, verum etiam quoad formam. Magistratus enim in luctu posita praetexta, latum clauum sumebant: senatores lato clauo posito, angustum. Dio Cass. XXXX. et LVI. P. Fab. *Semestr. I.* 2. *p.* 8.

§. XXI.

Patronos ante Caesaris tempora raro adhibebant plures, quam quatuor: post bella vero ciuilia saepe ad duodecim peruentum. M. sane Scaurum sex patroni defenderunt, P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messala Niger, Q. Hortensius. Ascon. Paed. *in Cic. pro M. Scauro p.* 1752. Idem patronos illos in quatuor classes distinguit. Proprie enim *patronus* dicebatur orator, qui voce caussam orabat. Qui vero vel ius suggerebat, vel praesentiam suam commodabat amico, *aduocatus* vocabatur. Addidit idem *procuratorem*, et *cognitorem*, qui tamen ad priuata tantum iudicia pertinebant. Ascon. *in Cicer. in Verr. I. p.* 1759. Patroni quot adhibiti?

§. XXII.

Veniente die, in quem accusatorem et reum adesse iusserat praetor, vtrumque citari oportuit per praeconem. Si reus ergo criminis conscientia sese haud sisteret, absenti irrogabatur exsilium. Ascon. *in Milonian. p.* 1323. Sin, reo praesente, accusator non adesset: eximebatur accusati nomen de reis. Ascon. *in Cornel. p.* 1307. *Postero die, quum Cassius adsedisset, et citati accusatores non adessent, exemtum est nomen de reis Cornelii.* Citatio rei per praeconem.

§. XXIII.

Vtroque prodeunte, porro de iudicibus legendis agebatur, vt tantus adesset eorum numerus, quantus erat lege definitus. Fiebat Lecti deinde iudices.

Source : BIU Cujas

bat autem hic delectus per *sortitionem* et *editionem*. In *sortitione* praetor vel iudex quaestionis nomina omnium, qui eo anno inter iudices adlecti fuerant, in urnam coniiciebat, ac sorte deinde eum educebat numerum, quem lex praescribebat. Quo facto, deinde tum accusatori, tum reo, dabatur potestas, reiiciendi, quos parum sibi putarent idoneos, quorum in locum deinde alios subsortiebatur praetor vel iudex quaestionis, quibus ille iudicum numerus legitimus compleretur. Cic. *Verr. Act.* I. 6. Ascon. Paedian. *in Verr.* II. *p.* 1817. Nonnumquam lex non sorti, sed accusatoris reique arbitrio iudicum electionem permittebat, et hi tunc EDERE IVDICES, dicebantur, ipsi autem iudices EDITITII vocabantur. Cic. *pro Muraena* XXIII. *pro Planc.* XV. et XVII. Sic lege Seruilia Glauciae accusator iubetur ex CDL iudicibus edere centum: ex his centum reus edere quinquaginta. Vid. fragmenta legis Seruiliae apud Sig. *de Iudic. II.* 27. *p.* 609. Lecti iudices *citabantur*, citatique vel excusatione vtebantur, vel aderant, subsselliaque occupabant. Et hi tunc iurabant in leges, vt obstricti religione iudicarent. Eorum, qui iurauerant, omnium, praeter ipsum praetorem, (*n*) nomina libellis consignabantur, ne pro selectis iudicibus, vt fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissime iudicarent, Ascon. Paedian. *in Verr. II. p.* 1817.

(*n*) Praetor enim iam initio magistratus iurauerat conceptis verbis, se ex animi sententia et secundum leges ius dicturum. Petr. Fab. *Semestr. I. p.* 213.

§. XXIIII.

Actio prima.

Iam ipsa demum caussa cognosci coepit, eaque cognitio duabus potissimum ACTIONIBVS absolui consueuit, *prima* et *secunda*, nisi forte lex comperendinationem, adeoque secundam actionem prohiberet. In prima actione accusator, accepta dicendi potestate, actionem instituit, crimina rei singulatim percensendo, et ad singula vel testes interrogando, vel tabulas seruorumue tortorum confessionem producendo, vt fidem faceret iudicibus. Vnde interrupta plane fuit prior haec oratio, vt patet ex Ciceronis *actione I. aduersus Verrem.* Postea vero eamdem caussam alio die tractauit, non interrupto dicendi genere, sed oratione perpetua, qua crimina illa dicendo exaggerabat, testimoniaque artificiose confirmabat, et totius vitae anteactae flagitia narrabat, eaque oratio καθ' ἑξοχὴν dicta est accusatio. Cic. *pro Coel. III.*

§. XXV.

Source : BIU Cujas

§. XXV.

Quum ergo prima ſtatim oratione ab accuſatore omnia teſtimoniis eſſent confirmanda, eaeque probationes in *quaeſtiones*, *teſtes* et *tabulas* diſtinguerentur: de ſingulis monenda quaedam ex antiquitatibus exiſtimo. QVAESTIONES erant teſtimonia ſeruorum, vi tormentorum expreſſa. Solebat enim accuſator, ſimul ac iudices cum praetore adſediſſent, ſeruos rei in quaeſtionem poſtulare. (*o*) Aſcon. Paedian. *in Cic. pro Mil. pag.* 1323. Non licebat tamen ſeruos in caput domini interrogare, *l.* 1. §. 16. *et* 18. *D. de quaeſt.* niſi in cauſſa inceſtus et coniurationis, Cic. *partit. orat. XXXIIII. pro Milone XXII.* immo et poſtea in cauſſa tributorum, *d. l.* 1. §. 20. de quo loco videndus Cuiac. *Obſ. VI.* 29. in reliquis criminibus non oportebat ſalutem dominorum ſeruorum arbitrio committi. Cicero *pro Milone XXII.* (*p*) Paull. *Recept. Sent. V.* 16. 5. Nonnunquam et alieni ſerui in quaeſtionem poſtulabantur, ſed non niſi ſinguli, et permittente domino. Permittere autem non aliter tenebatur, quam ſi caueret accuſator, ſe, ſi exſpiraſſent in quaeſtione, eorum pretia; ſin deteriores facti, eius quoque damni aeſtimationem praeſtiturum. Paull. *ibid.* §. 3. *l.* 13. *D. de quaeſt.* Serui ergo in quaeſtionem poſtulati, praeſentibus aduocatis, equuleo alligati ita intendebantur, vt tamquam ex cruce penderent miſeri, ipſaque compages oſſium illis diuelleretur. Tum porro augendo dolori aliquando admouebantur candentes laminae, ungulae ferreae, aliaque huius generis tormenta, quae ſatis operoſe deſcribuntur a Car. Sigon. *de Iud.* III. 17. *p.* 720. *ſequ.* Hieron. Mag. *lib. ſing. de equuleo*, edito cum notis Gothofr. Iungermanni, Octau. Ferrar. *Elector.* I. 5. Sagittar. *de cruciat. Martyr. XVII. p.* 313. *ſequ.* aliiſque. Quaeſtione habita, et confeſſione ſeruorum in tabulas relata, tabulae obſignabantur, donec deprome-rentur in iudicio. Cic. *pro Milon. XXII.*

Quaeſtiones de ſeruis habitae.

(*o*) Immo et priuati olim torquebant ſeruos. Cic. *pro Cluent. LXIII. LXVI.* Quinctilian. *Declam. CCCXXVIII. CCCXXXIII. CCCLIII.*

(*p*) Moribus et inſtitutis maiorum id ius tribuit Cicero in *Partit. Orat. XXXV.* et *pro Rege Deiot. I.* Aſt Tacit. *Ann. II.* 30. illud a SC quodam vetere arceſſit. Probabile eſt, SC. quodam illud vetus inſtitutum in vſum fuiſſe reuocatum.

§. XXVI.

Source : BIU Cujas

§. XXVI.

Teſtimonia. Quemadmodum vero ſerui per tormenta, ita liberi homines extra illa quaerebantur, et hi TESTES dici ſolebant. Prouidendum vero in primis erat, ne teſtes adhiberentur parum idonei. Vnde exploranda erat conditio cuiuſque, vtrum quis decurio eſſet, an plebeius, et num honeſtae et inculpatae vitae, an vero notatus, et infamis, locuples ne, an egens eſſet, vt lucri cauſſa facile quid admiſſurus videretur, porro an inimicus ei, contra quem ferebat teſtimonium, an amicus illi, pro quo ferebat, et quae ſunt huius generis alia, quae cum cura explicare ſolent iureconſulti ad *titulum D. de teſtibus*. Dolendum eſt, periſſe Domitii Afri, oratoris et cauſſidici *libros II. de teſtibus*, laudatos a Quinctiliano *Inſt. Orat. VI.* 7. *VI.* 4. Fuit enim auctor iſte inter oratores veteres celeberrimus, cuius meminerunt Plin. *Epiſt. VIII.* 18. Tacit. *Annal. XIIII.* 19. et Hieron. *in Chron. n. MMLX.* qui eum domo Nemauſienſem fuiſſe ait. Ceterum hi teſtes vel ſua ſponte dicebant teſtimonium, vel inuiti, ſi quando iis, permittente lege, accuſator teſtimonium denunciaret. A qua tamen neceſſitate lex Iulia de iudiciis publicis exemerat generos, ſoceros, vitricos, priuignos, ſobrinos, ſobrino natos, eosque, qui propiore gradu eſſent, libertos item, et patronos. *l.* 4. *D. de teſtib.* Ceterum teſtes interrogabantur in iudicio ab accuſatoribus, et in eo quam maxime elucere videbatur eorum prudentia et dexteritas, quod longius repetita interrogatione verum extorquerent etiam inuitis. Cic. *pro Flacco X.* Hinc quum Phaedria adoleſcens apud Terentium obliquius interrogaret eunuchum de turbis, in domo meretricis datis: Donatus ad illum locum *Eunuch. IIII.* 4. *v.* 33. notat: *Et hae ſunt obliquae interrogationes, quibus vti oratores videmus, quum deriuare teſtimonium nituntur.* Quamuis vero teſtes non niſi iurati dicerent teſtimonium, et de iis etiam rebus, quas ipſi vidiſſent compertasque haberent: non alia tamen formula interrogabantur, quam illa: S. TEMPANE, QVAERO EX TE, ARBITRERISNE, C. SEMPRONIVM COS. IN TEMPORE PVGNAM INISSE? Ad quae teſtis vel ARBITROR, vel NON ARBITROR reſpondebat. Cicer. *Acad. Quaeſt. IIII.* 47. et *pro Fonteio VIIII.* Quod etiam Cuiacius obſeruauit *III.* 26. Abſentes teſtes per tabulas dicebant teſtimonium.

§. XXVII.

Source : BIU Cujas

§. XXVII.

TABVLARVM nomine omne genus scripturarum veniebat, quo causſam probabat accuſator, eoque in primis pertinebant in repetundarum et peculatus crimine tabulae dati et expenſi, tabulae auctionariae: in reliquis pactiones, litterae, ſyngraphae, aliaeque huius generis, quae obſignatae diligenter ab accuſatore ad praetorem deferebantur. Cic. *Act. I. adu. Verr. cap. V.* et *in Verr. I.* 61. Car. Sigon. *de Iudic. II.* 16. Tabulae probationis cauſſa recitatae.

§. XXVIII.

Iam vt ad primam actionem redeamus, vbi accuſator actionem ſuam pariter ac accuſationem abſoluerat, patroni ſeſe ad rei defenſionem accingebant, inter quam et accuſationem aliquot plerumque dies intercedebant. Cellar. *ad Cic. pro Sex. Roſc. IIII.* In ipſa defenſione quid egerint patroni, facile eſt ad intelligendum, idque ſatis ſuperque docent tot Ciceronis, quae exſtant, orationes. Crimen ſcilicet obiectum vel diluebant, vel iure factum contendebant. Teſtes, quos produxerat accuſator, vel reiiciebant, vel ſibi prodeſſe oſtendebant, et quae alias ipſa ſuggerit ratio cauſſaeque indoles. Cic. *pro Cluent. XVIII.* et *pro Fonteio* I. *et XVI.* Illud vero non praetermittendum, quod in epilogis ad miſericordiam concitandam etiam filios reorum produxerint. Qua de re multa ſuo more praecipit Quinctilianus *Inſt. Orat. VI.* 2. Rei defenſio.

§. XXVIIII.

Nec patroni ſolum reum per aliquot ſaepe dies (*q*) defendebant: ſed adhiberi etiam ſolebant laudatores, id eſt, ſumma auctoritate viri, ſiue ciues, ſiue ex municipiis miſſi, qui publica laudatione rei periculum ſubleuarent. Cic. *pro Cluent. XXXX.* Horum laudatorum plerumque decem dabantur, isque numerus iam erat moribus receptus, vt honeſtius videretur, nullos, quam pauciores accipere. Cic. *in Verr. V.* 23. Ea porro laudatio modo praemittebatur defenſioni, modo innectebatur eidem, modo eam ſequebatur, vt ex Ciceronis orationibus *pro Flacco*, *pro Cluentio et pro Scauro* patet. Sigon. *de Iudic. II.* 19. *p.* 584. Laudationes rei.

(*q*) Sic Cicero Cornelium per quatriduum defendit, teſte Aſcon. Paediano in *Cornel. p.* 1308.

Source : BIU Cujas

§. XXX.

Comperendinatio vel actio secunda.

Ceterum lex, ex qua agebatur, aut hanc vnam actionem admittebat, aut comperendinationem concedebat. Si vnica actio admittebatur, finita defensione, statim in suffragia mittebantur iudices, et sic *primo coetu*, vel *primo iudicare* dicebantur. Auctor *ad Herenn. IIII. 36. Vos veriti estis, si primo coetu condemnassetis, ne crudeles existimaremini?* Quae verba egregie interpretatur Turneb. *Aduersar.* XX. 25. Sin lex comperendinationem haberet: tunc perendie, noua instituebatur partis vtriusque recitatio, sed ita, vt priore loco reus, posteriore accusator diceret. Cicer. *in Verr. I.* 9. et ibi Asconius Paedianus.

§. XXXI.

Iudices missi in consilium.

Finita et hac actione, vbi vterque orator DIXI addiderat, statim praeco DIXISSE, eos pronunciabat. Quo facto, praetor tabellas distribuebat inter iudices, eosque ad ferendam sententiam mittebat in consilium. Ascon. Paedian. *in Cic. Verr. III. p.* 1841. *Mittere iudices in consilium est dimittere iudices ad sententiam dicendam, vbi adlegatis omnibus argumentis, orator dixerat* DIXI. Et *in Verr. II. p.* 1823. *Moris veterum fuit, quum satis visum esset fluxisse verborum, hanc sibi necessitatem finiendae orationis imponere, vt dicerent ad vltimum*: DIXI, *quod etiam ab vtraque parte oratione consumta, vt in consilium dimitterentur, praeco* (r) *soleret pronunciare*: DIXERVNT. Hinc consurrexere iudices, et in leuioribus causis sententiam singuli de tabulis pronunciarunt: et tunc PALAM dicebatur LATA SENTENTIA: in grauioribus vero CLAM hoc fieri consueuerat. Accedebant enim iudices ad vrnas, quarum tot erant, quot iudicum ordines, et in illas e tribus, quas acceperant, tabulis vnam quisque immittebat. Qui absoluendum credebant reum, eam immittebant, cui A, id est ABSOLVO, inscriptum. Qui condemnandum; alteram, in qua C, id est CONDEMNO, legebatur. Qui denique dubitabant, tertiam, in qua NL. id est NON LIQVET, immittebant. Interea dum hae tabulae immittebantur, et earum deinde fiebat diremtio: reus, in genua prouolutus, iudicum genua osculabatur, nihilque, quod ad misericordiam excitandam facere videretur, praetermittebat. Valer. Max. VIII. 1. 6. Idem etiam faciebant laudatores et amici, ceu

patet

(r) In vulgatis Ciceronis editionibus est *praetor*. Sed pro *praetore* legendum esse *praeconem*, recte monet Fr. Hotomanus *in prooem. act. in Verr. p.* 229.

Source : BIU Cujas

patet exemplo M. Scauri, cuius laudatores ad genua iudicum, quum sententiae ferrentur, bifariam se diuiserant, et pro eo deprecabantur, teste Asconio Paediano *ad Cicer. pro Scauro p.* 1754. Inualuerat etiam, vt virgines Vestales aliquando adhiberentur deprecatrices. Tacit. *Ann. XI. n.* 32. et Bernegg. *ad Suet. Iul. cap. I.*

§. XXXII.

Diremtis tabulis, praetor ipsam pronunciabat sententiam. Aut enim condemnabat reum, aut absoluebat, aut amplius cognoscendum aiebat, prout id plura suaderent suffragia. Coel. *apud Cicer. Epist. VIII.* 8. Condemnationis formula erat: VIDETVR FECISSE, vel NON IVRE VIDETVR FECISSE. Absolutionis: NON VIDETVR FECISSE, vel IVRE VIDETVR FECISSE. Ampliationis denique: AMPLIVS COGNOSCENDVM. Cic. *acad. quaest. IIII.* 47. *de finib. I.* 7. Quin et, si poena adiiceretur, simili id fiebat formula: VIDERI EVM IN EXSILIO ESSE, BONAQVE EIVS VENIRE, IPSI AQVA ET IGNI PLACERE INTERDICI. Liu. XXV. 4. Sig. *de Iud.* II. 22. Briss. *de Form. V. p.* 480. Condemnationis sententiam pronunciaturus praetor, praetextam ponere solebat, teste Plutarcho *in Ciceron. p.* 883. nec verba solum antea relata proferebat, verum etiam poenae et supplicii nonnunquam faciebat mentionem, quamuis etiam aliquando eam praetermitteret, et ad ipsam se referret legem. *l.* 1. §. 4. *D. ad SC. Turpil.* Sententia lata a praetore.

§. XXXIII.

Absolutus reus, domum se recipiebat, positoque sordido habitu, resumebat togam albam (*s*), vt patet exemplo Ciceronis apud Plutarch. *in Cicer. p.* 865. Si non absolutionis, sed amplia tionis tantum, pronunciata esset sententia: denuo cognosci causa ab integro solebat alio die, quem praetor arbitratu suo statuebat. Tunc iterum primus dicebat accusator, et deinde patronus, quo facto, denuo in consilium mittebantur iudices, idque eo vsque fiebat, donec causa ad liquidum perducta esset. Denique, condemnato reo, aut tribunorum implorabatur auxilium, cuius rei exempla exstant apud Plutarch. *in Caesare p.* 708. Cic. *pro P. Quinct. XX.* aut consul ipse, vel alius praetor, intercedebat, vti patet exemplis apud Valer. Max. VII. 7. 6. aut lis ei aestimabatur, Repetita causae cognitio.

(*s*) Licebat tunc reo absoluto contra accusatorem vel calumniae vel praeuaricationis instituere actionem, de quibus multa iureconsulti. Adde Sigon. *de Iudic. II.* 26.

Source : BIU Cujas

tur, veluti in iudicio repetundarum, aut ipsa sequebatur animadversio, et reus in poenam aliquam condemnabatur. Lite aestimata, aut pecunia soluenda erat, aut eam summam, proscriptis eius bonis, sectores curabant. Ascon. Paedian. *in Verr. III. p.* 1845. De poenis, quales fuerint apud veteres, iam supra satis superque dictum est.

§. XXXIIII.

Qualia fuerint iudicia populi?

Sufficiant haec de iudiciis publicis. Addenda nonnulla de IVDICIIS POPVLI, quae et ipsa plerumque ad vindicanda crimina comparata fuerunt. Publica enim iudicia de iis instituebantur criminibus, de quibus certae exstabant leges. At populus iudicabat de quibuscumque, quae ad se detulisset magistratus (*t*), et in quibus de capite ciuis Romani agebatur. In primis tamen duo crimina ad populum deferri solebant, *maiestatis* puta et *peculatus*. Sic maiestatis caussam apud populum dixere Marcus Coriolanus, Sp. Cassius, T. Menenius, Sp. Seruilius, App. Claudius, et alii. Ob peculatum dies dicta M. Camillo, M. Liuio Salinatori, P. Africano, M. Postumio et aliis, qualia exempla collegit Sigon. *de Iudic. III.* 2.

(*t*) Sic de sororis caede dies, dicta est P. Horatio. Liu. I. 26. Valer. Max. VIII. I. 1. de homicidii suspicione P. Sestio: sed et de vindiciis, contra leges datis, App. Claudio. Liu. III. 56. de repetundis C. Lucretio, Liu. XXXXIII. 8. de perduellione C. Claudio, Liu. XXXXIII. 18. de peculatu M. Acilio Glabrioni, Liu. XXXVII. 54. P. et L. Scipionibus, Liu. XXXVIII. 50. L. Postumio, Liu. XXV. 3. de puero ad stuprum pellecto C. Scantinio, Valer. Max. VI. 1. 6. de vi armata Miloni. Ascon. Paedian. in Cicer. *pro Milone p.* 1315. *sequ.*

§. XXXV.

In quibus comitiis instituta?

Instituebantur haec iudicia olim in comitiis curiatis, ceu patet exemplo P. Horatii, cui, quum sua manu sororem interemisset, dies dicta est apud populum, cuius suffragiis liberatus, perduellionis supplicium euasit. Liu. I. 26. Cic. *pro Milone III.* Atqui eo tempore comitia non erant alia, quam curiata, centuriatis multo post a Ser. Tullio Rege inuentis. Exactis autem Regibus, quum iam Seruius centuriata, et postea tribuni plebis etiam tributa inuenissent comitia: non curiatim amplius, sed vel per centurias, vel per tribus, de criminibus ciuium Romanorum iudicari coepit. Centuriatis eam potestatem dederat P. Valer. Poplicola cos. qui lata lege sanxerat, vt a consulum sententiis prouocatio esset

Source : BIU Cujas

esset ad populum. Liu. *Hist. II.* 8. Quae lex deinde etiam inter sacratas repetita, firmataque est. Cic. *pro Sext. XXX.* Inualuit ex eo tempore, vt de mulctandis ciuibus Romanis in comitiis tributis (*u*); de capite eorumdem non nisi in centuriatis, ageretur. Cic. *de Legib. III.* 4. *et* 19. Quam legem Valeriam iterum retulit C. Sempronius Gracchus anno IↃCXXX. Cic. *pro Rabir. perduell. reo. Cap. IIII.*

(*u*) Attamen etiam de capite M. Coriolani in comitiis tributis actum esse, nemo ignorat. Liu. I. 35. Verum id nulla lege aut more per tumultum actum esse, recte obseruat Car. Sigon. *de Iudic. Rom. III.* 5. *p.* 695.

§. XXXVI.

In tributis comitiis diem reis dicere solebant magistratus minores, veluti aediles curules, tribuni plebis, et aediles plebis. Sic T. Menenius, App. Claudius, Sp. Seruilius, C. Sempronius, aliique iudicio oppugnati sunt a tribunis plebis. Liu. III. 52. 56. IIII. 21. C. Scantinio, tribuno plebis, diem dixit M. Marcellus, aedilis curulis, quod filium suum de stupro adpellasset. Valer. Max. VI. 1. 7. Veturio exconsuli idem negotium facessiuit C. Alienus, aedilis pleb. Dionys. Halic. X. *p.* 673. Aliud exemplum C. Fundani et Iib. Sempronii, aedilium plebis, qui Claudiae diem dixere, extat apud Gell. *Noct. Att. X.* 6. Centuriatis autem comitiis non minores illi magistratus, sed consules, praetores, nonnunquam tamen et quaestores, aliique magistratus minores, agebant, nisi forte et illis a consulibus hoc extra ordinem concessum esse, dicamus. Vnde patet, cur T. Manlium in comitiis centuriatis accusarint tribuni plebis. Vid. Liu. XVI. 20.

An etiam in comitiis tributis?

§. XXXVII.

Diem vero non nisi priuatis dicere licebat. Vnde si consules, praetores, aliique magistratus accusari deberent, exspectandum erat, dum magistratu abiissent. Exempla T. Menenii, Sp. Seruilii, App. Claudii, C. Sempronii, iam supra vidimus. Verumtamen contigit nonnumquam, vt extra ordinem etiam, qui nondum magistratu abiissent, deferrentur ad populum. Ita dies dictus est Scantinio, tribuno plebis. Valer. Max. VI. 1. 7. L. Flacco, aedili curuli ex prouincia Asia decedenti. Cic. *pro Flacco Cap. III.* Claudio et Graccho censoribus. Liu. XXXXIII. 16. vt alia exempla praetermittamus.

De quibus his iudiciis iudicatum.

Source : BIU Cujas

§. XXXVIII.

Quid fuerit diei dictio?

Ceterum vt iudicia publica ab accusatione, ita haec populi a DIEI DICTIONE incipiebant. Magistratus enim, conscendens rostra, aduocata concione, hoc vel illo die se hunc ciuem de hoc crimine accusaturum, pronunciabat, iubens simul, vt eo die reus adesset. Cuius rei hanc fuisse formulam, existimat Sigonius *de Iudic.* II. 7 *p.* 697. AP. CLAVDI HVC AD ME NONIS SEPTEMB. ADESTO, VT TE ACCVSARI AVDIAS. QVOD VINDICIAS CONTRA LIBERTATEM DEDERIS. Dicta die, aut vades dandi erant in iudicio capitali, aut vbi de mulcta agebatur, praedes, qui reum obiturum hoc iudicium, sponderent. Nisi id factum esset, hic in custodia habebatur. Exemplum Caesonis, qui vades dare iussus est, est apud Liu. III. 13. et M. Postumii apud eundem, Liu. XXV. 4. De praedibus, quos dare L. Scipio non potuit, ideoque in carcerem abductus est, videndus Gell. *Noct. Att.* VII. 19.

§. XXXVIIII.

Citatio, excusatio, contumacia rei.

Veniente, qui dictus erat, die, magistratus, iterum conscensis rostris, reum per praeconem citabat. Liu. XXXVIII. 51. Suet. *Tiber. XI.* Citatione vero illa facta, vel magistratus maior intercedebat, vel reus absens excusabatur, vel auspicia dirimebant comitia, vel denique criminis conscientia reus aberat. Saepe, ne accusatio fieret, intercedebant magistratus, quemadmodum verbi caussa Tribunos plebis pro Scipionibus interceſſisse, patet ex Liu. XXXVIII. 60. Gell. *Noct. Att. VII.* 19. Saepe reus vel morbo decumbebat, vel funere curando occupabatur, vel denique voluntarium eligebat exsilium, et tunc EXCVSARI dicebatur. Exempla sunt apud Liu. III. 13. XXXVIII. 52. Cic. *pro Rabir. III.* Saepe auspicia diem iudicii tollebant, et tunc simul caussa iudiciumque sublatum videbatur. Sic P. Clodius, imbre subito coorto; alius vero, nescio quis, obseruato de caelo vitio, liberatus est. Liu. XXXX. 42. Sin ex contumacia conscientiaque criminis sese haud sisteret reus: statim ei, pro arbitrio magistratus, poena irrogabatur.

§. XXXX.

Accusatio ter repetenda.

Vbi vero se stiterat reus (*x*), sequebatur ACCVSATIO, quae, intermissis diebus, ter erat repetenda. Nihil haec accusatio ab illa

(*x*) Abiectus ille solebat sub rostris stare, multisque adolescentum plebisque conuiciis vexari. Vnde Gracchus, tribunus plebis, negabat se passurum,

Source : BIU Cujas

illa in iudiciis publicis differebat. Afferebat accusator certum crimen, idque testibus, tabulis, aliisque argumentis probabat. Sigon. *de Iudic.* III. 9. Addebat tamen in singulis accusationibus poenam vel mulctam, quam pro arbitrio dicebat, eaque ANQVISITIO adpellabatur, cuius haec fuit formula: QVANDO IGITVR HAEC, QVAE DIXI, FECISTI, OB EAS RES EGO MVLCTAM TIBI DICO. Idem III. 10. Saepe tamen contigit, vt poena, prima accusatione dicta, altera tertiaue vel mitigaretur, vel exasperaretur. Sic in caussa Cn. Fuluii a Sempronio, tribuno plebis, initio pecunia, tertia vero accusatione capite anquisitum est. Liu. XXVI. 3.

surum, vt caussam diceret P. Scipio. Tantum enim virum *sub rostris stare, et praebere aures adolescentum conuiciis, populo Rom. magis deforme, quam ipsi esse.* Liu. XXXVIII. 52.

§. XXXXI.

Promulgata rogatio.

Perfecta tertium accusatione, idem, qui diem dixerat magistratus, rogationem scriptam promulgabat, in qua et crimen, et poena mulctaue comprehendebatur (*y*). Ea rogatio promulgata manebat per trinas nundinas, non secus ac leges, vt populus, vel plebs, adprobandane, an abroganda esset, secum posset accuratius deliberare. Haec autem promulgatio MVLCTAE POENAEVE IRROGATIO; iudicium vero populi de illa MVLCTAE POENAEVE CERTATIO dicebatur. Cic. *de Leg. III.* 3. *Quum magistratus iudicassit*, IRROGASSITVE: *per populum* MVLCTAE POENAEVE CERTATIO *esto.*

(*y*) Neque enim permittebant leges, vt alia poena cum mulcta coniungeretur. Cic. *pro domo XVII.*

§. XXXXII.

Rei defensio.

Tertiis nundinis accusator denuo in rostra conscendit, citatoque rursus reo, quartam accusationem instituit, eaque perfecta, potestatem reo fecit caussam dicendi. Tum vero aut ipse reus, aut pro eo patronus luculenta oratione non modo crimen diluit, verum etiam virtutes rei commendauit, nihilque, quod populum vel plebem ad misericordiam flectere posse videretur, praetermisit. Exemplo est Scipio, qui iussus dicere caussam, sine vlla criminum mentione, orationem magnificam de rebus a se gestis exorsus est. Liu. XXXVIII. 51. Addenda est Ciceronis *Oratio pro C. Rabirio*, perduellionis reo, ex qua, quae defensionum

eius-

Source : BIU Cujas

eiusmodi fuerit ratio, satis elucet. Ceterum, audita illa defensione, in certam diem comitia, vel tributa, vel centuriata, indicebantur (z), quibus plebs vel populus de reo ferret suffragium.

(z) Tributa comitia ipsi indicebant tribuni plebis: centuriata magistratus maiores. Si ergo tribuni plebis capite anquirerent, centuriata comitia a praetore postulare consueuerunt. Liu. XXXXIII. 16.

§. XXXXIII.

Auxilia reorum.

Interea rei varia sibi circumspiciebant praesidia. Modo enim cum tribunis agebant, vt intercederent: Gell. *Noct. Att. VII.* 19. modo augures subornabant, qui tristi quadam obnunciatione dirimerent comitia: Liu. XXXX. 42. modo ab ipso accusatore, vt diem produceret, inceptoque desisteret, impetrabant. Sigon. de *Iudic. III.* 13. Si nihil horum procederet, solum reliquum erat populare auxilium. Hinc ipso comitiorum die sordidati ac barba capilloque promisso prodibant cum propinquis, clientibus, et amicis, et singulorum ciuium amplexi genua, rogando prensandoque efficiebant, vt absoluere se suo suffragio dignarentur. Idem faciebant cognati, amici, clientes. Liu. VI. 20. XXXXIII. 16. Appius Claudius tamen, vt id faceret, adduci non potuit. Liu. III. 61.

§. XXXXIIII.

Populi vel plebis suffragia.

Adpetente ipso comitiorum die, vbi vel populus in campum Martium, vel plebs in comitium confluxerat, magistratus, qui diem dixerat, denuo reum per praeconem euocabat. Tacentem, et iudicio se subtrahentem, per cornicinem ante aedes, et in arce citabat. Varro *de Lingua Lat. V.* 9. *p.* 44. Quamuis ille Varronis locus magis ad mores Romanorum antiquissimos, quam ad Varroniana tempora pertinere videatur. Vbi ne sic quidem sui dabat copiam: statim ei scisscebatur exsilium. Exemplum Postumii est apud Liu. XXV. 4. Aliud Fuluii apud eumdem, XXVI. 3. Praesente vero reo, magistratus populum, vel plebem, in centurias tribusue discedere, et per scribam recitari iussit ROGATIONEM, veluti: ROGO VOS, VELITIS IVBEATIS NE, VT M. TVLLIO AQVA ET IGNI INTERDICATVR, QVOD FALSVM SC. RETVLERIT, QVODQVE CIVES ROMANOS INDICTA CAVSSA NECANDOS CVRARIT? Cic. *pro domo XVIII. XVIIII.* Eo facto, populus vel plebs mittebatur in suffragia, ita, vt singulae centuriae, vel tribus, per pontes in septa transirent, et ad pontes tabellas, sententiam

Source : BIU Cujas

tentiam ſuam complexas, cuſtodibus darent. Qui reum condemnatum volebant, tabulam reddebant, cui inſcriptum V. R. id eſt *vti rogas.* Qui abſolutum malebant, alteram, in qua erat A. id eſt *antiquo.* Denique diremtio numeratioque fiebat ſuffragiorum, eodem modo, quem ſupra inter legislationis ritus deſcripſimus: & tunc, quod plures ſciuiſſent centuriae vel tribus, ratum habebatur, ſtatimque vel mulcta, vel poena a reo exigebatur, vel abſolutum illum eſſe, pronunciabatur. Liu. XXXXIII. 18. Cic. *pro domo XXX.*

§. XXXXV.

Et haec quidem fuit iudiciorum publicorum populique ratio. Iam nihil ſupereſt quam vt leges de iudiciis publicis, quas Imperator hoc titulo explicauit, ex antiquitatibus illuſtremus, quamuis id non perfunctorie iam factum ſit a Car. Sigonio *de Iudic. II.* 16. *ſequ.* Leges de iudiciis publicis.

§. XXXXVI.

Maximum crimen, quod a ciue Romano admitti poterat, erat MAIESTATIS, quo nomine veniebat, *quidquid aduerſus populum Romanum, aut ſecuritatem eius commiſſum fuerat: l.* 1. §. 1. *D. ad leg. Iul. Maieſt.* aut, vt Cicero *de Orat. II.* 39. deſcribit: *Maieſtas eſt amplitudo ac dignitas ciuitatis. Is eam minuit, qui exercitum hoſtibus populi Romani tradidit.* Et *Partit. Orat. XXX. Maieſtas eſt in imperiis atque in omni populi Romani dignitate, quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad ſeditionem vocauit.* Auctor *ad Herenn. II.* 12. *Maieſtatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus rebus ciuitatis amplitudo conſtat.* Et paullo poſt: *Maieſtatem minuit, qui amplitudinem ciuitatis detrimento adficit.* Quaecumque ergo aut populo, aut magiſtratibus, directo factae erant iniuriae, quaeque vel dignitatem vel ſecuritatem populi Romani laedere videbantur: ea ad maieſtatis crimen pertinebant. Crimen laeſae maieſtatis.

§. XXXXVII.

Primam de MAIESTATE legem ipſe Romulus tuliſſe videtur, quippe qui, teſte Dionyſ. Halic. *Antiqu. II. p.* 84. proditores, tamquam Diti conſecratos, a quocumque occidi permiſit. Poſtea et XII. Tabulis cautum eſt, vt ſi quis in vrbe coetus nocturnos agitaſſet, capite plecteretur. Porc. Latro. *Declam. adu. Catilin. Cap. XVIIII.* In iiſdem tabulis lex exſtabat: QVI HOSTEM CONCITAVERIT, QVIVE CIVEM HOSTI TRADIDERIT, CAPITE PVNITOR. *l.* 3. *D. ad leg. Iul. maieſt.* Et inde factum videtur, Leges variae de maieſtate.

Source : BIU Cujas

vt postea inter crimen *maiestatis* et *perduellionis* distingueretur (*a*). Paullo post lata lex GABINIA, incertae quidem aetatis (*b*), sed satis tamen, vt videtur, antiqua, qua cautum est, *vt qui coitiones vllas clandestinas in vrbe conflauisset, more maiorum capitali supplicio mulctaretur.* Porc. Latro *ibid.* Ex quo patet, Gabinium illum, quicumque fuerit, ea, quae leges XII. Tabularum de coetibus nocturnis statuerant, ad quoscumque alios, adeoque etiam diurnos, transtulisse. Accessit postea A. V. C. IↃCLII. C. Mario quintum, consule LEX APPVLEIA, rogata a L. Appuleio Saturnino, tribuno plebis seditiosissimo, vt vis in vrbe facta seditioque vindicaretur aduersus C. Norbanum quaestorem. Cic. *de Orat. II.* 49. Eodem exemplo A. V. C. IↃCLXII. Q. Varius Sucronae in Africa natus, et inde Ibris dictus, trib. pleb. tulit LEGEM VARIAM, qua quaeri iubebatur, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent. Valer. Max. VIII. 6. 4. III. 7. 8. Appian. *de bello ciu. I. p.* 632. *edit. Toll.* qui historiam omnem huius legis adcurate persequitur. In eo tamen errat, quod pro Vario, legis auctorem finxit Valerium, quamuis id etiam Schiltero visum sit. Ascon. Paedian. *in Cic. pro Scauro p.* 1752.

(*a*) *Perduellis* veteribus erat hostis. Varro *de lingu. Lat. IIII.* 1. *p.* 32. Fest. *voce hostis p.* 297. *l.* 234. *D. de verb. signific. Duellum* enim idem priscis, ac bellum. *Per* vero habet significationem intendendi. Menag. *Amoen. iur. p.* 322. Hinc perduellionis crimen admississe dicebatur, qui erat hostili in rempublicam animo, *l. vlt. D. ad leg. Iul. maiest.* quales erant Iunii, Vitellii, Aquillii, in quos animaduertit Brutus. Liu. II. 3. 4. 5. Quamuis paullo latius antiquis acceptum videatur perduellionis vocabulum, ita vt omnia atrociora crimina, contra ciuium libertatem securitatemque publicam admissa, denotaret, vt patet exemplo P. Horatii apud Liu. I. 26. Si quis non quidem hostilem animum aduersus rempublicam ostenderat, sed tamen aut securitatem aut dignitatem populi magistratuumue laesisse dicebatur, is maiestatis erat reus.

(*b*) An idem forte Gabinius hanc legem tulit, qui et tabellariae fuit auctor, quique A. V. C. IↃCXIIII. Cn. Calpurnio Pisone et M. Popilio Laenate Coss. tribunatum gessit? Ita visum Gundlingio in diss. *de crimine maiest. I. 6. p.* 6. Sed id quidem diuinare, quam adfirmare, licebit facilius.

§. XXXXVIII.

Lex Cornelia de eadem.

Sed multo seuerior illis antiquioribus fuit LEX CORNELIA, non multis post annis lata L. Sulla Dictatore, qua ad Caesaris vsque aetatem vsus est populus Romanus. Huius legis haec capita collegit Carol. Sigon. *de Iudic. II.* 29.

PRAETOR QVI EX HAC LEGE QVAERET, DE EO QVAERITO, QVI

QVI INTERCESSIONEM SVSTVLERIT, AVT MAGISTRATVI, QVO MINVS MVNERE SVO FVNGATVR, IMPEDIMENTO FVERIT, QVI EXERCITVM E PROVINCIA EDVXERIT, AVT SVA SPONTE BELLVM GESSERIT. QVI EXERCITVM SOLLICITAVERIT, QVI DVCIBVS HOSTIVM CAPTIS IGNOVERIT. QVI POTESTATEM SVAM IN ADMINISTRANDO NON DEFENDERIT, QVI CIVIS ROMANVS APVD REGEM EXTERNVM VERSATVS FVERIT.
MVLIERIS TESTIMONIVM ACCIPIATVR. (*c*)
CALVMNIATORIBVS NVLLA POENA SIT.
HIS DAMNATIS POENA AQVAE ET IGNIS INTERDICTIO SIT.

Sed vereor, vt omnia huius legis capita viderit Sigonius. Nihil enim hic de quaestionibus et torturis, de quibus statuerat SVLLA, vt ab iis nulla dignitas liberaret. Ammian. Marcellin. *Hist. XVIII.* 12. *l.* 10. §. 1. *D. de quaest.* Tale quid postea etiam sanxere Valentinianus, Valens et Gratianus, imperatores. *l.* 1. *C. Theod. de quaest. l.* 4. *C. ad leg. Iul. maiest.*

(*c*) Addi debuisset, et seruorum. Nam et horum admissum esse testimonium, constat ex Sallust. *de bello Catil. XXX.* Vid. Gundl. *de l. maiest. I.* 13. Laudabiles tamen principes seruorum testimonium raro admiserunt, veluti Traianus, teste Plin. *paneg. XXXXII.* Nerua teste Dione Cass. LXVIII. p. 769. Tacitus Imp. teste Vopisco *in Vita Tac. VIIII.* Ezech. Spanhem. *ad Iulian. Orat. I. p.* 222.

§. XXXXVIIII.

Sequuta est LEX IVLIA maiestatis prior, lata a C. Iulio Caesare, qua itidem vt maiestatis damnatis aqua et igni interdiceretur, cautum fuerat teste Cicerone *Philip. I.* 5. Ad extremum succesſit *lex Iulia* posterior, quam Augustus tulerat, cuiusque pleraque capita et hodie exstant in fragmentis iureconsultorum in *titulo D. ad leg. Iul. maiest.* Omnes hac lege maiestatis rei pronunciantur, qui quidquam vel contra rempublicam, vel aduersus principem admiserant; siue facto, siue libello famoso feciſſent iniuriam. Et vt tanto maior esset reorum copia, etiam famosi homines et serui, et liberti, ad accusandum admittebantur. Convicti porro ex hac lege, si perduellionis rei essent, capitis damnabantur: (*d*) ex alia causſa mitius puniebantur. Sin in reatu de- Lex Iulia de eadem.

(*d*) Interdicebatur eis aqua et igne, teste Paullo *Rec. Sent. I.* 29. 1. Sic deportatorum ob hoc crimen etiam meminit Iul. Capitolin. *Vit. Pertinac. VI.*

Source : BIU Cujas

ceſſiſſent, nec a ſucceſſoribus purgarentur, bona fiſco vindicabantur. Eam legem, licet ſatis ſeueram, poſtea tamen Tiberius aſperiorem reddidit, et ad ipſa dicta, quae impunia antea erant, protulit. (*e*) Tacit. *Annal. I.* 72. Immo ſub eodem hoc genus calumniae eo proceſſerat, vt capitale eſſet, circa Auguſti ſimulacrum ſeruum cecidiſſe, veſtem mutaſſe, numo vel annulo impreſſam principis effigiem latrinae aut lupanari intuliſſe, dicto vllo, factoque eius exiſtimationem laeſiſſe. Periit denique & is, qui honores in colonia ſua eodem die decerni ſibi paſſus erat, quo decreti et Auguſto olim erant. Sueton. *Tiber. LIII.* Immo nec poena, ab Auguſto ſtatuta, ſatis magna viſa eſt immitioribus principibus. Vnde de ſua aetate Paullus *Recept. Sent. I.* 29. 1. *Nunc humiliores beſtiis obiiciuntur, vel viui exuruntur; honeſtiores capite puniuntur.*

(*e*) Initio Auguſtus ſpecie huius legis de libellis famoſis quaeſiuerat, poſtea id per interpretationem ad dicta tractum, ut praeclare docet Io. Fr. Gronou. *ad Tacit. Annal. I.* 72.

§. L.

Nouae de maieſtate leges.

Poſtremo Arcadius et Honorius Auguſti incredibili Rufini et Eutropii moti tyrannide, quam in ipſos principes adfectauerant, Maieſtatis legem non ſolum ad factiones ipſumque conatum protulerunt, ſed et poenam quam maxime exacerbarunt. Praeterquam enim quod maieſtatis reos gladio feriri iuſſerunt, etiam bona adiudicarunt fiſco, (*f*) et filios a materna, auita omniumque proximorum hereditate excluſerunt, neque quidquam eos ex teſtamento extraneorum capere vel ad honores vllos adſpirare paſſi ſunt, vt eos, perpetuo egentes, et pauperes, infamia paterna ſemper comitaretur, eſſentque tales, vt iis & mors ſolatio, et vita ſupplicio eſſet. Sic poena paterna et in liberos redundat, quod alioquin a principiis iuris alienum, et barbaris proprium eſt, quos ob crimina non modo liberos, ſed et omnem familiam, ſupplicio adfeciſſe, erudite docet Em. Merill. *Obſ.* IIII. 3. Omnia haec pluri-

(*f*) Fecerunt id Imperatores D. Marci Imp. exemplo, qui Drunciani, Senatoris, et Caſſiani furoris ſocii, bona poſt mortem fiſco vindicauerat, ſi vera ſcripſit Paullus *l.* 7. *C. ad L. Iul. maieſt.* (Nam Iul. Capitolinus in vita Marci et Voc. Gallic. in vita Auidii Caſſii id factum eſſe negant.) Poſtea idem conſtituerunt Seuerus et Antoninus, teſte Marciano *l.* 8. *pr. C. eod.* Adde tamen Cuiac. *Obſ. III.* 19.

pluribus inculcat *l. quisquis 5. C. ad l. Iul. Maiest.* in quam luculentus exstat commentarius Iacobi Gothofredi, editus *Geneuae* cIↃIↃCLIIII. *in* 4°. Praeterea obseruandum, perduelles aeque ac hostes lugeri more maiorum non debuisse. *l.* 11. §. 1. *D. de his qui not. infam. l.* 35. *D. de relig. et sumt. fun.* Origo huius moris est apud Liu. I. 20. exemplum eiusdem apud Sueton. *in vita Tib. cap. LXI.* Merill. *Obs. VII.* 32.

§. LI.

Proximum est crimen ADVLTERII quod primus vindicandum publicis iudiciis existimauit Augustus, (*g*) qui quum diffluentem luxu ciuitatem Romanam & ad omnem stuprorum adulteriorumque licentiam proiectam cerneret, coercendi huius mali caussa seuerissimam de adulteriis et stupris legem tulit. Vid. *l.* 1. *D. de adult.* Suet. *August. XXXIIII.* Vnde Horatius *Carm. IIII.* 5. hanc Augusti prouidentiam ita celebrat: Lex Iulia de adulterio.

Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos et lex maculosum edomuit nefas.
Laudantur simili prole puerperae.
Culpam poena premit comes.

Plura fuerunt huius legis capita, quae singulari, eoque pererudito commentario collegit Barn. Brissonius, sed non exacto tamen satis ordine. Multa enim legis capita ordini suo restituere potuisset, si vidisset Paulli receptas sententias auctiores, quales exhibet

(*g*) Quae fuerit poena adulterii ante legem Iuliam, vix constat. Exstitisse enim ante Iuliam alias leges, quibus Iulia derogatum, patet ex *Collat. Leg. Mos. et Rom. tit. IIII.* §. 2. Et de lege quadam Seruilia coniectura erudita est Io. Guil. Hoffmanni *de lege Iul. de adult. Cap. I.* §. 21. *p.* 34. Sed pleraque tamen de sanctione istius legis sunt incertissima. Solebant olim ipsi viri ex consilio propinquorum in adulteras animaduertere, vt patet ex Dionys. Halic. *Ant. Rom. II. p.* 95 Quod ius diu mansit, adeo vt et Tiberius adhuc mulierum impudicarum coercitionem propinquis ac necessariis demandarit, si accusator publicus deesset. Suet. *Tiber. XXXV.* Adulteri, domi deprehensi, fere castrari solebant. Langl. *Ot. Semestr. VIII.* 7. Hinc Plaut. *Curcul. I.* 1. *v.* 88.

Ita tuum conferto amare semper, si sapis.
Ne id, quod ames, populus si sciat, sit tibi probro.
Semper curato, ne sis INTESTABILIS.
Quod amas, amato testibus praesentibus.

Huiusmodi poenam Chaeriae adolescentulo imminere fingit ancilla apud Terent. *Eun. V.* 4. et militem gloriosum, Pyrgopolinicen, eodem supplicio territat Periplectomenes apud Plaut. *mil. glorios. act. V. v.* 2. *et seqq.*

Schultingius *Libro* II. *tit.* 26. Sed confecit poſtea rem laudatus Io. Guil. Hoffmannus elaboratiſſimo libello *de lege Iulia de adulteriis* edito *Francof. iuxta Viadrum* cIↃ IↃCCXXXII. *in* 4. vbi capita viginti et vnum huius legis ordini integritatique ſuae reſtituit. Primo capite variis legibus derogauerat Auguſtus. Secundo permiſerat patri tam adoptiuo quam naturali, adulterum cum filia cuiuscumque dignitatis, domi ſuae, vel generi, deprehenſum, ſua manu occidere. Paull. *Rec. Sent.* II. 20. 1. et *Collat. Leg. Moſ. et Rom.* IIII. 2. Quinto capite cautum fuerat, vt adulterum deprehenſum viginti horas, atteſtando vicinos, retinere liceret. (*h*) Paull. *Recept. Sent.* II. 26. 3. Reliqua capita ex Briſſonio, et laudato Hoffmanno petenda. Id modo hic quaeritur, qua poena vindicatum fuerit adulterium? Tribonianus §. 4. *Inſt. h. t. temeratores alienarum nuptiarum gladio ex hac lege puniri*, ait, non ſecus ac eos, qui cum maſculis nefandam libidinem exercent. Stupri vero flagitium, ſi perſonae honeſtae ſint, publicatione dimidiae partis bonorum; ſin humiles, corporis coercitione cum relegatione vindicari. Sed rationem hic fugere Tribonianum, iam dudum animaduerterunt eruditi. Iac. Cuiac. *Obſ.* XX. 18. XXI. 17. Barn. Briſſon. *ad Leg. Iul. de adult. p.* 91. Wiſſenbach. *ad Inſtit. Diſp.* LIII. 30. *et ad Pandect. Part.* II. *Diſp.* XXXIIII. 19. Et certe capitalem non fuiſſe adulterii poenam vel ex eo adparet, quod adulterii damnatas eadem lex vxores duci et in teſtimonium citari vetet. *l.* 29. §. 1. *D. ad leg. Iul. de adult. l.* 9. *C. eod. l.* 18. *D. de teſtib.* Quod certe perabſurdum fuiſſet cauere, ſi huius criminis poena vitam ciuitatemque ademiſſet. (*i*) Vnde ita hoc caput, quod de poena egit, reſtituere maluit Barn. Briſſonius: QVI STVPRVM ADVLTERIVM SCIENS DOLO MALO FECERIT, IN INSVLAM RELEGATOR. Sed nec hic quidem rem acu tetigiſſe videtur, eo, quod nondum integrae editae tum fuerant Paulli *ſententiae receptae* in quibus *Libro II. Tit.* 26. *n.* 12. *ſeq.* ita legimus: *Qui maſculum liberum inuitum*

Qua poena vindicatum ſit adulterium?

(*h*) Ipſa legitima huius capitis verba exſtant *l.* 15. *D. ad L. Iul. de adulter.*

(*i*) Mireris ergo, Triboniani hunc errorem defendiſſe viros doctiſſimos, veluti Marc. Lycklama *Membr. II.* 9. et Schwendendorferum *ad Ekholtum p.* 1318. Quamuis enim a Principibus immitioribus nonnumquam grauius animaduerteretur in adulteros, veluti ab Auguſto apud Sueton. *Octau. III.* et Antonio Caracalla apud Dionem in *Excerptis Peireſc. p.* 755. factum hoc tamen eſſe extra ordinem, et non ex lege hac Iulia, praeclare, vt ſolet, docuit Ger. Noodt *Dioclet. et Maxim. XV. p.* 395.

Source : BIU Cujas

tum ſtuprauerit, capite punitur. (*k*) *Qui voluntate ſua ſtuprum flagitiumue impurum patitur, dimidia parte bonorum ſuorum mulctatur, nec teſtamentum ex maiore parte facere licet. Adulterii conuictas mulieres dimidia parte dotis, et tertia parte bonorum, ac relegatione in inſulam, placuit coerceri.* (*l*) *Adulteris vero viris pari in inſulam relegatione, dimidiam bonorum partem auferri, dummodo in diuerſas inſulas relegentur.* (*m*) *Inceſti poenam, quae in viro in inſulam deportatio eſt, mulieri placuit remitti, hactenus tamen, quatenus lege Iulia de adulteriis non adprehenditur. Ancillarum ſane ſtuprum, niſi deteriores fiant, aut per eas ad dominam adfectet, citra noxam habetur.* Quantiuis ergo pretii hic locus eſt, ex quo ſolo quippe diſcimus, quaenam poena nefandae libidini, adulterio, inceſtui ac ſtupro lege Iulia fuerit propoſita.

(*k*) Dubitant tamen eruditi, an prima haec particula ex lege Iulia ſit. Vid. Pith. *ad Collat. Leg. Moſ. et Rom. V. 2. p. 752.* Schulting. *ad Paull. ibid. p. 320.*

(*l*) Sic in inſulam ab ipſo Auguſto relegata Iulia. Suet. *Octau. LXV.* Tacit. *Annal. III. 24.* Eamdem poenam ſub Tiberio tulit Viſtilia, Tacit. *Ann. II. Extrem.* Aliud exemplum eſt apud Plin. *Epiſt. VI. 31.* De dotis parte adulteris erepta Horatius *Serm. I. 2. v. 127.*

Nec vereor, ne dum futuo, vir vrbe recurrat,
Ianua frangatur, latret canis: vndique magno
Pulſa domus ſtrepitu reſonet, vel pallida lecto
Deſiliat mulier, miſeram ſe, conſcia clamet.
Cruribus haec metuat, doti haec deprehenſa.

(*m*) Vnde praeter legem fuit, quod adultero Manlio tantum Italia atque Africa interdictum. Tacit. *Annal. II. 50.*

§. LII.

Quamquam autem legem Iuliam retulerit Domitianus (*n*) et mira nonnumquam ſeueritatis exempla in adulteros ſtatuerint ſequentes Imperatores, inprimis Macrinus et Aurelianus: Iul. Capitolin. *Marc. XII.* Vopiſc. *Aurel. VII.* nemo tamen ante Conſtantinum M. repertus eſt, qui adulterii crimen capitis poena vin- Recentiores de adulterio leges.

(*n*) Quo pertinent illa Martialis *Epigr. VI. 7. v. 1.*

Iulia lex populis ex quo, Fauſtine, relata eſt
Atque intrare domos iuſſa pudicitia:
Aut minus, aut certe non plus vigeſima lux eſt.
Et nubit decimo iam Thelaſina viro.

Et Iuuenalis *Satyra II.*

Qualis erat nuper, tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges reuocarat amaras
Omnibus atque ipſi Marti Venerique timendas.

Source : BIU Cujas

vindicandum ſtatuerit. Exſtat eius conſtitutio *l.* 30. *C. de adult.* Poſtea Iuſtinianus capitalem poenam in maſculis quidem probauit, mulierem vero verberibus caeſam in monaſterium detrudi iuſſit, data viro intra biennium proximum poteſtate, eam, ſi vellet, inde reuocandi. Quo transacto, aut viro praemortuo, habitu monaſtico eam amiciri, et per omnem vitam in monaſterio manere praecepit. *Nouella CXXXIIII.* 10.

§. LIII.

Quaeſtus meretricius impunis olim, ſi profeſſio fieret apud aediles.

Tanta itaque ſeueritate in adulteros adulterasque animaduertebant Romani. Quid vero de meretricibus? Moribus Romanorum impune erat, quaeſtum corpore facere, dummodo eiusmodi mulieres nomina apud aediles (*o*) profiterentur. Ipſi enim huic turpitudinis profeſſioni ſatis ineſſe poenae arbitrabantur. De Viſtilia Tacitus *Annal.* II. 85. *Viſtilia, praetoria familia genita, licentiam ſtupri apud aediles vulgauerat*, MORE INTER VETERES RECEPTO, *qui ſatis poenarum aduerſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant.* Apud Reineſ. *Inſcr. Claſſ. VII.* 20. conuicanis omnibus locum ſepulturae praeberi videmus, praeterquam iis, QVEI QVAESTVM SPVRCVM PROFESSI, id eſt lenonibus et meretricibus. Si qua ergo venalem haberet pudicitiam, quae quaeſtus illius turpitudinem profeſſa haud fuerat, aedilium erat, illas deferre ad populum, mulctaque vel exſilio coercere. Cuius rei exempla exſtant apud Liuium X. et XXV.

(*o*) Aedilium enim curae etiam fornices, popinas, aliasque Veneris palaeſtras, fuiſſe demandatas, lucu-lenter oſtendit Lipſ. *Exc. ad Tacit. Ann. IIII.* 85. *p.* 1175.

§. LIIII.

Ante profeſſionem nomina mutabant et Togam ſumebant.

Antequam vero hunc quaeſtum profiterentur mulieres impudicae, plerumque mutabant nomina. Hinc non nemo apud Plaut. *Poenul. V.* 3. *v.* 19.

Quum huc aduenisti in ipſo tempore,
Namque hodie earum MVTARENTVR NOMINA,
Facerentque indignum genere quaeſtum corpore.

Quamuis ergo impune committeretur hoc vitium: infames tamen habebantur mulieres impudicae, ipſoque matronali habitu abſtinere cogebantur. Hinc Suetonius *Tiber. XXXV.* ait, *eas iure ac dignitate matronali exſolutas*, et Vlpianus *l.* 15. §. 15. *D. de iniuriis.*

veſtem

Source : BIU Cujas

veſtem meretriciam matronali aeque, ac ancillari, opponit. Conf. Tertull. *de cultu mulier. XII.* Veſtis vero illa meretricia erat toga (*p*) et vitta, quam poſita inſtita ſumebant non modo meretrices, verum etiam adulterii damnatae. Lipſ. *Exc. ad Tacit. p.* 1176. Briſſon. *Antiqu. Rom. I.* 4. Hinc Iuuenal. *Sat. II. v.* 69.

- - - Carfinia talem
Non ſumet damnata TOGAM.

Horat. *Sat. I.* 2. *v.* 36.

- - - - - Quid inter-
Eſt, in matrona, ancilla peccesue TOGATA.

Martialis *Epigr. II.* 39.

Coccina famoſae donas et ianthina moechae:
Vis dare, quae meruit, munera? mitte TOGAM.

Idem I. 36.

Quis Floralia veſtit, et STOLATVM
Permittit meretricibus pudorem?

Idem *Epigr. VI.* 74.

Sed patris ad ſpeculum tonſus, matrisque TOGATAE
Filius. - - - - - - -

(*p*) Antiquis tamen temporibus commune id virorum mulierumque veſtimentum fuiſſe docet Nonius XIIII. 27. et Aſcon. Paedian. *ad Verr. III.* TOGA, inquit, *communis habitus fuit et marium, et feminarum, ſed praetexta honeſtorum, toga viliorum, quod etiam circa mulieres ſeruabatur.* Add. P. Fab. *Semeſtr. I.* 15. *p.* 72.

§. LV.

Gliſcente vero malo, et feminis etiam illuſtribus quaeſtus illius foeditatem profeſſis ſenatusconſulto cavit Tiberius, *ne quaeſtum corpore faceret, cuius pater aut maritus eques Romanus fuiſſet.* Tacit. *Ann. II.* 85. Quin et feminas famoſas, quae ad euitandas legum Iuliarum poenas nomina apud aediles fuerant profeſſae, exſilio adfecit idem Imperator. Suet. *Tiber. XXXV.* Quare Papiniani etiam tempore mulier, quae euitandae poenae adulterii cauſſa lenocinium fecerat, adulterii accuſari damnarique poterat ex SC. *l.* 10. *§.* 2. *D. ad leg. Iul. de adult.* Profeſſio illa aliquando inhibita.

§. LVI.

Sunt, qui inſequentibus etiam ſub Imperatoribus meretrices publicatione bonorum mulctatas exiſtimant, idque colligunt ex verbis Paulli *Recept. Sent. III.* 4. 6. *Mulieri, quae luxurioſe viuit,* Poſtremis temporibus

Source : BIU Cujas

meretriciusquaestus modo permissus, modo prohibitus.

bonis interdici potest. Cuiac. *ad Paull. ibid.* Enimuero mulier luxurioſe viuens non eſt meretrix, ſed prodiga, quae furioſum rerum ſuarum facit exitum. Forner. *Select.* II. 5. Tantum ergo abeſt, vt acrioribus poenis in meretrices animaduerterint imperatores ſequentes, vt potius ſub illis denuo inualuerit lenonum, meretricum, et exoletorum vectigal, quamuis illud ſacro aerario inferri vetuerit Alexander Seuerus. Lamprid. *Alex.* XXIIII. Primus Tacitus Imperator, priſtina ſeueritate vſus, meritoria intra vrbem ſtare vetuit. Vopiſc. *Tacit.* XI. Hinc extra legum ciuilium poenam fuit vita meretricia, etiam ſub Imperatoribus Chriſtianis, quamuis ea ab infamia non fuerit immunis. (*q*) *l.* 22. *et* 29. §. 1. *C. ad Iul. de adult. l.* 13. §. 2. *D. eod. l.* 4. §. 3. *D. de condict. ob turp. cauſſ.*

(*q*) Nec magis poena manebat eos, qui cum meretrice rem habuerant. Terent. *Eun. V.* 4. *v.* 38.

Quis homo pro moecho vmquam vidit in domo meretricia
Prehendi quemquam?

Et Plaut. *Curc.* I. 1. *v.* 33.

Nemo hic prohibet, nec vetat,
Quin, quod palam eſt venale, ſi argentum eſt, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via,
Dumne per fundum ſeptum facias ſemitam,
Dum te abſtineas nupta, vidua, virgine,
Iuuentute, et pueris liberis, ama, quod libet.

§. LVII.

Antiquae leges de homicidio et parricidio.

Tertium crimen quod publico iudicio vindicatum accepimus, eſt HOMICIDIVM. Illud tam deteſtandum viſum eſt veteribus, vt parricidii nomine veniret. De Romulo Plutarchus. *p.* 32. ἴδιον δὲ τὸ μηδεμίαν δίκην κατὰ πατροκτόνων θεῖσαντα πᾶσαν ἀνθρωποφονίαν, πατροκτονίαν προσειπεῖν. *Singulare hoc eſt, quod qui poenam in eos, qui parentes necauerint, nullam ſanxerit, quoduis homicidium* PARRICIDII *deſignauerit nomine.* Idem obſeruat Feſtus *voce Parici quaeſtores. p.* 356. Vel Romulus ergo, vel vt Feſtus mauult, Numa primus hanc tulerat legem: SI QVIS LIBERVM HOMINEM SCIENS DOLO MALO MORTI DVIT, PARRICIDA ESTO. Idem poſtea repetitum eſt in XII. Tabulis, quibus etiam cautum fuerat: QVI MALVM CARMEN INCANTASSIT, MALVM VENENVM FAXIT, DVITVE, PARRICIDA ESTO. QVI PARENTEM NECASSIT, CAPVT OBNVBITO, CVLLEOQVE INSVTVS IN PROFLVENTEM MERGITOR. Iac. Gothofr. *Leg. XII. Tab. Tab. VII.* Et ex his legibus diu admodum quaeſtiones inſtituerunt Romani. Sic de ſicariis quaeſiuit L. Tubulus Praetor, apud Cicer. *de Finib. II.* 16. de caede facta in

Source : BIU Cujas

in silua Scantia P. Scipio et D. Brutus Coss. Cic. *Brut.* XXII. De veneficiis quoque quaesitum esse, patet ex Flori *Epit. Livii* LXVIII. qui et Publicium Malleolum, interemta matre, culleo esse insutum, eodem loco docet, quum antea damnato folliculo lupino os obuolutum, et soleae ligneae pedibus inductae, atque ita homo in carcerem ductus esset. Rem referunt Auct. *ad Herenn. I.* 13. Oros. V. 16.

§. LVIII.

Lex Cornelia de sicariis.

Postea A. V. C. IↃCLXXI. L. Sulla, dictator, celebrem illam legem Corneliam *de sicariis, veneficis et parricidis* tulit. De his omnibus enim eadem lege fuisse actum, quamuis diuersis praetoribus essent demandatae hae quaestiones, non abs re suspicati sunt Pithoeus *ad Collat. Leg. Mos. et Rom. I.* 2. Ant. Schulting. *ad Paull. Sent. Recept. V.* 24. 1. *p.* 513. Quaerebatur ex hac lege de eius capite, qui hominem occidisset dolo malo, cuiusue dolo malo factum esset incendium, quiue furti faciundi caussa cum telo ambulasset (*r*). Paull. *Rec. Sent. V.* 23. 1. Cicer. *pro Milone IV.* Quaerebatur etiam ex eadem lege de eius capite, qui venenum necandi hominis caussa fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, quiue, quum magistratus esset vel senator, coierit, conuenerit, consenserit, quo quis falsum indicium profiteretur, vt quis innocens iudicio publico condemnaretur, quiue testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur, quiue magistratus iudexue quaestionis ob capitalem caussam pecuniam acceperit, vt publica lege reus fieret. Quae capita huius legis nobis seruarunt Cicero *pro Cluent. LIIII.* Paull. *Rec. Sent. V.* 23. 1. Marcianus *l.* 3. *pr. D. ad L. Corn. de sicar.* Accessit et SC. vt qui mala sacrificia fecisset, eius legis poena teneretur. *l.* 13. *D. ad leg. Corn. de sicar.* MALA SACRIFICIA alias sunt *impia sacra*, Paull. *Sent. Recept. V.* 13. *dirae praecationes*, Plinio *Hist. Nat. II.* 28. *carmina et deuotiones, quibus creditur, animas*

(*r*) Olim scilicet non licebat cum telo ambulare intra vrbem. Et huc respicit Plaut. *Aul.* III. 2. *v.* 2.

EV. *Quia ad tres viros, iam ego deferam tuum nomen.* CON. *Quamobrem?*
EV. *Quia cultrum habes.* CON. *Cocum decet.*

Inde, qui cum sica, alioue telo ambulabant, dicti sunt *sicarii*. Quod hominum genus describit Iosephus *Antiquit. Iud. XX.* 7. Brisson. *Antiq. Selectar* II. 11. Id vocabulum deinde ad omnes homicidas translatum. Vnde et haec lex Cornelia dicta de *sicariis*. Quinctilian. *Instit. Orat. X.* 1.

Source : BIU Cujas

manibus inferis sacrari. Tacito *Annal.* II. 69. Merill. *Obs. Lib.* VIII. *cap.* IIII. Poena hisce omnibus inflicta non deportatio, tunc nondum reperta, vt scribit Paullus *ibid.* sed aquae et ignis interdictio, ceu recte eo loco animaduertit Iac. Cuiacius. Aliquando etiam ex bonis homicidae aliquid addictum esse defuncti parentibus vel liberis, docet Cuiac. *Obs.* XIIII. 4.

§. LVIIII.

Vt et de parricidio.

Alio eiusdem legis capite actum videtur de parricidio, *l.* 1. *pr. D. ad leg. Pomp. de parricid.* quamuis diuersas fuisse leges Cornelias de sicariis, et de parricidis, multis contendat Franc. Ramos *in Tribon. Lib.* IIII. *p.* 106. *sequ.* Vtcumque se res habeat, ipso sane viuente Sulla, M. Fannius, praetor idem de sicariis et de parricidis quaesiuit. Hic vero veterem poenam retinuit Sulla, nihilque, vt videtur, addidit, praeterquam quod parricidii poenam ad alios quosdam cognationis gradus protulit. Cullei sane, cui insuti parricidae, etiam post Sullae legem meminit Cicer. *pro Sex. Rosc. Amer.* XXV.

§. LX.

Lex Pompeia de parricidio.

Postea et Cn. Pompeius consul LEGEM POMPEIAM tulit de PARRICIDIIS, qua parricidii poenam protulit etiam ad eos, qui fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, materteram, consobrinum, consobrinam, vxorem, virum, generum, socerum, socrum, vitricum, nouercam, priuignum, priuignam, patronum, patronam, dolo malo occiderint, quiue conscii fuerint illius criminis, vel illud attentarint, vt et in matrem (*s*), quae filium nepotemue interemerit. *l.* 1. *D. ad leg. Pomp. de parric.* Ad poenam quod attinet, eam plane cum poena legis Corneliae de sicariis conueniisse putant Cuiac. *ad Paull. Recept. Sent. V.* 24. 1. et Gothofredus *ad L. vn. C. Theod. de parricid.* Sed errasse illos dixeris nisi per legem Corneliam intellexerint caput de parricidiis, deceptos male intellecta *lege* 1. *D. ad leg. Pomp. de parricidiis*, facile adparet. Sane enim post legem etiam Pompeiam culleo insutos esse parricidas, discimus ex Sueton. *Octau.* XXIII. Seneca *de Clement. l.* 15. *et* 23. et Iuuen. *Satyra VIII.*

(*s*) Patri enim vi potestatis in liberos competebat ius vitae et necis, adeoque is parricidii poena haud tenebatur si vel filium, vel nepotem, in potestate constitutum occidisset. *l.* 11. *D. de liber. et postum.* Adde Auctor. *collat. leg. Mos. et Rom.* IIII. 7. 8.

Source : BIU Cujas

VIII. v. 214. *XIII. v.* 153. Constat vero, poenam Pompeia lege propositam praeterea in eo constitisse, quod confessus, se parentis, aut cognati, aut omnino adfinitatis eius, quae nuncupatione parentum continetur, fata properasse, virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insueretur, cum cane, gallo gallinaceo, vipera et simia, ac deinde in profundum iactaretur: sin autem quis alia cognatione, vel adfinitate iunctas personas necasse, se fateretur: poenam legis Corneliae de sicariis sustineret (*t*). §. 6. *Inst. h. t.* Plura ea de re differuit, Triboniano parum aequus, Io. Franc. Ramos *in Triboniano siue erroribus Triboniani de poena parricidii*, *Lugd. Batau. MDCCXXVIII.*

(*t*) Inde facile patet, cur *l.* 1. *D. ad leg. Pomp. de parricid.* eadem esse dicatur poena L. Pompeiae de parricidis, et legis Corneliae de sicariis. Intelligendum id enim est de iis, qui remotiores cognatos vel adfines occiderint. Vnde non opus est emendatione V. C. Ger. Noodtii, qui *Probab. I.* 11. in prima illa lege pro *legis Corneliae de sicariis* rescribendum putat *legis Corneliae de parricidiis*. Quin quum lex Cornelia de sicariis etiam parricidas persequuta sit, et, vti paullo ante §. LVIIII. diximus, veterem cullei poenam retinuerit: recte sane et hoc sensu dici potuit, eamdem vtraque lege poenam parricidis esse propositam.

§. LXI.

Leges recentiores de homicidio et parricidio.

Multa tamen in his omnibus immutarunt posteri. Inualuerat enim imperatorum aeuo, vt homicidia et veneficia in magistratibus deportatione; in aliis honestioribus poena capitis; in humilioribus denique cruce, vel bestiis vindicarentur. Qui in honore aliquo erant positi, veluti magistratus principales ciuitatis et decuriones, deportabantur. *l.* 16. *D. ad leg. Corn. de sicar.* eaque de re exstant, rescripta Hadriani, *l.* 15. *D. de poen.* et diuorum fratrum *l.* 6. §. 2. *de interd. et releg.* Exemplum est apud Lucian. *in Toxaride p.* 612. *T.* 1. vbi eiusmodi homicida deportatus esse dicitur decreto Imperatoris. Qui nullo erant honore conspicui, capitis damnabantur: *l.* 16. *D. ad leg. Corn. de sicar.* eoque pertinent, quae de honestiorum poena refert Paullus *Recept. Sent. V.* 23. 1. In crucem tollebantur homines infimae sortis, maxime, qui latrociniis dederant operam. Petron. *Satyr. p.* 94. Seneca *Epist.* VII. *l.* 28. §. 15. *D. de poen.* vbi abrogato iam a Constantino inter Christianos crucis supplicio, teste Sozom. *Hist. Eccl. I.* 8. furcam pro cruce posuit Tribonianus, quod et alibi eum fecisse, notant Iac. Raeuard. *Coniectan. I.* 16. et Ant. Schulting. *Iurisprud. antiqu. anteiustin. p.* 506. Alii ex faece homi-

Source : BIU Cujas

hominum, qui caedem commiserant, bestiis obiiciebantur. Paull. *ibid.* Vnde insignioribus homicidis vulgo pascebantur leones, teste Tertull. *de Spectac.* XXII.

§. LXII.

Quis culleum abrogarit?

Culleum, parricidis destinatum, abrogauit Hadrianus: *l. 9. D. ad leg. Pomp. de parricid.* quamuis et post eius constitutionem, ceu ex eadem lege adparet, cullei supplicium in vsu manserit in locis maritimis. Postea viuicomburium et ad bestias damnatio inualuit. Vnde de sua aetate Paullus *Recept. Sent. V.* 24. 1. *Hodie tamen parricidae viui exuruntur, vel ad bestias dantur.*

§. LXIII.

Lex Cornelia de falsis testamentaria.

Proximum est crimen FALSI, quod et ipsum publico iudicio vindicatum est. Equidem iam antiquissimis temporibus de falso extitisse leges, nemo dubitauerit. Sed earum iam pridem periit memoria. Celeberrima est LEX CORNELIA DE FALSIS, quam *testamentariam*, et *numariam* vocat Cicero *in Verr. I.* 42. qui addit, *ea non ius aliquod nouum constitutum esse populo, sed sancitum, vt quod semper malum facinus fuerit, eius quaestio ad praetorem pertineret ex certo tempore.* Quaerebatur ex hac lege primo de eius capite, qui testamentum amouerit, celauerit, eripuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit, quique testamentum falsum scripserit, signauerit dolo malo, cuiusue dolo malo id factum fuerit, quibus omnibus aqua et igni ex hac lege interdicebatur. Paull. *Rec. Sent. V.* 26. 1. Tale falsum frequentissimum erat Romae. In signatores enim testamentorum falsorum grauiter inuehitur Iuuenal *Sat. I.* L. Audasii, eius falsi rei, exemplum habes apud Suet. *Iul. cap.* LXXIIII. Si quis non modo falsum testamentum condidisset, verum etiam dominum, hereditatis adipiscendae caussa, occidisset, accusator non modo publice persequebatur hoc crimen, sed et actionem priuatam habebat, ad bonorum possessionem, tamquam praemium accusationis, consequendam. Ea actio vocabatur *internecini*, de qua consule, sis, Cuiac. *Obs. I.* 2. Equidem multa alia capita huc referunt iure consulti; sed caue, existimes, ea omnia ex *lege Cornelia* esse. De solis enim testamentis illa egit, non de instrumentis aliis. Verum postea variis Senatusconsultis legis Corneliae poena etiam ad alia falsa prolata est. Exstat hanc in rem egregium Vlpiani fragmentum apud auctorem *collationis legum Mos. et Rom. VIII.* 7. quo varia

Source : BIU Cujas

varia eiuſmodi SCa recenſentur. Statilio enim et Tauro Coſſ. (*u*) prodiit SC. quo poena legis Corneliae irrogatur etiam ei, qui quid aliud, quam teſtamentum, ſciens ſignauerit, ſignariue curaverit, item qui falſas teſtationes faciendas, teſtamentaue falſa invicem dicenda aut conſignanda dolo malo curauerit. Deinde, Licinio V. et Tauro Coſſ. (*x*) eadem lege condemnari iuſſi ſunt, qui ob ſtruendam aduocationem teſtimoniaue pecuniam acceperint, pactique fuerint, ſocietatem coierint, aut aliquam delationem interpoſuerint. Paullo ante M. Aurelio Cotta et M. Valerio Meſſalla Coſſ. A. V. C. IↃCCLXXII. ſtatutum fuerat ab ampliſſimo ordine, vt ſi qui coierint ad occiſionem innocentum, eadem lege coercerentur. Denique A. V. C. IↃCCLXXXI. duobus Geminis Coſſ. eadem lege coerciti, qui ob venumdandum *vel denudandum non remittendumue teſtimonium* (*y*) pecuniam acceperint. Vt adeo plurimis SC. (*z*) explicata, ad aliosque caſus prolata ſit lex illa Cornelia. Quare mirum non eſt, inter *falſum* et *quaſi falſum* diſtingui *l.* 1. *§. vlt. D. ad leg. Corn. de falſ.*

§. LXIIII.

(*u*) In textu Vlpiani eſt. Sed Statilius et Taurus vnus idemque eſt. Innui ergo videtur conſulatus *T. Statilii Tauri* et L. *Scribonii Libonis*, qui incidit in annum V. C. IↃCCLXIIX. vt coniecerunt Pithoeus *ad Collat. Leg. Moſ. et Rom. ibid.* Cuiac. *Parat. C. ad L. Corn. de falſ.* Petr. Fab. *Semeſtr. I. 25. p.* 143. et Salmaſ. *ad Ius Attic. XXX. p.* 877. Vnde falluntur qui id SC. anno V. C. IↃCCCLXXX. L. Nonio, M. Annio Libone coſſ. conditum exiſtimant cum Hotomano.

(*x*) M. Licinius V. Conſul collegam non Taurum habuit, ſed L. Calpurnium. Tacit. *Ann.* IIII. 62. iſque conſulatus incidit in annum V. C. IↃCCLXXVIIII. Tiberii XIIII. Sed forſan Taurus Calpurnio ſuffectus eſt, aut ſcriba Taurum ex antecedentibus imprudenter repetiit.

(*y*) Verba haec ſunt in textu Vlpiani, ſed vitioſa procul dubio. Legendum monet Cuiacius *denunciandum vel non denunciandum, remittendumue.* Diſputant de hoc loco Herald. *de rer. iudicat. auct.* I. 6. Grot. *Flor. ſparſ. ad l. vlt. de concuſſion.* Salmaſ. *Iur. Attic. XXX.* Corn. Bynkershoeck. *Obſeru.* III. 19.

(*z*) Tale etiam eſt SC. quo cautum, vt eae tabulae, quae publici ac priuati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus, ita ſignarentur, vt in ſumma marginis ad mediam partem perforatae, triplici lino conſtringerentur, atque impoſitae ſupra linum cerae ſigna imprimerentur: aliter prolatae tabulae nihil momenti haberent. Paull. *Rec. Sent. V.* 25. 6. Quod ſub Nerone repertum eſſe, docet Sueton. *Ner.* XVII. Contra ea, non ad Neronis tempora, ſed ad Tiberii principatum hoc ius pertinere, idque inductum eſſe SC. Liboniano exiſtimat P. Fab. *Semeſtr.* I. 25. *p.* 143. Plura de hoc ſignandi modo tradit Cl. Salmaſius *de modo ſubſcr. et ſubſign. teſtam.* XXVI. Ex aliis SC. eſſe videntur, quae habet Paull. *Recept. Sent. V.* 25. 11. *ſequ.*

Source : BIU Cujas

§. LXIIII.

Lex de falso numario.

Alterum huius legis caput legis numariae nomine veniebat. Eo cautum, vt qui numos aureos ac argenteos adulterauerit, lauerit, conflauerit, raserit, corruperit, quiue numos stanneos plumbeosue emerit, vendiderit dolo malo, ei damnato aqua et igni interdiceretur. Verum et huic alia deinde sunt addita, siue SC. siue constitutionibus principum. Quale fuit illud, quod qui vultu principis signatam monetam, praeter adulterinam, reprobaverit, huius legis poena teneretur. Paull. *Rec. Sent. V.* 25. 1. Id quod iam Epicteti temporibus, id est, sub Nerone et Vespasianis, receptum fuerat. Ita enim Arrian. *Diss. Epictet.* III. 3. Τὸ τῦ καίσαρος νόμισμα ὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι τῷ πραπίζιτῃ ὐδὲ τῷ λαχανοπώλῃ ἀλλ' ἂν δέῃζεις θέλει, ὐ θέλει, προῖσθαι αὐτον δεῖ τὸ ἀντ' αυτῦ πολέμενον; *Caesaris numum nec argentario, nec olerum venditori, improbare licet: sed ostenso eo, siue velit, siue nolit, rem venditam ei tradere oportet.* Plura hanc in rem dabit Iac. Gothofr. *ad leg. vn. C. Theod. si quis solid. circul. exter. circumcid.*

§. LXV.

Leges nouae de crimine falsi.

Enimuero nec haec Sullae seueritas sufficere visa est Imperatoribus. Hinc nouae inualuere poenae, noua supplicia. Nam de suo aeuo Paullus, *V.* 25. 1. *Et honestiores quidem in insulam deportantur, humiliores autem aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur. Serui autem, post admissum manumissi, capite puniuntur.* Iustinianus vero §. 7. *Inst. h. t.* omnes liberos hominis deportatione, seruos extremo supplicio ob falsum puniri tradit.

§. LXVI.

Leges antiquiores de vi publica et priuata.

Non minus seuere vindicata est VIS PVBLICA et PRIVATA. Et antiquissimis quidem temporibus de vi non singularibus legibus actum, sed ea res legibus de maiestate et sicariis simul comprehensa videtur. Primus hoc crimen a maiestate et homicidio distinxit, ac lata singulari lege vindicauit P. PLAVTIVS tribunus plebis, A. V. C. IↃCLXXV. Catulo et Lepido Coss. quae lex etiam Catulo nonnunquam tribuitur ideo, quod is consul Plautium in ea ferenda adiuuerat. Quum enim, mortuo eo anno Sulla, Lepidus Marianarum partium adsertor, cum Catulo, Sullano, de actis Sullae contendere coepisset: ingens seditio concitata est; victoque et pulso vrbe, ac in Sardinia interfecto Lepido, Catulus hanc

Source : BIU Cujas

hanc legem tulit cum Plautio, Cic. *pro Milon. XIII.* Quaerebatur ex hac lege de capite eius, qui aduersus remp. coniurauit, insidias senatui fecerit, magistratibus vim attulerit, qui cum telo in publico fuerit, aut seditionis caussa loca superiora occuparit, alienasue aedes saxis, ignibus aut ferro occuparit, itemque, qui possessorem e fundo cum hominibus armatis deiecerit, dolo malo, aut armatis obiectis, vt inde profugerent, caussam attulerit. Quo casu praedium nec vsucapi ex hac lege poterat. Poena et hic erat aquae et ignis interdictio. Ex hac lege quaestio habita est de Catilina, eiusque coniurationis sociis, item de P. Clodio, P. Sextio et aliis. Sigon. *de Iudic. II.* 13.

§. LXVII.

Lex Pompeia de eadem.

Postea et POMPEIVS, tertio consulatu, LEGEM DE VI tulit, quae tamen non in vniuersum valuit, sed tantum de caede in Appia via facta, et incendio curiae, et domo M. Lepidi interregis oppugnata quaeri, et Quaesitorem ob hanc rem nouum extra ordinem creari, iussit. Sigonius *de Iudic. II. 33. p. 676.*

§. LXVIII.

Lex Iulia de vi publica.

Successit LEX IVLIA, a Caesare lata iam dictatore, cuius solus meminit Cicero *Philipp. I.* 9. sed obscure, vt, quid ea sancitum sit, vix constet. Tanto celebriores vero sunt LEGES IVLIAE Augusti DE VI PVBLICA ET PRIVATA. Publicam vim feciisse dicebatur, qui arma, tela, domi suae agroue, in villa praeter vsum venationis, vel itineris, vel nauigationis coegerit, praeter ea, quae quis promercii caussa habuerit, hereditateue ei obuenerint; qui turbae, seditionisue faciendae consilium inierit, seruosque ac liberos homines in armis habuerit; qui pubes cum telo in publico fuerit; qui pessimo exemplo conuocata seditione, villas expugnauerit, et cum telis et armis bona rapuerit; qui ex incendio rapuerit aliquid, praeter materiam; qui puerum vel feminam, vel quemquam alium, per vim stuprauerit; qui in incendio cum gladio aut telo rapiendi caussa fuerit, vel prohibuerit dominum res suas seruare; qui armatis hominibus possessorem domo agroue suo aut naui sua deiecerit, expugnauerit concursu, vtque id fieret, homines conuocaverit; qui coetu, concursu, turba, seditione incendium fecerit, quique hominem dolo malo incluserit, obsederit, quiue fecerit, quo minus sepeliatur, quo magis funus diripiatur, distrahatur, quique per vim sibi obligauerit:

Source : BIU Cujas

rit: qui quum imperium poteſtatemue haberet, ciuem Romanum, aduerſus prouocationem necauerit, iuſſeritque quid fieri, aut quid in collum iniecerit, vt torqueatur: qui legatorum, oratorum, comitum quem pulſauerit, ſiue iniuriam fecerit: qui reum vinxerit, impedieritue, quo minus intra certum tempus adſit: qui dolo malo fecerit, quo minus iudicia tuto exercerentur, aut iudices, vt oportet, iudicarent, vel is, qui poteſtatem imperiumue haberet, quod ei ius eſſet, decerneret, imperaret, faceret: qui ludos pecuniasue ab aliquo inuito publice priuatimue per iniuriam exegerit: qui cum telo dolo malo in concione fuerit, aut, vbi iudicium publice exerceretur, præter eum, qui propter venationem haberet homines, qui cum beſtiis pugnarent: qui conuocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberaretur et pulſaretur, neque occiſus homo ſit, qui aedes alienas villasue expilauerit, effregerit, expugnauerit, ſiquidem in turba cum telo fuerit: qui noua vectigalia exercuerit. Haec ſunt præcipua huius legis capita, quae nobis ſeruarunt iureconſulti, et ex iis collegit Sigon. *de Iudic.* II. 33. *p.* 679. *ſequ.* Singulare id fuit in hac lege, quod praetor, cui haec quaeſtio obuenerat, iurisdictionem poſſet alii mandare. *l.* 1. *princ. de offic. eius qui mand. iuriſd.* Poena vis publicae erat aquae et ignis interdictio, poſtea deportatio, qualem poenam ſubiit Vibius Serenus apud Tacit. *Ann.* IIII. 43. Denique ſub Imperatoribus ſequentibus humiliores ex hac lege capitis damnati, honeſtiores in inſulam deportati ſunt. Paul. *Rec. Sent. V.* 26. 1.

§. LXVIIII.

Et de vi priuata.

Legis DE VI PRIVATA rei erant, qui coetum et concurſum fecerant, quo minus quis in ius duceretur, quiue quaeſtionem de alterius ſeruo habuerant; qui quem ex agro ſuo hominibus congregatis, ſine armis, deiecerant: qui creditores ſine auctoritate iudicis res debitoris occupauerant. Sigon. *ibid. p.* 681. His damnatis, tertia pars bonorum publicabatur, neque ad ſenatoriam, neque ad decurionalem dignitatem acceſſus dabatur, neque iudices eſſe poterant. Poſtea humiliores ob haec ſimiliaque crimina in metallum damnabantur, honeſtiores publicata tertia bonorum parte in inſulam relegabantur. Paull. *Recept. Sent. V.* 26. 3.

§. LXX.

Source : BIU Cujas

§. LXX.

Crimen peculatus olim extra ordinem vindicatum.

Sequitur crimen PECVLATVS, de quo plerumque, vt ſupra dixi, ipſe populus iudicabat. Dicebatur ita furtum pecuniae publicae, et, quemadmodum a furto fures, ita a peculatu peculatores appellabantur. Aſcon. Paed. *in Verr.* II. *p.* 181. idque ideo, quia olim in pecude maxime conſtiterunt diuitiae, adeoque ab ea initium eius fraudis eſſe coepit. Feſt. *voce peculatus p.* 359. Et olim quidem nec ſingularis lex de hoc crimine exſtabat, nec quaeſitores ſingulares erant conſtituti. Quoties ergo ſuſpectum de peculatu habebant ciuem: extra ordinem cuiquam hanc quaeſtionem demandabat populus: vt patet exemplo L. Scipionis Africani, apud Liu. XXXVIII. 56. ex quo etiam diſcimus, reis litem eſſe aeſtimatam, eoque facto, aut praedes dediſſe eos, aut in carcerem ductos, immiſſis in eorum bona Quaeſtoribus.

§. LXXI.

Leges variae de peculatu.

Poſtea LEX DE PECVLATV a neſcio quo lata eſt, et ſingularis conſtitutus praetor, qui quaeſtionem de peculatoribus haberet. Quis huius inſtituti auctor ſit, incertum eſt, niſi quod conſtat, id inſtitutum Sullanis temporibus eſſe antiquius. Sigon. *de Iudic.* II. 28. *p.* 624. Acceſſit poſtea LEX DE RESIDVIS, lata, vt videtur, a C. Cornelio Trib. pl. vt pecuniae, quae reſiduae apud quemquam erant, exigerentur. Aſcon. Paedian. *in Cornelian. p.* 1311. Poſtremo a Caeſare lata eſt LEX IVLIA DE PECVLATV, eaque cautum, vt qui ex pecunia ſacra, religioſa, abſtulerit, interceperit, in ſuam rem verterit, aut quo quis auferret, intercideret, vel in rem ſuam verteret, fecerit, qui in aurum, argentum, aes publicum quid indiderit, immiſcuerit, aut quo id fieret, fecerit dolo malo, quique tabulam aeream legis, formamue agrorum, aut quid aliud continentem, refixerit, vel quid immutaverit, ei aqua et igni interdiceretur, et pecunia ab herede repeteretur. Si quis vero publicam pecuniam, delegatam in vſum aliquem retinuerit, neque in eam rem conſumſerit, aut ſi apud aliquem ex locatione, emtione, alimentaria ratione, ex pecunia, quam acceperit, aliaue qua pecunia reſederit, is damnatus amplius tertia parte, quam debeat, ſolueret. Sed et hanc poenam poſtea ab Imperatoribus exaſperatam eſſe, non abs re ſuſpicatur Schulting. *ad Paull. Recept. Sent. V.* 28. *p.* 524.

Source : BIU Cujas

§. LXXII.

Leges antiquae de repetundis.

Proxime ad peculatum accedebat crimen REPETVNDARVM, de quo quaestio prima perpetua facta est, et praetorem certum habuit. REPETVNDAE vero dicebantur pecuniae, quas siue socii, siue ciues priuati, a magistratibus, aut iudicibus, aut publicis curatoribus iudicio repetebant, quas illi aut in prouincia, aut in vrbe, aut ob dicendum ius, aut ob aliud quid publice curandum accepissent. Car. Sigon. *de Iudic. II.* 17. Et initio quidem haec caussa priuata erat, et extra ordinem ex senatusconsulto cognoscebatur a recuperatoribus, idque anno adhuc IↃLXXXIII. factum est, vt patet exemplo P. Furii Phili, et M. Matieni, repetundarum accusatorum ab Hispanis, apud Liu. XXXXIII. 2. Gliscente autem subinde magistratuum prouincialium auaritia, primam DE REPETVNDIS LEGEM tulit L. Calpurnius Piso, Trib. pleb. A. V. C. IↃCIIII. Manlio et Censorino Coss. qua non solum poenam, vt par est credere, seueriorem proposuit, sed et singularem instituit praetorem. Cic. *de Offic. III.* 21. Equidem Valer. Max. VI. 9. 10. meminit etiam LEGIS CAECILIAE, ex qua repetundarum damnatus sit L. Lentulus, qui, quum postea Censor factus sit anno V. C. IↃCVI. damnatum illum oporteret anno antecedente IↃCV. adeoque legem Calpurniam sequente statim anno insequutam esse *legem Caeciliam.* Sed memoria procul dubio fefellit Valerium, neque aliam in mente legem habuit, quam Calpurniam, nisi dicere malis, eamdem legem etiam Caeciliam dictam, forsan ab aliquo Pisonis collega. Illud certum est, lege Calpurnia prouincialium tantum magistratuum rapacitatem esse coërcitam, non item vrbanorum. De his enim anno adhuc IↃCXII. quaestio extra ordinem habita est, teste Cicerone *de Finib. II.* 16. Nec alia huius criminis poena fuisse videtur ex lege Calpurnia, quam aestimatio litis. Si enim vel relegationem vel exsilium subiissent rei, censuram non obtinuisset Lentulus anno V. C. IↃCVI. quum esset superiore anno repetundarum damnatus. Valer. Max. *ibid.*

§. LXXIII.

Lex Iunia de iisdem.

Calpurniam legem multae aliae sequutae sunt, et proximae quaeque duriores, vt ait Cicero *de Offic. III.* 21. Talis erat LEX IVNIA, lata, vt videtur a M. Iunio Penno Tribuno plebis A. V. C. IↃCXXVII. M. Aemilio Lepido et Lucio Aurelio Oreste coss. qua praeter aestimationem litis etiam exsilium damnatis irroga-

gaba-

Source : BIU Cujas

gabatur. Ea poena ex hac lege mulctatus est C. Cato accusatus a Macedonibus. Vellei. Paterc. II. 8.

§. LXXIIII.

Proxime Iuniam legem sequuta est SERVILIA, lata a C. Servilio Glaucia, praetore, C. Mario VI. et L. Valer. Flacco Coss. A. V. C. IↃCLIII. cuius ipsa fragmenta ex aenea tabula in Petri Bembi museo reperta, edidit Car. Sig. *de Iud.* II. 27. *p.* 609. Quaerebatur ex ea lege de iis, qui coss. praetores, dictatores, magistri equitum, aut in alio magistratu, pecuniam ab aliquo priuato abstulerint, ceperint, coegerint, conciliarint, auerterint. Additum fuerat, vt horum, dum magistratum aut imperium haberent, nomen deferre haud liceret, vt accusatoribus patronos sumendi repudiandiue esset facultas, CDL legerentur iudices, qui quotannis de repetundis iudicarent, et quae sunt huius generis alia. Ceterum non solum litis aestimationem, sed et exsilium, irrogatum esse lege Seruilia, ex Liu. *Epit. LXX.* adparet. Lex Servilia.

§. LXXV.

Post hanc Seruiliam legem lata est ACILIA a M. Acilio Glabrione, in qua illud additum legibus superioribus, VT NEQVE AMPLIARI, NEQVE COMPERENDINARI REVS POSSET. Ascon. Paedian. in Cic. *Verr.* I. 9. *p.* 1822. Successit LEX CORNELIA lata a L. Cornelio Sulla, dictatore, secundum quam iudicatum est vsque ad Caesarem. Quaerebatur hac lege non solum de iis magistratibus, qui pecuniam dono ceperint, abstulerint, coegerint, conciliarint, auerterint, sed et qui libidinose, superbe, crudeliter se in prouincia gesserint, nec non de iis, qui iudices non suae decuriae munere functi sint, aut non perpetuo sederint, aut ob iudicandum pecuniam ceperint: itemque de eis, ad quos pecunia peruenerit: quiue proconsulares rationes ad aerarium non retulerint, aut qui procos. priuatim aliquo profecti fuerint, aut transmarinas res arcessiuerint. Poena praeter litis aestimationem erat aquae et ignis interdictio, nisi in reatu accusati decessissent. Quae omnia accurate ex monimentis genuinis demonstrauit Car. Sigon. *de Iudic.* II. 27. *p.* 615. Postrema fuit LEX IVLIA, quam anno V. C. IↃCLXXXXIIII. in primo consulatu tulit Iul. Caesar, vt ex Cic. *Orat. in Vatin.* XII. colligitur. Multa fuerunt huius legis capita, quae partim ex ICtorum fragmentis, partim ex Cicerone, magno studio collegit Sigon. *ibid. p.* 618. *sequ.* De poena inter Lex Acilia, Cornelia, Iulia repetundarum.

Source : BIU Cujas

eruditos disceptatur. Senatu et curiis submotos esse repetundarum reos, patet ex Suet. *Caes.* XXXXIII. *Othon.* II. Tacit. *Hist.* I. 78. Plin. *Epist.* II. 11. 12. IIII. 9. Paull. *Recept. Sent. V.* 28. Vnde hanc poenam praeter litis aestimationem lege Iulia fuisse sancitam, existimat Iust. Lips. *ad Tacit. Annal.* XIIII. 24. Enimuero sic haec lex non fuisset ceteris acrior, seuerior, sanctior, quod tamen passim innuit Cicero *in Vatin.* XII. *et pro C. Rabir.* XIIII. Quum ergo iam antea rei iuberentur duplum, triplum, quadruplum reddere, ac praeterea mitterentur in exsilium, teste Ascon. Paed. *in Cic. Act. Verr.* XIII. non facile existimes, leniorem in re fuisse Caesarem. Sed tamen verum est, ciuitate non excidisse repetundarum ex hac lege damnatos (*a*), verum praeter aestimationem litis ordinis esse motos, et prohibitos praeterea testimonium dicere, iudicare, postulare. *l. 6. §. 1. D. ad leg. Iul. repet.* Schulting. *ad Paull. Rec. Sent. V.* 28. *p.* 525.

(*a*) De sua quidem aetate testatur Paullus *Rec. Sent. V.* 28. *reos hac lege damnatos nonnumquam in exsilium missos, aut ad tempus relegatos.* Sed plerasque poenas a sequentibus Imperatoribus esse immutatas, nemo ignorat, et hactenus exemplo non vno est demonstratum.

§. LXXVI.

Lex Fabia de plagio.

Nec omittendum crimen PLAGII, de quo exstitit Lex FABIA, quam iam ante Ciceronis tempora latam esse, adparet ex eius *Oratione pro C. Rabirio* III. Tenebatur ea lege, qui ciuem Romanum ingenuum, libertinum, seruumue alienum celauerat, vendiderat, vinxerat, comparauerat, quiue in eam rem socius fuerat. Eius poenam olim numariam fuisse, ait Paullus apud Auct. *collat. leg. Mos. et Rom. XIIII.* 2. (*b*) Sed idem addit, postea in plagiarios extra ordinem animaduertisse praefectos vrbi, itemque praesides prouinciarum, et ita quidem, vt humiliores aut in metallum damnarentur, aut in crucem tollerentur; honestiores, ademta dimidia parte bonorum, in perpetuum relegarentur. Si seruus, sciente domino, alienum seruum subtraxerat, vendiderat, celauerat, in ipsum dominum animaduertebatur: sin id, domino ignorante, commiserat, in metallum dabatur. Paull. *ibid.* et Vlp.

(*b*) In textu est *summaria*, pro quo *numaria* legi iubent Pithoeus et Rittersh. in h. l. vt et Petr. Faber *Semestr. II.* 11. Ipsam quoque numariam poenam ex lege Fabia describit Vlpianus apud auct. *Collat. leg. Mos. et Rom. XIIII.* 3.

Source : BIU Cujas

Vlp. *in collat. leg. Mos. et Rom. XIIII.* 3. Edita etiam post ea tempora Diocletiani constitutio, qua in vrbe hoc crimen capite vindicari iubetur, *l.* 7. *C. ad leg. Fab. de plag.* quam sequuta alia Constantini, ex qua ob plagium liberi hominis seruus aut libertinus statim, id est primo quoque munere, bestiis obiicitur, liber sub hac forma in ludum datur, vt antequam aliquid faciat ad se defendendum, gladio consumatur. *l.* 1. *C. Theod. ad leg. Fab. de plagiar.*

§. LXXVII.

Agmen claudat crimen AMBITVS. AMBIRE Romanis erat petere magistratum, verum studiosius atque obnixius, quam mores legesque ciuitatis ferebant. Mira hic erant Romanorum artificia, quibus sibi et amicorum et populi fauorem conciliarent. Q. Cicero de *petit. consul. V. Petitio diuisa est in duarum rationum diligentiam, quarum altera in amicorum studiis, altera in populari voluntate ponenda est.* Amici erant *propinqui, necessarii, et qui aliquid ostendebant voluntatis. Propinquos* vocabant, qui aut cognatione aut adfinitate coniuncti erant. *Necessarios*, quos consuetudo vitae coniunxerat, vt familiares, tribules, vicinos, clientes, municipes, et qui in eadem societate, collegio, sodalitate, et ordine erant. Aliquid voluntatis ostendere videbantur salutatores, deductores, sectatores, suffragatores, de quibus omnibus Cicero *ibid.* Hi omnes ergo pro candidatis prensabant, eosque laudabant, commendabant, et rerum eorum satagebant. Popularem vero auram, qua praecipue erat opus, captabant *nomenclatione, blanditiis, adsiduitate, et benignitate. Nomenclatio* eam habebat vim, vt petitor singulos ciues suo quemque nomine adpellaret ac salutaret. Quumque id fieri vix posset in tanta ciuium multitudine: alebant seruos, qui candidatis ciuium singulorum suggererent nomina, vnde eos *nomenclatores* vel *monitores* adpellabant. Cicer. *pro Muraena* XXXVI. Dicti etiam sunt *fartores*, quia veluti in aures infarciebant ciuium nomina. Fest. *voce Fartores p.* 287. quo pertinent illa Horatii *Epist.* I. 6. *vers.* 49.

Ambitus apud Romanos qualis fuerit?

Si fortunatum species et gratia spectat:
Mercemur seruum, qui dictet nomina, laeuum
Qui fodiat latus, et cogat trans pondera dextram
Porrigere. Hic multum in Fabia valet, ille Velina:
Cuilibet hic fasces, dabit, eripietque curule
Cuilibet importunus ebur.

Blan-

Source : BIU Cujas

Blanditiae varia continebant adſentandi artificia. Alios candidati patres, alios fratres, alios patronos, adpellabant. Horat. *ibid.* *v.* 54. 55.

- - - Frater, pater, adde,
Vt cuique eſt aetas, ita quemque facetus adopta.

Nec pudebat eos *et frontem, et vultum, et ſermonem ad eorum, quoscumque conuenerant, ſenſum et voluntatem commutare.* Cic. *de petit. conſul. X.* Opus porro erat *adſiduitate*, nec parum prodeſſe videbatur candidatis, adſidue eſſe Romae, atque in foro, adſidue petere, ſaepe eosdem adpellare, ambire, prenſare, rogare. Circuibant ergo forum, ſupplices populo, circuibant omnia Italiae conciliabula, prehendebant ſingulorum dextras, beneficia ſua in ſingulos commemorantes, cicatrices pectore nudato oſtendebant, et quae erant huius generis alia. Sed maximum momentum habebat *benignitas*, ſi plura populo dediſſent congiaria, prandia, munera. Cic. *de petit. conſ. XI.* Qua in re tanta erat quorumdam profuſio, vt furioſum patrimonii ſui facerent exitum. Aſcon. Paedian. *in Cic. pro Scauro p.* 1751. Sed in eo haud ſubſtitit candidatorum induſtria. Saepe eo prolapſi ſunt impudentiae, vt praeſente pecunia emerent ſuffragia, eaque de cauſſa ſecum producerent *interpretes*, per quos pactio induceretur, *ſequeſtres*, apud quos deponeretur pecunia, *et diuiſores*, qui ſingulis numos diſtribuerent. Aſcon. Paedian. *in Verrin. II. p.* 1821. Immo ſaepe adhibita vis eſt, turba vel factione conducta, quae terrorem incuteret populo, eaque *ſodalitiorum* nomine venit. Quae omnia accurate expoſuit Sigonius *de Iudic. II.* 30.

§. LXXVIII.

Leges variae de ambitu.

Quum ergo tam turpe vitium tam altas egiſſet radices: nihil reliqui fecerunt Romani, vt illud legibus quam plurimis coercerent. Sane non temere vllum eſt delictum publicum, de quo tot exſtent leges, quot de ambitu latae ſunt. Iam anno V. C. CCCXXI. L. Pinario, et L. Furio, tribunis militum conſulari poteſtate, ſenatus auctoritate lex lata eſt a tribunis plebis, quo togae candidae vſus prohiberetur. Liu. IIII. 25. Sed hanc legem vel nunquam, vel parum diu valuiſſe oportet. Deinde A. V. C. CCCLXXXXV. C. Fabio Ambuſto et C. Plautio Proculo Coſſ. ſequuta eſt LEX POETELIA, a C. Poetelio, tribuno plebis, perlata, qua nouorum maxime hominum ambitio, qui nundinas et conciliabula obire ſoliti erant, comprimebatur. Liu. VII. 15. Sed nec ea diutius in vſu

Source : BIU Cujas

vsu fuit. Proxima est LEX BAEBIA AEMILIA, a Cn. Baebio et L. Aemilio Paullo Coss. lata A. V. C. IↃLXXI. Liu. XXXX. 19. Eam aduersus largitiones latam esse, colligi posse videtur ex Nonio VII. 19. p. 749. *Cato lege Baebia: pecuniam inlargibo tibi.* Inde A. V. C. IↃLXXXXIIII. noua lege opus fuit, puta CORNELIA FVLVIA lata a Cn. Cornelio Dolabella et M. Fuluio Nobiliore coss. Epit. Liu. XXXXVII. Ea primum cautum fuisse videtur, vt largitio capitalis esset, id est, exsilio puniretur, siquidem paullo post ambitus damnatus est Q. Coponius, quod vini amphoram dedisset ei, cui suffragii latio erat. Plin. *Hist. Nat. XXXV.* 12. Postea A. V. C. IↃCXXXIIII. lata est LEX MARIA per C. Marium, tribunum plebis, qua cautum est, vt pontes angustiores fierent, ne suffragatori locus ad rogandum esset. Cic. *de leg.* III. 17. Nec dubium videtur, quin eodem tempore quaestio ambitus facta sit perpetua, siquidem iam A. V. C. IↃCXXXVIIII. P. Rutilius et M. Scaurus se inuicem huius criminis accusarunt. Ascon. *in Cic. pro Scauro p.* 1751. Per eadem tempora LEX FABIA, promulgata de numero sectatorum, a populo antiquata est. Cic. *pro Muraena XXXIIII.* Ast A. V. C. IↃCLXXXVI. M. Acilio Glabrione et C. Calpurnio Pisone Coss. perlata est LEX ACILIA CALPVRNIA, vt, qui ambitus damnati essent, iis neque magistratum capere, neque in senatum legi liceret, et pecunia mulctarentur. Dio Cass. *Hist. XXXVI. p.* 20. Eam legem postea anno IↃCLXXXX. Cicerone et Antonio Coss. sequuta LEX TVLLIA de ambitu, qua legem Aciliam Calpurniam etiam ad eos protulit, qui mercede conducti obuiam candidatis iuissent, qui conducti sectarentur, qui gladiatoribus et vulgo locum attribuissent, qui prandia vulgo dedissent, qui biennio, quo petunt, gladiatores dare ausi essent, nisi ex testamento praestituta die. Cic. *in Vatin. XV.* Additum ea lege, vt, qui de ambitu condemnarentur, ii praeter aliam poenam decennali exsilio mulctarentur. Biennio post anno IↃCLXXXXII. M. Valerio Messalla et M. Pupio Pisone coss. ab Ausidio Lurcone, tribuno plebis, denuo promulgata LEX AVFIDIA de ambitu, seuerior etiam, quam Tullia, qua inter alia cautum, vt, qui numos in tribu pronunciauerit, si non dederit, impune esset, sin dederit, quoad viueret, singulis tribubus sestertium MMM. deberet. Cic. *ad Att. Epist. I.* 13. Sed quam parum diu etiam haec lex valuerit, discimus exemplo Caesaris et Bibuli apud Sueton. *Iul.* XVIIII. Eiusdem paene aetatis est LEX LICINIA, A. V. C. IↃCLXXXXVI. Cn. Pompeio et M. Licinio Crasso coss. lata, aduersus sodalitia,

Source : BIU Cujas

coitionem cum petitoribus, numorum diuisionem, quibus omnibus exsilii poena statuta. Car. Sigon. *de Iudic. II.* 32. Sed nec hanc legem suffecisse, inde patet, quod paullo post anno V. C. IOCCI. a CN. POMPEIO, solo tum consule, noua lata est, qua brevius factum est iudicium ambitus. Sigon. *ibid. p.* 660. Sed et C. IVLIVS CAESAR, dictator, ambitum coercuit, non quidem lege, sed quod comitia cum populo partiretur, vt exceptis consulatus petitoribus, de certo numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur, pro altera parte, quos ipse dedisset. Edebat autem candidatos per libellos, circa tribus missos, scriptura breui: *Caesar dictator illi tribui. Commendo vobis illum et illum, vt vestro suffragio suam dignitatem teneant.* Sueton. *Iul. XXXXI.*

§. LXXVIIII.

Lex Iulia de ambitu.

Postrema est LEX IVLIA DE AMBITV, cuius in pandectis nostris fit mentio, lata ab Augusto Imperatore. Sed ea non opus fuit diu, siquidem, comitiis sub Tiberio e campo translatis in curiam, omne ambitus crimen euanuit. Vnde lex ambitus ad eos tantum pertinere visa est, qui in municipiis duumuiratum vel sacerdotium, vt puta Alytarchiam, corruptis decurionum suffragiis, vel aduocata seruorum aliaue multitudine, obtinuerint. *l.* 1. *D. ad L. Iul. de ambit.* Eos enim Imperatores sequentes in insulas deportari iusserunt, tamquam vis publicae reos. Paull. *Recept. Sent. V.* 30. 1.

§. LXXX.

Conclusio operis.

Sic emensi demum illud antiquitatis Romae iter, nihil quod ad intelligentiam institutionum iuris Romani necessarium videbatur, videmur nobis omisisse. Quare, tamquam fessi, ne diutius in aliena republica versemur, in patriam reuertimur postliminio, visuri in posterum,

Quid domibus nostris praui rectiue geratur.

S. D. G.

INDEX

Source : BIU Cujas

INDEX I.

TITVLORVM ET MATERIARVM QVAE IN ILLIS TRACTANTVR.

LIB. I.

AD PROOEM. *de variis iuris Romani collectionibus differitur.* - - - - - - - - - pag. 1

Ad TIT. I. de iustitia et iure, agitur *de iureconsultorum veterum philosophia, et aemulatione cum philosophis.* - - 29

Ad TIT. II. de iure nat. gent. et ciuili, agitur *de ritu ferendi leges et plebiscita, vt et de SC. de Praetorum et Aedilium edictis, de iureconsultorum origine et responsis, de constitutionibus principum, aliis.* - - - - - - - 31

Ad TIT. III. de iure personarum, agitur *de seruorum Romanorum conditione et variis generibus.* - - - 69

Ad TIT. IIII. et V. de ingenuis et libertinis, agitur *de variis manumittendi ritibus, de libertinorum conditione, variis generibus, insignibus.* - - - - - - - - 75

Ad TIT. VI. qui et quibus ex causis manum. non possunt, agitur *de legis Aeliae Sentiae origine, ratione, variis capitibus, et abrogatione.* - - - - - - - 81

Ad TIT. VII. de Lege Fus. Canin. tollenda, agitur *de huius legis origine, ratione, materia, abrogatione.* - - 93

Ad TIT. VIII. de his, qui sui vel alieni iuris sunt, agitur *de Dominorum potestate et crudelitate in seruos, et variis legibus, quibus illa coercita.* - - - - - - 95

AD TIT. VIIII. de patria potestate, agitur de antiqua patrum potestate in liberos, veluti *de iure vitae et necis, de trina venundatione liberorum, de iudiciis domesticis, de acquaestu per liberos, et quid in his omnibus sensim mutatum sit.* - - - 98

Source : BIU Cujas

Ad TIT. X. de nuptiis, agitur de variis ritibus *nuptiarum, veluti confarreatione, coemtione, vsu, eorumque effectibus, vt et de nuptiarum requisitis.* - - - - - pag. 104

ADPENDIX de legitimatione, *in spuriorum conditionem, originem legitimationis, variaque eius genera inquirit, vbi et de curiae datione.* - - - - - - - - - 113

Ad TIT. XI. de adoptionibus, *de variis adoptionis generibus, et ritibus in ea adhibitis disseritur.* - - - 117

Ad TIT. XII. quibus modis patr. pot. soluitur, agitur *de ritibus emancipationis eiusque variis speciebus.* - - 128

Ad TIT. XIII. XIIII. XV. XVII-XX. de tutelis, testamentaria, legitima, fiduciaria, datiua, *partim origo tutelae, partim leges XII. tabularum de tutelis explicantur. Adduntur quaedam de ritibus dandi tutores, vt et de tutela mulierum, cuius historia latius traditur.* - - - - - - 134

Ad TIT. XVI. de capitis deminutione, *eius origo ex antiquo census instituto deducitur, multaque ex antiquitatibus explicantur de iure postliminii, de seruitute poenae, de exilio, aquae et ignis interdictione, deportatione, et aliis.* - - - 146

Ad TIT. XXI. de auctoritate tutorum, *quid antiquis fuerit auctoritas, quid administratio, et quomodo interponi consueuerit auctoritas, docetur.* - - - - - 155

Ad TIT. XXII. Quibus modis tutela finitur, *de ritu explorandi pubertatem, et aliis modis finiendi tutelam agitur.* - 156

Ad TIT. XXIII. de curatoribus, *agitur de curatione furiosorum, et prodigorum, de ritu interdicendi bonis, de origine curationis minorum, de actionibus et adiutoribus, aliisque rebus huc pertinentibus.* - - - - 160

Ad TIT. XXIIII. de satisdat. tutor. et curat. *satisdationis origo, SC. sub Traiano factum, ipseque ritus satisdandi explicantur.* 166

Ad TIT. XXV. de excusat. tut. vel curatorum, *multa differuntur ex antiquitatibus de lege Papia Poppaea et iure liberorum, de liberorum recens natorum professione, de administratione fisci et aerarii, de schola Romana, Cpol. et Berytensi et variis in illa Professoribus, Grammaticis, Rhetoribus, Philosophis, Medicis, Iureconsultis, eorumque immunitatibus.* - - - - 168

Ad TIT. XXVI. de suspect. tutorib. vel curatoribus: *origo huius criminis ex lege XII. Tab. explicatur.* - - 183

ADPENDIX Libri I. ea supplet, quae in institutionibus de iure personarum omittuntur. *Hinc in illa agitur de iure ciuitatis*

et.

Source : BIU Cujas

et Quiritium, de Latio et latini nominis eorumque iuribus, de Italis, de prouinciis, earumque formulis, de municipiis, coloniis, praefecturis, ciuitatibus foederatis, de peregrinis denique, eorumque conditione et iuribus, aliisque. - - - - pag. 186

LIB. II.

AD TIT. I. de rer. diuis. et adquir. rer. domin. explicatur, *quomodo Romani res sacras Diis superis, religiosas diis inferis consecrauerint, quomodo sepulcra circumscripserint limitibus, quomodo muros aratro signarint, ac deinde dedicarint? Quae res dictae veteribus publicae, communes, vniuersitatis, nullius? Quaenam res mancipi et nec mancipi? quomodo facta mancipatio, in iure cessio, sub corona venditio, traditio, adiudicatio? Quid Dominium quiritarium et bonitarium?* - - - - - 280

Ad TIT. II. de rebus corporalibus et incorporalibus *haec diuisio e principiis Stoicorum explicatur.* - - - 300

Ad TIT. III. de seruitut. rustic. et vrbanor. praediorum, *de vtrarumque origine et indole ex antiquitatibus Romanis disseritur.* 302

Ad TIT. IIII. et V. de vsufructu, vsu et habitatione *eorumque origine agitur.* - - - - - - 312

Ad TIT. VI. de vsucapionibus et longi temporis praescriptionibus: *origo horum iurium ex iure Attico et legibus XII. Tabularum deriuatur, et de legibus Atinia, Iulia, Plautia, Scribonia aliisque nouis constitutionibus agitur.* - - - 315

Ad TIT. VII. de donationibus *disseritur de differentia doni et muneris, de donis Romanorum variis, veluti strenis, apophoretis, muneribus natalitiis, lustricis, nuptialibus, xeniis &c. Eadem occasione de lege Cincia et aliis iuribus eorumque origine agitur.* 321

Ad TIT. VIII. Quibus alienare licet vel non licet, *tota materia de dotium origine et iure, vt et de ritibus dotem dicendi, dandi promittendiue tractatur. Agitur item de alienatione pignoris et rerum pupillarium.* - - - - - - 333

Ad TIT. VIIII. Per quas personas cuique adquiritur, *praecipue de adquaestu per liberos horumque peculio, vt et per seruos, matresfamilias, personasue liberas agitur.* - - - - 339

Ad TIT. X. XI. XII. XIII. De testamentis ordinandis, de testam. militar. et qui testari non possunt, *ostenduntur prima rei testamentariae initia, additurque, quomodo testamenta in comitiis calatis, in procinctu, per aes et libram, vt et praetoria facta scriptaque*

Source : BIU Cujas

raque sint. Agitur etiam de testamentis militaribus, de testamentis feminarum, de exheredatione liberorum vetere et noua, vt et abdicatione eorum &c. - - - - - - - pag. 342

Ad TIT. XIII. de heredibus instituendis, de *iis praecipue agitur, qui heredes instituti haud potuerint, quales erant peregrini, caelibes, orbi, vniuersitates, in quibus tamen non comprehenduntur municipia. An et quinam Dii potuerint heredes institui: Qualis as hereditarius, et quomodo computandus?* - - - - 353

Ad TIT. XV. XVI. de vulgari et pupillari substitutione *in vtriusque originem inquiritur, simulque eius formula et modus ostenduntur.* - - - - - - - - - 358

Ad TIT. XVII. XVIII. XVIIII. quibus modis testam. infirmantur, de querela inofficiosi test. vt et de hered. qualitate et different. *explicatur, quaenam testamenta fuerint nulla vel iniusta, infirmata, rupta, irrita, rescissa: quae fuerit origo querelae inofficiosi eiusque natura? quae origo portionis legitimae? Quinam heredes dicti necessarii, sui et necessarii, extranei? Quibus ritibus creta et adita hereditas? Quid pro herede gestio? Quid immixtio et agnitio?* 360

Ad TIT. XX-XXII. de legatis eorumque ademtione et translatione, vt et lege Falcidia *ostenditur, quotuplicia legata fuerint, quomodo legatum sit per vindicationem, damnationem, sinendi modo, per praeceptionem? Quaenam fuerit horum legatorum differentia? Quid legatum partis hereditatis? Considerantur porro leges Furia testamentaria, Voconia, Falcidia, earumque origo et materia expenditur.* 368

Ad TIT. XXIII-XXV. de fideicommissis vniuersalibus et singularibus, et de codicillis, *fideicommissorum origo, formulae, natura ostenditur: adduntur nonnulla de SC. Trebelliano, Pegasiano, Aproniano, de codicillorum nomine, natura, origine, et quae huc pertinent, aliis.* - - - - - - 376

LIBER III.

AD TIT. I. de hereditatibus, quae ab intestato deferuntur, *explicatur lex XII. Tab. de successione suorum et agnatorum, additurque, quinam dicti sint heredes sui, vbi et difficilis Paulli locus exponitur, nec non, an et filiae successerint, vbi plura de lege Voconia, item an vxores, quae in manum conuenerant, inter heredes suas fuerint? quomodo emancipatis succurrerit Praetor? quidue recentiores leges hac in re immutarint?* - - - 383

Ad TIT. II. de legitima agnatorum tutela, *quinam agnati fuerint,*

Source : BIU Cujas

rint, quinam gentiles, docetur, eaque occasione explicatur, quomodo Romani gentes familiasque suas nominibus, cognominibus, agnominibus distinxerint. Additur lex XII. Tab. de successione gentilium, itemque quo ordine agnati et gentiles successerint, et an agnatae etiam ad successionem vocatae sint, quoque iure emancipatis successerint patres, et quid nouum ius hac in re mutarit, disquiritur. - pag. 388

Ad TIT. III. de SC. Tertulliano, *primo, quibus legibus sensim matres ad liberorum successionem vocatae sint, ac deinde SC. Tertulliani historia et materia, vt et iuris liberorum ex hoc SC. et ex lege Papia Poppaea differentia exponitur.* - - 392

Ad TIT. IIII. de SC. Orphitiano, *huius SC. historia traditur, ostenditurque ex Valerio Max. et Plinio, iam ante hoc SC. liberos maternam hereditatem querela inofficiosi instituta sibi vindicasse.* 396

Ad TIT. V. de successione cognatorum: *ostenditur, cognatos non a legibus XII. Tabularum, sed a Praetore ad successionem vocatos, sed et quinam cognati dicti sint, ad quotum gradum successerint, et quid ius nouum de iis statuat, explicatur.* - - 398

Ad TIT. VI. de gradibus cognationum, *nomina graduum singulorum traduntur, additoque schemate antiquo, quomodo veteres gradus istos disponere consueuerint, ostenditur.* - - 400

Ad TIT. VII. de seruili cognatione, *ius hac de re nouum pariter ac antiquum exponitur.* - - - - 402

Ad TIT. VIII. de successione libertorum, *explicata lege vetere XII. Tabularum, ostenditur patronos agnatorum iure olim censeri consueuisse, vnde et liberi patronorum nomina adsumserint. Additur, quomodo illis successerint patroni, et quibus casibus libertae successione patronos excludere potuerint. Accedit explicatio capitum quorumdam legis Papiae Poppaeae de libertabus quatuor liberorum parentibus, de libertis centenariis, de successione patronae, &c.* 403

Ad TIT. VIIII. de adsignatione libertorum: *ostenditur, qua in re constiterit ius patronatus, quid fuerit adsignatio libertorum, et quid de ea cautum sit SC. Claudiano?* - - - - 408

Ad TIT. X. de bonorum possessione, *explicata differentia possessionis bonorum et bonorum possessionis, quid et quotuplex haec fuerit, exponitur, additurque nonnihil de bonis caducis ex lege Papia Poppaea, vt et de formulis, quibus et petita et data est bonorum possessio.* - - - - - - - - - 410

Ad TIT. XI. de adquisitione per adrogationem, *ius tum vetus tum nouum de vniuersali isto adquirendi modo traditur.* 417

Ad TIT. XII. de eo cui libertatis caussa bona addicuntur, *simi-*

Source : BIU Cujas'

similiter tum vetus tum nouum ius explicatur. - pag. 419

Ad TIT. XIII. de succeſſionibus ſublatis, quae fiebant per bonorum venditionem ex SC. Claudiano. *Hic lector ad alium locum huius tractatus remittitur.* - - - - 421

Ad TIT. XIIII. de obligationibus, *praecipue de contractuum et pactorum apud Romanos differentia, de obligationibus ciuilibus et praetoriis, vt et de obligationibus ex delicto diſſeritur.* - ibid.

Ad TIT. XV. quibus modis re contrahitur obligatio, *praecipue de mutuo docetur, quod veteres illud adpenderint, vt et de foenore, quomodo illud a mutuo differat, quomodo pecuniae foenori datae et Kalendario inſcriptae ſint, qualis contractus in foenore interceſſerit, quae leges veteres de eo latae ſint, quibus fraudibus vſi ſint foeneratores, quomodo computatae ſint vſurae, quae vſurae dictae ſint centeſimae, deunces, decunces, dodrantes, beſſes, ſeptantes, ſemiſſes, quincunces, trientes, quadrantes, ſextantes, vnciariae, ſemiunciariae, item vſurae binarum, ternarum, quinarum, centeſimarum &c. Adduntur quaedam de commodato, depoſito, de quo et lex XII. Tab. exponitur, et de pignore.* - - - - 425

Ad TIT. XVI-XX. de verborum obligationibus, *ritus ſtipulandi formulaeque in eo contractu adhibitae, varia item de ſtipulationibus iura eorumque genera exponuntur. Quum vero et ſponſalia fierent per ſtipulationes, de his quoque, eorumque praecipuis ritibus diſſeritur.* - - - - - - 441

Ad TIT. XXI. de fideiuſſoribus, *explicatur, quinam veteribus fuerint vindices, vades, ſubuades, praedes, fideiuſſores, ſponſores, adpromiſſores, fideipromiſſores, quales fuerint fideiubendi formulae, qualis fideiubentium obligatio &c.* - - - - 451

Ad TIT. XXII. de litterarum obligationibus, *ſollicite ex antiquitatibus, qualis fuerit apud veteres litterarum obligatio, quaque forma illa facta ſit, exponitur.* - - - 457

Ad TIT. XXIII - XXVII. de contractibus conſenſualibus, *agitur de emtione venditione, locatione conductione, ſocietate, mandato, eaque occaſione de conductionibus publicanorum eorumque ſocietatibus complura ex antiquitate exponuntur.* - - 462

Ad TIT. XXVIII. de obligationibus, quae quaſi ex contractu naſcuntur, *de negotiorum geſtionis origine, tutela, communione agitur, ſimulque lex XII. Tab. de familia erciſcunda explicatur.* - - - - - 471

Ad TIT. XXVIIII. per quas perſonas nobis obligatio adquiritur. *Hic lector ad alium locum remittitur.* - - 476

Ad

Source : BIU Cujas

Ad TIT. XXX. quibus modis tollitur obligatio, *agitur de solutione, de antiquissima obaeratorum conditione, de possessione bonorum eiusque origine, de nouis tabulis a plebe postulatis, de in solutum datione, de cessione bonorum, de acceptilationis ritibus, de nouatione, contrario dissensu et obsignatione pecuniae.* - pag. 476

LIBER IIII.

AD TIT. I. de obligationibus, quae ex delicto nascuntur, *explicatur vberius, quaenam antiquissimae sint de furto leges, quomodo furtum nocturnum, quomodo manifestum et nec manifestum vindicatum. Prolixe imprimis dispicitur, quo ritu veteres furtum conceperint per lancem et licium.* - - - 485

Ad TIT. II. de vi bonorum raptorum *eadem methodo de rapina agitur.* - - - - 498

Ad TIT. III. de lege Aquilia, *de damno iniuria dato vt et Legis Aquiliae historia variisque capitibus agitur et imprimis ostenditur, caput secundum de seruo corrupto egisse.* - - 499

Ad TIT. IIII. de iniuriis *variae leges XII. Tabularum, vt et ius praetorium de iniuriis, earumque poena explicatur. Additur legis Corneliae de iniuriis historia et explicatio.* - - 506

Ad TIT. V. de obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur, *explicatur, qua cura iudices lecti, quomodo iidem litem suam fecerint, quid de effusis, deiectis &c. statuerit Praetor, quid de nautis, cauponibus et stabulariis &c.* - - - 514

Ad TIT. VI. de actionibus *ea omnia, quae in iure fiebant, exponuntur. Docetur ergo, quinam magistratus Romae et in prouinciis iudiciis priuatis praefuerint, quid fuerit imperium et iurisdictio, vbi ius dictum, quid veteribus fuerit tribunal, quid locus planus? quinam Praetori adsederint, quibus diebus ius dictum, quinam dies dicti nefasti, atri, ominosi, interciſi, feriales, quo ritu facta sit in ius vocatio, actionis editio, postulatio, quomodo conceptum vadimonium, quomodo actio intenta? quibus formulis et ritibus vindiciae postulatae in rei vindicatione, quibus formulis omnes reliquae actiones institutae, quid interfuerit inter actiones arbitrarias, bonae fidei et stricti iuris, quo ritu postulati iudices, qua formula iidem dati, quomodo numerus testium a Praetore praescriptus, et quomodo facta sit litis contestatio?* - - - - - 517

Ad TIT. VII. quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur, *agitur de actione institoria eaque occa-*

Source : BIU Cujas

sione ostenditur, quo loco mercatores apud veteres Romanos fuerint; quaenam eorum fuerint collegia, quinam institores, &c. Eodem modo explicatur, quales fuerint Romae exercitores, quibus formulis actiones institoria, exercitoria, tributoria et de peculio institutae sint. Accedit historia SC. Macedoniani. - - - pag. 548

Ad TIT. VIII. de actionibus noxal. *actionum harum natura, formulae et origo ex XII. Tab. ostenditur.* - - - 554

Ad TIT. VIIII. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, *actionis quadrupedariae origo et natura ex XII. Tabulis ostenditur. Accedunt nonnulla de lege Pesulania de cane, et quomodo canibus alligatis inscriptio addi consueuerit.* - - - - 556

Ad TIT. X. de iis per quos agere possumus, *Aduocatorum, Cognitorum, Procuratorum origo ex historia traditur, additurque nonnihil de dominio litis.* - - - - 559

Ad TIT. XI. de satisdationibus, *earum indoles ex vetere aeque ac nouo iure describitur.* - - - 563

Ad TIT. XII. de perpetuis et temporariis actionibus, *quaenam actiones perpetuae, quaenam et cur illae annuae et temporariae fuerint, ostenditur.* - - - 566

Ad TIT. XIII. et XIIII. de exceptionibus et replicationibus, *quomodo illae in iure prolatae, quomodo formulis iudices dandi inclusae sint, ostenditur.* - - - - - 568

Ad TIT. XV. de interdictis, *eorumque origine, natura, formulis agitur.* - - - - - 571

Ad TIT. XVI. de poena temere litigantium, *praecipue de iureiurando calumniae et calumniatorum poena ex antiquitatibus disseritur.* - - - - 574

Ad TIT. XVII. de officio iudicis. *Quemadmodum titulo VI. ea, quae in iure fiebant, ita ad hunc titulum ea, quae in iudicio fiebant, exponuntur, ostenditurque, quibus formulis dati iudices, vnde et quomodo lecti sint, quos in consilium adhibuerint, quomodo in leges iurarint, quo ritu dies iudicii diffindi, absentes edictis citari, praesentes calumniam iurare, causam coniicere, consueuerint, quomodo dixerint oratores, et quo pacto denique lata sit sententia.* 577

Ad TIT. XVIII. de iudiciis publicis, *tum de iudiciis publicis, tum de iudiciis populi, tum de legibus ad varia crimina coercenda comparatis agitur. De iudiciis publicis ostenditur, quomodo a popularibus actionibus, a iudiciis populi et cognitionibus extraordinariis differant, quae crimina iis vindicata, quibus poenis in reos animaduersum, quinam iis praefuerint quaesitores, quisnam Iudex*

Source : BIU Cujas

dex quaestionis, quinam reliqui iudices fuerint? quomodo rei in ius vocati, quomodo nomen delatum, quomodo deinde rei vestem mutarint, quomodo patroni adhibiti, quomodo prima ac deinde secunda sit instituta actio, quomodo sententia lata &c. De iudiciis populi refertur, quo pacto dies dicta sit reis, in quibus comitiis factum iudicium, quomodo rei citati, ter accusati et citati sint, quomodo promulgata rogatio, quomodo reus defensus, ipsaque sententia lata per suffragia populi? Denique leges de crimine maiestatis, de adulterio, de sicariis, parricidio, de falsis, de vi publica et privata, de peculatu, de repetundis, de plagio et ambitu latius explicantur.

INDEX II.

RERVM ET VERBORVM.

Pro. notat *prooemium*, Adp. *adpendicem*, pr. *principium* cuiusque tituli. Numeri Romani *libros*, e reliquis numeris primus *titulum*, secundus *paragraphum* indicat. Littera minuscula addita ad *adnotationem* textui subiectam respicit.

A Littera absolutionis nota. IIII. 18, 31.
Abdicatio liberorum qualis et quomodo facta? II. 10, 23.
Accensi. I. *adp.* 53.
Acceptilatio quid? III. 30, 10. *sequ.* quomodo facta. *ibid.* vbi locum habuerit? III. 30, 13. cur dicatur iuris gentium, I. *adp.* 137.
Acclamationes Principibus factae. I. 2, 55. in acta relatae. *ibid.*
Accusare qui potuerint? IIII. 18, 17.
Accusatio accusationis. IIII. 18, 17.
Accusatores publici. IIII. 18, 17.
Acquisitio iuris gentium. II. 1, 21. iuris ciuilis. II. 1, 22. per liberos. II. 9, 1. per matrem familias. II. 9, 4. per personas liberas. II. 9, 5. per seruos. II. 9, 3. per adrogationem. III. 11, 1. *sequ.*
Actio aestimatoria ex emto. III. 23, 3. arbitraria. IIII. 6, 36. bonae fidei. *ib.* in caupones. IIII. 5, 5. Confessoria. IIII. 6, 27. Rhetorum fictae. IIII. 6, 22. de distrahendis rationibus. I. 26, 5. duplex in iudiciis publicis. IIII. 18, 24. edita quomodo. IIII. 6, 19.

Source : BIU Cujas

Actiones non eaſdem omnes dabant praetores. IIII. 6, 19.
Actio de emto ex modo. III. 23, 3.
exercitoria. IIII. 6, 38. et IIII. 7, 3.
familiae erciſcundae. III. 28, 6. *ſequ.*
formulae adſtricta. IIII. 6, 19. (*n*)
intenta quomodo? IIII. 6, 19.
Actio quod iuſſu. III. 6, 38.
Kalendarii. III. 15, 5.
legis quid? *pro.* 6.
eae a iureconſultis inuentae. I. 2, 31.
num fuerint penes collegium pontificum? I. 2, 31. (*s*)
cur excogitatae. I. 2, 31.
ex maleficiis. IIII. 6, 33.
mandati, concurrente dolo, famoſa. III. 23, 20.
mixta quid? IIII. 6, 34.
in nautas. IIII. 5, 5.
negatoria. IIII. 6, 27.
negotiorum geſtorum. III. 28, 3.
noxalis. IIII. 8, 4. *ſequ.*
de paſtu pecoris. IIII. 9, 1.
de peculio. IIII. 7, 5.
perpetua. IIII. 12, 1.
a perſequutione et a petitione quomodo differat? III. 30, 12. (m)
poenalis. IIII. 6, 35.
poſtulata quomodo? IIII. 6, 19.
praeiudicialis. IIII. 6, 10.
praeſcriptis verbis. IIII. 6, 32.
praetoriae annuae. IIII. 12, 2.
perpetuae. *ib.* 3.
Publiciana. IIII. 6, 28.
eius antiquitas. 11, 15.
IIII. 6, 28.
Actio quadrupedaria. IIII. 9. 4.
quaſi Seruiana. IIII. 6, 29.
quotuplex? IIII. 6, 23.
reſciſſoria Public IIII. 6, 29.
de in rem verſo. IIII. 7, 5.
in rem vtilis. IIII. 6, 26.
Seruiana. IIII. 6, 29.
Actio pro ſocio, dolo concurrente, famoſa. III. 23, 20.
qua ſolidum petitur vel non petitur. IIII. 6, 37.
ex ſponſu. III. 16, 22.
contra ſtabularium. IIII. 5, 5.
ex ſtipulatu. III. 20, 22.
ſuſpecti tutoris. I. 26, 2.
tributoria. IIII. 7, 4.
Actor tutoris. I. 23, 11.
Seruus. *ibid.*
Actum eſt formula comica ab effectu rei iudicatae ſumta. IIII. 17, 13.
Actus et iter. II. 3, 10.
Addictio bonorum libertatis cauſſa. III. 12, 1. *ſequ.*
Addicti debitores. III. 30, 2.
an ſeruilis conditionis? *ibid.*
liberati, nonnunquam a diuitibus. III. 30, 4. (c)
Adiudicatio quid? II. 1, 27.
Adiutor tutoris. I. 23, 11.
Adoptio, cur Romae tam frequens? I. 11, 1. *ſequ.*
a quo fieri potuerit. I. 11, 12.
an et ab eo qui liberos habebat? I. 11, 8.
an in ea partus ſimulatus? I. 11, 15. (e)
per aes et libram. I. 11, 15.
mancipatio in ea adhibita. I.

Source : BIU Cujas

Adoptio quorum fieri potuerit? I. 11, 16.
an domi facta? I. 11, 15. (e)
quotuplex? I. 11, 4.
per testamentum. I. 11, 18.
eius effectus. I. 11, 19.
mutata a Iustiniano. I. 11, 20.
an tribuerit nobilitatem. I. 11, 11.
etiam domi facta a principibus. I. 11, 15. (e)
a feminis facta. I. 11, 12.
Adorare, id est agere. IIII. 1, 11.
Adpromissor; III. 21, 4.
Adquisitio: vide Acquisitio.
Adrogatio cur in comitiis facta, et lege curiata? I. 11, 6.
quamdiu? I. 11, 13.
eius effectus. II. 11, 11.
pontificum auctoritate fieri cur debuerit? I. 11, 7.
quaestiones in ea propositae. I. 11, 9.
requisita, quum pupillus adrogatus. I. 11, 17. (g)
Adrogatio per rescriptum. I. 11, 17.
in ea rogatio ad populum. I. 11, 10.
Romae tantum facta. I. 11, 12.
vnde dicta? I. 11, 5.
Adrogatio, per eam acquisitio. III. 11, 1.
Adsciscere vocabulum adoptionis. I. 11, 18.
Adserere liberali caussa. IIII. 6, 30.
in seruitutem. *ib.*
Adsessores iudiciorum. IIII. 6, 9.
Adsiduitas. IIII. 18, 77.
Adsignatio libertorum. III. 9, 2.
Adscriptitii. I. 3, 8.
Adulterae dotis parte priuatae. IIII. 18, 51.
in monasterium detrudendae ex lege Iustiniani. IIII. 18, 52.
ab ipsis viris condemnatae. IIII. 18, 51. (f)
verberatae ex lege Iustin. IIII. 18, 52.
Adulteri domi deprehensi castrati. IIII. 18, 57. (f)
Adulterium capitale ex lege Constantini M. IIII. 18, 52.
eius poena ex lege Iulia an gladius? IIII. 18, 51.
an relegatio in insulam? *ibid.*
genuina quaenam? *ibid.*
grauiter punitum ab imperatoribus. IIII. 18, 52.
Aduocatorum origo. I. 2, 29. IIII. 10, 1.
vnde dicti. I. 2, 33.
Aedes sacrae quomodo differant a templis? II. 1, 2.
Aedium Romanorum altitudo. II. 3, 7.
Aedificandi modus Romae obseruatus. II. 3, 4.
Aediles aerario aliquando praefecti. I. 25, 11.
Cereales. I. 2, 26. (q)
curules. I. 2, 25.
eorum edicta. I. 2, 27.
de sumtibus sepulcrorum. II. 1, 4.
eorum iurisdictio. IIII. 6, 4.
concurrens cum praetoria. I. 2, 27.

Source : BIU Cujas

Aediles in municipiis. I. *Adp.* 123.
eorum munus. I. 2, 26.
origo. I. 2, 25.
etiam praetores dicti. I. 2, 27. (r)
plebeii. I. 2, 25.
apud eos profitebantur meretrices. IIII. 18, 53.
Aeditui, apud eos depoſita teſtamenta. II. 10, 11.
Aelianum ius: *vid.* ius Aelianum.
S. AELIVS iuris Aeliani auctor. *Pro.* 8. (p)
eius Tripartita. *ib.*
Aerarium quomodo a fiſco differat? I. 25, 10.
ei quinam praefuerint? I. 25, 11. eius praefectus. *vid.* Praefectus.
Saturni et milit. *ib.*
Ἀτέλεια vectigal. I. *adp.* 63.
Aes vxorium. I. 25, 3.
graue. IIII. 4, 1.
Ager cenſui cenſendo. II. 1, 18. I. *adp.* 98.
vectigalis. III. 23, 9. (b) et III. 23, 13.
Agere alterius nomine cur non licuerit? IIII. 10, 2.
A. AGERIVS, nomen in formulis ſolenne. III. 30, 12.
Agnati qui? III. 2, 1.
eorum tutela legitima. I. 15, 5. *ſeq.*
eorum ſucceſſio. III. 2, 3. *ſeq.*
capitis deminutionem paſſi inſtar cognatorum erant. III. 5, 4.
ad agnatos et gentiles prouerbium. I. 23, 4. (c)
Agnomina Romanorum. III. 2, 2.
Album quid? I. 2, 23. (m)
Altitudo aedium Rom. II. 3, 7.
Altius non tollendi ſeruitus. II. 3, 7.
Altius tollendi obſcura. *ib.*
Ambitus aedium. II. 3, 4.
apud Romanos qualis? IIII. 18, 77.
leges de hoc crimine variae. *ib.* 78.
Anatociſmus olim licitus, poſtea prohibitus. III. 15, 30. (m)
Angiportus. II. 3, 4.
Anguia Anguitia Dea Marſorum. I. *adp.* 94.
Annonae caritas. Propter hanc peregrini vrbe expulſi. I. *adp.* 136.
Annulus pronubus. III. 16, 20.
Annuli aurei ius. I. 5, 17. (h)
Anſariae vectigal. I. *adp.* 63.
Anteſtatio in ius vocantium quid et quomodo facta? IIII. 6, 14. ea an ſemper opus. *ib.*
Anteſtatus quis? et an idem cum libripende? I. 12, 7.
Ἀντιφέρνα. II. 7, 18.
ANTISTIVS Labeo ICtus: *vid.* Labeo.
ANTONINVS (Marcus) ſub eo conditum edictum prouinciale. *Pro.* 15. (s)
praetorem tutelarem creauit. I. 2, 20.
ANTONINI Caracallae conſtitutio orbis Romani. I. *adp.* 19. eius occaſio. *ibid.*
ANTONINVS Pius an et Hadrianus dictus? III. 3, 3.

Source : BIU Cujas

Ἀνθύπατος pro consulari. I. *Adp.* 96.
Ἀντικατηγορία. IIII. 18, 17.
Ἀπειπεῖν. II. 10, 23.
Ἀποκηρύσσειν. *ibid.*
Apollo Didymaeus. II. 14, 4.
Apophoreta Saturnalia. II. 7, 5.
Aqua Claudia, Curtia, Traiana. II. 3, 12.
Aquae et ignis interdictio. I. 16, 9.
in cubicula et triclinia ductae. II. 3, 12.
ductuum Rom. structura. II. 3, 12.
ductus seruitus. *ib.* per iniuriam corruptae. IIII. 4, 5. (i)
Aquam oletare quid? *ib.*
Aquilius ICtus formularum inuentor. III. 30, 12. (h)
Aquiliana stipulatio. *ib.*
Aratrum inductum vrbibus. II. 5, 8.
Aratro circumductae coloniae. I. *adp.* 125.
Arbitri et iudices quomodo differant? IIII. 6, 36. et *ib.* 39.
quomodo tulerint sententiam. IIII. 17, 12.
Arbor infelix quae? IIII. 18, 10. (d)
Arcae in sepulcris ex qua materia? II. 1, 4.
Ex arca numerare. III. 15, 2.
Argentarii qui? III. 15, 6. (h)
Arillator quis? IIII. 7, 1.
Aristocratiam pulsis regibus moliebantur patricii. I. 2, 46.
Arrha in emtione data. III. 23, 2.
Arrha sponsalitia. III. 16, 20.
As. IIII. 4, 1.
Assipondium. II. 14, 6.
Assius lapis cadauera consumit. II. 1, 4.
Atilia gens Romae celeberrima. I. 20, 9. (f) p. 139.
Auctio quid? II. 1, 22. II. 18, 11.
Auctores cur esse debebant actores? IIII. 6, 25.
Auctoritas an a tutoribus interponi potuerit perfecto negotio? I. 21, 3.
Avgvstvs cur ICtos sibi conciliarit? I. 2, 39. (x)
numerum praetorum auxit. I. 2, 20.
inuentor quaestorum candidatorum. I. 2, 45. (z)
Eius institutum de condendis SCis. I. 2, 47. (a) I. 2, 49.
Avrelivs Imperator quis? *Pro.* 19. (y)
Aureus quantum valuerit. III. 8, 10. (e)
Auris memoriae locus. IIII. 6, 14. (i)
tacta ab antestantibus. *ib.*
Aurum coronarium. II. 7, 4.
oblatitium. *ib.*
Auspicia cur comitiis adhibita? I. 2, 7.
Auspicialis lapis. II. 1, 2.
Authenticae a quo collectae? *Pro.* 33.
Auxilia in legione. I. *adp.* 56.

Balsamonis (Antiochi) πρόχειρον. *Pro.* 39.

Barba-

Source : BIU Cujas

Barba a reis promiſſa. IIII. 18, 20.
Barbari ſequiori aeuo quinam vocati? I. *adp.* 134. barbaricum. *ib.*
eorum adoptandi ritus. I. 11, 15. (*e*)
Baſilica a quo collecta? *Pro.* 38.
Iulia, in qua habita iudicia centumuiralia. IIII. 6, 9.
in baſilicis inſtituta iudicia. IIII. 6, 7. (*a*)
Basilii Imp. προχειρον. *Pro.* 36.
Basilivs primus molitur collectionem iuris Graecan. *Pro.* 36.
Bello capti fiebant ſerui. I. 3, 1.
non tamen in bello ciuili. *ib.* (*a*)
Beneficium abſtinendi. II. 17, 12.
diuiſionis. III. 21, 9.
ordinis. *ib.* 10.
in ſolutum dationis. III. 30, 7.
Beryti ſchola iuridica. *Pro.* 45.
Birrus a Romanis ſub imperatoribus loco togae vſurpatus. I. *adp.* 139.
Bona caduca. *vid.* Caduca. eorum poſſeſſio quid? III. 10, 1.
quomodo differat a poſſeſſione bonorum. III. 10, 1.
quotuplex? III. 10, 3. an fuerit in arbitrio praetoris. *ib.* 2.
(b) data pro tribunali. *ib.* 3.
(c) contra tabulas. III. 10, 4. *ſeq.* 10, 6.
ab inteſtato. *ib.* 7. quomodo petita et data. III. 10, 10. *ſequ.*
qualis iure nouo? *ib.* 12.
eorum addictio libertatis cauſſa. III. 12, 1.
in Bonis eſſe quid? II. 1, 29.
Bonitarium dominium. *ib.*
Branchv IC. notatus. IIII. 6, 24. (u) et §. 25. (*y*)
Bulla habitus ingenuorum puerorum. I. 4, 1. (aa)

C Littera Condemn. I. *Adp.* 31. IIII. 18, 31.
Caduca bona quid? III. 10, 8.
Caelebs nihil capiebat ex teſtamento. II. 14, 2.
Caelibatus amantiſſimi Romani. I. 25, 2.
poena in libera rep. I. 25, 3.
Caerites et caeritum tabulae. I. *adp.* 6.
Caesaris conatus colligendi ius vniuerſum. *Pro.* 12.
Caii inſtitutiones. *Pro.* 30. (*d*)
eae adhuc ſeculo VIIII. integriores exſtiterunt. *ibid.*
Caius vbi tu es, ibi ego Caia. I. 10, 11.
Calata Comitia, *vide* Comitia.
Calendae celeres et triſtes. III. 15, 18.
Calendarium, *vide* Kalendarium.
Caligvla iureconſultos tollere voluit. I. 2, 40.
Calumniae poena. IIII. 16, 3. *ſequ.*
Calumniatorum fronti littera K ſuffixa. IIII. 16, 3.
Candidianvs a Valeria Auguſta adoptatus. I. 11, 12.
Canis damnum dans. IIII. 9, 2. *ſeq.*
quomodo a Romanis alligatus. IIII. 9, 3.

Canis

Source : BIU Cujas

Canem caue canum alligatorum latibulis subscriptum. *ib.*
Canon frumentarius: *vid.* frumentum.
Capi solebant vestales et flamen Dialis. I. 12, 14.
Capilli rasi a libertis. I. 5, 18. (i)
submissi a reis. IIII. 18, 20.
Caricae ficus. II. 7, 4.
Castratio adulterorum. IIII. 18, 15. (f)
Catholici procuratores Caes. I. *adp.* 106.
Caupona in hac non diuertebant honoratiores. IIII. 5, 5.
Cenotaphium an religiosum. II. 1, 3.
Censores in municipiis. I. *adp.* 123.
Censorum edicta vel leges censoriae quid? I. 2, 18. (k)
Census caussa Romam veniendum. I. *adp.* 43.
eo adquirebatur ius ciuitatis. I. *adp.* 52. quando Romae agi desierit. I. *adp.* 53. capitis et soli. I. *adp.* 114.
Censui censendo agri. II. 1, 18. I. *adp.* 98.
Centenarius libertus. III. 8, 7.
Centum aurei an mille HS? III. 8, 10. (e)
Centumuirale iudicium quale? IIII. 6, 9.
in eo quae caussae tractatae? IIII. 6, 9.
vbi habitum? *ibid.* quot iudicibus constiterit? *ibid.*
eius quatuor consilia. *ibid.*
Centuriae praerogatiua, primo vocata, iure vocata. I. 2, 6.
Cessio in iure. *vide* in iure cessio.
bonorum, qua lege introducta. III. 30, 8.
Chalcologus. I. *adp.* 53.
Chirurgi plerique Rom. medici. I. 25, 19.
χιτωνισκος. IIII. 1, 18.
CICERO an fuerit ICtus? *Pro.* 11. (q)
tentauit collectionem iuris. *ib.*
eius loca explicata. I. 20, 16. (g) I. *adp.* 72. (d) I. *adp.* 88. I. *adp.* 120. (x) I. *adp.* 25.
Ciuis ingenuus. I. *adp.* 4.
Ciuium Rom. libertas. I. *adp.* 25.
quomodo differat a libertate iuris gentium? *ib.* (g)
a verberibus et iniuriis. *ibid.*
a magistratuum tyrannide. I. *adp.* 27.
a saeuitia creditorum, *ib.* 30.
ius suffragii. *ib.* 31.
Ciuis Romanus alterius ciuitatis ciuis esse non poterat. I. *adp.* 72.
Ciuis Romanus sum, qualis formula? I. *adp.* 28.
Ciuitatis ius cum quibus communicatum? I. *adp.* 2. *seq.*
in quo constiterit? *vide* iura ciuitatis.
Ciuitates foederatae. I. *adp.* 133.
Ciuitates liberae heredes poterant institui, non aliae. II. 14, 3.
Classes ciuium Romanorum. I. 16, 1.
CLAVDII et VESPASIANI temporibus simul cur tribuatur

Source : BIU Cujas

SC. Macedonianum. IIII. 7, 7.
CLAVDIVS praetores fideic. creavit. I. 2, 20.
Clepsydra, ad eam dicere iussi sunt oratores. IIII. 17, 8.
Cloacae seruitus. II. 3, 6.
Cloacarum Romanarum stupenda structura. II. 3, 6.
Codex quid? *Pro.* 17. (*u*)
Alaricus. *Pro.* 22. (*a*)
Gregorianus. *Pro.* 18.
Hermogenianus. *Pro.* 19.
vtriusque fragmenta. *ib.* 21.
Iustinianeus prior. *ib.* 28.
posterior. *ib.* 31.
Graece versus in Graecia extitit. *ib.* 35. (*h*)
Theodosianus. *Pro.* 22.
eius naeui. *ib.* 23.
Codicilli, eorum origo et natura. II. 23, 11. *sequ.*
eorum et epistolarum differentia. II. 23, 11. (*e*)
testamento confirmati. II. 23, 14. sollennitates. II. 23, 15. *sequ.*
principum data sacerdotibus et dignitates. I. *adp.* 68.
Coelestis Salinensis Carthaginis, quaenam Dea? II. 14, 4.
Coemtio ritus nuptiarum omnibus fere gentibus sollemnis. I. 10, 10. (*d*)
quomodo facta? I. 10, 11.
eius effectus. I. 10, 12.
Cognati an ad successionem vocati Legibus XII. Tab. III. 5, 1.
eorum successio e iure praetorio. *ib.* 2.
Cognati quinam? III. 5, 3. ad quotum gradum successerunt. III. 5, 5.
Cognitio extraordinaria. IIII. 15, 7.
Cognitores qui? IIII. 10, 3.
Coloni serui. I. 3, 8.
Coloniae quid? I. *adp.* 124.
ciuium Romanorum. *ib.* 127.
Italici iuris. *ib.* 129. Latinae. *ib.* 128.
militares. *ib.* 130. quomodo deductae? *ib.* 125. quotuplices? *ib.* 126.
earum respublica. *ibid.* 131.
insignia. *ib.* 127.
Comes rerum priuatarum. I. 25, 12. sacrarum largitionum. *ib.*
Comites a puellis et praetextatis abducti. IIII. 4, 5. (d)
Comitia quomodo habita? I. 2, 6. *seq.* eorum origo. I. *adp.* 64.
quotuplicia? *ibid.*
quamdiu Romae permanserint? I. *adp.* 65. (z)
calata quae? II. 10, 2.
curiata. I. *adp.* 64.
an testamentorum caussa bis singulis annis conuocata. II. 10, 2. (a)
centuriata, in iis de capite ciuium Rom. actum. IIII. 18, 35.
tributa in iis de mulcta ciuium Rom. actum. *ib.*
Comitium locus iudiciorum. IIII. 6, 7. (*a*)
Commodatum. III. 15, 31.
Communes res quae? II. 1, 13.

Com-

Source : BIU Cujas

Communio an quasi contractus. III. 28, 5.
Comparare et sortiri prouincias. I. *adp.* 105.
Comperendinatio. IIII. 18, 30.
Compromissum quid? IIII. 11, 4.
Compulsores. I. *adp.* 53.
Concubinatus origo. I. *adp.* 38.
cur inuentus? *ib.* 41.
quando abrogatus. *ibid.* 43.
Concubina quae esse potuerit. *ib.* 39.
an et ingenua. *ib.* 40.
eius conditio. *ib.* 42.
Condictio quid? IIII. 6, 31.
rei furtiuae. *ib.* 33.
certi. III. 16, 22.
Confarreationis antiquitas. I. 10, 2. (a)
ritus. *ib.*
an omnibus communis. *ib.* 3.
effectus. I. 10, 3.
cur obsoleuerit? I. 10, 9.
confirmatio illorum. I. 15, 4.
Connubium: *vide* nuptiae.
Conquisitores inquirendae rei furtiuae dati. IIII. 1, 21.
Consensus patris in nuptiis necessarius. I. 10, 15.
curatoris: *vid.* curator.
Constantinopoli schola iuridica. *Pro.* 45.
CONSTANTINVS M. an collectionem iuris Romani tentaverit? *Pro.* 12.
auctor manumissionis in S. S. ecclesiis. I. 5, 7. (d)
legitimationis inuentor. I. 10, 23.
adulterium capitis poena vindicauit. IIII. 18, 52.
CONSTANTINVS Porphyrogeneta βασιλικῶν auctor. *Pro.* 38.
Consulares quinam dicti sub Imperatoribus? I. *adp.* 106.
Ital. I. *adp.* 96.
Consules magistratum a manumissione auspicabantur. I. 5, 5. (b)
etiam dicti duumuiri in municipiis. I. *adp.* 123.
Consules peregrini. I. *adp.* 69.
Contractus quid? III. 14, 3.
eius differentia a pacto. *ib.* 4.
quotuplex? III. 14, 5.
re initus. *ib.*
consensualis. III. 23, 1.
litteralis: *vid.* Litteralis.
verbis initus: *vid.* stipulatio.
qui initi a peregrinis. I. *adp.* 137.
Contubernales praesidum. I. *adp.* 109.
Contumelia quomodo differat ab iniuria? IIII. 4. princ. (a)
Conuentus in prouinciis habiti a Praesidibus. I. *adp.* 111, IIII. 6, 12.
sub Corona emtio: *vide* emtio.
Corporales res. II. 2. 1.
Correctores quinam? I. *adp.* 106.
Cos Cretica. I. *adp.* 118.
inde vectigal. *ib.*
Cretio hereditatis eiusque aditio an sint Synonyma? II. 17, 13. quomodo et quo ritu facta? II. 17, 14.
Crimina iudiciis publicis vindicata. IIII. 18, 4.

Source : BIU Cujas

Crimina iudiciis populi vindicata. IIII. 18, 34.
extraordinaria qualia. IIII. 18, 2.
Crux ſeruile ſupplicium. I. 8, 3. IIII. 18, 10.
pro ea furcam in corpore iuris ſubſtituit Tribonianus. IIII. 18, 61.
ſupplicium latronum. *ibid.*
Culleo inſuti parricidae. IIII. 16, 57. et IIII. 18, 59. *ſeq.*
quae animalia immiſſa. IIII. 18, 60.
Culleus a quo abrogatus. IIII. 18, 62.
Curator furioſorum et prodigorum. I. 23, 2.
Kalendarii. III. 15, 4.
cloacarum. II. 3, 6.
minorum. I. 23. 6. *ſq.*
an inuitis datus. I. 23, 9.
eius conſenſus. I. 21, 4.
quotuplex. I. 23, 1.
Curiae datio. I. 10, 24.
an per eam ſtatim facti decuriones. *ib.*

DLittera nota damn. in iudicio perduell. I. *adp.* 31.
Damnare primo coetu. IIII. 18, 30.
Damnum pro poena quid. IIII. 18, 5.
iniuria datum. IIII. 3, 1.
de eo leges antiquae. *ib.* 2.
Debitor: *vide* obaeratus.
Decem primi in municipiis. I. *adp.* 123.
Decemuiri litibus iudicandis. IIII. 6, 9.
Decretum per Interd. IIII. 15, 2.
Decumae vectigal. I. *adp.* 60, 115.
Decuriae iudicum. IIII. 17, 2.
Decurionum collegium. I. *adp.* 123. inſignia. *ib.*
Dedicatio templorum. II. 1, 2.
moenium. II. 1, 9.
Dedititii populi. I. 3, 1. I. 5, 15. (g) liberti. I. 6, 11.
eorum iura. II. 5, 15.
Defenſio pura. IIII. 13. *pr.* (a)
coniuncta. *ib.*
reorum in iudiciis publicis. IIII. 18, 28.
Defenſor quis. IIII. 10, 7.
Deiecta. IIII. 5, 4.
Delicta priuata. IIII. 1. *ſeq.*
Delubrum quid? II. 1, 2.
Deminutio capitis e cenſu Romanorum deriuanda. I. 16, 1.
quotuplex. I. 16, 2.
Deportatio ab Auguſto inuenta. I. 16, 11.
an in locum aquae et ignis interdictionis ſucceſſerit? *ib.* (i)
quomodo facta? *ib.*
cur non conceſſa Praeſidibus. I. *adp.* 111.
Depoſiti contractus. III. 51, 31.
negatio duplo vindicata *ib.*
a quo ſimplum introductum? *ib.*
miſerabilis natura. *ib.*
in templis. II. 1, 2. (b)
Derectarii qui? IIII. 4, 8.
Derogare legi, quid? I. 2, 8. (f)
Διτεραπότμος. I. 16, 11.

Source : BIU Cujas

Διαδοχὴ. III. 10, 1.
Διακατοχὴ. ib.
Dianae fanum Romanum et Sacra ciuibus et Latinis communia. I. *adp.* 94.
Dictatores etiam in municipiis. I. *adp.* 123.
Dicterium quid? IIII. 4, 5. (*f*)
Dies atri. IIII. 6, 11. (*g*) an iis senatus habitus? I. 2, 47.
Dies cognitionum. IIII. 6, 12.
decretorum. *ib.*
fasti. IIII. 6, 11.
intercisi. *ib.*
lugubres. *ib.* (*g*)
lustrici. II. 7, 7.
nominum. II. 7, 7.
nefasti. IIII. 6, 11. (*g*)
ominosi. *ib.*
postulationum. *ib.*
sessionum. *ib.*
Diem dicere quid? IIII. 18, 38.
diffindere quid? IIII. 17, 6.
Διεξοδικῶς scribere quid? I. 7, 5.
Differreatio diuortii species. I. 10, 8.
Diffindere diem, *vid.* diem.
Digesta quid veteribus ICtis? *Pro.* 29. (*c*)
Digitorum percussio an in hereditatis aditione adhibita? II. 17, 15.
Dii an heredes potuerint scribi? II. 14, 4.
iis ius trium liberorum datum. *ib.*
Δικασταὶ Iuridici. I. *adp.* 106.
Διοικητὴς seruus. I. 23, 11.
Dispensator census. I. *adp.* 53.
Disputatio fori quid? I. 2, 35.
Dissensu mutuo soluti contractus. III. 30, 15.
Diuidere sententiam quid? I. 2, 5.
Diuinatio praemissa iudiciis. IIII. 18, 18.
Diuisores. IIII. 18, 77.
Diuortii iura. I. *adp.* 44.
origo et frequentia. *ibid.* 45.
ritus. *ib.* 47. *seq.*
Dixi, ab oratoribus cur additum orationibus? IIII. 18, 31.
Do, DICO, ADDICO: Praetorum verba sollemnia. I. 2, 22.
Dominium bonitarium. II. 1, 29.
litis eiusque effectus. IIII. 10, 4. *sequ.*
Quiritarium. II. 1, 26.
Domini gaudebant iure vitae et necis in seruos. I. 8, 2.
nauium pro exerc. IIII. 7, 3.
eorum crudelitas. I. 8, 3.
legibus coercita. I. 8, 4. *sequ.*
Domini dicti mariti. I. 10, 6.
DOMITII AFRI libri de test. IIII. 18, 26.
de Domo numerare. III. 15, 2.
Domus, cur inde in ius rapi nemo potuerit? IIII. 6, 16.
ibi Dii colebantur Penates. *ib.*
ibi latitans quomodo a praetore tractatus. *ib.*
eam vi introiens lege Cornelia tenebatur. IIII. 4, 8.
Domum deductio cur necessaria in nuptiis? I. 10, 4.
ante eam sponsa aliquamdiu in hortis commorata, et hinc per dirutam maceriam

Source : BIU Cujas

ingreſſa eſt aedes. I. 10, 11.
Donatio certis legibus facta. II. 7, 10.
an modus. *adp. pr.*
non aequip. legatis ab int. II. 22, 20.
inſinuari quando coeperit. II. 7, 17.
mortis cauſſa. *ib.* 19.
propter nuptias. 16, 18.
parentum. *ib.* 16.
partis bonorum. *ib.*
quotuplex. II. 7, 1.
inter virum et vxorem. *ib.* 18.
per ſcripturam facta. *ib.*
in ea adhibita mancipatio. *vid.* mancipatio.
Dona amicorum. II. 7, 3.
ciuium. *ib.*
clientum. *ib.* (*b*)
cognatorum. *ib.*
hoſpitibus data. *ib.* 9.
Ianuariis calendis miſſa. *ib.* 14.
Imperatoribus miſſa. II. 7, 3. (*b*)
a libertis data. II. 7, 3. (*b*) III. 9, 1.
promiſſa. III. 16, 19.
luſtrica. II. 7, 7.
Matronalibus miſſa. II. 7, 5.
Dona a muneribus quomodo differant? II. 7, 2.
natalitia. II. 7, 6.
nominatim et ſingulatim recenſenda. II. 7, 15.
nuptialia. *ib.* 8.
rara antiquis temporibus. II. 7, 3.
Saturnalib. miſſa. II. 7, 5.
a ſeruis dominis data. II. 7, 3.
de iis lex Cincia. II. 7, 10. *ſeq.*
Dormitator, i. e. fur nocturnus. IIII. 1, 2. (*b*)
Dos aduentitia. II. 8, 8.
quomodo data? II. 8, 4.
quomodo dicta. *ib.* 6.
cur inuenta. *ib.* 3.
ea neceſſaria viſa Rom. II. 8, 3.
obſignata apud Auſpices. II. 8, 4.
eius pars ademta adulteris. IIII. 18, 51. (k)
dominium cur marito conceſſum. I. 10, 7.
Dos penſionibus tribus ſoluta. II. 8. 5.
quaſi pretium emtionis in nuptis. II. 8, 3. (a)
profectitia. II. 8, 8.
quomodo promiſ. II. 8, 5.
a quibus dari, dici, promitti potuerit? II. 8, 7.
quanta plerumque fuerit apud honoratiores? II. 8, 3. (b)
Dotalia inſtrumenta an ad legitimationem neceſſaria? I. 10, 25.
Dotalis fundi alienatio cur prohibita. II. 8, 9.
Drachma octaua pars vnciae. II. 14, 6.
Ducenarius iudex. IIII. 7, 2.
Ducenarius. I. *adp.* 53.
Duella tertia pars vnciae. II. 14, 6.
Dupondius. *ib.*
Dupondii quinam? *Pro.* 45.
Duumuiri in municipiis. I. *adp.* 123.
etiam conſules dicti. *ib.*
perduellionis. IIII. 8, 11.

Source : BIU Cujas

EDictales quinam? *Pr.* 45.
Edicta censorum. I. 2. 18. (k)
Edicta patriciorum dicta Ρωμαϊκα. I. 12. 15.
Edictum Aedilitium. I. 2, 27. IIII. 9, 3. perpetuum, eius origo. *Pro.* 14.
naeui. *ib.* fragm. *ib.* 6.
Edictum Praetoris. I. 2, 23.
cur inuentum. I. 2, 24.
ab eo inchoata iurisprudentia. I. 2, 23.
perpetuum post L. Corneliam. I. 2. 23.
quotuplex? *ib.*
scriptum iuuantibus Trib. pl. I. 2, 23. (n)
tralatitium et nouum. I. 2, 23.
Edictum proconsulum quale. II. *adp.* 103.
prouinciale perpetuum. *Pro.* 15. I. *adp.* 103.
successorium. III. 10, 9.
Edicta magistratuum qualia? IIII. 6, 5.
eo ter citati absentes. IIII. 17, 7.
Editio actionis. IIII. 6, 19.
iudicum. IIII. 18, 23.
Effestucatio. IIII. 6, 24. (u)
Effusa. IIII. 5, 4.
Ἐικωσώτης praefectus vicesimarius. I. *adp.* 62.
Ἐκκυρώσειν. II. 10, 23.
Emancipatio Anastasiana. I. 12, 12.
ob dignitatem. I. 12, 14.
Iustinianea. I. 12, 13.
quid et quotuplex. I. 12. 5.
Emancipatio quibus ritibus antiquitus facta? I. 2, 7.
an capitis minutio. I. 16, 12.
Emancipati hereditate excluſi. III. 1, 6.
vocati ad successionem edicto vnde liberi. *ib.* 7.
iis quo iure successerint patres. III. 2, 5.
Emphyteuseos origo. III. 23, 13.
Emtio sub corona. II. 1, 24.
venditio quomodo contracta. III. 23, 2.
Ἐνοίκιον. III. 25, 8.
Epicurei philosophi ἄφραικτοι. I. 1, 4.
Episcopi dignitate liberati a patria potestate. I. 12. 16.
Ἐπιτροπῆς χαρὴ, crimen suspecti. I. 26, 1.
Equuleus qualis? IIII. 18, 25.
Erciscere familiam quid? III. 28, 7.
Erctum citum in XII. Tab. quid? *ib.*
Ergastula domestica. I. 3, 8. (*f*)
Ἐργολαβίαι. III. 25, 10.
Ἑταιρίαι prohibitae. II. 1, 15.
Euictionem quis praestare debuerit? III. 23, 7.
Exceptio quotuplex. IIII. 13, 1.
postulanda. IIII. 13. *pr.*
eius formula. *ib.* 3.
Excusare ICtis quid? I. 25. *pr.*
Excusatio tutorum et curatorum. I. 25, 1. *sequ.*
reorum in iudiciis populi. IIII. 18, 39.
Executio sentent. IIII. 17, 13.
Exercitor nauis? IIII. 7, 3.

Exhe-

Source : BIU Cujas

Exheredationis ius olim liberrimum. II. 10, 20.
poſtea legibus reſtrictum. II. 10, 21. *ſequ.*
quomodo differat ab abdicatione. *vid.* Abdicatio.
Expenſi latio. III. 22, 2.
Expoſitio partus. I. 9, 5. (b)
Exſilium quid? I. 16, 9.
mors ciuilis. I. 16, 11.
Exſules togam ponebant. *vid. toga.*
quomodo teſtari potuerint. I. *adp.* 138. (*e*)
Extraordinaria crimina an priuata. IIII. 18. 2.

FAbri exſecutores. IIII. 17, 13. (d)
Falcidia Lex: *vide Lex.* Quarta. II. 20, 20.
Falſi crimen quale? IIII. 18, 63.
de eo lex Cornelia teſtamentaria et numaria. *ib. et ſeq.*
quibus poenis vindicatum? *ib.*
Familiam erciſcere quid? III. 28, 7.
Familiae et gentes Romanorum quomodo diſtinctae? III. 2, 2.
Fanum quid, et vnde dictum? II. 1, 2. (c)
Farris vſus in ſacrificiis a quo inuentus? I. 10, 2. (a)
vſus in nuptiis. *ib.*
libra addictis data in diem. III. 30, 4.
Fartores qui? IIII. 18, 77.
Faſti dies. IIII. 6, 11.
Faſtorum cura penes pontifices. *Pro.* 6. IIII. 6, 11.
reliquiae. *Pro.* 9.
Feminarum hereditas coercita lege Voconia. III. 1, 4. II. 20. 16. *ſequ.*
eae non admittebantur poſtea vltra conſanguineas ſucceſſ. III. 2, 4.
ſeruili amore bacchantes. I. 16, 8
in prouincias non comitabantur viros. I. *adp.* 109. (*t*)
quando id permiſſum. I. *adp.* 16.
tutela. *vid.* tutela.
fideiubere non poterant. III. 21, 11.
nullius muneris publici participes. *ib.* 13.
an vnquam in foro cauſſas egerint. III. 21, 11.
Feriae an eaedem cum diebus nefaſtis. IIII. 6, 11. (*g*)
Latinae. I. *adp.* 94. quotuplices? IIII. 6, 11.
meſſis et vindemiarum. IIII. 6, 11. (*h*)
Feronia Dea Terracinorum. I. *adp.* 94.
Feſtucaria vis quae? IIII. 6, 24. (*u*)
FESTVS explicatus. I. *adp.* 122.
Fictio in hereditate iacente. II. 1, 16. in poena incenſorum. I. 16, 3. in poſtliminio. I. 16, 4. in ſeruitute poenae. I. 16, 5. in vſucapionibus. I. 2, 24.
Fideicommiſſa ante Auguſtum non praeſtabantur neceſſario. II. 23, 3.
Auguſti de iis lex. *ib.* 4.

Fidei-

Source : BIU Cujas

Fideicommissa quibus formulis relicta? II. 23, 2.
singularia quomodo differant a legatis? II. 23, 9.
ea differentia sublata a Iustiniano. *ib.* 10.
olim et peregrini capere poterant. I. *adp.* 138.
Fideipromissor quis? III. 21, 4.
Fideiussio quam obligationem produxerit? *ib.* 8.
quibus obligationibus accesserit? *ib.* 7.
dotis causa. *ib.*
Fideiussorum varia nomina. III. 21, 1. formulae. *ib.*
iudicialium ratio. *ib.* 6.
Fiducia qualis contractus. I. 12, 9.
cur ea opus fuerit in emancipatione. *ib.*
Fiduciarius pater. I. 12, 8. (*f*)
Fiduciaria tutela, quae olim dicta? I. 19, 8.
Filiae apud pleraſque gentes hereditate excluſae. II. 8, 2.
an hoc ius barbarum? III. 1, 9. (*e*)
apud Athenienſes filiis poſtpon. III. 1, 2.
apud Romanos ante legem Voconiam admittebantur ad hereditatem. II. 8, 3.
Filiifamilias res mancipi. II. 1, 18.
Fiſcus quomodo differat ab aerario? I. 25, 10.
eius adminiſtratio. *ib.*
Flamines Diales cur liberi a patria poteſtate? I. 12, 14. capi ſolebant. *ib.*
in municipiis. I. *adp.* 123.
Flauianum ius: *vid.* ius Flau.
C. Flavius iuris Flauiani auctor quis? *Pro.* 7.
Focaria heres. II. 7, 14.
Foederatae ciuitates quae? I. *adp.* 133.
Foenebre malum. III. 15, 7.
contra illud variae leges. *ibid.* 8.
Foeneratorum fraudes. III. 15, 12.
in quadruplum damnati. IIII. 6, 35.
ii ad medium Ianum ſedebant. III. 15, 4.
Foenus quid? III. 15, 3.
eius differentia a mutuo. *ibid.* 4.
non honeſtum. *ib.*
in ſingulas Kalendas exactum. *ib.*
qualis contractus? *ib.* 6.
nauticum. III. 15, 16.
quomodo computatum? *vid.* vſura.
Formulae actionum: *vid.* actio.
qui iis ceciderant, a Praetore reſtituebantur. IIII. 6, 19. (n)
Forum a praeſidibus in prouinciis indictum. IIII. 6, 12.
in forum adoleſcentes ducti a conſulari. IIII. 10, 1.
Fouencularium vectigal. I. *adp.* 63.
Fraternitas ſociorum. III. 23, 17.
Frumentarius canon. I. *adp.* 115.
Frumenti decimae. *ib.*
Fundi populi quinam? I. *adp.* 88.

Source : BIU Cujas

Fundus quid? I. *adp.* 88.
Funera pompae cauſſa comitabantur liberti. I. 7, 2.
Fur olim idem ac ſeruus. IIII. 1, 1.
an totius acerui, qui vel minimam partem ex eo ſurripuit. IIII. 1. 12.
diurnus quando occidi potuerit. *ib.* 9.
nocturnus occidi potuit. IIII. 1, 2. leges de ea re recentiores. *ib.* 3. *ſeq.*
ruri nocte furantes occidi poterant. *ib.* 9.
Furca: ſub ea caeſi ſerui. IIII. 18, 10.
pro cruce poſita a Triboniano. IIII. 18, 61.
Furtum conceptum. IIII. 1, 13.
concipiendi ritus. *ib.* 15. *ſequ.*
e iure Attico explicatus. *ib.* 17. *ſequ.*
ſublatus lege Aebutia. *ib.* 20.
ritus concipiendi furtum poſt legem Aebutiam. *ib.* 21.
conceptum quomodo punitum? *ib.* 12.
manifeſtum quid? IIII. 1, 5.
quomodo punitum ex Lege XII. Tab. *ib.* 6. *ſequ.*
quomodo a Praetore vindicatum? *ib.* 10.
nec manifeſtum. *ib.* 11.
nocturnum. IIII. 1, 2.
non exhibitum. *ib.* 24.
oblatum. *ib.* 23.
quomodo punitum. *ib.*
prohibitum. *ib.* 24.
Furtum vnde dictum? IIII. 1, 1.
rerum immobilium. IIII. 1, 1.
Fuſtigatio ad necem vſque. IIII. 4, 2.
Fuſtuarium ſupplicium. IIII. 18, 7.

GAllia *togata* cur dicta. I. *adp.* 10.
quando ius ciuitatis impetrarit. *ib. ſequ.*
GELLIVS explicatus. I. 2, 52. II. 10, 6. (d)
Genialis locus quid? I. 11, 15. (e)
Genitiuus pro ablatiuo poſitus. I. 14, 2.
Gentes Romanae patriciae et plebeiae. III. 2, 2.
Gentem ſoli patricii habere ſe gloriabantur. *ib.*
Gentiles quinam? III. 2, 2.
eorum ſucceſſio. III. 2, 7.
ad gentiles et agnatos, proverbium: *vid.* agnatus.
Gentilitatis ius. I. *adp.* 32.
in ſucceſſionibus quando exſpirarit? III. 2, 7.
Gladium poſitum ante ſe habebant Quaeſitores rerum capitalium. IIII. 18, 14.
Gladio feriri minus ignominioſum, quam ſecuri. IIII. 18, 10. (f)
Glebae adſcripti. I. 3, 8.
ex fundo petitae ab iis, qui vindicias ſibi dari poſtulabant. IIII. 6, 24.
Glicia gens. II. 18, 5.
lex a Cuiacio ficta. *ib.*

Gra-

Source : BIU Cujas

Gradus prohibiti in nuptiis. I. 10, 17.
an etiam numerati in materia de nuptiis? I. 10, 17. (g)
cognationis. III. 6, 4.
eorum ſchema antiquum. *ib.*
Grammatices fata. I. 25, 16.
profeſſionis origo. *ib.*
Grammaticorum ſtipendium. *ib.*
ſic per fragmenta non integra citant. I. *adp.* 44.
Gregorianus Codex: *vid.* Codex.
GREGORIVS an Gregorianus vocatus ſit codicis Gregor. auctor. *Pro.* 18.
Chriſtianusne an gentilis fuerit. *ib.* 20.
GRONOVII (*Io. Frid.*) et Mart. Schookii de vſuris centeſimis ſcripta eriſtica. III. 15, 18. (*l*)
in Gyaros releg. I. 16, 1.
in Gypſum relegatio. I. 16, 11.

HAbitatio quid. II. 4, 5.
HADRIANI nomen an et Antoninus Pius geſſerit. III. 3, 3.
ſub eo conditum edictum perpetuum. *Pro.* 14.
eius ſucceſſores omnibus promiſcue iureconſultis facultatem de iure reſpondendi dedere. I. 2, 40.
ſub eo alia coepit eſſe iurisprud. Rom. facies. I. 2, 57.
HARMENOPVLI (*Conſt.*) πρόχειρον. *Pro.* 39.
Haſta Praetoris. II. 1, 25. IIII. 6, 7.
Haſtae iudicium. IIII. 6, 9.
ad eam locata vectigalis. III. 23, 11.
Hemiſeſcla, duodecima pars vnciae. II. 14, 6.
Herciſcere familiam: *vid.* erciſcere.
an haec phraſis a Triboniano inuenta? III. 28, 7. *ſeq.*
Heredes extranei. II. 19, 13.
quinam inſtitui potuerint? II. 14, 1. *ſequ.* pro herede geſtio. II. 17, 16.
ſecundi, tertii, quinam? II. 15, 2.
neceſſarii. II. 17, 11.
ſui et neceſſarii. II. 17, 12.
ſui. III. 1, 2. *ſeq.* quomodo hi ſucceſſerint? *ib.* 4. *ſequ.*
Heredipetae. I. 15, 6.
Hereditas, res mancipi. II. 1, 18.
Hereditatis aditio quo ritu facta? II. 17, 15.
Hereditatem alicuius munere accipere quid? II. 23, 3.
Hereditatis poſſeſſio pro bon. poſſeſſ. III. 10, 1.
in eam immixtio. *ib.* 17.
eius agnitio. *ib.*
ab inteſtato ordo. III. 1, 1. *ſequ.*
HERMODORVS Epheſius. *prooem.* IIII.
HERMOGENES an Codicis Hermogeniani auctor? *Pro.* 19.
gentilisne an Chriſtianus? *ib.* 20.
Hermogenianus Cod. *vid.* Codex.
Homicidium olim parricidium dictum. IIII. 18, 57.

Source : BIU Cujas

Homicidium quomodo vindicatum lege Cornelia de sicariis? IIII. 18, 58. vt et sub Imperatoribus. IIII. 18, 58.
HORATIVS explicatus. I. 2, 11. (g) I. *adp.* 6. (b) I. *adp.* 132. II. 1, 19.
Horrea Galbiana, Seiana, Pupiana, Romae. I. *adp.* 115.
Hospitii ius. IIII. 5, 5.
Hostes pro peregrinis. I. *adp.* 2. lugeri non debuerunt. IIII. 18, 50.

IGnominia qualis poena? IIII. 18, 9.
Imperium magistratuum in quo constiterit. IIII. 6, 5.
Incorporales res, quae? II. 2, 2. non exsistere quodammodo dicuntur. II. 2, 4.
Inedia necare poena illicita. IIII. 18, 12.
Infantum lustratio. II. 7, 7.
Ingenui ciues, *vid.* ciues.
quinam. I. 4, 1.
Iniuria atrocior verbalis. IIII. 4, 2.
atrocior realis. *ib.* 3.
leuior. *ib.* 1.
a contumelia quomodo differat? IIII. 4. *princ.* (a) de ea edictum Praetoris. IIII. 4, 5.
plures simul illatae quomodo aestimari solitae? IIII. 4, 7.
fluuii quae? IIII. 4, 5. (i)
eius aestimatio. IIII. 4, 7.
de ea Lex Cornelia: *ib.* 8.
eius actio ciuilis et criminalis quomodo differant. IIII. 4, 10.
INNOCENTIVS iureconsultus. I. 2, 40.
Inofficiosi testamenti querela; *vid.* Querela.
Instare quid? IIII. 7, 2.
Institor quis? *ibid.*
Institutionum compositio et naevi. *Pro.* 30.
Insulae in vrbe quid? II. 34.
Insulae genius. *ib.*
Insularius. *ib.*
Intentio actionis quomodo facta? IIII. 6, 22.
Interciſi dies. IIII. 6, 11.
Interdiarius fur. IIII. 1, 5.
Interdicendi bonis formula praemissa curationi prodigorum. I. 23, 4.
aquae et ignis ratio; *vid.* Aqua.
Interdictum ab actione vt differat? IIII. 15, 4.
dare quid? *ib.* 2.
dicere quid? *ib.*
duplicia plura quam duo. IIII. 15, 7.
quotuplicia. *ib.*
eius formula. *ib.* 2.
de rebus religiosis, sacris, publicis. *ib.* 3.
quid sit? IIII. 15, 1.
cur vocatum ius ordinarium. *ib.* 6.
Interpretatio iuris penes ICtos. I. 2, 32.
Interpretes. IIII. 18, 77.
Interrogationes et resp. fere in omnibus rebus seriis adhibitae. III. 20, 3.
Inuenientes aliquid dimidium pos-

Source : BIU Cujas

poſcebant. II. 1, 21.
Italia quae dicta? I. *adp.* 96.
nonnunquam Procoſ. extra ordinem decreta. I. *adp.* 97. (p)
Italicum ius. I. *adp.* 97.
ſolum quod? *ib.*
fundus vſucapi poterat non prou. II. 6, 2.
Itineris ſeruitus. II. 3, 10.
Iudex quaeſtionis quis? IIII. 18, 15.
plerumque aedilitius. *ib.* (i)
perſona publica. *ib.*
Iudices addicti etiam inuiti. IIII. 17, 3.
additi, addicti, adacti. IIII. 6, 41.
eorum in audiendo negligentia. *ib.* 9.
iis adiuncti iurisperiti. IIII. 5, 2. IIII. 17, 4.
eorum decuriae. IIII. 17, 2. et IIII. 18, 16.
quomodo ſelecti? IIII. 17, 2. IIII. 5, 2.
in leges vt iurarint? IIII. 5, 2. IIII. 17, 5.
litem quomodo ſuam fecerint? IIII. 5, 1.
male iudicantes quomodo puniti? IIII. 5, 3.
Iudices in cauſſis capitalibus. IIII. 18, 16.
ex quibus lecti? *ib.* per ſortitionem. *ib.* 23.
eorum aetas. *ib.* 16. (k)
quomodo editi. IIII. 18, 23.
quomodo in leges iurarint. *ib.*
eorum nomina libello conſignata. *ib.* 23.
quomodo miſſi in conſilium. *ib.* 31.
in cauſſis ciuilibus ab arbitris vt differant? IIII. 6, 36. *et ib.* 39.
quando cognouerint? IIII. 6, 7.
eorum poſtulatio. *vide* poſtulatio.
dati cum formula. IIII. 6, 41. IIII. 17, 1.
reiici poterant. IIII. 6, 40. (d) IIII. 17, 2.
Iudicium centumuirale: *vid.* centumuirale.
Iudicium familiae erciſcundae. III. 28, 8.
Iudicia populi qualia? IIII, 18, 3. et IIII. 18, 34.
olim habita in comitiis curiatis. *ib.* 35.
poſtea in centuriatis ſi de capite cuius agebatur. *ib.*
in tributis, ſi de mulcta. *ib.* 36.
de quibus criminibus habita? IIII. 18, 34.
a quibus magiſtratibus dies dicta reis? IIII. 18, 36.
quibusnam dies dicta. *ib.* 37.
in iis accuſatio ter repetita. *vid.* accuſatio.
quomodo in iis rogatio promulgata. *ib.* 41.
quomodo ſententia lata ſuffragiis populi vel plebis. 44.
iis intercedebant ſaepe tribuni, et augures. *ib.* 43.
Iudicia priuata quomodo a publicis differant? IIII. 6, 1.

Source : BIU Cujas

Iudiciis priuatis initio praeerant reges. IIII. 6, 2. post coss. *ibid.* 3. denique Praetores. *ibid.*
quo ordine habita? IIII. 6, 1. vbi instituta. IIII. 6, 7. (a)
Iudicia publica quomodo differant a priuatis? IIII. 6, 1. a iudiciis populi. IIII. 18, 3. a popularibus actionibus. IIII. 18, 1. ab extraordinariis cognitionibus. IIII. 18, 2.
olim iis praeerant Reges. IIII. 18, 11.
post duumuiri perduellionis. *ibid.*
nonnunquam et Coss. extra ordinem demandabantur. IIII. 18, 11.
denique constituti Quaesitores parricidii. IIII. 18, 11. repetundarum, et aliorum criminum. *ib.* 13.
eorum ordo. IIII. 18, 1. *sequ.*
Iudicium de moribus vxoris. I. *adp.* 45.
sub iugum missi populi. I. 3, 1.
IVLIANVS Edicti perpetui auctor. *Pro.* 14.
Nouellarum interpres. *Pro.* 32. (g)
IVL. Capitolinus explic. I. 25. 9. (e)
Iunonis Sospitae sacra. I. *adp.* 94.
Iupiter Tarpeius heres potuit instituí. II. 14. 4.
Anxur et Lanuuinus. I. *adp.* 94.
in Iure cessio quo ritu facta? II. 1, 23.
quae facta, et quae in iudicio? IIII. 6. *princ.*
Iureconsulti, eorum auctoritas ante Augustum. I. 2, 37. post Augustum. I, 2, 38. *sequ.* sub Imperatoribus sequentibus. I. 2, 40. post Theodosium. I. 2, 41. post Iustinianum. I. 2, 42.
eorum philosophia. I. 1, 1. in primis Stoica. *ib.* 2.
eorum aemulatio cum philosophis. I. 1, 4.
eorum decisiones an ius fecerint? I. 2, 28.
quomodo ius ciuile condiderint? I. 2, 30.
quomodo et quo ritu de iure responderint? I. 2, 33.
formulas componebant. IIII. 6, 32.
Iure consultorum solium domesticum. I. 2, 33.
eorum disputationes. I. 2, 35.
eorum origo. I. 2, 29.
Iuridici Ital. I. *adp.* 96.
Iuridici quinam? I. *adp.* 106. I. 13, 15.
Iurisdictio quomodo differat ab imperio. IIII. 6, 5.
in quo constiterit? *ib.* 6.
mandata. IIII. 6, 10.
Iurisprudentia, olim in latenti habita. *Pro.* 42.
eam docendi methodus antiqua. *ib.* 43. I. 25, 20.
eius scholae. *Pro.* 44.
Ius applicationis. I. *adp.* 137. (d)

Source : BIU Cujas

Ius Aelianum quale. *Pro.* 8. an idem cum S. Aelii Tripartitis. *ib.* eius fragmenta. *ib.*
Ciuitatis Rom. quomodo differat a iure Quiritium? I. *adp.* 23. sensim auctum. *ib.* 22. censu adquiri poterat. *ib.* 52.
amitti non poterat ab inuitis. *ib.* 73. quot modis amissum, *ib.* (*e*)
eius collectio tentata a Cicerone. *Pro.* 11. Caesare. *ib.* 12. Pompeio. *ib.* an et a Constantino M.? *ib.* a Iustiniano. *Pro.* 25.
Flauianum. *Pro.* 7.
honorarium. I. 2, 18.
Graeco-Romanum: eius varia compendia: *Pro.* 39.
hospitii. IIII. 5, 5.
Italicum: *vid.* Italicum.
Iustinianeum: eius historia. *Pro.* 25. versiones Graecae: *ib. sequ.* vsus in occidente, *ib.* 34. in oriente, *ib.* 35. an in Turcia? *vide* Turcae.
Latii: *vid.* Latium.
liberorum trium, quatuor, quinque. I. 20, 22. I. 25, 8. de eo tractatus M. Vertranii Mauri. I. 25, 8.
Papirianum. *Pro.* 1.
Patronatus patriciis competens in plebem. I. 2, 29. originem dedit iureconsultis. *ibid.*
Patronatus in libertos. III. 9, 1.
Togae, I. *adp.* 138. *sequ.*
Ius Postliminii: *vid.* postliminium.
Quiritium, I. *adp.* 23.
vitae et necis in liberos. I. 9, 5. quando patribus ademtum? I. 9, 8.
in seruos. I. 8, 2. quando et cur dominis ademtum? *ib.* 4.
in vxores. I. 10, 6.
Iusiurandum calumniae in caussis ciuilibus. IIII. 16, 1. IIII. 17, 8. in caussis capitalibus. IIII. 16, 2.
iudicum. IIII. 17, 5.
perhorrescentiae. IIII. 6. 40. (*d*)
ciuium in leges. I. 2, 12.
in Ius vocatio quo ritu facta? IIII. 6, 14.
e domo non licita. *ib.* 16.
quando ad eam venia opus fuerit? *ib.* 15.
in caussis etiam crimin. locum habuit. IIII. 18, 17.
quamdiu in vsu fuerit. IIII. 6, 17.
Iustinianei noui. *Pro.* 45.
IVSTINIANI Imperatoris mores et ingenium. *Pro.* 26.
collectio iuris ciuilis. *Pro.* 25. *sequ.*

K Littera fronti calumniatorum suffixa. IIII. 16, 3.
Kalendae, in eas exigebantur vsurae. III. 15. 4.
Kalendarii actio. III. 15, 5.
curatores qui? *ib.* 4. (f)
forma. *ib.*
serui. *ib.*
quid fuerit? III. 15, 4. (f)

Ka-

Source : BIU Cujas

Kalendarium exercere. *ib.*
Κοινόβιον. Κοινοπράξια. } III. 26, 15.

Litera nota abſ. in crim. perduell. I. *adp.* 31.
Labeo (Antiſtius) ICtus libertatis ſtudioſiſſimus. I. 2, 39. (x) p. 53.
Lampadaria in ſepulcris. II. 1, 4.
Lanx et licium in concipiendo furto adhibita quid? IIII. 1, 14. *ſq.*
Lapis auſpicalis. II. 1, 2.
Lares domi culti. I. 10, 4.
Latini Iuniani, eorum origo. I. 5, 12.
eorumdem iura. I. 5, 14.
Latini nominis ſocii. I. *adp.* 74.
cum iis foedera Rom. *ib.* 76. *ſequ.*
quando ciues facti. *ib.* 82.
eorum iura. *ib.* 84. *ſequ.*
an potuerint verberari? *ib.* 8.
an gauiſi iure connubii? *ib.* 86. an iure patr. poteſt. *ib.* 87. matri plus iuris quam Rom. I. *adp.* 87. quatenus e teſtamento capere potuerint? *ib.* 88. an habuerint ius cenſus? *ib.* 89. an tutores dari potuerint. I. 13, 3. an habuerint ius militiae? I. *adp.* 90. an Romanis tributarii? *ib.* 91. an ius ſuffragii acceperint? *ib.* 92. ſuis vſi ſunt legibus. *ib.* 88. ſuis parebant magiſtratibus. *ib.* 93.
magiſtratu in patria geſto fiebant ciues Rom. *ib.*
Latini erant inter peregrinos. I. *adp.* 134.
Latinum vetus et nouum. I. *adp.* 76.
Latomiae quid? IIII. 18, 6.
Latrones in crucem acti. IIII. 18, 61.
Latus et aug. et anguſtus clauus. I. *adp.* 139.
Laudationes reorum in iudiciis publicis. IIII. 18, 29.
Laureatae literae et haſtae. I. *adp.* 100.
Lautomiae quid? IIII. 18, 6.
Lectus aduerſus. I. 11, 15. (e)
genialis. *ib.*
Legare quid ſignificet? I. 14, 2.
optimo iure quid? II. 20, 4. (c)
Legatum quid? II. 20, 1.
datum eſt verbis legislatoriis. II. 20, 1. (a)
quomodo differat a fideicommiſſo? II. 20, 9.
quotuplex? II. 20, 2.
per damnationem. *ib.* 4.
per vindicationem. *ib.* 3.
ſinendi modo relictum. *ib.* 5.
per praeceptionem. *ib.* 6.
differentia quoad effectum. II. 20, 7.
partis hereditatis. *ib.* 9.
poenae nomine relicta quid ex mente Bynkershoekii? II. 22, 13. *ſequ.*
quid ex ſententia Gundlingii. *ib.* 14.
a quo et quibus legari potuerit? *ib.* 10.
Legatus vnde dictus. I. 14, 2. II. 20, 1. Le-

Source : BIU Cujas

Legatus Aug. cen. I. *adp.* 53.
praefidis. *ib.* 109.
Lege agere quid? *prooem.* 6.
Leges etiam fub imperatoribus aliquamdiu veteri ritu latae. I. 2, 44.
Regiae; *vid.* Lex.
XII. Tabularum: *vid.* Tabulae XII.
in municipiis latae. I. *adp.* 123.
Legitima portio hereditatis: *vid.* Quarta.
an ante Conft. I. 10, 22. (*b*)
Legitimatio quando inuenta? I. 10, 22.
quid ea Conft. M. intend. I. 10, 23.
eius varia genera. *ib. fq.*
LEONIS Imp. βασιλικὰ νόμιμα. *Pro.* 37.
eius nouellae in Graecia etiamnum in vfu. *ib.* 40.
Lex quid? I. 2. 1.
quomodo fcripta? I. 2, 2.
quomodo cum fenatu communicata? I. 2, 3.
eius promulgatio per trinundinum. I. 2, 4.
eius recitatio per praeconem. I. 2, 5.
quomodo perlata in comitiis? I. 2, 16. *fq.*
iureiurando confirmata. I. 2, 12.
vnde nomen acceperit? I. 2, 13.
quo ftilo fcripta? I. 2, 14.
quando *antiquatur*, *abrogatur*, *obrogatur* eidem, *derogatur*, *fubrogatur*? I. 2, 8. (f)
Lex, (Leges)
Acilia de repetundis. IIII. 18, 75.
Acilia Calpurnia de ambitu. IIII. 18, 78.
Aebutia qualis? IIII. 1, 20. quando et a quo lata. *ib.*
Aelia Sentia, eius hiftoria. I. 6, 1. ratio. I. 5, 11. I. 6, 2. varia eius capita. I. 6, 3. ex ea non eft manumiffio propria matrimonium. I. 6, 6.
Appuleia de maieftate. IIII. 18, 47.
Aquilia de damno, eius hiftoria. IIII. 3, 4. *fequ.* eius varia capita. *ib.* 5. caput fecundum qua de re egerit. IIII. 3, 9.
Ateria Tarpeia de mulcta. IIII. 18, 5.
Atilia de dandis tutoribus, quando lata? I. 20, 9. quid ea cautum? I. 20, 10.
Atinia de vfucapionibus. II. 6, 4.
Aufidia de ambitu. IIII. 18, 78.
Baebia Aemilia de ambitu. *ib.*
Calpurnia de repetundis. IIII. 18, 72. an eadem cum Lege Caecilia? *ib.*
Caffia tabellaria. I. *adp.* 31.
Cincia de muneribus. II. 7, 10. *feq.* eius variae relationes. *ib.* 11. caput primum. *ib.* 10. fecundum. *ib.* 12. tertium. *ib.* 13. An lex imperfecta? *ib.* 12. (f) quantum ex hac lege donari

Source : BIU Cujas

potuerit? *ib.* 12. (e)
Lex *Coelia* tabellaria. I. *adp.* 31.
Cornelia de edictis Praetorum perpetuis. I. 2, 23. de residuis. IIII. 18, 71. de prouocatione. I. *adp.* 27.
Cornelia (Sullae) de falsis testamentaria et numaria. IIII. 18, 63. et 64. *seq.* de iniuriis. IIII. 4, 8. eius poena qualis? *ib.* 9. (l) de maiestate eius historia et materia. IIII. 18, 48. de parricidio. IIII. 18, 59 de repetundis. *ib.* 75. de sicariis, eius historia et capita. IIII. 18, 58.
Cornelia Fuluia de ambitu. IIII. 18 78.
Curiata, quid, et doctorum de ea controuersia, I. *adp.* 64. (y)
Decimaria: *vid.* Lex Papia Poppaea.
Didia Licinia sine suffragiis lata. I. 2, 4. (c)
Duillia de foenore vnciario. III. 15, 9.
Fabia de ambitu. IIII. 18, 78. de plagio, IIII. 18, 76.
Falcidia vnde dicta? II. 20, 18. eius legitima verba et materia. *ib.* 19. variae relationes. *ib.* 20.
Furia testamentaria. II. 20, 15.
Fusia Caninia: eius historia et materia. I. 7, 1. *seq.* an ad manumissionem ab intestato pertinuerit? I. 7, 4.
Lex *Gabinia* de foenore qualis fuerit? III. 15, 14. de maiestate, IIII. 18, 47. tabellaria. I. *adp.* 31.
Genucia de vsura non facienda. III. 15, 11.
Glicia de querela inofficiosi, a Cuiacio restituta. II. 17, 5.
Iulia de adulterio: eius historia. IIII. 18, 51. relata a Domitiano. *ib.* 52. eius capita. *ib.*
Iulia de adulteriis qualis poena h. l. statuta in adulteras. *ib.* caput de fundo dotali. II. 8, 9. de ambitu. IIII. 18, 79. de cessione bonorum. III. 30, 8. quando ad prouinciales producta; *ib.* (g) de ciuitate Latinis et Italis danda. I. *adp.* 8. an ab Iulio Caesare lata? *ib.* 9. (c) de maiestate Caesaris et Augusti. IIII. 18, 49. *sequ.* poena ex h. l. *ib.* de maritandis ordinibus. I. 25, 6. de peculatu. IIII. 18, 71. de repetundis. IIII. 18, 75. de vi publica et priuata. IIII. 18, 68. de vsucapionibus. II. 6, 5.
Iulia et Titia de tutorum datione in prouinciis. I. 20, 11.
Iunia de repetundis. IIII. 18, 73. Penni de peregrinis. I. *adp.* 136.
Iunia Norbana de libertinorum

Source : BIU Cujas

rum conditione. I. 5, 12.
Lex *Laetoria* de curatione minorum. I. 23, 6. dicta etiam Quinauicenaria. *ib.*
Licinia de agrorum modo. I. *adp.* 60.
Licinia de foenore. III. 15, 8. de ambitu. IIII. 18, 78.
Licinia et Mucia de sociis in suae ciuitatis iura redigendis. I. *adp.* 52.
Maria de ambitu. IIII. 18, 78.
Mensia. I. *adp.* 134.
Papia de peregrinis. I. *adp.* 136. de sociis in ciuitatis suae iura redigendis. I. *adp.* 52. (r) de Virg. Vest. I. *adp.* 66.
Papia Poppaea. Eius historia. I. 25. 7. capita de praemiis πολυπαιδίας. I. 25. 7. caput de tutore mulieri dotis caussa dando. I. 20, 21. de matribus trium quatuorue liberorum a tutela liberandis. I. 20, 22. de prohibendis nuptiis senatorum et libertinarum. I. *adp.* 35. de nuptiis ingenuorum cum libertinis. I. *adp.* 36. an ea nuptiae sexagenariorum et quinquagenariorum prohibitae? I. *adp.* 37. eius caput de caelibibus nihil capientibus ex testamento. II. 14, 2. caput de orbis. *ib.* (a) Lex decimaria eiusdem legis caput. *ib.* 2. (a) qui liberi in hac lege profuerint? III. 3, 6. (f) caput de libertabus ob liberos tutela liberandis. III. 8, 6. vt et de bonis liberti centenarii. III. 8, 7. de successione patronae. III. 8, 8. caput de caducis. III. 10, 8.
Lex *Papiria* tabellaria. I. *adp.* 31.
Pesulania de cane, qualis illa lex? IIII. 9, 2.
Petronia de seruis. I. 8, 5. an Paetinia vocanda? *ib.* I. 8, 5. (b)
Pinaria de ambitu. IIII. 18, 78.
Plaucia de vi. IIII. 18, 66. de vsucapionibus. II. 6, 5.
Plotia de ciuitate Italis danda. I. *adp.* 8.
Poetelia Papiria contra crudelitatem creditorum. I. *adp.* 30. III. 30, 5.
Poetelia Papiria de ambitu. IIII. 18, 78.
Pompeia de parricidio. IIII. 18, 60. de vi. *ib.* 67. de ambitu. IIII. 18, 78.
Porcia de prouocatione. I. *adp.* 27.
Publicia de apophoretis Saturnalibus. II. 7, 5.
Publilia. I. 2, 3. et 17.
Quinauicenaria: *vid.* Lex Laetoria.
Regia de omni potestate in principes transferenda. I. 2, 62. variae de ea sententiae. I. 2, 63. conflata illa ex variis. 67. *fin.* in honorem Augusti et successorum factis. *ib.* 64. repetita, quoties

Source : BIU Cujas

ties Principes auſpicabantur imperium. *ib.* 65. eius fragmenta. I. 2, 67.
Leges Regiae. *Pro.* I. 2. earum collectio. *ib.* fragmenta. *Pro.* 2. an exoleuerint, eiectis regibus? *Pro.* 3.
Lex *Remmia* de Calumniatoribus. IIII. 16, 3. an dicenda Memmia? *ib.* (a)
Sacratae. I. *adp.* 27.
Saenia quae? I. *adp.* 32. (k)
Scribonia de vſucapione. II. 6, 6.
Sempronia de foenore. III. 15, 12. de prouinciis. I. *adp.* 107.
Seruilia de ciuitate cum Latinis communicanda. I. *adp.* 8. de repetundis. IIII. 18, 74.
Tabellariae. I. *adp.* 31.
XII. Tabularum: *vid.* Tabulae XII.
Tribunitia de conſulari Imp. I. *adp.* 26.
Tribunitia pro plebiſcito. I. 2, 15. (h)
Tullia de ambitu. IIII. 18, 78.
Valeria contra tyrannidem. I. *adp.* 26. de magiſtratu iniuſſu populi non gerendo. *ib.* 27. de prouocatione ad populum. *ib.*
Variae de maieſtate. IIII. 18, 47.
Voconia de mulierum hereditatibus. II. 14, 2. II. 20, 16. de legatis. II. 14, 2. cur oblitterata? II. 20, 17.
Libellus Diuortii. I. *adp.* 48.
Liberali cauſſa manu adſerere. IIII. 6, 30.
Liberi omnia adquirebant patri. II. 9, 1.
eorum profeſſio apud aerarium. I. 25, 9. legitimi et ſpurii. I. 10, 19.
Liberorum naturalium conditio. I. 10, 19. *ſequ.*
nomina. *ib.* 21. (a)
Liberta, ei ſemper ſuccedebat patronus. III. 8, 5.
a tutela liberata numero quatuor liberorum. III. 8, 5.
Libertas an in commercio? I. 3, 6.
Liberti centenarii, qui? III. 8, 7. ciues Rom. I. 5, 10.
dedititii. I. 5, 11. quomodo eis ſucceſſum? III. 8, 9.
eorum differentia ſublata per conſtitutionem: orbis Romanus. I. 5, 16.
Latini Iuniani. I. 5, 13. *ſq.*
ingrati in ſeruitutem reuocati. I. 6, 9. (a) eorum poena. *ib.*
pileati. I. 5, 18.
raſi. *ib. lit.* (i)
a patronis denominati. III. 8, 1.
Libertis quomodo ſucceſſum? III. 7, 2. III. 8, 1. *ſeq.*
eorum colluuies ſub Auguſto. I. 6, 2.
paterni an adoptiuos ſequuti. I. 11, 18.
pompae cauſſa dominorum funera comitati. I. 7, 2.

Li-

Source : BIU Cujas

Liberti ducere non poterant patronas. I. *adp.* 36.
Libertini qui? I. 5, 2.
et liberti quomodo differant? *ib.*
Orcini vel Charonitae. I. 5, 6.
Libertus adhibitus diuortio. I. *adp.* 48.
Licium et lanx in concipiendo furto adhibita, IIII. 1, 14. *sequ.*
Licium quid? IIII. 1, 15.
Limocincti apparitores. IIII. 1, 15.
Linea in graduum computatione quid? III. 6, 2.
directa. *ib.* 3.
transuersa. *ib.*
Litem suam facere. IIII. 5, 1.
Litis contestatio quid? IIII. 6, 42.
Litterarum obligatio, qualis iure antiquo? III. 22, 4. *sequ.*
an olim species contractus fuerit. III. 22. *pr.*
eius contractus formula. *ib.* 4.
inducebat nouationem. *ib.* 5.
eius effectus. *ib.* 6.
qualis e iure Iustinianeo? *ib.* 8.
Liuius explicatus. I. 16, 3. (b)
Locatio conductio publica. III. 23, 8.
priuata. *ib.* 12.
facta Kal. Iul. et ex Kal. Martiis. III. 25, 12.
in quinquennium. *ib.*
Longa possessione capio quid? II. 6, 7.
eius differentia ab vsucapione. *ib.* 8.
Luctatius Veratius: *vid.* Veratius.
Luctus, in eo an adhibitae etiam vestes candidae? IIII. 18, 20. (m)
hostium et perduellium prohibitus. IIII. 18: 50.
Luminum seruitus. II. 3, 8.
Lupa cum puerulis insigne municipiorum. I. *adp.* 120. (u)
Lustratio infantum quomodo facta? II. 7, 7.
Lustrici dies. *ib.*
Lustri condendi ritus et effectus. I. *adp.* 54.
Lycurgus tutor legitimus Leoboti. I. 15, 5.
Lynuchi in sep. II. 1, 4.
Lytae quinam? *Pro.* 45.

Macedo vtrum improbus foenerator an filiusfam. IIII. 7, 8.
Magister nauis. IIII. 7, 3.
societatis. III. 23, 14.
Magistratus, eorum iura. IIII. 6, 5.
municipales, eorum iurisdictio. IIII. 6, 4. imitabantur Romanos. IIII. 6, 7. (d)
iis dies dici non poterat. IIII. 18, 37.
prouinciales. I. *adp.* 106.
quibus comitibus vsi sint? IIII. 6, 5.
qui creati? I. *adp.* 67. *sq.*
Maiestas, eius crimen quale? IIII. 18, 46. *sequ.*
eius specie multa leuiora crimina

Source : BIU Cujas

mina vindicta ſub Imp. IIII. 18, 49.
Maieſtas, de ea variae leges. *ib.* 47. *et* 50.
quando ob illam etiam filii puniti? IIII. 18, 50.
patria. I. 9, 1.
Maiorennitatis annos quis definiverit. I. 23, 10. II. 21, 3.
Manceps quis? III. 23, 11.
Mancipatio quo ritu facta? I. 12, 7. *ſequ.* II. 1, 19. ea adhibita in adoptione. I. 11, 15. in donatione. II. 7, 13. in emancipatione. I. 12, 7. *ſeq.* in emtione. III. 23, 2. in ſtipulatione. III. 16, 15. in teſtamentis. II. 10, 7.
Mancipi res quaenam? II. 1, 18.
vox an indeclinabilis? *ib.* 17. (l)
earum natura. II. 1, 17.
cur de iis nihil in iure Iuſtinianeo occurrat? II. 1, 17. (k)
Mancipia vrbana et ruſtica. II. 3, 1.
Mandatum, eius origo. III. 23, 19.
porrecta dextra datum. *ib.*
Manumiſſio, eius abuſus. I. 6, 2.
inter amicos. I. 5, 8.
per cenſum luſtralem. I. 5, 3.
in eccleſiis. I. 5, 7.
per impoſitionem bullae et praetextae, donationem veſtis matronalis. I. 5, 8.
mortis cauſſa. *ib.*
per epiſtolam. *ib.* 8.
propter matrimonium non eſt ex lege Aelia Sentia, ſed Papia Poppaea. I. 6, 5.
Manumiſſio in templis Deorum. I. 5, 7. (d)
per teſtamentum. I. 5, 6.
per vindictam: eius origo. I. 5, 4. ritus. *ib.* 5.
a minorennibus quomodo factae? I. 6, 5.
in fraudem creditorum. I. 6, 6.
Manus, in eam conuentio. I. 10, 6.
an ea ſpecies capitis deminutionis? I. 10, 6.
iniectio in iure quomodo facta? IIII. 6, 24.
Mare an in dominio imperatoris? II. 1, 13.
Margaritae res mancipi. II. 1, 18.
Maritus iudex vxoris. I. 10, 6.
Mars Gallicus heres inſtitui poterat. II. 14, 4.
Mater ad ſucceſſionem liberorum vocata edicto Praetoris. III. 3, 1. deinde a Claudio Imperatore. *ib.* 2.
poſtea SC. Tertulliano. *ib.* 3.
ei cur prius proſpectum de hereditate liberorum, quam liberis de hereditate matrum? III. 3, 4.
ei non ſuccedebant liberi. III. 4, 1. quod mutatum SC. Orphitiano. *ib.* 3.
eius hereditas cur petita querela inofficioſi, ante SC. Orphitianum? III. 4, 2.
Mater Deorum Sipelenſis heres in-

Source : BIU Cujas

inſtitui poterat. II. 14, 4.
Matrimi quinam? I. 10, 5.
Matrimonium vocabulum iuris gentium; nuptiae et connubium iuris ciuilis. I. *adp.* 137.
Matronae in ius vocari non poterant. IIII. 6, 15.
Medicina olim a ſeruis facta. I. 25, 19.
Chirurgica. *ib.*
vt ſenſim in honore haberi coeperit?
Medicorum immunitas. *ib.*
Medici oculares. I. 25, 19.
Medicae et obſtetrices. *ib.*
clinici et iatraliptae. *ib.*
de menſa numerare. III. 15, 2.
Menſae argentariae ſcriptura. III. 22, 2.
Menſarii. III. 15, 6. (b)
Mercator nauicularius. IIII. 7, 1.
Mercatorum collegia. *ib.*
ii quomodo differant a negotiatoribus. *ib.*
Mercatura veteribus Rom. ignominioſa. *ib.*
poſtea honeſtior. *ib.*
Meretrices impune quaeſtum corpore faciebant. IIII. 18, 53.
nec puniebantur qui cum iis rem habuerant. IIII. 18, 56.
profiteri tenebantur apud aediles. *ib.*
nomina mutabant, togamque ſumebant. IIII. 18, 4.
profeſſio nominum aliquando inhibita. *ib.*
Metalla inueſtigare qui potuerint? I. *adp.* 118.
ex iis vectigal. *ib.*
Milites legionarii vnde lecti? I. *adp.* 56.
ſub imperatoribus quales? *ib.* 57.
eorum miſſio. I. *adp.* 56.
Militia mercenaria a quo inuenta. I. *adp.* 57.
Minerua Milienſis heres inſtitui poterat. II. 14, 4.
Miſericordiam in iudiciis publicis quomodo mouerint oratores? IIII. 18, 28.
Miſſio militum: *vid.* Miles.
Moenia exſtruendi ritus. II. 1, 9.
eorum dedicatio. *ib.* 10.
eorum ſanctitas, II. 1, 11.
Monitores. IIII. 18, 77.
Mulier: *vid.* Femina.
Municipes qui? I. *adp.* 5. *et* 120.
Municipiorum αὐτονομία. I. *adp.* 120.
differentia. *ib.* 122.
inſignia. *ib.* 120. (*u*)
leges quo ritu latae? *ib.* 123.
magiſtratus. *ib.* et IIII. 6, 7. (*d*)
reſpublica. I. *adp.* 123.
extra Italiam origo. I. *adp.* 121.
Munus: *vid.* Donum.
a libertis debebatur patronis. III. 9, 1.
quomodo a libertis promiſſum? III. 16, 19.
Mutuum adpendi ſolebat. III. 15, 1.
quid. *ib.*
vnde dictum. III. 15, 2.
eſt alienatio. III. 15, 1.

NAtalis exſulum. I. 16, 11.
Nauicularium corpora. IIII. 7, 3.

Nauis

Nauis magiſter. *ib.*
exercitor: *vid.* Exercitor.
Naui vetuſtiſſimae quidam ſupplicii cauſſa impoſiti. I. 16, 11. (k)
Nautarum corpora. IIII. 7, 3.
in eos actio. IIII. 5, 5.
Nec mancipi res. II. 1, 14.
Neceſſarii quinam dicti? IIII. 18, 77.
Nefaſti dies. IIII. 6, 11.
Negociator cretarius vel artis cretariae. IIII. 7, 1.
Negotiatores quomodo a mercatoribus differant? IIII. 7, 1.
Negotiorum geſtionis origo. III. 28, 1.
Negotiorum geſtori nemo ſine cautione ſoluebat. III. 28, 2.
voluntarius procurator. *ib.*
Nepotes fratris ſororisue filii. III. 6, 3. (a)
NERVA Imp. praetorem fiſcalem creauit. I. 2, 20.
Nexus et mancipium. II. 1, 20.
quomodo differant. III. 16, 15.
Nexi in neruo debitores. III. 30, 2.
NIGIDIVS: *vide* NVMERIVS.
N. L. id eſt, *Non liquet*, nota ampliationis. IIII. 18, 31.
Nomen quando infantibus impoſitum. II. 7, 7.
Nomina adoptiuorum. I. 11, 19.
Romanorum quotuplex. III. 2, 2.
debitoris quomodo tabulis inſcriptum. III. 22, 2.
deferre quid. IIII. 18, 17. *et* 19.
mutata a meretricibus. IIII. 18, 54.
Nomenclatores ſerui. IIII. 18, 77.
NONIVS explicatus. I. 10, 11.
Notae iuridicae. *Pro.* 9.
Nouatio debiti litterarum obligatione inducta. III. 22, 5.
quid. III. 30, 14.
Nouae tabulae a plebe toties poſtulatae quid? III. 30, 6.
Nouellae Iuſtiniani non omnes eiusdem auctoris. *Pro.* 32. earum textus authenticus, verſiones &c. *ib.*
Theodoſiano Codici ſubiectae. *Pro.* 24.
Noxa et noxia vt differant. IIII. 8, 2.
Noxae dedere. *ib.* 3.
dati liberi homines an ſerui facti. *ib.*
ſerui poterant ſe redimere. IIII. 8, 3.
Nullius res. II. 1, 16.
NVMERIVS NIGIDIVS, nomen in formulis vſitatum. III. 30, 12. (p)
Numi principum vultu ſignati ſine contradictione recipiendi. IIII. 18, 64.
Numorum adulteratorum poena ex L. Cornelia. IIII. 18, 64.
ex conſtitutionibus Imp. *ib.* 65.
Numum quis primus ſignarit. III. 14, 1.
Nunciantes res laetas e prouincia quomodo inceſſerint. I. *adp.* 100.
Nuptialia dona. II. 7, 8.
Nuptiae, quotuplices. I. 10, 1.
earum requiſita. I. 10, 15.

Source : BIU Cujas

Nuptiae erant inter solos ciues. I. 10, 16. I. *adp.* 33.
earum ius etiam peregrinis concessum. I. 10, 16. (f) I. *adp.* 138.
ab iis cur abhorruerint Romani. I. 25, 2.
a contubernio quomodo differant. I. 10, 16.
inter quosdam vnius gentis ciues prohibitae. I. *adp.* 38.
Nymphaea quid? II. 3, 12.

OAsis, in quam relegati. I. 16, 11.
Obaerati quomodo a creditoribus tractati. III. 30, 2.
eorum addictio iam sub regibus vsitata. *ib.* 3. an e iure Attico sit. *ibid.* a Seru. Tullio sublata. *ib.* reuocata a Decemuiris. *ib.* 4.
an in partes secati? *ib.*
Obligatio quid? III. 14, 1.
quotuplex? *ib.* 2. *seq.*
Obrogare legi quid? I. 2, 8. (f)
Obsignatio pecuniae quid? et quo ritu facta. III. 30, 16.
OFILIVS edicta praetorum collegit. *Pro.* 13.
Oletare aquam. IIII. 4, 5. (i)
Ollarium. II. 1, 4.
Ollarum schola. *ib.*
Oneris ferendi seruitus an anomalos? II. 3, 3.
Operae libertorum. III. 9, 1.
quomodo promissae? III. 16, 19.
Opus conductum et perf. probandum. III. 25, 10.
Oratorum munus in iudiciis IIII. 17, 8.
quot adhibiti in iudiciis? *ib.*
Dixi cur additum? IIII. 18, 31.
Orbi quid capere potuerint ex testamento? II. 14, 2.
cur apud Romanos magni habiti? I. 25, 2.
Ornamenta consularia, praetoria, triumphalia, decurionalia &c. I. *adp.* 123. (z)
Ossis fracti poena. IIII. 4, 3.

PActa quo loco fuerint apud Rom. III. 14, 1.
successoria cur apud Romanos irrita fuerint. II. 10, 2.
An Romani ea seruari noluerint. *ib.*
quomodo a contractibus differant? III. 14, 4.
Pacta, sperata sponsa. III. 20, 20.
Pagani oppositi militibus. II. 10, 17.
Pandectarum compilatio. *Pro.* 29. earum versio. *ib.* ordo prooem. 29.
Papinianistae, qui? *Pro.* 45.
Papirianum ius. *Pro.* 1.
PAPIRIVS quis? *ib.*
olim dictus Papisius. *ib.* (b)
Parentes (i. e. patres) poterant liberos exponere. I. 9, 5. (b)
occidere. *ib.* ter venumdare. I. 9, 6. adquirebant per liberos. I. 9, 7.
familiae principes. I. 9, 4. iudices domestici, domestici magistratus, censores filiorum. *ib.* (c)

Source : BIU Cujas

Paret qui in formulis dandi iudicem. IIII. 6. 41.
Parricidium quibus legibus et qua poena vindicatum? IIII. 18. 57. *seq.*
ita olim vocatum quoduis homicidium. *ib.* 57.
Particeps patris cur vocetur filius. II. 19. 12.
Pater: *vid.* Parentes.
Patria poteſtas Romanis propria. I. 9. 1.
a Romulo introducta. I. 9. 2.
erat dominium iuris Quiritium. I. 9. 1.
cur moribus tribuatur? *ib.* 2.
an cum legibus Atticis conveniant? *ib.* 1. (a)
in quo conſtiterit. *ib. ſq.*
ſenſim imminuta I. 9. 8. *ſequ.*
quibus modis ſoluta? I. 12. 1. *ſequ.*
Patricii et plebeii quomodo differant? I. *adp.* 32.
illorum praerogatiuae. *ibid.*
exactis regibus ariſtocratiam moliebantur. I. 2, 46.
an primus Iuſtin. I. 12, 15.
Patriciatus dignitas liberabat a patria poteſtate. I. 12, 15.
ea qualis? *ib.*
PATRICII edicta propon. *ib.*
Patrimi quinam? I. 10, 5.
Patrimonium Principis. I. 25, 12.
Patronatus ius in libertos competens. III. 9, 1.
patriciorum in plebeios. I. 2, 29.
Patrona nubere non poterat liberto. I. *adp.* 36.
Patroni in crimine repetundarum. IIII. 18, 18.
libertorum eodem iure erant ac adgnati. III. 8, 1. (a)
eorum nomina liberti adſumebant. I. 5, 18. eoſque alere tenebantur liberti, ſi egeſtate premerentur. III. 9, 1. ciuitatum, collegiorum, populorum. I. 2, 29. reorum. IIII. 17, 8.
PAVLLI liber de gradibus cogn. adhuc Cuiacii aetate exſtitit, III. 6, 1.
Pauperies quadrupedaria. IIII. 9, 1.
Peculator. IIII. 18, 70.
Peculatus vnde dictus? *ib.*
de eo initio extra ordinem quaeſitum. *ib.*
variae de eo leges. *ib.* 71.
Peculium filiorum. II. 9, 2.
caſtrenſe vnde. II. 9, 2.
matrum familias. I. 10, 6. (c)
ſeruorum vnde collectum? II. 9, 3.
Pecunia quid ſignificet? I. 14, 2.
in calendarium conuerſa. III. 15, 4.
Pecus quadrupes quid in iure? IIII. 3, 7. quid? *ib.*
Πεμπομένοι qui? I. *adp.* 109.
Penates. I. 10, 4. IIII. 6, 16.
Penſio. III. 25, 8.
Perduellis quis? IIII. 18, 47. (z) is lugeri non debuit. IIII. 18, 50.
Peregrini non vſi praenominibus. I. *adp.* 140.

Source : BIU Cujas

Peregrini, eorum quibusdam datum ius connubii et testamenti factionis. I. *adp.* 38.
heredes non instituti. II. 14. 2.
quinam? I. *adp.* 134.
eorum Praetor. *ib.* 135.
vrbe nonnunquam pulsi. *ib.* 136.
eorum iura. *ib.* 133.
eorum bona vacantia fisco vindicata. *ib.* (*d*)
iis ius nonnunquam extra ordinem dictum. IIII. 6, 12.
Admissi ad militiam. I. *adp.* 57. ad honores et consulatus. I. *adp.* 69.
Maximam plebis partem constituebant. I. *adp.* 136.
Periculum rei venditae penes quem? III. 23, 4.
Perpetuae act. IIII. 12, 1.
Persequutio quomodo ab actione differat? III. 30, 12. (*m*)
Personarum diuisiones non omnes attulit Tribonianus. I. *adp. princ.*
Petere quid? IIII. 15, 1.
Petitio quomodo ab actione differat? III. 30, 12. (*m*)
PETRONIVS explicatus. IIII. 1, 21.
Philosophia iureconsultorum. I. 1, 1. eius fata Romae quae fuerint? I. 25, 18.
eius professio Romae. *ib.*
eius caussa multi a nuptiis abstinebant. I. 25, 2.
Philosophorum stipendium. I. 25, 18.
Picariae et inde vectigal. I. *adp.* 118.
Picturae rerum prospere gestarum Rom. missae. I. *adp.* 100.
Pignus, eius alienatio. II. 8, 10.
Pipulum quale conuicium? IIII. 4, 2.
Plagium eiusque vindicatio. IIII. 18, 76.
Planus iudiciorum locus. IIII. 6. 8.
de plano cognoscere. *ib.*
an idem ac summatim cognoscere? *ib.* (e)
pro platani vmbra vectigal. I. *adp.* 63.
PLATONIS leges ius Atticum imitantur. IIII. 1, 18. (h)
PLAVTVS explicatus. III. 30, 4. (e) I. 2, 23. (m)
Plebiscitum quomodo latum? I. 2, 16. *seq.*
quando legis nomine venire coeperit? I. 2, 15. (h)
eius auctoritas. I. 2, 17.
vocatum etiam *lex tribunicia.*
PLINIVS explicatus. I. 11, 15. (e)
PLVTARCHI locus emendatus. I. 20, 16. (l) p. 142.
Poenae Romanorum. IIII. 18, 5.
capitales non capitales, licitae et illicitae. IIII. 18, 11.
eam barbari totis familiis infligebant. IIII. 18, 50.
Polygamia Romae vetita. I. 10, 18.
de ea lex Valentiniani. *ib.*
πολυπαιδίας praemia in libera repub. I. 25, 14. *sequ.*
a Iulio Caesare proposita. *ib.*
ab Augusto. I. 25, 5.

Source : BIU Cujas

POMPEIVS ius Romanum colligere in vnum corpus voluit. *Pro.* 12.
POMPILIVS Rufus seruus an ingenuus? III. 12, 2.
Pontes in comitiis. I. 2, 10.
Pontifices an actiones legum inuenerint? I. 2, 31. (s)
penes eos fastorum cura. IIII. 6, 11.
Populus fundus: *vid.* Fundi populi.
Porro Quirites, formula quiritandi. IIII. 1, 9.
Portorium, vectigalis genus. I. *adp.* 59. et 117.
Possessio quid? II. 1, 18.
bonorum data creditoribus. II. 17, 11.
bonorum et bonorum possessio quomodo differant? III. 10, 1.
bonorum introducta lege Poetelia. I *adp.* 30.
Possessor pro hoc olim non habitus, qui dolo possidere desiit. Quando id ius inuectum. IIII. 6, 25. (y)
quando in rem agat. IIII. 6. 27.
Postliminii ius quale? I. 16, 4.
vnde dictum? *ib.*
Postulatio actionis. IIII. 6, 19.
iudicis. IIII. 6, 39. eius formula. *ib.* 40.
Potestas patria, *vid.* Patria potest.
quid? I. 25, 14.
Praecipitatio e rupe Tarpeia. IIII. 18, 10.
Praecones rei furtiuae inquirendae adhibiti. IIII. I. 21.
per eos citati rei. IIII. 18. 22.
Praedia Romanorum qualia? II. 3, 1.
rustica cur res mancipi non item vrbana, nisi Italica. II. 1, 18.
rustica et vrbana &c. II. 3, 1.
Praefecturae quae? I. *adp.* 132.
Praefectus aerarii. I. 25, 11.
fisci. I. 25. 12.
Augustalis. I. *adp.* 106.
feriarum Latinarum. I. *adp.* 94. (*n*)
vicesimarius. I. *adp.* 62. (*x*)
Praemiis πολυπαιδίας cur Romae opus fuerit? I. 25, 4.
Praenomina Romanorum. III. 2, 2.
ea adsumebant serui. III. 8. 1. (*a*)
iis carebant peregrini. I. *adp.* 140.
Praerogatiua in comitiis quid? I. 2, 6.
Praes quis? III. 21, 3. III. 23, 11.
postulatus in iudiciis publicis. IIII. 18, 38.
Praescriptio pro exceptione. IIII. 13, 1. (*b*)
Praeses prouinciae. I. *adp.* 105.
habebat ius gladii, non deportandi cur? I. *adp.* 111.
eius comitatus. *ib.* 109.
profectio eius in prouinciam. *ib.* 110.
eius munus. *ib.* 111.
Praetexta, habitus ingenuorum puerorum. I. 4, 1. (*aa*)

Source : BIU Cujas

Praetexta, habitus magiſtratuum. I. *adp.* 39.
Praetor: eius adſeſſores. IIII. 6, 9.
ita dictus quilibet magiſtratus. I. 2, 27. (*r*)
eius edicta a quibus collecta? *Pro.* 13.
perpetuum edictum: *vide* edictum.
fideicommiſſarius, eius origo et munus. I. 2, 20. (*l*) II. 23, 4. (*c*)
eiuſdem concurrens iuriſdictio cum coſſ. I. 2, 20. (*l*)
fiſcalis. I. 25, 12.
eius inſignia. I. 2, 21.
eius iuriſdictio. I. 2, 22.
in municipiis. I. *adp.* 123.
numerus eorum. I. 2, 20.
eius origo. I. 2, 19. IIII. 6, 4.
peregrinus. I. *adp.* 135.
poteſtas. I. 2, 21.
in praefecturas miſſus. I. *adp.* 132.
quando ipſe cognouerit? IIII. 6, 6.
ſortitio praetorum. IIII. 18, 3. (*b*)
tutelaris. I. 20, 13.
Πραχματευτὴς ſeruus. I. 23, 11.
Prehenſio magiſtratuum. IIII. 6, 5.
Primus in comitiis quis? I. 2, 10.
Priuatae res. II. 1, 17.
Priuati dicti, qui non erant milites. I. *adp.* 130.
Priuilegium quid? I. 2, 60.
Προβολὴ apud Henienſes coniectio cauſſae. IIII. 17, 8.
Procare iudicem. IIII. 6, 40.
Proconſules in prouincias miſſi. I. *adp.* 105. horum inſignia. *ib.*
ſub imperatoribus non habebant imperium militare. I. *adp.* 111.
Procurator fiſci. I. 25, 12.
Procuratores Caeſaris. I. *adp.* 100. iudiciales, eorum origo. IIII. 10, 3. dominium litis. *ib.* 4. in quibus iudiciis locum habuerint? IIII. 10, 6. XX. hereditatum. I. 25. 11. (*f*) *princ.* patrim. I. 25, 10. voluntarius. III. 28, 2.
Prodigorum curatio. I. 23, 2.
iis quomodo bonis interdictum? I. 23. 3.
Proditores ex lege Romuli Diti ſacri. IIII. 18, 47.
Profeſſio liberorum. I. 25, 9. II. 7, 7.
cenſus prouincialis. I. *adp.* 53.
natalis, cenſualis. I. 25, 9. (*e*)
Profeſſorum immunitas. I. 25, 23.
Proletarii qui? I. 16, 1.
Prolytae quinam? *Pro.* 45.
Promagiſter XX. hereditatum. I. 25. 11. (*f*)
ſocietatis publicanorum. III. 23, 14.
Propinqui quinam dicti? IIII. 18, 77.
Propola. IIII. 7, 1.
Propraetores in prouincias miſſi. I. *adp.* 105.
eorum inſignia. *ib.*
Proſcriptio quomodo facta? I. 3, 1. (*a*)
Prouinciae quaenam? I. *adp.* 99.

Source : BIU Cujas

Prouinciae, earum formula. I. *adp.* 100.
quo ritu factae? *ib.*
in iis quae lege obseruatae? *ib.* 103.
consulares. *ib.* 105.
praetoriae. *ib.*
populares. *ib.* 107. (*s*)
Caesarum. *ib.*
Prouinciam ornare quid? *ib.* 108.
Prouocatio ad populum. I. *adp.* 27.
Psalterium quale instrumentum musicum? IIII. 4, 5. (*f*)
pro separ. scripto famoso. *ib.*
Psellvs (*Mich.*) eius Σύνοψις iuris. *Pro.* 39.
Pubertas an explorata turpi corporis inspectione? I. 22, 1. *seq.*
eius anni iam ante Iustinianum definiti. I. 12, 2.
de ea controuersia vetus. I. 22, 4.
Publicae res. II. 1, 14.
Publicani, eorum dignitas apud Romanos. III. 23, 8.
apud exteros exosi. *ib.*
immo et ipsis Romanis temporibus postremis. *ib.*
conducebant vectigalia et vltro tributa. *ib.* 9, et 10.
decumani. *ib.* 9. mancipes. *ib.* 11. pecuarii. *ib.* 9. portitores. *ib.* praedes. *ib.* 11. socii. *ib.* eorum societas. *ib.* 14.
Puls; ea vescebantur Romani veteres, loco panis. III. 30, 4.
vt et Carthaginenses. *ib.* (e)
Pulsare et verberare quomodo differant? IIII. 4. 8.
Pultiphagi Carthaginenses. III. 30, 4.
Andr. Pvlvaevs de L. Atinia. II. 6, 4.
Punctum omne ferre. I. 2, 11. (g)
Puteal Libonis quid? IIII. 5, 2. (c)
Qvadragesima litium. I. *adp.* 63.
Quadrupes, pecus, bestia. IIII. 3, 5. (e) quid? IIII. 9. 1.
Quaesitores parricidii. IIII. 18. 11.
quomodo constituti? IIII. 18, 12.
quomodo praesederint iudiciis? IIII. 18, 14.
eorum comites. *ib.*
gladium ante se positum habebant. *ib.*
Quaestio quomodo de seruis habita? IIII. 18, 25.
Quaestores, eorum antiquitas. I. 25, 11.
Candidati. I. 2, 45. (z)
iis aerarii cura demandata. *ib.* 46.
Quaestores in municipiis. I. *adp.* 123.
prouinciarum. *ib.*
Quarta Falcidia. II. 20, 20.
legitima quando et qua occasione inualuerit? II. 17, 7. eadem est ac Quarta Falcidia. *ibid.* a Iustiniano mutata. *ib.* 8.
Quasi contractus quid? III. 28. *princ.*

Source : BIU Cujas

Quasi delictum quid? IIII. 5. *pr.* falsum. IIII. 18, 63.
Quatuoruiri in praefecturis. I. *adp.* 132.
Querela inofficiosi vnde inducta? II. 17, 5.
quando instituta? *ib.* 6.
quando cessarit? *ib.* 7.
a quibus instituta? *ib.* 9.
quo iure a liberis instituta contra testam. matris? II. 17, 9.
Quinquennales qui? I. *adp.* 123.
Quiritare quid? IIII. 1, 9.
Quiritarium dominium. II. 1, 29.
Quirites vestram fidem. IIII. 1, 9.

RApina quomodo a furto differat? IIII. 2, 1.
de ea quid edixerit Praetor? ib. 2.
eius poena. *ib. sequ.*
Rationales. I. *adp.* 106.
Recepta sententia. I. 2, 35.
Recuperatores XX. in consilio Praesidis. I. *adp.* 111.
dati a Praetore. IIII. 6, 39.
eorum origo. IIII. 6, 39. (*c*)
Redactus. } III. 25, 8.
Reditus. }
Redemptor operis. III. 25, 10.
Redhibitio ob latens vitium. III. 23, 6.
Regiae leges. *Pro.* 1. earum fragmenta. *ib.* 2.
an exoleuerint electis regibus? *Pro.* 3.
Regulae iuris quid? I. 2, 35.
Rei vindicatio quomodo instituta? IIII. 6, 24.
Relegati vnde dicti. II. 20, 1.
Relegatio. I. 16, 9. in insulam. I. 16, 11. (*l*)
Religionem patriam Romani plerisque saluam relinquebant. I. *adp.* 101. (*q*)
Religiosae res. II. 1, 3.
Remancipatio, modus dissoluendi nuptias. I. 10, 13.
Repetundae quid? IIII. 18, 72.
variae de iis leges. *ibid.*
quomodo vindicatae? *ibid.*
Replicatio. IIII. 14. 2.
eius formula. *ib.* 3.
Repudium quid? I. *adp.* 49.
Rerum diuisiones. II. 1. *sequ.*
Res sacrae, religiosae, sanctae, nullius, vniuersitatis, publicae, communes, mancipi &c. *vide suis locis.*
Rescribere quid? III. 22, 5.
Rescribi quando coeperit a Principibus? I. 2, 57.
Rescriptum Principis. I. 2, 56.
Responsa Prudentum: *vide* Iureconsulti.
Restipulatio. III. 16, 3.
Restitutio in integrum ob alienationem iudicii mut. caus. factam. IIII. 6, 25. (y)
ob absentiam quam antiqua. I. 23, 7. (d)
Reus, (rei) per accensum citati. IIII. 6, 21.
absentium bona possidenda data. *ib.*
eorum nomina edita praetori. *ib.* (s)
in iudiciis publicis vestem mutabant. IIII. 18, 20.

Rei,

Source : BIU Cujas

Rei, quod et eorum cognati faciebant. IIII. 4, 5. (e)
barbam et capillum promittebant. IIII. 18, 20.
per praeconem citati. *ib.* 22. eorum liberi producti ad movendam misericordiam. *ib.* 28. laudationes eorum. *ib.* 29. sententiam audiebant provoluti in genua. *ib.* 31. absoluti togam sumebant. *ib.* 33.
in iudiciis populi quomodo accusati. *ibid.* 38. *seq.* quomodo defensi? *ibid.* 42.
eorum prensatio. *ibid.* 43.
sub rostris stabant, adolescentum conuiciis expositi. *ib.* 40. (*) quomodo excusati? *ib.* 39.
Rhetorices origo et fata. I. 25, 17. professorum stipendia. *ib.*
et immunitas. *ib.*
Robur, pars carceris. IIII. 18, 6.
Ρωμαϊκὰ Edicta a patriciis proposita. I. 12, 15.
Romana schola. *Pro.* 44.
Romania. I. *adp.* 134.
Romanus, Lacapenus auctor ἐκμογῆς βασιλικῆς. *ib.* 39.
ROMVLVS: eius lex de patria pot. I. 9, 2. de prodit. IIII. 18, 47.
de homicidio. *ib.* 57.
Rostra. I. 2, 16. (*i*)
e Rupe Tarpeia praecipitatio. IIII. 18, 10.

SAcer esto, quamnam poenam denotat? I. *adp.* 27. (*h*)
Sacerdotes quomodo creati. I. *adp.* 66.
Sacerdotes ab Imperatoribus pro lubitu constituti. *ib.*
familiarum. I. *adp.* 71, 63.
Sacerdotia olim patriciorum propria. *ib.* 66.
postea cum plebe communicata. *ib.*
quaenam patricii sibi retinuerint? *ib.*
Sacra priuata. I. 10, 4. I. 11, 1.
horum communio inferebat potestatem. I. 10, 6.
quomodo interemta? I. 11. 1. (*a*)
publica. I. *adp.* 70.
sumtibus publ. perag. *ib.*
peregrina Romae non admissa. *ib.* 74.
municipalia. *ib.* 70. (b)
retinebant coloniae. *ib.*
Sacrae res quaenam? II. 1, 2.
earum exauguratio. *ib.*
Sacramentum militare. I. *adp.* 66.
Sacramento quaerere, quid? IIII. 6, 25. (z)
Sacrificia mala quae? IIII. 18, 58.
Sacro condemnatae res. II. 1, 2. (*b*)
Salariae annonae vectigal. I. *adp.* 61.
Salinae. I. *adp.* 118.
Saltatio an in hereditatis aditione adhibita? II. 17, 15.
Sanctae res. II. 1, 8.
a Sagminibus herbis dictae. *ib.*
Sanguinolenti liberi qui? I. 9, 9. (d)
eorum venundatio. *ib.*
Sarcophagus vnde. II. 11, 4.

Satis-

Source : BIU Cujas

Satisdatio tutorum quomodo exigi ſolita? I. 24, 1. *ſequ.*
in iudiciis exigi ſolita. IIII. 6. 42. IIII. 11, 1. *ſeq.*
Scapharii. IIII. 7, 3.
Scenicae mulieres cur infames? I. *adp.* 35.
Scholae iuridicae. *Pro.* 45.
Ollarii. II. 1, 4.
Romana. I. 25, 21.
prouinciales. I. 25, 22.
prohibitae. *ib.*
SCHOOCKII (*Martini*) et I. F. GRONOVII libelli Eriſtici. III. 15, 18. (l)
Scribae aedilitii, praetorii, conſulares &c. *prooem.* VIII.
Scribere, pro mutuam pacuniam ſumere. III. 22, 5.
ab aliquo quid ſignificet? *ib.*
Scriptura, vectigal. I. *adp.* 116.
an produxerit obligationem? III. 22, 7.
Scripturae S. loca explicata. I. *adp.* 53. *ib.* 28. *ib.* 13. *ib.* 109. III. 16, 2. (a) IIII. 6, 18. (m)
Scrupulus, 24ª. pars vnciae. II. 14, 6.
Secretarium qualis locus? IIII. 17, 10.
Σέκρετον. *ib.*
Sectio bonorum. III. 30, 4.
Sectores. *ib.* II. 17, 11.
Securi caeſi ſontes. III. 18, 10.
id ignominioſum. *ib.* (f)
Selecti, ex his lecti iudices. IIII. 17, 2.
Sellae curuli inſidens cognoſcebat Praetor. IIII. 6, 7.
eius forma. *ib.* (c)
Senacula. I. 2, 47.
Senatores coloniarum. I. *adp.* 131.
Senatum habendi locus. I. 2, 47.
eius poteſtas in libera republica. *ib.* 46.
in eo relationes factae. *ib.* 48.
quomodo ſententiae rogatae. *ib.* 49.
quomodo dictae ſententiae? *ib.* 50.
Senatus frequens. I. 2, 50. (d)
Senatuſconſulta qualia in libera rep. I. 2, 46.
quae legum vim habent primum condita ſub Tiberio. I. 2, 45.
vbi facta? I. 2, 47.
quo ritu facta? I. 2, 48. *ſequ.*
praemiſſa auſpicia. *ib.* 47.
quo ſtilo ſcripta. *ib.* 53.
quomodo confirmata a Tribunis plebis? *ib.* 54.
illata aerario. *ib.*
quotuplicia? *ib.* 52.
tacita. *ib.*
per infrequentiam facta. *ib.* 50. (d)
quamdiu fieri conſueuerint? *ib.* 59.
quomodo ſub Imp. condita? I. 2, 45. *ib.* 55.
Senatusconſulta varia de anatociſmo. III. 15, 30. (m)
Apronianum. II. 23, 8. II. 14, 2.
Caluitianum. I. *adp.* 57.
Claudianum de tutoribus a Coſſ. dandis. I. 13, 12. de tutela mulierum ceſſitia. I. 13, 23.

Source : BIU Cujas

13, 23. de mulieribus seruili amore bacchantibus. I. 16, 8. de adsignatione libertorum. III. 9. 3.
Senatusconsultum ad L. Corneliam de falsis. IIII. 18, 63.
ad L. Corneliam de iniuriis. IIII. 4, 11.
Aurelianum de falso. IIII. 18. 63.
extremum : *darent operam coss. ne quid resp. detrimenti caperet.* I. 2, 46.
Geminianum de falso. IIII. 18, 63.
sub Hadriano factum de legatis ciuitati relictis. II. 20, 10.
Largianum. III. 8, 9. (*d*)
Licinianum de falso. IIII. 18, 63.
Macedonianum, eius historia. IIII. 7, 7. nomen vnde? *ibid.* 8.
D. Marci de senatorum nuptiis. I. *adp.* 35. (*m*)
Marcianum de bacchanalibus. I. 2, 53.
Neronianum de legatis. II. 20, 8. (*e*)
Orphitianum ; eius historia. III. 4, 3. materia. *ibid.* 4. mutatio. *ib.* 6.
Pegasianum. II. 20, 20. II. 23, 6.
Pernicianum, vel potius
Persicianum, I. *adp.* 37.
Plancianum. I. *adp.* 130.
Statilianum de falso. IIII. 18, 63.
Senatusconsultum *Tertullianum* : eius historia. III. 3, 3. materia. *ibid.* 5. qui liberi ex hoc SC. profuerint? *ibid.* 6.
Traiani de satisdatione tutorum. I. 24, 2.
Trebellianum. II. 23, 5.
Velleianum. III. 21, 12. *sequ.*
de vsufructu quantitatum et iurium. II. 4, 7.
Senes coemtionales qui? I. 11, 1. (a)
iis sacra priuata mancipata. *ib.*
Sententiam diuidere quid? I. 2, 50.
eas numerare. *ib.* (d)
in eam ire. *ib.*
Sententia in populi iudiciis quomodo lata? IIII. 18, 44.
in publicis iudiciis, vel clam vel palam lata. *ib.* 31.
pronunciata a Praetore. *ib.* 32.
qua formula id factum? *ib.*
in priuatis iudiciis quomodo lata? IIII. 17, 11.
ab arbitris quomodo lata? IIII. 17, 12.
Sepulcra dedicata Diis Manibus. II. 1, 4. hinc religiosa. *ibid.*
eorum religio etiam spacium ambiens occupabat. *ib.* 5. extra vrbem. II. 1, 3. (f)
ex iis reliquiae tolli non poterant nisi permissu pontificum. *ib.* 5.
nec reficere ea licebat nisi auctoritate Pontificum. *ib.*
publice praebita viris bene de rep. meritis, vel conuicanis ex liberalitate. II. 1, 4.

Source : BIU Cujas

Sepulcra quomodo aedificata et eius partes. II. 1, 4.
in iis simulacra deorum et arae. *ib.*
Aeditui. *ib.*
consecrata. *ib.* 5.
an fuerint in commercio? *ib.* 6.
familiaria, hereditaria, neutrius generis. *ib.* 7.
praedia ad eorum tutelam destinata. *ib.* 5.
Leges iis additae. *ib.* 6.
an res mancipi. *ib.* 18.
Sequestres in ambitu quinam? IIII. 18, 77.
Serui, eorum nulla cognatio. III. 7, 1.
corrupti, de iis egit caput 2. L. Aquiliae. IIII. 3, 9.
eorum demensum menstruum et annuum. II. 19, 3.
fartores. IIII. 18, 77.
fugitiui conuasare aliquid solebant. III. 23, 4. (a)
furacissimi. IIII. 1, 1.
heredes quomodo instituti. II. 14, 1.
heredes necessarii. I. 6, 11.
Kalendarii quinam? III. 15, 4. (f)
nomenclatores. IIII. 18, 77.
an occidi potuerint a dominis? vid. *ius vitae et necis.*
praenomen dominorum adsumebant. III. 8, 1. (a)
publici. I. 3, 8.
poterant et aliis stipulari. I. 24, 3.
quo ritu venditi? I. 3, 4. II. 1, 24.
venales saltare, in orbem currere, se denudare iussi. III. 23, 3.
quot modis facti? I. 3, 1. *sequ.*
non pro personis habiti. I. 3, 2.
seipsos venundantes. I. 3, 7.
eorum stigmata. I. 5, 11. (e)
in subselliis accumbebant. I. 5, 8.
eorum supplicium. IIII. 18, 10.
Seruorum tortura. I. 5, 11. (e) IIII. 18, 25. an etiam in caput domini quaesiti? *ib.* et IIII. 18, 48. (b)
Tabularii. I. 24, 3.
varia eorum conditio. I. 3. 8. (f)
vincti seruientes. *ib.*
Servius Tullius libertinis ciuitatem dedit. I. 4, 10.
beneficium cessionis bonorum primus inuexit. III. 30, 3.
contractus et numos inuenit. III. 14, 1.
Seruitus poenae. I. 16, 5.
rusticorum et vrbanorum praediorum. II. 3, 1.
altius tollendi. II. 3, 7.
rusticorum praediorum cur solae res mancipi? II. 1, 118.
Sestertii an assibus substituti? IIII. 4, 1.
Sextula, pars 6. vnciae. II. 14, 6.
Sexuiri in praefecturas missi. I. *adp.* 132.
Sicarii qui? IIII. 18, 58.
Sicilia in ea tutela datiua ante L. Iul. et Tit. I. 20, 11.
Sicilicum quarta pars vnciae. II. 14, 6.
Sigillaria. II. 7, 5. (c)
Siliquaticum. I. *adp.* 61.
Societas priuatorum. III. 23, 15.
publica. III. 23, 14.
quomodo soluta? *ib.* 18.
ei renunciandi formula. *ib.*
voluntaria per rei communionem. III. 28, 5.
Socii fraternitatis iure inter se vtebantur. III. 23, 17.
publicani. III. 23, 11.
Socii et Latini nominis. *vid.* Latini.
Solutio. III. 30, 1.
in Solutum datio. III. 30, 7.
Sordes pro reatu. IIII. 18, 20.
Sordidati pro reis. *ib.*
Sordidus reorum habitus. *ib.*
Sortitio, in qua tribu Latini ferrent suffragia? I. *adp.* 92.
centuriarum et tribuum in comitiis.

Source : BIU Cujas

I. 2, 6.
Sortitio prouinciarum. I. *adp.* 105.
iudicum : *vid.* Iudex.
Sponſa, ſperata, pacta. III. 20, 20.
Sponſalia inter abſentes. III. 16, 20.
arrha et annulo firmata. *ib.*
impune reſciſſa. I. *adp.* 49. III. 16, 22.
per ſtipulationem contracta. III. 16, 20.
an inde data actio? *ib.*
in tabulas relata. *ib.*
vnde dicta. *ib.*
Latinorum. I. *adp.* 86.
Sponſor. III. 21, 4.
Spuriorum apud Romanos conditio. I. 10, 19. *ſequ.*
Spurii an infames? I. 10, 21.
an patrum nomen tulerint? *ibid.* (*a*)
Stabularii, in eos actio. IIII. 5, 5.
Statu liberi qui? I. 3, 8.
Στιγονόμιον. III. 25, 8.
Stigmata ſeruorum. I. 5, 11. (*e*)
Stillicidium, qualis ſeruitus? II. 3, 5.
Stipendia et tributa quomodo diff. I. *adp.* 58.
Stipulatio Aquiliana. III. 30, 12.
aedilitia. III. 16, 17. (*c*)
vnde dicta? *ib.* 1. quid? *ib.* 2.
an inita fracta ſtipula. *ib.* 1.
eius formulae. *ib.* 3.
cur interrogatione et reſp. congrua facta? III. 20, 4.
ab ICtis compoſitae. *ib.* 5.
omnibus fere negotiis adhibitae. *ib.* 14.
litteris nutuue fieri non poterat. *ib.* 6.
a quo fieri potuerit? *ib.* 7.
liberorum. *ib.* 9.
pupillorum. *ib.* 8.
ſeruorum. *ib.* 7.
inter heredem et fideicommiſſarium. II. 23, 7.
aliis non proderat. III. 16, 10.
quotuplex? *ib.* 12.
cum mancipatione nonnumquam. *ib.* 15.
Stipulatione non opus erat in dictione dotis. *ib.* 18.
nec in promiſſione operarum et munerum. *ib.* 9.
Stoicae philoſophiae ſtudioſi Iureconſulti. I. 1, 2.
deciſiones in iure. I. 1, 3.
definitiones in iure. *ib.* et II. 2, 3.
diuiſiones. *ib.*
etymologiae. *ib.* III. 15, 2. (*d*)
Stoicorum doctrina de republica vniuerſali generis humani. II. 1, 14.
Strangulatio. IIII. 18, 10.
Strenae miſſae. II. 7, 4.
Subhaſtatio ignominioſa. II. 17, 11.
quomodo facta? *ib.*
Subrogare legi quid? I. 2, 8. (*f*)
Subſcriptio criminis. IIII. 18, 18.
Subſtitutio vulgaris et pupillaris, II. 15, 1. *ſequ.*
eius formulae. *ib.* 3.
ſeq. pupillaris quomodo ſcripta? *ib.* 5.
Subuades quinam? III. 21, 3.
Succeſſionis ab inteſtato fundamentum. III. 1, 1.
Svetonivs explicatus. I. *adp.* 37. I. 6. 9. (*aa*) I. 6, 8. (*d*) *ib.* 12. (*l*) II. 10, 18. (*k*)
Suffragia quomodo lata? I. 2, 9. *ſequ.*
quomodo diremta? *ib.* 11.
quomodo plura valuerint in iud. IIII. 17, 11.
Sui heredes : *vid.* Heredes.
Svlpitii duplici praenomine vſi. III. 2, 2. (*c*)
Συμβόλιον quid? I. 6, 5.
Suouetaurilia. I. *adp.* 54.
Superſtites pro teſtibus. IIII. 6, 24. (*x*)
Supplicationes ob res proſpere geſtas decretae. IIII. 6, 11.
Supplicium : *vide* Poena.
Sus an inter pecudes. IIII. 3, 7.
Suſpecti tutoris crimen. I. 26, 1. apud Athenienſ. *ib.*
Suſpendium ex arbore infelici. IIII. 18, 11.

Source : BIU Cujas

Suſpenſa. IIII. 5, 4.
Syndicatus vox qualis? IIII. 5, 1. (b)

TAbellae quibus lata ſuffragia. I. 2, 9.
quibus iudices tulere ſententiam. IIII. 18, 31.
Tabulae eboreae et quernae: *prooem.* 4. (h)
Tabulae contractuum quomodo ſignatae? IIII. 18, 63. (x)
creditorum in iudicio prolatae fidem faciebant. III. 22, 2.
nouae a plebe poſtulatae quid? III. 30, 6.
ſecundae. II. 15, 5. (b)
in iudiciis publicis prolatae. IIII. 18, 27.
Tabulae XII. vel Decemuirales, earum origo. *Pro.* 3.
ex quibus legibus compilatae? *ib.* (f. g.)
earum naeui. *ib.* 3.
earum interitus. *ib.* 4.
a pueris ediſcebantur. *ib.*
ab iis inchoatum ſtudium iuris. *ib.* (i)
earum fragmenta a quibus compilata? *ib.* 5.
eboreae an roboreae fuerint? *ib.* 4. (h)
earum leges de cauſſae coniectione. IIII. 17, 8.
earum leges de damno iniuria dato. IIII. 3, 3.
depoſito. III. 15, 31.
die diffindendo. IIII. 17, 6.
diuortio. I. *adp.* 44.
familia erciſcunda. III. 28, 6.
foenore vnciario. III. 15, 7.
furioſorum curatione. I. 23, 2.
furto manifeſto. IIII. 1, 6. *ſequ.* nec manifeſto. *ibid.* 11. nocturno. *ibid.* 1, 2.
homicidio. IIII. 18, 57.
iniuriis atrocioribus. IIII. 4, 2. *ſequ.*
leuioribus. IIII. 4, 1.
Tabularum XII. leges de in ius vocatione. IIII. 6, 14.
maieſtate. IIII. 18, 47.
noxalibus actionibus. IIII. 8, 1.
obaeratis. I. *adp.* 30. III. 30, 4.
parricidio. IIII. 18. 57.
pauperie. IIII. 9, 1.
prodigorum curatione. I. 23, 2.
ſepulcris extra vrbem. II. 1, 3. (f)
ſucceſſione adgnatorum. III. 1, 1. gentilium. III. 2, 7. in libertorum bonis. III. 7, 2.
ſuorum heredum. III. 1, 1.
ſuſpectis tutoribus. I. 26, 1.
teſtamentis. II. 10, 5.
teſtibus explicata. *ib.* 6. (d)
tranſactione. IIII. 6, 18.
tutela adgnatorum. I. 15, 4.
patronorum. I. 15, 7.
teſtamentaria. I. 14, 2.
vindicibus dandis. III. 21, 2. IIII. 6, 18.
vſucapione. II. 6, 2. *ſeq.*
Tabulario ſtipulari quid? I. 24, 3.
Tagaces fures. IIII. 1, 1.
Talio. IIII. 18, 8.
Telum quid? IIII. 1, 9.
in vrbe ferre nefas. IIII. 18, 58. (p)
Templorum conſecratio. II. 1, 2.
dedicatio. *ib.*
differentia ab aedibus ſacris. *ib.*
TERENTIVS explicatus. I. 10, 7.
TERTVLLVS cos. III. 3, 3.
Teſtamentifactio Roma antiquior in Italia. I. 13, 1. (*)
Teſtamentum.
per aes et libram. II. 10, 6.
quo ritu factum? *ib.* 7.
quamdiu. *ib.* 14.
in calatis comitiis cur factum? II. 10, 2. quando deſierint? *ib.* 5.
in ceris ſcriptum, et quomodo? *ib.* 12.
quamdiu hic mos viguerit? *ib.* (f)
infirmatum. II. 17, 2.
iniuſtum. *ib.* 1.
irritum. *ib.* 4.
ex iure Attico an ſit? II. 10, 5. (c)

Source : BIU Cujas

Teſtamentum iureconſultis adhibitis factum. II. 10, 8.
holographum. *ib.* 9.
lingua Latina conficiendum. *ib.* 10.
in lapidibus ſuperſtes. *ib.* (e)
militare. *ib.* 16.
eius origo. *ib.* 2.
Teſtamentum nullum. II. 17, 1.
praetorium quam antiquum. II. 10, 13.
in procinctu quomodo factum. *ib.* 1.
in cinctu Gabino. *ib.* 3.
quando et cur deſierit. *ib.*
a quibus ſcriptum? *ib.* 9.
reſciſſum. II. 17, 5.
ruptum. II. 17, 3.
in tabulis pluribus ſcriptum. II. 10, 11.
vbi depoſitum? *ib.*
Teſtari qui potuerint? *ib.* 18.
quando licuerit feminis? *ib.* 19.
Teſtes quinam in teſtamento eſſe potuerint? II. 10, 15.
eorum numerus a Praetore praeſcriptus. IIII. 6, 42.
an auditi remotis partibus. IIII. 17, 10.
quomodo interrogati in iudiciis publicis? IIII. 18, 26.
quales in iiſdem adhibiti? *ib.*
Theodosivs Iunior Codicis Theod. auctor. *Pro.* 22.
Theophilvs paraphraſeos inſtitutionum auctor. *Pro.* 35.
veterum Iuriſconſultorum libros exſcripſit. III. 22, 4.
Θεώρητρον quid? II. 7, 8.
Tiberivs comitia e campo tranſtulit in curiam. I. 2, 45. cur id fecerit? *ib.* (y)
Tigni immittendi ſeruitus. *ib.* II. 3, 4.
Tignum. *ib.* 4.
Tituli ſeruorum et rerum venalium. III. 23, 3.
Titvs Imperator praetorem fideic. vnum detraxit. I. 2, 20.
Toga ciuium Rom. inſigne. I. *adp.* 139.
ea vti non licebat exſulibus. I. 16, 9. (f)
Toga quando ſumta. I. 22, 2. (b)
habitus meretricum. IIII. 18, 54.
Tonſores artem ſuam in publico exercebant. IIII. 3, 6. (f)
Traditio quid? II. 1, 26. III. 23, 6.
Tranſactio litigantium in via. IIII. 6, 18.
Trebativs an ſtoicus. I. 1, 2.
Tribonianvs qualis? *Pro.* 27.
Tribunal a quo conditum. IIII. 6, 7. (b)
qualis formae. *ib.*
an etiam in municipiis. *ib.* (d)
Tribuni plebis an ſententiam in ſenatu dixerint. I. 2, 49. (c)
edicta cum Praetoribus ſcribebant. I. 20, 10. (g) p. 139.
turbulenti aliquando, aliquando iuſtiſſimi. I. *adp.* 29.
defendebant plebem. *ib.*
ſaepe intercedebant ſententiis capitalibus. IIII. 18, 33.
poterant et collegarum actibus intercedere, non tamen in tutoris datione. I. 20, 10.
Tribui certae adſcripti municipes. I. *adp.* 122.
Tribubus binis qui adſcripti? I. *adp.* 64.
Tribus quot? *ib.*
Tributa veterum Rom. I. *adp.* 58.
prouinciarum. I. *adp.* 114.
Triginta anni γενεὰ, tempus perpetuum. IIII. 12, 1.
Tullianum, pars carceris. IIII. 18, 6.
Tunica Romanorum recentiorum. I. *adp.* 139.
Turcae an ius Iuſtinianeum retineant? *Pro.* 40.
Tutelae antiquitas. I. 13, 1.
datiua. I. 20, 9.
fiduciaria. I. 19, 8.
olim parentum. *ib.*
legitima adgnatorum, eius origo. I. 15, 5. variae de ea legiſlatorum ſententiae. *ib.* 5. eius effectus fraudes heredipetarum. *ib.* 6. legitima patronorum. I. 17, 7. mulierum

Source : BIU Cujas

lierum apud Graecos. I. 20, 16.
eius antiquitas et origo. *ib.* 6.
Tutela quotuplex? *ib.* 17.
ceſſitia. I. 20, 18.
an penes maritos? I. 20, 19.
quamdiu durarit. I. 20, 24.
cur obſoleuerit. I. 20, 20.
quomodo finita. I. 22, 5.
teſtamentariae origo. I. 13, 2.
quomodo ſoluta. I. 22, 1. *ſeq.*
quaſi contractus. III. 28, 4.
Tutores a quibus dati. I. 20, 11. *ſeq.*
eorum auctoritas. I. 21, 1. *ſequ.*
ſatiſdatio. I. 24, 1. *ſeq.*
praetoriani. I. 21, 5.
ſuſpecti. I. 26, 1. *ſeq.*

VAdimonium quid? IIII. 6, 20. (p)
adhibitis ICtis ſcriptum. III. 21, 6.
deſerere. IIII. 6, 21.
ſiſtere. *ib.*
Vas quis? III. 21, 3.
Vectigalia ciu. Rom. I. *adp.* 59.
prouinciarum. *ib.* 115.
locata a cenſoribus. III. 23, 9.
Veneficium quomodo punitum. IIII. 18, 57.
Venia aetatis quibus data. I. 23, 10.
VERATIVS LVCIVS; eius petulantia. IIII. 4, 1. et 4.
Verbera per virgas et fuſtes inflicta. IIII. 18, 7.
Verberare et pulſare quomodo differant. IIII. 4, 8.
Verborum obligationum olim tres ſpecies. III. 16, *pr.*
VESPASIANI et CLAVDII temporibus cur tribuatur SC. Macedonianum? IIII. 7, 7.
Veſtales virgines patria poteſtate ſolutae. I. 12, 14.
non erant in tutela. I. 20, 16. (l) p. 142.
an ſemper patriciae. I.
apud eas deponebantur teſtamenta. II. 10, 11.
deprecatrices adhibebantur a reis capitalibus. IIII. 18, 31.
Veſtis pulla in luctu adhibita. IIII. 18, 20. (m)
an etiam a reis. *ib.*
diuerſorum ordinum. I. *adp.* 139.
vrbana et ruſtica. II. 3, 1.
alba an in luctu adhibita. IIII. 18, 20. (m)
Veſtis ingenuorum. I. 4, 1. (aa)
Veterani in colonias miſſi. I. *adp.* 130.
Vexillum praeſidum inſigne. I. *adp.* 106.
Vi, clam, precario, formula in interdictis adhibita. IIII. 15, 2. (b)
Viae ſeruitus. II. 3, 10.
latitudo. *ib.* 11.
Vicarii ſerui. II. 9, 3.
vicariorum. *ib.*
Viceſima manumiſſorum. I. *adp.* 62.
Viceſimarius praefectus. *ib.*
Viceſima hereditatum. I. *adp.* 19.
eius praefectus. I. 25, 11. (f)
eius promagiſter. *ib.*
Videri vocabulum ſollemne in ferendis ſententiis. IIII. 17, 11.
Villae veterum quomodo diuiſae. II. 3, 1.
Vincula, qualis poena. IIII. 18, 6.
Vindex. III. 21, 2. (b) IIII. 6, 18.
Vindicatio rei quomodo inſtituta: *vid.* Rei vindicatio.
Vindiciae quomodo poſtulatae in iudicio. IIII. 6, 24.
Vis bonorum raptorum: *vid.* Rapina
feſtucaria. IIII. 6, 24. (u)
publica quomodo vindicata ex L. Plautia. IIII. 18, 66. ex L. Pompeia. *ib.* 67. ex L. Iulia. *ib.* 68.
ſub imperatoribus. *ib.*
exaſperata. *ib.*
priuata quomodo punita. *ib.* 69.
Viſcerationes quid? I. *adp.* 94.
Vltro tributa. III. 23, 10.
Vmbra vectigalis. I. *adp.* 63.
Vnciae hereditariae. II. 14, 6.
vnde dictae. *ib.*
eius partes. *ib.*
vſurariae. III. 15, 8. *ſeq.*
Vnde liberi. III. 10, 7.

Vnde

Source : BIU Cujas

Vnde legitimi. III. 10, 7.
decem personae. *ib.*
cognati. *ib.*
vir et vxor. *ib.*
cognati manumissoris. *ib.*
Vngulae ferreae in torturis adhibitae. IIII. 18, 25.
Vniuersitates an potuerint heredes instituí? II. 14, 3.
Vocatio magistratuum in ius. IIII. 6, 5.
Vrbs vnde dicta? II. 1, 9. (*h*)
quomodo condita. *ib.*
Vrnarum numerus certus in sepulcris. II. 1, 4.
Vnstrina ad sepulcra. *ib.*
Vsucapio e iure Attico. II. 6, 1.
qualis e XII. Tabulis. *ib.* 2.
rerum furtiuarum et raptarum vetita. *ib.* 4. *seq.*
vxorum. I. 10. 14.
eo iure non vtebantur peregrini. I. *adp.* 137.
Vsura auida. III. 25, 20.
bessis. *ib.* 23.
centesima legitima. *ib.* 15.
an lege Gabinia introducta. *ib.* 12.
est ex edicto Praetoris, et constitutionibus. *ib.* 15. quanta? *ib.* ciuilis. *ibid.* 25. dextans. *ibid.* 21. deunx. *ib.* 20. dodrans. *ib.* 22. leuior. *ib.* 26. modesta. *ib.*
Vsura modica. III. 15, 25. quadrans. *ib.* 28. quincunx. *ib.* 26. septunx. *ib.* 24. sextans. *ib.* 29. triens. *ib.* 27. triplex. *ib.* 30.
Vsurae binae, ternae, quaternae, quinae. *ib.* 30. *sq.* eas computandi modus. *ibid.* 18. eum pueri in scholis discebant. *ib.* (*k*)
Vsurpatio quid? II. 6, 10.
Vsus, ritus nuptiarum. I. 10, 14. et mancipium opponuntur. II. 1, 18.
seruitus personalis quid? II. 4, 4.
auctoritas. II. 6, 1.
Vsusfructus quid? II. 4, 1. *sequ.* eius origo II. 4. 6.
quantitatum et iurium. II. 4, 7.
quando finitus? *ib.* 8.
Vxor confarreata sacrorum fiebat particeps. I. 10, 4.
an in potestate mariti? *ib.* 6.
adsumebat mariti nomen. I. 10, 6.
omnia adquirebat marito. *ib.*
marito heres sua. III. 1, 2.
eum vocabat Dominum. I. 10, 6.
remancipari et cedi alii poterat. I. *adp.* 47.
quidquid habebat in dubio mariti. II. 9, 4.
Vxorium aes. I. 26, 3.

WIELINGII (*Abr.*) libellus de furto per lancem et licium concepto laudatus. IIII. 1, 13.

XEnia missa hospitibus. II. 7, 9.
Ὑποβολον. II. 7, 18.
Ὑποβολικὰ instrumenta. *ibid.*
Ὑπογαῖοι in sepulcris. II. 1, 4.

SOLI DEO GLORIA.

FINIS.

Source : BIU Cujas

IO. GOT. HEINECCII
HISTORIA IVRIS CIVILIS.

LIBER I.
DE ORIGINE, PROGRESSV, VARIISQVE MVTATIONIBVS IVRIS ROMANI.

CAPVT I.
DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS ROMANI SVB REGIBVS.

§. I.

ROMA, Albanorum colonia, sed initio magno advenarum, maxime ad asylum Romuli confluentium, concursu, postea et totis ciuitatibus gentibusque dedititiis intra moenia receptis sensim suppleta, mores ac religionem maioris patriae, aliarum coloniarum exemplo retinuit. * Quum ergo illi patrii mores in scripturam nondum essent redacti: *vrbs Roma initio sine lege certa, sine iure certo, egisse* dicitur Pomponio *l. 2. §. 1. D. de orig. iur.* Quomodo Romani initio sine lege iure certo egerint.

* Dionys. Halicarn. *Antiq. Rom. Lib. I. cap. 45.* Romam diserte vocat τῆς Ἄλβης ἀποικίαν, *Albanorum coloniam.* Et paullo post *cap. 72.* addit: τῷ δ' ἑξῆς ἔτει τὸ Νομίτωρος ἄρχειν, δισχιλιοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν ἀποικίαν στείλαντες Ἀλβανοὶ, Ρωμύλου καὶ Ῥέμου τὴν ἡγεμονίαν αὐτῆς ἐχόντων, κλίζουσι Ρωμην: *altero deinde Numitoris anno, post Ilium vero captum 432. Albani, Romuli et Remi ductu,* COLONIAM *miserunt, condideruntque* ROMAM. Vti vero colonias deos, mores, instituta, sacra cum metropolibus communia habuisse, pluribus exemplis probauit Ez. Span-

Source : BIU Cujas

Spanhem. *de vſu et praeſt. numiſm. Tom. I. Diſſert. VIIII. pag.* 580. *ſequ.* ita de Romanis et Albanis Strabo *Lib. V. pag.* 353. *edit. nou.* diſerte ſcribit, eos communia habuiſſe καὶ ἱερὰ, καὶ ἄλλα δίκαια πολιτικὰ, *cum ſacra, tum alia iura ciuilia.*

§. II.

Id quomodo intelligendum?

Quod tamen nolim eam in partem interpreteris, ac ſi populus Romanus nullis plane legibus, nulla actionum norma ſub vrbis incunabula vſus ſit: (qui enim fieri potuiſſet, vt ſine lege in ciuitatem coaleſceret turba incondita, et extorris patria hominum colluuies?) ſed ſenſus eſt, Romanos initio iure ſcripto caruiſſe. * Quod commune illis fuit cum gentibus pleriſque antiquiſſimis. Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 26. Iuſtin. *Hiſtor. Lib. I. cap.* 1. et *Lib. II. cap.* 7. Porphyr. περὶ ἀποχῆς *Lib. III. pag.* 283. *edit. Lugdun. anni* 1620.

* Nimirum lex lata Pomponio eſt ius conſtitutum, ſeu ſcriptum. Id vero ipſe opponit *iuri incerto* vel conſuetudini. *Sine iure* ergo *certo egerunt*, quod ſine lata lege et iure ſcripto viuerent. Bynkershoekii *Praetermiſſ.* (*p.* 236. *ſeq. edit. nou.*) Similiter Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiqu. Lib. X. cap.* 1. Οὔπω γὰρ ἦσαν ἔτι ἰσονομία τοῖς Ρωμαίοις, ὅτι ἰσηγορία, ὅτι ΕΝ ΓΡΑΦΑΙΣ ἅπαντα τὰ δίκαια τεθαγμένα: *nondum enim erat apud Romanos ius aequum omnibus ciuibus, nec omnibus ex aequo ſuffragandi poteſtas erat, nec* IN SCRIPTVRAM *relata erant iura omnia;* vbi itidem *ἰσονομία* opponitur *τοῖς ἐν γραφαῖς δικαίοις.*

§. III.

Regum arbitria defectum legum ſupplebant.

Quum vero, vt in noua ciuitate permulta inciderent, quae ad illos antiquae patriae mores componi non poterant: res ipſa popoſcit, vt ea omnia temperarentur regum arbitriis, * quae vetuſtiſſimis mortalibus pro legibus erant. Seneca *Epiſt.* 90. Iuſtin. *Hiſtor. Lib. I. cap.* 1. Atque inde eſt, quod *omnia initio* MANV *a regibus gubernata eſſe*, dicit Pomponius *l.* 2. §. 1. *D. de orig. iur.*

* Dionyſ. Halicarn. *Lib. X. cap.* 1. vbi de ſtatu iuris ciuilis ſub regibus τὸ δίκαιον ἦν ὑπ' ἐκείνων τότε νόμος ἦν: *ius ab illis conſtitutum pro lege erat.* Quoties ergo noua aliqua ac repentina inciderent: toties ipſi reges erant νόμος ἔμψυχος, *viua ac ſpirans lex*, vti loquitur Philo *de vita Moſis*, *Lib. II. pag.* 506.

§. IIII.

Hinc edicta regia pro lege erant.

Quidquid ergo vel fieri, vel omitti a ciuibus vellent reges Romani: id propoſitis, vel per praeconem promulgatis EDICTIS praecipiebant *. Quod facientes manu omnia gubernare dicebantur.

* Hinc

Source : BIU Cujas

* Hinc passim scriptores mentionem faciunt EDICTORVM regiorum ALBIque REGII veluti Liuius *Lib. I. cap.* 32. *et* 44. Dionys. Halicarnass. *Antiqu. Lib. III. cap.* 50. *Lib. IIII. cap.* 13. *Lib. V. cap.* 1. MANVS ergo REGIA erat potestas regum edicendi, quaecumque e re publica videbantur, quaeque legibus et moribus patriis nondum erant definita. Quo sensu *manus* accipi videtur a Tacito *in Agric. Cap.* 9.

§. V.

Eum rei publicae statum vel ideo aequo animo ferebat populus, quod reges ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio, iustitiaeque fama euexisset. Quandoquidem tamen, vti recte obseruauit Cicero, *ad diuers. Lib. VIIII. epist.* 16. *omnia incerta sunt, quum a iure discessum est, nec praestare quisquam potest, quale futurum sit id, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine*: non sane mirandum est, ferocem populum, libertatisque cupidum magis, quam patientem, Romulo ipso paullo rigidius dominante, mox LEGES flagitasse *, et tales quidem, quas ipse curiatis comitiis sciuisset. Mox tamen leges flagitauit populus.

* Libertatis enim argumentum id est certissimum, *si leges imperent.* Aristot. *Polti. Lib. III. cap.* 16. Hinc veteres scriptores ciuitates *liberas* LEGVM; *regna* PRINCIPVM REGVMque esse, dicebant, legibusque redditam esse censebant ciuitatem, quae se in pristinam libertatem adseruisset. Testimonia plurima Lucani, Quinctiliani, Claudiani, aliorumque melioris aeui auctorum collegit Io. Fridr. Gronouius *in Statium Papin. Silu. Diatr. I. Cap.* 2. *pag.* 11. *sequ.* Addo ego, et Graecos ita loquutos, veluti Aristotelem, qui dum *Politic. Lib. III. cap.* 11. ex instituto quaerit, πότερον συμφέρει μᾶλλον, ὑπὸ τοῦ ἀρίστου ἀνδρὸς ἄρχεσθαι, ἢ ὑπὸ τῶν ἀρίστων νόμων; *praestetne a bono viro regi, an a bonis legibus?* manifesto imperium boni viri pro principatu; imperium bonae legis pro libertate accipit. Hinc semper, qui libertatis, iidem et ἰσονομίας adpetentissimi esse solent.

§. VI.

Immo hoc vel ideo suo quodam iure postulabant Romani, quod Romulus ipse non merum principatum instituerat, ceu ex male intellecto loco Taciti *Annal. Lib. III. cap.* 2. *et l.* 2. §. 1. *D. de orig. iur.* vulgo colligunt, sed summum imperium ita communicauerat cum patribus et populo, vt REX senatui praeesset, populum rogaret, bella administraret, et ius in vrbe diceret: PATRES consilia cum rege de re publica caperent, magistratusque gererent: POPVLVS denique in comitiis de legibus, de bello et pace, nec non de magistratibus creandis curiatim ferret suffragia. * Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. II. cap.* 14. Idque et rei publicae forma exigere videbatur.

* Recte ergo L. Ampelius *Lib. memor. cap.* 50. tria esse obseruat rerum publica-

Source : BIU Cujas

rum genera: esse tamen *et quartum genus, quod Romani commenti sint, vt ex his tribus vnum efficerent.* His non obloquitur Pomponius, dum omnia aliquamdiu a regibus *manu* gubernata esse, memoriae prodit: vt adeo merito miremur, virum doctissimum Scipionem Gentilem *in Disp. illustr. de iur. publ. Rom. Disp. I. §. 2. p. 8.* scribere non dubitasse: *quod Pomponius scribit: initio ciuitatis nostrae omnia manu a regibus gubernabantur, quod nihil aliud est, quam summum omnium rerum arbitrium ac indicium penes eos fuisse: id de regibus Romanis dici non posse, nec a Pomponio dictum, existimamus.* Adeo totam illam legem Pomponio abiudicare mauult vir eximius, quam credere, *reges initio omnia manu gubernasse:* quod his verbis veram παμβασιλείαν describi putaret.

§. VII.

Hinc latae leges curiatae.

Hinc ipse ROMVLVS *leges quasdam curiatas ad populum tulit. l. 2. §. 2. D. de orig. iur.* Quum enim ipse populum vniuersum primum in tres TRIBVS, *Tatiensem, Lucerem,* et *Ramnetem,* hasque deinde in triginta CVRIAS descripsisset: Dionys. *Lib. II. cap. 7.* Festus, *voce: Curiae;* quoties ferendae essent leges, populo indicebat comitia, peractisque sacris et addicentibus auspiciis, eum rogabat verbis sollemnibus: VELITIS IVBEATIS, *Romani.* (QVIRITES enim multo post a Romulo, in caelum, vt fingebant, rapto, cognominari coeperant. Flor. *Histor. Lib. I. cap. 1.*) Quo facto curiae ibant in suffragia, et, quod plures sciuerant, id pro lege erat, et legis curiatae nomine veniebat. * Vnde lucem capit definitio legis §. 4. *Inst. de iure nat. gent. et ciuit.*

* Videntur LEGES CVRIATAE tantum ad Serui Tullii regis tempora obtinuisse. Hic enim noua inuenta populi partitione in classes, vt potentiorum atque opulentiorum suffragia plebis infimae turbaeque proletariae consiliis praeualerent, pleraque per comitia CENTVRIATA explicauit. Accesserunt postea demum comitia TRIBVTA, in quibus plebiscita potissimum fiebant tribuum suffragiis. Demum libera re publica tam rarae esse coeperunt LEGES CVRIATAE, vt eo nomine, mutata notione venirent decreta, quibus magistratibus maioribus imperium militare auspicii causa deferebatur. Liu. *Lib. V. cap. 46. et Lib. VIIII. cap. 38.* De qua *lege curiata* inter viros doctissimos, Car. Sigonium et Nic. Grucchium acrem intercessisse disputationem nouimus. Scripta amoebea eo pertinentia *Thesauro Antiquitatum Romanarum Tomo I. pag. 531. seqq.* inseruit Graeuius.

§. VIII.

Exempla legum Romuli.

Talium legum curiatarum a ROMVLO perlatarum vestigia passim exstant, non quidem in vetere tabula, quam Franc. Balduinus se a Io. Barthol. Marliano accepisse, scribit *ad leges Romuli, pag. 22. Tom. I. Iurisprud. Roman. et Attic.* (eam enim a recentiore manu esse, nemo negauerit: vid. Schubart. *de fatis iurisprud. Rom. Exerc. I. pag. 64.*) sed apud auctores veteres *, ex quibus eas

Source : BIU Cujas

eas collegerunt, cum alii, tum Ant. Augustinus, Iustus Lipsius, Fulu. Vrsinus, Franc. Balduinus, et his omnibus accuratior Paull. Merula *de legib. Rom. cap.* 2. *seqq.* vt adeo falsi sint Iustinianus *Nouell. XXXXVII. praef.* et Gratianus *can. I. distinct.* 7. qui a Romulo nihil omnino legum latum, existimarunt.

* Tales leges ad ius priuatum et animaduersionem in facinorosos homines pertinentes, apud Dionys. Halicarn. *Lib. II. cap.* 26. sunt sequentes: *mulier, quae secundum sacras leges conuenit in manum, particeps honorum sacrorumque mariti esto. Patri in liberos ius vitae et necis, illoque ter venumdandi ius esto. Tertium venumdati et manumissi e patria potestate exeunto. Sordidas sellularias que artes ciues ne faciunto, sed studiis militaribus reique rusticae vacanto. Temetum mulier ne bibito.* Ex aliis scriptoribus hae colliguntur: SEI PATRONOS CLIENTEI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTOD. Seru. *ad Virgil. Aeneid. Lib. VI. v.* 622. *Quod natum erit, parentes tollunto. Monstrosos partus sine fraude exponere ius esto. Moenia sancta sunto.* Plutarch. *in Romulo pag.* 30. Est quoque fragmentum legis Romuli de nuruum in soceros saeuitia apud Festum *in voce: Plorare:* cui occasionem dedisse mulierum Sabinarum a Romanis raptarum ferociam, suspicatur Merula *de Legib. Rom. cap.* 2. §. 4. Reliqua Romuli instituta ad sacra et rem publicam, atque adeo ad ius publicum, pertinent.

§. VIIII.

Sed et sequentes reges leges quasdam curiatas ad populum tulisse constat. Et NVMA quidem POMPILIVS eas potissimum, quae ad sacra pertinere visa sunt, adiecit, Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 26. quas ipse in octo partibus pro totidem classibus descripsit *. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. II. cap.* 65. De TVLLI HOSTILII legislatione testem habemus eumdem Dionysium *ibid. cap.* 23. qui et *Lib. III. cap.* 28. laudat legem de tergeminis ex publico alendis, ad suam vsque aetatem obseruatam. Reperta etiam quaedam ab ANCO MARCIO, Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 26. qui tamen Numae praecipue, aui, instituta in vsum reuocasse fertur. Liu. *Hist. Lib. I. cap.* 32. Nec non a Numa, Tullo Hostilio, et Anco.

* Sacris istis institutis, quibus simulato nocturno cum Egeria nympha congressu auctoritatem conciliabat, Liu. *Lib. I. cap.* 19. Dionys. *Lib. II. cap.* 61. 62. callide vtebatur Numa, ad eo acriora vincula legibus ciuilibus iniicienda. Sic vt vites diligentius putarent ciues, sanxerat: *ne quis diis ex vite imputata libaret.* Plin. *Hist. nat. Lib. XIIII. cap.* 12. *et Lib. XVIII. cap.* 12. Ne insanos sumtus sepeliendis cadaueribus coenisque impenderent: instituerat, *ne quis vino rogum respergeret*: Plin. *ibid. Lib. XIII. cap.* 12. neue pisces, nisi squamosos, ad pollu&tum emeret. Plin. *ibid. et Lib. XXXII. cap.* 11. Ne termini nefarie mouerentur: neue pellicatus gliscceret in ciuitate; vel fidem quisquam impune fallere auderet: callide praeceperat, *vt Terminus Deus esset, et si quis terminum exarasset, ipse cum bobus Diuis sacer esset*: Dionys. Halicarn.

Source : BIU Cujas

carn. *Lib. II. cap. 76.* Festus *in voce: Termino. Ne pellex aram Iunonis tangeret: si tetigisset, crinibus demissis agnum feminam caederet.* Fest. *in voce Pellices.* Denique, *vt Fidei numen omnes metuerent.* Dionys. *ibid. cap. 72.* Proprie ad leges ciuiles Numae pertinent sequentes: *Si quis liberum hominem dolo malo occiderit, parricida esto: sin imprudens, in concione pro capite occisi et natis eius arietem offerto.* Festus, *in voce Parricida. Si filiusfamilias, volente patre, vxorem duxerit, patri eius venumdandi potestas ne esto. Vidua intra decem menses luctus ne nubito.* Plutarc. *in Numa, pag.* 71. Addimus legem regiam, cuius mentio fit *l. 2. D. de mort. infer. ne mulier, quae praegnans mortua fuerat, nisi excisso partu humetur.* Eius enim auctorem esse NVMAM, ex ipsa illius indole colligit Ant. Augustin. *de Legib. et senatusconsult. pag.* 130. Sunt, qui Mosis leges, sunt qui Pythagorae instituta Numae ob oculos fuisse contendunt. Clem. Alex. *Stromat. Lib. I. pag.* 304. Euseb. *Praeparat. euang. Lib. VIIII. cap. 6. p.* 410. Sed, vti prius vix probabile: ita posterius manifesto falsum, et ob rationes chronologicas absurdum est. Liu. *Histor. Lib. I. cap.* 18. Dionys. *Lib. II. cap.* 60.

§. X.

An et a reliquis regibus?

TARQVINII PRISCI lex, quae quidem ad ius priuatum pertineat, a veteribus nulla describitur: at tanto plures laudantur SERVII TVLLII, non curiatae tamen, sed centuriatis, vti videtur, comitiis perlatae *. Quas deinde omnes vno edicto sustulit, suo omnia arbitrio, tamquam tyrannus, acturus TARQVINIVS SVPERBVS. Dionys. Halic. *Antiqu. Lib. V. cap.* 2.

* SERVIVS TVLLIVS non modo Romuli et Numae leges reuocauit in vsum: Dionys. *Lib. IIII. cap.* 13. sed et plures nouas sanxit, veluti de iudiciis, Dionys. *ibid. cap.* 29. de libertinis ciuitate donandis, *ibid. cap.* 26. 27. 28. Cicero *pro Cornelio Balbo cap.* 24. de ciuibus ob aes alienum in vincula non ducendis: Dionys. *Lib. IIII. cap.* 12. de filio patrem verberante Festus, *in voce: Plorare.* Denique de contractibus et iniuriis priuatis. Dionys. *Lib. IIII. cap.* 17. Vnde Tacitus *Annal. Lib. III. cap.* 26. *Praecipuus*, inquit, *Seruius Tullius sanctor legum fuit, queis etiam Reges obtemperarent.* Nam cum in toto imperio suo, tum in ferendis legibus tam popularis erat, vt non modo de patrum, sed et regia potestate dimidium detraxisse videretur. Dionys. *ibid. cap.* 29.

§. XI.

Regii imperii finis.

Sed non diu tyrannidem tulit ferocissimus populus. Mox enim regnari Romae desiit, postquam TARQVINIVS SVPERBVS ex magno imperio non nisi maximam retinens licentiam, euersis legibus, oppressoque populo, ciuium suorum incurrit odia, regno ipsaque ciuitate pulsus anno V. C. 244. Flor. *Lib. I. cap.* 1.

§. XII.

Legum regiarum indoles.

Ex his omnibus intelligitur, leges Regum Romanorum fuisse paucas, easque, siue verba, siue rem ipsam consideres, priscam simpli-

Source : BIU Cujas

simplicitatem vbique redoluisse, fini tamen reipublicae, qui in potentia bellica consistebat *, si pauciſſima Numae instituta excepe-ris, tam callide attemperatas, vt Romulum ipsis Graecorum legislatoribus anteferre non dubitet Dionys. Halicarn. *Lib. II. cap.* 23. *seqq.*

* Fuit noua res publica ex earum numero, quarum finis est, ὅπ πάνλα πρὸς τὸ κραλεῖν καὶ πρὸς πόλεμον νομοπ-θῶνται, *vt cuncta ad potentiam bellumque gerendum instruantur.* Aristot. *Polit. Lib. VII. cap.* 14. Nimirum quum nec ager Romanus admodum amplus, nec artificum in promiscua turba magna multitudo, nec commodus ad commercia instituenda portus esset: non poterat non intelligere Romulus, neque agriculturam, neque opes per opificia vel commercia adquirendas finem esse posse nouae rei publicae, ac proinde ipse auctor erat ciuibus suis, vt omnia ad bellicam potentiam referrent, commendabatque iis ἐν μὲν τοῖς ὀθνείοις πολέμοις τὸ δια᾽ τῶν ὅπλων κρά-τος, ἐν δὲ τοῖς ἐμφυλίοις παραχαῖς τὴν ὁμοφροσύνην, καὶ σώφρονα, καὶ δίκαιον ἑκάστε βίον, *in externis bellis armorum potentiam in ciuilibus vero tumultibus concordiam, temperantiamque, et iustitiam.* Dionys. Halic. *Lib. II. cap.* 7. Et ad hunc finem pleraeque leges regiae comparatae fuerunt. Pleraeque, inquam. Numam enim id in primis egisse, vt ferocem populum ad pacis studia paullatim inflecteret, iam supra diximus. Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 2. *et* 8.

CAPVT II.

DE STATV IVRIS ROM. AB EXACTIS REGIBVS AD LATAS LEGES XII. TAB.

§. XIII.

Exactis regibus bini creati consules.

REgibus *lege tribunicia*, id est, a *Iunio Bruto*, tum tribuno celerum, lata, exactis, bini consules rei publicae eorum loco praeesse coeperunt, eadem auctoritate potestateque, ac olim reges, vt, si a vocabulo, numero, ac diuturnitate dignitatis discesseris, nihil omnino de regio imperio deminutum videretur *. Liu. *Lib. II. cap.* 1. Unde et *regiae maiestatis imperium* consulatus vocatur a Liuio *Lib. IIII. cap.* 2. Nimirum *ex perpetuo annuum placebat, ex singulari duplex imperium, ne potestas vel mora, vel solitudine, corrumperetur*: CONSVLESque *adpellati pro regibus, vt, consulere se ciuibus suis debere meminissent.* Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 9.

* Vere ergo manebat forma rei publicae pristina, vt nomen magis, quam potestas regum abolita videretur. Vere regia potestas erat penes consules. Patri-

Source : BIU Cujas

Patribus quoque salua erant, quae antea habuerant, iura: nec populo ius de legibus, honoribus, bello ac pace statuendi adimebatur. Attamen quum consules tantum patricii generis initio eligerentur, nec plebi adhuc via pateret in senatum: id praecipue agebant patres, vt, oppressa plebe, res publica paullatim aristocratiae schema indueret. Sane id consilium non celauit, sed ingenuo professus est Appius Claudius, dum obiurgatus a Valerio ob calida illa plebem opprimendi consilia, his se verbis defendit: Α' δὲ εἰς χαλεπότητα, ἢ ποιηρῶν ἀνθρώπων προσατίαν ἀνεδίδασμοι, μισόδημον τε ἢ ὀλιγαρχικὸν λόπκαλῶν, ὅπ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΙΑΣ φιλόμαι, κοινὰ πάντων ὑμῶν ἐστι καλήγορήματα: *Quod autem me difficilem adpellauit, et malorum hominum an signarum, infensumque plebi, et paucorum potentiae studiosum, quod* ARISTOCRATIAM *tuear: communia mihi vobiscum sunt crimina.* Dionys. Halicarn. *Lib. VI. cap. 62.*

§. XIIII.

Qualis tum iuris Romani facies?

Iam quae ab eo tempore fuerit iuris Romani facies, paucis ita describit Pomponius: *exactis deinde regibus lege tribunicia, omnes leges hae exoleuerunt, iterumque coepit populus Romanus incerto magis iure et consuetudine ali, quam per latam legem: idque prope VIginti * annis passus est. l. 2. §. 3. D. de orig. iur.*

* Non congruit annorum numerus, si legas VIGINTI. Nam ab exactis regibus ad conditas XII. tabulas non viginti, sed sexaginta fere anni elapsi sunt: vt probabile sit, primam syllabam VI maiusculis litteris expressam signum numeri senarii fuisse, adeoque legendum esse SEXAGINTA. Bynkershoekii *Praetermiss. ad l. 2. D. de orig. iur. pag. 237. edit. nou.*

§. XV.

Leges regiae adhuc pro moribus valebant.

Enimuero id denuo non ita accipiendum est, ac si interiecto tempore exleges vixerint Romani. Potius quum *ius incertum legi latae* opponat Pomponius (§. 2.) sensus est, leges regias non amplius, tamquam ius scriptum, sed, tamquam mores maiorum et consuetudines patrias, viguisse. Tantum enim abest, vt leges, olim a regibus latae, vel populi scito abrogatae sint, vel non vsu exoleuerint, (quod iam refellit Rupertus *ad Enchir. Pompon. Lib. I. cap. 4. pag. 61. edit. nou.*) vt permultas a primis coss. confirmatas esse, quasdam et in ipsas XII. tabulas migrasse satis constet *.

* Dionys. Halic. *Lib. V. cap. 2.* Τὰς περὶ τῶν συμβολαίων τὰς ὑπὸ Τυλλίε γραφίντας, φιλανθρώπους ἢ δημοτικὰς εἶναι δοκίντας, ἃς ἅπαντας καλίνσε Ταρκυνιος, ἀνενεώσανλο: *Leges Tullii, de contractibus, humanas admodum et populares, quas in vniuersum Tarquinius sustulerat, reuocarunt in vsum.* Et paucis interiectis: Καὶ πάντα πράτλειν, ὅσα καλὰ τὰς προλίρας ἐθισμὰς ἐπεκάλον, ἀπίδοσαν: *ceteraque omnia secundum priscas consuetudines facere permiserunt.* Non ergo valebant amplius leges regiae, tamquam ius scriptum, nisi quatenus de nouo legibus sacratis essent firmatae. Et hinc *ius patriae potestatis*, quod ex ipsius Romuli legibus esse, obseruauimus, (§. 8.) MORIBVS *esse receptum*, testatur Vlpianus *l. 8. D. de his, qui sui vel al. iur.*

§. XVI.

Source : BIU Cujas

§. XVI.

Et quis, quaeso, dubitet, quin post Tarquinii etiam exsilium legum regiarum vsus haud exiguus fuerit, quum iisdem temporibus eas singulari opere collegerit C. PAPIRIVS *? Sane si nullus plane earum legum superfuisset vsus, eas colligendo maximas nugas egisset Papirius. Ivs istud PAPIRIANVM, quod SEXTO potissimum *libro* leges *ciuiles*, reliquis *sacras* comprehendisse videtur, *l.* 2. §. 2. *D. de orig. iur.* luculento commentario illustrauerat GRANIVS FLACCVS, *l.* 144. *D. de verb. signif.* Hinc ius Papirianum.

* Huius CAII PAPIRII meminit Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. III. cap.* 50. additque, eum Numae leges post Ancum regem in vsum reuocasse, tanquam pontificem maximum. Non ergo SEXTI praenomen habuit ille iuris Papiriani auctor, sed *sexto libro* comprehendit leges ciuiles, idque vel inde probatur, quod Cuiacius se in codice MSC. legisse testatur *in Libro VI. Papirii*: vt facile nota numeri senarii in praenomen mutari potuerit. Non magis verum est PVBLII praenomen, quod occurrit in eadem *l.* 2. §. 36. *D. eod.* adeoque et ibi errauit Pomponius, nisi legere malis: *in primis peritus publici iuris Papirius.*

§. XVII.

GRANIVS ille FLACCVS, de cuius gente et libris quaedam non vulgaria obseruauit Ludou. Carrio *Emendat. Lib. I. cap.* 4. Iulio Caesari fuit σύγχρονος, ceu ex Censorino *de die nat. cap.* 3. obseruauit Dukerus *de Latinit. vet. ICtor. pag.* 156. Laudat enim ibi Censorinus *Granii Flacci librum, quem ad Caesarem de indigitamentis scriptum reliquit.* Idem ergo videtur, cuius exstitit in ius Papirianum commentarius, qui tamen iam pridem haud leui iuris prudentiae incommodo periit. *. Cuius interpres Granius Flaccus.

* Exstat fragmentum bene longum, quod ex ipso iure Papiriano citat Macrobius *Saturnal. Lib. III. cap.* 11. ex Granii vero Flacci potius commentario esse obseruauit Wesselingius *Obseru. Lib. I. cap.* 4. Immo ex eodem probabile est, Seruium et Festum depromsisse fragmenta legum regiarum, quae supra (§. 8. * et 9. *) attulimus. Nam ne illa quidem stilum redolere temporis, quo Romae regnatum est, notauit Io. Nic. Funccius *de puerit. Lat. linguae, cap.* 3. §. 5. *pag.* 224.

§. XVIII.

Pauciores tamen superfuisse leges regias, quam quae nouae rei publicae formae sufficerent, facile est ad intelligendum, idque ipse obseruauit Dionysius Halicarn. *Antiqu. Lib. X. cap.* 1. dum scripsit: Τούτων δὲ τὰ μὲν πολλὰ τοῖς ἐπιτρόποις τῶν ἀρχόντων ἀριστίνδην ἐπιδεικνυμένοις ἀκόλουθα ἦν ἐπὶ τὰς ἀρχάς· κομιδῇ δὲ ὀλίγα τινὰ ἐν ἱεραῖς Quae deerant, edictis supplebant consules.

Source : BIU Cujas

ἐφαῖς ἦν βίβλοις ἀποκείμενα, ἃ νόμων ἶσχε δύναμιν: *Id ius maxima ex parte constabat virorum potestate praeditorum praeiudiciis, et* PERPAVCA *in sacris libris habebantur, quae legum vim obtinebant.* Hinc quemadmodum initio reges pleraque, de quibus leges scriptae non exstabant, MANV. (§. 3.) id est, propositis edictis, (§. 4.) GVBERNABANT: ita consules, non minore, quam reges, auctoritate praediti, (§. 13.) edictis tum pleraque moderabantur *.

* Rem luculenter eodem loco probat Dionysius vbi diserte ait: Ὡς δὲ ἐπαύσαντο μοναρχούμενοι, τοῖς κατ' ἐνιαυτὸν ὑπάτοις ἐνεχείρισαν τὰ πάντα, τῶν βασιλέων ἴργαις ἤτε δικαίας διαγνώσεις, ἤτε τοῖς ἀμφισβητοῦσι πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ὁπωσδήποτε ἐκείνοις τὰ δίκαια οἱ διαιρεῖν ἦσαν: *imperio regio cessante, eoque ad annuos magistratus translato, inter cetera regia officia iuris quoque cognitio ad eos translata est, atque illi, lite quacumque de caussa inter aliquos orta, iura reddebant.* Postea obseruat ea, quae constituissent, postea, tamquam translatitia seruata esse a successoribus: vt ne dubitari quidem posse videatur, quin de edictis consularibus loquatur Dionysius.

§. XVIIII.

Tribunorum plebis origo et potestas.

At his consulatus luminibus non parum offecit noua potestas TRIBVNORVM PLEBIS, anno ab exactis regibus decimo sexto creatorum a plebe, per truculentiam patriciorum ad seditionem consternata, quum, facta in montem sacrum secessione, patribus et id nouum libertatis praesidium, et *leges sacratas* * extorsisset. Liuius, *Lib. II. cap.* 32. Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 9. *ex.* 7. Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 23. His enim creatis, initio numero quinque, postea decem, Liu. *Lib. III. cap.* 30. patres non modo sua de constituenda aristocratia consilia valde turbata, sed et legislatoriae potestatis partem non minimam in plebem translatam esse non sine indignatione animaduerterunt.

* *Sacratae* dicebantur hae leges, quia iis erat sancitum, vt si quis aduersus illas feciisse diceretur, alicui deorum cum familia pecuniaque sua SACER esset. Festus, *in voce: Sacrata.* Hinc alibi, vbi de *sacro homine* differit, adducit veterem formulam: SI QVIS EVM, QVI EO PLEBISCITO SACER SIT, OCCIDERIT, PARRICIDA NE SIT. De legibus sacratis tum latis adcurate egit Car. Sigon. *de iure ciu. Rom. Lib. I. cap. 6. pag.* 26. de aliis tali sanctione poenali munitis Radulph. Forner. *Rer. quotidian. Lib. VI. cap.* 15. *pag.* 295. *seqq. Thesaur. iur. ciu. Tom. II.* Non enim hae tantum, sed omnes simili sanctione munitae, leges SACRATAE vocantur. Perizon. *Animadu. histor. pag.* 418. *seq.*

§. XX.

Plebiscita

Ex eo tempore frequentissimi ac paene quotidiani esse coeperunt

runt furores tribunicii, non modo aduersus impotentem patrum dominationem, sed et ad euertendam aristocratiam, quam senatus adfectabat. Quin nouas iam rogationes quotannis ferebant ad plebem, quas haec, tanquam ad minuendam patrum auctoritatem comparatas, tributim facile ratas habebat, nisi vnus vel alter tribunorum plebis reliquis collegis intercederet. Liu. *Lib. IIII. cap.* 49. *Lib. VI. cap.* 35. Dionys. Halic. *Antiqu. Lib. X. cap.* 37. Quaecumque vero plebs, plebeio illo rogante magistratu, constituerat, PLEBISCITA vocabantur. §. 4. *Inst. de iure nat. gent. et ciuil.* quemadmodum leges proprie dictas, id est, a toto populo latas POPVLISCITA eleganter vocat Cornelius Nepos *Alcibad. cap.* 5. ab iis rogata.

§. XXI.

Quo frequentius itaque plebiscita condebantur, eo rariores erant LEGES, vt post illas a Iunio Bruto, primo Consule, latas, et aliquot Valerias et Publilias non alia fere memoretur, quam ATERIA TARPEIA anno V. C. 300. comitiis centuriatis perlata, qua cautum, vt liceret omnibus magistratibus, τὰς ἀκοσμοῦντας ἢ παρανομοῦντας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐξουσίαν ζημιοῦν. τὸ μέντοι τίμημα οὐκ ἐπὶ αὐτοῖς ζημιοῦσιν, ὁπόσον εἶναι δοκεῖ, καθέλιπον, ἀλλ' αὐτοὶ τὴν ἀξίαν ὥρισαν, μέγιστον ἀποδείξαντες ὅρον ζημίας δύο βόας καὶ τριάκοντα τρόβατα: *suae potestatis laesae reos mulctare: mulctae tamen modus non mulctantium arbitrio relictus esset, sed ab ipsis praefinitus, ne scilicet mulcta, quantumuis grandis, duos boues et triginta oues excederet* *. Dionys. Halic. *Lib. X. cap.* 57. Lex Ateria Tarpeia.

* Ita hanc legem describit Dionysius: at plura tamen de illa notanda sunt ex aliis auctoribus. Nam primo satis probabile est, pro δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα inuerso ordine legendum esse δύο πρόβατα καὶ τριάκοντα βόας. Quum enim minor ouium, quam boum prouentus esset: Festus *in voce: Peculatus:* diserte scribit: *ante aes aut argentum signatum, ob delicta poena grauissima erat* DVARVM OVIVM *et* TRIGINTA BOVM. Deinde, quum haec poena ante aes signatum exigi consueuerit, aes autem Romae primum signauerit Seruius Tullius rex: Plin. *Hist. nat. Lib. XVIII. cap.* 2. *Lib. XXXIII. cap.* 3. vnusquisque videt, hunc mulctae modum non primum hac lege, sed iam inde ab antiquissimis temporibus fuisse definitum. Hinc vir doctissimus, Io. Koolius, Vltraiectinus, libello singulari *ad legem Ateriam Tarpeiam, cap.* 2. *pag.* 1507. *Thesaur. iur. ciu. Tom. V.* obseruat, duo potissimum hac lege sancita fuisse, primum vt omnibus magistratibus fas esset mulctare eos, qui sibi non obtemperent: quum antea id ius soli consules habuissent: Dionys. Halic. *Lib. X. cap.* 57. alterum, vt numerum ouium boumque certa pecunia, et quidem ouem aeris denis, bouem centenis redimere licere. Gell. *Noct. Att. Lib. XI. cap.* 1. Festus *in voc. Aestimata, Ouibus, Mulcta.* An vero et modus hic ea lege

Source : BIU Cujas

primum definitus sit, vt mulcta duas oues et triginta boues non excederet, merito dubitat ob locum Festi *in voce : Peculatus*, ex quo hunc poenarum modum iam ante aes signatum obtinuisse vidimus. Ceterum ex hac lege nata postea esse videntur edicta praetoris: SI QVIS IVS DICENTI NON OBTEMPERAVERIT, *l.* 1. *D. si quis ius dic. non obtemper.* itemque: SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT, QVVM EVM IRE OPORTERET, VT IS IN MVLCTAM PRO IVRISDICTIONE MAGISTRATVS CONDEMNETVR. *l.* 2. *pr. et §.* 1. *D. si quis in ius voc. non ierit.*

§. XXII.

Lex Terentilla de legibus scribendis.

PLEBISCITA vero, quae ex eo tempore multo frequentius condebantur, pleraque magis ad ius publicum, quam ad priuatum, pertinebant. Quum vero consules tantum non regiam maiestatem adfectarent; tribuni plebis eamdem perpetuis concionibus impugnarent; adeoque neutra pars alteri potestatem ferendi leges concederet: misera fuit iuris conditio tantisper, dum ferociſſimus tribunorum anno V. C. 293. ad plebem ferret, *vt quinque viri crearentur legibus de imperio consulari scribendis. Quod populus in se ius dederit, eo consulem vsurum.* Liu. *Lib. III. cap.* 9. Quin *et, vt iuri de omnibus negotiis, publicis aeque, ac priuatis, scribendo decemuiri crearentur.* Dionyſ. Halic. *Antiqu. Lib. X. cap.* 3.

§. XXIII.

SC. de legatis in Graeciam mittendis plebiſcito firmatum.

Magna haec ac diuturna seditionum materia, nec patribus plebi, nec hac illis quidquam concedere volentibus. Denique anno V. C. 300. auctore T. Romilio in legis Terentillae sententiam factum est SC. vt legati mitterentur in Graeciam, qui describerent Graecarum ciuitatum leges, ex quibus deinde DECEMVIRI LEGIBVS FERVNDIS, extra ordinem creandi, corpus aliquod Romanarum legum conficerent. Quod SC. deinde, rogante Sicinio, tribuno plebis, plebiſcito firmatum est. Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Lib. X. cap.* 57. *ſeqq.*

§. XXIIII.

Ii in Graeciam miſſi leges deſcripſerunt.

Miſſi itaque eodem anno in Graeciam legati, non decem, vti apud Pomponium in *l.* 2. §. 4. *D. de orig. iur.* est, cuius textum tamen leui verborum traiectione emendat Bynkersh. *in Praetermiſſ. pag.* 238. *edit. nou.* sed tres, SP. ALBVS, A. MANLIVS VVLSO, et SER. SVLPICIVS CAMERINVS, qui insequente anno magnam inde retulerunt peregrinarum legum farraginem, quae postea praecipuus fuit fundus legum XII. tabularum *. Dionyſ. Halic. *Antiqu. Lib. X. cap.* 60. Liu. *Lib. III. cap.* 31.

* A quibusnam vero ciuitatibus petierunt leges? ATHENAS exprimit Liuius

Source : BIU Cujas

vius *Lib. III. cap.* 31. attamen *et alias Graeciae ciuitates* addit. Contra *accita esse, quae vsquam egregia,* obseruat Tacius *Annal. Lib. III. cap.* 27. quod ad *Graecas vrbes, quae erant in Italia,* id est, ad Magnae Graeciae ciuitates restringere videtur Dionys. Halicarn. *Lib. X. cap.* 58. *et* 61. De Lacedaemone adhuc sub iudice lis est, vnde leges quasdam petitas esse adfirmant Plin. *Epist. Lib. VIII. epist.* 24. Athen. *Deipnosoph. Lib. VI. cap.* 21. et Ammian. Marcell. *Lib. XVI. cap.* 5. negant contra Augustinus *de ciuit. Dei Lib. II. cap.* 16. Galuan. *de vsufr. cap. 6. num.* 5. quorum sententia vel ideo verosimilior est, quod Spartae describi nihil legum potuit, quum Lycurgi ῥήτρα litteris mandatae non essent, ceu obseruant Plutarch. *in Lycurgo, pag.* 47. et Schol. Graec. *in Lucian. Tomo I. pag.* 26. Add. Eu. Otton. *praef. Tomi III. Thesauri iur. ciu. cap.* 3. *pag.* 7. *seqq.*

§. XXV.

Legatis cum illa legum farragine Romam reuersis, creati sunt DECEMVIRI legibus ferendis, quorum veluti antesignanum APPIVM CLAVDIVM fuisse constat. Et hi quidem summum, quod acceperant, imperium initio tanta moderatione animi administrabant, vt paene populares viderentur, simul per ocium componebant X. tabulas, interprete vsi HERMODORO, viro prudente, Ephesio tum exsule, statuamque ob nauatam illam Decemuiris operam merito, teste Plinio *Hist. nat. Lib. XXXIIII. cap.* 5. * Ex quibus potissimum compilatae leges XII. tabularum.

* HERMODORVM illum Ephesium vrbe sua expulerant ciues per ostracismum, non crimine vllo exsilium istud meritum, sed virtute, quia ceterorum ciuium suorum luminibus officere videbatur. Quod consilium adeo damnavit Heraclitus, philosophus, vt diceret, ἄξιον Ἐφεσίους ἥβης δὲ ἐπιθανεῖν πᾶσι, καὶ τοῖς ἀνήβοις τὴν πόλιν καταλιπεῖν, οἵτινες Ἑρμόδωρον ἑαυτῶν ἀνήϊστον ἐξέβαλον, λέγοντες, ἡμῖν μηδὲ εἷς ἀνήϊστος ἔστω· εἰ δέ τις τοιοῦτος, ἄλλῃ τε καὶ μετ' ἄλλων: *merentur Ephesii omnes adulti mori, impuberibusque vrbem derelinquere, quoniam Hermodorum, suum benefactorem, expulerunt, dicentes: nostrûm nemo meritis excellat, quoniam si quis erit talis, alibi degat, et cum aliis.* Diogen. Laërt. *Vit. philos. Lib. VIIII. segm.* 2. Cic. *Tusc. quaest. Lib. V. cap.* 36. Exstat praeterea *epistola,* quae inter Heracliteas tertia est, in qua per somnium se vidisse ait, ad Hermodori leges vniuersi orbis diademata accedere, et ex Persarum more, ἐγκλείοντας τὸ στόμα προσκυνεῖν ἀνθρώπους, *ore obuoluto eas adorare.* Immo addit, Sibyllam cum alia plurima, tum id quoque vaticinatam esse:

Ἐξ Ἰάδος γαίης ἥξειν σοφὸν Ἰταλίησιν:
Venturum Ionia sapientem ex vrbe Latinis.

Vid. Stanlei *Histor. philos. Parte VIII. cap.* 3. *pag.* 832. Sed fungus sit, qui fucum non videat. Non sane ipse has leges scripsit Hermodorus, quod Strabo *Lib. XIIII. pag.* 951. *edit. nou.* velle videtur, sed, vt Pomponius *l.* 2. §. 4. *D. de orig. iur.* scribit, *auctor decemuiris fuit ferendarum legum,* id est, vt ego interpretor, consilio illos iuuit, et obscuriora interpretatus est. Quamobrem illum *decemuirorum interpretem* vocat Plinius *Hist. nat. Lib. XXXIIII. cap.* 5. Et quis, quaeso, dubitet, quin illis opus fuerit interprete, nulla Graecae sapientiae cognitione imbutis? Fal-

Source : BIU Cujas

luntur etiam, qui et Iustinianum verbis *l.* 2. §. 19. *C. de vet. iur. enucl. haſce itaque leges et* ADORATE, *et obſervate*, ad illud Heracliti ſomnium adludere, et pontificem *cap.* 5. *X. de praeſcript.* Hermodoro *Epheſini legiſlatoris* elogium tribuere contendunt. Maran. *de aequit. pag.* 15. *Tom.* I. *Opp. edit. nou. Epheſinus* enim *legiſlator* ibi eſt Theodoſius imp. qui concilium Epheſinum indixit, Ciron. *Obſeruat. Lib.* I. *cap.* 15. Euer. Otto *praefat. Tom. III. Theſ. iur. ciu. cap.* 1. *pag.* 4. quemque praeſcriptionis tricennalis auctorem eſſe, praeclare docuit Gonzal. Tellez *Tomo II. Parte II. pag.* 678. vt mirum ſit, virum doctiſſimum poſtea cum Io. Sauarone *ad Sidon. Epiſt. Lib. VIII. epiſt.* 6. pro *Epheſinus* reſcribi iubere *Eugenius legiſlator.*

§. XXVI.

Quarum decem initio propoſitae.

Priores has tabulas anno V. C. 303. promulgatas prius populo, et centuriarum ſuffragiis, more maiorum probatas, tabulis, ſiue *eboreis*, *l.* 2. §. 4. *D. de orig. iur.* ſiue *roboreis*, et paucis annis poſt *aeneis* inciderunt, Liu. *Lib. III. cap.* 7. et pro ROSTRIS, (id eſt, eo loco, cui poſtea, circumactis plus quam centum annis nauium Antiatium roſtra ſuffixa nomen fecerunt, Plin. *Hiſt. nat. Lib. XVI. cap.* 4. Liu. *Lib. VIII. cap.* 14. Flor. *Lib. I. cap.* 11.) publice propoſuerunt, Liu. *Lib. III. cap.* 34. *et* 57. Dionyſ. Halic. *Lib. X. cap.* 66. *l.* 2. §. 4. *D. de orig. iur.* ſparſo ſimul rumore, duas adhuc tabulas illi corpori ad perfectionem deeſſe. Liu. *Lib. III. cap.* 34.

§. XXVII.

Poſtea, additis duabus reliquis, imperivm abrogatum decemviris.

Quum vero deinde in tyrannidem abiret illud decemuirale imperium, ac proinde populus magno duarum reliquarum tabularum deſiderio teneretur: Appii Claudii libidine et iniquitate * factum eſt, vt inſequente anno 304. magiſtratu ſe abdicare cogerentur decemuiri, publicatis tamen prius duabus, quae deeſſe dicebantur, tabulis. Dionyſ. Halicarn. *Lib. X. cap.* 69. Liu. *Lib. III. cap.* 37. Itaque tota illa legiſlatio XII. conſtitit tabulis, *fonte vniuerſi publici priuatique iuris.* Liu. *Lib. III. cap.* 34.

* Nihil maiorem decemuiris inuidiam concitauit, quam Appii iniquitas, qui alienato in libidinem animo, vt Virginia puella quantocyus potiretur, contra ſuam ipſe legem vindicias ſecundum ſeruitutem decernere non dubitauerat. Inde enim maxima ſeditio, inde caedes Virginiae vel potius parricidium, inde motus caſtrenſis, denique Appii carcer, omniaque ad plebis voluntatem inſtituta, quae fuſius exſequitur Liu. *Lib. III. cap.* 43. *ſequ.*

§. XXVIII.

In iis tamen et leges regiae mo-

Neque tamen ex ſolis peregrinis legibus nouum iſtud legum Romanarum corpus confectum eſt *, ſed et ex legibus patriis plura in illud migrarunt, ceu iam ſupra exemplo patriae poteſtatis oſtendimus.

Source : BIU Cujas

dimus. (§. 15.*) De lege, quam de patronis et clientibus tulerat Romulus, idem adfirmat Seruius *ad Virgil. Aeneid. Lib. VI. v.* 622. de quibusdam Numae institutis Festus, *in voce: Murrata.* Quapropter et Dionys. *Lib. II. cap.* 28. monet, leges regias in XII. tabulis exstitisse, et *Lib. X. cap.* 66. generatim docet, leges illas decemuirales compositas esse ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, καὶ ὧν περὶ τῶν σφίσιν ἀγράφων ἐθισμῶν, *tum ex Graecorum iure, tum ex patriis eorum consuetudinibus.* Non mirum itaque est, Romanos, excisa a Gallis vrbe, leges etiam regias vna cum XII. tabulis per Italiam conquisiuisse. Liu. *Lib. VI. cap.* 1. reſque patrii.

* Non leuem quorumdam reprehensionem incurrunt Romani, quod peregrinas leges adsciuerint, quum non omnes leges omni quadrare rei publicae ex ciuilis prudentiae principiis notissimum sit. At *primo* non omnes illae leges peregrinae fuerunt: sed plerisque iam pridem sua Romae constitit auctoritas. *Deinde* non sine delectu ex illa Graecarum legum farragine corpus quoddam informe et sibi dissimile, composuerunt decemuiri, sed, prudente adhibita ἐκλογῇ ea tantum, quae concinna rei publicae suae videbantur, in tabulas illas retulerunt. *Tum porro* non omnes leges peregrinas seruabant integras, sed eas, prout e re esset, emendabant, suaeque ciuitatis accommodabant moribus, ceu ad oculum patebit, si quis leges Atticas cum Romanis contulerit, quod praeter alios fecit Pard. Prateius *in Iurisprud. vetere, Tomo III. Thes. iur. ciu. Denique* in tanta patrum plebisque aemulatione ipsam necessitatem Romanis id consilium extorsisse satis patet ex oratione Romilii apud Dionys. Halicarnass. *Lib. X. cap.* 58. vt iam non dicamus, et alias gentes peregrina instituta non adspernatas esse. Lycurgum enim e Cretensibus leges suas accepisse, docet Plato *in Minoe.* Charondae quoque et Zaleuci leges non nisi exterorum institutorum συλλογὴν quamdam fuisse, obseruant Diodor. Sicul. *Biblioth. Lib. XII. cap.* 11. et Strabo *Lib. VI. p.* 398. Quin prudentiam Romanorum, quam adscitis exterorum institutis ostenderunt, mirifice laudat Sallust. *in Bell. Catilin. cap.* 52.

§. XXVIIII.

Leges illae XII. tabularum, scriptae quidem verbis antiquis, ac proinde posteris paullo obscurioribus, Horat. *Lib. II. Epist.* 1. Seneca *Epist.* 114. Gell. *Noct. Attic. Lib. XVI. cap.* 12. Symmach. *Epist. Lib. III. epist.* 44. non tamen in metrum vel carmen vnquam redactae sunt *. Eu. Otto *praef. Tomi III. Thesaur. iur. ciu. cap.* 1. *pag.* 5. Viguerunt postea constante vsu, et multis iuris nostri capitibus dederunt originem, adeo vt Ciceronis tempore, qui iuris prudentiae dare vellent operam, ipsa verba *tamquam carmen necessarium* ediscere cogerentur. Cicero *de legib. Lib. II. cap.* 23. Leges XII. tabb. constante vsu viguerunt.

* Vo-

Source : BIU Cujas

* Vocantur quidem hae leges CARMEN, veluti apud Ciceronem loco paullo ante laudato. Sed *carmen* de quibuſvis verbis conceptis, etiam proſaicis, vſurpatur. Sic apud Liuium *Lib. III. cap.* 64. reperimus *rogationis carmen*: et *Lib. X. cap.* 38. *dirum exſecrationis carmen*, denique apud Ciceronem *pro Muraena*, *cap.* 12. formula: SVIS VTRISQVE SVPERSTITIBVS PRAESENTIBVS ISTAM VIAM DICO: INITE VIAM vocat *carmen compoſitum*. Eodem modo et Graeca vocabula μέλος, ὕμνος, ᾠδή de ſoluta oratione vſurpari, oſtendit Gisbert. Cuper. *Obſeru. Lib. II. cap.* 10. *p.* 219. *ſequ.*

§. XXX.

An illis derogatum per legem Aebutiam?

Quum tamen quaedam in illis rigidiores priſcorum mores redolerent: deterſa paullatim illa vitae auſterioris rubigine, populus capita quaedam abrogaſſe dicitur lata lege AEBVTIA. Id enim plerique colligunt ex loco Gellii *Noct. Attic. Lib. XVI. cap.* 10. Videri poteſt, qui de ea lege operoſiſſime egit, Abr. Wielingius *de furto per lanc. et lic. concepto*, *cap.* 6. *pag.* 94. *ſeqq.* Tamen et aetas et ipſa legis iſtius ſententia incertiſſima manet.

* Attulerat Charondas *ad Vdalr. Zaſii Catalogum legum* monimentum, ex quo, ſi genuinum eſſet, lex illa poſſet mirifice illuſtrari:

L. AEBVTIVS. TR. PL. VIR. POPVLARIS. LEGEM. TVLIT. AD. POPVLVM. VT. XII TABB. CAPITA. QVAE. INVTILIA. ESSENT. REIP. TOLLERENTVR. QVAE. LEX. MVLTIS. CONTRADICENTIBVS. TANDEM. ROGATA. EST.

Sed vereor, ne a falſaria manu ſi totum iſtud monimentum, mirorque, laudatiſſimum Wielingium id non obſeruaſſe. Locus Gellii ſatis obſcurus eſt. Ait enim auctor: *ſed enim quum proletarii, et Aſſidui, et Sanates, et vades, et ſubuades, et viginti quinque aſſes, et taliones, furtorumque quaeſtio cum lance et licio euanuerint, omniſque illa XII tabularum antiquitas, niſi in legis actionibus centumuiralium cauſſarum, LEGE AEBVTIA lata, conſopita ſit: ſtudium ſcientiamque ego praeſtare debeo iuris et legum, vocumque earum, quibus vtimur.* Ex eo enim Gellii loco alii colligunt, centumuirale iudicium inſtitutum eſſe lege Aebutia, vti Siccama *de centumuiral. iudic. cap.* 1. *num.* 8. alii, legem Aebutiam tantum ad vocabula antiqua pertinuiſſe, contendunt, vti Paull. Buſius *Subtil. Lib. II. cap.* 1. et Eu. Otto *praef. Tomi III. Theſaur. iur. cap.* 9. *pag.* 44. Sed quum de ſolis vocabulis legem latam eſſe vix ſit veroſimile: ego quidem adſentiri malim Paullo Manutio *de legib. cap.* 16 quaedam legum XII tabularum capita hac lege abrogata eſſe, exiſtimanti, maxime quum Gellii verba alium ſenſum admittere vix videantur.

§. XXXI.

Commentarii in legem XII. tabularum ſcripti.

Quin perpetuo fere vſu viguiſſe has leges, vel id argumento eſt, quod eas commentariis ſuis certatim illuſtrarunt iuriſconſulti veteres, SEX. AELIVS, L. ACILIVS, L. AELIVS, (non *Laelius*, vti vulgo ſcribunt., Turneb. *ad Cic. de legib. Lib. II. cap.* 23.) MESSALLA, ANTISTIVS LABEO, SER. SVLPICIVS, CAIVS, fortaſſis etiam

Source : BIU Cujas

etiam ATEIVS CAPITO *, quem Plin. *Hist. nat. Lib. XIIII. cap.* 13. cum Scaeuola et L. Aelio coniungit.

* Attamen quum Plinius nomen tantum auctorum, non librorum, exprimat: an in leges XII. tabularum scripserit Capito, aeque incertum est, ac quod de SER. SVLPICIO, C. AVLO OFILIO, VALERIO MESSALLA fertur. Schubart. *de fatis iurispr. Rom. Exerc. II. pag.* 255. Eu. Otto *praef. Tom. III. Thesaur. iur. pag.* 47. *seqq. et de Servio Sulpicio, cap.* 7. §. 3. *pag.* 1598. *Tom. V. Thesaur. iur. ciu.*

§. XXXII.

Quamuis vero permultis saeculis canescerent duodecim istae tabulae, et Cyprianus *Epist. Lib. II. epist.* 2. suo adhuc aeuo eas publice exstitisse, innuat, quin saeculo VI. integrae procul dubio superfuerint in CAII *Dodecadelto*, ex quo fragmenta non pauca in Digesta relata animaduertimus *: periere tamen illae in ista rerum perturbatione, quam barbarorum irruptio in prouincias Romanas inuexerat, praeter pauciſſima, quae passim apud veteres scriptores supersunt, fragmenta. Rittersh. *Dodecad. proleg. cap.* 5. *pag.* 13. Earum interitus,

* Fragmenta ex CAII δωδεκαδέλτῳ supersunt tantum sequentia: *l.* 1. *D. de orig. iur. l.* 18. *l.* 20. *l.* 22. *D. de in ius voc. l.* 6. *D. si quis caut. in iud. sist. fact. non obtemperau. l.* 2. *l.* 4. *D. arb. furt. caes. l.* 48. *D. de pact. l.* 43. *D. ad leg. Iul. de adulter. l.* 9. *D. de incend. ruin. naufr. l. vlt. D. de colleg. l. vlt. D. fin. reg. l.* 3. *D. de litigios. l.* 19. *D. de vsuc. l.* 233. *l.* 234. *l.* 235. *l.* 236. *l.* 237. *l.* 238. *D. de verb. signif.* Quumque fragmenta ista ex omnibus, quos CAIVS scripserat, commentariorum libris deprompta sint, opus illud integrum superfuisse oportet temporibus Iustiniani, adeoque et leges XII. tabularum, quarum ipsa verba καὶ πόδα iureconsultus ille interpretatus est.

§. XXXIII.

Quamobrem nihil reliqui fecerunt viri docti, vt opus insigne, et restitutio. et, iudice Cicerone *de orat. Lib. I. cap.* 44. *omnibus omnium philosophorum bibliothecis anteponendum*, pristinae integritati, quoad eius fieri posset, restituerent. Longum eorum catalogum texunt alii *: sed notasse sufficiet, omnium industriam superasse ICtum eximium, IAC. GOTHOFREDVM, qui in *Fontibus quatuor iuris ciuilis*, *Tomo III. Thesauri iur. ciu.* recusis, non modo fragmenta omnia cum cura collegit, eaque a iureconsultorum interpretamentis cum cura seiunxit, sed et in qua vnumquodque tabula positum fuerit, ostendit, omniaque et ex fontibus ipsis probauit, et notis illustrauit bonae frugis plenissimis.

Source : BIU Cujas

* Congeſſerunt legum decemuiralium fragmenta ex veterum monimentis IVSTVS LIPSIVS et FRANC. PITHOEVS. Eadem interpretati ſunt FRANC. BALDVINVS, FRANC. HOTOMANVS, IAC. RAEVARDVS, ANT. AVGVSTINVS, THEOD. MARCILIVS, PAVLLVS MERVLA, PARD. PRATEIVS, CONTIVS, CHARONDAS, RITTERSHVSIVS, AYMARVS RIVALLIVS, CLAR. SYLVIVS, RIC. VITVS, BASINSTOCHIVS, IAN. VINCENT. GRAVINA, et alii. Sed nemo paria fecit GOTHOFREDO, qui non contentus collegiſſe fragmenta, eaque qualicumque ordine explicaſſe, ipſas XII tabulas ordini integritatique ſuae reſtituere primus conatus eſt. Quamuis ne hunc quidem eximium virum omnia vidiſſe, aliquando etiam humani quid paſſum eſſe, exemplo non vno oſtenderit Euer. Otto in *praef. Tomi III. Theſ. iur. ciu. cap. 8. pag. 26. ſeqq.*

§. XXXIIII.

De quibus rebus ſingulis tabulis actum ſit?

Ex hoc vero IAC. GOTHOFREDI quantiuis pretii opere patet, *primam* tabulam leges de in ius vocatione, et reliquis, quae in iure fiebant; *ſecundam* de iudiciis et furtis; *tertiam* de rebus creditis et contractibus; *quartam* de iure patrio et connubiis; *quintam* de hereditatibus et tutelis; *ſextam* de dominio et poſſeſſione; *ſeptimam* de delictis et criminibus; *octauam* de iuribus praediorum; *nonam* de iure publico; *decimam* de iure ſacro; *vndecimam* et *duodecimam* reliquarum ſupplementa comprehendiſſe *.

* IAC. GOTHOFREDVS ſingulas leges tum ſtilo vetere, quo eas ſcriptas exiſtimat, ſiſtit, (quamuis eas, quarum ipſa verba legitima auctores veteres ſeruarunt, maiuſculis litteris diſtinguat,) tum et nouam earum paraphraſin addit. Enimuero quum in repraeſentanda vetere Latinitate iuſto plus ſibi indulgeat vir doctiſſimus, non ſine fructu ſimul conſuli poterit IO. NIC. FVNCCIVS *de puerit. Lat. Linguae, cap. 4. §. ſequ. pag. 260.*

§. XXXV.

Earum vtilitas.

Poſtremo obſeruandum, harum legum fragmenta inſignem vtilitatem adferre poſſe iuris ſtudioſis. Inde enim iurium multorum origines, inde Pandectarum et Codicis, ipſiuſque Edicti perpetui ordinem, eiuſque rationem, inde multarum actionum naturam atque indolem intelligent. Fuerunt ergo, qui iuriſprudentiae ſtudium a XII. tabulis auſpicandum eſſe monerent. Vid. V. C. Eu. Otto *praefat. Tomi III. Theſaur. iur. ciu. cap. 9. pag.* 44. Ego illis tantum, qui erectioris ingenii impetu ad interiorem ſapientiae ciuilis cognitionem adſpirant, auctor ſum, vt ſibi familiares reddant has tabulas. Reliquis enim, qui cruda ſtudia propellere in forum, et ea tantum, quae πρὸς ταλφιτα ſunt, addiſcere properant, adclamari ſatius fuerit:

Procul, o procul eſte, profani.

CA-

Source : BIU Cujas

CAPVT III.

DE STATV IVRIS ROM. POST XII. TABB. AD TEMPORA AVGVST.

§. XXXVI.

Cur post XII. tabulas tot nouae leges conditae?

ITa sane perfectum, suisque absolutum numeris videri potuit illud legum Romanarum corpus. Sed laborauit respublica formae vitio, tam quippe male temperata; vt non posset non perpetua inter patres et plebem gliscere aemulatio. Siue ergo interpretandae, siue negotiis quotidie obuenientibus adplicandae essent leges: eam potestatem sibi vindicabant hinc patres, illinc tribuni plebis, qui nihil faciebant reliqui, vt patriciorum regnum euerterent. Quod non potuit non legum Romanarum numerum mirifice amplificare *.

* Recte ac prudenter Tacitus *Annal. Lib. III. cap. 27. corruptissima re publica plurimae leges.* Est enim corruptissima res publica, quoties plurimi in ciuitate nouis rebus student. Id status praesentis taedium, studiumque novarum rerum efficit, vt homines turbulenti quotidie de nouis ferendis legibus cogitent. Quotidie ergo nouae leges feruntur, adeoque *corruptissima re publica plurimae leges.* Quod obseruauit etiam Isocrates *Areopagit. p. 292.* negans eos esse ἐυπολιτευμένους qui videant τὰς τοὺς ἰατρικὰίαν γεμμάτων, *porticus litteris impleri:* (solebant enim Graeci leges tabulis incisas in porticibus proponere), sed *apud quos animo inscriptae leges circumferantur a ciuibus.* Denique et Plato *apud* Strabonem *Geograph. Lib. IIII. pag. 399. edit. nou.* ait: ὅτι παρ' οἷς πλεῖστοι νόμοι, καὶ δίκαι περὶ ἴσους καὶ βίοι μοχληροί. καλάπερ καὶ παρ' οἷς ἰατροὶ πολλοὶ, καὶ νόσους εἰκὸς εἶναι πολλάς: *apud quos plurimae sunt leges, apud hos etiam lites esse, et malos mores: sicut morbi soleant esse multi, vbi multi sint medici.*

§. XXXVII.

Plebs nouis plebiscitis pleraque praerogatiuas patribus extorsit.

Quod vt eo rectius intelligatur, sciendum, tribunos plebis in rostris esse dominatos, eosque, quoties, patres altiora spirare, animaduerterint, plebem turbulentis concionibus aduersus patres concitasse, et sic fere quotannis noua PLEBISCITA de statu rei publicae mutando emendandoque, et plebis commodis augendis * fuisse perlata. Hoc modo sane tribuni plebis cum alias praerogatiuas, tum praecipue *honores*, *sacerdotia*, *et ius connubii*, immo et maximam *agri publici* partem paullatim extorserunt, effeceruntque,

Source : BIU Cujas

que, vt priora iura plebi cum patribus essent communia, agri vero publici subinde inter plebeios inopes diuiderentur.

* Ius connubii inter patricios et plebeios sancitum anno ab V. C. 309. LEGE CANVLEIA, de qua Liuius *Lib. IIII. cap.* 1. *sequ.* Augustin. *de ciuit. Dei, Lib. III. cap.* 17. Honorum ius plebeii cum patriciis commune habere coeperunt ab anno V. C. 386. per LEGEM SEXTIAM, de qua Liu. *sub finem Libri VI.* Val. Max. *Lib. VIII. cap. 6. exemplo* 3. Auctor. *de vir. illustr. cap.* 20. Denique et pontificatum aliaque sacerdotia promiscue patribus et plebeiis dari plebs iussit LEGE OGVLNIA, condita anno ab V. C. 454. de qua Liuius *Lib. X. cap. 6.* At praecipua litium inter patres et plebem LEGES AGRARIAE, de quibus vere Liuius *Lib. II. cap.* 41. ad ann. V. C. 268. *tum primum* LEX AGRARIA *promulgata est : numquam deinde vsque ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata.* De iis adcuratissime egit Vlr. Obrecht. *Diss. acad. VI. pag.* 109. *sequ.*

§. XXXVIII.

Quibus plebiscitis sese obligari negabant patres.

Sed initio non adeo faciles erant patres in potestate illa legislatoria plebi indulgenda. Hinc noua certamina: patribus non se, sed plebem plebiscitis teneri, non sine aequitatis specie contendentibus, plebe vero, vt et patres illis se subiicerent, acriter postulante. Liu. *Lib. III. cap.* 55.

§. XXXVIIII.

Quod tamen cautum primum lege Horatia;

Videbatur ei malo remedium inuentum anno ab V. C. 306. plebe iterum in montem sacrum secedente. Liu. *Lib. III. cap.* 52. Creati enim tum consules populares L. VALERIVS et M. HORATIVS legem rogarunt centuriatis comitiis, *vt, quod tributim plebs iussisset* *, *populum teneret.* Quam legem non sine offensione patrum perlatam esse, facile est ad existimandum, quum hi, quidquid plebis commodo sanciebatur, id suis decedere opibus credebant. Liu. *Lib. III. cap.* 58. Dionys. Halicarn. *Lib. XI. cap.* 49.

* IVBERE et SCISCERE dicebatur populus vel plebs, magistratus vero FERRE, ROGARE, et PERFERRE. Io. Fridr. Gronou. *ad Liu. Lib. X. cap.* 13. Non satis ergo Latina est phrasis, qua tresviri, *Institutionum* auctores, vsi sunt §. 15. *Inst. de Lege Aquill. plebem Romanam, Aquillio tribuno rogante, hanc legem* TVLISSE, acriter ideo reprehensi ab Hotomano ad *d.* §. 15.

§. XXXX.

deinde Publilia;

At ne haec quidem laetitia populo admodum fuit diuturna. Patres enim noua cauillatione plebiscitis iterum negabant obsequium, fortassis, quod se *populi* vocabulo comprehendi, negarent. Quo factum est, vt anno ab V. C. 416. Q. PVBLILIVS, dictator, noua, eaque admodum populari lege sanciret, *vt plebisci-*

ta

Source : BIU Cujas

ta OMNES QVIRITES * *tenerent.* Liu. *Lib. VIII. cap.* 12.

* QVIRITIVM vocabulo patres non minus, quam plebeios comprehendi, numquam dubitatum. Iidem enim *Quirites et Romani, §. 2. Inſtit. de iur. nat. gent. et ciu.* Liu. *Lib.* 1. *cap.* 13. quamvis de vocabuli origine parum inter auctores veteres conueniat. Vide praeter *d. §.* 2. et Liuium, Ouid. *Faſtor. Lib. II. v.* 475. Sed quamuis domi omnes Romani communi *Quiritium* nomine venirent: ab eo tamen poſtea abhorruerunt milites, qui exauctorati cenſebantur, ſimul ac eos ita adloqueretur imperator. Sueton. *Iul. Caeſ. cap.* 70. Lamprid. *Alex. cap.* 53. *ſequ.*

§. XXXXI.

At ne id quidem impediuit patres, quo minus plebem, legiſlatoriae poteſtati inhiantem, alio modo vlciſceretur, puta acerbitate iniquiſſimi foenoris. Qua calamitate plebs ad deſperationem acta anno ab V. C. 465. in laniculum montem ſeceſſit, quumque ad comprimendam ſeditionem parum opis eſſe videretur in conſulibus, ad vltimum, vt in re trepida, remedium deuentum eſt, vt dictator diceretur Q. HORTENSIVS *. Hic tempori ceſſit, et non modo plebem a foeneratorum truculentia vindicauit, ſed et inſequente anno, lata noua lege adcuratius ſanxit, *vt, quod plebs iuſſiſſet, omnes* QVIRITES *tenerent.* Gell. *Noct. Attic. Lib. XV. cap.* 27. §. 4. *Inſt. de iure nat. gent. et ciuil.* denique Hortenſia.

* Ridicula eſt Accurſii gloſſa *ad d.* §. 4. legem Hortenſiam *a quodam Hortenſio rege latam eſſe.* Sed talia vbique in Gloſſa, vt miſereri poſſis illius ſaeculi, *quod doctores pedore et ſqualore horridos, pannis obſutos, ſemper illotos, ſemper intonſos, tamdiu perpeſſum eſt*, vti loquitur Rupertus *ad Pompon. enchirid.*

§. XXXXII.

Et ex eo demum tempore plebiſcita perinde ac ipſae leges, iure optimo maximo valuerunt: quin et LEGVM vocabulum adſumſerunt, ceu vel ex iure noſtro patet, in quo commemorantur LEGES *Aquillia, Atilia, Falcidia, Atinia, Scribonia, Voconia,* et aliae, quas omnes non leges, ſed plebiſcita fuiſſe, conſtat *. Ex eo tempore plebiſcita vim nomenque legum adſumſerunt.

* Characterem, quo leges et plebiſcita diſcerni poſſint, hunc nonnulli commendant, quod haec vnum nomen ferant, a tribuno plebis, qui plebem tum rogarit, illae ab vtroque conſule, adeoque duplici nomine vocentur, veluti in iure noſtro leges AELIA SENTIA, IVNIA NORBANA, IVLIA et TITIA, PAPIA POPPAEA, ceterae. Paull. Merula *de Leg. Rom. cap.* 24. Sed quamvis hoc ſe vt plurimum ita habeat: ſunt tamen et leges proprie ſic dictae, quarum non niſi ab vno conſule vel dictatore nomen eſt. Tales ſunt, quas modò recenſuimus HORATIA, PVBLILIA, HORTENSIA. Tales tot leges CORNELIAE,

Source : BIU Cujas

NELIAE, POMPEIAE, IVLIAE, quibus et FABIAM *de plagiariis* addimus, quod leges de iudiciis publicis raro solerent ab aliis, quam coss. vel dictatoribus, rogari.

§. XXXXIII.

Quid *lege agere?* et *legis actio?*

Eadem fere LEGIS ACTIONVM fata fuisse deprehendimus, quae ALTERVM erant patriciorum peculium, quod veluti separatum a plebis rationibus diutissime retinuerant. De his quoque vt dicamus adcuratius: quicumque aliquid in iure rite et iure faciebant, ii LEGE AGERE dicebantur. Sigon. *de iudic. Lib. I. cap.* 9. Hinc *lege agebant*, qui actione experiebantur *. Cic. *de orat. Lib. I. cap.* 10. *pro Caecina*, *cap.* 12. *in Verr. II. cap.* 37. *l.* 2. §. 6. *D. de orig. iur.* Valer. Max. *Lib. VII. cap.* 7. Plin. *Hist. nat. Lib. VII. cap.* 5. *lege agebant* lictores, dum colligabant manus, deligabant ad palum, virgis, securi, gladio in corpus rei saeuiebant. Liu. *Lib. XXVI. cap.* 15. *et* 16. Valer. Max. *Lib. III. cap.* 8. Seneca *de ira Lib. I. cap.* 16. At praecipue tamen postea id nomen retinuerunt actus voluntariae iuris dictionis apud magistratus, apud quos erat legis actio, sollemniter explicandi. *l.* 4. *D. de adopt.*

* Fieri enim et id oportebat rite et sollemniter, certis diebus, quibus magistratui fari licebat tria verba: DO, DICO, ADDICO, Cicero *pro Muraena, cap.* 11. certo ritu, qualis erat vetus ritus vindiciarum, certis denique formulis, ad quas adeo adstricti erant actores, vt ipsae actiones FORMVLAE vocentur, vt *formula iniuriarum* apud Sueton. *Vitell. cap.* 7. *damni dati formula* apud Plin. *Epist. Lib. VIIII. epist.* 59. *formula de dolo malo* apud Cicer. *de offic. Lib. III. cap.* 13. Omnis ergo actio sollemniter et rite erat instituenda, adeo, vt qui in formula aberrasset, caussa caderet. Cic. *de inuent. Lib. II. cap.* 19. Sen. *Epist.* 49. Quinctilian. *Inst. orat. Lib. III. cap.* 6. §. 68. Hinc Pomponius noster *l.* 2. §. 6. *D. de orig. iur. Deinde*, inquit, *ex his legibus eodem tempore fere actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent, quas actiones* NE POPVLVS, PROVT VELLET, INSTITVERET, *certas* SOLLEMNES*que esse voluerunt.*

§. XXXXIIII.

Origo legis actionum.

Iam equidem, quo ritu, quibusue conceptis verbis lege agi oporteret, legibus XII. tabularum non fuerat expressum. At patricii, qui sibi iuris prudentiam obtentu iuris patronatus, tamquam gentilem possessionem vindicabant, (*Antiqu. nostr. Rom. Lib. I. tit.* 2. §. 29.) et pontifices, quales itidem tum soli patricii erant, certos commenti erant ritus, certas formulas, quibus tum voluntariae, tum contentiosae iuris dictionis actus explicarentur, quin et certi erant dies, quibus lege agere vel fas, vel nefas esset, quorumque

Source : BIU Cujas

que fasti, a Numa Pompilio primum confecti, Liu. *I. cap.* 9. in pontificum custodia erant *. Cic. *pro Mur. cap.* 11. Et haec omnia LEGIS ACTIONVM nomine veniebant.

* Vere ergo haec omnia comparata erant ad tuendam pontificum patriciorum in ciuitate potentiam. Hinc patres initio haec *in latenti retinere studebant: l. 2. §. 35. D. de orig. iur. interpretandique* potissimum *scientia et actiones apud collegium pontificum erant. l. 2. §. 6. D. eod.* Eoque non poterat non euenire, quod scribit Cicero *pro Muraen. cap.* 11. *erant in magna* POTENTIA, *qui consulebantur, a quibus etiam dies, tamquam a Chaldaeis, petebantur:* et quod ille repetit *de orat. Lib. I. cap.* 41. *veteres illi, qui huic scientiae praefuerunt,* OBTINENDAE *atque* AVGENDAE POTENTIAE SVAE *caussa pervulgari suam noluerunt.*

§. XXXXV.

Sunt ergo ACTIONES LEGIS quilibet actus, tum contentiosae, tum voluntariae iuris dictionis, apud magistratum, apud quem legis actio erat *, sollemni ritu, certisque formulis explicandi, quique et id proprium habebant, vt nec diem, nec conditionem, nec procuratorem admitterent. *l.* 77. *et l.* 123. *D. de reg. iur.* et a pupillis sine tutorum auctoritate non possent explicari. *l.* 19. *D. de auctor. tut.* Quid per illas intelligatur?

* Elegans est coniectura Guil. Marani, qui *ad l.* 77. *D. de reg. iur. Tomo II. Opp. pag.* 620. LEGIS ACTIONES dictas esse putat, quae non nisi lege lata, adeoque apud populum explicari potuerint. Id enim saltim de adrogatione tradit Gell. *Noct. Attic. Lib. V. cap.* 19. de testamentis Iustinianus *pr. Inst. de testam. ord.* Postea tamen certis magistratibus eam facultatem datam esse specialibus legibus, vt apud eos esset legis actio, eoque facto pristinum nomen nihilominus mansisse.

§. XXXXVI.

Eaedem erant ACTVVM LEGITIMORVM adfectiones, qui tamen, si adcuratius loqui velimus, (nam aliquando omnino promiscue accipiuntur, vti *l.* 4. *D. de adopt.* iuncta *l.* 77. *D. de reg. iur.*) a prioribus in eo differunt, quod et ipsi sollemniter quidem, adhibitisque certis formulis, nec tamen absciisse apud magistratum essent explicandi. Et tales erant *hereditatis aditio, serui optio, mancipatio*, nisi cum *cessione in iure* esset coniuncta, *acceptilatio*, et similes *. *l.* 77. *D. de reg. iur.* Quid per actus legitimos?

* Errant ergo, qui haec confundunt, quum non vnum, sed multiplex inter actiones legis et actus legitimos discrimen sit, ceu ostenderunt Franc. Hotoman. *Quaest. illustr. 33. pag.* 226 et Guil. Budaeus *ad l.* 4. *D. de adopt.* Omnes actiones legis erant et actus legitimi, quippe certo ritu certisque formulis explicandae: at hi non omnes erant actiones legis, quia non apud magistratum, sed priuatos intra parietes, explicabantur.

§. XXXXVII.

Source : BIU Cujas

§. XXXXVII.

Omnia haec in latenti retinebant patricii.

Omnem hanc formularum, rituum, dierumque cognitionem patricii et pontifices, qui soli iuris prudentiam formularia, tamquam auitam possessionem sibi retinebant, in latenti habebant *, vt plebs omnis a se penderet, ipsique rebus omnibus interessent. Sane neque actionem quisquam sine periculo instituere, neque adoptare, emancipare, similemue actum explicare poterat, nisi haec adiissent oracula, eique formulas, ritus, dies, tamquam ex tripode eloquuti essent isti Apollines. *l.* 2. §. 6. *D. de orig. iur.* Cic. *de orat. Lib. I. cap.* 61.

* Liuius *Lib. VIII. cap.* 46. diserte ait, *in pontificum penetralibus repositum fuisse ius ciuile, fastosque, ex quibus, quando legi agi posset, sciretur, plebi* ante Cn. Flauium *ignotos* mansisse. Idque et Cicero *pro Muraen. cap.* 11. testatur. Hinc mirae fraudes pontificum, fastos in gratiam vel odium quorumdam hominum pro lubitu turbantium, de quibus conqueſtus Ammianus Marcellinus *Lib. XXVI. cap.* 1. *haec nondum extentis fusius regnis, diu ignorauere Romani, perque saecula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant, quum in sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi, qui licenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum subtrahebant tempora, vel augebant. Hocque ex coepto emerserunt alia plurima, quae fallebant, quorum meminisse nunc superuacuum puto.* Magis perspicua sunt illa Censorini *de die nat. cap.* 20. *quod delictum vt corrigeretur, pontificibus datum est negocium, eorumque arbitrio interkalandi ratio permissa. Sed horum plerique ob odium vel gratiam, quis magistratu citius abiret, diutiusue fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnoue esset, plus minusve ex libidine interkalando, rem sibi ad corrigendum mandatam, vltro deprauarunt.* Eamdem pontificum fraudem notarunt Sueton. *Iul. Caes. cap.* 40. Solin. *cap.* 3. et Macrob. *Saturn. Lib.* I. *cap.* 14.

§. XXXXVIII.

Prodidit arcanum Cn. Flauius, vnde ius Flauianum.

Sed id quoque forense regnum euertit anno ab V. C. 449. CN. FLAVIVS, scriba, patre libertino natus, qui formulas istas cum fastis, ab Appio Claudio Caeco, cui tamquam scriba adparuerat, in codicem collectas publicauit, eoque munere tantam a populo gratiam iniit, vt aedilis crearetur *, *l.* 2. §. 7. *D. de orig. iur.* Liu. *Lib. VIII. cap.* 46. Cicero *pro Muraen. cap.* 11. *et ad Attic. Lib. VI. epist.* 1. *et de orat. Lib. I. cap.* 40. Plin. *Hist. nat. Lib. XXXIII. cap.* 1. Gell. *Noct. Attic. Lib. VI. cap.* 9. Idque est IVS illud FLAVIANVM, de quo eo loco Pomponius.

* Ita rem referunt Pomponius et Gellius, immo et Cicero, qui Flauium quum id mysterium enarraret, scribam fuisse aiunt. Liuius contra illum *haec omnia* IN ALBO ait *proposuisse*, quod quum a magistratibus fieri soleret, videri

Source : BIU Cujas

deri potest iam tum aedilis fuisse, quum hoc beneficio plebem adficeret. At potuit Cn. Flauius, vti fieri solet, primum clanculum enunciasse id arcanum, et promisso illius mereri aedilitatem, postea aedilis creatus, *et actionum formulas, et fastos,* (vtrosque enim ei tribuit Cicero,) in ALBO proposuisse, maxime quum se contemni a patribus et nobilibus animaduerteret. Ceterum huius modi esse fastos dixeris, quos edidit, commentarioque illustrauit Siccama *apud* Graeu. *Thesaur. antiqu. Rom. Tom. VIII.*

§. XXXXVIIII.

Quam aegre hanc iacturam tulerint patres, vel ex eo patet, quod amissam recuperare cupientes possessionem, nouas excogitarunt formulas, easque, ne in vulgus manarent, non litteris, sed notis perscripserint *, quo nihilominus rebus omnibus interessent. Sed iterum circa annum ab V. C. 552. secretum prodidit *egregie cordatus homo*, vti ab Ennio vocatus est, SEX. AELIVS CATVS, de quo nos infra pluribus. Is liber IVRIS AELIANI nomine venit **. *l.* 2. *D. de orig. iur.* Add. Cicero *pro Muraen. cap.* 11. Et iterum Sex. Aelius Catus, a quo ius Aelianum.

* *Notae* non sunt *siglae*, seu litterae singulares tota vocabula exprimentes, veluti S. P. Q. R. pro *Senatus populusque Romanus*, sed certa signa, quibus vnum pluraue vocabula inuoluebant, vti ⌒O quod eadem verba significabat, ceu pluribus exemplis ostendit ὁ πάνυ Cuiac. *Obseru. Lib. XII. cap.* 40. Vnde qui notis excipiebant alterius verba dicebantur NOTARII, qui siglis, SINGVLARII vel SINGVLARES, vt in *l.* 1. §. 8. *C. de offic. praef. praet. Afric.* Vtrosque iungit Manil. *Astron. Lib. IIII. v.* 197. vbi de nato sub Virginis signo:

Hic et scriptor erit velox, cui LITTERA verbum est,
Quique NOTIS linguam superet, cursumque loquentis
Excipiat longas noua per COMPENDIA voces.

Plura habet Scaliger *in Notis ad Manil. pag.* 287. et Io. Ge. Graeuius ad Cicer. *pro Mur. cap.* 11. Tales ergo hic intelliguntur *notae*, quales Tironis et Senecae nomina prae se ferentes in fine *Thesauri inscriptionum* edidit Ian. Gruterus. Contra quae sub Valerii Probi, Magnonis, Petri Diaconi nominibus exstant *Notae Romanae*, *Notae iuris*, *Notae literarum*, editae a Dionys. Gothofr. *Auct. lingu. Lat. pag.* 1451. *seqq.* eae, si a paucis discesseris, non *notas*, sed siglas sistunt. Ceterum saepe critici Tribonianum notas male expressisse putant, eoque medio emendandi saepe, tamquam Deo e machina, vtitur Cuiacius. Sed vanum plerumque esse hoc praesidium, iam alii ostenderunt, maxime Bynkersh. *Obseru. Lib. I. cap.* 23. *et Lib. VII. cap.* 21.

** Ivs AELIANVM differre non videtur a Sex. Aelii Cati *Tripertitis*, in quibus, *lege XII. tabularum proposita, iungebatur interpretatio, dein subtexebatur* LEGIS ACTIO. *l.* 2. §. 38. *D. de orig. iur.* Nec alia esse videtur LEX AELIA apud Ciceron. *Topic. cap.* 2. vbi librarii absurde reposuerunt *lex Aeliae Sentia*, qualis Ciceronis tempore nulla exstitit. Henr. Noris. *Cenotaph. Pisan. Diss. III. cap.* 9. *pag.* 423.

Source : BIU Cujas

§. L.

Interpretatio legum XII. tabularum.

TERTIVM, quod patres iuri XII. tabulis comprehenso adstruxerant, quodque tamquam auitam possessionem sibi solis retinere cupiuerant, est INTERPRETATIO et DISPVTATIO FORI, quarum meminit Pomponius *l.* 2. §. 5. *D. de orig. iur.* Iurisconsulti enim ex legibus illis, quas Diodor. Sic. *Biblioth. Lib. XII.* βραχέως καὶ ἀπερίτλως, Gell. *Noct. Attic. Lib. XX. cap.* 1. *eleganti atque absoluta breuitate verborum* scriptas fuisse, ait, per interpretationem, quam extensiuam vocant, varia eliciebant iura noua, varias actiones vtiles, aliaque, quae propalam et κατὰ τὸ ῥητὸν legibus istis haud comprehendebantur *. Atque inde est, quod passim non modo *interpretes*, sed et AVCTORES et CONDITORES IVRIS vocantur. Cuiac. *Obseru. Lib. VII. cap.* 25. Brisson. *de verbor. sign. sub voce: Iuris auctores.*

* Sic patronorum tutela dicitur LEGITIMA, *non quod* NOMINATIM *de hac tutela in XII. tabulis cautum esset, sed quod perinde acciperetur, ac si verbis legis introducta esset.* §. *vn. Inst. de legit. patr. tut.* Actiones VTILES in iure nostro vtramque faciunt paginam. Eaevero dicuntur *exemplo*, vel *ad exemplum*, et veluti *ad similitudinem directarum compositae.* *l.* 5. §. 21. D. *vt in possess. legat. l.* 1. *C. de precar. et interdict. Salu. l.* 13. §. 25. *D. de action. emt.* Et videntur accepisse nomen VTILIVM, quasi *vtibilium*, quia tametsi nec legum verbis, nec in albo praetoris proditae essent, vti tamen iis liceret ob paritatem rationis. Promiscue veteres dixisse VTILE et VTIBILE patet ex locis Plauti *Mostellar. Act. IIII. Sc.* 1. *v.* 2. Terent. *Phorm. Act. IIII. Sc.* 4. *v.* 9. Alia iura a iurisconsultis per interpretationem reperta, collegimus in *Antiqu. Rom. Lib. I. tit.* 2. §. 36.

§. LI.

Disputatio fori.

Iidem iurisconsulti, quum saepe, vt fit, de interpretando adplicandoque iure dissentirent, vel in ipso foro, vel, vti Scholiastes *Iuuenalis ad Satyr. III. v.* 128. memoriae prodidit, iuxta Apollinis templum, inter se disceptabant. Cuius modi disputationis forensis exempla exstant, non modo recentiora, *l.* 19. *D. de liber. et postum. l. vlt.* §. 26. *D. de muner. et honor. l.* 17. *D. de iure patron.* sed et vetera: veluti Crassi et Galbae apud Ciceron. *de orat. Lib. I. cap.* 56. nec non Scaeuolae, Manilii et Bruti apud eumdem *de finib. Lib. I. cap.* 4. Quidquid vero *post magnas varietates obtinuerat*, *l. vlt. D. pro legat. l.* 32. *D. de obligat. et act. l.* 55. §. 1. *D. de legat. II.* id iuris habebat auctoritatem, et ex DISPVTATIONE FORI *venire* dicebatur, Ascon. Paedian. *in Verrin. III.* et IVRIS RECEPTI vel RECEPTAE SENTENTIAE

Source : BIU Cujas

TIAE nomen accipiebat *. Festus, *in Receptum. l.* 215. *de verb. oblig. l.* 41. *D. de reb. cred.*

* Quum vero *recipi* dicatur, quod vsu ac consuetudine inoleſcit: omnia illa iureconsultorum interpretamenta, et quaecumque per disputationem fori ad liquidum perduxisse sibi videbantur, tamquam consuetudines valuerunt. Hinc vocantur *ius, quod* SINE SCRIPTO *venit: l.* 2. §. 5. *et* §. 12. *D. de orig. iur.* MOS, *pr. Inst. de pupill. substit.* Cic. *de legib. Lib. II. cap.* 24. *ius* CONSVETVDINIS, *quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobauit.* Cicero *de inuent. Lib. II. cap.* 54.

§. LII.

Omnia ista iura, interpretatione prudentum, vel disputatione fori introducta, IVS CIVILE communi nomine vocantur. *l.* 2. §. 5. *D. de orig. iur.* Cicero *de offic. Lib. III. cap.* 16. itemque IVS CONSENSV RECEPTVM, *pr. Inst. de adquis. per adrog.* nec non IVS COMMENTICIVM, vti *l.* 20. *D. de poen.* interpretatur Bynkershoekius *Obs. Lib. V. cap.* 16. Vt adeo ius ciuile, quod alioquin latius patet, saepe opponatur legibus, Cic. *pro Caecin. cap.* 26. adeoque solam τὴν τῶν σοφῶν νομοθεσίαν (vti vocat Theophil. *ad* §. 2. *Inst. de offic. iud.*) id est ius a iureconsultis interpretando disputandoque inuectum denotet.

Inde natum ius ciuile stricte dictum.

§. LIII.

Hanc quoque scientiam initio in penetralibus suis repositam habebant patricii generis iurisconsulti, rati, id, quod res erat, non parum se inde auctoritatis consequuturos, si sibi solis hanc possessionem retinerent. Enimuero circa annum ab V. C. 500. repertus est, qui hos iurisconsultorum circulos turbaret, TIBERIVS CORVNCANIVS, vir consularis, triumphalis, et primus e plebe pontifex maximus. *Epit. Liu. Lib. XVIII. Ante hunc* enim *ex omnibus, qui scientiam nacti sunt, publice professum neminem traditur: ceteri autem ad hunc* IN LATENTI *ius ciuile retinere cogitabant* *, *solumque consultatoribus potius, quam discere volentibus se praestabant. l.* 2. 35. *et* §. 38. *D. de orig. iur.*

Quod initio clam habitum, postea publice professus est Tib. Coruncanius.

* Tales fuere vetustissimi iurisconsulti omnes PAPIRIVS, APPII CLAVDII, SEMPRONIVS SOPHVS, C. SCIPIO NASICA, OPTIMVS, Q. MVCIVS, quippe nec docendo, nec scribendo celebritatem consequuti. At qui post Tiberium Coruncanium memorantur, partim publice professi sunt, veluti SEX. et P. AELII, fratres, et P. ATILIVS, *l.* 2. §. 38. *D. de orig. iur.* BALBVS LVCILLIVS, AQVILLIVS GALLVS, SER. SVLPICIVS: *l.* 2. §. 43. 44. *D. eod.* partim iuris ciuilis mysteria scriptis diuulgarunt. Sic enim SEX. AELII *Tripartita veluti cunabula iuris continuerunt. l.* 2. §. 38. *D. eod.* P. MVCIVS. BRVTVS et MANILIVS *ius ciuile fundarunt. l.* 2. §. 39. *D. eod.* Q. MVCIVS *ius ciuile primus constituit ge-*

Source : BIU Cujas

neratim in libros decem et octo redigendo. l. 2. §. 41. D. eod. Demum in vulgus manauit id secretum, vt non modo plebeii, sed et peregrini, summam sibi scientiam adquirerent, vereque cecinerit Iuuenalis *Satyra VIII. v. 47.*

Tamen ima plebe Quiritem
Facundum inuenies: solet hic defendere causſas
Nobilis indocti: veniet de plebe togata,
Qui iuris nodos et legum aenigmata soluit.

§. LIIII.

Magistratus initio pauci.

Interea contigit, vt MAGISTRATVVM ROMANORVM numerus non parum amplificaretur. Quum enim initio bini tantum CONSVLES rei publicae praeessent, (§. 13.) et praeter eos ac TRIBVNOS PLEBIS, (§. 19.) itemque binos AEDILES PLEBIS, tribunorum adiutores, anno ab V. C. 261. simul cum illis creatos, Gell. *Noct. Att. Lib. XVII. cap.* 21. Dionys. Halicarnass. *Lib. VI. cap.* 81. ac denique QVAESTORES, iam a regibus institutos, deinde a primis consulibus restitutos, et postea subinde multiplicatos *, Plutarch. *in Poplicol. pag.* 1031. Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 22. Vlpian. *l. vn. D. de offic. Quaest.* nulli in vrbe magistratus ordinarii essent: postea multi alii, tum ordinarii, tum extraordinarii accesserunt. Idque tanto facilius indulgebat populus, quanto magis eo imminui videretur potentia consulum, quippe inter plures distrahendam.

* Initio duo erant patricii generis, qui *vrbani* dicebantur. Eos anno ab V. C. 363. duplicari voluerat senatus, vt praeter duos vrbanos duo consulibus ad ministeria belli praesto essent. Exigente vero plebe, vt pars ex plebe fieret, tota res de augendo quaestorum numero non omissa est. Liu. *Lib. IIII. cap.* 43. Nihilominus quatuor, et in his tres plebeii creati anno V. C. 346. Liu. *Lib. IIII. cap.* 54. Anno 487. denuo ampliatus quaestorum numerus, vt essent octo. *Epit. Liu. Lib. XV.* ex Cornelii Sullae porro instituto viginti, Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 20. ex Caesaris quadraginta creari coeperunt. Dio Cass. *Lib. XXXXIII. pag.* 237. At quo plures fuerunt sub principibus, eo minus auctoritatis retinuerunt, cura aerarii primum ad praetorios viros; Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 497. Sueton. *Aug. cap. 36.* postea ad praefectos aerarii translata: Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap.* 28. *Histor. Lib. IIII. cap. 9.* Plin. *Epistol. Lib. III. epist.* 4. vt demum quaestura ingressus tantum gerendorum honorum, sententiaeque in senatu dicendae esset. *l. vn. §. 3. D. de offic. quaest.*

§. LV.

Postea his accessere censores et praetores.

Sic primum anno V. C. 312. CENSORES censui agendo, lustro condendo, legendo senatui, moderandaeque disciplinae publicae creati sunt. Dionys. Halicarn. *Lib. XI. cap.* 67. Liu. *Lib. IIII. cap.* 8. *l. 2. §. 17. D. de orig. iur.* Deinde anno 388. iuri dicundo institutus est

Source : BIU Cujas

est PRAETOR *vrbanus*, cui anno ab V. C. 507. accessit alter, qui inter ciues et peregrinos ius diceret, et his paullatim alii, vt primum eorum numerus ad quatuor, deinde ad sex, mox ad octo, denique ad decem, duodecim, immo et ad sedecim excreuerit *. Dio Cass. *Lib. LVIII. pag.* 634. *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* Lips. *Excurs. D. ad Tacit. Annal. Lib. I.*

* Ex his vnus iurisdictionem *vrbanam*, alter *peregrinam*, quidam *prouincias praetorias*, reliqui *quaestiones publicas* sortiebantur. Maxima erat dignitas praetoris vrbani, qui ideo PRAETOR MAIOR dicebatur. Fest. *in Maior. consul.* Plutarch. *in Brut. pag.* 987. Dio Cass. *Lib. XXXXII. pag.* 195. Caesar *de bello ciuili Lib. III. cap.* 20. et COLLEGA COSS. cui omnia absentium coss. officia incumbebant. Cic. *ad diverss. Lib. X. epist.* 12. Plin. *Panegyr. cap.* 77. Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 15. Dio Cass. *Lib. LVIIII. pag.* 659. Aliquando tamen duae coniungi solebant iurisdictiones, veluti *vrbana* et peregrina, Liu. *Lib. XXIIII. cap.* 44. *Lib. XXV. cap.* 3. *Lib. XXVII. cap.* 36. quemadmodum et apud Gruter. *Inscr. pag.* 503. laudatur ΤΡΑΣΤΗΓΟΣ ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ ΚΑΙ' ΕΠΙ ΤΩΝ ΞΕΝΩΝ. Ita et duas de criminibus quaestiones interdum coniungi consueuisse, iam olim obseruauit Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 4. *pag.* 400.

§. LVI.

Eodem tempore, quo primum praetorem vrbs vidit, et duo AEDILES CVRVLES creati, qui foro rerum promercalium, ludis, viis, aedibusque publicis, omnibus denique, quae ad decus et tutelam vrbis pertinere videbantur, praeessent. Liu. *Lib. VI. extr.* et *Lib. VII. cap.* 1. *l.* 2. §. 26. *D. de orig. iur.* Iis Iulius Caesar rei frumentariae caussa quatuor alios ex plebe, et in his binos, quos CEREALES vocauit *, adiecit. Dio Cass. *Lib. XXXXIII. extr. l.* 2. § 32. *D. de orig. iur.* Sueton. *in Iul. cap.* 41. Nec non aediles curules.

* Alias aedilibus plebis praecipue incubuit cura annonae et rei frumentariae, adeo vt nihil in nummis frequentius sit, quam aedilitatis istius χάραγμα puta duo modii cum spicis. Vaillant. *de famil. Rom. Tom. II. pag.* 213. Ez. Spanhem. *de vsu et praest. numism. Tom. II. pag.* 153. *sequ.* Videtur ergo Caesar hanc annonae curam ab aedilibus plebeiis ad cereales (quamuis et hi ex plebe essent, transtuliisse. Ceterum ineptiunt Alex. ab Alexandro *Genial. dier. Lib. II. cap.* 15. et Rosin. *Antiqu. Rom. Lib. VII. cap.* 1. et quotquot eos sequuntur, ac ii, qui ex locis Dionis et Pomponii duos *praetores cereales*, quales numquam Roma vidit, exsculpunt. Eos vero iam satis refellit Bern. Henr. Reinoldus *Varior. cap.* 3. *pag.* 26. *sequ.*

§. LVII.

Addimus magistratus maiores, aliquando extra ordinem creatos, veluti DICTATORES, in re trepida ab alterutro consulum, cuius sors exierat, noctu, silentio dictos: Liuius *Lib. VIII. cap.* Itemque magistratus maiores extra

Source : BIU Cujas

ordinem creati.

23. Dio Cass. *Lib. XXXVI.* DECEMVIROS legibus ferendis, quos semel tantum creatos, diximus. (§. 25.) TRIBVNOS MILITVM COS. POTEST. qui ab anno V. C. 311. quum de consule alterutro ex plebe creando patribus cum plebe non conueniret, aliquamdiu loco coss. fasces tenuerunt: Liu. *Lib. III. cap.* 51. *Lib. IIII. cap.* 6. INTERREGES, ad quos, abdicantibus se consulibus, vel in magistratu exstinctis, imperium curaque comitiorum consularium redibat: Liu. *Lib. III. cap.* 8. *Lib. V. cap.* 31. *Lib. VI. cap.* 1. *Lib. VII. cap.* 17. *et* 21. *Lib. VIII. cap.* 23. denique PRAEFECTOS VRBI, qui initio profectis ab vrbe regibus, deinde feriarum Latinarum caussa, reliquis magistratibus in monte Albano sacra facientibus, vt vrbi interim praeessent, ex nobili iuuentute extra ordinem creabantur *. Tacit. *Annal. Lib. VI. cap.* 10. 11. Gell. *Noct. Attic. Lib. XIIII. extr. Excerpta Peiresc. pag.* 477. *et l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur.*

* Caue ergo hos praefectos vrbi confundas cum illis, qui postea ab Augusti temporibus vrbi praeerant, et de quibus singularis in Pandectis exstat titulus *de officio praefecti vrbi.* Nostri enim, de quibus hoc loco loquimur, fuerunt magistratus extraordinarii, et qui vice aliorum absentium fungebantur: ii, qui ab Augusto constituti, ordinarie praeerant vrbi, et quaeuis fere iura reliquorum magistratuum vsurpabant, non modo ius gladii intra vrbem, sed et iurisdictionem intra centum ab vrbe lapides sibi vindicantes. Sed de his infra plura dicendi locus erit.

§. LVIII.

XXuiri, in quo numero decemuiri stlitibus iudicandis.

Sed et minores MAGISTRATVS alii *quotannis* vel statis temporibus, alii interdum *extra ordinem* creabantur. Primi generis erant, qui numero rotundo XXVIRORVM nomine veniebant, quamuis eorum XXVI. numerarentur. Dio Cass. *Lib. LIIII. pag.* 540. In eo numero erant DECEMVIRI STLITIBVS IVDICANDIS *, qui praetori cognoscenti aderant in consilio, Vlpian. *Fragm. tit.* 1. §. 13. et hastae iudicioque centumuirali praeerant. Sueton. *Aug. cap.* 36. *l.* 2. §. 29. *D. de orig. iur.* Ger. Noodt *de Iurisd. Lib. I. cap.* 12. Siccama *de iudic. centumuir. cap.* 9.

* STLITIBVS veteres dicebant pro *litibus*, vt asperitate quadam iuuarent litteram nimis lenem L. Sic et *locus* illis erat STLOCVS, *latus* STLATVS, Fest. *voce: Stlata.* De eo ἀεχαισμῷ plura Ian. Rugterf. *Lect. var. Lib. V. cap.* 16. Funcc. *de puerit. Lat. lingu. cap.* 4. §. 4. *pag.* 263. Ceterum postremis temporibus auctum hunc numerum esse, vel inde patet, quod et XVVIRI immo et XXVIRI STLIT. IVD. occurrunt in marmoribus apud Reines. *Inscr. Class. VI. num.* 42. 50. *et* 131.

§. LVIIII.

Source : BIU Cujas

§. LVIIII.

In eodem XXVIRORVM numero erant QVATVORVIRI VIARVM PVBLICARVM CVRANDARVM *, de quibus *l.* 2. §. 30. *D. de orig. iur.* Gruter. *Inscr. pag.* 16. *num.* 10. TRIVMVIRI A. A. A. F. F. id est, *auro*, *argento*, *aeri flando feriundo*, Cic. *Lib. VII. ad diuers. epist.* 13. TRIVMVIRI CAPITALES, qui carceris custodiae supplicii-sque sumendis praeerant, quin et de furibus seruis aliisque vilio-ribus capitibus cognoscebant apud columnam Maeniam, *l.* 2. §. 30. *D. de orig. iur.* Epit. Liu. *Lib. XI.* Valer. Max. *Lib. V. cap.* 4. *exemp.* 7. Rupert. *ad Pompon. Enchir. Lib. II. cap.* 16. *pag.* 138. *sequ.* QVINQVEVIRI CIS et VLTRA TIBERIM, qui suae quisque re-gionis aedificiis nocturno tempore incendiorum caussa praeerant, *l.* 2. §. 31. *D. de orig. iur.* Liu. *Lib. XXXI. cap.* 14. et, quorum postea suppressum est officium, IIVIRI CURATORES VIARVM ex-tra vrbem, *l.* 2. §. 3. *D. eod.* Dio Cass. *Lib. LIIII. pag.* 540. Eu. Otto *de tutel. viar. Part. II. cap.* 5. *pag.* 375.

Quatuor-viri viar. curand. triumuiri A. A. A. F. F. tri-vmuiri capitales, quinque-viri cis et vltra Ti-berim, II-viri cu-rat. viar.

* Dicti etiam VIOCVRI, Varr. *de lingua Lat. Lib. IIII. pag.* 6. *et* 38. Cuiac. *Obs. Lib. XII. cap.* 40. IIIIVIRI VIAR. CVRAND. IIII VIAR. CVRAND. Gruter. *Inscript. pag.* 26. *num.* 10. IIIIVIRI ITER. Idem *pag.* 1066. *nu.* 7. *pag.* 1078. *num.* 14. *et pag.* 1083. *num.* 11. quod exponunt *quatuor viri iteris* pro itineris, cuius ἀρχαϊσμοῦ vestigia passim supersunt. De iis, vti et de re-liquis magistratibus omnibus viarum curatoribus adcuratissime suo more egit Euerard. Otto *de tutela viar. Part. II. cap.* 5.

§. LX.

Denique et extra ordinem aliquando creatos animaduertimus magistratus quosdam minores, veluti PRAEFECTOS ANNONAE, Liu. *Lib. IIII. cap.* 12. QVINQVEVIROS MENSARIOS, Liu. *Lib. VII. cap.* 21. DVVMVIROS NAVALES, qui orae maritimae praeerant, classisque ornandae reficiendaeue curam habebant. Liu. *Lib. VIIII. cap.* 30. *Lib. XXXX. cap.* 18. *et* 26. Celebratur etiam in iure nostro PRAE-FECTVS VIGILVM, qui et ipse magistratus extraordinarius *: *l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur.* sed eum ab Augusto demum constitutum, non huius esse epochae, patet ex *l.* 3. *pr. D. de offic. praef. vigil.*

Magistra-tus mino-res extra-ordinarii.

* Praefectum vigilum magistratum esse negat Pomponius *l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur.* Sed sensus est, eum inter magistratus ordinarios non fuisse, ceu ad eum locum recte obseruarunt Cuia-cius, *pag.* 24. *sequ. edit. nou.* Ian. Guill. *de magistrat. Rom. litt. G. p.* 1. et Bynkersh. *Praetermiss. pag.* 262. Quum vero ipse Pomponius *d. l.* 2. §. 18. *eod.* dictatorem vocet magistratum, qui et ipse extra ordinem in re trepida solebat creari: cur, quaeso, id nomen abiudicemus praefecto vigilum?

§. LXI.

Source : BIU Cujas

§. LXI.

Illi habebant ius edicta proponendi.

Quum itaque consulum munia postea per tot maiores minoresque magistratus spargerentur: non mirum profecto est, pleroſque eamdem sibi sumsisse potestatem, edictis iura noui constituendi, qua consules vsos esse diximus (§. 18.). Vti enim hoc ideo faciebant consules, quod in regum locum successissent (§. 18. iuncta §. 4.): ita nihil aequius videbatur, quam eadem potestate gaudere reliquos magistratus, in quos quaedam consularis potestatis partes fuerant translatae *.

* Causſa ergo, quamobrem magistratus edicta possent proponere, non erat IMPERIVM, ceu existimauit Car. Sigon. *de iure ciu. Rom. Lib.* 1. *cap.* 20. Nam et AEDILES CVRVLES edicta proponebant, qui nec vocationem, nec prensionem habebant, Gell. *Noct. Att. Lib. XIII. cap.* 13. itemque TRIBVNI PLEB. *quos* SINE IMPERIO *esse*, diserte ait Appius Claudius apud Liu. *Lib. II. cap.* 52. nec non SACERDOTES, veluti pontifices et decemuiri sacrorum, Liu. *Lib. XXXX. cap.* 37. augures, Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 2. *exempl.* 4. et in primis PONTIFEX MAX. cuius de edicto perpetuo, sub sacerdotii auspicium proposito videndi Tacit. *Histor. Lib. II. cap.* 91. Gell. *Noct. Attic. Lib. II. cap.* 28. Iac. Guther. *de iure pontif. Lib. I. cap.* 12. Io. Andr. Bos. *de pontif. max. Rom. cap.* 4. §. 1. Henr. Dodwell. *Addend. praelect. Cambden. p.* 655. *seqq.* Et tamen sacerdotes sine imperio et potestate fuisse, scribit Liuius *Lib. IIII. cap.* 54. ipseque fatetur Car. Sigon. *ibid. Lib.* 1. *cap.* 19. Fundamentum ergo genuinum iuris edicendi est HONOR, quo quicumque fungebantur, ii et edicta reddebant. Honoribus autem fungebantur non modo magistratus, nec hi soli dicebantur HONORATI, Liu. *Lib. XXV. cap.* 5. Ouid. *ex Ponto, Lib. IIII. epist.* 5. *v.* 2. *et ad Liuiam, v.* 329. Sallust. *Catilin. cap.* 34. vel HONORE VSI apud Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 13. et Gruter. *Inscr. pag.* 253. *num.* 6. *pag.* 387. *num.* 8. *pag.* 392. *num.* 1. verum etiam sacerdotes, vt docent exempla apud Gruter. *pag.* 357. *num.* 3. *et pag.* 364. *num.* 1. Vnde et hi aeque edicebant, ac illi. Nec alia est ratio, cur IVS, quod ex magistratuum edictis descendit, dicatur HONORARIVM. *l.* 52. §. 6. *D. de obligat. et act.* §. 7. *Inst. de iur. nat. gent. et ciuil.* Cuiac. *Not. prior. ad d.* §. 7. et Raeuard. *de auctoritat. prudent. cap.* 10. *pag.* 1008.

§. LXII.

Iisque definiendi ea, quae legibus non erant definita.

Quod itaque obseruauit Aristoteles *Polit. Lib. III. cap.* 11. *oportere leges dominas esse, si sint recte scriptae, magistratus autem* EDICERE *de illis,* περὶ ὅσων ἐξαδυναλεῖσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς, διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι, καθόλε δηλῶσαι περὶ πάντων: *de quibus leges exquisite aliquid decernere nequeant, eo, quod non facile sit sermone generali singulos casus comprehendere:* id semper obseruarunt MAGISTRATVS ROMANI plerique, vt alucinentur omnino, qui solos PRAETORES edicta reddidisse existimant *.

* Eius

Source : BIU Cujas

* Eius sententiae fuit Iason *in l. 1. pr. D. de nou. oper. nunciat. n. 7.* Et quamuis viro non indocto ignotum non fuerit, proconsules etiam et aediles curules edixisse, ex *glossa* tamen *ad §. 7. Inst. de iur. nat. gent. et ciuil.* notat, praesides quoque prouinciarum, et aediles ex praetoribus fuisse. Quo nihil dici potuisset absurdius. At, si fingamus, eos iure praetorio gauisos, (quod tamen de aedilibus curulibus nemo dixerit): plerosque sane alios magistratus edicta proposuisse, iam obseruarunt Pomponius *l. 2. §. 10. D. de orig. iur.* Modestinus *l. 52. §. 6. D. de obligat. et action.* Theophilus *ad §. 7. Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* Guil. Maran. *in Paratitl. pag. 91.* Camill. Borell. *de edict. magistrat. I, 17, 6.* et alii.

§. LXIII.

Quemadmodum ergo supra edicta REGVM (§. 4.) et CONSVLVM (§. 18.) vidimus: ita apud veteres non minus celebrantur edicta DICTATORVM, quae *pro numine olim obseruata esse*, ait Liuius *Lib. VIII. cap. 34.* CENSORVM, ea, quae ad ciuium disciplinam pertinebant, complexa, Cornel. Nepos *Caton. cap. 1.* et ex quibus quaedam decerpsit Plin. *Hist. nat. Lib. VIII. cap. 57. Lib. XIII. cap. 13. Lib. XIIII. cap. 14. Lib. XXXVI. cap. 1.* TRIBVNORVM PLEBIS, Cicero *in Verr. II. cap. 41.* qui aliquando et vna cum praetoribus, et de communi vtriusque collegii sententia, edicta proponebant, Cic. *de offic. Lib. III. cap. 20.* et ex edictis suis ius dicebant. Idem *in Verr. II. cap. 41.* *. Quod exemplis probatur.

* Eo minus vero dubitandum de magistratibus, qui liberam adhuc rem publicam administrabant, quo certius constat, ea iam occupata plerosque magistratus ius edicendi sibi more maiorum vindicasse. Turcii Aproniani, PRAEFECTI VRBI, (de quo aliisque Aproniis legendus Lud. Anton. Muratorius *Anecdot. Tom. I. pag. 141. seqq.*) bina edicta notatu dignissima exstant apud Gruter. *Inscr. pag. 747. num. 6. 7.* Similia aliorum *praefectorum vrbi* suggerit Ammian. Marcellin. *Histor. lib. XXVII. cap. 9. lib. XXVIII. cap. 4.* Auidii porro Flacci, PRAEFECTI AVGVSTALIS Aegypti edictum laudat Philo in *Flacc. pag. 966. et p. 972.* Quin ne minores quidem magistratus dubitasse edicta de rebus ad curam suam pertinentibus reddere, patet exemplo QVAESTORVM, de quibus Cicero *in Verr. III. cap. 7. L. Octauio et C. Cottae coss. senatus permisit, vt vini et olei decumas, et frugum minutarum, quas ante te* QVAESTORES *in Sicilia vendere consuessent, Romae venderent, legemque his rebus, quae ipsis videretur,* EDICERENT. Vbi manifesto permittitur consulibus, quod antea ad quaestorum pertinebat officium, vt edicta de venditionis legibus proponerent.

§. LXIIII.

At celeberrima omnium sunt edicta PRAETORVM, AEDILITIA et PROVINCIALIA, quia ex iis pleraque in ius Iustinianeum migrarunt. Edicebant vero non modo praetores VRBANI, verum Omnes praetores, non

Source : BIU Cujas

solus vrbanus edicta proponebant.

etiam PEREGRINI *, Valer. Max. *Lib. I. cap. 3. exempl.* 2. Boeth. *ad Cic. Topic.* Theophil. *ad §. 7. Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* immo et qui eorum PROVINCIAS aut QUAESTIONES PVBLICAS fuerant sortiti. De illis paullo post erit dicendi locus. Horum exempla exstant apud Ciceron. *pro P. Sext. cap.* 41. Varron. *de lingua Lat. Lib. V. pag.* 62. Add. Fridr. Brummer. *ad leg. Cinc. cap.* 6. §. 7. *et* 8.

* His a nobis adlatis testimoniis Eu. Otto *in Not. ad Instit. pag.* 42. addit aliud Ciceron. *ad diuers. Lib. XIII. epist.* 59. vbi Tullius Curtium Peduceanum, praetorem tum peregrinum, *edicti et instituti sui* admonet. Recte ergo id iam olim obseruauit Bern. Henr. Reinoldus *Varior. cap.* 37. *pag.* 267. quum ea de re dubitassent viri doctissimi, Franc. Hotomanus *de magistrat. pop. Rom. pag.* 396. et Nic. Hieron. Gundling. *in Πρῶτ. Pandect. tit. de orig. iur.* §. 31. quorum prior praetorem peregrinum ex edicto vrbano : posterior ex iuris naturae et gentium principiis ius dixisse, censent. Sed vbi manifesta in promptu sunt veterum testimonia, ariolari nec licet, nec decet.

§. LXV.

Edicta quotuplicia?

Edictorum praetoriorum aeque, ac aliorum magistratuum alia REPENTINA erant, quae, prout res inciderent, proponebantur, alia ad PERPETVAM IVRISDICTIONEM, id est, per totum magistratus tempus explicandam, pertinebant *, *l. 7. pr. D. de iurisdict.* Horum porro quaedam erant TRALATITIA, quae ex sui quisque decessoris edicto in suum totidem paene verbis transferebat, et NOVA, quae quisque de suo veteri edicto quotannis adstruebat. Quamuis enim multo maxima pars eorum, quae praetores edicere consueuerant, certa viderentur propter vetustatem : Cicero *de inuent. Lib. II. cap.* 22. non temere tamen quisquam auspicabatur praeturam, quin noua quaedam adsueret capita **, vel aetatem latura, si laudem haberent aequitatis, vel negligenda a posteris, si ambitiosa aut iniqua essent. Ex quo patet, cur edictum praetorium a Cicerone *in Verrem II. cap.* 42. vocetur *lex annua, cui finem adferant Kalendae Ianuariae.*

* Equidem in l. 7. *D. de iurisdict.* verba quaedam a Triboniano explicationis caussa inserta esse videntur viris doctis. Cuiac. *Obseru. lib. XXI. cap.* 24. Ian. a Costa *ad §. 12. Inst. de action.* At res ipsa tamen, puta quod edicta quaedam perpetuae iurisdictionis caussa proposita, alia repentina fuerint, aliunde satis certa est. De prioribus nemo dubitauerit. *Repentinorum*, vel *peculiarium*, quae *ex tempore* proponi solita sint, meminit Cicero *in Verr. III. cap.* 14., edictorum, *quae ratio temporum reddi* postularit Plinius *Hist. nat. Lib. XXXVII. cap.* 1.

** Atque hinc intelligitur, cur quaedam edicta auctorum suorum nomina retinuerint, veluti DRVSI apud Ciceron.

Source : BIU Cujas

ron. *ad Attic. Lib. VII. Epist.* 2. CN. OCTAVII quod metus caussa. Idem *ad Q. fratr. Lib. I. epist.* 7. C. AQVILLII de dolo malo. Id. *de nat. deor. Lib. III. cap.* 30. PVBLICII de actione in rem, et restitutione maiorum viginti quinque annis. §. 4. *Inst. de act. l.* 35. *D. de oblig. et act. l.* 57. *D. mand.* Vt iam non dicam de actionibus SERVIANA, CALVISIANA, FABIANA, PAVLLIANA, edicto CARBONIANO, interdicto SALVIANO, quae omnia ex praetorum sunt edictis, eaque nomina acceperunt, quod praetores isti primi haec edicta, tamquam noua, tralatitiis maiorum suorum adstruxerunt, eaque postea ob aequitatem a posteris retenta maximam paullatim auctoritatem in foro sunt consequuta.

§. LXVI.

Modus illa proponendi.

Ea edicta praetores sub auspicia magistratus sui solebant proponere. Inituri enim honorem in concionem adscendebant, et pro rostris habita more maiorum oratione, quae essent in iure dicundo obseruaturi, EDICEBANT. Cicero *de finib. Lib. II. cap.* 22. Id est, edictum suum, domi compositum, non modo per praeconem recitari, (quod ex *μιμήσει* imperatoris histrici apud Plaut. *in prolog. Poenuli v.* 11. *sequ.* colligitur *), verum etiam scriptum in ALBO publice proponi iubebant. Vnde formula edictalis: APVD. FORVM. PALAM. VNDE. DE. PLANO. RECTE. LEGI. POTEST, (vel ἀρχαϊκῶς, POTESTVR, de qua forma vid. Voss. *de arte grammat. Lib. V. cap.* 36. *pag.* 319. *Tom. II. Oper.*) De ea formula legi possunt Ioseph. *Antiquit. Iudaic. Lib. XIIII. cap.* 12. *Lib. XVIII. cap.* 4. Auson. *Grat. act. ad Gratian. Imp. cap.* 21. Cuiac. *Obs. Lib. VII. cap.* 29.

* Ibi enim prologus comoediae, qui se *magistratum* vel *imperatorem histrionicum* fingit, primum praeconem ita excitat:

Exsurge, praeco, fac populo audientiam:
Iamdudum exspecto, si tuum officium scias.

Deinde recitat ipsum edictum fictitium:

BONVM FACTVM 'ST, *edicta vt seruetis mea.*

eoque finito subiicit:

Haec, imperata quae sunt, pro imperio histrico,
BONVM, *hercle*, FACTVM, *pro se quisque vt meminerit.*

Est vero haec formula: BONVM FACTVM, antiqua et sollemnis, quam edictis suis praemittebant magistratus, quamque Iosephus *Antiquit. Iud. Lib. XIIII. cap.* 10. et *Lib. XVIII. cap.* 5. exprimere solet: ΚΑΛΩΣ ΕΧΕΙ, quae verba sollemnia in *Hudsoniana* pessime vertuntur: *proinde aequum esse censeo:* Appianus vero *de bello ciuil. Lib. IIII. pag.* 593. 595. et 607. et veteres lapides apud Selden. *in Marm. Arundell. pag.* 130. Reines. *Inscript. pag.* 497. Smith. *de sept. eccles. Asiae, pag.* 20. *sequ.* et Iac. Gronou. *in Memoria Cossoniana, pag.* 142. 145. et 148. ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ, qua formula ideo vti noluisse videtur Iosephus Iudaeus, quod *Bonam Fortunam* pro dea colerent Romani. Alex. ab Alexandr.

Source : BIU Cujas

Genial. dier. Lib. I. cap. 12. Dalechamp. *ad Plin. Hist. nat. Lib. I. cap.* 7. Ceterum de formula edictali: BONVM FACTVM, consuli debet Barn. Brisson. *de formul. pop. Rom. Lib. III. pag.* 274. *sequ.*

§. LXVII.

Finis edictorum.

His porro edictis praetores non modo leges, propositis actionibus vel exceptionibus, adiuuabant, sed et multa, quae praeteruiderant legislatores, constituebant, quin et rigorem legum aequitate temperabant, ne videlicet summum ius in summam euaderet iniuriam. Quae omnia eleganter complexus Papinianus, *ius praetorium* ADIVVANDI, *vel* SVPPLENDI, *vel* CORRIGENDI *iuris ciuilis gratia, propter vtilitatem publicam, introductum esse*, ait *l.* 7. §. 1. *D. de iust. et iur.*

§. LXVIII.

Iis aliquando praetores ius scriptum euertebant.

Ipsum equidem ius scriptum directe mutare edictis suis non poterant praetores, idque non modo ipsi prae se ferunt, quoties in edictis suis LEGES, SCTA, EDICTA, DECRETAQVE PRINCIPVM diserte excipiunt, *l.* 7. §. 7. *D. de pact. l.* 1. §. 5. *D. de postul. l.* 1. §. 1. *D. de quib. ex causs. mai.* sed et iurisconsulti passim profitentur. *l.* 12. §. 4. *D. de Public. in rem act. l.* 12. §. 1. *D. de bon. possess.* Enimuero vt mali magistratus potestate, etiam legitima, facile abutuntur: ita et de praetoribus idem obseruat Dio Cass. *Histor. Lib. XXXVI. pag.* 19. dum scribit: Οὐ γὰρ οἱ στρατηγοὶ πάντα τὰ δικαιώματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διετάχθη, ἐφύλαττον, οὔτε ἐσάπαξ τοῦτ' ἐποίουν, οὔτε τὰ γραφέντα ἐτήρουν, ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μετέγραφον: *neque enim praetores omnia ea iura, quae ad contractus dirigendos constituta erant, obseruabant, neque id vmquam fecerant, sed saepenumero ea variauerant* *.

* Potest id per inductionem, quam vocant, probari modo ad leges XII. tabularum respicere velimus. Ita sane praetor mutauit poenam furti manifesti, Gell. *Noct. Attic. Lib. XI. cap. vlt.* Theophil. *ad §. 2. Inst. de perpet. et temp. act.* poenam frugis noctu demessae, Plin. *Hist. nat. Lib. XVIII. cap.* 3. iniuriarum, Gell. *Noct. Attic. Lib. XX. cap.* 1. actiones arborum furtim caesarum, Plin. *Hist. nat. Lib. XVII. cap.* 1. depositi dolo malo abnegati, *Pariat. Mos. et Rom. leg. tit.* 10. §. 6. conditionem liberorum emancipatorum, §. 9. *Inst. de succes. ab intest.* nec non cognatorum. *l.* 1. *D. vnde cogn.* Nec magis praetor pepercit aliis legibus, veluti Aquilliae, cuius capita quaedam exstitisse *de seruo corrupto et de effusis et deiectis*, quae deinde praetor edicto suo excluserit, suspicatur Bynkersh. *Obs. Lib. I. cap.* 13. Iam obiter addo, eam veram ac genuinam esse rationem, cur actiones quaedam poenales, licet praetoriae, tamen sint perpetuae, veluti actiones furti manifesti, *pr. Inst. de perpet. et temp. act.* arborum furtim caesarum, *l.* 7.

Source : BIU Cujas

l. 7. §. 6. 7. D. arb. furt. caes. furti aduersus nautas, caupones, stabularios, *l. vlt. §. 6. D. naut. caup. stab.* depositi miserabilis, *l. 18. D. depos.* serui corrupti, *l. 13. D. de seru. corr.* de effusis et deiectis, si non de occiso libero homine agitur, *l. 5. §. 5. D. de his, qui effud. vel deiec.* Omnes enim hae actiones non sunt origine praetoriae, sed ciuiles, at immutatae et correctae a praetoribus.

§. LXVIIII.

Quibus artibus id consequuti sint praetores.

Quod ergo directe non poterant praetores, id indirecte, adhibitisque quibusdam artibus, eos praestitisse, dudum ostendimus. Nam et NOVIS excogitatis VOCABVLIS leges eludebant, et actiones ciuiles, datis EXCEPTIONIBVS et RESTITVTIONIBVS, euertebant, et FICTIONIBVS suis efficiebant, ut aliam paene faciem induerent iura ciuilia *, *Antiqu. Rom. Lib. II. tit. 14.*

* Ita NOVIS ludebant VOCABVLIS, dum iis, qui *heredes* esse non poterant, dabant *bonorum possessionem*, dum argentarios non *promittere*, sed *recipere*, eosque, qui rem a se aliisque promissam iterum promittebant, *constituere*, dicebant, atque inde dabant actiones *receptitiam et constitutae pecuniae*: *l. 1. §. 1. l. 16. §. 2. l. 18. §. 1. l. 25. D. de const. pec. l. 2. C. eod.* quasi inter *pacisci*, *promittere*, *recipere*, *constituere*, tantum interesset discriminis, vt priora non mererentur actionem, posteriora mererentur. Deinde et variis EXCEPTIONIBVS elidebant iura: et iis quidem non tantum aequis, veluti *pacti*, *doli mali*, similibus, sed et iniquissimis, qualis vere fuit *exceptio lenocinii* apud Valer. Max. *Lib. VII. cap. 7. exempl. 7.* Quod et de RESTITVTIONIBVS dicendum, quas saepe dabant praetores mali, quando minime oportebat, ceu patet exemplo C. Verris apud Ciceron. *in Verr. I. cap. 16.* FICTIONVM exempla omni exceptione maiora sunt in *§. 4. Inst. de action.*

§. LXX.

De Gottl. Cortii vindiciis Praetoris et iuris honorarii.

Enimuero aduersus omnes, qui praetori haec exprobrant, strenuum vindicem, quod mireris, expediuit GOTTL. CORTIVS, editis Lipsiae *Vindiciis praetoris ac iuris honorarii*, vbi iis, qui talia scripserunt, tam grandem dicam scribit, ac tam vehementer indignatur, vt magis non potuisset, si coniurassent aduersus rem publicam. Et tamen vir ille doctus, effusa omni bile, magno conatu maximas nugas egit *.

* Primo enim mutato ipso quaestionis statu *§. 4. p. 3.* se non perfidorum ac malitiosorum praetorum, sed praeturae causam acturum, minatur. Quasi ipsam praeturam quisquam mortalium impugnasset, aut alii praetores quam perfidi ac malitiosi, istis artibus abusi sint. Cum laruis ergo pugnat vir doctus, neminem habiturus aduersarium. Deinde ostensurus, praetores, ne si voluissent quidem, his artibus vti potuisse, a *§. 5.* multa ex aduersariis suis corradit de insigni Romanorum cura in seruandis legibus, de edictis con-

Source : BIU Cujas

sentiente senatu scriptis, de intercessione tribunorum plebis, qua et aduersus iniqua edicta praetorum vti potuerint, denique de iureiurando, quod in leges iurarint praetores. Enimuero, qua fronte negatur fieri potuisse id, quod re ipsa factum est? Ius praetores edictis euertisse, et Dio testatur, et Cicero: qui ergo euerti non potuit? Cur, quaeso, C. Verrem, talia ausum non cohibuit insignis ista Romanorum cura in seruandis legibus? cur hunc senatus non in ordinem coëgit auctoritas? cur tribuni plebis non domuerunt? et cur hominem non saltim iuris iurandi religio in officio continuit? Praeterea, si quid aliud, falsum est, praetores edicta sua, vel de senatus, vel de collegii tribunicii sententia composuisse, neque id probant adducta a viro docto testimonia. Praeterea ridiculum est, vindicem initio negare, praetores his artibus vti potuisse, et postea tamen §. 8. non modo fateri, eos iura mutasse, sed et iure id ab illis factum esse contendere: partim, quod *similis legislatoriae esse debeat praetorum potestas*, (quo nescio an quidquam scribi potuisset insulsius), partim, *quod populo potius vitio vertendum sit, quod tamdiu vetustis obscurisque legibus inhaeserit.* Quid ergo sibi vult vindex? cur iis indignatur, qui praetores iura mutasse censent? cur id fieri potuisse negat? Non minus absonum est, quod §. 9. illam veterum querelam, in primis locum Dionis Cassii non de ordinariis annuis, sed de subitaneis praetorum edictis accipiendum esse ait, veluti de citatoriis, monitoriis, similibusque. Quasi vero lex Cornelia, de qua ibi agit Dio Cassius, ad edicta subitanea pertinuerit, et quasi vlli magistratui lege praecipi possit, vt omnia edicta subitanea, citatoria, monitoria sub auspicium honoris sui semel stmulque proponat. Nugae! Denique vbi ad rem ipsam se accingit vindex, artes istas praetoribus iniuria tribui ostensurus, multum interfuisse monet inter bonorum possessionem et hereditatem, vbi pleraque, quae nemo dupondiorum ignorat, quaedam et falsissima adfert. Deinde exceptiones aeque, ac restitutiones in integrum aequissimas esse contendit, quum nemo eas iniquitatis coarguerit, et verissimum tamen sit, praetores, qui aequas vel exceptiones vel restitutiones inuexerunt, potuisse etiam inuehere iniquissimas, easque aliquando re ipsa inuexisse. Postremo, ne quid ineptiarum desit; fictiones fictiones esse negat, easque nihil aliud, quam *veritates probabiles, et interpretationes extensiuas esse*, contendit. Nam veritas admodum probabilis est, eum, qui non vsucepit, vsucepisse, non vsucepisse autem, qui vsucepit. Hoc vero est, quod ignorabamus miseri. Quae sub finem dissertationis adcumulantur de absentium praesentia, de seruitute poenae, id est, Furiarum, et similibus iuris, quod homo iste numquam intellexit, capitibus, tam frigida sunt, vt nolim ea recensendo anno tam insalubri febrim lectori excitare. Saltim si veterum praetorum aliquis has praetoris vindicias legisset, eum non dubito exclamaturum fuisse:

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget.

§. LXXI.

Praetores edicta sua per annum

Sed et id sibi adrogauerant praetores, vt edicta per annum, quotiescumque collibitum esset, mutarent, idque plerumque facerent, εἰς χάριν καὶ κατ' ἔχθραν τινῶν, *in gratiam odiumque certorum hominum*: Dio Cass. *Lib. XXXVI. pag.* 19. Ascon. Paedian. *in*

Source : BIU Cujas

in argum. orat. pro C. Cornelio, maiest. reo *, adeo, vt ad coërcendam istam praetorum licentiam opus esset edicto ipsorum praetorum: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR. *l.* 1. *D. quod quisque iur. in alt. stat.* frequenter mutabant.

* Feciſſe id animaduertimus C. Verrem. Is edicto L. Annio heredi ſecundo P. Annii Aſellii edicto condonauit hereditatem, excluſa filia vnica herede a patre inſtituta. Cic. *in Verr. I. cap.* 41. De eo edicto Cicero *ibid. cap.* 42. *ac ſi hoc iuris non vnius cauſſa hominis edixiſſes, cautius compoſuiſſes.* Idem *cap.* 45. refert, ridiculum edictum propoſuiſſe Verrem in gratiam heredis Minucii, cuius teſtamentum alioquin iure nullum erat. *Componit*, inquit, *edictum, iis verbis, vt quiuis intelligere poſſit, vnius hominis cauſſa conſcriptum eſſe, tantum quod hominem non nominat.* Talia permulta ſunt in illis in Verrem orationibus.

§. LXXII.

Id quum demum intolerabile videretur ciuitati liberae, et ius incertiſſimum redderet: anno ab V. C. 585. *L. Aemilio Paullo* et *C. Licinio Craſſo* Coſſ. *V. Kal. Apr.* in curia Hoſtilia factum eſt SC. VTI PRAETORES EX SVIS PERPETVIS EDICTIS * IVS DICERENT. Cuius SCti notitiam verbaque debemus *Actis diurnis*, quorum fragmenta quaedam inſignia ediderunt Steph. Vin. Pighius *Annal. Rom. Tom. II. pag.* 378. Reineſ. *Inſcript. Claſſ. IIII. num.* 2. et omnium adcuratiſſime Henr. Dodwello, Adpend. *praelect. Cambden. p.* 665. *ſequ.* Hinc SCto iuſſi ſunt ex edictis perpetuis ius dicere.

* Neque tamen PERPETVVM dicitur hoc edictum, quaſi aeternum duraturum, quale eſſe debuit illud a Salvio Iuliano compoſitum ſub Hadriano: ſed quod illud per totum annum nullam ſubiturum eſſet mutationem. Nam *perpetuum* dicitur etiam, quod eſt continuum, vel non interruptum, quamvis non infinitum. Sic *palus* PERPETVA apud Caeſarem *de Bello Gall. Lib. VII. cap.* 57. PERPETVA *amicitia* apud Q. Ciceron. *de petit. conſul. cap.* 6. *biennium* PERPETVVM apud Terent. *Hecyr. Act. I. ſcen.* 2. *v.* 12. vbi Donatus: *vt continuationem caſus ſui oſtenderet,* PERPETVVM *dixit.* Huius notionis quum non meminiſſent Menardus *in Cicer. in Verr. I. pag.* 103. Guil. Grot. *de vit. ICtor. Lib. II. cap.* 6. non mirum eſt, eos maxime caecutiiſſe circa naturam edicti perpetui, quale ante Hadrianum Imp. inualuerat.

§. LXXIII.

At ne id quidem SC. par fuit illi praetorum licentiae. Nam multo poſt illa tempora C. Verres in vrbe, et in Sicilia edicta ſua in gratiam odiumque aliorum frequenter mutabat, et varie ius dicebat. Cicero *in Verr. I. cap.* 46. Nec religioſius reliqui praetores edicta ſua ſeruabant. Quo factum eſt, vt anno ab V. C. 686. Poſtea etiam lege Cornelia.

Source : BIU Cujas

C. 686. C. CORNELIVS, trib. pleb. magna cum nobilium hominum offensione * legem ferret, VT. PRAETORES. EX. EDICTIS. SVIS. PERPETVIS. IVS. DICERENT. *Quae* LEX CORNELIA *tum gratiam ambitiosis praetoribus, qui* VARIE *ius dicere adsueuerant, sustulit*, vti obseruat Ascon. Paedian. *ibid.* Meminit eiusdem legis Dio Cass. *Lib. XXXVI. pag.* 19. qui eius sententiam ita exprimit: Κατ' ἀρχάς τε εὐθὺς στρατηγὲς τὰ δίκαια, οἷς χρήσονται προλέγειν ἢ μηδὲν ἀπ' αὐτῶν παρατρέπειν: *vt et statim praetores principio ediderent, quo iure essent vsuri, et deinde nequaquam ab eo deflecterent.*

* Rem perspicue exposuit Ascon. Paedianus in *argumento orationis pro C. Cornelio, maiestatis reo.* C. Cornelius, homo non improbus vita habitus, quaestor Cn. Pompeii, dein tribunus plebis, Pisone consule, retulerat ad senatum, *nequis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret.* Relationem repudiabat senatus, quo ex ordine plerique hac credita pecunia permagnum et turpissimum lucrum faciebant. Offensus ea re Cornelius in concionibus senatum turpis lucri accusat, simulque legem rogat, qua senatus minueretur auctoritas, *ne quis, nisi per populum, legibus solueretur.* At senatus facile monuit P. Seruilium Globulum, tribunum pleb. vt Cornelio obsisteret. Et sane orto tumultu, in quo et C. Pisonis cos. fasces fracti, lapidesque in consulem ex vltima concione iacti sunt, concilium tum dimittendum fuit. Postea sine tumultu pertulit legem paullulum emendatam, *ne quis a senatu legibus solueretur, nisi ducenti adfuissent.* Audacior hoc successu factus et alias leges, et hanc de praetorum edictis promulgauit tulitque, per quas contentiones paene totus eius tribunatus peractus est. Sequenti deinde anno reus maiestatis factus est a Cominiis fratribus, defensusque a Cicerone, desistentibus accusatoribus, euasit, nomenque eius de reis exemtum est. Plura sciremus, si orationes illae Ciceronis integrae ad nos peruenissent. Iam vix fragmenta quaedam nobis seruauit laudatus Asconius.

§. LXXIIII.

Hinc ius praetorium multo, quam antea, certius factum.

Hac ergo lege effectum est, vt non modo paullo minus necessarium esset edictum: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, nisi quis repentino aliquo edicto damnum sensisset, sed et ipsum ius praetorium in posterum paullo videretur certius, quod pleraque tralaticia edicta in albo legerentur, et praetores, licet quotannis edicerent, pauca tamen noua capita veteribus adstruerent. Hinc ICti ex eo tempore edicta praetoris colligere, suisque illustrare coeperunt animaduersionibus, veluti SER. SVLPICIVS, *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.* * A. OFILIVS, *d. l.* 2. §. 44. *D. eod. l.* 1. *D. ne quis eum, qui in ius voc.* et ANTISTIVS LABEO, *l.* 1. §. 5. *D. de fugitiu.* Gell. *Noct. Att. Lib. XIII. cap.* 10.

* Sunt hi ipsi libri, qui alias *ad Brutum* scripti dicuntur. Hinc Pomponius: *Idem* Ofilius *edictum praetoris primus diligenter composuit, nam ante eum*

Source : BIU Cujas

eium SERVIVS *duos libros ad Brutum perquam breuissimos ad edictum subscriptos reliquit.* Et *l. 5. §. 1. D. de instit. act.* laudatur SERVII *liber primus ad Brutum* : non quasi Bruti, ICti, libros commentario illustrarit, sed quod has meditationes edictales M. Bruto, Iulii Caesaris interfectori, cui Cicero etiam libros *de finibus* et *de natura deorum*, itemque *Oratorem* et *paradoxa* sua nuncupauerat, inscripsisset. Eu. Otton. *Ser. Sulpic. cap. 7. §. 3. pag. 1598. Tom. V. Thsaur. iur. ciu.* Ceterum quum vix minus necessariis scriptionibus operam dedisse virum negotiosissimum, probabile sit: recte ex ipsa brevitate, qua vsus dicitur, colligere mihi videor, prima hunc libellum complexum esse iuris prudentiae elementa, eumque adeo in gratiam auditorum prodiisse. Studium sane iuris tum ab edicto auspicatos esse plerosque, testatur Cicero *de legib. Lib. I. cap. 5. a praetoris edicto plerique nunc, non a XII. tabulis, vt superiores, hauriendam iuris disciplinam, putant.* Vid. Iac. Perizon. *de leg. Vocon. pag. 219. edit. nou.* Euer. Otto *ibid. pag. 1599.*

§. LXXV.

Eodem iure, quo praetores, etiam AEDILES CVRVLES de rebus ad curam suam pertinentibus, (§. 56.) edicta proposuisse diximus, * (§. 61.) quae et ipsa *iuris honorarii portio* erant. §. 7. *Inst. de iur. nat. gent. et ciuil.* Nec tamen, sicuti praetores, singuli videntur edixisse, sed communiter. Cuiac. *Obs. Lib. XXV. cap. 16.* Vnde vix legas in *Digestis*: *ait aedilis*: sed in numero pluratiuo: AIVNT, VOLVNT, NOLVNT, PRAECIPIVNT, et DENVNCIANT, LOQVVNTVR, ORDINE FECERVNT AEDILES, cetera. *l. 1. §. 1. l. 17. §. 17. l. 25. pr. l. 44. pr. l. 37. l. 38. §. 1. l. 25. §. 10. D. de aedil. edict.* Edicta aedilium curulium.

* Quod ius ab ipsa magistratus sui origine videntur vsurpasse. Nam iam Plautus, qui centum circiter et septuaginta annis post primos aediles curules scripsit, ad edictum eorum, tamquam rem notissimam, suo more adludit *in Captiu. Act. IIII. scen. 2. v. 43.*

Eugepe, EDICTIONES AEDILICIAS *hic habet quidem:*
Mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi Aetoli agoranomum.

Loquitur enim de Ergasilo parasito, qui adcurrens in via inuehitur in *pistores scrophipascos, qui alunt furfuri sues, quarum odore praeterire nemo pistrinum possit*: deinde in *piscatores, qui praebeant populo pisces foetidos, qui aduehantur quadrupedanti crucianti canterio, quorum odos subbasilicanos omnes abigat in forum*: tum in *lanios, qui concinnent liberis orbas oues, qui locent caedundos agnos, et duplam agninam dent, qui petroni nomen indant verueci sectario.* Haec omnia ad aedilium curam pertinebant, adeoque eleganter a Plauto vocantur *edictiones aediliciae.*

§. LXXVI.

Quamvis vero Eu. Otto *de tutel. viar. Part. III. cap. 2. pag.* 428. contra Albericum a Porta, Fulgosium, Zoesium, et Boeckelmannum, recte obseruauit, non vnum fuisse edictum aedilicium, sed plura, et ad varias causas, de quibus eorum erat iurisdictio, perti- Eorum capita, quae in iure supersunt.

Source : BIU Cujas

pertinentia, eaque demum in vnum collecta corpus suis partibus et titulis distincta videri: in iure tamen nostro tria tantum supersunt capita, quae sola Saluius Iulianus in edictum perpetuum retulit, *l.* 1. §. 1. *sequ. D. de aedil. edict.* Vnum de mancipiorum *, *l.* 1. §. 1. *D. eod.* alterum de iumentorum venditionibus, *l.* 38. §. 1. 2. *D. eod.* tertium de cane, verre, similibusque animalibus ibi, vbi vulgo iter fit, non habendis, *l.* 40. *sequ. D. eod.* Quod postremum erudite illustrauit Otto *ibid.*

* At ne id quidem caput satis integrum in Pandectis reperitur. Quum enim in *l.* 1. §. 1. *de aedil. edict.* venditores tantum iubeantur CERTIORES FACERE EMTORES, QVID MORBI VITIIQVE QVIQVE SIT, EAQVE OMNIA PALAM RECTE PRONVNCIENT: verba vetusta et τυπικὰ apud Gell. *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 2. ita se habent: TITVLVS SERVORVM VTEI SCRIPTVS SIT COERATO, ITA VTEI INTELLIGI RECTE POSSIT, QVID MORBI, *cet.* Tituli huius modi, quo vitia morbiue mancipiorum exprimi solebant, meminerunt Seneca *Epist.* 46. et Philostrat. in *Vit. Apollon. Tyan. Lib. III. cap.* 25. *pag.* 115. *edit. Olear.* vbi ἐπαιτῶ τῶν ἀνδραπόδων TO MH KAEΠTEIN AYTA: *titulus mancipiorum:* NON FVRANTVR.

§. LXXVII.

Caput de funeribus et eorum sumtibus.

Passim tamen et aliorum huius edicti capitum exstant vestigia. Quum enim et funerum cura penes aediles esset: permulta edixisse videntur de sumtibus funerum, ritibus funebribus, et structura monimentorum sepulcralium. Ouid. *Fastor. Lib. VI. v.* 663.

Adde quod AEDILIS *pompam qui funeris irent,*
Artifices solos iusserat esse decem. *

Et Reines. *Inscript. Class. II. num.* 73. *pag.* 291. elegans describit marmor, in quo C. Cestii heredes profitentur, se monimentum fecisse ex pecunia, quam pro suis partibus receperint ex venditione Attalicorum, QVAE EIS PER EDICTVM AEDILIS IN SEPVLCRVM C. CESTII INFERRE NON LICVERIT. Conf. Cicer. *ad Attic. Lib. XII. epist.* 35. 36.

* Quum ex Cicerone *de legib. Lib. II. cap.* 23. constet, iam legibus XII. tabularum cautum fuisse: TRIBVS RICINIS ET DECEM TIBICINIBVS FORIS EFFERRE IVS ESTO: verba Ouidii sollicitare non dubitat Iac. Gothofredus *Not. in XII. tabul. pag.* 233. pro *aedilis*, rescribens EDICTIS; et per *edicta* intelligens XII. tabulas, quae adpellatio sine exemplo esse videtur. Et cur non legem XII. tabularum, luxu insequentium saeculorum, vt fieri solet, euersam, in vsum reuocare potuerint aediles? Vid. Petr. Burmann. *ad Ouid. Tom. III. pag.* 424. *sequ.* Hos sane de minuendis funerum impensis edixisse, extra omnem dubitationis aleam positum est ob lapidem Reinesianum. Ex quo simul patet, quomodo sint intelligenda verba Ciceronis *Philipp. VIIII. cap.* 7. *senatum censuisse, atque e re publica existimare, aediles*

diles curules EDICTVM, *quod de* FVNERIBVS *habeant, Ser. Sulpicii L. F. Lemonia Ruſi funeri remittere.* Ea enim Paullus Manutius recte interpretatus eſt de ſumtibus funerum, quum contra ſatisfacere vix videantur coniecturae Iac. Gutherii *de iure Man. Lib. II. cap.* 1. et Io. Guil. Hoffmann. *Hiſt. triumuirat.* §. 10. *pag.* 31. *ſeqq.*

§. LXXVIII.

De caſtratione puerorum, et rebus in ſcenam non proiiciendis.

Aliud edicti aedilicii caput de caſtratoribus puerorum quadruplo puniendis, memoratur *l.* 27. §. 6. *D. ad leg. Aquill.* quod iuuenili, ſed docta commentatione illuſtrauit Euer. Otto edita *Steinuord.* 1710. Apud Macrobium porro *Saturn. Lib. II. cap.* 6. legimus, aediles aliquando propoſuiſſe edictum: NEQVIS ALIQVID IN SCENAM PRAETER POMVM IACERE VELLET: Caſcellium vero ICtum, interrogatum, num nux pinea pomum ſit? facete reſpondiſſe: *ſi in Vatinium miſſurus es, pomum eſt* *.

* Fuiſſe & alia edicti aedilicii capita, et inde colligi poſſe videtur, quod *l.* 2. *D. de diuerſ. et temp. praeſcript.* Marcellus PLERASQVE *actiones* AEDILICIAS *certo tempore finiri*, ait. Quum enim hodie nullam ſciamus, quae non ſit temporalis: conſequi videtur, vt quarumdam, quae perpetuae fuerunt, ipſa memoria interciderit. At neruos huic argumento incidit Bynkershoekius, *Obſ. Lib. IIII. cap.* 8. cuius coniectura, pro PLERAEQVE, extrita vna littera, legentis PERAEQVE tam eſt elegans et veroſimilis, vt omnibus adſenſum extorquere videatur.

§. LXXVIIII.

Edicta prouincialia.

Denique et magiſtratus prouinciales, quales libera adhuc re publica erant COSS. PRAETORES, PROCOSS. PROPRAETORES, (Car. Sigon. *de iure prouinc. Lib. II. cap.* 1.) edicta in prouinciis ſuis proponebant. Habebant equidem ſingulae prouinciae ſuas leges, quae victis gentibus ab imperatore de decem legatorum ſententia dari ſolebant, ſancte deinde ſeruandae a praeſidibus: Cicero *in Verr. II. cap.* 13. Liu. *Lib. XXXIII. cap.* 31. *et* 32. *Lib. XXXXV. cap.* 25. erant etiam quaedam in prouinciis ciuitates αὐτονόμοι, quibus ob bene merita ſuae leges permiſſae *: Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. cap.* 9. denique et ipſae leges Romanae ſaepe ad vniuerſum orbem Romanum ſingularibus ſanctionibus porrigebantur: Vlpian. *Fragm. tit.* 11. §. 18. 20. *et ibi* Schulting. *l.* 5. *pr. D. de manumiſſ.* attamen his omnibus veluti auctarium et ſupplementum accedebant EDICTA PROVINCIALIA.

* Non vniverſa prouincia eaſdem a victore leges accipiebat, ſed prout ſe ciuitates aduerſus victorem populum geſſerant, de eoque meriti fuerant, ita vel duriores vel mitiores leges accipiebant. Car. Sigon. *de iure prouinc.*

Source : BIU Cujas

Lib. I. cap. 1. Aliquando humanioris ingenii imperatores totam prouinciam suis vti legibus patiebantur : et tale exemplum L. Aemilii Paulli, Macedonibus ἀυτονομίαν concedentis est apud Liuium *Lib.* XXXXV. *cap.* 32. Si ciuitas ἀυτόνομος, suis relictis legibus, ius Romanum sua sponte adoptasset, populus ille FVNDVS FACTVS diceba-tur. Cic. *pro Balb. cap.* 8. Gell. *Noct. Attic. Lib. XVI. cap.* 13. Qua de re doctissimae exstant NIC. RIGALTII, ISM. BVLLIALDI, et HENR. VALESII Diatribae *de populis fundis*, iunctim editae *Diuione MDCLVI.* 8. recusae in Graeuii *Thesauro Antiqu. Rom. Tomo II.*

§. LXXX.

Eorum varietas.

Qui nimirum mittebantur in prouincias, exemplo prætorum, ipsi quoque sub auspicium magistratus sui, quomodo ius dicturi essent de quibuslibet caussis, edictis denunciabant : Sigon. *de iur. prou. Lib. II. cap.* 5. idque faciebant non modo consules et procoss. sed et praetores et propraetores, vti patet exemplis L. Domitii et P. Licinii Neruae, praetorum Siciliae, apud Valer. Max. *Lib. VI. cap.* 3. *exempl.* 6. *et in Excerpt. Peiresc. pag.* 633. Totidem ergo erant edicta PROVINCIALIA, quot prouinciae, celebranturque passim edictum SICILIENSE, *Cicer. in Verr. I. cap.* 43. ASIATICVM, et SYRIACVM, Id. *ad Attic. Lib. VI. epist.* 1. nec non CILICICVM *. Id. *ad diuers. Lib. III. epist.* 8.

* Ex his locis adparet, diuersa quidem fuisse haec edicta : at saepe praesides prudentiores, optima quaeque ac saluberrima, non modo ex vrbano, sed et ex aliarum prouinciarum edictis in sua transtulisse. Fecit id sane Cicero, qui *ad Attic. Lib. VI. epist.* 1. de se ipso refert, quaedam se de Bibuli, Syriae procoss. nonnulla ex Q. Mucii edicto Asiatico in suum Cilicicum transtulisse : pleraque de iure dicundo, praeter ea, quae sine edicto satis commode explicari non posse visa sint, ἄγραφα reliquisse, et praemonuisse tantum prouinciales, se de eo genere sua decreta ad edicta vrbana accommodaturum.

§. LXXXI.

Erant illa vel tralaticia, vel noua.

Ceterum et haec prouincialia edicta vel TRALATICIA erant, vel NOVA. Pleraque enim ex decessorum suorum edictis retinebant : at nihilominus tamen iisdem et noua quaedam adsuebant *. Cicero *ad diuers. Lib. III. epist.* 8. Quin ea in re vel maxime elucebat magistratuum prouincialium prudentia, si quid noui, quod prouinciis suis salutare esset, constituissent. Quo nomine L. Lucullum laudat Cic. *Quaest. acad. Lib. IIII. cap.* 1. quod *in eo tanta fuerit prudentia in constituendis temperandisque ciuitatibus, tanta aequitas, vt multo post steterit Asia, Luculli institutis seruandis, et quasi vestigiis persequendis.* Similes sunt laudes, quibus

Source : BIU Cujas

bus Quintum fratrem prosequitur *Lib. I. epist.* 1.

* Ita ipse Cicero *ad diuers. Lib. III. epist.* 8. testatur, se pleraque ex Appii Pulchri edicto iisdem verbis transcripsisse in suum, et noua quaedam addidisse de minuendis ciuitatum sumtibus, quibus ipse magnopere delectetur. Fuere ergo in illo Ciceronis edicto Cilicico quaedam TRALATICIA, alia a Cicerone de NOVO addita: idque et reliqui, qui in prouincias ibant, magistratus accurate obseruabant.

§. LXXXII.

Recte porro obseruatum est a Carolo Sigon. *de iure prou. Lib. II. cap.* 5. tria potissimum in edictis suis componendis exercendisque cauere solitos esse bonos praesides, qui famae seruirent: *primum*, ne quid edicerent contra legem vel formulam prouinciae (§. 79.). quo nomine male audiebat C. Verres, quod in Sicilia pleraque edixisset contra legem Rupiliam. Cicero *in Verr. II. cap.* 13. *Alterum*, ne quod in vrbe antehac sanxerant, edictis euerterent prouincialibus, quod idem C. Verri exprobrat Cicero *in Verr. I. cap.* 16. *Postremum*, ne quid ipsi vmquam decernerent aduersus edictum suum. Cicero *ad Attic. Lib. VI. epist.* 1.

Quae in edictis suis cauerint boni praesides.

§. LXXXIII.

Quandoquidem vero vix dubitandum est, quin idem sibi aliquando adrogarint magistratus prouinciales, quod sibi praetores vrbanos sumpsisse vidimus, puta vt edicta sua, quoties collibitum esset, mutarent: (§. 71.) nihil etiam videtur certius, quam LEGEM CORNELIAM de edictis perpetuis, supra descriptam, (§. 73.) prouinciales etiam magistratus obstrinxisse. Quin, si dicendum, quod res est, praetorum prouincialium iniquitas occasionem primum dedisse videtur senatui, de edictis magistratuum perpetuis cogitandi. *

An lex Cornelia prouinciales etiam magistratus obstrinxerit?

* Diximus supra (§. 72.) L. Aemilium Paullum cos. anno ab V. C. 585. auctorem fuisse senatui condendi SCti, vt praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent. Iam vero ex *Epit. Liu. Lib.* XXXXIII patet, circa ea tempora praetores nonnullos eo, quod auare et crudeliter administrassent prouincias, damnatos esse, quae fusius narrat ipse Liuius *Lib.* XXXXIII. *cap.* 2. *et* 10. De remedio ergo cogitandum fuit, quo nimia coerceretur praetorum licentia, maxime in prouinciis, vbi senatus populique absentia magistratibus iniquis spem impunitatis multo maximam iniiciebat.

§. LXXXIIII.

Quamuis ergo iam essent in vrbe leges XII. tabularum, plebiscita, legis actiones, ius ciuile, ex interpretatione prudentum et fori

Leges intra haec tempora.

Source : BIU Cujas

post XII. tabulas conditae.

et fori disputatione ortum, ac denique edicta magistratuum quam plurima: non tamen quotannis deerat occasio nouas rogandi ferendique LEGES, nouaque PLEBISCITA, quibus permulta, antea vel plane non, vel aliter, quam e re publica videretur, definita sancirentur. Eas cum cura iam collegerunt alii. * Licebit tamen et hic earum texere catalogum; et quaedam ab aliis non obseruata, passim adspergere.

* Huc pertinet ANT. AVGVSTINI liber *de legibus* et alter *de SCtis Romanorum*, cum Fuluii Vrsini *fragmentis* editus *Romae* 1583, 4. et postea aliquoties in Gallia. PAVLLI MANVTII *de legibus*, et separatim aliquoties, et cum priore insertus. *Tomo II. Thesauri Graeuiani.* Ediderunt et VDALR. ZASIVS, et POMP. LAETVS, et FRANC. HOTOMANVS *legum Romanarum catalogos*, sed in quibus praeter earum nomina et obiectum vix quidquam notabile inuenias, quamuis ZASII catalogum passim illustrarit LVD. CHARONDAS, et cum aliis eiusdem argumenti scriptis inseri meruerit locupletissimo *Antiquit. Rom. Thesauro.* Addi debent PAVLLI MERVLAE *de legibus Romanorum* libri diligentissime scripti, et cum aliis eiusdem lucubrationibus, ad antiquitates Romanas pertinentibus editi *Lugd. Bat.* 1686, 4. et collegae olim coniunctissimi, nunc amici desideratissimi, CHRIST. GOTTFR. HOFFMANNI *Historia iuris Rom. Iustin. pag.* 42. *seqq.*

§. LXXXV.

Earum recensus.

Nos omissis iis, quae ad ius Romanorum publicum pertinent, eas tantum, quae de iure priuato, publicisque iudiciis agunt, obseruata litterarum serie *, paucis recensebimus, ita tamen, vt in earum aetatem, vbicumque id fieri poterit, simul inquiramus, et, quid illis sancitum sit, paucis indicemus. Quod studiosis eo gratius futurum speramus, quo minus in omnium manibus versantur, quae paullo ante laudauimus, doctissimorum virorum opera.

* Quum plerarumque legum aetas incerta sit; res ardua est, earum chronotaxin adcuratam dare. Ausus hic quaedam est STEPH. VIN. PIGHIVS *in Annal. Rom.* sed in eo opere permulta hariolatur auctor, pauciissima certis ac exploratis veterum testimoniis probat. Nos temporis characteres vbique, quoad eius fieri potest, notabimus.

§. LXXXVI.

Leges Acilia Calpurnia de ambitu, Aemilia cibaria, et Appu-

Agmen ducit LEX ACILIA CALPVRNIA *de ambitu*, lata anno ab V. C. 697. *M. Acilio Glabrione* et *C. Calpurnio Pisone* coss. qua cautum, *vt id crimen et mulcta coërceretur, et damnati nullum amplius magistratum capere nec senatui interesse possent, et accusatoribus certa praemia constituerentur* *. Dio Cass. *Lib. XXXVI. pag.* 18. Sigon. *de Iudic. II. cap.* 30. *pag.* 435. Nec praetermittenda

Source : BIU Cujas

tenda LEX AEMILIA *cibaria* lata a *M. Aemilio Lepido* et *Q. Lutatio* coss. anno ab V. C. 675. qua non sumptus coenarum, sed ciborum genus et modus praefinitus est. Gell. *Noct. Attic. Lib. II. cap.* 24. Macrob. *Saturn. Lib. II. cap.* 13. Cui iungimus LEGEM APPVLEIAM *maiestatis* conditam anno ab V. C. 652. *C. Mario* V. et *M. Aquillio* coss. qua vis praecipue in vrbe ac seditio videtur vindicata. Cic. *de orat. Lib. II. cap.* 25. 49. leia maiestatis.

* Est haec lex inter eas, quas inuiti tulerunt coss. Auctor enim est Dio Cassius, adeo ab ambitu non alienos fuisse coss. vt ipsi alieno studio et magna contentione eum magistratum sint adepti. Pisonem certe ambitus accusatum vix euasisse. A senatu ergo coacti hanc legem rogarunt, quod C. Cornelius tribunus pl. acerbissimas poenas ambitus reis constituere cogitaret, atque id maxime populo adprobante. Et sane in fragmentis Ciceronianae *orat. pro C. Cornelio, maiest. reo*, legimus, *populum eam legem flagitasse*, senatum autem existimasse immodicarum poenarum denunciatione terrorem iniici hominibus, modicis autem poenis propositis nec accusatores, nec iudices defuturos. Hinc auctorem ferendae legis consulibus fuisse.

§. LXXXVII.

LEX AQVILLIA *de damno iniuria dato* est plebiscitum perantiquum, at incertae aetatis *. Eius capita primum et tertium supersunt in *l. 2. pr. et l. 27. §. 5. D. ad leg. Aquill.* Caput secundum in vsu esse negauit Iustinianus, *§. 12. Inst. de leg. Aquill.* Hinc plures inanem operam impenderunt quaestioni, quid illo capite cautum fuerit? Vid. Iac. Cuiac. *in Paratil. D. et C. ad h. t.* cui nonnulla obuertunt Bynkersh. *Obseru. Lib. I. cap.* 13. et Ger. Noodt. *de lege Aquill. cap.* 1. *pag.* 176. et qui rem singulari scriptione dignam credidit, Claud. Chiffletius *de secundo capite leg. Aquill. Tomo V. Thesaur. iur. pag.* 873. *seqq.* Immo plura fuisse huius legis capita, quae deinde perierunt, quod ea praetor mutasset, admodum est verosimile. Ger. Noodt. *de lege Aquill. cap.* 1. Bynkersh. *Obs. Lib. I. cap.* 13. Ceterum praeter laudatum NOODTIVM hanc legem illustrauit FRANC. BALDVINVS. Lex Aquillia.

* Certum est, hanc legem exstitisse ante Ciceronem, qui *in Bruto, cap.* 34. meminit *legis Aquilliae de iniuriis*: immo et ante Brutum et Scaeuolam, qui primi ius ciuile fundasse dicuntur. Nam hos legem etiam Aquilliam exposuisse, constat. *l.* 27 *§.* 22. *l.* 39. *pr. D. ad leg. Aquill.* Vterque quum circa annum ab V. C. 600. floruerit: probabile est, auctorem huius plebisciti fuisse L. *Aquillium* P. F. L. N. *Gallum*, quem anno ab V. C. 572. tribunum plebis fuisse, tradit Steph. Vin. Pigh. *Annal. Rom. Tom. II. pag.* 330. quamuis, quem ille auctorem habeat, fatear me scire iuxta cum ignarissimis. Praeturam tamen eum gessisse anno ab V. C. 576. testis est Liu. *Lib. XXXXI. cap.* 18.

§. LXXXVIII.

Source : BIU Cujas

§. LXXXVIII.

Lex Atilia.

Lege porro ATILIA cautum est, vt pupillis et mulieribus praetor cum maiore parte tribunorum plebis tutorem daret *. *pr. Inst. de Atilian. tut.* Addimus *mulieres*, quia et Hispala Fecennia, libertina, tutorem a praetore et tribunis accepit, teste Livio *Lib. XXXVIIII. cap.* 9. Quod quum factum sit anno ab V. C. 566. oportet hanc legem iam ante id tempus exstitisse, adeoque probabile est, conditam illam esse a *L. Atilio Regulo*, tribuno plebis anno ab V. C. 443. Liu. *Lib. VIIII. cap.* 30.

* Em. Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 37. ex eadem lege esse putat obligationem matris, intra annum a morte patris tutorem liberis impuberibus petendi. §. *penult. Inst. de SC. Tertull.* Petendus enim est *secundum legem*, vt est in *Nouella Theodosii de tutorib.* vel *secundum leges*, *l.* 10. *C. de legit. hered.* per quas probabiliter intelligi putat leges Atiliam et Iuliam et Titiam. Sed quum mater tempore conditarum harum legum nondum esset heres liberorum, (quod ius per SC. Tertullianum demum accepit), adeoque et hereditate mulctari non potuerit ob petitionem tutoris omissam, et praeterea id ius diserte ex constitutione esse dicatur: *l.* 2. §. 2. *l.* 4. *pr.* §. 1. §. 4. *D. qui pet. tut. vel curat.* parum verosimilis videtur haec Merillii sententia, malimque ego per *leges* intelligere constitutiones principum, quae saepe LEGVM nomine in iure nostro veniunt, vti *l.* 22. *C. de admin. tut. vel curat. l.* 12. *D. de legat. praest.*

§. LXXXVIIII.

Lex Atinia de vsucapione rerum furtiuarum.

LEX ATINIA, ipsa quoque incertae aetatis *, rerum furtiuarum vsucapionem, antequam ad dominum reuersae sint, inhibuit, quamuis et legibus XII. tabularum idem cautum fuisse constet. §. 2. *Inst. de vsucap. l.* 4. §. 6. *D. de vsurp. et vsucap. l.* 215. §. 1. *D. de verb. signif.* Eam legem singulari libello illustrauit Hadr. Puluaeus, nuper a Conrado cum Raeuardi Triboniano, nec non *Tomo IIII. Thesaur. iur. pag.* 327. edito, qui tamen magis in Cuiacium iniuriis, quam bonae frugis plenus est.

* Immo et ipsum nomen legis non satis certum est. Theophilus enim §. 2. *Inst. de vsucap.* vocat Ἀτίλιον νόμον, quo nomine etiam reliquis Graecis venit, habeturque id vocabulum etiam in quibusdam *Institutionum* editionibus. At plus tribuendum pandectis Florentinis, Ciceron. *in Verr. I. cap.* 4. et Gell. *Noct. Attic. Lib. XVII. cap.* 7. quibus constanter dicitur ATINIA. Quare verosimile est, legem hanc latam a *C. Atinio Labeone*, tribuno plebis anno ab V. C. 556. Steph. Vin. Pigh. *Annal. Rom. Tom. II. pag.* 255.

§. LXXXX.

Lex Aufidia, et Cornelia

Nec praetermittenda LEX AVFIDIA *de ambitu*, anno ab V. C. 691. *Messalla* et *Pisone* coss. ab Aufidio Lurcone trib. pl. lata, in

Source : BIU Cujas

in qua id de nouo ſancitum erat, *vt qui nummos in tribu pronunciarit, ſi non dederit, impune eſſet; ſin dederit, ſingulis tribubus ſeſtertium XXX. deberet.* Cic. *ad Attic. Lib. I. epiſt.* 1. Eiuſdem generis, at paullo antiquior, eſt LEX BAEBIA AEMILIA, vti Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 30. vocat, vel potius BAEBIA CORNELIA, *de ambitu*, qua anno ab V. C. 571. cautum, *ne ſuffragationes et coitiones fierent* *. Plura de hac lege ignoramus. Baebia de ambitu.

* Legis ipſius meminit Liu. *Lib. XXXX. cap.* 19. ſed verbis his pauciſſimis: *et leges de ambitu conſules auctoritate ſenatus ad populum tulerunt.* Sed ſuperſunt quaedam fragmenta ex oratione Catonis pro hac lege adlata a Nonio, quae omnia ad largitiones pertinent: ex quibus adeo non inepte colligit Sigonius legem hanc potiſſimum largitionibus corruptionibuſque tribuum ac centuriarum fuiſſe oppoſitam. Rogarunt legem eius anni conſules, *P. Cornelius Cethegus* et *M. Baebius Tamphilus*, vt adeo neſcire me fatear, cur Sigonius hanc legem tribuerit Aemilio Paullo, tum non conſuli, ſed longe ab vrbe aduerſus Macedonas bellum gerenti.

§. LXXXXI.

Nec minus nota eſt CALPVRNIA *repetundarum*, lata anno ab V. C. 604. a *L. Calpurnio Piſone*, tribuno plebis, qua cautum, vt prouinciales pecuniam, quam magiſtratus contra leges acceperint, conſtituto Romae iudicio repetere poſſent. Cic. *in Verr. IIII. cap.* 56. In primis vero celebris LEX CINCIA *de donis et muneribus*, qua vetitum, ne quis ob cauſſam quamdam donum munuſue caperet. Liu. *Lib. XXXIIII. cap.* 4. Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 5. Latam eam nouimus a *M. Cincio Alimento*, tribuno pleb. anno ab V. C. 549. *Cornelio* et *Sempronio* coſſ. nec quiſquam ignorat eruditiſſimum de ea *Commentarium* ſcripſiſſe FRIDERICVM BRVMMERVM, editum *Lutet. Pariſ.* 1668. 4. recuſumque Lipſ. 1712, 8. * Leges Calpurnia repetundarum et Cincia de donis et muneribus.

* Eo commentario Brummerus, quidquid de hac lege dici poterat, tam luculenter expoſuit, vt nemo Iliada poſt hunc Homerum ſcribere velit. Nam *cap.* 1. ſtatim de auctore et nomine legis egit, eaque occaſione de ipſa gente Cincia quaedam non vulgaria diſſerit. Deinde non modo capita huius legis expendit, quorum primum, de quo *cap.* 2. fuit, NE QVIS OB CAVSSAM ORANDAM DONVM MVNVSVE CAPIAT; alterum, de quo *cap.* 12. VT NE PLVS . . . . HS. DONARE LICERET, EXTRA QVAM SI CONIVNCTIS PERSONIS DONARETVR, QVOD EO AMPLIVS DONATVM ESSET, RATVM NE ESSET: tertium, de quo *cap.* 13. VT IN DONATIONE QVIBVSCVMQUE PERSONIS FACTA MANCIPATIO TRADITIOVE INTERVENIRET. Sed et vbique occaſiones huius legis, relationes eiuſdem, temperamenta, obſeruationem, fraudes ei factas, et totam donorum et munerum, quae vel aduocatis, vel aliis data ſunt, hiſtoriam adcurate exponit, vt quidem nihil, quod ad illuſtran-

Source : BIU Cujas

luſtrandam hanc legem facere videatur, omiſerit. Sententiam tamen eius, quod *caput* 2. per *l. vlt. C. Th. de ſponſal.* ſublatum ſit, recte refellit Ant. Schulting. *ad Vlpian. Fragm. pag.* 561.

§. LXXXXII.

Plures leges Corneliae.

Sequuntur variae leges CORNELIAE, nec aetatis vnius, nec eiuſdem omnes auctoris. Vt enim iam non repetam, quae paullo ante de variis legibus a C. CORNELIO, tribuno plebis, anno ab V. C. 686. latis, diximus: (§. 73. *) lex CORNELIA FVLVIA *de ambitu*, qua capitale eſſe coepit, ſuffragia donis et pecuniis emere, rogata eſt anno ab V. C. 594. *Cn. Cornelio Dolabella* et *M. Fuluio Nobiliore* coſſ. *Epit. Liu. Lib. XXXXVII.* Incertae aetatis eſt LEX CORNELIA *de luſu et ſponſionibus*, cuius fit mentio *l.* 3. *D. de aleator.* LEGES vero CORNELIAE *maieſtatis*, *de ſicariis*, *veneficis*, *incendiariis*, *parricidiis*, *falſis*, *iniuriis*, *limitibus*, *et teſtamentis* * omnes nomina obtinuerunt a *L. Cornelio Sulla*, dictatore, adeoque perlatae videntur anno ab V. C. 564. vel inſequente.

* Lege *maieſtatis*, quae ante Iuliam eiuſdem argumenti apud Romanos obtinebat, cautum fuerat, *vt rei maieſtatis eſſent, qui interceſſionem ſuſtulerint, aut magiſtratui, quo minus munere ſuo fungerentur, impedimento fuerint, qui exercitum e prouincia eduxerint, aut ſua ſponte bellum geſſerint, exercitum ſollicitauerint, ducibus hoſtium captis ignouerint, poteſtatem ſuam in adminiſtrando non defenderint, qui, quum ciues Romani ſint, apud reges externos verſati ſint. Vt porro et mulieris teſtimonium de hoc crimine acciperetur, nec vlla pœna ſit calumniatoribus. Denique vt damnatis aqua et igni interdiceretur.* Cicero *in Piſon. cap.* 21. *pro Cluent. cap.* 35. Aſcon. Paedian. *argum. orat. pro Cornel. maieſt. reo*, Cic. *in Verr. I. cap.* 5. et ibi Aſcon. Paedianus *in Schol.* Legis CORNELIAE *de ſicariis* capita varia fuerunt, veluti *de iis, qui homines occiderint, quorum dolo malo incendium factum fuerit, qui hominis occidendi furtiue faciendi cauſſa cum telo ambularint, qui, quum magiſtratus eſſent, publiciſue iudiciis praeeſſent, dediſſent operam, quo quis falſum iudicium profiteretur, vt quis innocens conuenireturr, condemnaretur, qui hominis necandi cauſſa venenum confecerint, dederint, quiue falſum teſtimonium dolo malo dixerint, quo quis iudicio publico rei capitalis condemnaretur: quiue quum magiſtratus iudiceſue quaeſtionis ſub capitalem cauſſam pecuniam acceperint, vt publica lege quis reus fieret. l.* 1. *pr. et §.* 1. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.* Paull. *Sent. rec. Lib. V. tit.* 23. §. 1. Poena erat aquae et ignis interdictio, bonorumque ademtio, ſine diſcrimine, cuius eſſet conditionis, *l.* 3. §. 5. *l.* 1. §. 2. *D. eod.* poſtea in honeſtioribus deportatio, in vilioribus vltimum ſupplicium. *l.* 3. §. 5. *l.* 16. *D. eod.* Paull. *ibid.* Quin et occiſi cognatis aliquid eſſe adiudicatum pro ſatisfactione, patet ex *l.* 4. §. 1. *D. eod. et Collat. leg. Moſ. et Rom. tit.* 1. §. 11. Cuiac. *Obſ. Lib. XIIII. cap.* 4. LEX CORNELIA *de parricidiis* paſſim memoratur, *l. vlt. C. Th. ad leg. Cornel. de falſ. l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* immo et *l.* 1. *pr. D. ad leg. Pomp. de parricid.* Nam ibi aut legendum: *quae eſt legis Cornelia*

Source : BIU Cujas

neliae de parricidiis, aut eamdem fuisse oportet legem CORNELIAM *de sicariis et de parricidiis*. Vid. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 513. De lege CORNELIA *de falsis*, quae et *testamentaria*, omnia nota sunt ex Paulli *Sent. rec. Lib. V. tit.* 25. §. 1. *seqq.* Et ex hac lege etiam esse videtur *fictio legis* CORNELIAE, qua is, qui apud hostes decessit, in ciuitate decessisse, fingitur, *l.* 18. *D. de captiu. et postlim. l.* 12. *D. qui test. fac. poss.* Paull. *Sent. rec. Lib. II. tit.* 4. §. 8. De lege quoque CORNELIA *de iniuriis* omnia peruulgata sunt. Addi tamen potest Schulting. *ibid. pag.* 440. Legis CORNELIAE *de limitibus* meminit Hyginus *de limit. pag.* 152. eaque cautum fuerat, *vt per actuarios limites populo, sicut per viam publicam iter faciendi ius esset.* Quamvis ab hoc, an alio Cornelio lata sit, nondum constet. Quin quum iungantur *leges Sempronia et Cornelia et Iulia*: fieri potest, vt lex dicta sit *Cornelia Iulia*. Collegas autem *Cn. Cornelium Cossum* et C. *Iulium Iulum*, tribunos milit. cos. pot. reperias anno ab V. C. 347. Liu. *Lib. IIII. cap.* 58.

§. LXXXXIII.

Leges Didia sumtuaria et Duillia Maenia de foenoribus, Fabia de plagiariis.

Nec minus celebris est lex DIDIA *sumtuaria*, lata anno ab V. C. 610. *Appio Claudio* et *Q. Metello* coss. qua cautum, *vt vniuersa Italia lege Fannia teneretur, vtque non modo qui sumtuosius epularentur, sed et conuiuae in poenas legis inciderent.* Macrob. *Saturnal. Lib. III. cap.* 17. Cui subiungimus legem DVILLIAM MAENIAM, a *M. Duillio* et *L. Maenio*, trib. pl. anno ab V. C. 398. *Marcio* et *Manlio* coss. perlatam, *ne quis foenus vnciario maius exerceret.* Liu. *Lib. VII. cap.* 27. Noodt. *de foenor. et vsur. Lib. II. cap.* 4. FABIAM *de plagiariis* latam esse volunt anno ab V. C. 571. Ex ea capitale crimen nascebatur aduersus eum, qui liberum hominem sciens emit, suppressit, vendidit, donauit, in dotem dedit, permutauit, fugitiuum alienum suscepit, celauit, inuinctum habuit, seruo alieno fugam persuasit. *l.* 1. *l.* 4. *l.* 5. *l.* 6. §. 2. *D. ad leg. Fab. de plagiar.* Poenaque ex ea lege nummaria fuisse dicitur *. *l. vlt. D. eod.* Paull. *Sent. rec. Lib. V. tit.* 6. §. 14.

* Eam poenam nummariam vel pecuniariam in publicatione dimidiae partis bonorum constitisse, suspicatur Rittershusius *ad Paull. ibid.* Et sane ipse Paullus apud *Pariat. legum Mos. et Rom. tit.* 14. §. 2. ait, honestiores ademta dimidia parte bonorum in perpetuum relegatos, humiliores aut in metallum damnatos, aut in crucem sublatos. At id ex ipsa lege Fabia esse, ex Paulli loco non liquet. Immo vero Vlpianus *ibid.* §. 3. mentionem facit poenae sestertiorum quinquaginta millium: quamuis et haec summa satis grandis, et vix probabilis videatur. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 783. Immo ne ratio quidem excogitari posse videtur, cur *capitale crimen* vocetur *l.* 1. *D. ad leg. Fab. de plagiar.* si mere pecuniaria illa poena fuerit.

Source : BIU Cujas

§. LXXXXIIII.

Fabiae de ambitu et re agraria, Fannia sumtuaria, et Furia de modo legatorum.

Sunt et aliae leges FABIAE, veluti illa *de ambitu* vel *numero sectatorum*. Sed eam perlatam non esse comperio, quippe *cui tenuiores restiterunt*, teste Cicerone *pro Muraen. cap.* 34. Certior est lex FABIA, quamuis et ipsa incertae originis, *de re agraria et limitibus*, cuius capita quaedam exstant inter Guil. Goesii *Rei agrariae scriptores*, *pag.* 339. Addimus legem FANNIAM *sumtuariam*, latam anno ab V. C. 592. *C. Fannio* et *M. Messalla* coss. cuius sanctiones * fusius describunt Plin. *Hist. nat. Lib. X. cap.* 50. Gell. *Noct. Attic. Lib.* II. *cap.* 24. Athenaeus *Deipnos. VI. extr. p.* 274. Macrob. *Saturn. Lib.* III. *cap.* 17. ac postremo legem FVRIAM incertae aetatis *de modo legatorum*, de qua *pr. Inst. de lege Falc.* Cuiac. *Obs. Lib.* XVIIII. *cap.* 31.

* Inter alia cautum ea lege fuerat, *vt ludis Romanis, plebeiis Saturnalibus et aliis quibusdam diebus centenos aeris in singulos dies impendere liceret: decemque aliis diebus singulis mensibus tricenos; ceteris autem omnibus diebus denos. Ne quid volucrum poneretur, praeter vnam gallinam, quae non esset altilis.* Ita legem describunt Plinius, Gellius, et Macrobius. Athenaeus vero addit, vetuisse legem, *ne praeter domesticos conuiuae plures tribus exciperentur, aut ad summum* (immo potius καὶ ἐγγὺς, *die nundinarum*, ceu docet Casaubon. *Animaduers. ad Athen. VI. 21. pag.* 295.) *quinque, et id singulis mensibus ter tantummodo fieret: neue pluris, quam duabus drachmis et dimidia obsonarent e foro.* Porro eamdem legem *carnis in fumum inueteratae in annum talenta quindecim absumere permisisse*, ait, et *leguminum, et olerum, quaecumque terra gignat, decocta.* Talia erant fungi, heluellae, beta, malua, et similes cibi parabiles. Casaubon. *ibid. pag.* 296.

§. LXXXXV.

Leges Genucia de foenore, et Hostilia de furtis.

Porro hac temporis periodo perlatae LEX GENVCIA *de foenore*, anno ab V. C. 413. *C. Marcio* IIII. et *Q. Seruilio* coss. a *L. Genucio* trib. pl. qua prohibitum, ne cui foenerare liceret. Liu. *Lib.* VII. *cap.* 42. Ger. Noodt *de foenor. et usur. Lib.* II. *cap.* 4. LEX HOSTILIA *de furtis*, puta *vt furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes vel rei publicae caussa abessent. pr. Inst. de iis, per quos ager. poss.* lata, vt videtur, ab *A. Hostilio Mancino* et *A. Atilio Serrano* coss. anno ab V. C. 583. *

* Legis huius nusquam alias fit mentio, quam *d. pr. Inst. per quos ag. poss.* nec aliud supereſt eius caput, quam quod pro iis, qui apud hostes aut rei publicae caussa abessent, furti agere permisit, quum adhuc nulli procuratores in foro admitterentur. Quum vero vix probabile sit de eo solo legem latam: verosimile est, quaedam alia hac lege de furtis constituta esse. Ceterum sententia Iosephi Nerii, *Analect. Lib. I. cap.* 26. hanc legem ab *hostibus* nomen acce-

Source : BIU Cujas

accepisse existimantis, non minus absona est, quam deriuatio legis Fusiae Caniniae a *cane*, Falcidiae a *falce*, quam vix in glossatoribus toleramus.

§. LXXXXVI.

Lex Iulia Caesaris de vi.

* Sequuntur leges IVLIAE, quarum tam multae sunt, vt vel solae longum tractatum poscerent, si de iis agendum esset accuratius. Sed quum pleraeque ab Augusto demum latae sint, ad hanc periodum pertinet tantum lex IVLIA, *de rebus vi possessis non vsucapiendis*, quae Plautia * recentior, lata est a *C. Iulio Caesare*, dictatore, eaque cautum, *vt nec rerum vi possessarum vlla esset vsucapio*, §. 2. *Inst. de vsucap. l.* 33. §. 2. *D. eod. et iis, qui vim fecerint publicam, aqua et igni interdiceretur.* Cic. *Philipp. I. cap.* 9.

* PLAVTIA multo antiquior est IVLIA, lata quippe *Catulo* et *Lepido* coss. anno ab V. C. 663. auctore praecipue Q. Catulo consule, at rogante C. Plautio, tribuno plebis, a quo et nomen tulit. At quia et hac lege vsucapio rerum vi possessarum fuit inhibita: iunguntur a Iustiniano §. 3. *Inst. de vsucap.* leges Iulia et Plautia, quum potius inuerso ordine dicendum fuisset Plautia et Iulia, vt in *l.* 33. §. 2. *D. de vsurpat. et vsucap.*

§. LXXXXVII.

Leges Iuliae maiestatis et repetundarum.

Inter leges IVLIAS, a Iulio Caesare latas, est etiam IVLIA *maiestatis*, cuius itidem meminit Cicero *Philipp.* I. *cap.* 9. Ea tamen, quae in Pandecte explicatur, non Iulii Caesaris, sed Augusti, esse videtur. Sigon. *de iudic. Lib.* II. *cap.* 29. Quod nos quidem non satis expeditum esse, arbitramur, quum contra certissimum sit, legem hanc saepe, sub malis potissimum principibus, auctam, et acrioribus poenis firmatam esse. Tacit. *Annal. Lib.* I. *cap.* 72. Freher. *Parerg. Lib.* II. *cap.* 9. De eius legis capitibus videndi Sigon. *ibid. pag.* 429. et, qui *singularia eius legis* expendit, Nic. Hier. Gundlingius. Addimus legem IVLIAM *de repetundis*, ab eodem Iulio Caesare in primo consulatu anno ab V. C. 695. Cic. *in Vatin. cap.* 12. *pro Rabir. cap.* 14. *pro Sext. cap.* 64. *in Pison. cap.* 21. *in Brut. cap.* 27. *de offic. Lib.* II. *cap.* 21. *in Verr.* III. *cap.* 84. Sueton. *Iul. cap.* 43. Legis quaedam capita supersunt in ipso *titulo D. ad leg. Iul. repetund.* Alia ex Cicerone * collegit Car. Sigon. *de iudic. Lib.* II. *cap.* 27. *pag.* 425. *seqq.*

* Fuit haec ex legibus amplissimis, quippe cuius plura, quam centum, capita fuisse obseruat Cicero *ad diuers. Lib. VIII. epist.* 7. Quum enim πολυμορφον sit hoc crimen, et quod se facile in omnes formas ac species commutat:

mutat: non mirum profecto est, oppositam illi legem capitibus compluribus constitisse. De poena criminis, hac lege proposita, omnia satis incerta sunt. Quae tamen de ea dici possunt; omnia occupauit Ant. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 525.

§. LXXXXVIII.

Lex Iulia de nouarum tabularum exspectatione disiicienda.

Nec omittenda LEX IVLIA Caesaris *de foenore*. Quum enim populus nouas tabulas frequentissime postularet: improbam illam spem disiecit Caesar, lata lege, *vt debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, quanti quasque ante ciuile bellum comparassent, deducto summae aeris alieni, si quid vsurae nomine numeratum perscriptumue* * *fuisset*. Qua conditione quarta fere pars crediti deperibat. Sueton. *Iul. cap.* 42. Iul. Caes. *de bello ciuil. Lib. III. cap.* 1. Ex quo loco simul colligitur, legem hanc perlatam esse *Caesare* et *Seruilio* coss. anno ab V. C. 607. quum victo Pompeio in vrbem victor reuertisset.

* *Numeratum* dicitur, quod de domo solutum: *perscriptum*, quod per argentarios. Eo sensu accipiendae praescriptiones apud Ciceron. *de orat. Lib. I. cap.* 58. Burmann. *ad Sueton. Caes. cap.* 42. vbi et ostendit, Henr. Valesium *ad Excerpta Peiresc. p.* 27. *pecuniam perscriptam* male accipere pro in tabulas rationum relata, vel nondum soluta. Ceterum eam legem noua alia adiuuit Caesar. Quum enim multi plurimum pecuniae clam habere dicerentur: ἀπηγόρευσε, μηδένα πλείον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἢ ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ κεκλῆσθαι: *ne quis in auro vel argento plus quam LX. sestertium possideret, vetuit.* Dio Cass. *Histor. Lib.* XXXXI. *pag.* 171.

§. LXXXXVIIII.

Leges Laetoria, et Licinia de foenore.

Celeberrima porro est LEX LAETORIA, quam Plautus *Pseudol. Act. I. scen. 3. v. 68. quinamvicennariam*; alii male *Plaetoriam* vel *Plectoriam* vocant. Quum ergo Plauto fuerit antiquior, eam *M. Laetorium Plancianum*, tribunum plebis circa annum ab V. C. 490. auctorem habuisse probabile est *. Hac quoque multo antiquior est LICINIA *de foenore de capite deducendo*, lata anno ab V. C. 376. a *C. Licinio Stolone*, tribuno pleb. Liu. *Lib. VI. cap.* 35.

* Multis capitibus constitit LEX LAETORIA, quae tamquam sparsa Hippolyti membra hic iuuat colligere. Primum enim haec lex annos minorennitatis definiuit, *l.* 2. *C. Th. de donat.* dicta ob hanc ipsam caussam *quinauicennaria*. Plaut. *Pseud. Act. I. scen.* 3. *v.* 68. Deinde ex hoc ipso Plauti loco patet, creditoribus negatam esse actionem aduersus adolescentes, quibus crediderant pecuniam. Tertio eadem lex minoribus petentibus caussa cognita curatores dari iussit. Iul. Capitolin. *in Marc. cap.* 10. Quarto adolescentes insti-

Source : BIU Cujas

instipulari vetuit, eorumque promissis vim omnem obligandi detraxit. Plaut. *Rudent. Act. V. scen. 3. v. 24.* Sueton. apud *Priscian. Lib. VIII.* Denique quinto minores in quocumque contractu dolo malo laesos restitui in integrum iussit. Cic. *de offic. Lib. III. cap. 15.*

§. C.

Leges Licinia Cornelia sumtuaria et Luctatia de vi.

Existit etiam LEX LICINIA CORNELIA *sumtuaria*, lata anno ab V. C. 656. a *P. Licinio Crasso* et *Cn. Lentulo* coss. cuius sanctiones recensent Cicero *ad diuers. Lib. VII. epist. 26.* Gell. *Noct. Attic. Lib. II. cap. 24.* Macrob. *Saturnal. Lib. II. cap. 13.* * Addimus LEGEM LVCTATIAM *de vi*, latam *Q. Luctatio* et *C. Mario IIII.* coss. anno ab V. C. 650. qua in primis cautum nouimus, vt de vi diebus etiam festis ludisque publicis quaereretur. Cicero *pro Coel. cap. 29.*

* Videtur hac lege antiquior, FANNIA, quam supra descripsimus, in vsum reuocata, quum gliscente luxu, mox, vt fit, exoleuisset. Macrob. *Saturn. Lib. II. cap. 13.* Saltim ipsa legis Liciniae sanctio alteri est simillima, nisi quod paullo plus, quam Fannia, in singulas coenas expensum tulit. Nam et illa caueatur, vt *Kalendis, Nonis, nundinis Romanis cuique in dies singulos centenos dumtaxat asses edundi caussa consumere liceret: nuptiis ducenos; ceteris vero diebus, qui excepti non essent, carnis aridae pondo tria et salsamentariorum pondo: quod autem è terra, vite, arboreue natum esset impune consumere liceret.* Hinc *centenaria coena* Festo est, in quam per legem Liciniam non plus centussibus, praeter terra nata, impendere licebat. Gell. *Noct. Att. Lib. II. cap. 24.* Ceterum Macrobius memoriae prodidit, *legis istius ferundae probandaeque tantum studium ab optimatibus impensum esse, vt consulto senatu iuberetur, vt ea tantummodo promulgata priusquam trinundino confirmaretur, ita ab omnibus obseruaretur, quasi iam populi sententia confirmata.*

§. CI.

Leges Mamilia de finibus, Manlia de vicesima manumissionis, et Maria de ambitu.

Proxima est LEX MAMILIA *de finibus agrorum*, frequentissime laudata a scriptoribus rei agrariae, in primis a Siculo Flacco *de condit. agror. pag. 8.* lataque anno ab V. C. 642. * Ei addimus LEGEM MANLIAM *de vicesima a manumissis aerario inferenda*, latam a *Cn. Manlio* et *C. Martio* coss. anno ab V. C. 398. Liu. *Lib. VII. cap. 16.* nec non LEGEM MARIAM *de ambitu*, rogatam a *C. Mario*, tribuno plebis, anno ab V. C. 634. et *vt pontes angustiores fierent*, praecipientem. Cic. *de legib. Lib. III. cap. 17.*

* Quum huius legis MAMILIAE sanctiones, fragmentaque a Guil. Goesio *Rei agrar. auct. pag. 339. seqq.* exhibita pauciſſimi intelligant: eam legem paullo adcuratius expendere, operae pretium fuerit. Leges XII. tabularum

bularum quinque pedum semitam inter fundos relinqui iusserant, quae *limitare iter*, et Graecis μεσόδμια dicebatur. Idem et lex MAMILIA sanxerat, teste Flacco Siculo *de condit. agr. pag.* 8. cuius. en ipsa verba: *signantur arbores finales vtrimque, id est, ex vtraque possessione, intra pedes quinos, vt legis Mamiliae commemoratae rationem habeant.* Et planius Aggenus Vrbic. *Comment. in Frontin. pag.* 53. *De fine*, inquit, LEX MAMILIA *quinque aut sex pedum latitudinem praescribit, quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri, quod vsucapi non potest.* Similia sunt apud Frontinum *pag.* 40. et Simplicium *pag.* 83. quae hic non adscribimus. Erat ergo hoc spacium inter fundos, et in ipsis finibus: non quaquauersum circa fines, vti contra Hotomanum ostendit Guil. Goes. *Not. ad Sicul. Flacc. pag.* 129. Eius porro limitaris itineris nulla erat vsucapio. Aggen. Vrbic. *pag.* 53. Alciat. *de quinque ped. praescript. Tomo III. Opp. pag.* 345. Goes. *ibid. pag.* 191. Ergo si quando de hoc quinque pedum limitari itinere nascebatur controuersia, quod imminutum esse ab alterutro vicino diceretur, ea vocabatur *controuersia finalis*, vel *de finibus*, seu *iudicium finium regundorum*, in eoque nulla habebatur praescriptionis ratio. Sin de ipso agro lis intercederet: erat haec *controuersia de loco*, quae non ad agrimensorem, sed ad praetorem, pertinebat. Postea mos inualuit, vt spacium quinque pedum, non vsucapi quidem, at actioni de eo longissimo tempore praescribi posset. Sed id quoque mutarunt Valentinianus, Theodosius, et Arcadius Auggg. *l.* 4. *C. Th. fin. regund.* quam adcurate exposuit, et a Iac. Gothofredi ψευδεγκυκλίας vindicauit Guil. Goes. *in Not. pag.* 192. Denique quum Iustinianus praescriptionem tricennalem limitaris itineris in vsum reuocasset: *l.* 3. *C. fin. reg.* factum est, vt spacium quinque pedum sensim plane aboleretur, et fines fierent lineares, quorum de confusione quotidianas nasci querelas oportuisse, facile vnusquisque intelligit. Fuerunt vero et alia huius legis capita: veluti, *vt curaret ille, qui coloniam deduxerit, limites vt fiant, terminique vt constituantur, neue quis eiiciat, locoue moueat, qui ita constituti fuerint: ne limites, qui constituti fuerint, serendo occuparentur, aliaue ratione reddantur inutiles vsibus publicis: vt terminum, qui amotus fuerit, is, cuius ager esset, restitueret.* Quorum capitum verba legitima supersunt apud Guil. Goes. *pag.* 329. *seqq.*

§. CII.

Leges Oppia et Orchia.

Aeque pulchra fuit LEX OPPIA *de cultu mulierum*, lata anno ab V. C. 539. *Q. Fabio* et *T. Sempronio* coss. a *C. Oppio*, tribuno plebis. Ea vetitum, *ne qua mulier plus semiuncia auri haberet, neu veste versicolori vteretur, neue iuncto vehiculo in vrbe, vel oppido, aut propius inde mille passibus, nisi sacrorum caussa, veheretur.* Liu. *Lib. XXXIIII. cap.* 1. et Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 33. *sequ.* Sed de hac lege nihil est, quod addamus post eruditissimam Io. Guil. Hoffmanni *de lege Oppia* Dissertationem, quae prodiit *Francof. iuxta Viadr. anno* 1736. LEX ORCHIA *de numero conuiuarum* nomen tulit a *C. Orchio*, tribuno plebis, qui anno ab V. C. 570. *Q. Fabio* et *M. Claudio* coss. hanc legem sumtuariam rogauit. Festus in *Obsonitauere*, Macrob. *Saturnal. Lib. II. cap.* 13.

§. CIII.

Source : BIU Cujas

§. CIII.

Leges Pinaria de ambitu, et Plautia de vi.

LEX PINARIA *de ambitu* satis antiqua est, rogata quippe anno ab V. C. 323. a *L. Pinario*, tribuno mil. consul. potest. eiusque collegis. Placuerat enim senatui tollendae ambitionis caussa tribunos legem promulgare, *ne cui album vestimentum addere petitionis caussa liceret* *. Liu. *Lib. IIII. cap.* 25. De PLAVTIA *quae vim, et rerum vi extortarum vsucapionem* cohibuit, iam supra (§. 96.) diximus. Ea cautum fuerat, *vt aqua et igni interdiceretur iis, qui aduersus rempublicam coniurassent, insidias senatui fecissent, magistratibus vim attulissent, qui cum telo fuissent in publico, aut seditionis caussa loca superiora occupassent: qui possessorem e fundo hominibus armatis deiecissent dolo malo, aut armatis obiectis, vt inde profugerent, caussam attulissent: denique ne praedium, vnde vi deiectus sit possessor, vsucaperetur.* Quae legis capita ex Cicerone, Suetonio, et Dione Cassio miro ingenii acumine eruit Carol. Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 33.

* Mos erat petitoribus honorum, togam candidam sumere, eamque creta ita imbuere, vt plane splenderet: vnde et λαμπρὰν vocat Polyb. *Lib. X. cap.* 4. quemadmodum et ipsi petitores ab hac toga candida *candidati* dicebantur. Lips. *Elect. Lib. I. cap.* 13. Bernegg. *ad Suet. Caes. cap.* 19. *et* 24. Hinc et togam candidam abiiciebant, qui abiecerant spem potiundi honoribus: quale exemplum Cicereii est apud Valer. Max. *Lib. IIII. cap.* 5. *exempl.* 3. Cur vero illum morem hac lege abolitum voluerit senatus, vix coniectura adsequimur, nisi huc trahere velis locum Plutarchi, ex *Quaest. Rom. pag.* 276. qui petitores, quando in campum descenderint, tunicas posuisse, refert, eiusque rei cum alias, tum hanc potissimum rationem reddit: ἵνα μὴ δεκάζωσιν, ἀργύριον ἐν τῷ κόλπῳ κομίζοντες: *ne argentum in sinu gestantes suffragia redimerent.*

§. CIV.

Leges Poetelia de ambitu, et Poetelia Papiria de obaeratis in compedibus non habendis.

Nec minus memorabilis est lex POETELIA *de ambitu*, lata a *C. Poetelio*, trib. pl. anno ab V. C. 397. *C. Fabio* et *C. Plautio* coss. Liu. *Lib. VII. cap.* 15. qua cautum fuerat, *ne, qui honores peterent, nundinas et conciliabula obirent* *. Ab ea lege diuersa est POETELIA PAPIRIA, qua, rogantibus *C. Poetelio* et *L. Papirio* coss. anno ab V. C. 429. cautum est, *ne quis, nisi noxam meritus, in compedibus haberetur, vtque pecuniae creditae caussa bona in posterum, non corpora, obnoxia essent.* Liu. *Lib. VIII. cap.* 28. Varro *de lingua Lat. Lib. VI. pag.* 85. Tertullian. *Apologet. cap.* 4.

Source : BIU Cujas

* Inter artes eorum, qui honores petebant, et illa erat, quod candidati nundinas, conciliabula, immo et municipia et colonias obirent, omniumque sibi gratiam prensando conciliare adniterentur. Quod et post latam hanc legem tam impudenter factum, vt seditiones et tumultus inde metuerentur; ac proinde C. Maenius, dictator, anno ab V. C. 439. quaestiones exerceret aduersus eos, qui magistratuum petendorum caussa coitiones fecissent: quod aduersus rem publicam essent. Liu. *Lib. VIIII. cap.* 26.

§. CV.

Leges Pompeiae de vi et ambitu.

Sed et Cn. Pompeius, quamuis sago, quam toga, illustrior, leges tamen quasdam reipublicae salutares tulit, quae ab illo POMPEIARVM nomen tulerunt, quia pleraeque anno ab V. C. 700. quo ipse inusitato exemplo fasces solus tenuit, ab eo rogatae sunt. Eo pertinent LEGES POMPEIAE *de vi et de ambitu*, vno eodemque die ex SC. promulgatae, quibus tam poenam exasperauit, quam formam iudiciorum breuiorem reddere statuit. Vtraque enim sanxit, *vt, priusquam caussa ageretur, testes audirentur per triduum, eorumque dicta consignarentur, quarta die omnes in diem posterum adesse iuberentur, et fieret iudicum sortitio: tum porro accusatori duae, reo tres horae ad dicendum concederentur: denique, vbi caussa perorata esset, et accusatori, et reo liceret quinos ex singulis ordinibus reiicere, vtque adeo ex LXXXI. iudicibus sorte datis quinquaginta et vnus, sententias laturi, superessent* *. Ascon. Paedian. *in Argum. orat. pro Milone.* Cicero *ad Attic. Lib. X. epist.* 4. Dio Cass. *Lib.* XXXX. *pag.* 145. Caes. *de bello ciu. Lib. III. cap.* 1.

* Fuisse et alia ista lege comprehensa, iam Dio obseruauit, veluti, *vt certus patronorum numerus esset, vt ne laudatores (ἐπαινέται) admitterentur*, de quo reorum praesidio videndus Car. Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 19. *vt et ii accusatores admitterentur, qui olim simili de caussa postulati essent, eique, qui duos reos feciſſet, atque vnum damnassent, impunitas pro praemio daretur.* Vt adeo facile adpareat, tam intolerabilem reipublicae ambitum tum factum esse, vt res ipsa legem seueriſſimam postulare videretur.

§. CVI.

Leges Pompeiae repetundarum et de parricidiis.

Eiusdem auctoris aetatisque est LEX POMPEIA *de pecuniis repetundis*, de qua Appianus *de bell. ciuil. Lib. II. pag.* 441. Νόμῳ τε ὥριζεν, ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ τὸ πρῶτον ὑπατείας ἐς τὸ παρὸν, ἐυθύνειν τὸν ἐθέλοντα: *legem tulit, vt ex eo tempore, quo ipse primum consul fuisset, vsque in alterum consulatum liceret a magistratibus rationes actorum expetere*, et quidem, vt idem paullo ante monuerat, ob δωροδοκίαν καὶ δίκασμόν, id est, *munerum corruptelas*

Source : BIU Cujas

ruptelas et largitiones: quod ipsum repetundarum crimen esse, nemo non videt. At celeberrima omnium LEX POMPEIA *de parricidiis*, quam anxia paene industria illustrauit Io. Franc. Ramos *in Triboniano siue de errorib. Triboniani de poena parricidii* *, recus. *Lugduni Batauor.* 1728, 4.

* Errores illi Triboniani varii, velvti quod dicat, Pompeium asperrimum crimen parricidii noua poena persequutum, quum poena cullei sit antiquissima, sed ex lege Cornelia non nisi in parricidio proprio, locum habuerit: quod non indicarit, qua in re a lege Cornelia discreparit Pompeia. Discrimen autem in eo statuit Ramos, quod quum ex lege Cornelia ii tantum insuerentur culleo, qui parricidium proprie sic dictum admisissent: Pompeius hanc poenam et ad reliquas personas cognatas et adfines, quarum mentio fit *l.* 1. *D. ad leg. Pomp. de parricid.* produxerit. Praeterea et alias parricidii poenas, quas Tribonianus omiserit, recenset, et vbique hominem tantum non parricidii postulat, vt iureconsultus ille Salamanticensis inter Tribonianomastigas iure possit referri. Ceterum poenae cullei meminerunt post legem Pompeiam Seneca *de clement. Lib. I. cap.* 15. *et* 23. Iuuenal. *Sat. VIII. v.* 214. *Satyr. XIII. v.* 155. Suet. *August. cap.* 33. ex quo loco etiam patet, poenam illam non nisi confessis reis infligi potuisse. Quamobrem non videtur admittenda Cuiacii diuinatio, cullei poenam tantum ante leges Corneliam et Pompeiam, moribus obtinuisse, at per legem Pompeiam in poenam legis Corneliae de sicariis mutatam, denique a Constantino M. *l.* 1. *C. de his, qui par. vel lib. occid.* in vsum reuocatam esse suspicantis. Vid. Cuiac. et Schulting. *ad Paull. Sent. recept. Lib. V. tit.* 24. *pag.* 512. *seqq.*

§. CVII.

PVBLICIA LEX *de lusu et sponsionibus*, cuius mentio fit *l.* 3. *D. de aleat.* non modo incertae aetatis, verum etiam in se obscura est, nisi quod ea sponsiones de rebus honestis fieri permiserit. De lege PVBLILIA *de plebiscitis* iam supra, quantum satis est, diximus (§. 40.) Hic vero praetermittenda non est LEX REMMIA, quam alii RHEMMIAM, alii KEMNIAM, REMIAM, alii MEMMIAM adpellitant, cuiusque de origine nihil constat, nisi quod fuerit antiquissima, ipsisque decemuiralibus legibus non multo recentior, ex mente Henr. Brencmanni *de lege Remm. cap.* 3. Ceterum ea cautum fuisse, *vt qui per calumniam innocentem accusasset, eius fronti littera K. inureretur* *, patet ex Cic. *pro Sex. Rosc. cap.* 20. Iulian. Μισοπων. *pag.* 357. Leges Publicia, Publilia, Remmia.

* Sunt, qui litteram C. tamquam initialem vocabuli CALVMNIA praeferunt, alii litteram D. tamquam primam vocis DELATOR: Turneb. *Adverss. Lib. VIII. cap.* 22. Immo quidam hic ad litteram Θ confugiunt, tamquam vocis Graecae θάνατος indicem. Sed quemadmodum veteres Romani, consentientibus omnibus pro CALVMNIA, scribebant KALVMNIA,

Source : BIU Cujas

quemadmodum pro caput *Kaput*, pro calendae *Kalendae*: ita rem omnem conficit Iuliani locus ex Μισοπωγωνι. vbi Antiochenis, K. id est Konstantium desiderantibus optat duplex KAΠΠΑ, tamquam calumniae poenam iustissimam. Brencmann. *cap. 5. pag. 1587. Tom. V. Thes. iur. ciu.* Scire autem Iulianum rem potuisse, nemo negaverit, quum et sub imperatoribus adhuc extitisse lex Remmia videatur. *l. 13. D. de testib.*

§. CVII.

Leges Scantinia et Scribonia.

Non minus dubiae aetatis sunt LEGES SCANTINIA *de nefanda Venere*, cui facem accenderunt Io. Fridr. Christius *Diss. de lege Scantinia*, et Io. Guil. Hoffmannus *in Comment. ad legem Iuliam de adulter. cap. 1. §. 16. pag. 26.* et SCRIBONIA *de vsucapione*, quam singulari commentatione illustrauit Iac. Raeuardus. * Ea lege *vsucapionem seruitutium sublatam esse*, quam ICti disputatione fori inuexerant, satis patet ex *l. 4. §. vlt. D. de vsurpat. et vsucap.*

* Ant. Augustin. *de legib. pag. 130.* hanc legem tribuit auctori *L. Scribonio Liboni*, cuius meminit Cic. *in Brut. cap. 23. et de orat. Lib. I. cap. 53.* Sed eam sententiam solidis argumentis profligauit Galuan. *de vsufructu, cap. 12. §. 4. pag. 113.* Sane Ciceronis aetate adhuc seruitutum vsucapionem processisse, discimus ex *Orat. pro A. Caec. cap. 26.* Quare probabilius est, legem Scriboniam sub Augusto latam esse a *L. Scribonio Libone* cos. collega *M. Antonii II.* cos. anno 719. ceu visum est Galuano *ibid.* et Herm. Noordkerkio *Disquisit. de lege Petron. cap. 3. §. 6. pag. 90.* Saltim tardius latam esse, (quod putauit Iac. Raeuardus *de lege Scribon. pag. 497.*) et quidem anno ab V. C. 768. L. *Scribonio Libone* et *Sisenna Statilio Tauro* coss. eo minus crediderim, quo rarius tum leges rogari solebant a consulibus.

§. CVIII.

Leges Seruiliae de adulteriis et stupris, nec non de repetundis.

Exstitisse porro legem quamdam SERVILIAM *de adulteriis et stupris*, circa annum ab V. C. 694. a *P. Seruilio Vatia* cos. rogatam, fretus loco Valerii Maximi *Lib. VIII. cap. 1. exempl. 8.* acute coniicit Io. Guil. Hoffmann. *de lege Iul. de adult. Lib. I. cap. 21. pag. 33.* Certius est, LEGEM SERVILIAM *repetundarum*, cuius fragmenta ex monimento vetustissimo extulit Sigon. *de iudic. Lib. II. cap. 27.* anno ab V. C. 648. rogatam esse. Eam vero ita illustrauit laudatus Sigonius, vt ocium nobis feciisse videatur.

§. CX.

Leges Titia de sponsionibus.

De LEGE TITIA *de lusibus et sponsionibus*, cuius mentio fit *l. 3. D. de aleat.* nihil me, quod dicam, compertum habere, fateor. At TVLLIA *de ambitu* auctorem habet *M. Tullium Cicero-*

Source : BIU Cujas

ceronem, cos. cum *C. Antonio*, anno ab V. C. 689. * Denique celeberrima olim fuit LEX VOCONIA *de mulierum hereditatibus et de legatis*, lata a *Q. Voconio Saxa*, trib. pl. anno ab V. C. 583. *Caepione* et *Philippo* coss. sed de ea singularibus commentationibus tam adcurate egerunt FRANC. BALDVINVS et IAC. PERIZONIVS, vt plura addere nihil attineat. nibus, Tullia de ambitu, et Voconia.

* Hanc legem iam superiore anno *L. Iulio Caesare* et *C. Marcio Figulo* coss. rogari iusserat senatus: sed intercesserat Q. Mucius Orestinus, trib. plebis, teste Ascon. Paed. *in Orat. in toga cand.* Cicero *pro Muraen. cap.* 34. Postea legem de novo ex SC. tulit Cicero, eaque cautum, ne mercede conducti obuiam candidatis irent, nec conducti eos sectarentur; ne gladiatoribus locus tribueretur, ne prandia vulgo darentur. Cic. *pro Muraen. cap.* 33. *in Vatin. cap.* 15. Ex quibus locis etiam patet, praeter alias poenas et decennale exsilium irrogatum esse iis, qui contra hanc legem fecissent. Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 29. *pag.* 436.

§. CXI.

Nihil adhuc diximus de SENATVS CONSVLTIS, quorum tamen innumera hoc temporis interuallo facta esse, nemo ignorat. Enimuero, quod de sua aetate scribit Vlpianus *l.* 9. *D. de legib. non ambigi senatum ius facere posse*: id ad liberae rei publicae tempora plane non pertinet. Erat tum senatui ius, deliberandi de re publica, administrandi aerarium, curandi opera publica, delicta extra Romam in Italia admissa persequendi, gliscentes in Italia controuersias componendi, legationes decernendi audiendique, indicendi ferias et supplicationes, de prouinciis disponendi: Polyb. *Histor. Lib.* VI. *cap.* 11. et de his rebus etiam SCta fiebant, vel, si quis maiorum magistratuum tribunorumue plebis intercessisset, AVCTORITATES scribebantur: Cic. *ad diuers. Lib.* VIII. *epist.* 8. Dio Cass. *Lib.* LV. *pag.* 550. At noua iura SCtis inuecta esse ante Caesarum tempora, nusquam legeris. * SCta hoc tempore non erant species iuris scripti.

* Verum tamen est, populum nec iure rogari, nec iure scisscere potuisse, nisi senatus fieret auctor, eamque in rem scriptum esset SCtum. Liu. *Lib. I. cap.* 17. *Lib. VIII. cap.* 12. Plutarch. *in Coriolano*, *pag.* 227. Cic. *in Brut. cap.* 14. Appian. *de bello ciu. Lib. I. pag.* 650. Ex quo Ciceronis loco discimus, exstitisse ea de re legem veterem MAENIAM, quam Festus *in voce*: *Prorsus* MINIAM; Nonius vero Marcell. MANIAM vocat, eaque cautum fuisse, *vt patres in comitiorum euentum auctores fierent.* At plerumque hanc legem neglexerunt turbulenti ingenii tribuni plebis, qui seditiosissimas rogationes inconsulto fere ac refragante senatu rogarunt, patribusque nec quidquam dissuadentibus, pertulerunt.

Source : BIU Cujas

§. CXII.

Iurisconsultorum huius aetatis recensus.

Contra ea quum PRVDENTVM, seu IVRISCONSVLTORVM magnam hoc tempore auctoritatem fuisse dixerimus (§. 52. *seqq.*) operae pretium fuerit, instituere hic illorum recensum, et quae de iis notatu digna videbuntur, veluti per lancem saturam memorare, eademque opera, quae BERN. RVTILIVS, Io. BERTRANDVS, GVIL. GROTIVS, VAL. FORSTERVS, GVIDO PANCIROLVS, IAN. VINC. GRAVINA, similesque scriptores, vel praeteruiderunt, vel perperam tradiderunt * supplere atque emendare.

* Nulla historiae litterariae pars adhuc minus exculta est, quam haec de vitis et scriptis veterum iurisconsultorum. Nec omnes hi auctores ita ea in re versati sunt, vt ocium fecerint posteris. *Bern. Rutilius* vulgaria et incomperta saepe pro veris attulit. Doctior *Bertrandus*, at in diuinando paullo audacior, nec ab erroribus immunis. Minime omnium operae pretium fecit *Val. Forsterus*, qui homo ad quasuis potius operas sordidas, quàm ad scribendam iuris historiam erat condemnandus. *Guido Pancirolus* et *Ian. Vinc. Grauina* breuiter hanc rem exsequuntur: hic praeterea pleraque sublegit aliis, quae deinde miro orationis flore solet vestire, aliquando etiam corrumpere. Vere ergo reliquorum omnium industriam vicit magni Grotii frater *Guil. Grotius*, quamuis ne is quidem, quae est hominum infelicitas, omnia viderit.

§. CXIII.

Inter hos primi *C. Papirius* et *Appius Claudius* decemvir.

Apud Pomponium iureconsultorum agmen ducit PAPIRIVS, pontifex max. quem *Caii* praenomen tuliſſe, et ius Papirianum, paullo post exactos reges, compilasse, iam supra notauimus. (§. 16.) Excipit eum APPIVS CLAVDIVS, *vnus ex decemuiris, cuius maximum consilium in XII. tabulis scribendis fuit. l. 2. §. 36. D. de orig. iur.* Sed de eo quoque iam supra pleraque occupavimus *, (§. 25. *seqq.*) quibus iam id addimus, quod Appius ille impotente libidine sua non modo sibi, sed et rei publicae maximum intulerit detrimentum, ac proinde coniectus in carcerem, dignum flagitiis suis supplicium morte voluntaria anteverterit, anno ab V. C. 306. Liu. *Lib.* III. *cap.* 58.

* CLAVDII e Regillorum oppido oriundi, gente Sabini erant. Sueton. *Tiber. cap.* 1. Vnde et decemuiro nostro nomen fuit APPII CLAVDII SABINI REGILLENSIS. Primus ex ea gente, quae Herculem, seu Deum Sancum Fidium auctorem generis ciebat, anno ab V. C. 249. Romam e Sabinis migrauerat ATTVS CLAVSVS, de quo Virgil. *Aeneid. Lib. VII. v.* 706.

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,

Claudia

Source : BIU Cujas

Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.

Agminis meminit Virgilius, quia ATTIVS ille vel ATTA domi impar adversae factioni, magna clientium comitatus manu ab Regillo Romam transfugerat. Potentem adeo fuisse oportet hominem, quem aduenientem Romani non modo ciuitate et agro donarunt, sed et inter patres adlegerunt, non multo post in principum dignatione futurum, Liu. *Lib. II. cap.* 16. immo & consulem anno ab V. C. 259. collega *P. Seruilio*. Idem *Lib. II. cap.* 21. Fuit huic filius APPIVS CLAVDIVS SABINVS REGELLENSIS, consul cum *T. Quinctio* anno ab V. C. 283. plebi exercituique inuisus, qui quum a suis desertus a Volscis vinceretur, supplicii in centuriones, signiferos, gregariorumque decimum quemque saeuiit, accusatusque ideo, antequam damnaretur, morbo decessit. Liu. *Lib. II. cap.* 58. *sequ.* Huic filius fuit decemuir, praecipuus iuris, quod ex XII. tabulis proficiscitur, auctor.

§. CXIIII.

Appius Claudius Caecus. Eius cognomina.

Subiungit his Pomponius alterum APPIVM CLAVDIVM *eiusdem generis*, quippe decemuiri abnepos * quem CENTVMANI cognomen tulisse, maximamque scientiam habuisse ait. At quum alii eum CAECVM cognominent, mirum est, quantopere criticis vapulet bonus Pomponius: quum tamen nihil impediat, quo minus, qui senex ob casum CAECVS dictus est, idem antea CENTVMANI cognomen habuerit. Bynkersh. *Praetermiss. pag.* 264. *sequ. edit. nou.* Centumanorum saltim, vel Centumalorum cognomen non ignotum fuisse in gente Claudia, intelligimus ex Cic. *de offic. Lib. III. cap.* 16. et Val. Max. *Lib. VIII. cap.* 2. *exempl.* 1.

* Ne decipiatur lector ab iis, qui hic miscent quadrata rotundis: dabimus operam, vt plures Appios distinguamus. En ergo schema genealogicum:

ATTA

ATTA, vel ATTIVS CLAVSVS, qui Regillo profugus, Romam cum magna clientium manu migrauit, inter patricios adlectus, dictusque APPIVS CLAVDIVS. Consul anno V. C. 258. Plutarch. *in Poplic. pag.* 108. Suet. *Tiber. cap.* 1. Tacit. *Annal. Lib. IIII. cap.* 9. et *Lib. XII. cap.* 25.

APPIVS CLAVDIVS REGILLENSIS cos. anno ab V. C. 282. Liu. *Lib. II. cap.* 56.

C. CLAVDIVS, qui pertaesus flagitiorum Appii fratris filii, decemuiri Regillum remigrauit. Liu. *Lib. III. cap.* 58.

APPIVS CLAVDIVS CRASSINVS, decemuir, manus sibi ipse intulit, anno ab V. C. 306. Liu. *Lib. III. cap.* 58.

APPIVS CLAVDIVS, tribun. mil. cos. pot. anno ab V. C. 331. Liu. *Lib. IIII. cap.* 35.

APPIVS CLAVDIVS CRASSVS, de cuius contentione cum tribunis pl. anno 387. Liu. *Lib. VI. cap.* 40.

C. CLAVDIVS CRASSINVS REGILLENSIS, cos. anno V. C. 406. in magistratu decessit. Liu. *Lib. VII. cap.* 25.

APPIVS CLAVDIVS CAECVS, Pomponio CENTVMANVS, ICtus, de quo hic agimus.

§. CXV.

Eius honores, res gestae, et inuentum.

Honores inuerso fere ordine gessit, primum censor anno ab V. C. 442. quo tempore viam Appiam strauit, et aquam Claudiam in vrbem induxit: *l.* 2. §. 36. *D. de orig. iur.* Liu. *Lib. VIIII. cap.* 29. Ald. Manut. *Quaesit. per epist. I*, 2. *p.* 181. Deinde anno 446. et 456. consul; Liu. *Lib. VIIII. cap.* 42. et *Lib. X. cap.* 18. insequente praetor creatus est. Liu. *Lib. X. cap.* 22. Senex luminibus orbus viribusque defectus, tamen et clientibus se dedit, et lectica delatus in senatum sua potissimum oratione effecit, ut Pyrrhus rex in urbem non admitteretur. *Epit. Liu. Lib. XIII.* Plutarch. *in Pyrrh. pag.* 394. Postremo Pomponius obseruat, eum litteram caninam in quibusdam vocabulis reperisse *, vt quum Romani testibus Varrone *de lingu. Lat. Lib. VI. p.* 70. et Quinctiliano *Inst. orat. Lib. I. cap.* 4. antea pronunciarent *dolosem*, *eso*, *misesia*, *mesidie*, *melios*, *vapos*, postea *dolorem*, *ero*, *miseria*, *meridie*, *melior*, *vapor*, pronunciare mallent.

* Pomponius hac de re tam obscure loquitur, vt nescias, nosterne Appius, an alius, qui ab eo processit, litteram istam R. inuenerit. Sed quum Cicero *ad diverss. Lib. VIIII. epist.* 21. diserte scribat, L. Papirium Crassum circa annum V. C. 415. primum desiisse vocari *Papisium*: non alii eius inventi laus deberi videtur, quam Appio Caeco, siquidem eius pater iam anno

Source : BIU Cujas

anno 406. decesserat, filius vero tum nondum eius fuit aetatis, vt ab eo tale quid proficisci potuisse videatur. Ceterum non credibile est, Appium ipsam litteram R inuenisse, quam ipsa *Romuli, Remi, Romae*, vocabula praeferunt, quaeque in ipsis carminibus Saliaribus frequenter occurrit. Itaque in quibusdam tantum vocabulis, in quibus ipsa euphonia R pro S exigere videbatur, litteram caninam inuexisse videtur Appius. In ipsis sane carminibus Saliaribus, in quibus mentio fit *Marmurii, Veturii*, similiumque, occurrunt etiam *muses*, i. e. mures, *ruse*, i. e. rure, *plusima*, i. e. plurima, *melios*, i. e. melior. Add. Io. Nic. Funcc. *de puerit. Lat. lingu. cap. 1. pag. 193.* et *cap. 3. pag. 243.*

§. CXVI.

Fuit post eos, teste eodem Pomponio, *maximae scientiae* SEMPRONIVS, *quem populus Romanus σοφὸν, id est*, SAPIENTEM *adpellauit, nec quisquam ante hunc aut post hunc nomine cognominatus est* *. *l. 2. §. 37. D. de orig. iur.* At non fuit post Appium Sempronius, sed iisdem paene temporibus floruit, quippe consul creatus anno ab V. C. 449. cum P. Sulpicio, Liu. *Lib.* VIIII. *cap.* 45. quocum etiam de Aequis eo anno triumphauit. *Fast. Capitol. ad hunc ann.* Anno porro ab V. C. 453. pontifex et censor; et paullo post M. Valerio Coruo dictatore, magister equitum factus est. Liu. *Lib. X. cap. 9.* Et tamen vir consularis, censorius, ac triumphalis praeturam anno ab V. C. 456. suscipere non est dedignatus. Liu. *Lib. X. cap.* 21. Sempronii Σοφὸς honores.

* Argutantur hic noui scriptores, obseruantes, (1) id nomen et posteris eius haesisse: (2) non defuisse alias gentes, quibus insignis sapientiae gloria nobile ac perpetuum cognomen pepererit. Habere enim historiam *Atilium* et *Laelium* SAPIENTES, *Scipionem* CORCVLVM, *Sex.* et *P. Aelios* CATOS, denique *M. Porcium* CATONEM dictos, quae cognomina ab illo σοφὸς elogio non nisi sono differant: adeoque fallere Pomponium, dum *nec quemquam ante hunc, aut post hunc, hoc nomine cognominatum esse*, contendat. Sed ad *prius* respondetur, posteris id nomen haesisse tamquam hereditarium, at neminem eorum sibi id nomen virtute peperisse. Ad *posterius*, Pomponium id obseruasse de Graeco σοφὸς cognomine, quod in Graecia septem tantum viris, Romae soli post hominum memoriam P. Sempronio datum sit. Vnde et SAPIENTIAE simulacrum in gentis Semproniae numis reperiri obseruat Rupertus *ad Enchirid. Pompon. Lib. III. cap. 3. pag. 158. edit. nou.* Quae quum ita sint, adsentiri non possumus Reinesio, qui *ad Inscript. p. 36.* ipsum *Semproniorum* nomen a sapientia deriuat, eosque *Sempronios* dictos putat, quasi σώφρονας, atque inde et originem cognominis σοφὸς argute arcessit, quum tamen noster prius dictus sit Sempronius, quam σοφὸς cognomen ob ingenii praestantiam accepit, et iam pater P. SEMPRONIVS LONGVS, auus C. SEMPRONIVS LONGVS dicti sint. Rupert. *ibid.*

Source : BIU Cujas

§. CXVII.

An vxorem ludos spectantem repudiarit.

Vulgo eum vxori misisse repudium, perhibent, ob eam solam causſam, quod ludos inconsulto se spectarit. Sed Valerius Maximus, qui *Lib. I. cap. 3. ex. 12.* id memoriae prodidit, diserte ait, id diuortium fuisse tertium ab eo, quod fecerit Sp. Caruilius. Quum vero hic anno demum 521. primus vxorem res suas sibi habere iusserit, noster autem eam aetatem non attigisse videatur: consequens profecto est, vt alius fuerit ille Sempronius σοφὸς, qui tam seuera animaduersione vxoris curiositatem vltus est. Vid. Io. Guil. Hoffm. *Commentar. ad leg. Iul. de adult. cap. 1. pag. 22. sequ.* Certius est, filium habuisse nostrum eiusdem nominis, qui anno ab V. C. 484. consul de Picentibus triumphauit, *Fasti Capitol. ad hunc an.* et anno ab V. C. 500. censor lustrum condidit. *Epit. Liu. Lib.* XVIII.

§. CXVIII.

Tiberius Coruncanius.

Proximus aetate fuit TIBERIVS CORVNCANIVS, quem primum omnium iuris prudentiam publice professum esse, diximus (§. 53.) Eum nihil scripsisse, ait Pomponius: addens tamen, diligenter eum de iure consulentibus respondisse: *l. 2. §. 38. D. de orig. iur.* ob quam iuris scientiam dexteritatemque in respondendo eumdem laudat etiam Cicero *de orat. Lib. III. cap. 15.* Consul fuit anno ab V. C. 472. collega P. Valerio Laeuino: postea creatus primus ex plebe pontifex maximus * anno ab V. C. 500. *Epit. Liu. Lib.* XVIII. Obiit in extrema senectute, (nam senibus, qui rei publicae profuerint, eum accenset Cic. *de senect. cap. 6.*) anno ab V. C. 509. quippe quo ei in pontificatu surrogatum esse L. Caecilium Metellum, refert *Epitomator Liuii Lib.* XVIIII.

* Equidem primus ex plebe pontifex anno ab V. C. 453. creatus est cum P. Decio Mure, C. Marcio Rutilo et M. Liuio P. Sempronius Sophus: Liu. *Lib. X. cap. 9.* at pontificatum maximum ad annum vsque 500. tamquam propriam sibi possessionem, retinuerant, eoque honore primus ornatus est Tib. Coruncanius, iuris scientia non minus, quam aliis virtutibus eam dignitatem meritus. Nusquam fane sine laude eius meminit Cicero. Nam *de nat. deor. Lib. II. cap. 66.* eum adnumerat *singularibus viris, quorum neminem, nisi iuuante Deo, talem fuisse credendum sit.* Libro *de senectute, cap. 9. ab eo iura ciuibus praescripta, eiusque vsque ad extremum spiritum prouectam esse prudentiam* ait. In *Laelio, cap. 11.* laudat M'. Curium et Ti. Coruncanium, *quos sapientes maiores iudicarint.* Alibi *de orat. Lib. 3. cap. 33.* eum iungit P. Crasso illi veteri, et Scipionibus, quos vocat *prudentissimos homines, qui omnes pontifices*

Source : BIU Cujas

pontifices maximi fuerint, vt ad eos de omnibus diuinis atque humanis rebus referretur, quique iidem et in senatu, et apud populum, et in caussis amicorum, et domi, et militiæ consilium fidemque suam praestiterint. In *Bruto* porro *cap.* 14. obseruat, Coruncanium *ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videri.* Denique *in orat. pro domo sua, cap.* 54. eum vocat *peritissimum pontificem*: vt alia eius loca hic praetermittam.

§. CXVIIII.

In eumdem censum Guil. Grotius *de ICtis Lib. I. cap.* 2. refert L. CINCIVM ALIMENTVM *, qui quaesturam gessit anno 534. praeturam Siciliae anno 542. et bello in primis Punico secundo inclaruit, quo anno 543. Cannensis exercitus reliquias duxit, Liu. *Lib.* XXVII. *cap.* 7. captusque ab Hannibale, quantum is exercitum adduxerit in Italiam, ex eius ore audiuit. Liu. *Lib.* XXI. *cap.* 38. Scripsit librum de OFFICIO IVRISCONSVLTI, laudatum a Festo in voce: *Subiici*, et praeter illum *Annales*, *Fastos*, *de comitiis*, *de coss. potestate*, *mystagogica*, *de verbis priscis*, *et de re militari*, ex quibus reliquias haud contemnendas collegit, suaeque Sallustii editioni subiecit Wassius, cuius exemplum et Cortius postea est sequutus. Add. Voss. *de histor. Graec. Lib.* IIII. *cap.* 13. et *de histor. Latin. Lib. I. cap.* 4. L. Cincius Alimentus.

* Celeberrima iis temporibus fuit gens Cincia, ex qua eodem fere tempore claruit L. Cincius Alimentus, tribun. pl. anno ab V. C. 539. et L. Cincius Alimentus aedilis plebis anno ab V. C. 541. nisi forte posterior idem cum nostro fuerit. At celeberrimus omnium M. Cincius M. F. Alimentus, cuius tribunatus nobilis fuit rogata LEGE CINCIA (§. 91.), de quo totaque gente Cincia plura Fridr. Brummer. *ad leg. Cinc. cap.* 1. *sequ. pag.* 2. *seq. edit. Paris.*

§. CXX.

Paullo minor natu, at eorumdem tamen temporum fuit PVBLIVS (non CAIVS, vt Pomponius vocat), CORNELIVS SCIPIO NASICA *, qui anno ab V. C. 548. adolescens nondum quaestorius VIR OPTIMVS a senatu adpellatus est, dignusque habitus, qui matrem deûm Ostiam aduectam exciperet, *l.* 2. §. 37. *D. de orig. iur.* Liu. *Lib.* XXVIIII. *cap.* 14. Valer. Max. *Lib.* VIII. *cap.* 25. *Excerpt. Peiresc. pag.* 606. P. Scipio Nasica vir optimus a senatu dictus.

* Quum facillima sit in tot Scipionum rebus gestis errandi occasio: praeclare sane de republica litteraria meriti sunt viri docti, et in his Christoph. Ad. Rupert. *ad Pomp. enchirid. Lib. III. cap.* 3. *pag.* 159. *seqq. edit. nou.* dum accuratum Scipionum stemma confecerunt, ex quo nos breuem hanc tabulam excerpimus:

Source : BIU Cujas

L. CORNELIVS L. F. CN. N. SCIPIO cos. anno ab V. C. 494. de Poenis, Sardis, et Corsis triumphauit.

P. CORNELIVS, L. F. L. N. SCIPIO cos. anno 535 qui primus cum Hannibale minus prospere sub Alpibus conflixit. Flor. *Histor. Lib. I. cap. 6.*

P. CORNELIVS P. F. L. N. SCIPIO AFRICANVS, victor Hannibalis.

CN. CORNELIVS L. F. L. N. SCIPIO CALVVS, cos. anno ab V. C. 531. cum fratre in Hispania occubuit.

P. CORNELIVS CN. F. L. N. SCIPIO NASICA, ICtus, *vir optimus* a senatu cognominatus.

P. CORNELIVS P. F. CN. N. SCIPIO NASICA, CORCVLVM dictus, cos. anno 590. et 597.

§. CXXI.

Eius honores, res gestae, filius.

Praetor anno 559. rem bene ac prospere gessit in Hispania, et insequente anno pro praetore Lusitanos paene perdomuit. Liu. *Lib.* XXXV. *cap.* 1. Creatus deinde consul, anno 560. Boios ad internecionem cecidit, de iisque triumphum egit pulcherrimum. Liu. *Lib.* XXXVI. *cap.* 37. *sequ.* Petenti anno ab V. C. 568. censuram Cato praelatus est. Liu. *Lib.* XXXVIIII. *cap.* 40. Sed tanto honorificentius de eo fuit iudicium populi, quando ei publice domus in sacra via data est, quo facilius consuli posset. *l.* 2. §. 37. *D. de orig. iur.* Filius ipsi fuit, cum aliarum virtutum, tum iuris prudentiae laude patris simillimus, & siue ob sapientiam, siue ob communem ciuium amorem, CORCVLVM appellatus, qui anno V. C. 590. et 597. consul fuit, et grauem de Carthagine non delenda sententiam in senatu dixit *.

* Equidem patri P. Scipioni Nasicae, quem *virum optimum* adpellatum diximus, hanc orationem tribuunt Diodor. Sic. *in Excerpt. Peiresc. pag.* 382. et *Epitomator Liuii Lib.* XXXXVIIII. Sed quum haec contigerint anno ab V. C. 602. ad id vero tempus vix aduixisse videatur P. Scipio Nasica, qui iam anno ab V. C. 559. praeturam gesserat, filius contra hoc ipso tempore aetate non minus, quam auctoritate, rerumque gestarum gloria floreret: adsentiri non dubitauerim Ruperto, existimanti, filium, P. Scipionem Corculum, grauem illam sententiam in senatu dixisse. Vid. Rupert. *ad Pompon. Enchirid. Lib. III. cap.* 3. *pag.* 161. *edit. nou.*

§. CXXII.

An et Q. Mucius eorum temporum ICtus?

Dubiae sanitatis est locus Pomponii *l.* 2. §. 37. *D. de orig. iur.* vbi horum temporum ICtis accenset Q. MVCIVM quemdam, quem legatum ad Carthaginienses missum, ex duabus tesseris positis, vna pacis, altera belli, dato arbitrio, vtram vellet, Romam referret, vtramque ait sustulisse, addita caussa, Carthaginienses

Source : BIU Cujas

ginienſes petere debere, vtram accipere mallent. Vt enim iam non dicam, rem ab aliis multo aliter narrari: Liu. *Lib.* XXI. *cap.* 18. Florus *Lib.* II. *cap.* 6. Gell. *Lib.* X. *cap.* 27. Sil. Ital. *Lib.* II. *v.* 382. *ſequ.* nemo veterum in ea legatione Q. Mucium fuiſſe refert, ſed id vno ore tribuunt Q. FABIO MAXIMO, qui deinde *Cunctatoris* nomen meruit. Eum vero Fabium iuris prudentiam reliquis laudibus ſuis adiunxiſſe, ego quidem nuſquam reperio. *

* Probabile tamen eſt, Pomponium ſcripſiſſe *Q. Maximum*, idque poſtea librarios perperam mutaſſe in *Q. Mucium*. Rupertus *Lib. III. cap.* 3. *pag.* 160. Q. vero Fabium iuris peritum fuiſſe, idem Rupertus probare conatur loco Ciceronis *de ſenect. cap.* 4. vbi Cato de Fabio: *nec vero ille*, inquit, *in luce modo, atque in oculis ciuium magnus, ſed intus domique praeſtantior. Qui ſermo? quae praecepta? quanta notitia antiquitatis? quae* SCIENTIA IVRIS? *augurii?* At male interpungere videtur Rupertus. Cato enim non laudat Fabii *ſcientiam iuris*, ſed *ſcientiam iuris augurii*, vel auguralis, quae & in iuris imperitum cadebat.

§. CXXIII.

Iiſdem paene temporibus iuris prudentiae laude floruerunt duo fratres celeberrimi, P. et SEX. AELII PAETI CATI, quorum alterum iuris Aeliani auctorem fuiſſe, ſupra vidimus (§. 49.) PVBLIVS anno V. C. 548. aedilis plebis, ac inſequente anno praetor, Liu. *Lib.* XXVIIII. *cap.* 38. anno 550. magiſter equitum C. Seruilii Gemini dictatoris, Id. *Lib. XXX. cap.* 39. ſequente conſul, Liu. *Lib.* XXX. *cap.* 40. biennio poſt cenſor creatus, Idem *Lib.* XXXII. *cap.* 7. peſtilentia periit anno ab V. C. 578. Liu. *Lib.* XXXXI. *cap.* 26. P. Aelius Paetus.

§. CXXIIII.

SEX. AELIVS PAETVS CATVS per eoſdem fere honorum gradus decurrens itidem ad conſulatum et cenſuram peruenit, quorum illum anno 554. hanc anno 558. ab V. C. geſſit cum collega C. Cornelio Cethego. * Liu. *Lib.* XXXI. *cap.* 7. *Lib.* XXXIIII. *cap.* 44. et *Lib.* XXXV. *cap.* 9. De eius *Tripartitis* ſupra diximus (§. 49.) Addit Pomponius *l.* 2. §. 38. *D. de orig. iur.* ei et alios libros, ſed dubiae auctoritatis, tribui. Eruditorum manibus vel maxime trita videntur *Tripartita*, tamquam inſigne iuris vniuerſi ſyſtema, quo et Cicero vſus videtur, dum *ad diuerſ. Lib.* VII. *epiſt.* 22. tractat quaeſtionem iuris, *poſſetne heres, quod furtum antea factum eſſet, recte furti agere?* Sex. Aelius Catus.

Source : BIU Cujas

* Refert Plin. *Hist. nat. Lib. XXXII. cap.* 1. Aelium Catum L. Aemilii Pauli, qui Perseum, Macedoniae regem vicerit, generum fuisse, eumque, quum legati Aetolorum, in conuiatu prandentem in fictilibus adiissent, oblata ab his vasa argentea non accepisse, neque aliud habuisse argenti ad supremum vitae diem, quam duo pocula, quae L. Paullus, socer, ei ob virtutem donasset. Sed L. Paulli gener *Q. Aelius Tubero* fuit, non *Sex. Aelius Catus*. Illum ob virtutem nauatamque in bello Macedonico operam generum sibi delegerat Aemilius. Plutarch. *in Paull. pag.* 257. At Aelius iste, Paulli gener, nec Cati cognomen tulit, nec vmquam Consul fuit, sed vir optimus ac continentissimus, καὶ μεγαλοπρεπέστατος Ῥωμαίων πενίᾳ χρησάμενος, *et qui omnium Romanorum magnificentissime paupertatem tulit*, ceu loquitur Plutarchus. Recte id monuit Rupertus *ad Enchirid. Pompon. Lib. III. cap.* 4. *pag.* 168. *edit. nou.* quum Corasius, Hotomanus, et Io. Bertrandus, Plinii sequuti auctoritatem, perperam haec omnia ad Sex. Aelium Catum referant.

§. CXXV.

L. Acilius an P. Atilius, Sapiens.

Iungit Pomponius Aelii fratribus P. ATILIVM, quem primum SAPIENTEM a populo cognominatum scribit *d. l.* 2. §. 38. *D. de orig. iur.* Quamuis vero celeberrima Romae fuerit *Atiliorum* familia, multisque imaginibus illustris, de qua praeclare meritus est Iac. Perizonius *Animadu. histor. cap.* 1. *pag.* 26. vbi et stemma Atiliorum dedit: Ruperto tamen *ad Enchir. Pompon. Lib.* III. *cap.* 4. *pag.* 173. hic parum adcuratus videtur Pomponius, quippe qui *P. Atilium* nobis obtrudat pro L. ACILIO. De hoc sane Cicero *de amicit. cap.* 2. *scimus L. Acilium*, (ita enim habent libri optimi,) *apud patres nostros adpellatum* SAPIENTEM, *quia prudens esse in iure ciuili putabatur*: et *de legib. Lib.* II. *cap.* 23. iterum vocat *L. Acilium*, eumque iungit *Sex. Aelio*. Attamen res et etiamnum incerta est, & iam olim inter has gentes de hoc ICto certamen fuisse videtur *. Quaedam ad XII. tabulas scripsisse hunc siue Atilium, siue Acilium, iam supra obseruauimus (§. 31.)

* In *Aciliae* gentis denariis Ianus bifrons, prudentiae sapientiaeque signum, conspicitur apud Patin. *de famil. Rom. pag.* 3. At idem χάραγμα et in *Atiliae* gentis nummis *pag.* 42. reperimus. Si ergo verum est, hoc esse signum sapientiae vel prudentiae, a quo maiorum quis cognomen tulerit: facile est ad existimandum, de eo gentium suarum decore inter vtramque certatum esse.

§. CXXVI.

Ser. Fabius Pictor et

Eorumdem temporum ICtis Grotius *de ICtis Lib.* I. *cap.* 4. adnumerat SER. FABIVM PICTOREM, quem *iuris, et litterarum, et antiquitatis peritissimum* fuisse testatur Cicero *in Brut. cap.* 21. Vnde

Source : BIU Cujas

Vnde existimari posset, Ciceronem haec scribentem in animo habuisse *Q. Fabium Pictorem*, Annalium scriptorem, cuius fragmenta in Wassii *Sylloge* primum statim locum obtinent. Enimvero, quum non Quintum illum vocet, sed Seruium, et hunc M. Porcio Catone natu paullo minorem fuisse obseruet: magis est, vt ex filiis eius aliquem intelligamus, de quo tamen altum alioquin in historia Romana silentium est. Celebrior Q. FABIVS LABEO, quaestor anno ab V. C. 556. Liu. *Lib.* XXXIII. *cap.* 42. septimo post anno praetor, Liu. *Lib.* XXXVII. *cap.* 47. *et* 50. anno porro 569. consul, Liu. *Lib.* XXXVIIII. *cap.* 45. demum triennio post pontifex. Id. *Lib.* XXXX. *cap.* 42. Eum iisdem paene laudibus, ac Ser. Fabium Pictorem, exornat Cicero *in Brut. cap.* 21. Q. Fabius Labeo.

§. CXXVII.

T. MANLIVM, A. F. T. N. TORQVATVM *iuris ciuilis et sacrorum pontificalium*, teste Valerio Maximo *Lib. V. cap.* 8. *exempl.* 3. *peritissimum*, consulem cum Cn. Octauio anno ab V. C. 587. fuisse, obseruat Cicero *de finib. Lib. I. cap.* 7. * simulque refert, eum filium compertum repetundarum iudicio domestico damnasse, & in conspectum suum venire vetuisse. Addit Valerius, quum filius tam tristi perculsus sententia suspendio vitam finiisset, eum ne exsequiis quidem adolescentiis interfuisse, sed tum maxime, quum funus efferretur, consulentibus vacuas aures commodasse. *Epit. Liu. Lib.* LIIII. T. Manlius Torquatus.

* Gentilitium id fuit genti Manliae, saeuire in suos, iisque nullius delicti gratiam facere. Hinc *Manliana imperia* illo etiam tempore horrenda, exempli semper tristis in posterum fuerunt. Liu. *Lib. IIII. cap.* 29. et *Lib. VIII. cap.* 7. De acerbitate L. Manlii in filium, nullius probri compertum, vnde *Imperiosi* nomen tulit, idem videndus Liu. *Lib. VII. cap.* 4. Nosser ergo Titus tertium dedit tam inusitatae seueritatis exemplum. *Titus*, inquam; nam mendum in praenomine est apud Ciceronem. Quem enim exemplaria Ciceronis omnia *Lucium* vocant, ei *Fasti Capitolini*, his in rebus adcuratissimi aeque, ac Valer. Maximus et Liuii Epitomator, *Titi* praenomen tribuunt. Grauiore multo errore Colerus *in Notis ad Valer. Max. Manlium* hunc confundit cum *Manilio*, ICto, de quo paullo post. Quem errorem errat etiam Bernard. Rutil. *in vit. ICt. cap.* 15 §. 21. ideo iure notatus a Guil. Grotio *de vit. ICtor. Lib. I. cap.* 4.

§. CXXVIII.

Eidem Valerio Maximo debemus notitiam C. MARCII FIGVLI, qui circa annum 620. *iuris ciuilis studio celeberrimus fuit*, At istius professionis, tamquam infructuosae eum pertaesum est, quum C. Marcius Figulus.

Source : BIU Cujas

quum petens consulatum repulsam tulisset. Nam istius ignominiae dolorem non ferens, quum ad eum postero comitiorum die multi consulendi caussa confluxissent, omnes rerum suarum incertos dimisit, praefatus: *at vos consulere scitis, consulem facere nescitis?* Valer. Max. *Lib. VIIII. cap.* 3. *exempl.* 2. qui auctor hoc subiungit iudicium: *dictum grauiter et merito: sed tamen aliquanto melius non dictum.*

§. CXXVIIII.

M. Porcius Cato, Censorius, pater.

Qui iisdem temporibus floruit, totumque paene saeculum doctrina prudentiaque illustrauit M. PORCIVS CATO, quaesturam gessit anno ab V. C. 548. Liu. *Lib. XXXII. cap.* 7. consulatum triennio post, Liu. *Lib. XXXIII. cap.* 42. a quo tempore bellum in Hispania prosperrime gessit, censuraque anno 568. severissime acta, Liu. *Lib. XXXVIIII. cap.* 41. *sequ.* anno demum ab V. C. 604. L. Marcio et M. Manilio Coss. octuagenario maior decessit. Cic. *in Brut. cap.* 15. *ei tam versatile ingenium pariter ad omnia fuit, vt natum ad id vnum dixisses, quodcumque ageret. In bello enim manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis, idem, postquam ad magnos honores peruenit, summus imperator, idem in pace, si quis ius consuleret, peritissimus, si caussa agenda esset, eloquentissimus fuit.* Quales laudes in eum tamquam ex compacto congerunt Liu. *Lib. XXXVIIII. cap.* 40. Cic. *de orat. Lib. I. cap.* 37. et *Lib. III. cap.* 15. Cornel. Nep. *Caton. cap.* 3. Quinctilian. *Inst. orat. Lib. XII. cap.* 3. Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 7. *exempl.* 1. *

* Raro sane inter mortales exemplo M. ille Porcius Cato in omni artium scientiarumque genere eminuit, bonus imperator, bonus censor, consul, praetor, optimus ac fere eximius ICtus, orator facundissimus, historiae omnisque antiquitatis, si quis alius, peritissimus, agricola insignis. Senex et Graecas litteras didicit, tanto ardore animi, vt diuturnam sitim explere velle videretur. Cic. *de senect. cap.* 1. et *Quaest. acad. Lib. IIII. cap.* 2. Idque eo magis mirandum, quod nullo subsidio adspirauit ad rem publicam, solaque virtute ad summa enixus est. Vnde Plutarch. *in Cat. mai. pag.* 353. Ὁ δὲ Κάτων ἐκ πολίχνης τε μικρᾶς καὶ διαίτης ἀγροίκου δοκούσης φέρων ἑαυτὸν ὥσπερ εἰς πέλαγος ἀχανὲς, τὴν ἐν Ῥώμῃ πολιτείαν; *Cato vero ex oppidulo exiguo, et vitae genere, quod rusticanum videbatur, in rem publicam Romanam sese, tamquam in vastum pelagus praecipitauit.* Addit, non tum fuisse ea tempora, quae Curios, Fabricios, Hostilios, aliosque ab aratro pauperes, ad magistratus et rostra admiserit, sed Romam iam claritati familiarum, diuitiis, largitionibus, et prensationibus adsuefactam honores petentibus nouis hominibus insultasse. Denique et id miratur Plutarchus, quod Cato, quum omnes paene ciuitatis potentissi-

Source : BIU Cujas

potentissimos et primos haberet aduersarios, et ad senectutem vsque instar athletae decertarit, conseruauerit se incolumem, non alio tutus praesidio, quam τῷ λόγῳ, id est, eloquentia, ᾧ δικαιότερον ἄν τις, ἢ τύχῃ ϗ δαίμονι ϗ ἀνδρὸς, τὸ μηδὲν παθεῖν παρ' ἀξίαν, ἀναθεῖναι, *cui verius, quam casui vel fortunae eius, quod illaesa semper permanserit dignitate, acceptum referas.* Meretur tota Catonis vita a Plutarcho scripta, eiusque in primis et Aristidis comparatio legi, quippe qua Catonem omnes magni viri partes impleuisse, et Aristidem longo post se interuallo reliquisse, luculentissimis argumentis demonstratur.

§. CXXX.

Opera varii argumenti, ab eo scripta, veteres laudant quam plurima *, ex quibus et hodie integrum exstare creditur illud *de re rustica*. Ex eius vero *Originibus*, libriscque *de re militari*, *de liberis educandis*, *de moribus*, *praeceptis ad filium*, *epistolis*, *orationibus*, fragmenta, quae supersunt, cum cura collegit laudatus Wassius. Laudantur et eius COMMENTARII IVRIS CIVILIS a Festo; liber de DOTE a Gellio *Noct. Att. Lib. X. cap.* 23. Denique eum et RESPONSA nouo more, expressis personarum nominibus, edidisse, obseruat Cicero *de orat. Lib.* II. *cap.* 33. Eius opera.

* De operibus vero iuridicis Catonis, vt & aliis, quae Catoni tribuuntur, veluti regula Catoniana, non satis exploratum est, patri, an filio, sint attribuenda. Nec mirum, quum eadem vtriusque sint nomina, et eadem vterque iuris prudentiae laude floruerit. Quamuis etiam veteres omnes, et in his Plutarchus *in Catone maior. pag.* 351. eum *de re rustica*, scripsisse, testentur; de eo tamen, quod hodie exstat sub Catonis nomine, opusculo, sitne vere M. Porcii Catonis, an alterius, non sine ratione ambigitur. Vid. Id. Matth. Gesneri *praefat. scriptoribus rei rustic. praemiss. p.* 1. *seqq.*

§. CXXXI.

Filium Cato sustulerat sibi ὁμώνυμον, M. PORCIVM CATONEM, iisdemque virtutibus in toga sagoque insignem *. Rei militaris specimina bello Macedonico tam praeclara dederat, vt L. Aemilius Paullus eum sibi generum vltro deligeret. Iuris vero ciuilis scientia omnes eius aetatis viros doctissimos superauit, egregiosque de iuris disciplina libros reliquit. Gell. *Noct. Att. Lib.* XIII. *cap.* 18. *l.* 2. §. 38. *D. de orig. iur.* Exstinctus est vivo patre, et praetor iam designatus anno ab V. C. 600. Et is vnus casus concussisse dicitur intrepidum animum Catonis patris, Cic. *de senect. cap.* 23. quem ideo huius filii sui saepe in scriptis suis cum laude meminisse, refert Plutarch. *in Cat. mai. pag.* 351. M. Porcius Cato filius.

Source : BIU Cujas

* Quum plures Catones in historia Romana occurrant, quorum facilis est confusio: non ingratum lectori fuerit, totam illam gentem in schemate contemplari. Et quamuis illud concinnare iam coeperit Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 19. & inde sua sumserit Guido Pancirol. *de clar. leg. interpret. Lib. I. cap.* 8. *pag.* 27. licebit tamen illud hoc modo supplere.

M. PORCIVS CATO CENSORIVS natus anno 518. quæstor anno 548. prætor 554. consul 557. censor anno 568. obiit anno V. C. 604. sexto et octuagesimo aetatis anno.

M. PORCIVS M. F. CATO iureconsultus, praetor iam designatus decessit viuo patre, anno ab V. C. 600. matrem habuit *Liciniam.*

M. PORCIVS M. F. M. N. CATO, insignis orator, cos. anno 634. cum Q. Marcio, Africam sortitus, in magistratu ibi decessit.

M. PORCIVS M. F. M. N. CATO, aedilis, ipse quoque in Africa decessit.

L. Lucullus — Porcia, soror germana Catonis Uticensis.

L. Lucullus.

M. PORCIVS, M. F. CATO SALONIANVS, id cognomen adeptus a Salonio, patris scriba, cuius ille filiam secundis nuptiis domum duxerat. Plutarch. *in Cat. Maior. pag.* 351.

L. Cato — M. Cato, tribunus pl. praeturam petens decessit. — Livia, M. Liuii Drusi filia, nupta postea Q. Seruilio, quaestori, occiso bello Sociali 663.

M. PORCIVS M. F. M. N. CATO Vticensis, maritus (1) Lepidae: (2) Atiliae: (3) Hortensiae.

Q. Servilius Caepio, Catonis frater vterinus. Plutarch. — Seruilia, soror Catonis vterina, impudica a Caesare amata. — M. Br... tus a Pompe... interfe... ctus. Plutarc...

Filia.

M. Porcius Cato in acie ad Philippos occubuit. Plutarch. — Filius alter. Plutarch. — Filia, cuius mem. Plut. — Porcia, quae se crudeliter interemit, occiso marito Bruto. — Bibulus, Plut. quo mortuo nupsit

Bibulus.

Bruto Caesaris interfectori.

Source : BIU Cujas

§. CXXXII.

Quamuis vero patris filiique scripta saepe confundi videantur: filio tamen, quae Catoni in iure nostro tribuuntur *, pleraque deberi existimamus, veluti REGVLAM CATONIANAM, *l.* 1. *D. de reg. Cat.* et quae ex Catonis libris proferuntur de adoptione seruorum, §. 12. *Inst. de adopt.* de seruo mutilo morboso, *l.* 10. §. 1. *D. de Aedil. edict.* de socero a genero instituto herede, *l.* 44. *pr. D. solut. matrim.* de poena certae pecuniae promissa, si quid aliter factum sit, *l.* 4. §. 1. *D. de verb. obl.* de die intercalari, *l.* 98. §. 1. *D. de verb. signif.* Eius scripta.

* Laudatur Cato saepius, sed ita, vt eius libri Vlpiani et Paulli temporibus non amplius videantur exstitisse. Hinc formulae: *apud Catonem bene scriptum*, REFERT ANTIQVITAS: §. 12. *Inst. de adopt. Catonem scribere* LEGO: *l.* 10. §. 1. *D. de aedil. edict. Nerua et Cato responderunt, vt est* RELATVM *apud sextum ab Aristone.* Sic aliena fide citant Catonem. Semel Paullus *l.* 4. §. 1. *D. de verb. oblig.* citat *Catonis librum XV.* sua, an aliena fide, non facile dixerim.

§. CXXXIII.

C. LIVIVS M. F. MAMILIANVS DRVSVS consul anno ab V. C. 606. collega P. Cornelio Scipione, eo potissimum nomine laudatur, quod senex, oculis captus, viribusque defectus, consulentibus non minus de iure responderit, quum, quorum res esset, sua ipsi non videntes, caecum adhibere ducem non dubitarent. Cic. *Tusc. Quaest. Lib. V. cap.* 38. Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 7. Addit Valerius, eum vtilissima monimenta, oculorum licet acie destitutum, composuisse, quae saltim in P. Iuventii Celsi manus videntur incidisse. Nam Drusum hic laudat *l.* 38. §. 1. *D. de act. emt. vend.* C. Liuius Mamilianus Drusus.

§. CXXXIIII.

Venio nunc ad triumuiros, qui *ius ciuile fundasse* dicuntur a Pomponio *l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.* Horum praeceps P. MVCIVS P. F. Q. N. SCAEVOLA ex ea gente ortus est, quae iuris prudentiam pro gentilitio bono habuit, pluresque patriae dedit ICtos eximios *. Noster anno ab V. C. 620. consul fuit, collega L. Calpurnio Pisone Frugi, Vell. Paterc. *Histor. Lib. II. cap.* 2. Gruter. *Inscript. pag.* 202. *sequ.* biennioque post, quum Crassus occubuisset, pontificatum maximum est adeptus. Cic. *ad Attic. Lib. XII. epist.* 4. *de orat. Lib. II. cap.* 12. *de nat. deor. III. cap.* 2. *pro dom. cap.* 53. Denique eum phthiriasi exP. Mucius Scaeuola.

Source : BIU Cujas

ſtinctum eſſe, tradit Plutarch. *in Sulla*, *pag.* 475.

* Magnam ergo gratiam ab hiſtoria ſtudioſis iniit Rupert. *ad Enchir. Pompon. Lib. III. cap. 7. pag. 186. edit. nou.* quod plures Mucios, quos iuris ſcientia nobilitauit, adcurate diſtinxit. Nos ex eius ſchemate pauca haec decerpimus:

P. MVCIVS SCAEVOLA

Q. MVCIVS P. F. SCAEVOLA praetor anno 538. Sardiniam ſortitus eſt. Liu. *Lib. XXIII. cap.* 24. 30.

Q. MVCIVS Q. F. P. N. SCAEVOLA praetor anno V. C. 574. Liu. *Lib. XXXX.* cap. 44. coſ. anno 579. cum Sp. Poſtumio,

P. MVCIVS Q. F. P. N. SCAEVOLA praetor 574. Liu. *Lib. XXXX. cap.* 44. coſ. 578. cum M. Aemilio Lepido. Liu. *Lib. XXXXVIIII. cap.* 19. eodem anno triumphauit de Liguribus.

Q. MVCIVS Q. F. Q. N. SCAEVOLA, Augur, coſ. anno ab V. C. 636. cum L. Metello. Grut. *Inſcript. pag.* 204. Vixit adhuc L. Luculli temporibus. Val. Max. *Lib. III. cap.* 8. ICtus egregius, quem Cicero audivit.

P. MVCIVS P. F. Q. N. SCAEVOLA pontifex max. IC. de quo Pomponius *l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.*

P. LICINIVS P. F. P. N. adoptatus a P. Licinio Craſſo, ac proinde dictus MVCIANVS ab origine, LICINIVS CRASSVS a patre adoptiuo. Conſul anno 522. pontifex max. et ICtus celeberrimus, de quo *l.* 2. §. 40. *D. de orig. iur.*

Q. MVCIVS P. F. P. N. SCAEVOLA conſul anno 675. Aſiae proconſulatu geſto celeberrimus, ob quem Mucia feſtum diem inſtituerunt Aſiatici. Cic. *Verr. II. cap.* 21. ICtus celeberrimus, de quo *l.* 2. §. 41. *D. de orig. iur.*

Mucia, vxor L. Licinii Craſſi, oratoris.

Mucia, de qua Cicero *in Brut. cap.* 58.

Licinia nupta P. Cornelio Scipioni Naſicae. Cic. *in Brut. cap.* 58.

§. CXXXV.

Source : BIU Cujas

§. CXXXV.

Reliquisse a Pomponio dicitur DECEM LIBELLOS, *l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.* ex quibus dubio procul decerpta sunt, quae ex huius Scaeuolae monimentis adferunt non modo Cicero *Topic. cap.* 4. et *ad diuers. Lib.* VII. *epist.* 21. sed et ICti nostri *l.* 66. *D. solut. matr. l.* 17. *D. de legation. l.* 4. *D. de capt. et postlim.* * Eius scripta.

* Neque tamen crediderim, P. Scaeuolae opera adhuc extitisse tempore ICtorum, qui illa laudant. Nam Iauolenus *l.* 66. *pr. D. sol. matr.* quae de P. Scaeuolae sententia memorat, vel ex Labeone, vel ex Seruio, quem ibi testem citat, videtur exscripsisse. Pomponius *l.* 17. *D. de legation.* Q. Mucium sequutus est, Modestinus denique *l.* 4. *D. de capt.* quae ibi de P. Scaeuola habet, ex Pomponio haurire potuit.

§. CXXXVI.

Alter ex hac triga M. IVNIVS BRVTVS, vir praetorius, *l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.* quem Cicero *in Brut. cap.* 47. *in iure ante alios summum euasisse* ait, *ibidem*que *cap.* 34. vocat *virum optimum et iuris peritissimum*, in eo tamen paullo infeliciorem, quod filium reliquerit gentis suae dedecus, vulturem togatum, accusatorem vehementem et molestum, et qui opes paternas turpiter disperdiderat. Cic. *ibid.* et *de orat. Lib.* II. *cap.* 55. Reliqua fere ignoramus, nisi quod eum temporibus Gracchanis floruisse constat. M. Iunius Brutus.

§. CXXXVII.

Librorum de iure ciuili a Bruto scriptorum septem numerat POMPONIVS, *d. l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.* quamuis Ciceronis aeuo tres tantum DE IVRE CIVILI libri pro genuinis habiti videantur *. Cic. *de orat. Lib.* II. *cap.* 55. Ex iis quaedam, quae ad edictum potissimum pertinuerunt, notis vel stricturis suis illustrasse videtur SER. SVLPICIVS; *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur. l.* 5. §. 1. *D. de instit. act.* nisi forte, quod alii suspicantur, eos libros Bruto potius cuidam nuncuparit (§. 74. *). Bruto vero nostro, tamquam eximio iuris auctori, testimonium frequenter denunciant Cicero *de finib. Lib.* I. *cap.* 4. et *ad diverf. Lib.* VII. *epist.* 22. Gell. *Noct. Attic. Lib.* VII. *cap.* 15. et ICti nostri, *l.* 68. *D. de vsufr. l.* 27. §. 22. *D. ad leg. Aquill. l.* 13. *pr. D. de in diem addict. l.* 3. §. 3. *D. de adqu. vel amitt. posses. l.* 4. *D. de captiu. et postlim.* Eius libri.

* Verosimile est, mendum irrepsisse in Pomponii *Enchiridion*, et acute suspicatur Bynkersh. *in Praetermiss. pag.* 271. *edit. nou.* transpositis vocabulis legen-

Source : BIU Cujas

legendum esse: *Brutus tres*, *Manilius septem*: quale quid in mentem venit etiam Ioanni Bertrando *de Iurisperit. Lib. II. cap. 6.* Ceterum Brutum quoque his libris suis intexere solitum esse responsa, et quidem expressis personarum nominibus (§. 130.), obseruat Cicero *de orat. Lib. II. cap. 33.* Quod institutum probandum, an reprehendendum sit, disquirit Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. I. cap. 5.*

§. CXXXVIII.

M'. Manilius.

Tertius M'. MANILIVS P. F. P. N. (ita enim scribendum id nomen, non littera duodecima MAMILIVS, vti hoc nomen vbique emendari iubet Petr. Victor. *ad Varron. de re rustic. Lib. II. cap. 3. §. 5.* *) P. F. P. N. vir consularis, quippe qui fasces anno ab V. C. 603. collega L. Marcio Censorino tenuit, *Fast. Consul. ad h. ann.* quum antea praetor cum Lusitanis bellum parum prospere gessisset, Appian. *Iberic. pag.* 286. ac ne consul quidem Carthaginem felicius oppugnasset. *Epit. Liu. Lib.* XXXXVIIII. At tanto illustrior toga, non modo consulentibus totum se dedit, eorumque commodo transuerso foro quotidie obambulauit, vt sui consulendi copia esset omnibus: verum etiam domi suae, quam mediocrem in Carinis habebat, omnes et de iure ciuili, et de filiabus elocandis, fundis emendis, agro colendo, deque omni officio negotioque consulturos admisit: Cic. *de orat. Lib.* III. *cap.* 33. pauperem tamen fuisse, testatur Cicero *Paradox.* VI. *cap.* 3.

* Hoc audacior Val. Forsterus in *Hist. iur. Lib. II. cap.* 21. eum vocat *M. Manlium*, quum *Marci* praenomen in gente *Manlia*, ob M. Manlii Capitolini supplicium, lege familiae quasi proscriptum esset, Liu. *Lib. VI. cap.* 20. immo sub finem istius capitis illum confundit cum *T. Manlio Torquato*, de quo supra (§. 127.) disseruimus: adcurate refutatus a Rupertо *ad Pompon. Enchirid. Lib. III. cap. 6. pag.* 177. *sequ. edit. nou.*

§. CXXXVIIII.

Eius opera.

Reliquit DE IVRE CIVILI libros, si vulgarem scripturam in Pomponio seruandam credimus, *tres*, sin Bynkershoekii coniecturam (§. 138.) sequimur, *septem*, ac praeterea *volumina inscripta* MANILII MONIMENTA, *l. 2. §. 39. D. de orig. iur.* quae, qualia fuerint, nos hodie scimus iuxta cum ignarissimis. Praeterea MANILIANARVM VENALIVM VENDVNDORVM LEGVM * mentionem faciunt Cic. *de orat. Lib.* I. *cap.* 58. et Varro *de re rust. Lib.* II. *cap.* 5. quas a monimentis illis diuersas non esse, existimat Ant. Augustin. *de nomin. propr. Pandect. Tom. I. Thes. iur. ciu. pag.* 211. Et ea quidem Manilii opera passim laudari animaduertimus a Var-

Source : BIU Cujas

a Varrone *de lingu. Lat. Lib.* IIII. *pag.* 13. *et Lib.* VI. *pag.* 68. *de re ruſt. Lib.* II. *cap.* 5. Cicerone *ad diuerſ. Lib.* VII. *epiſt.* 22. Gell. *Noct. Attic. Lib.* XVII. *cap.* 7. denique a Paullo ICto *l.* 3. §. 3. *D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.*

* Pertinuerunt *Manilianae* iſtae *venalium vendundorum leges* ad iuris prudentiam formulariam. Auctor enim eſt Plin. *Hiſt. nat. Lib. XVIII. cap.* 3. obſeruationem earum tam ſcrupuloſam fuiſſe, vt ne carnes quidem et ſues, niſi conceptis verbis a laniis emerentur, neque mulctae dictio aliter iuſta eſſet, niſi in qua ovis maſculino genere efferretur, et niſi bubus ouibuſque ſimul expreſſis, oues prius, quam boues nominarentnr. Vid. Eu. Otton. *Iuriſprud. ſymbol. Exerc. I. cap.* 15. *pag.* 92. Exſtant tales venalium vendundorum formulae apud Varron. *de re ruſt. Lib. II. cap.* 3.

§. CXXXX.

Subiungimus illuſtri illi ICtorum trigae Q. MVCIVM, Q. F. Q. N. SCAEVOLAM, vulgo *Augurem*, coſ. anno ab V. C. 636. collega L. Caecilio Metello, qui ſenex admodum deceſſit, neque ſe adduci paſſus eſt a L. Sulla, vt C. Marium hoſtem rei publicae iudicaret. Val. Max. *Lib.* III. *cap.* 8. Quantus in reſpondendo fuerit, vel ex eo patet, quod Cicero *in Brut. cap.* 39. *ſequ.* et *de orat. Lib. I. cap.* 45. eum iuris ciuilis intelligentia atque omnis prudentiae genere praeſtitiſſe, eiuſque ianuam et veſtibulum in infirmiſſima valetudine adfectaque iam aetate maxima quotidie frequentia ciuium ac ſummorum hominum ſplendore *celebratam eſſe*, teſtatur. Auditores habuit illuſtres quam plurimos, et in his Ciceronem, ceu ipſe teſtatur *in Brut. cap.* 89. et in *Lael. cap.* 1. quamuis poſtea, eo mortuo, ad Q. Mucium Scaeuolam, pontificem, de quo paullo poſt, ſeſe contulerit. Cic. *de legib. Lib. I. cap.* 4. An quidquam ſcripſerit, hodie ignoramus: Arbitrium tamen eius in cauſſa finium regundorum inter Gennates et Veturios exſtat apud Gruter. *Inſcript. pag.* 204. Q. Mucius Scaeuola Augur.

§. CXXXXI.

Quos his Pomponius ſubiungit, CAELIVS ANTIPATER, PAVLLVS VIRGINIVS, SEX. POMPEIVS, Q. AELIVS TVBERO, quamuis iuris non imperiti, aliis tamen potius artibus adpuliſſe animum videntur *. Quare dicendum potius erit de P. RVTILIO RVFO, qui P. Mucium Scaeuolam, pontificem maximum, audiuit, Cic. *de offic. Lib. II. cap.* 13. ſimulque philoſophiae Stoicae, duce Panaetio, totum ſe dedit. Idem *de offic. Lib.* III. *cap.* 2. *in Brut. cap.* 30. Functus conſulatu anno ab V. C. 648. collega Cn. Antipater, Virginius, Pompeius, Tubero, Rutilius Rufus.

Source : BIU Cujas

Cn. Manlio Maximo, iniquissimo repetundarum iudicio opprimitur, et exsul Smyrnae consenescit, honoratus ab omnibus Asiae ciuitatibus. Ouid. *ex Ponto Lib. I. eleg. 3. v. 6. sequ.* Cic. *de orat. Lib.* I. *cap.* 53. Valer. Max. *Lib.* VI. *cap.* 4. *ex.* 4. Vellei. Paterc. *Lib.* II. *cap.* 13.

* L. CAELIVM ANTIPATRVM ipse Pomponius *l.* 2. §. 40. *D. de orig. iur. plus eloquentiae, quam scientiae iuris, operae dedisse*, testatur: quamuis et de eius eloquentia non adeo magnifice sentiat Cicero *de orat. Lib.II. cap.* 13. Scripsit *annales* aliaque, quorum ossa, vt ita dicam, legit Wassius. De PAVLLO VIRGINIO veteres veluti ex compacto silent, nisi sit ille *A. Virginius*, (ex Aullo enim facile Paullus nasci potuit) cuius se amicitia delectari ait Laelius apud Ciceronem *de amicit. cap.* 27. SEX. POMPEIVS, Cn. Pompeii patruus, et Q. AELIVS TVBERO a iuris peritia quidem laudantur a Cicerone *in Brut. cap.* 47. *et de offic. Lib. I. cap.* 6. nec non a Gellio *Noct. Attic. Lib. I. cap.* 22. sed ita, vt Stoicos magis professi videantur, quam ICtos.

§. CXXXXII.

Rutilii Rufi scripta.

Praeter libros HISTORIARVM, DE VITA SVA, HANNIBALICORVM, et aliquot orationes, ex quibus scriptis, quae supersunt, fragmenta Wassius collegit, Rutilius Rufus etiam de iure quaedam elucubrauit, ex quibus quaedam proferuntur *l.* 10. §. 3. *D. de vsu et habit. l.* 3. §. 9. *D. de penu leg. l.* 1. §. 2. *D. de arb. caed.* Edicti ab eo in praetura praepositi mentio fit *l.* 1. §. 1. *D. de bon. libert.*

§. CXXXXIII.

C. Cornelius Maximus, et P. Licinius Crassus Mucianus.

C. CORNELIVS MAXIMVS solo Trebatio auditore, cuius ille formauit ingenium, celebris, nulla alia re sui memoriam ad posteritatem propagauit. Cic. *ad diuers. Lib.* VII. *epist.* 8. *et* 17. At tanto serenioris famae est P. LICINIVS CRASSVS, a patre naturali P. Mucio Scaeuola MVCIANVS, anno ab V. C. 612. in adoptionem P. Licinio Crasso datus. Per omnes honorum gradus anno ab V. C. 657. ad consulatum, et quadriennio post ad censuram adspirauit, in magistratibus fere omnibus, praeterquam in censura, collegam nactus Q. Mucium Scaeuolam. Denique et pontifex maximus decessit ex vehemente laterum dolore, quem sibi altercatione cum L. Philippo in senatu contraxerat. Cic. *de orator. Lib.* III. *cap.* 2. Auctor est Pomponius, *l.* 2. §. 40. *D. de orig. iur.* a Cicerone hunc Crassum dictum esse *ICtorum disertissimum* *). Fuit enim incredibili eloquentia, quamuis parum faueret rhetorum scholis, quos in censura sua, proposito edicto, vrbe exesse iusserat. Gell. *Noct. Att. Lib. XV. cap.* 11. *Sueton. de clar. rhetor. cap.* 1.

* Plerique

Source : BIU Cujas

* Plerique tamen id ideo vocant in dubium, quod Cicero eo elogio non semel ornet Q. Mucium Scaeuolam, veluti *de orat. Lib. I. cap. 39.* et in *Brut. cap. 39.* et 40. quum de Crasso tale nihil in eius operibus reperiamus. Rupertus *ad Enchirid. Pompon. Lib. III. cap. 6. pag. 183. sequ.* vt erroris absolvat Pomponium, elogium hoc a librariis alieno loco positum, in paragraphum sequentem transferri oportere statuit. Alii aliter rem expediunt. Sed quid prohibet, quo minus Cicero alicubi eamdem laudem attribuerit Crasso, Pomponiusque id elogium vere legerit in opere eius aliquo, nunc deperdito, quod nos hodie non legimus? Vid. Bynkershoekii *Praetermiss. ad d. l. 2. §. 40. D. de orig. iur. pag. 273. sequ. edit. nou.*

§. CXXXXIIII.

Paullo iunior fuit Q. MVCIVS SCAEVOLA, pontifex maximus, cum Q. Mucio Scaeuola, Augure, non confundendus. De eius eloquentia Ciceronis testimonia paullo ante vidimus. Eumdem Valer. Max. *Lib. VIII. cap. 12. legum clarissimum ac certissimum vatem*; Diodorus Siculus *in Excerpt. Peiresc. p. 405.* ἐπιφανέστατον τῶν Ρωμαίων, *Romanorum illustrissimum* adpellat. Eum fere in omnibus honoribus Crasso collegam fuisse diximus. Praecipuam vero laudem sibi gesto sanctissime Asiae proconsulatu peperit, adeo, vt eum prouinciales diuinis paene honoribus prosequerentur. Ascon. Paedian. *in Verr. II. cap. 21.* Denique in Mariano tumultu anno ab V. C. 666. C. Fimbriae scelere nefarie interemtus, maximum bonis omnibus sui desiderium reliquit. Cic. *de orat. Lib. III. cap. 3. Excerpt. Peiresc. pag. 410.* Appian. *de bello ciu. Lib. I. pag. 404.* Vellei. Paterc. *Histor. Lib. II. cap. 26.* Lucan. *Pharsal. Lib. II. v. 126. sequ.*

Q. Mucius Scaeuola pontifex max.

§. CXXXXV.

Multa huic Mucio Scaeuolae debet iuris prudentia, veluti CAVTIONEM MVCIANAM, aliaque eius generis plura, quae singulari commentario sub *iuris prudentiae Mucianae* titulo illustrauit Franc. Balduinus, recus. in *Tom. I. Iuris prudent. Rom. et Attic.* Mucii *liber* ΟΡΩΝ vel DEFINITIONVM antiquissimus est eorum, ex quo quaedam in Pandecten retulit Tribonianus, *l. 64. D. de adquir. rer. domin. l. 8. D. de aqua quotid. et aestiu. l. 241. D. de verb. signif. l. 73. D. de reg. iur.* * Libros etiam IVRIS CIVILIS duodeuiginti laudat Gell. *Noct. Attic. Lib. VII. cap. 15.* in eos vero notas scripserunt Pomponius, Laelius Felix, apud Gell. *Noct. Attic. Lib. XV. cap. 27.* Modestinus, *l. 53.* et *l. 54. D. de adquir. rer. dom.* et acerrimus aemulus Ser. Sulpicius, nostro tam parum aequus, vt eius stricturae non *Notae*, sed

Eius scripta.

Source : BIU Cujas

ſed repreheníſa Mucii capita adpellentur. *l.* 3. §. 6. *D. de penu leg.* Gell. *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 1.

* Mireris, quum hic liber ὁρῶν ſingularis adhuc Triboniani temporibus exſtiterit, fueritque eorum, quos illa aetas ſuperſtites habebat, antiquiſſimus, cur non plura, quam quatuor illa fragmenta ex iis in *Pandectas* retulerit Tribonianus. Enimuero eum vel ipſa huius ICti aetas, qua floruit, excuſat. Quis enim dubitet, quin pleraque, quae de ſui temporis iuris prudentia ſcripſerat Mucius, ſexto, quo Tribonianus vixit ſaeculo adeo vel ab vſu receſſerint, vel mutata ſint, vt locum amplius non habuerint in opere, quod ius eorum temporum, reciſis antiquis fabulis, ex Iuſtiniani inſtituto, complecti debebat? *Conſt. Deo auctore.* §. 7. *de concept. Dig. ad Tribonian.*

§. CXXXXVI.

C. Aquillius Gallus.

Progredimur ad C. AQVILLIVM GALLVM, cuius vitam ſingulari oratione illuſtrauimus *Francof. iuxta Viadr.* 1731. Patrem habuit M'. Aquillium Gallum, virum conſularem et triumphalem *. *Faſt. Capitolin. ad ann. ab V. C.* 652. Praeturam geſſit anno ab V. C. 687. collega inter alios M. Tullio Cicerone, inque ea illi quaeſtio de ambitu ſorte obuenit. Cic. *pro A. Cluent. cap.* 53. Conſulatum ob temporum perturbationem regnumque illud forenſe, teſte Cicerone *ad Attic. lib.* 1. *Epiſt.* 1. ne petere quidem voluit. Vixiſſe videtur ſaltim ad annum 708. quo eum adhuc *Gallum ſuum* vocat idem Cicero *ad diuerſ. Lib. IIII. epiſt.* 6.

* Celeberrima ab ipſa urbis origine fuit gens AQVILLIA, ex qua tamen et viri fato ſuo infeliciſſimi prodierunt. M. Aquillium IIIIvirum vel IIvirum potius ſacris faciundis, a Tarquinio rege ob euulgatas ſortes Sibyllinas inſui culleo iuſſum eſſe, tradit Dionyſ. Halicarn. *Antiquit. Lib. IIII. cap.* 70. Ἀκύλιον enim ibi legendum, pro Αἰύλιον, recte obſeruarunt viri doctiſſimi. Notum quoque eſt, quod, exacto Tarquinio ab Aquilliis adoleſcentibus coniurationis reis a L. Iunio Bruto, primo coſ. ſumtum eſt ſupplicium, de quo idem Dionyſ. Halic. *Lib. V. cap.* 7. Plutarch. *in Poplic. pag.* 98. Liu. *Lib. II. cap.* 4. In *Faſtis* celebrantur anno ab V. C. 266. C. *Aquillius Tuſcus*, anno ab V. C. 494. C. *Aquillius* M. F. C. N. anno 652. M'. *Aquillius Gallus*, conſules, at partim triumphis, partim ouatione inſignes. At poſtremus, cuius de rebus geſtis inſigne monimentum occurrit apud Gruter. *Inſcript. pag.* 15. *anno* 7. repetundarum poſtea poſtulatus, cicatricum oſtentatione euaſit. Denique legatus miſſus in Aſiam ad Mithridatem, bellumque ibi adminiſtrans anno ab V. C. 664. a Mitylenaeis hoſti traditur, a quo aſino circumuectus, omneſque cruciatus perpeſſus, infuſo demum in os auro liquefacto, miſere periit; Cic. *pro lege Manil. cap.* 5. Appian. *in Mithridatic. pag.* 184. Plin. *Hiſt. nat. Lib. XXXIII. cap.* 3. Arnob. *aduerſ. gent. Lib. I. pag.* 23. Et hunc ipſum ſane C. noſtri Aquillii patrem fuiſſe, veroſimile eſt. Bertrand. *de iuriſperit. Lib. II. cap.* 9. Ceterum ICti noſtri mentio

Source : BIU Cujas

mentio fieri videtur in marmore apud Gruter. *Inscript. pag. 652. num. 6.*

L. AQVILLIVS
IVRECONSVLTI L.
GEMELLVS
SEXTIA Q. L. FLORA
L. AQVILLIVS L. L.
RVFIO.

Vbi sane non laudatur *Aquillius Florus*, ICtus, vti coniecit Vrsinus *in Not. ad Cicer. Philipp. II.* sed L. Aquillius Gemellus, ICti libertus.

§. CXXXXVII.

Eius studium iuridicum.

Iuuenis Q. Mucium Scaeuolam, pontificem maximum audivit, et *inter condiscipulos*, quorum in numero L. Lucillius Balbus, Sex. Papirius, Iuuentius, quin et M. Tullius Cicero et Atticus fuerunt, Cic. *de legib. Lib. I. cap. 4. maximae auctoritatis apud populum fuit. l. 2. §. 42. D. de orig. iur.* Postea mira dexteritate de iure respondit, Cic. *pro A. Caecin. cap. 27.* multasque cautiones et formulas, ad iuris prudentiam potissimum heurematicam pertinentes, quin et noua quaedam iuris interpretamenta, inuenit, veluti stipulationem Aquillianam, *§. 2. Inst. quib. mod. obl. toll.* formulam doli mali, Cic. *de nat. deor. Lib. III. cap. 30. de offic. Lib. III. cap. 14. l. 1. §. 1. D. de dol. mal.* postumos Aquillianos, *l. 29. pr. D. de liber. et postum. hered. instit.* ius accrescendi, *l. 74. D. de hered. instit.* ius postumi ad patrui hereditatem admittendi, *l. 127. D. de legat. 1.* et similia. *

* Absonum vero est, quod statuit Ian. Vinc. Grauina *de orig. iur. ciu. §. LX. pag. 59.* ICto nostro deberi LEGEM AQVILLIAM, quippe quam supra non modo ante Ciceronis, sed et ante Bruti tempora exstitisse nouimus (§. 87. *). At non magis solidum est Franc. Balduini iudicium, qui ne ex gente quidem Aquillia, ex qua ICtus noster prodierit, legis Aquilliae auctorem prodire potuisse existimat, quia gens haec patricia, legis vero Aquilliae lator tribunus plebis fuerit. Balduin. *de lege Aquill. pag. 249. sequ. Tom. I. iuris prud. Rom. et Attic.* Sane nec ICtum nostrum patricium fuisse adeo certum: nec admodum nouum est, eamdem gentem patricias plebeiasque habuisse familias.

§. CXXXXVIII.

Eiusdem scripta.

Pomponius auctor est, C. Aquillium magnam anni partem in *Cercinna*, Africae insula, siue, vt Muretus, Mornacius, Corasius, et Rupertus malunt, *Caecinae*, Hetruriae oppido, exegisse, ibique et auditoribus, et libris scribendis vacasse. *l. 2. §. 42. D. de orig. iur.* Sed librorum eius ne tituli quidem hodie noti sunt, * iisque multum nocuisse videtur Ser. Sulpicii diligentia, qui, quum plerasque et Aquillii et aliorum Mucii audito-

Source : BIU Cujas

ditorum sententias in libros suos transtulisset, eo ipso effecerat, vt ipsi fontes minus aestimarentur. *d. l.* 2. §. 42.

* Auctoritate tamen C. Aquillii, dissimulatis librorum titulis, vtuntur Dionys. Halicarn. *Antiquit. Rom. Lib. III. cap.* 91. Labeo *l.* 29. §. 1. *D. de legat.* 3. Priscus Iauolenus, *l.* 39. *pr. D. de statulib.* Africanus, *l.* 33. §. 1. *D. de vulg. et pupill. substit.* Vlpianus, *l.* 6. §. 2. *D. si ser. vindic. l.* 17. §. 6. *D. de act. emt. l.* 30. *D. de legat.* 1. *l.* 7. §. 4. *D. quod vi aut clam*, Iulius Paullus, *l.* 127. *D. de legat.* 1. *l.* 32. §. 1. *D. de aur. arg. l.* 77. *D. de verb. signif.* Ceruidius Scaeuola, *l.* 29. *pr. D. de lib. et posthum.* Licinius Rufus, *l.* 74. *D. de hered. inst.* denique Florentinus, *l.* 18. *D. de acceptilat.*

§. CXXXXVIIII.

L. Lucillius Balbus, Sex. Papirius, C. Iuventius, M. Tullius Cicero.

Sequuntur reliqui Q. Mucii auditores, veluti L. LVCILLIVS BALBVS, SEX. PAPIRIVS, et C. IVVENTIVS, quibus et M. TVLLIVM CICERONEM adderem, si, quod alicubi minatus est, ICtum vmquam profiteri voluisset *. Attamen eos omnes Aquillio nulla ex parte fuisse comparandos, nec eorum opera inter hominum manus versata esse, haud obscure fatetur Pomponius, *l.* 2. §. 42. *D. de orig. iur.* LVCILLIVS BALBVS, philosophiae Stoicae, teste Cicerone *de orat. Lib. I. cap.* 6. addictissimus, in respondendo paullo tardior fuit. Cic. *in Brut. cap.* 42. De SEX. vero PAPIRIO et C. IVVENTIO nihil ex antiquitate compertum habemus, nisi ad posteriorem referre velis, quae de T. IVVENTIO refert Cicero *in Brut. cap.* 48.

* Notum est CICERONEM non expertem fuisse iuris prudentiae. Non modo Q. Mucium audiuerat, sed et tantum fiduciae ponebat in scientia sua, vt *in orat. pro Muraen. cap.* 13. scribere non vereretur: *si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moueritis, triduo me ICtum esse profitebor.* Quin librum eius DE IVRE CIVILI IN ARTEM REDIGENDO, qui hodie non exstat, laudat Gellius *Noct. Attic. Lib. I. cap.* 22. ex eoque satis patet, eum de conficiendo systemate iuris cogitasse. At quum ICtum se numquam sit professus, neque vel de iure respondisse, vel docendo scribendoque illustrasse legatur iuris prudentiam: facile patet, cur tam parum eruditis conueniat de Ciceronis iuris prudentia. Vid. Ant. Schultingii *Orat. de iuris prud. Ciceronis*, et Bynkersh. *Praetermiss. pag.* 284. *seqq. edit. noui.*

§. CL.

Ser. Sulpicii studium iuridicum.

Sed omnibus ante se ICtis veluti caliginem induxit SER. SVLPICIVS, *Lemonia* RVFVS, cuius vitam singulari oratione, Vltraiecti habita, posteaque in iusti libri formam redacta, et *Tomo V. Thesauri iur. ciuil.* inserta illustrauit Eu. Otto. An obiurgatione Q. Mucii veluti a puluere et radio excitatus animum

Source : BIU Cujas

mum ad iuris prudentiam adpulerit, ceu refert Pomponius *l.* 2. §. 43. *D. de orig. iur.* non adeo expeditum est, nec temporis id admittere videntur rationes *. Certius est, C. Aquillio Gallo et L. Lucillio Balbo illum nauasse operam, Cic. in *Brut. cap.* 42. *d. l.* 2. §. 43. ab iisque tantum profeciſſe, vt *iuris ciuilis magnum vsum et apud Scaeuolam, et apud alios, artem in vno Sulpicio fuisse*, iudicet Cicero *in Brut. cap.* 41.

* Dubiam hanc narrationem primus reddidit Ant. Augustinus, *Not. ad librum de nomin. propr. Pandect. pag.* 214. partim quod Tullii et Seruii adolescentia vetent, quo minus eos, viuo Q. Mucio Scaeuola, primum locum in cauſſis orandis tenuisse dicamus: partim quod Seruius demum ex Rhodo reuersus, id est, anno V. C. 676. quum iam ante quinquennium occisus esset Scaeuola, ad iuris prudentiam adiecerit animum, adeoque obiurgatione Mucii ad id studium excitari non potuerit. Vid. *Eu. Otton. Vit. Ser. Sulpicii, cap.* 4. *pag.* 1573. *seqq. Tom. V. Thesaur. iur. ciuil.*

§. CLI.

Honores omnes gessit ad consulatum vsque, quem, repulsam antea passus competitore L. Muraena, demum anno ab V. C. 703. collega M. Marcello gessit. Inter ciuiles tumultus adeo semper pacis et ocii auctor fuerat, vt Caesaris victoris retineret gratiam, eiusque beneficio Achaiam prouinciam regeret. Cic. *ad diuers. Lib. IIII. epist.* 3. *et* 4. *Lib. XIII. epist.* 26. Oborta post Caesaris caedem noua tempestate, pacis conciliandae cauſſa legatus ad Antonium missus, in legatione illa deceſſit anno V. C. 710. statua aenea pedestri ex SCto honoratus. Cic. *Philipp. VIIII. cap.* 7. Reines. *Inscript. Class. VII. num.* 30. Eius honores.

§. CLII.

Libros eum prope centum et octoginta reliquisse auctor est Pomponius. Inter hos sunt REPREHENSA SCAEVOLAE CAPITA, de quibus iam supra (§. 145.): liber singularis DE DOTIBVS, laudatus a Gellio *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 3. *et* 4. et a Neratio, *l.* 8. *D. de condict. causs. dat.* Eiusdem libros duos, siue DE TESTAMENTIS, siue, vt alii malunt, DE DETESTANDIS SACRIS citat idem Gellius *Noct. Attic. Lib. VI. cap.* 12. Meminimus etiam supra librorum duorum EDICTI AD BRVTVM (§. 74.) Reliqua, quae scripsit, videntur ex parte ad amoeniores litteras pertinuisse *, quippe *quarum maximam quasi lucem ad artem hanc, omnium artium maximam, attulisse*, dicitur Ciceroni *in Brut. cap.* 41. Scripta eiusdem.

* Eidem

* Eidem Seruio Vdalr. Zasius tribuit librum *de claris* ICtis ex male intellecta *l.* 2. §. 42. *D. de orig. iur.* Steph. Vin. Pigh. *Annal. Rom. Lib. IIII. ad ann.* 387. ab eodem elucubrata esse contendit *Commentaria in Edictum aedilicium*, ex male accepto loco Gellii *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 2. Denique eum *ad Alfenum Varum* notasse, obseruasse sibi visus est Perennon. *Animaduers. Lib. II. cap.* 23. ex *l.* 65. §. 8. *D. pro soc. l.* 67. *D. de solut. l.* 77. *D. de verb. signif.* Sed allucinatos esse hos omnes, solide demonstrauit Eu. Otto *in Vita Ser. Sulpicii, cap.* 7. §. 7. *pag.* 1608. et *cap.* 8. §. 6. *pag.* 1614. *sequ. Tom. V. Thesaur. iur. ciuil.*

§. CLIII.

Ser. Sulpicii auditores.

Sequitur apud Pomponium magna ICtorum turba, quae ex Ser. Sulpicii schola, tamquam ex equo Troiano, exiit: sed in illa pauci famam sibi eximia quadam iuris peritia pepererunt: velvti ALFENVS VARVS et CAIVS AVLVS OFILIVS *. Minoris contra existimationis et obscurioris famae sunt, TI. CAESIVS, AVFIDIVS TVCCA, AVFIDIVS NAMVSA, FLAVIVS PRISCVS, C. ATEIVS, PACVVIVS, LABEO ANTISTIVS, Labeonis Antistii pater, CINNA, PVBLICIVS GELLIVS. *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.* Sed quum horum plerique ipsius Augusti aetatem videantur attigisse: de iis ad proxime sequentem iuris prudentiae epocham erit dicendum.

* In quibusdam editionibus CAIVS et A. OFILIVS, tamquam duo diuersi ICti, distinguuntur. At quum decem a Pomponio numerentur Ser. Sulpicii auditores, et distincte numerato *Caio*, vndecim prodirent: verosimillimum est, vnum eumdemque hominem fuisse *C. Aulum Ofilium.* Est haec obseruatio Ant. Augustini *Not. ad nom. propr. Pand. pag.* 217. et Bynkersh. *Praetermiss. ad l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur. pag.* 278. *edit. nou.*

§. CLIIII.

Studia Romanorum iuuenilia.

Antequam huic capiti finem imponamus, paucis, qualis tum ordo ratioque studiorum iuridicorum fuerit, videtur exponendum. A bellorum Punicorum temporibus, quibus primum Roma elegantioribus litteris optimarumque artium studiis honorem habere coepit, adolescentes primos annos dabant Graecis litteris, adeoque grammaticos, rhetores, philosophos audiebant. Cic. *in Brut. cap.* 90. *de offic. Lib. I. cap.* 1. Sueton. *de clar. rhet. cap.* 1. *et* 2. Hinc, sumta virili toga, sese ad forensem praeparabant eloquentiam, et a viro quodam illustri in forum deducebantur *: aliquando et Athenas, Rhodum, Mitylenen, vel Massiliam studiorum caussa secedebant, ne vrbanis distraherentur negotiis. Cic. in *Brut. cap.* 91. *ad diuers. Lib. IIII. epist.* 7. et *Lib.*

Source : BIU Cujas

Lib. VII. epist. 3. Vellei. Paterc. *Lib. II. cap.* 59. Tacit. *Agric. cap.* 4. Quin, si vel maxime stipendia facerent, ne in castris quidem sese ab honestioribus studiis diuelli patiebantur. Vellei. Paterc. *Lib. I. cap.* 13. Sueton. *Caes. cap.* 56. *August. cap.* 84. Plin. *Epistol. Lib. I. epist.* 10. *et Lib. III. epist.* 11.

* Fiebat hic non sine sollemnitate, et vt deducendi in forum officium frequens haberent tirones, dies potissimum eligebatur togae purae dandae, simul aduocabatur clientium turba, quae adolescentem frequens comitaretur. Et ita intelligendus Ouid. *Lib. III. Fastor. v.* 787.

Ergo vt tironem celebrare frequentia posset;
Visa dies dandae non aliena togae.

Vid. Io. Frid. Gronou. *Obseru. Lib. II. cap.* 21. *pag.* 398. *sequ.*

§. CLV.

ICti plerique Stoici.

Qui se consecrauerant iuris prudentiae, id in primis dabant operam, ne illotis manibus, id est, a philosophiae destituti praesidiis, haec sacra attingerent. Et quidem quum alias plures essent, quae philosophorum animos distrahebant, sectae: ICti Stoicam reliquis tantum non omnibus antehabebant, quippe quam turbidos et negotiorum adpetentiores efficere homines existimabant. Tacit. *Annal. Lib. XIIII. cap.* 57. Hinc non mirum, philosophiam Stoicam *summam sapientiam* dici a ICto, *l.* 2. *D. de legib.* siquidem eam ICtis prae reliquis sectis in deliciis fuisse, obseruauit Cuiac. *Obseruat. Lib. XXVI. cap.* 40. ex instituto demonstrarunt Em. Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 8. *sequ.* Schilter. *Manuduct. philos. mor. ad iuris prud. cap.* 1. §. 5. *sequ.* et Otto *singulari orat. de Stoica ICtor. philosophia.* *

* In ea oratione, quae *Dissertationum iuris publici et priuati Parti I. pag.* 562. inserta est, Paganini Gaudentii dissertationem *de philosophia apud Romanos* refellit, vbi *cap.* 43. falli eos omnes existimat, qui iuris prudentes e Stoa sapuisse credant. Contra illum ergo magna facundia initio ostendit, primos quosque et maximos Romanorum philosophos e porticu prodiisse: deinde non aliam magis, quam Stoicam disciplinam ICtorum studiis fuisse accommodatam: denique plerorumque horum responsa Stoicae familiae placitis respondere.

§. CLVI.

Methodus docendi iura.

Ab his porro instructi praesidiis ICto cuidam celebriori sese adiungebant. Vbi tamen non existimandum, hos ita scholas aperuisse iuridicas, vt auditores, positis subselliis e cathedra docerent iuris prudentiae principia: (tales enim scholas a saeculo demum tertio Romae, Constantinopoli, et Beryti floruisse nouimus):

Source : BIU Cujas

vimus): sed viri illustres in respondendo, cauendo, agendo, exercitati, domi aeque ac in foro admittebant cupidos discendi adolescentes, vt, quid responderent, quas cautiones, actiones, exceptiones, interdicta, in quauis caussa commendarent, quibus rationibus consilia sua firmarent, audirent coram, eaque sibi omnia in futuros vsus enotarent *. Cicero *in Brut. cap.* 89. et *in Orator. cap.* 41.

* Hinc est, quod ICtorum discipuli vulgo vocetur AVDITORES. Proprium sane id vocabulum fuisse ICtorum discipulis, obseruauit Cuiac. *Obseruat. Lib. XXVII. cap.* 4. Quamvis enim M. Seneca *Controu. Lib. IIII.* scribat, id nomen primum in Porcii Latronis schola esse natum, ejusque discipulos ideo irrisionis caussa dictos esse AVDITORES, quod semper audiverint, neque vmquam ipsi dicendo inclarescere studuerint, postea vero id vocabulum in vsu esse, et promiscue pro discipulo *auditorem* poni coepisse, referat: illum tamen, nisi de oratoriae studiosis est loquutus, procul dubio fugit ratio. Vt enim de philosophorum *auditoribus* iam nihil dicam, quorum meminit Cicero *de nat. deor. Lib. I. cap.* 15. *de finib. Lib. V. cap.* 19. *de diuinat. Lib. II. cap.* 42. ante Augusti tempora, quibus Porcius Latro, teste Eusebio *in Chron. num.* 2013. floruit, in iure nostro celebrantur MVCII AVDITORES, *inter quos praecipuae auctoritatis fuerint Aquillius Gallus, Balbus Lucillus, Sex. Papirius, C. Iuuentius. l.* 2. §. 42. *D. de orig. iur.* nec non Alfenus Varus, et Caius Aulus Aufidius, *qui inter* SER. SVLPICII AVDITORES *plurimum auctoritatis habuerunt: l.* 2. §. 44. *D. eod. l.* 6. §. 1. *D. de dote praeleg. l.* 1. §. 6. *D. de aqu. et aqu. pluu. arc. l.* 22. *pr. D. de instr. et instrum. leg.* item Trebatius CORNELII MAXIMI AVDITOR, Q. Mucius VOLVSII AVDITOR, *l.* 2. §. 45. *D. eod.* Antistius Labeo, *qui omnes hos* AVDIVIT, *l.* 2. §. 47. *D. eod.* Masurius Sabinus, *qui, quum ei non adeo amplae essent facultates, plurimum a suis* AVDITORIBVS *sustentatus est. l.* 2. §. 47. *D. eod.* Vt adeo in scholis iuridicis potius, quam rhetoricis, natum videatur hoc AVDITORVM vocabulum.

§. CLVII.

Vnicuique erat facultas de iure respondendi.

Ita denique perpolitos exercitatosque iuuenes nihil prohibebat, quo minus respondendi de iure facerent periculum, simul ac studiorum haberent fiduciam, neque adhuc ea respondendi facultas a senatu populoque impetranda videbatur. *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* Professi vero ICtos et in foro obambulabant, vt consulturis esset sui copia, et si eximia quaedam prudentiae consultatoriae specimina dedissent, limina sua sub ipsum galli cantum obsideri videbant a clientibus, quibus ipsi responsa ex solio, tamquam ex tripode, oracula fundebant *. Cic. *de legib. Lib. I. cap.* 3. *de orat. Lib. I. cap.* 45. Horat. *Serm. Lib. I. ecl.* 1. *v.* 9. *sequ.* et *Epistol. Lib. II. epist.* 1. *v.* 103.

* Neque

Source : BIU Cujas

* Neque tamen tunc in scriptis respondebant, vel, vti sub imperatoribus mos erat, *rescribebant*: sed viua voce monebant, quid factu opus esset, et hinc eos cum testibus fere adibant consultores. Menag. *Amoen. iur. ciuil. cap.* 20. Ceterum et quoties de iure ambigebant, adibant ICtos, et quoties vel testamentum condere, vel cautionis libellum scribere, vel sponsionem facere decreuerant: Arrian. *Diss. Epictet. II. cap.* 13. *pag.* 180. immo et si filias elocare, fundos emere, agros rite colere vellent, ceu supra (§. 138.) exemplo Marci Manilii ostendimus. Cic. *de orat. Lib. III. cap.* 33. Qui tamen artis suae fines regebant adcuratius, ii illos, a quibus de facto consulebantur, ad oratores remittebant. De C. Aquillio sane Cicero *Topic. ad Trebat. cap.* 12. *nihil hoc ad ius: ad Ciceronem, inquiebat Gallus noster, si quis ad eum tale quid retulerat, vt de facto quaereretur.*

§. CLVIII.

At istorum responsorum tum nondum erat tanta auctoritas, vt vel iudices obstringerent, vel dicendo non saepe euerterentur ab oratoribus. Cic. *pro Muraen. cap.* 13. *et pro A. Caecin. cap.* 24. Hinc nec rationes decidendi addebant responsis suis, Sen. *Epist.* 94. nec ea signabant, quippe viua tantum voce prolata (§. 157. *) *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* Quae omnia aliter se coeperunt habere, ex quo certis tantum iuris prudentibus facultas ab Augusto data de iure respondendi, impositaque est iudicibus necessitas, vt non recederent ab eorum sententiis. Qua de re infra erit plura dicendi locus. Nec tamen eorum responsa iudices obligabant.

CAPVT IIII.

DE STATV IVRIS ROMANI A CAESARE AVGVSTO AD CONSTANTINVM M. IMP.

§. CLVIIII.

RES publica Romana, nec sub C. IVLII CAESARIS dictatura, quam non admodum diuturnam fuisse notum est, nec statim eo interfecto, nouam monarchiae faciem induit: sed anno demum ab V. C. 722. Caesare Octauiano IIII. et M. Licinio Crasso, coss. * Tunc enim *postquam Bruto et Cassio caesis, nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus dux, nisi Caesar, reliquus: hic, posito triumuiri nomine, consulem se* Epochae huius initium.

Source : BIU Cujas

ferens, et ad tuendam plebem tribunicio iure contentum, vbi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocii pellexit, insurgere paullatim, munia Senatus, magistratuum, legum, in se trahere coepit, nullo aduersante. Tacit. *Annal. Lib. I. cap.* 1.

* Equidem ipse Tacitus *Annal. Lib. III. cap.* 28. Augustum *sexto demum consulatu, potentiae securum, quae triumviratu iusserit, aboleuisse*, obseruat; is vero incidit in annum ab V. C. 726. Et sane eo anno imperium, rogatu senatus, suscepit, prouincias cum eo partitus est, Augusti nomen tulit, legibus solutus est, adeoque paullo liberius principem egit, ceu Dio Cass. *toto Lib. LIII. pag.* 495. *sequ.* adcuratius prodidit memoriae. At quemadmodum non semel et simul ad ἀκμὴν peruenire solent noua imperia: ita quadriennio illo, quod inter quartum sextumque Augusti consulatum interceßit, magis magisque eum rem suam stabiliuisse, votique sui demum sub sexto consulatu participem factum esse facile crediderim. Ante id quadriennium triumuiratum viguisse, omniaque suo arbitrio egisse Augustum, Antonium et Lepidum, in vulgus notum est. Quàm misera vero tum fuerit publici priuatique iuris conditio, elegante dissertatione, quam *singularia capita ex historia triumuiratus* inscripsit, ostendit Io. Guil. Hoffmannus, *Francof. iuxta Viadr.* 1733. 4.

§. CLX.

Augustus de immutando iure cogitauit.

Quum vero hoc tempus aliam vitam, alios mores postulare videretur; neque omnes antiquae leges nouo statui monarchico conuenirent: fieri profecto non poterat, quin AVGVSTVS, princeps πολιτικώτατος, de iure Romano, ad illum reipublicae statum paullatim inflectendo, cum cura cogitaret, vel, vt eleganter rem exprimit Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 28. *iura daret, quibus pace, et principe vterentur.* *

* Ceperat iam id consilii C. IVLIVS CAESAR, quem *ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia optima quaeque ac necessaria in paucissimos conferre libros voluisse*, testatur Sueton. *Caes. cap.* 44. Sed conatum illum irritum reddiderunt Caesaris fata. Iterum ergo idem egit AVGVSTVS, sed minus aperte, ne quid populo suboleret. Quare recte hinc nouam iuris prudentiae periodum inchoat Pomponius; *quando per partes euenerat, vt necesse esset rei publicae per vnum consuli*, l. 2. §. 11. D. *de orig. iur.* quae verba subtiliter interpretatur Rupert. *ad Pompon. Enchirid. Lib. I. cap.* 12. *pag.* 87. *sequ.*

§. CLXI.

Id tamen fecit occultius.

Quandoquidem vero regiae potestatis adfectatio male cesserat C. IVLIO CAESARI, qui cruento interitu suo documento fuerat posteris, quam infidum sit vi et armis occupatum in libera ciuitate imperium: AVGVSTVS, princeps prudentissimus, cau-

Source : BIU Cujas

cautius componebat rationes suas, regioque ita vtebatur imperio, vt vulgus, regnari se, non animaduerteret, tot pristinae libertatis simulacris quotidie deluſum. Hinc Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 519. τά τε ἄλλα, καὶ τοῦτο ὡς ἐλευθέροις Ρωμαίοις προσεφέρετο· *Cum in* aliis plerisque, *tum in hoc quoque cum Romanis, tamquam cum hominibus liberis, agebat.* Add. *Praefat. noſtr. Commentar. in leg. Iul. et Papiam Popp. praemiſſ.*

§. CLXII.

Eadem ergo in speciem senatus, quae olim, auctoritas: eadem magistratuum vocabula: eadem potestatum insignia. Procedebant, sicuti libera re publica *consules*, eumque honorem ipse Augustus non semel suscipiebat. Erant in vrbe, non secus ac olim, *praetores*, *aediles*, *tribuni plebis*, *quaestores*, *XXuiri*, vt plebi plane vetus res publica ob oculos versaretur. At pleraque ac potiora eorum magistratuum munia in se traxerat princeps, vt vere scripserit Tacitus *Annal. Lib. I. cap.* 4. *eadem fuisse magistratuum vocabula, nihil vsquam prisci atque integri moris.* * Eadem magistratuum vocabula, nihil prisci atque integri moris.

* Communis erat principi cum priuatis consulatus honor, sed ita, vt hi illum acciperent ὡς ἄθλον καὶ γέρας ἀρετῆς ἢ πίστεως ἢ πρὸς εὐνοίας καὶ ὑπηρεσίας τῆς τοῦ τῶν ὅλων ἄρχοντος, ἢ πράξεως λαμπρᾶς, *tamquam praemium ac mercedem virtutis aut fidei beneuolentiaeque erga principes, rerumque praeclare gestarum;* Illi vero πρὸς οἷς ἴσχυσιν ἀγαθοῖς ἄγαλμα καὶ κόσμον, *tamquam accessionem bonorum, quae iam possiderent.* Iulian. *Orat. III. pag.* 201. Tituli porro ipsi, quos admittebat Augustus, nihil, quod monarchiam redoleret, in se habere videbantur. Vocabulum PRINCIPIS, *quo nomine cuncta discordiis fessa sub imperium acceperat*, teste Tacito *Annal. Lib. I. cap.* 1. libera etiam re publica non inauditum fuerat, quum singulis lustris PRINCEPS SENATVS legeretur. Hinc de Tiberio Dio Cass. *Libr. LVII. pag.* 607. πρόκριτός τε τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ὠνομάζετο: *princeps autem Senatus ritu prisco dicebatur.* Eadem erat ratio titulorum IMPERATORIS, PONTIFICIS MAX. TRIBVNICIAE POTESTATIS, PROCONSVLIS, quibus omnes Romanorum aures iam pridem adsueuerant. Ezech. Spanhem. *de vsu et praest. numism. Tom. II. pag.* 392. *sequ. p.* 413. *sequ. p.* 424. *sequ. p.* 463. *sequ.* Et tamen e. g. tribunicia illa potestas erat *summi fastigii vocabulum, quod Augustus repererat, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret, et tamen adpellatione aliqua cetera imperia praemineret.* Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 56. Sed et reliquis adsumtis vocabulis, rebus ipse omnibus solus praerat; et quidquid collibitum esset, sanciebat liberrime, vti iam obseruavit Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 594.

§. CLXIII.

Quin vt ciues mutatam esse rem publicam, eo minus animaduerterent: prudenter initio Augustus non constitutionibus Leges veteri ritu latae.

Source : BIU Cujas

iura noua condebat, sed laturus leges populum mittebat in suffragia, vt quod populus per centurias vel tributim sciuisset, id pro lege esset. Auctor illi fuerat Maecenas apud Dion. Cass. *Lib. III. pag.* 477. vt ita instrueret scenam, ne populus protinus immutari statum reipublicae sentiret *. Cuius consilio obsequutus Augustus, ὃ μέν τοι πάντα ἐθελογνωμόνων ἐνομοθέτει, ἀλλ' ἤ, ἃ καὶ ἐς τὸ δημόσιον προετίθει, ὅπως ἄν τι μὴ ἀρέσει, ἐπανορθώσῃ, καὶ προεῤῥέπετο πάντας συμβουλεύειν αὐτῷ εἴ τι ἄμεινον γνοίη αὐτῷ, *non omnia suo arbitrio sanciebat, sed plura etiam populo promulgabat, vt is, si quid minus placeret, emendaret, hortatus omnes, vt, si quid melius haberent, consulerent in medium.* Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 585. Zonar. *Annal. Tomo I. Lib. X. pag.* 533.

* Equidem idem Maecenas *ibid. pag.* 484. Augusto suaserat, ἐᾶν τὸν δῆμον ἔστε ἐς δικαστήριον, ἔστε ἐς ἀρχαιρεσίας, ἔστε ἐς ἄλλον τινὰ τοιοῦτον σύλλογον, ἐν ᾧ τι καὶ χρηματοδῆναι δεῖ συνιέναι χρῆναι, *populo non concedendum, vt ad iudicia, comitia, aliaue huius modi concilia conueniret.* Sed fuit id consilium inter illa, quae Augustus, teste eodem Dione Cassio *pag.* 493. in aliud tempus distulit, βοφηθεὶς μὴ καὶ σφαλῇ τι ἀθρόως μεταῤῥυθμίσαι τοὺς ἀνθρώπους ἐθελήσας, *veritus, ne si subito homines in alium deducere statum cuperet, res ea sibi parum esset successura.*

§. CLXIIII.

Leges Iulia et Titia, et Iulia de adulteriis.

Hoc vetere ritu iam anno ab V. C. 722. *Caesare Aug. III.* et ex Kal. Maiis *M. Titio Rufo* coss. lata est LEX IVLIA et TITIA *, cautumque, *vt, quemadmodum in vrbe a praetore cum maiore parte tribunorum plebis; ita in prouinciis a praesidibus pupillis tutores darentur. pr. Inst. de Atil. tut.* Henr. Vales. *ad Excerpt. Peiresc. pag.* 61. Anno V. C. 737. *C. Furnio* et *C. Iunio Silano* coss. lata lex IVLIA *de adulteriis*, ex rationibus Io. Guil. Hoffmanni *de lege Iul. de adult. cap.* 2. *pag.* 50. *sequ.* et quidem *ex rostris, et in foro*, vti refert Seneca *de benefic. Lib. VI. cap.* 32.

* Deseruit nuper Henr. Valesii sententiam Aug. Christ. Marchius edita singulari *dissertatione de tutoribus ex lege Iulia et Titia datis, Lipsi.* 1736, 4. Potius non vnam esse legem statuit, sed duas, quarum *Titia* antiquior, lata sit anno ab V. C. vel 488. vel 526. siue a C. *Titio*, siue a *Q. Titio*, tribunis plebis: *Iulia* contra a Caesare Augusto anno 726. Et sunt sane eius argumenta non nullius momenti. Vrget enim testimonium Theophili *Paraphr. pr. Inst. de Atil. tut.* vbi diserte memorat β. νόμους, Ἰούλιον καὶ Τιτιανόν, *duas leges, Iuliam et Titiam.* Vrget copulam ET, quae interiici non soleat inter collegarum nomina, a quibus lex aliqua cognominetur. Enimuero quemadmodum non adeo classicum videtur Theophili de re tam antiqua testimo-

Source : BIU Cujas

monium: ita exemplo non caret copulatiua ET, etiam vnius legis auctorum nominibus interiecta. Quod vt vno probem exemplo, notissima est LEX LICINIA ET MVCIA, constanter ita vocata a Cicerone *pro Balb. cap. 21. in Brut. cap. 16.* et in fragmentis *orationis pro C. Cornelio, perduellionis reo.*

§. CLXV.

Lex Quinctia de aquaeductibus.

Porro anno V. C. 745. *T. Quinctio Crispino* et *Caesare Germ.* coss. insignis perlata est LEX QVINCTIA * *de poenis eorum, qui riuos, fistulas, castella, lacus aquarum publicarum violarint, vel corruperint.* Quod integrum exstat apud Frontin. *de aquaeduct. art.* 129. *pag.* 218. *seqq. edit. Polen.* et Reines. *Inscript. Class. VII. num.* 10.

* Reinesius id vocat PLEBISCITVM, eoque vocabulo et ipsi in prima editione vsi sumus. Sed ipsa verba initialia: T. QVINTIVS CRISPINVS COS. POPVLVM IVRE ROGAVIT, POPVLVSQ. IVRE SCIVIT IN FORO PRO ROSTRIS satis ostendunt, esse hanc legem potius, quam plebiscitum, quippe cui definitio legis §. 4. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* perfecte quadrat. Equidem sub Augusto, vel potius sub triumuiratu, anno ab V. C. 714. *Cn. Domitio* M. F. *Caluino* et C. *Asinio Pollione* coss. rogatum est plebiscitum, quod LEGIS FALCIDIAE nomine venit, eaque cautum, *vt ne liceat vltra dodrantem hereditatis legatis exhaurire. l. 1. pr. D. ad leg. Falcid.* Dio Cass. *Lib. XXXXVIII. pag.* 377. Sed id plebiscitum, quod Franc. Balduinus singulari libello illustrauit, non tam ad hanc, quam superiorem epocham pertinet.

§. CLXVI.

Leges Fusia Caninia, Aelia Sentia, Iulia de maritandis ordinibus, et Papia Poppaea.

Sic et anno 752. lata videtur LEX FVSIA CANINIA *de numero seruorum testamento manumittendorum*, quam adcuratius describunt Vlpian. *Fragm. tit. 1. §. 24.* Paull. *Sent. recept. Lib. IIII. tit.* 14. et Cai. *Instit. Lib. II. tit.* 291. Eam sane hoc anno latam esse, non inepte coniicit Ephr. Gerardus *de lege Fusia Caninia §. 7. *.* Certius est, anno 756. *Sex. Aelio Cato* et *C. Sentio Saturnino* coss. latam esse LEGEM AELIAM SENTIAM de manumissionibus et conditione manumissorum, cuius varia capita ex antiquitatis parietinis eruta dedimus *in Antiqu. Rom. Lib. I. tit. 6. §. 1. seqq.* Eiusdem aetatis est LEX IVLIA *de maritandis ordinibus*, eleganter Horatio lex marita dicta, de qua nos in *Comment. ad leg. Iuliam et Papiam Popp. Lib. I. §. 3. pag.* 48. Haec seuerius emendata et perlata a. V. C. 762. *M. Papio Mutilo* et *Q. Poppaeo Sabino* coss. suffectis LEGE PAPIA POPPAEA *nuptiali et caducaria*, de qua nos eodem *Commentario* egimus adcuratius.

Source : BIU Cujas

* Obscura est huius legis aetas, nisi quod eam sub Augusto latam esse, constat ex Sueton. *Aug. cap.* 40. Iam anno 752. consules ordinarii fuerunt *Caesar Octauianus Aug. XIII.* et *M. Plautius Siluanus.* Atqui eodem anno ex Kal. Iul. suffectus fuit *C. Caninius Gallus*, et Kal. Octob. consules memorantur *L. Caninius Gallus* et *Q. Fabricius* in *Marmore Ancyr. pag.* 62. edit. Iac. Gron. *in Mem. Cossin.* Reines. *Epist. ad Hoffm. pag.* 415. Noris. in *Cenotaph. Pisan. pag.* 180. *et* 183. Quum ergo, quis Caesari Augusto ex Kal. Iuliis fuerit suffectus, non constet: non sine verosimilitudinis specie colligunt, C. Caninio Gallo collegam datum esse M. Furium Camillum, qui et anno 761. cum Sex Nonio Quinctiliano consul fuit, teste Dione Cass. *Lib. LV. pag.* 570.

§. CLXVII.

Leges Iulia de caede et veneficio, Scribonia, Visellia, et Iunia Velleia.

Eiusdem fere aetatis fuit LEX IVLIA *de caede et veneficio*, cuius meminit Sueton. *Neron. cap.* 33. vbi conferri meretur Schubart. *de fatis iuris prud. Rom. Exerc. III. §.* 52. *pag.* 595. *sequ.* Hermannus Noordkerkius *Disquisit. de lege Petron. pag.* 89. eorumdem etiam temporum esse putat LEGES SCRIBONIAM *de vsucapione seruitutum*, VISELLIAM *de libertinis*, *, et IVNIAM VELLEIAM *de heredum institutionibus.* Enimuero vti verosimilia sunt, quae de legis Scriboniae et Iuniae Velleiae, origine disserit: ita suffragari non possum viro doctissimo, existimanti, post Augusti tempora nullam amplius latam esse legem proprie sic dictam, ac proinde ipsam legem Iuniam Norbanam, certissime latam sub Tiberio, *ibid. pag.* 91. ad tempora liberae reipublicae referenti.

* Legem VISELLIAM probabilius est, latam esse post Augusti tempora, immo post legem Iuniam Norbanam, quia in ea Latinorum libertinorum facta est mentio. Vlpian. *Fragm. tit.* 3. §. 5. Quum ergo anno ab V. C. 776. fasces fuerint penes *I. Visellium Varronem et Ser. Cornelium Cethegum*, coss. eo ipso anno latam esse hanc legem, suspicatur Andr. Flor. Riuinus *de lege Visellia, cap.* 2. vbi et Noordkerkii refellit sententiam, et ipsa legis istius capita quaedam erudite illustrat. Prodiit haec dissertatio *Lipsiae* 1736, 4.

§. CLXVIII.

Sed Augusto paullatim liberius regnare permissum.

Quemadmodum vero hanc ciuilitatem Augusto initio ipsa necessitas extorserat: ita senatus paullatim se ad seruile demittere obsequium, populusque, congiariis, ludis, muneribus gladiatoriis, venationibus, ipsaque ocii dulcedine delinitus, iugum pati coepit. Hinc non modo Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 28. obseruat, Augustum *iam a sexto consulatu, potentiae securum, iura dedisse, quibus pace et principe vterentur*: sed et Pomponius et Vlpianus, *populum ei et in eum omne suum imperium potestatemque*

Source : BIU Cujas

temque contulisse, testantur, adeo, *vt ratum esset, quod constitueret. l.* 2. §. 11. *D. de orig. iur. l.* 1. *pr. D. de const. princ.* Suffragatur his Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 516. qui anno ab V. C. 729. Senatum, ait, in Augusti acta iurasse, eumque soluisse legibus, decreuisse denique, ἵνα καὶ αὐτοτελὴς ὅτως καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτοῦ, καὶ τῶν νόμων, πάντα τε, ὅσα βέλοιτο, ποιοίη, καὶ πάνθ', ὅσα ἂν μὴ βέλοιτο, μὴ πράττῃ: *vt summo cum iure, omninoque et sui, et legum potens, quae vellet, faceret, et eorum, quae nollet, faceret nihil.*

§. CLXVIIII.

Habes ergo LEGEM illam REGIAM, de qua *l.* 1. *pr. D. de const. princ.* §. 6. *Inst. de iure nat. gent. et ciu.* AVGVSTVM PRIVILEGIVM, *l. vn.* §. 14. *C. de caduc. toll.* LEGEM AVGVSTI, *l.* 14. *D. de manumiss.* qua regimenta rei publicae ad imperatores perpetuos translata, *l. vn. pr. D. de offic. praef. praet.* LEGEM denique IMPERII, ad quam prouocatur *l.* 3. *C. de testam.* De ea quanta a renatis litteris fuerint sententiarum diuortia, alibi docuimus, ostendimusque simul, eam nihil esse aliud, quam congeriem variorum SCtorum, in honorem Augusti, deque eius imperio factorum, et renouatorum subinde atque amplificatorum sub auspicia imperii insequentium Principum *. *Antiqu. Rom. Lib. I. Tit.* 2. §. 62.

Vnde nata lex regia?

* Potest hoc demonstrari exemplis, Tacit. *Histor. Lib. I. cap.* 47. *adcurrunt patres, decernitur Othoni tribunicia potestas, et nomen Augusti, et omnes principum honores.* Idem de Vitellio *Histor. Lib. II. cap.* 55. *in senatu cuncta longis aliorum principatibus composita statim decernuntur.* Denique de Vespasiano *Histor. Lib.* 4. *cap.* 3. *at Romae senatus cuncta* PRINCIPIBUS SOLITA, *Vespasiano decernit, laetus et spei certus.* Hinc Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 519. diserte refert, honores ac potestatem, quam Augusto primum decreuerit senatus, postea et successoribus lege quadam dari consueuisse: idque etiam patet ex insigni monimento apud Gruter. *Inscript. pag.* 242. in quo Flauio Vespasiano eadem decernitur potestas, quae antea Augusto, Tiberio, Claudio, imperatoribus decreta fuerit: maxime vero VTI, QVAECVMQVE EX VSV REIP. MAIESTATE DIVINARVM, HVMANARVM, PVBLICARVM PRIVATARVMQVE RERVM ESSE CENSVERIT, EI AGERE FACERE IVS POTESTASQVE ESSET, ITA, VTI DIVO AVG. TIBERIOQVE IVLIO CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO FVERIT.

§. CLXX.

Fretus hac potestate Augustus, adulto iam imperio coepit quaedam sine centuriarum suffragiis constituere, eaque in re duplici arte vsus est. Nam primo quum iam adsuetus populus esset

Ea fretus permulta SCtis et edictis

Source : BIU Cujas

constituit.

set senatus auctoritati, eumque SCta fecisse, libera re publica, nemo ignoraret: Augustus permulta per senatum sanciuit, etiam de iis rebus, quae libera adhuc re publica non pertinuerant ad curam ordinis istius amplissimi *. Deinde et propositis edictis ea, quae fieri vellet praecipere, eaque ratione iura noua quam plurima constituere coepit.

* Ea quoque in re sequutus Augustus est Maecenatis consilium, qui in oratione prudentissima apud Dionem Cassium *Lib. LII. pag.* 485. monet principem, primum, vt legatos ab exteris missos in senatum introducat, addita ratione; τά τε γὰρ ἄλλα, καὶ σεμνὸν καὶ ἀξιόλογόν ἐστι τὸ πᾶν βουλὴν πάντων κυρίαν δοκεῖν εἶναι, καὶ τὸ πολλοὺς τοὺς ἀντιπάλους τοῖς ἀγνωμοσύνῃ αὐτῶν φαίνεσθαι: *esse enim e dignitate rei publicae omnia in potestate senatus esse videri, plurimosque esse eorum aduersarios, qui se contumaces in eum gerant.* Deinde addit, oportere Augustum ἅπαντα τὰ νομοθετήματα δι' αὐτῶν ποιεῖν, καὶ μηδὲν τὸ παράπαν ἄλλο ἐπὶ πάντας ὁμοίως φέρειν πλὴν τῶν οἰκείων δογμάτων, *per senatum facere omnia, quae decernenda sint, quia non omnino quidquam aeque ad omnes pertineat, ac SCta.* Eadem iterum inculcat *pag.* 487. vbi et hanc reddit rationem, quod et par sit, κοινὰ κοινῶς διοικεῖσθαι, *publica publico consilio administrari:* et homines suapte natura gaudeant iis, quae tamquam conditione aequales a maiore adipiscantur, omniaque, quae is cum ipsorum consilio decernat, laudent, et tamquam vltro a se ipsis statuta diligant.

§. CLXXI.

Talia SCta, *Silanianum* et *Statilianum.*

Hinc SCta non pauca iam sub Augusto prodiisse comperio, quae postea pro legibus fuerunt. Tale est SC. SILANIANVM, quo cautum, *vt si dominus a familia occisus diceretur, de ea, antequam heres adeat, publica quaestio haberetur, et de seruis sumeretur supplicium, neque prius tabulae testamenti aperirentur* *, *vel, si quid contra factum fuerit, hereditatem fiscus occuparet.* Quod SC. anno ab V. C. 763. *P. Cornelio Dolabella* et *C. Iunio Silano* coss. factum esse, recte existimat Franc. Hotomanus, immo et ante eum Cuiac. *Obseru. Lib. I. cap.* 18. Idque verum esse, vel inde patet, quod insequente statim anno, *T. Statilio Tauro* et *M. Aemilio Lepido* coss. nouo SC. sancitum est, *vt quaestioni isti quinquennio praescriberetur, nisi plane quaereretur de parricidio. l.* 13. *D. de SC. Silan.*

* Hoc ipsum est, quod eo SC. primum cautum fuisse videtur. Nam quod, domino domi suae occiso, familia omnis diris quaestionibus subiici soleret, id semper Roma obtinuit, etiam libera adhuc re publica. Tacit. *Annal. Lib. XIIII. cap.* 42. *ceterum quum* VETERE *ex* MORE *familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitauerat, ad supplicium agi oporteret: concursu*

Source : BIU Cujas

cursu plebis, quae tot innoxios protegebat, vsque ad seditionem ventum est. Ad quae verba Iust. Lipsius: *bene*, inquit, *vetere ex more. Nam etiam libera re publica id obtinuit, ex epistola Ser. Sulpicii de caede Marcelli*: ego tamen ad tabernaculum eius perrexi: inveni duos libertos, et pauculos servulos: reliquos aiebant profugisse, metu perterritos, quod Dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset. *Hunc pristinae severitatis ritum firmauit postea SC. Silanianum sub Augusto.* Ceterum laudata a Lipsio Seruii Sulpicii epistola est inter Ciceronianas *ad diverss. Lib. IIII. Epist. 12.*

§. CLXXII.

Nec aliorum temporum ego esse arbitror SC. VELLEIANVM, quod mulierum intercessit intercessionibus, easque irritas esse iussit. *l. 2. §. 1. D. de SC. Velleian.* Mouet me, quod iam Augustus hoc dicatur edixisse *l. 2. pr. D. eod.* edicta vero principum SCta, vti mox ostendemus, vel praecedebant, vel mox sequebantur. Deinde SC. hoc *ibidem* factum dicitur M. SILANO et VELLEIO TVTORE coss. Atqui non quidem M. sed L. SILANVS FLAM. MART. et C. VELLAEVS TVTOR COSS. anno V. C. 763. reperiuntur apud Gruter. *Inscript. pag. 470. num. 1. 2.* neque aliud eiusdem nominis par consulum alibi in *Fastis* occurrit. * Itemque Velleianum.

* Obseruaueram hoc in *Elem. Iur. sec. ord. Pandect. Part. III. §. 196.* addideramque, iisdem consulibus latam videri legem IVNIAM VELLEIAM. Posterius etiam Herm. Noordkerkio *in Disquisit. de lege Petron. pag. 94.* probari, video: non autem prius. Ait enim vir doctissimus: *Sed nollem, vir egregius iisdem etiam auctoribus Velleianum SC. acceptum retulisset: quam opinionem vel Vlpianus damnat, qui l. 2. D. d. t. diserte testatur,* POST *Claudii edictum fuisse conditum.* Ego vero quum haec scriberem, non ignorabam, Vlpianum primum edicti Augusti et Claudii meminisse, et deinde subiicere: POSTEA *factum est SC. quo plenissime feminis omnibus subuentum est.* Ipse enim eo modo ratiocinatus fueram in *Antiquit. Rom. Lib. III. tit. 21. §. 12.* Sed non ignorabam etiam, *postea* illud etiam referri posse ad solum edictum Augusti, quod praecessit, neque semper tam adcurate his similibusque vocabulis vsos esse ICtos veteres, vt iis tuto superstruere possis rationes chronologicas: immo ea aduerbia illos promiscue plerumque adhibere, pro *praeterea.* Ita Pomponius *l. 2. §. 8. D. de orig. iur.* vbi de XII. tabulis, disputatione fori, legisque actionibus egerat, statim subicit: DEINDE *quum esset in ciuitate lex XII. tabularum, et ius ciuile, essent et legis actiones: euenit, vt plebs in discordiam cum patribus perueniret, et secederet.* Atqui id ante conditas XII. tabulas euenisse nouimus. Similia licet obseruare *d. l. 2. §. 18. 20 22.* Haec si reperias apud ICtum, qui ex instituto texit historiam: quid sperandum de chronologica ICtorum ἀκριβείᾳ, vbi id ex instituto non agunt? Sed sufficit nobis, alium annum adhuc ostendi non potuisse, quo collegae in consulatu fuerint *Silanus* et *Velleius Tutor*, nos vero eos anno 763. inter suffectos feliciter reperisse.

Source : BIU Cujas

§. CLXXIII.

Quo colore edicta proposuerit Augustus?

Sed et EDICTIS Augustus vti sensim coepit ad iura noua constituenda, idque se iure facere, plebi facillime persuasit. Quum enim, magistratus tantum non omnes edicta de rebus curationi suae demandatis proposuisse, supra ostenderimus (§. 61. *sequ.*) Augustus, qui omnium magistratuum munia in se traxerat, nullo aduersante, iure suo vti poterat, quoties id videretur e re publica futurum. Si quid ergo ediceret in prouinciis, id faciebat tamquam PROCONSVL *; sin in vrbe, vi TRIBVNICIAE POTESTATIS; si apud exercitum, tamquam IMPERATOR; si denique circa sacra, tamquam PONTIFEX MAXIMVS id iure facere videbatur. (§. 162.*)

* Et tale procul dubio fuit δόγμα, ὃ ἐξῆλθε παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου ἀπογραφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, EDICTVM, *editum a Caesare Augusto, vt describeretur totus orbis Romanus. Luc.* II, 1. Ita enim potius vertendum, quam per *decretum* vel *sententiam*. Alia eius edicta memorantur apud Sueton. *Aug. cap.* 28. 31. 53. 89. Dion. Cass. *Lib. XXXXVIIII. pag.* 401. Ioseph. *Antiquit. Iudaic. Lib. XVI. cap. 6. l. 2. pr. D. ad SC. Velleian. l. 26. D. de liber. et postum. l. 8. D. de quaestion.*

§. CLXXIIII.

Iura iis introducta.

Et plura sane sub Augusto inualuerunt iura noua, de quibus nec leges vllae, nec SCta, quod quidem hodie sciamus, exstiterunt. Ita sane tunc sensim imminutum est domesticum in seruos imperium, data his facultate, apud praefectum vrbi de dominorum saeuitia conquerendi. Iust. Lipsius *ad Senec. de benef. Lib.* III. *cap.* 21. Inualuisse etiam tunc videtur, vt parentes liberos aut instituere, aut nominatim exheredare tenerentur *. Alia edicta, quibus quaedam noua iura inuecta sunt, iam diximus supersesse in *l.* 2. *pr. D. ad SC. Velleian. l.* 8. *pr. D. de quaestion. l.* 26. *D. de liber. et postum.*

* Si tamen dicendum, quod res est, pleraeque de institutione et exheredatione liberorum sanctiones, quae initio edictis inuectae sunt, quando quibusdam extra ordinem subuenire placuit, veluti Tettio infanti, a patre iniustissime exheredato, Valer. Max. *Lib. VII. cap.* 7. Reines. *Inscript. pag.* 24. postea migrasse videntur in legem quamdam. In quam vero, nisi in IVNIAM VELLEIAM, quae ad heredum, liberorumque inprimis institutionem paene tota pertinuit? Eius legis capita quaedam recensentur *l.* 10. §. 2. *D. de testam. tut. l.* 13. *D. de iniust. rupt. irrit. fact. testam. l.* 39. *D. de liber. et postum.*

§. CLXXV.

Source : BIU Cujas

§. CLXXV.

Noui magiſtratus ab Auguſto inſtituti.

Idem princeps, inſtitutis aliquot nouis poteſtatibus, ius vel maxime ad nouum reipublicae ſtatum adcommodauit. Primo enim, inſtituta PRAEFECTVRA VRBANA *, regnum Praetorum forenſe haud parum concuſſit, multaque, quae in ciuitate monarchica obſeruari oportebat, adiutore praefecto vrbi facile introduxit. Deinde et PRAEFECTVRA PRAETORIANA, quamuis militaris initio poteſtas, teſte Dione *Lib.* LII. *pag.* 480. et *Lib. LV. pag.* 555. adeo paullatim inualuit, vt inſequente tempore ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα, *magiſtratus, a principatu ſecundus* videretur. Herodian. *Hiſtor. Lib. V. cap.* 1. Vt iam de PRAEFECTVRA VIGILVM, coërcendis incendiis, cuſtodiendaeque nocturnis temporibus vrbi ab eodem principe inſtituta, *l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur. l.* 3. *pr. D. de offic. praef. vigil.* ſimilibuſque nouis dignitatibus, nihil dicamus.

* Hoc quoque inuentum non deſtituebatur colore. Nam et ſub regibus, et libera re publica *praefectos vrbi*, quoties reges magiſtratuſque reliqui vrbe abeſſe oportebat, creatos eſſe, iam ſupra (§. 57.) obſeruauimus, Liu. *Lib. III. cap.* 29. Tacit. *Annal. Lib. VI. cap.* 10. 11. *l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur.* Gruter. *Inſcript. pag.* 313. *num.* 9. et *pag.* 356. *num.* 1. Non ergo tam noui quid introducere, quam magiſtratum veterem retinere videbatur, niſi quod pro extraordinario illum in poſterum ordinarium eſſe vellet. Et obtentus quidem admodum honeſtus videbatur, *vt eſſet, qui coërceret ſeruitia, et quod ciuium audacia turbidum, niſi vim metueret.* Tacit. *Annal. Lib. VI. cap.* 11. Vere tamen id agebat princeps, vt pleraque praetoris aliorumque magiſtratuum munera paullatim in illum praefectum transferret, eoque modo eorum poteſtatem euerteret. Quod adeo verum eſt, vt M. Valerius Meſſalla, quem Auguſtus primum praefectum vrbi creauerat, ſexto die eo magiſtratu ſe abdicaret, INCIVILEM eſſe POTESTATEM, conteſtatus, Euſeb. *Chron. n.* 1991. id eſt, ciuitati liberae, qualem tum adhuc plebs ſomniabat, minus conuenientem. Ita intelligendus Euſebius: neque tunc opus eſt emendatione Iuſti Ioſephi Scaligeri.

§. CLXXVI.

Mutatio circa prouincias.

Maximi quoque momenti erat mutatio circa PROVINCIAS, quas cum Senatu ita partiebatur Auguſtus, vt illi pacatas atque inermes relinqueret, ſibi bello turbidas, in quibus legiones erant, ſeponeret. Strabo *Geogr. Lib.* XVII. *extr.* Suet. *Aug. cap.* 47. Dio Caſſ. *Lib.* LIII. *pag.* 503. Illis ſenatus PROCOSS. his ipſe LEGATOS AVG. PRO COSS. vel PRO PRAETORIBVS cum iure gladii et imperio militari praeficiebat. Dio Caſſ. *Lib.* LIII. *pag.* 504. Lipſ. *Excurſ. M. ad Tacit. Annal. Lib.* I. Iam vero per

Source : BIU Cujas

tot praesides sibi obnoxios Augustum, quidquid collibitum esset, in orbe Romano instituere potuisse, nemo non animaduertit.

§. CLXXVII.

Praefectus Augustalis Aegypti et Iuridicus Alexandrinae ciuitatis cur instituti?

Quum de Aegypto in fatis esse diceretur, eam, simul ac fasces Rom. ibi visi essent, pristinam libertatem recuperaturam: Cic. *ad diuers. Lib. I. epist.* 7. Trebell. Pollio *in Aemilian. cap.* 23. id in rem suam callide vertit Augustus, prouinciamque illam rei annonariae caussa vnice necessariam, tamquam peculiarem sibi vindicauit, excluisque eius aditu senatoribus, in illam misit virum equestrem sine fascibus, qui PRAEFECTVS AVGVSTALIS vocabatur: Tacit. *Annal. Lib.* II. *cap.* 59. *et Lib.* XII. *cap.* 60. *Histor. Lib.* I. *cap.* 11. Dio Cass. *Lib.* LIII. *pag.* 554. Arrian. *Expedit. Alexandri M. Lib.* III. *cap.* 6. Sueton. *Tiber. cap.* 52. cuique adiungebatur IVRIDICVS ALEXANDRINAE CIVITATIS, cuius de officio singularis in Pandecte titulus exstat. *

* Falluntur, qui IVRIDICVM hunc soli Alexandriae ius dixisse, existimant. Erant enim *iuridici* praesides prouinciarum, quales in Italia loco *consularium* constituerat Marcus Antoninus imp. Iul. Capitol. *in Marc. cap.* 11. Hinc passim memorantur *iuridici per Flaminiam et Picenum* apud Gruter. *Inscript. pag.* 1093. *num* 3. itemque *per Apuliam et Picenum, ibid. pag.* 465. *num.* 5. 6. denique et *iuridici Asturiae et Gallaeciae. Ibid. pag.* 463. Ita et *iuridicus Alexandrinae ciuitatis*, non soli huic ciuitati ius dicebat, sed vniuersae Aegypto vna cum praefecto Augustali praeerat, Cuiac. *obseruat. lib. XX. cap.* 31. et hinc IVRIDICVS PER AEGYPTVM vocatur apud Gruter. *Inscript. pag.* 372. *nu.* 14. nec multo minor eius erat, quam praefecti Augustalis auctoritas, vt plane huic tamquam speculator adiunctus videatur, ne quid rerum nouarum posset moliri. Reines. *ad Inscr. Class. II. num.* 26. *p.* 271. Erat sane apud iuridicum legis actio, *l.* 1. *D. de offic. iurid.* aeque ac apud praefectum Augustalem. Tacit. *Annal. Lib. XII. cap.* 60. Non minus ac ille tutores dabat, quamvis ea facultas illis demum constitutione D. Marci data sit. *l.* 2. *D. eod.* §. 5. *Inst. de Atil. tut.* Denique et contentiosa eos iuris dictione esse gauisos, vel ipsa argumento sunt vocabula *iuridici*, δικαιοδότης, *Romani iudicis*, et similia, quibus in iure nostro, nec non apud Strabonem et Sex. Rufum designantur.

§. CLXXVIII.

Augustus certis tantum ICtis dedit facultatem de iure respondendi.

Non ignorabat porro princeps prudentissimus, quam multum vtilitatis capere posset ex opera atque interpretatione IVRISCONSVLTORVM. Vt ergo et hos sibi haberet obnoxios, eorumque ope in euertendo praetoris regno, et iure per nouas interpretationes ad statum monarchicum inflectendo, vteretur *: primus facultatem de iure respondendi, olim omnibus communem (§. 157.) certis tantum exploratae fidei viris beneficii loco dedit,

Source : BIU Cujas

dedit, simulque necessitatem imposuit iudicibus, ne ab eorum sententia vmquam recederent. §. 8. *Inst. de iure nat. gent. et ciu. l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.*

* Genuinam hanc esse huius instituti caussam, et Vlricus Huber. *Auspic. domest. pag.* 178. ex parte vidit, et nos cum cura demonstrauimus in *Antiqu. Rom. Lib. I. tit.* 2. §. 39. Vnde veram huius instituti caussam vel non peruidit, vel dissimulauit Pomponius, dum id ab Augusto factum esse scribit, *vt maior* esset iuris auctoritas. *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* Solere sane Pomponium blandiri principibus, eorumque obtentus pro veris rerum caussis obtrudere, patet ex *d. l.* 2. §. 9. 11. 27. *D. de orig. iur.*

§. CLXXVIIII.

Cur Labeonem sibi conciliare non potuerit?

Quum vero iis temporibus duo illuxissent ingenia eximia, M. ANTISTII LABEONIS, et C. ATEII CAPITONIS, quos duo pacis decora vocat Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 75. vtrumque quidem sibi conciliare studebat Augustus, sed laterem lauabat in LABEONE, Q. Labeonis, C. Iulio Caesari olim infensissimi, filio, *incorruptae libertatis viro*, vt idem Tacitus *ibid.* eum vocat, *quique nihil ratum pensumque habebat, nisi quod iustum sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset.* Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 12. Quum ergo huic viro atrox insideret pristinae libertatis memoria: nullam e labi patiebatur occasionem, odium aduersus principatum prodendi, eiusque παῤῥησίας exempla supersunt apud Sueton. *Aug. cap.* 54. et Dion. Cass. *Lib. LIIII. pag.* 531. vt mirum non sit, hominem ne consulatus quidem auctoramento adduci se passum, vt se Augusto addiceret. * *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.*

* Ait Pomponius, *noluisse Labeonem, quum offerretur ei ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret, eum honorem suscipere.* At Tacitus *Annal. Lib. III. cap.* 75. refert, *Augustum accelerasse Ateio consulatum vt Labeonem Antistium iisdem artibus praecellentem, dignatione eius magistratus anteiret.* Ex illo ergo colligas, Labeonem honorem adspernatum esse, quod inter suffectos tantum esset designatus: ex hoc, Augustum illum neglexisse, vt Ateius illum dignitate anteiret: et hinc statim subiicit: *Labeoni, quod praeturam intra sperit, commendatio ex iniuria; huic, quod consulatum adeptus est, odium ex inuidia oriebatur.* Quae vero iniuria facta esset Labeoni, si ipse oblatam dignitatem vltro reiecisset? Rem ita concipio. Augustus, vt vtrumque sibi conciliaret, vtrique videtur obtulisse consulatum: quum vero Ateio, cuius obsequium ei magis probabatur, illum honorem acceleraret, id male habuit Labeonem, virum praetorium, ac proinde quum ille paullo post consul suffectus designaretur, illum honorem repudiauit, iniuriam interpretatus, quod Ateio esset posthabitus, neque mora illa ac dilatio saltim consulatu ordinario compensaretur. Ita intelligo Pomponium et Tacitum, quamuis nec improbabilis sit coniectura Bynkersh. in

Source : BIU Cujas

Praeterm. ad h. l. pag. 290. pro: *quo ſuffectus fieret*, legentis: *quo ſuſpectus fieret.*

§. CLXXX.

Cur Ateium ſibi facilius habuerit obnoxium?

At tanto facilius ſibi ad omne obſequium deuinxit C. ATEIVM CAPITONEM, *cuius obſequium*, ex Taciti iudicio non poterat non *dominantibus magis probari*: quum ſe ad ſeruilem paene adulationem demitteret, ceu patet ex Tacito *Annal. Lib. III. cap.* 70. et Sueton. *de illuſtr. grammat. cap.* 22. Eo ingenio conſulatum meruit, quo tamquam ſuffectus anno V. C. 758. collega C. Vibio Poſtumo functus eſt. Gruter. *Inſcript. pag.* 1082. *num.* 2. Huic ergo ſimilibuſque Auguſtus reſpondendi de iure facultatem dedit: ex eoque tempore reſponſa ſua et ſcripta dare, et ſignare coeperunt, Seneca *de benef. Lib.* VII. *cap.* 16. quum antea neutrum fieri ſoleret. * *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.*

* Vtroque opus erat, vt iudices, et quid ſibi reſponſum eſſet, et reſponſum illud a ICto, cui reſpondendi ius ſit, profectum eſſe, intelligerent. Ceterum libera re publica iudices adeo non adſtricti erant reſponſis prudentum, vt ea ſaepe ab oratoribus dicendo euerterentur, teſte Cicerone *pro Muraen. cap.* 13. qui et alibi id exemplo Craſſi confirmat *pro A. Caecin. cap.* 18.

§. CLXXXI.

Scripta Labeonis.

LABEONEM quam plurimos ad iuris prudentiam inſtituiſſe, *et totum annum ita diuiſiſſe, vt Romae ſex menſibus cum ſtudioſis eſſet, ſex menſibus ſecederet, et conſcribendis libris operam daret*, refert Pomponius, *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* qui et quadringenta eum volumina reliquiſſe teſtatur. In his erant *Libri octo* ΠΕΙΘΑΝΩΝ, ex quibus octo tantum fragmenta in Pandecte ſuperſunt. Scripſit et *libros* XXXX. POSTERIORVM, Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 10. quamuis in indice Florentino *decem* tantum laudentur, ex iiſque vnicum ἀποσπασμάτιον exſtet in *l.* 42. *D. de liberal. cauſſ.* * Memorantur etiam *liber primus* PRAETORIS VRBANI, *l.* 19. *D. de verb. ſignif.* et *liber triceſimus* PRAETORIS PEREGRINI, *l.* 9. §. 4. *D. de dol. mal.* nec non libri EPISTOLARVM, *l.* 30. §. 1. *D. de vſurp. et vſucap.* de quo Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 20. denique RESPONSA, quorum *librum XV.* laudat Vlpianus apud *Pariatorem leg. Moſaic. et Roman. tit.* 12. §. 7.

* Libros Πιθανῶν in compendium redegit IVLIVS PAVLLVS, Perrenon. *Animaduerſ. iur. Lib. II. cap.* 16. Bynkershoek *Obſ. Lib. III. cap.* 6. Eamdem operam libris *Poſteriorum* nauauit IAVOLENVS, qui et libros *ex Poſterioribus*

Source : BIU Cujas

bus Labeonis scripsit, qui libri, quomodo distinguendi sint, disquirunt Merill. *Obs. Lib. V. cap.* 38. *et* Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. pag.* 50. *seqq.* Praeterea ad LABEONEM notarunt QVINTVS, *l.* 7. §. 7. *D. de dol. mal.* AVLVS, fortassis Cascellius, *l.* 17. §. 5. *D. de hered. Inst.* PROCVLVS, *l.* 10. §. 1. *D. de negot. gest. et* ARISTO, *l.* 17. §. 5. *D. de hered. instit.* Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap. I. pag.* 18. *seqq.*

§. CLXXXII.

Eius bonarum artium studium.

Tantum vero abest, vt vir eximius vltra praetoris edictum sapere noluerit, vt et per reliquas sapientiae disciplinas bonasque artes viuidam circumtulerit indolem. Testem habemus non modo Pomponium, qui eum *et in ceteris operam sapientiae dedisse*, obseruat, verum etiam Gellium, qui *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 10. *Labeo Antistius*, inquit, *iuris quidem ciuilis disciplinam principali studio exercuit, et consulentibus de iure publice responsitauit, ceterarum quoque bonarum artium non expers fuit, et in grammaticam sese, atque dialecticam, litterasque antiquiores altioresque penetrauerat.* Nihil ergo prohibere existimo, quo minus *libros XV.* DE IVRE PONTIFICALI apud Festum *in Sistere*, *libros* DE DIIS ANIMALIBVS apud Seruium *in Virgil. Aeneid. Lib. III. v.* 168. eidem Labeoni nostro tribuamus, quamuis alii distinguendos existiment Labeones IC. et theologum. *

* Pro eodem vtrumque habent Bertrandus *de vit. ICtor. Lib. I. cap.* 7. et Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 20. Eosdem distinguendos putat Bynkershoekius *in Praetermiss. ad l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur. pag.* 292. Et sane memoratur a Macrobio CORNELIVS quidam LABEO, quem *libros Fastorum* et *librum de oraculo Apollinis Clarii* scripsisse ait: et hic fortassis posset dici Labeo theologus. Sed quum non sint libri hi iidem, quos a Festo et Seruio laudari animadvertimus: nihil obstat, quo minus et noster talia scripserit, aemulatus fortassis aemulum, Ateium Capitonem, cuius de libris eiusdem argumenti paullo post erit dicendi locus. Vid. Christfr. Waechtler. *litt. de Bynkershoekii Praetermiss. p.* 304. *sequ. edit. nou. in Opuscul. iur. histor.*

§. CLXXXIII.

Scripta Ateii Capitonis.

Nec C. ATEIVS CAPITO, quamuis magis immersus negotiis ciuilibus, calamo pepercit. Scripsit enim libros de IVRE PONTIFICIO, quorum quintum laudat Gell. *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 6. *libros* CONIECTANEORVM quam plurimos, quippe quorum ducentesimum quinquagesimum nonum laudat Gell. *Noct. Att. Lib. XIIII. cap.* 7. librum de OFFICIO SENATORIO, id. *Lib. III. cap.* 10. et de IVRE SACRIFICIORVM apud Macrob. *Saturn. Lib. III. cap.* 10. nec non EPISTOLAS, ex quibus quaedam descripsit Gell. *Noct.*

Source : BIU Cujas

Noct. Attic. Lib. XIII. cap. 12. Addimus, ex tot libris ICti maximi, & *principem in ciuitate locum*, teste Tacito *Annal. Lib. III. cap.* 75. *ciuilibus studiis adsequuti*, ne vnum quidem fragmentum in Pandecten relatum esse *, ipsumque Ateium inter viuos esse desiisse anno V. C. 775. Tacit. *ibid.*

* Videntur ergo Atei Capitonis libri iam ante Triboniani tempora intercidisse. Nec inter ICtos qui illi denunciant testimonium, alii sunt, quam ei συγχρονοι Labeo, *l.* 79. §. 1. *D. de iure dot. l.* 30. §. 6. *D. de legat.* 3. Proculus, *l.* 13. §. 1. *D. de seru. praed. vrban.* Iauolenus, *l.* 39. §. 2. *D. de aur. arg. mund. legat.* Vlpianus, *l.* 29. *D. de rit. nuptiar.* denique Paulus, *l.* 2. §. 4. *D. de aqu. et aqu. pluu. arc.* Postremi, qui eius libros laudant, fuere Festus et Macrobius, vt adeo Atei opera saltim ad saeculum vsque quintum inter hominum manus versata esse adpareat.

§. CLXXXIIII.

Alfenus Varus, ICtus.

Progredimur ad reliquos, qui sub Augusto floruerunt, ICtos. Quamuis vero huc tota pertineat Ser. Sulpicii familia, de qua Pomponius *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.* in ea tamen in primis eminuit C. vel, ut in Dionis Cassii *Laterculo Coss.* ad ann. 755. vocatur, P. ALFENVS (in nummis ALFINIVS) VARVS, elegantis ingenii & facundiae vere Augusteae scriptor. Eum vulgo ferunt Cremonae, Publio patre natum, diu exercuisse sutrinam, postremo, clausa sutrina, se Romam contulisse, et audito Ser. Sulpicio, maximos in iure profectus fecisse. Acron ad illa Horat. *Serm. I. sat.* 3. *v.* 130.

Optimus est modulator, vt ALFENVS *vafer*, *omni.*
Abiecto instrumento artis, *clausaque taberna*,
Sutor erat. *

Nostrum consularem fuisse, et Pomponius obseruat: dubium tamen, quo anno. Qui enim anno ab V. C. 754. cum P. Vinicio collega consul fuit, quique fato functus, obseruante eodem Acrone, publico funere elatus est, vix noster esse potuit, nisi eum senem capularem fasces suscepisse, existimemus.

* Ob διωνυμιαν tota prope ALFENI vita perquam incerta ac perplexa est. Hinc an noster sutor ille consularis sit, merito ambigitur. Nostro sane illa Horatiana & Acroniana vix quadrare, pluribus iisque satis luculentis rationibus euicerunt Waechtler. *in Act. erud. Lipsi. anno* 1711. *et* Eu. Otto *praefat. Tom. I. Thes. iur. ciu.* et postea *in Publ. Alfeno Varo, ab iniuriis veterum et recentiorum liberato*, inserto *Tomo V. Thesaur. Iur. ciu. pag.* 1629. *seqq.* Ceterum quum Alfenus noster Ser. Sulpicium, qui iam anno 710. decessit, audiuerit, eum, qui anno 754. consul fuit, si Sulpicium decennio ante eius mortem audiuerit, & tunc saltim triginta annorum fuerit, (neque enim tum erant

erant tempora, quibus cruda ſtudia in forum propellebantur), octogin- ta quatuor annorum fuiſſe oporteret.

§. CLXXXV.

Eius ſcripta.

Scripſit ALFENVS *libros* XXXX DIGESTORVM; quos Iulius Paullus in epitomen contraxit: et COLLECTANEA, vel, vt aliae Gellii editiones habent, CONIECTANEA, quorum liber ſecundus laudatur *Noct. Attic. Lib.* VI. *cap.* 5. vbi et auctor, *ICtus, Seruii Sulpicii diſcipulus, rerumque antiquarum non incurioſus* vocatur. Sed de his *coniectaneis* mox plura. Neque enim adeo certum eſt, ea eſſe ALFENI noſtri opus. Ceterum de ICto hoc eximio praeclare meriti ſunt Henr. Brenkmannus libro elegante, quem *Pandectas iuris ciuilis auctoribus ſuis et libris reſtitutos* inſcripſit, *Amſt.* 1709. 8. et Eu. Otto *in P. Alfeno Varo ab iniuriis veterum et recentiorum liberato, Tomo V. Theſ. iur. ciu. pag.* 1629. *ſeqq.*

§. CLXXXVI.

C. Aulus Ofilius.

Eorumdem temporum ICtus, C. AVLVS OFILIVS iam Ciceronis aeuo inclaruit, qui eius meminit *ad diuerſ. Lib.* VII. *epiſt.* 21. Συμφιλολογοῦντα habuiſſe videtur T. Pomponium Atticum, *l.* 234. *D. de verb. ſignif.* Eius exemplo non ambiuit honores, ſed in equeſtri ordine conſenuit, quamuis Iulio Caeſari familiariſſimus, *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.* Scripſit de LEGIBVS VICESIMAE, nec non de IVRISDICTIONE, et AD EDICTVM PRAETORIS *, quae omnia laudantur a Pomponio. His adiiciendi *libri* ACTIONVM *l.* 3. §. 5. *et* §. 8. *D. de penu leg. et libri* IVRIS PARTITI, *l.* 55. §. 1. 2. 4. 7. *D. de legat.* 3. Vxorem eius CLODIAM, quindecies enixam, CXV. annos vixiſſe, obſeruat Plin. *Hiſt. nat. Lib.* VII. *cap.* 48. quocum iungendus Valerius Max. *Lib.* VIII. *cap.* 13. Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 42.

* Henr. Dodwellus in *Adpend. Praelect. Cambden. pag.* 780. Ofilium edictum perpetuum Iulii Caeſaris auſpiciis ſcripſiſſe, illudque opus poſtea decreto Caeſaris firmatum eſſe, exiſtimat. Sed id vix veroſimile eſſe, quibus animaduertit. Si enim vel maxime fieri potuerit, vt Caeſar id negotii dederit Ofilio, (quum de iure in ordinem redigendo eum cogitaſſe, ſatis conſtet), omnia tamen illa conſilia eius fata turbaſſe, teſtis eſt Sueton. *Caeſ. cap.* 44. Si ergo edictum compoſuit: priuatis id factum eſt auſpiciis: at inſcriptio AD EDICTVM argumento eſt, eum magis notas vel ſcholia ad edictum ſcripſiſſe, quam edictum compoſuiſſe tale, quale poſtea iuſſu Hadriani edidiſſe nouimus Saluium Iulianum.

Source : BIU Cujas

§. CLXXXVII.

Reliqui Ser. Sulpicii auditores, et Cartilius.

Hi sunt celebriores eorum temporum ICti. Nam non nisi nominibus noti sunt T. CAESIVS, AVFIDIVS TVCCA, AVFIDIVS NAMVSA, cuius tamen scripta aliquoties in Pandecte laudantur *, *l.* 40. *§.* 3. *D. de condit. et demonstr. l.* 5. *§.* 7. *D. commod. l.* 2. *§.* 6. *D. de aqua et aqu. pluu.* FLAVIVS PRISCVS, C. ATEIVS PACVVIVS, CINNA, qui citatur *l.* 6. *D. de rit. nupt. et l.* 40. *§.* 1. *D. de condit. et demonstrat.* et PVBLICIVS GELLIVS, qui omnes a Pomponio inter Ser. Sulpicii auditores recensentur. Addimus his, vti videtur σύγχρονον, CARTILIVM, bis laudatum in iure nostro, *l.* 5. *§.* 13. *D. commodat.* et *l.* 69. *D. de hered. inst.* cuius memoriam primus restituit Ant. Augustin. *Emend. Lib. III. cap.* 6. laudatus ideo a Cuiac. *Obs. Lib. I. cap.* 9.

* Refert Pomponius *l.* 2. *§.* 44. *D. de orig. iur.* Aufidium Namusam octo illustriorum Ser. Sulpicii auditorum libros digessisse in centum quadraginta libros. Hos ipsos vero esse libros COLLECTANEORVM vel CONIECTANEORVM, quos ob locum Gellii *Noct. Attic. Lib. VI. cap.* 5. Alfeno Varo tribuunt (*§.* 185.), acute coniicit Bynkersh. *Obseru. Lib. VIII. cap.* 1. vbi etiam ostendit, idem opus coniectaneorum laudari, quoties in Pandecte citentur Ser. Sulpicii auditores vel auctores, veluti ab Vlpiano *l.* 2. *§.* 6. *D. de aqua et aqu. pluu. arc. l.* 6. *D. de dote praeleg. l.* 12. *pr. D. de instruct. vel instrum. leg.*

§. CLXXXVIII.

C. Trebatius Testa.

Multo celebrior tamen his omnibus, C. TREBATIVS TESTA, C. Iulio Caesari, M. Tullio Ciceroni, et postea Caesari Augusto amicissimus, a Q. Cornelio Maximo in iure profecerat. Cic. *ad diuers. Lib. VII. epist.* 8. In philosophia primum vel Stoicos, vel Academicos, postea Epicureos sectatus est, nisi potius Ciceronem *ibid. Lib. VII. epist.* 12. suo more potius iocatum esse dixeris *. Ceterum eum magnopere laudat Cicero *ibid. Lib. VII. epist.* 5. *eoque probiorem hominem, meliorem virum, prudentioremque esse neminem, quin familiam illum ducere in iure ciuili, et singularem eius memoriam, summam scientiam esse*, testatur.

* Nescio tamen, an non Epicureum quodammodo prodat honorum neglectus, quem veritus Cicero *ad diuers. Lib. VII. epist.* 12. iocose scribit: *quid porro fiet populo Vlubrano, si tu statueris, πολιτεύεσθαι non oportere?* Nusquam sane legitur vel praeturam, vel consulatum gessisse: quum tamen ei in tanta Caesaris vtriusque gratia deesse non potuisset occasio capessendi rem publicam. Quare vix aliam excogitare licet rationem, quamobrem nullos ad honores peruenerit, quam quod ex sectae suae formula nollet πολιτεύεσθαι.

§. CLXXXVIIII.

Source : BIU Cujas

§. CLXXXVIIII.

Hic ſerio et, vt ipſe ait, more Romano loquitur Cicero. Quare merito mireris, ex iocis, quibus ille cum Trebatio, vt cum amico, paullo liberius familiariuſque vſus eſt, collegiſſe Dan. Heinſium in *Diſſ. de Satyra Horatiana*, Trebatium illum obtuſioris ingenii, ac paene dubiae ſanitatis hominem fuiſſe: cuius ſententiam refellit Nic. Hieron. Gundlingius in *Diſſertatione de C. Trebatio Teſta*. Inſcripſit ei *Topica* ſua Cicero; Horatius *vero Satyram I. Libri II. Sermonum*, eiuſque conſilio in rebus ad ius pertinentibus vſus eſt Caeſar Auguſtus, ceu patet ex *pr. Inſt. de codicill.* Ipſe reliquit tum libros aliquot DE IVRE CIVILI, tum *libros VIIII.* DE RELIGIONIBVS, laudatos a Porphyrione, Horatii ſcholiaſte, et Macrobio *Saturn. Lib. III. cap.* 8. De eo iudicium, eiuſque ſcripta.

§. CLXXXX.

Iungimus huic A. CASCELLIVM, Q. Mucii et Volcatii auditorem, beneficiorum tam memorem, vt prioris nepotem P. Mucium, in aui honorem iudicio ſupremo heredem reliquerit. *l.* 2. §. 45. *D. de orig. iur.* Laudem is ſibi pepererat ICti eximii, ipſoque Trebatio eloquentioris, et iuris inprimis praediatorii tam periti *, vt ipſe Q. Mucius, ſi quando de eo conſuleretur, clientes ad hunc diſcipulum ſuum remitteret. Cic. *pro Balb. cap.* 20. Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 12. Obiit Quaeſtorius, ſenex et orbus, quas duas res ſibi, natura dicaciori, et faceto, magnam licentiam praebere loquendi, fatebatur. Val. Max. *Lib. VI. cap.* 2. *exempl.* 12. A Caſcellius.

* *Iuris praediatorii*, cuius mentionem paſſim faciunt veteres, et de quo ſingulare caput olim in edicto exſtitit, *l.* 54. *D. de iure dot.* hodie nec vola, nec veſtigium extat in iure noſtro. Rem tamen expediuit Claud. Salmaſ. *de modo vſur. pag. 739. ſequ.* PRAES, teſte Feſto, erat, *qui populo ſe obligabat, interrogatuſque a magiſtratu, ſi praes eſſet, reſpondebat: praes.* Si plures pro eadem re, e. g. pro eiuſdem vectigalis conductoribus ſeſe obligaſſent, ii COMPRAEDES dicebantur. Ii, quorum bona publico fuerant obligata PRAEDIATI; ipſa bona publico obligata PRAEDIA; qui ea bona commiſſa emebant, PRAEDIATORES adpellabantur. Ergo IVS PRAEDIATORIVM erat, quo, quid iuſtum ſit circa praediatos, eorumque bona, tradebatur, LEX vero PRAEDIATORIA, vel titulus edicti *de praediatoribus*, quem Caius ICtus ſingulari commentario illuſtrauerat, vel pactum illud, quod magiſtratus publico nomine cum praedibus inierant. Addantur viri docti ad Sueton. *Claud. cap.* 9.

§. CLXXXXI.

De facetiis eius, quarum ſupra exemplum vidimus (§. 78), conſuli poſſunt Macrob. *Saturn. Lib. II. cap.* 6. Quinctilian. *Inſtit.* Eius facetiae et *Benedicta.*

Source : BIU Cujas

ſtit. orat. Lib. VI. cap. 4. et Scip. Gentil. *Parerg. Lib. I. cap.* 38. Scripſit quaedam, ſed ex quibus iam Pomponii aetate *nihil exſtitit* *, *niſi vnus liber* BENEDICTORVM, *l.* 2. §. 45. *D. de orig. iur.* per quae nihil aliud intelligi videtur, quam dicta faceta acutaque, quibus ille reſponſa ſua paſſim diſtinxit. Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 8. Bynkersh. *Praetermiſſ. ad l.* 2. §. 45. *D. de orig. iur. pag.* 281. *ſequ. edit. nou.* Ita enim *benedicta* acceperunt rhetores, Seneca *Controuerſ. Lib. I. controu.* 4. *Auct. de cauſſ. corrupt. eloqu. cap.* 34. Quinctilian. *Inſtit. orat. Lib. VI. cap.* 4.

* Saepe tamen Caſcellio denunciatur teſtimonium a Labeone, *l.* 29. *D. de legat.* 3. *l.* 6. §. 1. *D. de dote praeleg. l.* 7. *pr. D. de trit. vin. vel ol. legat.* Celſo, *l.* 158. *D. de verb. ſign.* Iauoleno, *l.* 39. *pr.* §. 2. *D. de vulg. et pupill. ſubſtit. l.* 100. *D. de legat.* 3. *l.* 7. *pr. D. de trit. vin. vel. ol. legat. l.* 26. §. 1. *D. de inſtr. et inſtr. leg. l.* 10. *D. de ſupell. leg. l.* 39. §. 1. *D. de aur. arg. mund. legat. l.* 40. §. 1. *D. de condit. et demonſtr.* denique ab Vlpiano, *l.* 1. §. 17. *D. de aqu. et aquae pluu. arc. et l.* 1. §. 7. *D. quod vi aut clam.*

§. CLXXXXII.

Q. Aelius Tubero.

Nec praetereundus denique eſt Q. AELIVS TVBERO, Q. Ligarii apud Iulium Caeſarem accuſator, qui ab A. Oſilio profeciſſe dicitur. De gente Aelia, ex qua ille oriundus fuit, adcuratius egit Rupertus *in Enchirid. Pomponii Lib. III. cap.* 4. *pag.* 169. In matrimonio habuit Seruii Sulpicii filiam, ipſe poſtea auus maternus Caſſii Longini futurus *, *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* Praeter filiam illam ſuſtuliſſe etiam videtur filium, conſulem anno 742. Hunc enim Dio Caſſius *in laterculo Coſſ.* quem *libro* LIIII. *pag.* 520. praemiſit, vocat Κ: Αἴλιον, Κ. υἱ. Τυβέρωνα, *Q. Aelium, Q. F. Tuberonem*, quod ad noſtrum, quippe *L. Filium*, pertinere non poteſt.

* Cicero *pro Q. Ligar. cap.* 1. et poſtea ſaepius hunc Q. Tuberonem vocat *propinquum ſuum*. Quem locum interpretaturus *ſcholiaſtes: dicebatur*, inquit, *Tiberoſororem Ciceronis habuiſſe in matrimonio*. Aut ergo, fama deceptus, haec ſcripſit ſcholiaſtes, aut bis vxorem duxiſſe oportet Tuberonem.

§. CLXXXXIII.

Eius ſcripta.

Habitus eſt doctiſſimus publici priuatique iuris, libroſque reliquit DE OFFICIO IVDICIS, Gell. *Noct. Attic. Lib.* XIIII. *cap.* 2. item AD OPPIVM, Gell. *Noct. Att. Lib.* VII. *cap.* 9. At *Hiſtoriarum libros* XIIII. quos eidem Tuberoni noſtro tribuit Guil. Grotius, *Vit. ICtor. Lib.* I. *cap.* 12. §. 5. L. potius Tuberoni, patri, tribu-

Source : BIU Cujas

tribuendos esse, existimat Voss. *de historic. Lat. Lib. I. cap.* 12. idque satis luculenter probat ex Cicer. *ad Q. fratr. Lib. I. epist.* 1. vbi ad fratrem scribens : *Quamquam*, inquit, *legatos habeas eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suae : de quibus honore, et dignitate, et aetate praestat* TVBERO : *quem ego arbitror, (praesertim quum scribat* HISTORIAM*), multos ex suis annalibus deligere, quos possit et velit imitari* *. Ceterum, quamuis obseruatum sit a Pomponio, scripta Tuberonis nostri non adeo magnum plausum tulisse ob sermonem antiquum et obsoletum, quem tamquam cum Euandri matre loquuturus vbique adfectarit : *l.* 2. §. 46. *D. de orig. iur.* saepe tamen eum testem laudari animaduertimus a Labeone, *l.* 29. §. 4. *D. de legat.* 3. *l.* 7. *D. de trit. vin. vel ol. legat.* Celso, *l.* 6. *D. de pecul. l.* 43. *D. de legat.* 3. *l.* 7. §. 1. 2. *D. de supell. leg.* Iauoleno, *l.* 77. *D. de contrah. emt. l.* 25. *D. de instr. et instr. leg.* Vlpiano, *l.* 2. *D. de vsu et hab. l.* 5. §. 3. 7. *D. de pecul. l.* 13. §. 30. *D. de act. emt. l.* 1. *pr. D. de aqu. et aqu. pluu. l.* 72. *pr. D. de verb. obl.* denique a Paullo, *l.* 32. §. 1. *D. de aur. arg. et mund. leg.*

* * Quum tam frequenter a viris doctis confundantur Aelii Tuberones, eiusdem quidem gentis cum Catis et Paetis, at diuersae plane familiae: licebit eos breui schemati includere, eademque opera supplere illud, quod dedit Christ. Ad. Rupertus *ad Enchir. Pompon. Lib. III. cap.* 4. *pag.* 169.

Source : BIU Cujas

L. AELIVS PAETVS TVBERO primus ita cognominatus, praetor vrbanus. De quo Val. Max. *Lib. V. cap. 6. et 4.* Plin. *Hist. nat. Lib. X. cap. 18.*

P. AELIVS TVBERO aedil. anno 551. Liu. *Lib. XXX. cap. 29.* praetor anno 552. Siciliam sortitus. Id. *cap. 40.* legatus anno 563. Idem *Lib. XXXVII. cap. 55.*

Q. AELIVS TVBERO tribunus pl. anno 559. Liu. *Lib. XXXIIII. cap. 52.* Triumuir anno 560. Liu. *Lib. XXXV. cap. 9.*

Q. AELIVS TVBERO, L. Aemilii Paulli gener, de quo Plutarch. in *L. Aemilio Paullo.*

Q. AELIVS TVBERO, Stoicus et ICtus, de quo Val. Max. *Lib. VII. cap. 5.* Cic. *pro Muraen. cap. 36. de orat. Lib. III. cap. 23.*

P. AELIVS TVBERO, de quo Cic. *de oratore Lib. I. cap. 84.*

L. AELIVS TVBERO historicus, Q. Ciceronis legatus in Asia, postea propraetore Africam sortitus, littore prohibitus a Q. Ligario et P. Atio Varo.

Q. AELIVS L. F. TVBERO ICtus, de quo hic agimus. Vxores, Ciceronis soror et Ser. Sulpicii filia.

Q. AELIVS Q. F. TVBERO cos. cum P. Fabio Maximo, anno V. C. 742. Dio Cass.

Filia nupta Cassio.

CASSIVS LONGINVS, ICtus, de quo infra.

§. CLXXXXIIII.

Sectarum origo.

Quum ergo tum Roma tantum ingeniorum praestantissimorum prouentum viderit, ex his vero quibusdam, veluti LABEONI, atrox insedisset veteris rei publicae liberae memoria, alii cum ATEIO CAPITONE scenae seruirent, fructusque huius obsequii sui caperent vberrimos: non potuit non inter diuersarum partium ICtos aemulatio nasci, ex qua et discrepantia in interpretando iure respondendoque principia, et inde diuersas SECTAS pullulare omnino oportuit.

§. CLXXXXV.

Source : BIU Cujas

§. CLXXXXV.

Earum descriptio.

Hinc de M. ANTISTIO LABEONE et C. ATEIO CAPITONE Pomponius: *hi duo*, inquit, *primum veluti diuersas* SECTAS *fecerunt. Nam Ateius Capito in his, quae ei tradita fuerant, perseuerabat: Labeo ingenii qualitate, et fiducia doctrinae, qui et ceteris operis sapientiae operam dederat, plura innouare instituit* *. *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* De his vero ICtorum sectis cum cura egerunt Em. Merill. *Obs. Lib. I. cap.* 2. *sequ.* et Gottfrid. Mascouius *de sectis Sabin. et Proculian.* qui inprimis *cap.* 9. vestigia sectarum praecipua per vniuersum ius sagaci ingenio inuestigauit.

* Mirum profecto est, hos ICtos tam non modo inter se, sed et a se ipsis dissensisse, vt alia principia in re publica, alia in iuris prudentiae studio sequerentur. In re publica LABEO tantum abest, vt noua probaret, *vt nihil ratum pensumque haberet, nisi quod iustum sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset.* Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 12. Contra ATEIVS CAPITO adcommodato dominantibus ingenio facile omnia, quae Augustus de nouo instituebat, probabat. (§. 179. *seqq.*) At in iuris prudentia LABEO nouator erat; ATEIVS ea, quae a maioribus tradita acceperat, mordicus tenebat. Sic saepe maximos etiam viros alio ingenio domi, alio in re publica, esse animadvertimus.

§. CLXXXXVI.

Qualis Augusti successor, Tiberius?

Talis sub Augusto fuit iuris prudentiae facies. Eius successor, TIBERIVS, callidissimus princeps, non modo iisdem Augusti artibus, suscepto imperio, sollerter vsus est, sed et noua quaedam reperit, ad stabiliendam *μοναρχίαν* vel maxime comparata. Nam vt inter initia principatus *ciuilem admodum, ac paullo minus, quam priuatum, egit*, Sueton. *Tiber. cap.* 26. adeo, vt *cuncta per consules inciperet, tamquam vetere re publica, et ambiguus imperandi, ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione, proponeret*: Tacit. *Annal. Lib. I. cap.* 7. *ita paullatim principem exercuit praestititque* *. Sueton. *Tiber. cap.* 33.

* Mutationem hanc omnes historici obseruant: at ipsum tempus, quo Tiberius, veluti Circeo poculo inebriatus, semel simulque sui dissimillimus factus est, simulque caussam istius *μεταμορφώσεως* adcuratius, quam alius quisquam, notauit Dio Cassius *Lib. LVII. pag.* 615. Postquam enim Germanici casum narrauit, statim pergit historicus *πολιτικώτερον*: *Τιβέριος δέ, ἐπειδὴ τὸ ἐφεδρεῦον ἄκρατ' εἶχεν, ἐς πᾶν τ' ἀνήνυτον τῶν πρόσθεν εἰργασμένων αὐτῷ, πολλῶν ὄντων καὶ καλῶν, περιέστη· καὶ τὰ μὲν ἄλλα, ἀγελαίως ἤρξε, καὶ παῖς τῆς ἀσεβείας δίκαιος, εἰ μὴ ὄχ ὅσον ἐς τὸν Ἄγυγον, ἀλλὰ καὶ ἐς αὐλὸν ἐκεῖνον, τὴν τε μητέρα αὐλῶ*

αὐτῷ πρόξεως τι ἢ κῆ ἐπὶ τὸν ἀνεπιτήδειον ἐπικλήθη, δεινως ἐπέχει: Enimuero Tiberius, vbi iam nemo esset, qui principatui imminens, vitam eius obseruaret, quum antehac plurima egregie feciſſet, tum in contraria omnia mutatus est. Imperauit crudeliter, violati numinis poſtulari iuſſit, non modo qui contra Auguſtum, ſed etiam qui contra ipſum aut matrem quidquam egiſſent, loquutique eſſent incommodius. Itaque tum demum ſuo omnia arbitrio agere coepit, quum remoto aemuli, Germanici, metu, ſe ſolum ex familia Auguſta ſupereſſe animaduerteret, id eſt anno ab V. C. 772.

§. CLXXXXVII.

Vetere ritu ſub eo lata Lex Iunia Norbana.

Et ſane exemplo Auguſti aliquamdiu leges vetere ritu, miſſisque in ſuffragium centuriis vel tribubus, ferri paſſus eſt. Talis enim omnino eſt LEX IVNIA NORBANA de libertinis, minus ſollemniter manumiſſis, Latinorum coloniariorum numero habendis, Vlpian. *Fragm. tit.* 1. §. 10. Cai. *Inſt. Lib.* I. *tit.* 1. §. 2. non libera adhuc re publica anno ab V. C. 671. *C. Iunio Norbano Balbo* et *L. Cornelio* coſſ. (quod in mentem nuper venit Hermanno Noordkerkio *Diſquiſ. de lege Petron. pag.* 91.*): ſed centum annis poſt, puta anno ab V. C. 771. *M. Iunio Silano* et *L. Iunio Norbano* coſſ. lata, ceu contra Noordkerkium oſtendit Io. Guil. Hofmannus *de lege Iul. de adulter. cap.* 5. *pag.* 107.

* Nimirum primo vir doctus ſibi procul dubio perſuaſerat, poſt Auguſtum nullas amplius leges vetere ritu rogatas eſſe. Deinde fauorem libertatis, quem haec lex eo ipſo prodiderit, dum eos, qui domini voluntate in libertate morarentur, Latinos ſaltim eſſe voluerit, temporibus illis minus conuenire, exiſtimauit. Denique ciues Romanos, in Latinas colonias miſſos, temporibus Auguſti et Tiberii iam ciuitate donatos eſſe, obſeruat, ex eoque colligit, legem Iuniam, ſi libertinos minus ſollemniter manumiſſos Latinis coloniariis exaequaſſet, eo ipſo illos declaraſſe ciues Romanos. Quod quum abſonum videatur, potius hanc legem multo antiquiorem, et libera adhuc re publica latam eſſe cenſuit. Sed quod feciſſe Auguſtum vidimus: quidni et fecerit Tiberius, maxime quum adhuc ipſum ciuilem admodum, et vix principem ageret? Sane ſub eodem principe et legem VISELLIAM vetere ritu latam eſſe probabile eſt (§. 167.). Deinde potuit legislator fauere libertati, quamuis libertinos ad iura ciuitatis promiſcue non admitteret. Denique falſum eſt, quod vir clariſſimus pro certo ponit, Latinos coloniarios iam ſub Auguſto et Tiberio ciues fuiſſe. Ius enim Latii, certis coloniis, immo totis prouinciis datum, multo poſt Tiberii tempora a iure ciuitatis Romanae diuerſum fuiſſe, luculenter docuit Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. cap.* 8. *p.* 47. ipſe tamen lapſus memoria, dum *pag.* 46. legem noſtram a Iunio Norbano ſub Auguſto latam eſſe ſtatuit.

§. CLXXXXVIII.

Source : BIU Cujas

§. CLXXXXVIII.

Sed et reliqua Augusti instituta seruauit Tiberius. Nam et praefectorum vrbi et praetorio auxit potentiam *: et in prouinciis suo omnia arbitrio disposuit: et ICtorum celeberrimis, inter quos MASVRIVM SABINVM nominat Pomponius, *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* facultatem de iure respondendi pro beneficio dedit. Tiberius et reliqua Augusti instituta seruat.

* Patet hoc exemplo L. Aelii Seiani quem ad annum 785. praefectum praetorio habuit, quem Dio Cass. *Lib. LVIII. pag.* 630. vocat μίγιστον τῶν πρὸ αὐλῆς, καὶ τῶν μετ' αὐλῶν (πλὴν Πλαυτιανοῦ) τὴν ἡγεμονίαν πεύσῃ λαβόντων, ἰσχύσαντα, *inter omnes, qui ante, aut post illum, (excepto Plautiano) illam potestatem consequuti sint, ad summam potentiam euectum.* Et Tacit. *Annal. Lib. IIII. cap. 2.* Seianum non modo *vim praefecturae modicam antea intendisse*, obseruat, sed et id factum esse, monet, *facili Tiberio, atque ita prono, vt socium laborum non modo in sermonibus, sed apud patres et populum, celebraret, colique per theatra et fora effigies eius, interque principia legionum, sineret.* Conf. Sueton. *Tiber. cap. 65.*

§. CLXXXXVIIII.

Dominatum tamen non alia arte magis stabiliuit, quam comitiis primo statim imperii sui anno, *Sex. Pompeio* et *Sex. Appuleio* coss. a populo ad patres translatis. Tacit. *Annal. Lib. I. cap. 15.* Nam ad eum diem etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen etiam studiis tribuum facta fuerant. Ex eo vero tempore et honores decernebantur a senatu, praeter consulatum, quem ipse princeps suo arbitrio dabat, Dio Cass. *Lib. LVIII.* Lipsi. *Excurs. E. ad Tacit. Lib. I. Annal.* neque dubitabatur amplius, senatum ius facere posse. *l. 9. D. de legib.* Senatum vero adeo sibi obnoxium habebat princeps, vt non temere quisquam in alia ire auderet, quam qua ire animaduerteret principem, maxime quum in curia non, vti in campo Martio, vel in foro, tabellis suffragia ferrentur, sed patres viua voce et discessione, vidente atque audiente principe, sententiam animi denudare cogerentur. Ita quaecumque vellet, statuebat Tiberius: quamuis ad minuendam inuidiam ea a senatu decerni fingeret *. Comitia tamen a Populo ad patres transtulit.

* Et haec erat vera huius consilii ratio. Nam quam Pomponius *l. 2. §. 9. D. de orig. iur.* reddit, *quod difficile fuerit, tantam populi multitudinem in vnum conuenire*, ad obtentum pertinet, quo nouum hoc institutum excusabat princeps astutissimus. Ceterum quamuis initio illa mutatio circa comitia potissimum ad magistratus creandos pertineret, non ad leges, quippe quas Tiberium adhuc aliquando populi suffragiis tulisse, diximus: facile tamen est ad animaduertendum, expertem semel iuris suffragii populum

Source : BIU Cujas

lum aequo animo pati debuisse, vt et iura noua per senatum, quotiescumque collibitum fuisset, principi statuerentur. Quod obseruans Tacit. *Annal. Lib. III. cap. 60. Tiberium vim principatus sibi firmantem antiquitatis imaginem senatui praebuisse*, ait.

§. CC.

Hinc iura noua SCtis constituta.

Ex eo tempore iam rarius leges prisco more rogabantur. Pleraque enim, quae pro legibus valere volebant principes, habita, aut per quaestores candidatos recitata, oratione, vel libello praelecto, patribus commendabant *. Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 25. Quo facto aliquot senatores dicebant sententiam, reliquis aut verbo adsentientibus, aut pedibus euntibus in partem alterutram. Quod pluribus placuerat, id pro lege erat, et SENATVSCONSVLTVM dicebatur. Tac. *Annal. Lib. VI. cap.* 12. Placere vero solebat tantum non omnibus, quod principi placuisset.

* LIBELLI SCto praemissi mentio fit *l.* 20. *§. 6. D. de hered. petit.* Multo frequentius tamen ORATIONIS, quam vel ipse habebat princeps, vel per quaestorem candidatum recitabat. *l.* 1. *D. de offic. quaest.* Tacit. *Annal. Lib. XVI. cap.* 27. Sueton. *Aug. cap.* 65. *Neron. cap.* 15. *Tit. cap.* 6. Quod quaestoris officium tanti videbatur, vt Cassiodorus *Varior. Lib. V. cap.* 4. et *Lib. VI. cap.* 5. magistratum illum vocare non dubitet *imaginem principis, et linguae regiae vocem*. Quum vero *orationem principis* plerumque *patrum consultum sequeretur*: Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 25. non mirum est, iura inuecta SCtis, orationibus principum sancita dici *l. penult. D. ad SC. Tertull. l.* 8. *pr. D. de transact. l.* 10. *D. pro soc. l.* 60. *pr. D. de rit. nupt. l.* 32. *pr. §.* 1. *Jequ. D. de donat. int. vir. et vxor. l.* 1. *l.* 7. *C. de praed. min. non alien. l. vn. C. Th. de cretion.* Vopisc. *Prob. cap.* 13. Talis oratio Claudii imperatoris, qua Galliae ius ciuitatis dedit, quamque et Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 24. recensuit, integra exstat Lugduni, quam ex tabula antiqua primus extulit Lipsius *Excurs. A. ad Tacit. Annal. Lib. XI.* postea adcuratius descripsit expositque Iac. Sponius *dans la recherche des Antiquités et curiosités de la ville de Lyon, cap.* 8. *pag.* 170. *seqq.* Addi possunt de principum orationibus Christ. Otto a Boekeln *Diss. de orat. princip. in senatu*, et Schubart. *de fatis iurisprudent. Rom. Exerc. III. pag.* 575.

§. CCI.

SC. Libonianum.

Hoc modo anno ab V. C. 769. *T. Statilio Tauro* et *L. Scribonio Libone*, (non *Statilio* et *Tauro*) coss. factum est SC. LIBONIANVM, quo poena legis Corneliae de falsis irrogatur et ei, *qui quid aliud, quam testamentum falsum sciens signarit, signariue curarit, falsas testationes faciendas, testamentaque falsa inuicem dicenda aut consignanda dolo malo curauerit* *. *Pariat. legg. Mos. et Rom. tit.* 8. *§.* 7. *l.* 9. *§.* 3. *D. ad leg. Corn. de falsis.* Iac. Cuiac. *Pa-*

Source : BIU Cujas

Parat. C. tit. ad leg. Corn. de falsis. Petrus Fab. *Semestr. Lib. I. cap. 25. pag.* 143. Claud. Salmas. *ad ius Attic. cap.* 30. *pag.* 877.

* Postrema Pariatoris verba admodum obscura, dubiaeque lectionis sunt, adeo, vt ne Basilica quidem hic verba Graece versa exhibeant, sed eorum auctores sensum qualemcumque inde exsculpere contenti fuerint. Quidquid inter viros doctos ea de re disputatum est, reperies apud van Bynkersh. *Obseru. Lib. III. cap.* 18. et Schulting. *Iurisprudent. vet. anteiustin. pag.* 703.

§. CCII.

Deinde anno ab V. C. 773. *M. Aurelio Cotta* et *M. Valerio Messalla* coss. senatus censuit, *vt, si qui coierint ad occisionem innocentum, lege Cornelia de falsis tenerentur. Pariat. legg. Mos. et Rom. ibid.* Insequente anno 774. *Tiberio Aug.* IIII. et *Druso Nerone* iterum coss. SCto cautum, *vt damnatis vitae spacium ad diem decimum propagaretur.* * Tacit. *Annal. Lib.* III. *cap.* 51. Sueton. *Tiber. cap.* 75. Dio Cass. *Lib.* LVII. *pag.* 617. Seneca *de tranquill. Lib.* I. *cap.* 45. SCta Aurelianum et Claudianum.

* Occasionem huic SC. praebuit C. Lutorii Prisci, equitis Romani, fatum, qui ab accusatoribus impietatis accusatus ob carmen, quod in Germanici mortem conscripserat, et ob quod pecunia donatus fuerat a Tiberio, quasi id aegro Druso spe maioris praemii composuerit, a senatu capitis fuerat damnatus. Factum ergo SC. vrgente Tiberio, *ne decreta patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur, eoque vitae spacium damnatis prorogaretur.* Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 51. Aegre enim id tulerat Tiberius, ὡς ὅτι ἐκεῖνος ἐφιλάσθη, ἀλλ' ὅτι τις ὑπὸ τῶν βουλευτῶν τῶν ἄνευ τοῦ ἑαυτοῦ γνώμης ἐθανατώθη: *non quod is supplicio esset adfectus, sed quod senatus aliquem sine sua sententia damnasset.* Dio Cass. *Lib. LVII. pag.* 617.

§. CCII.

Porro anno ab V. C. 780. *M. Licinio quintum* et *L. Calpurnio* coss. (non *Licinio* et *Tauro* coss.) a senatu decretum, *vt ex lege Cornelia de falsis condemnarentur, qui ob struendam aduocationem, testimoniaue, pecuniam acceperint pactiue fuerint, societatem coierint, aut aliquam delationem interposuerint.* Ita enim sententiam amplissimi ordinis exprimit *Pariator legg. Mos. et Rom. tit.* 8. §. 7. qui ibidem etiam alterius meminit SCti, biennio post *duobus Geminis* coss. facti, quo senatus eiusdem legis Corneliae poenae ubiicit et illos, *qui ob venumdandum, vel denunciandum vel non denunciandum remittendumue testimonium pecuniam acceperint* *. SCta Licinianum et Rubellianum.

* In textu Pariatoris sine sensu legitur: *ob venundandum vel denudandum non remittendumue testimonium.* Hinc de sanando loco admodum sol-

Source : BIU Cujas

liciti sunt viri doctissimi, Heraldus *de rer. iudicat. auctorit. Lib. I. cap. 6.* Salmas. *ad ius Att. cap.* 30. Hugo Grot. *Flor. spars. ad l. vlt. C. de concuss.* et Bynkersh. *Obseru. Lib. III. cap.* 19. Nobis commodissimum sensum habere visa est, quam hic sequuti sumus, lectio.

§. CCIIII.

SC. Persicianum vel Pernicianum.

Eiusdem aetatis est SC. PERNICIANVM, vti vocat Vlpianus *Fragm. tit.* 16. §. 3. vel PERSICIANVM potius ex sententia Perizonii *de lege Vocon. pag.* 176. *sequ. edit. nou.* conditum sub Tiberio anno V. C. 787. *Paullo Fabio Persico* et *L. Vitellio Nepote* coss. Est hoc caput illud, *quod Papiae legi a Tiberio additum, cuique a Claudio imp. obrogatum esse*: scribit Sueton. *Claud. cap.* 23. Eo SCto cautum fuerat, *vt sexagenariorum et quinquagenariarum nuptiae ne essent, ac proinde vir et vxor caelibatus poenis perpetuo tenerentur* *. Qua de re plura diximus *in Commentar. ad legem Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 3. §. 5.

* Sunt qui iam lege Iulia et Papia Poppaea, sexagenariis masculis, feminisque quinquagenariis, nuptiis interdictum fuisse, existimant: Ant. Augustin. *de legib. et SC. pag.* 1213. *Tom. II. Thesauri Graeu.* Iust. Lipsius *Excurs. C. ad Tacit. Annal. Lib. III.* Barn. Brisson. *de iure connub. pag.* 160. et ipse Iac. Gothofredus *ad Leg. Pap. Popp. cap.* 2. et quidem ob locum Lactantii *Instit. diuin. Lib. I. cap.* 16. *et l.* 27. *C. de nupt.* Sed ex Vlpiani *Fragm. tit.* 16. §. 3. patet, legem Iuliam senes potius poenis caelibatus liberasse, sub Tiberio vero additum esse per SC. Persicianum, vt perpetuis caelibatus poenis subiacerent, donec per Claudianum SC. et huic obrogatum, cautumque est, *vt qui maior sexagenario minorem quinquagenaria duxerit, perinde haberetur, ac si minor sexaginta annorum vxorem duxisset.* Apud Lactantium ergo et in *d. l.* 27. *C. de nupt.* SC. Pernicianum, quia ad legem Papiam factum est, cum lege ipsa confunditur. Quod saepe fieri, alibi pluribus exemplis ostendimus.

§. CCV.

Quaedam Tiberius etiam edictis constituit.

Quemadmodum vero iam sub Augusto, qui maxime ciuilis videri cupiebat, non pauca rescriptis edictisque constituta esse, vidimus (§. 170.): ita multo minus dubitandum videtur, quin et TIBERIVS eadem vsus sit potestate. Eius sane constitutionum rescriptorumque mentio fit *l.* 28. *D. de hered. inst.* et *l.* 38. §. 10. *D. ad leg. Iul. de adult.* Neque tamen edicto, vti quibusdam visum, sed SCtis, in municipiis vel aboleuit, vel ad modum redegit ius moremque asylorum *. Sueton. *Tiber. cap.* 37. et Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 60.

* Sue-

Source : BIU Cujas

* Suetonius Tiberium *omnem vim moremque asylorum, quae vsquam fuerint, aboleuisse statuit.* Sed eum erroris, praeter commentatores, arguunt Marsham. *in Can. chronic. pag. 356.* et Spanhem. *de vsu et praest. numism. Tom. II. Diss. VIIII. pag. 661.* Et sane rem expedit Tacitus, pluribus referens, crebrescente per Graecas vrbes licentia atque impunitate asyla statuendi, completa fuisse templa pessimis seruitiorum, eodemque subsidio obaeratos aduersum creditores, suspectosque capitalium criminum receptalatos. Addit, principem retulisse rem omnem ad senatum, ciuitatesque, quae id ius vsurparent, legatos mittere iussas. Auditis legatis, aliis populi Romani beneficium, aliis sociorum pacta, aliis regum, qui ante vim Romanam valuerint, decreta allegantibus facta esse SCta, *quibus multo cum honore, modus tamen praescriptus sit, iussumque, vt in templis aera figerentur, sacrandam ad memoriam, neu specie religiones in ambitionem delaberentur.* Tacit. *Annal. Lib. III. cap. 63.*

§. CCVI.

Inter ICtos sub Tiberio floruit Masurius Sabinus.

Ceterum sub Tiberio quoque floruerunt ICti celeberrimi, inter quos primum locum sibi suo quodam iure vindicat MASVRIVS SABINVS, non ille apud Athenaeum *, quem cum nostro plerique confundunt, sed laudatus ab Arriano *Dissert. Epictet.* IIII. *cap. 3.* et Persio *Satyra V. v. 88. sequ.* Praeceptore ille vsus est Ateio Capitone, cuius ipse praecepta tam religiose tenuit, vt ab eo potissimum SABINIANORVM sectam nomen accepisse contendant **.

* Quamuis enim inter deipnosophistas et colloquutores apud Athenaeum fuerit *Massurius* quidam, isque ICtus, eumque hunc nostrum fuisse existiment viri doctissimi: Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap. 1.* et Rupertus *ad Pompon. Enchirid. Lib. III. cap. 13. sect. 2. pag. 201.* ratio tamen temporis, quo id conuiuium praebitum fingitur, vix patitur, vt calculum huic sententiae adiiciamus, nisi fingere velimus, Athenaeum tam fuisse absonum, vt inter homines diuersorum saeculorum conuiuium celebratum finxerit, id est, data opera voluerit nugari. Vid. Gerard. Io. Voss. *de histor. Lat. Lib. I. cap. 21.* et Car. Andr. Duker. *de Latinit. vet. ICtor. pag. 158.*

** Ita plerique, quos et ipsi aliquando sequuti sumus. Solus Iac. Gothofredus *in Manual. iur. pag. 1253. edit. nou. Opp.* SABINIANORVM nomen a Coelio Sabino, quem sub Vespasiano floruisse constat, arcessere maluit. Et sane quum sectatores nomina adsumere soleant a doctoribus, eodem tempore florentibus: probabile est, opponendos sibi esse PROCVLVM et CASSIVM, qui sub Claudio et Nerone potissimum inclaruerunt, nec non PEGASVM et COEL. SABINVM, qui sub Vespasianis floruerunt. Immo huic sententiae ipse fauere videtur Pomponius, dum *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* scribit: *adpellatione sunt partim* CASSIANI, *partim* PROCVLEIANI, *quae origo a Capitone et Labeone coeperat.* Vbi sane *Proculeianos* non *Sabinianis*, sed *Cassianis* opponit.

Source : BIU Cujas

§. CCVII.

Eius modicae facultates.

Facultatem de iure respondendi acceperat a Tiberio, nec tamen multum rei fecerat, tam curtae supellectilis, vt fere ab auditoribus esset alendus. *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* Occurrit apud Gruter. *Inscript. pag. 535. nu. 5.* MASVRIA M. F. MARCELLA, nupta veterano, quam filiam nostri fuisse putat Reines. *ad Inscript. pag. 259.* Quod si verum esset, et praenomen ICti nostri inde posset restitui, et videretur hoc forte argumentum paupertatis admodum firmum, quod filiam militi gregario nuptum dare non dubitauerit. Sed coniecturam hanc non adeo probabilem esse, facile vnusquisque intelligit.

§. CCVIII.

Libri tres iuris ciuilis ab eo scripti.

Reliquit SABINVS noster opera praestantissima, inter quae *libri tres* IVRIS CIVILIS tantae admirationi fuerunt veteribus, vt non modo ICti, veluti ARISTO, *l. 6. D. de vsu et habit.* POMPONIVS, VLPIANVS, et PAVLLVS eos commentariis illustrarint, sed et plerique, qui ab eo tempore ad Hadrianum vsque floruerunt, librorum Sabinianorum ordinem, a Iac. Gothofredo in *Quatuor fontibus iuris ciuilis* inuestigatum, in operibus suis sint sequuti *. Hub. Giphan. *Oeconom. iur. pag.* 120. Quin hi ipsi sunt libri, quos Arrian. *Diss. Epictet. IIII. cap. 3.* τὰς Μασυρίε νόμες, *Masurii leges*; Persius vero *Sat. V. MasurI rubricam* adpellat.

* Non potuit sane posteros, praetor Sabini auctoritatem, quidquam mouere, vt eius ordinem sequerentur, quippe parum profecto concinnum. Ostendit enim Iac. Gothofredus *in Sabinianor. libr. serie et continent. Thesaur. iur. ciu. Tom. III. pag. 250.* eum *libro primo* egisse de successione testamentaria, adeoque de testamentis ordinandis, de heredum institutionibus et substitutionibus, hereditatis diuisione, adquisitione, et similibus quaestionibus, quae *libris Pandect. XXVIII. et seqq.* tractantur: *libro secundo* de bonorum possessionibus, de legatis tum generatim, tum de variis eorum speciebus, de patria et dominica potestate, de contractibus, de nuptiis, dotibus, repudiis, de tutelis et delictis, denique de adquirendo rerum dominio, adquirenda admittendaue possessione, solutionibus et donationibus: *libro tertio* et postremo de obligationibus contrahendis, de stipulationibus, nouationibus, fideiussionibus, acceptilatione, de interdictis, actione ad exhibendum, seruitutibus et rei vindicatione, et postremo de iudiciis, iure publico, captiuis et postliminio reuersis egit. Nulla hic reddi potest ordinis ratio, nullus in hac rerum iuridicarum farragine materiarum nexus deprehenditur, et tamen haec materiarum series placuit posteris, puta Sabinianis, quibus merito adclames illud poetae: *O imitatores seruum pecus!*

§. CCVIIII.

Source : BIU Cujas

§. CCVIIII.

Reliqua eius opera.

Ab A. Gellio *Noct. Attic. Lib.* III. *cap.* 9. laudatur eius *liber* de INDIGENIS, vel potius, (quod ipsius loci inde adducti materia indicat, DE INDIGITAMENTIS Lipſ. *Elect. Lib.* I. *cap.* 7. *). FASTORVM libros laudat Macrob. *Saturn. Lib.* I. *cap.* 4. vt et libros MEMORIALIVM vel MEMORABILIVM, opus hiſtoricum, Gellius *Noct. Attic. Lib.* IIII. *cap.* 20. *Lib. V. cap.* 6. et *Lib.* VI. *cap.* 7. Macrob. *Saturn. Lib.* III. *cap.* 6. et Paullus *l.* 144. *D. de verb. ſignif.* Scripſit et quaedam AD EDICTVM, *l.* 18. *D. de operis libert. libros* ADSESSORIORVM, *l.* 12. *D. de pact. l.* 5. §. 8. *D. de iniur.* AD VITELLIVM, *l.* 45. *D. de legat.* 3. denique RESPONSA. *l.* 4. *D. ad leg. Rhod. de iactu.* Plura tanti ingenii monimenta non reperio. Quem enim Gell. *Noct. Attic. Lib. XI. cap.* 18. memorat, librum de FVRTIS, eum non tam ſingulare opus, quam titulum librorum iuris ciuilis fuiſſe, arbitramur.

* INDIGITAMENTA erant βιβλία ἱερατικὰ, libri ſacri, quibus deorum nomina et ſacrorum ritus veluti in indice comprehendebantur. Huius modi libros et alii ſcripſerunt, veluti GRANIVS FLACCVS ICtus, Iulio Caeſari συγχρονος, de quo ſupra (§. 17.) plura diximus. Eius enim *indigitamenta* laudat Cenſorin. *de die natal. cap.* 3. ex quibus permulta *in librum III. aduerſ. gentes* retuliſſe Arnobium, obſeruat Lud. Carrio *Emendat. Lib. I. cap.* 4.

§. CCX.

M. Coccceius Nerua ICtus, Labeonis auditor.

Eorumdem temporum, at diuerſae ſectae, fuit M. COCCEIVS NERVA *, quem Labeonis fuiſſe auditorem, diſſenſioneſque auxiſſe, teſtatur Pomponius *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* Tiberio fuit familiariſſimus, quocum ſolus fere ſenatorum ſeptem fere annos familiariſſime vixit in Campania. Tacit. *Annal. Lib.* IIII. *cap.* 58. et *Lib.* VI. *cap.* 26. Functus eſt aquarum curatione, Frontin. *de aquaeduct. art.* 102. et conſul fuit anno ab V. C. 775. collega C. Vibio Rufino. Gruter. *Inſcript. pag.* 187. *num.* 13. *pag.* 602. *num.* 4. Anno demum 786. vitam inedia finiit, tanta animi obſtinatione, vt ne a Tiberio quidem ſe a propoſito reuocari pateretur. Tacit. *Annal. Lib. VI. cap.* 26. Reliquiſſe eum quaedam ingenii monimenta, ſatis conſtat: *l.* 2. §. 28. *D. ne quid in loc. publ.* quamquam ne inſcriptio quidem librorum hodie nota eſt.

* Vt tot Neruae, cum in vniuerſa hiſtoria Romana, tum in hiſtoria iuris, celebrari recte diſtinguantur: eos in ſchemate quodam hic lectoribus ob oculos ponere iuuabit.

M. Coc-

Source : BIU Cujas

M. COCCEIVS NERVA.

M. COCCEIVS M. F. NERVA, Golz. *Fast. pag.* 206. consul anno 717. cum L. Gellio Poplicola, ab Appiano perperam L. Cocceius vocatus.

M. COCCEIVS M. F. M. N. NERVA, ICtus noster, cos. anno 775. vitam anno 786. inedia finiuit.

M. COCCEIVS M F. M. N. M. P. NERVA, ipse quoque ICtus, qui de vsucapionibus scripsit, consul suffectus anno ab V. C. 793.

SERGIA LAENATISA PLAVTILLA mater imp. Neruae Caes. Aug. memoratur in lapide apud Spon. *in Miscell. erud. antiqu. pag.* 268.

Imp. NERVA CAES AVG. GERMANICVS caesso Domitiano ad imperium peruenit anno ab V. C. 848. decessit, adoptato M. Vlpio Traiano, anno 850. VI. Kal. Febr.

§. CCXI.

Status iuris sub C. Caligula Caesare.

Qui Tiberio successit, C. CALIGVLA, nihil fere, praeter externam speciem humani habuit: neque monstro illi et dedecori humani generis quidquam debet iuris prudentia. Tentauerat, reuocato more comitiorum suffragia reddere populo, Sueton. *Calig. cap.* 16. immo reddiderat, mox erepturus: Dio Cass. *Lib. LVIIII. pag.* 647. sed ICtis infensissimus, non modo C. Cassio Longino struxit insidias, Cassium cauere sortibus Antianis iussus, Sueton. *Cai. cap.* 57. Dio Cass. *Lib. LVIIII. extr. pag.* 612. verum etiam toti iuris peritorum ordini exitium minatus est, si recte intelligimus verba Suetonii *in eius vita, cap.* 34. *de iuris quoque consultis, quasi scientiae eorum omnem vsum aboliturus, saepe iactauit, se mehercle effecturum, ne quid respondere possint praeter eum* *.

* Ve-

Source : BIU Cujas

* Vexatissimus locus, et a criticis non minus, quam librariis male habitus. Alii omitti iubent verba, *praeter eum*, alii legi iubent, *praeter aequum*, alii, *praeter eccum*, alii, *praeterea*, alii, *praeter verum*, alii, *praeter Deum*, alii, *praeter: Te- reum?* nullo fere sensu. Qui viros doctos ad hunc locum legerit, affatim ineptiarum reperiet. Nobis adhuc placet Ios. Scaligeri interpretatio adlata a Casaubono: *in Caligula lege indubitate:* ne quis respondere possit, praeter eum. *Vox tyrannica, sed satis acuta: se sublaturum ICtos, ita vt ipsius voluntas sit pro iure: nemoque supersit, qui consulatur, praeter eum, hoc est, Caligulam. Quemadmodum enim in animo habebat Caligula omnia exemplaria Liviana et Virgiliana abolere: ita etiam omnes ICtos, vt nemo supereſſet, qui de iure consuli et respondere posset, praeter eum, nempe Caligulam. Propterea subiicit Suetonius, quasi scientiae eorum omnem vsum aboliturus.*

§. CCXII.

Enimuero et breue fuit Caii istius imperium, nec illi tantum ocii fuit in quotidiana ingluuie, vt de vlla re seria cogitaret. Praeterea acta illius omnia rescidit eius successor Claudius, teste Suet. *in Claud. cap.* 11. adeoque si quid forte constituerit noui, id postea ratum non fuit. Et hinc facile reddideris rationem, cur in vniuerso iure nostro nihil omnino, quod Caligulae debeat originem, vsquam occurrat *. Cur nusquam eius in iure fiat mentio?

* Si enim acta rescinderentur alicuius tyranni, plerumque simul eius memoria damnabatur, et tunc omnia, quae vel a damnato habebant nomen, vel ad conseruandam eius memoriam pertinebant, solebant aboleri. Detrahebantur ergo eorum statuae, et vel conflabantur, vel reuellebantur, vel capite saltim truncabantur. Hinc Iuuenal. *Sat. X. v. 62.*

Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens
Seianus, deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt vrceoli, pelues, sartago, patellae.

Exempla passim exstant apud Tacit. *Histor. Lib. III. cap.* 13. Herodian. *Histor. Lib. I. cap.* 14. *Lib. VII. cap.* 7. *Lib. VIII. cap.* 5. Iul. Capitolin. *Maximin. cap.* 23. *Gordian. cap.* 9. Euseb. *Hist. eccl. Lib. VIII. cap.* 13. Lactant. *de morib. persequut. cap.* 42. de quo more pluribus egerunt Iust. Lipsius *Excurs. ad Tacit. Annal. Lib. VI.* Rad. Forner. Rer. *quotid. Lib. II. cap.* 17. *et* 18. Sed et reliquae imagines et picturae damnati memoriam conseruaturae corrumpebantur, Herodian. *Histor. Lib. VII. cap.* 2. adeo, vt ne cusi quidem ab illis nummi valorem suum retinerent. Arrian. *Diss. Epictet. cap.* 5. Quare non mirum, si tam diri monstri nec leges, nec SCta, nec vlla alia instituta rata fuerint.

§. CCXIII.

Multa contra noua reperit, multa emendauit non incallidus iuris, nec pessimis principibus adnumerandus TI. CLAVDIVS CAESAR. Primo enim quaedam circa magistratus mutauit, et *iuris dictionem de fideicommissis, quotannis et tantum in vrbe delegari ma-* Sub Claudio primum instituti Praetores

Source : BIU Cujas

fideicommissarii.

gistratibus solitam, in perpetuum atque etiam per prouincias, testatibus delegauit. Sueton. *Claud. cap.* 23. Et in vrbe quidem de fideicommissis ius dicebant duo praetores *, *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* (non vnus, vti est in §. 1. *Instit. de fideic. hered.* siquidem vnum Traianus demum detraxit, *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.*), qui PRAETORES DE FIDEICOMMISS. vocantur apud Gruter. *Inscript. pag.* 393. *num.* 6. In prouinciis Claudius eam iuris dictionem praesidibus in perpetuum delegarat. Vlpian. *Fragm. tit.* 25. §. 12.

* Nec soli tamen. Ipse enim Vlpianus *ibid.* ait *Romae cognitionem* de fideicommissis *esse consulum, aut praetoris, qui fideicommissarius vocetur.* Quod recte interpretatus Cuiacius *Obs. Lib. XXI. cap.* 34. ostendit, consules de maioribus, praetorem de minoribus summis ius dixisse, eoque refert locum Vlpiani *l.* 19. §. 1. *D. de iurisdict.* Res ipsa certa est ex Quinctiliano *Inst. orat. Lib. III. cap.* 6. vbi ille: *Non debes,* inquit, *apud praetorem petere fideicommissum, sed apud consules. Maior enim praetoria cognitione summa est.* Add. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 662.

§. CCXIIII.

Tutorum datio ab eo coss. delegata.

Deinde satis notum est, eumdem imperatorem sanxisse, *vt pupillis extra ordinem * tutores a consulibus darentur.* Sueton. *Claud. cap.* 23. Quum enim antea ex lege Atilia in vrbe tutores dedissent praetores cum maiore parte tribunorum plebeis, animaduertens Claudius, id minus diligenter fieri, eam curam delegauit consulibus, tutores in posterum cum inquisitione daturis. §. 5. *Inst. de Atil. tut.* Id quod adhuc Plinii Secundi temporibus obtinuisse, ex *Epist. Libr. VIIII. epist.* 13. intelligimus.

* Quidquid alicui magistratuum praeter munia ordinaria, demandabatur, quum alias id ex lege vel more maiorum ad eorum curationem non pertinet, id EXTRA ORDINEM, vel vt alibi *in Claud. cap.* 14. loquitur Suetonius, EXTRA HONOREM dari peragique dicebatur. Sic prouincia aliquando dabatur, *extra ordinem*, Sueton. *Iul. cap.* 9. bellum alicui decernebatur *extra ordinem*, Id. *Aug. cap.* 3. itemque iudicia, Sueton. *Vesp. cap.* 10. animalia rariora advecta publicabantur *extra ordinem.* Sueton. *Aug. cap.* 43. artium magistri, si quando etiam horis non consuetis dissererent, id *extra ordinem* facere dicebantur. Suet. *Claud. cap.* 6. Hinc et coss. extra ordinem data est potestas tutores dandi, quod id alias ad coss. non pertineret.

§. CCXV.

S.C. Claudianum de sexagenariis.

Permulta porro sub Claudio SCtis constituta sunt, quorum pleraque, quia in eius inciderunt consulatus, ab ipso CLAVDIANORVM nomen acceperunt *. De iis ex instituto egit Petr. Faber *Semestr. Lib. I. cap.* 25. In eo numero est SC. CLAVDIANVM, quo

Source : BIU Cujas

quo SCto Perniciano obrogatum, teſte Sueton. *Claud. cap.* 23. cautumque eſt, vt qui maior ſexaginta annis minorem quinquagenaria duxiſſet, perinde haberetur, ac ſi minor ſexagenario duxiſſet vxorem. Vlpian. *Fragm. tit.* 16. §. 3. Id. SC. illuſtrauimus in *Comment. noſtro ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 3. §. 6. rum nuptiis.

* Neque tamen omnia SCta *Claudiana* Claudio imp. tribuenda ſunt. *Claudianum* enim etiam vocatur edictum, ad legem Corneliam de falſis factum, *l.* 14. §. 2. *l.* 15. *D. ad leg. Cornel. de falſ.* quod tamen a Tiberio eſſe, eleganter demonſtrauit Petr. Faber *Semeſtr. Lib. I. cap.* 25. *pag.* 143. Aliud eiuſdem nominis SC. memoratur in *rubr. tit. D. de SC. Silan. et Claud.* quod tamen non ſub Claudio noſtro, ſed Nerone imp. iterum et Calpurnio Piſone coſſ. factum eſſe, et ideo *Piſonianum* quoque vocari in *l.* 8. *D. eod.* ex Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap.* 32. diſcimus.

§. CCXVI.

Eſt et aliud SC. CLAVDIANVM, quod ad rem nauticam pertinuit, cuius varia capita paſſim occurrunt, veluti, *vt ſi quis ex naufragio clauos, vel vnum ex his abſtuliſſet, omnium rerum nomine teneretur*, Vlpianus *l.* 3. §. 8. *D. de incend. ruin. naufr.* itemque, *vt negotiatoribus certa lucra proponerentur, ſuſcepto damno, ſi quid per tempeſtates accidiſſet: vt naues mercaturae cauſſa fabricantibus magna commoda conſtituerentur pro conditione cuiuſque, ciuibus vacatio legis Papiae Poppaeae *, Latinis ius Quiritium, feminis ius quatuor liberorum.* Sueton. *Claud. cap.* 18. *et* 19. Vlpian. *Fragm. tit.* 3. §. 1. 6. *l.* 3. *D. de vacat. et excuſ. muner. l.* 5. §. 3. *D. de iur. immunit.* SC. Claudianum de re nautica.

* Neque tamen eo priuilegio fruebantur ſenatores nauem fabricantes, *quod nec habere illis nauem ex lege Iulia repetundarum liceret. l.* 3. *D. de vacat. et excuſ. muner.* At multo ante legem Iuliam repetundarum lege publica prohibitum fuerat ſenatoribus, quo minus nauem aedificarent. Nam iam anno V. C. 584. *P. Cornelio* et *Ti. Sempronio* coſſ. Q. Claudius, tribunus pl. ſuaſore legis C. Flaminio ad plebem tulerat, *ne quis ſenator, quiue ſenatoris pater fuiſſet, maritimam nauem, quae plus, quam trecentarum amphorarum eſſet, haberet.* Id enim ſatis habitum ad fructus ex agris vectandos, quaeſtus omnis patribus indecorus viſus. Rem per ſummam contentionem actam memoriae prodidit Liuius *Lib. XXI. cap.* 63. Et ad hanc legem reſpicere videtur Cicero *in Verr. V. cap.* 18. *noli metuere, Hortenſi, ne quaeram qui licuerit aedificare nauem ſenatori? Antiquae ſunt iſtae leges, et mortuae, quemadmodum tu ſoles dicere, quae vetant.* Sed antiquam illam et mortuam legem in vitam veluti reuocauit lex Iulia repetundarum.

§. CCXVII.

Porro nota eſt LEX CLAVDIA, id eſt, vt ego interpretor, SC. CLAVDIANVM, quo *tutela mulierum legitima ſuſtinebatur.* Vlpian. SCta Claudiana de tu-

Source : BIU Cujas

tela mulierum et feminis seruili amore bacchantibus.

pian. *Fragm. tit.* 11. §. 8. de quo nos plura in *Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 11. §. 3. Denique celeberrimum etiam fuit SC. CLAVDIANVM de muliere serui alieni amore bacchante, a domino serui in seruitutem vindicanda, quod Iustinianus sustulit. *pr. Inst. de succeſſ. subl. l. vn. C. de SC. Claud. toll.* Vid. Paull. *Sentent. recept. Lib. II. tit.* 21. §. 1. Tertullian. *ad vxor. Lib. II. cap.* 8. Conditum illud est anno V. C. 805. Tacit. *Annal. Lib. XII. cap.* 53. Cur vero illud Vespasiano tribuatur a Suetonio *Vespaſ. cap.* 11. disquirit Petr. Faber *Semeſtr. Lib. I. cap.* 25 *.

* Existimat enim vir doctissimus, Vespasianum huius SCti auctorem esse, sed consulem sub Claudio, non principem, ac proinde illud recte et Claudio et Vespasiano adscribi posse. Enimuero quum Suetonius eam sanctionem Vespasiano non tamquam priuato, sed tamquam principi tribuere videatur: plerique hoc ius sub Claudio constitutum a Vespasiano in vsum reuocatum esse contendunt. Et sane non raro auctores rem et ius ante iam ab aliis constitutum ei solent tribuere, qui obsoletum renouauit, pluribus exemplis probauit Frid. Brummer. *de lege Cincia, cap.* 7. Ceterum *huius relationis repertor* sub Claudio fuerat libertus famosissimus, Pallas, cui ideo senatus praetoria insignia et centies quinquagies sestertium decreuit, fixo aere SC. quo libertinus sestertii ter millies possessor antiquae parcimoniae laudibus cumulabatur. Tacit. *Annal. Lib. XII. cap.* 53. Exstat et hodie fragmentum SCti, quod pro merito exagitant Plin. maior *Histor. nat. Lib. XXXV. cap. penult.* et Plin. minor. *Lib. VIII. epist.* 6.

§. CCXVIII.

SCta Largianum, aliaque sub Claudio facta.

Alia fuerunt SCta, quae tametsi Claudio imperante condita sint, nomen tamen ab eo non adsciuerunt. Sic primo statim imperii anno *Claudio* et *L. Licinio Caecina Largo* coss. factum est SC. LARGIANVM, quo cautum, *vt liberi manumissoris, non nominatim exheredes scripti, extraneis heredibus in bonis Latinorum praeferrentur. l. vn. §. vlt. C. de Lat. lib. toll.* Sic et *Velleio Rufo* et *Osterio Scapula*, coss. id est, anno ab V. C. 798. factum SC. de adsignandis libertis, cuius ipsa verba legitima supersunt *l.* 1. *pr. D. de adsign. libert.* Duo porro SCta de aedificiis negotiationis caussa non diruendis integra exstant apud Iul. Capacium *Hist. Neapol. Lib. II. cap.* 9. et Reines. *Inscript. Class. VII. num.* 11. quorum alterum *Cn. Hosidio Geta* et *L. Vagellio* coss. suffectis, anno ab V. C. 799; alterum nouennio post sub Nerone conditum est, ex quo verba quaedam recitantur a Paullo *l.* 52. *D. de contrah. emt.*

Source : BIU Cujas

§. CCXVIIII.

Sed celeberrimum omnium est SC. MACEDONIANVM, Claudianis temporibus factum * anno ab V. C. 800. Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 13. Claudius *lege lata*, (ita hic SC. vocatur, vti supra §. 217. *lex Claudia*) *saeuitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiisfamilias foenori darent.* Nomen hoc SC. tulit non ab auctore, sed a Macedone, filiofamilias, *qui inter ceteras sceleris causas, quas ei natura administrabat, etiam aes alienum adhibuerat*: eoque cautum est, *vt ne foeneratoribus, qui pecuniam filiofam. credidissent, etiam post mortem patris actio petitioque daretur. l.* 1. *D. ad SC. Macedon.* Theophil. *Paraphr.* §. 7. *Inst. quod cum eo, qui in al. pot. est, negot. gest. ess. dic.* SC. Macedonianum.

* Hoc quoque SC. Vespasiano attribuit Sueton. *Vespas. cap.* 11. *auctor senatui fuit, decernendi, ne filiorumfamilias foeneratoribus exigendi crediti ius umquam esset, hoc est, ne post patrum quidem mortem.* Sed potest Vespasianus adhuc senator sub Claudio auctor fuisse senatui, vt improborum foeneratorum incertis nominibus credentium rapacitatem coerceret. Potest etiam ius, diris Neronis temporibus obsoletum, in vsum reuocasse. Quae enim legum vincula non perfringit foeneratorum audacia? Sane et post Vespasiani tempora, legem, licet vix restitutam, violare ausos esse homines improbos, colligi potest ex verbis Iuuenalis *Sat. III. v.* 43.

Funus promittere patris
Nec volo, nec possum.

§. CCXX.

Quaedam porro CLAVDIVS, decessorum exemplo, etiam EDICTIS et RESCRIPTIS constituit. Ita enim sanxit, *vt exposita a dominis mancipia aegra et adfecta libera essent, nec redirent in ditionem domini, si conualuissent. Quod si quis necare mallet, quam exponere, caedis crimine teneretur.* Sueton. *Claud. cap.* 25. Itemque, *vt curatoris auctoritas in adrogationibus intercederet* *: *l.* 8. *D. de adopt.* nec non, *vt bonis paternis a fisco propter debita occupatis, peculium filiifamilias profectitium separaretur. l.* 3. §. 4. *D. de minor.* Porro, *vt, si per quaestionem nummariam praeiudicium statui videatur fieri, quaestio cessaret*: *l.* 4. §. 1. *D. ne de statu defunct.* denique, *ne feminae pro viris intercederent. l.* 2. *pr. D. ad SC. Vellei.* Quaedam Claudius edictis constituit.

* Obseruat hoc Modestinus, *d. l.* 8. Nimirum ante Claudii tempora homines puberes, quamuis minorennes, recte se adrogandos dabant suo arbitrio, neque opus erat consensu curatorum, quia curator potissimum rei dabatur, adrogatio vero ad personam potius, quam eius res pertinere videbatur. Attamen quum adrogatio simul esset modus adquirendi vniuersalis, adeo vt et liberi, et bona omnia cum adrogato in potestatem ac dominium adrogatoris

Source : BIU Cujas

ris transirent: *pr. Inst. de adquis. per adrogat. l.* 11. *§. 2. D. de bon. possess. sec. tab. l.* 15. *D. de adopt.* ipsa iuris analogia id exigere videbatur Claudio, vt curatoris accederet consensus, vel, vti Modestinus loquitur, *auctoritas.*

§. CCXXI.

Status iuris sub Nerone.

Progredimur iam ad NERONEM CLAVDIVM CAESAREM, qui sicuti primo quinquennio humanissimi principis exemplum praebuerat, ita procedente tempore tam sui factus est dissimilis, vt in generis humani exitium natus videretur. De nouis quibusdam eius institutis Sueton. *Neron. cap.* 17. *Aduersus falsarios*, inquit, *tum primum repertum, ne tabulae, nisi ter pertusae, ac ter lino per foramina traiectae, obsignarentur. Cautum, vt in testamentis primae duae cerae, testatorum modo nomine inscripto, vacuae signaturis ostenderentur: ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet. Idem, vt litigatores pro patrociniis certam iustamque mercedem, pro subselliis nullam omnino darent, praebente aerario gratuita: vtque rerum actu ab aerario caussae ad forum ac recuperatores transferrentur: et vt omnes adpellationes a iudicibus ad senatum fierent* *.

* De tabulas signandi modo litem inter Salmasium et Des. Heraldum intercessisse, nemo ignorat. Prior praeter ea, quae ea de re ad ius Atticum disseruit, singularem edidit diatriben *de modo subscribendi et signandi testamenta, et de veterum et hodiernorum sigillorum differentia, contra Desid. Heraldum, Lugd. Batau.* 1653. 8. Inprimis notandum, Neronem noluisse, vt primum statim τετράδιον, seu prima cera nomen heredis contineret, quum antea moris fuisset, vt primae statim cerae linea prima testatoris, altera nomen heredis contineret. Vnde Horat. *Lib. II. Sat.* 5.

Quid prima secundo
Cera velit versu, solus multisne coheres,

id est, quis heres sit institutus. Acron et Porphyrio *ad h. l.* Quae de certa iustaque mercede aduocatorum a Nerone constituta esse dicuntur, potius Tiberio sunt tribuenda. Is enim *capiendis pecuniis posuit modum, vsque ad dena sestertia*, Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 7. quum contra Nero legis Cinciae sanctione in vsum reuocata, constituerit, *ne quis ad caussam orandam mercede aut donis emeretur.* Idem *Annal. Lib. XIII. cap.* 5. Memoria ergo hic lapsum Suetonium, ex instituto ostendit Brummer. *de lege Cinc. cap.* 4. *et* 5. eiusque sententiae subscripsit Io. Ge. Graeu. *ad Sueton. Ner. cap.* 17. De pecunia pro subselliis exigi solita, hodie omnia ignota sunt, reliqua notissima. De adpellationibus ad senatum magis perspicue Tacit. *Annal. Lib. XIIII. cap.* 28. *auxitque patrum honorem, statuendo, vt, qui a priuatis iudicibus ad senatum prouocassent, eiusdem pecuniae periculum facerent, cuius hi, qui imperatorem adpellauere, nam antea vacuum id, solutumque poena fuerat.* Licebat ergo adpellare senatum, sed ita, vt certa pecunia ab adpellante deponeretur, quam amitteret, si in lite succubuisset.

§. CCXXII.

Source : BIU Cujas

§. CCXXII.

SCta tamen, quibus haec constituta, pleraque ad alia tempora pertinent.

Quae his verbis describit Suetonius, iura noua, ea iura pleraque SCtis videntur inuecta. Quae enim de tabulis certo modo signandis refert, ea *ab amplissimo ordine decreta esse*, docet Paull. *Sentent. recept. Lib. V. tit.* 25. §. 6.* quamuis id SC. ad Tiberii tempora referendum putet Petr. Faber *Semestr. Lib. I. cap.* 25. Certius est, alteram sanctionem, ne quis ipse sibi legatum adscriberet, sub Tiberio prodiisse. Est enim illa ex SC. LIBONIANO, de quo iam supra (§. 201.) diximus. Quum ergo et tertium Suetonii ἀμάρτημα μνημονικὸν de certa mercede aduocatorum paullo ante obseruauimus (§. 221. *): ex illo loco nos non adeo multum proficere posse, facile intelligimus.

* Paullus quidem hoc SC. non ad tabulas testamentorum, sed ad *tabulas, quae publici priuatique contractus scripturam continent*, refert. Sed nec Suetonius in specie testamentorum, sed generatim tabularum meminit. Itaque non opus est, vt sub contractuum vocabulo et testamenta intelligamus, vti iubet Salmas. *de modo vsur. cap.* 11. siquidem eam vocabuli notionem iura non admittunt, *l.* 20. *D. de verbor. sign.* sed probabilius est SC. generatim hunc modum praescripsisse, in omnibus tabulis siue super negotiis inter vivos, siue super vltimis voluntatibus conficerentur, obseruandum, Guil. Goes. Not. *ad Sueton. ibid. Suetonius*, inquit, *de testamentis*, (immo generatim de tabulis,) *Paullus de contractibus loquitur: veruntamen quin vno eodemque SCto de his cautum sit, non ambigo: vt vni quod deest auctori, ex altero sit supplendum.*

§. CCXXIII.

SC. Calvitianum vel Calvisianum.

Magis certum est sub Nerone conditum esse SC. CALVITIANVM, vel, vti Perizon. *de lege Vocon. pag.* 182. legendum existimat, CALVISIANVM, cuius de auctore annoque natali omnia incerta sunt *. Eo cautum, *vt, quae quinquagenaria maior minori sexagenario nupserit, quique minor sexagenario maiorem quinquagenaria duxerit, iis impar illud matrimonium ad accipiendas hereditates dotesque legatas non proficeret, sed dos, mortua muliere, caduca fieret.* Vlpian. *Fragm. tit.* 16. §. 4. Quae ad illustrandum hoc SC. pertinent, iam occupauimus in *Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 3.

* Probabilius est, hoc SC. CALVISIANVM dictum esse, quam quod *Calvitianum* adpellatum sit, quia noti Calvisii, Caluitii vix in Romanorum scriptoribus ac monimentis occurrunt. Et sane sub Nerone reperio *Caluisium*, Agrippinae accusatorem apud Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap.* 19. paullo post relegatum a Nerone, teste eodem, *ibid. cap.* 22. et denique restitutum ex decreto Caesaris. Tac. *Annal. Lib. XIIII. cap.* 12. Sed hunc honores gessisse,

Source : BIU Cujas

fisse, vt ab eo SC. hoc nomen habere potuerit, non reperio. Sane anno ab V. C. 750. in *Fastis* celebrantur C. Caluisius Sabinus, et L. Passienus Rufus. *Monim. Ancyran.* apud Gronou. *in Memor. Cosson. pag.* 132. Viginti et nouem annis post, anno 779. consulatus honore fulsit C. Caluisius cum Cn. Cornelio Lentulo Getulico. Tacit. *Annal. Lib. IIII. cap.* 46. ex quorum sane liberis vel nepotibus aliquis sub Nerone inter coss. suffectos esse potuit, immo re vera fuit. *P.* enim *Calvisius* cos. anno 813. laudatur apud Grut. *Inscript. pag.* 64. *num.* 9.

§. CCXXIIII.

SC. Memmianum et Pisonianum vel Neronianum.

Certioris aetatis est SC. Memmianum, *C. Memmio Regulo* et *Verginio Rufo* coss. factum anno V. C. 815. quo cautum, *ne simulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, et ne vsurpandis quidem hereditatibus prodesset* *. *l.* 51. §. 1. *D. de legat.* 2. *l.* 76. *D. de condit. et demonstr.* Tacit. *Annal. Lib. XV. cap.* 19. Quam sanctionem illustrauimus in *Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 7. *pag.* 204. De PISONIANO quoque, quod ad illustrandum Silanianum factum, iam supra diximus (§. 215. *). Eo cautum fuerat, *vt, si quis a suis seruis interfectus esset, ii quoque, qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter seruos supplicia penderent*: Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap.* 32. *l.* 3. §. 16. *D. de SC. Silan. et Claud.* itemque, *vt si seruus obnoxius poenae venisset, quandocumque in eum animaduerti oporteret, venditor pretium praestaret. l.* 8. *pr. D. eod.* Denique, *vt occisa vxore etiam de familia viri quaestio haberetur, idemque et iuxta vxoris familiam obseruaretur, si vir diceretur occisus.* Paull. *Sentent. recept. Lib. III. tit.* 5. §. 5. vbi hoc SC. NERONIANVM adpellatur.

* Postquam Romani certa nuptiarum ac foecunditatis praemia, itemque poenas caelibatus orbitatisque statuerant: saepe orbi adoptionibus has leges eludere solebant. Quam fraudem legibus factam iam pridem grauiter notauerat P. Scipio, de quo Gellius *Noct. Att. Lib. V. cap.* 19. *animaduertimus in oratione P. Scipionis, quam censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quae reprehendebat, quod contra maiorum instituta fierent, id etiam eum culpauisse, quod filius adoptiuus patri adoptatori inter praemia patrum prodesset.* Sed non videtur censorum seueritas par fuisse abolendae huic fraudi, nec alia ex eo tempore lex prodiisse, qua illa coerceretur. Saltim de Neronis temporibus Tacit. *Annal. Lib. XV. cap.* 19. *Percrebuerat*, inquit, *ea tempestate prauissimus mos, quum propinquis comitiis, aut sorte prouinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturasque et prouincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptauerant.* De quo quum magna cum inuidia conquererentur ii, qui, quum liberorum parentes essent, orbis posthabebantur: factum hoc est SC. ad quod saepius remittimur in iure nostro. Vid. M. Vertran. Maur. *de iure liberor. cap.* 43.

§. CCXXV.

Source : BIU Cujas

§. CCXXV.

Sed et SC. TVRPILLIANVM *de abolitionibus et tergiuersationibus in iudiciis publicis*, de quo *l. 2. D. et l. 2. C. ad SC. Turpill. l. 3. §. vlt. D. de praeuaricat.* iisdem temporibus factum est, anno ab V. C. 813. *C. Caesonio Paeto* et *C. Petronio Turpilliano* coss. Denique VOLVSIANVM factum anno 808. *Q. Volusio Saturnino* et *P. Cornelio Scipione* coss. * quorum mentio fit apud Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap. 25.* Reines. *Inscript. Class. VII. num. 11. pag. 476.* Gruter. *Inscript. pag. 9. num. 4.* de aedificiis negotiationis caussa non diruendis, marmoribusque non detrahendis, integrum exstat in marmore apud Capacium et Reinesium (§. 218.), ex eoque verba quaedam laudantur *l. 52. D. de contr. emt.* SCta Turpillianum et Volusianum.

* Quumque circa ea tempora vix alius Volusius consul notus sit: vix dubitandum videtur, quin eiusdem aetatis sit, ab eodemque Q. Volusio Saturnino cos. nomen acceperit SC. VOLVSIANVM alterum, quo cautum fuerat, *vt qui improbe in alienam litem coiissent, ea lege, vt quod inde in rem alicuius redactum esset, inter eos communicaretur, lege Iulia de vi priuata tenerentur. l. 6. D. ad leg. Iul. de vi priu.* Id SC. quo tempore factum sit, ignorare se, fatetur Ant. Augustin. *de nomin. propr. ad pandect. cap. 4. pag. 330. Tom. I. Thes. iur. ciuil.*

§. CCXXVI.

Neque tamen vllum est SC. eius temporis celebrius TREBELLIANO, quod *L. Annaeo Seneca* et *Trebellio Maximo* coss. suffectis, id est anno ab V. C. 814. die VIII. Kal. Sept. factum esse nouimus *. §. 6. *Inst. de fideicomm. hered. l. 1. §. 2. D. ad SC. Trebell.* Nec minus ex ipsis *Pandectis* atque *Institutionibus* notum est, eo SC. decreuisse amplissimum ordinem, *vt actiones, quae in heredem heredibusue dari solebant, eae neque in eos, neque his darentur, qui fideicommissum, sicuti rogati essent, restituissent: sed his et in eos, quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset, quo magis in reliquum confirmarentur supremae defunctorum voluntates. l. 1. D. ad SC. Trebell.* SC. Trebellianum.

* Equidem Senecam cos. fuisse, negat Ausonius *in Gratiar. act. cap.* sed ideo, vti obseruauit Vinetus, quod non fuisset cos. ordinarius. Alioquin enim hodie satis certum est, consulatum eius incidere in annum ab V. C. 814. Lips. *Vit. Senecae cap. 4.* Ceterum SC. hoc dictum initio esse *Annaeanum*, et Seneca demum capitis damnato, ob damnatam simul eius memoriam, *Trebelliani* nomen adsumsisse, suspicatur Theod. Marcil. *ad §. 6. Inst. de fideic. hered.* Sed coniectura ea parum probabilis est, partim quod nusquam hoc SC. Annaeanum dictum esse, comperio, partim, quod non semper SCta a consule maiore, sed ab eo potissimum, qui ad senatum retulerat, denominabantur.

Source : BIU Cujas

§. CCXXVII.

ICti sub Caio Claudio et Nerone, Sempronius Proculus.

Vt iam porro et ad IVRISCONSVLTOS, qui a Tiberii excessu ad Neronis interitum floruerunt, progrediamur: inter eos sibi primum merito locum vindicat SEMPRONIVS PROCVLVS *, quem Neruae successisse, maximaeque fuisse auctoritatis, et plurimum potuisse, refert Pomponius, *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* addens, ab eo Labeonis familiam PROCVLEIANORVM nomen adsumsisse, quod post annum ab V. C. 786. quo viuere Nerua desiit, factum esse oportet. Scripserat EPISTOLARVM *libros* non octo, quot in Indice Florentino memorantur, sed multo plures, quum ex *vndecimo* quoque nonnulla decerpta videamus *l. 69. D. de contrah. emt. l. 12. D. praescript. verb. l. 17. D. de pact. dotal.* nec non NOTAS AD LABEONEM, quibus procul dubio doctrinas doctoris sui ab aduersariorum stricturis vindicauit. *l. 10. §. 1. D. de negot. gest. l. 69. D. de condit. et demonstr.*

* Sunt qui PROCVLVM nostrum ex gente *Iulia* fuisse existimant, ob marmor in ruderibus aedium Proculi cuiusdam repertum, quod tamen Reines. *Inscript. Class. VI. num. 122. pag. 459.* non ad hunc ICtum nostrum, sed ad L. *Aradium Proculum*, pertinere censet, eaque occasione nostrum ex gente *Licinia* fuisse sibi videri, docet. At verosimilius est, eum nec *Licinium*, nec *Iulium*, sed SEMPRONIVM vocatum. Id enim nomen ei diserte tribuitur *l. 47. D. de legat. 2.* Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap. 2. §. 1.* Euer. Otto *praefat. Thesaur. iur. Tom. I.* Et aliunde constat, *Proculorum* cognomine vsos esse Sempronios. Grut. *Inscript. pag. 560. num. 9.* De aetate etiam Proculi non eadem omnes sentiunt. Haud leuis sane error est Perrenonii *Animadu. Lib. II. cap. 23.* qui eum sub Iulio Caesare floruisse existimat. Nec minus errant, qui ad Proculum nostrum referunt, quae de Licinio Proculo, praefecto praetorio sub Othone passim narrat Tacit. *Histor. Lib. I. cap. 46. et 82. 87. Lib. II. cap. 39. 40. 44. 60.* itemque, qui Martialem *Epigramm. Lib. I. epigr. 7.* de ICto nostro ceciniisse putant:

Vnde salutatum, pro me, liber: ire iuberis
Ad PROCVLI *nitidos, officiose, Lares.*

Si enim Proculo, anno ab V. C. 786. Neruae succedenti XXX. tantum annos tribuamus, (nec enim probabile est prius eum ad tantam celebritatem peruenire potuisse, vt sectae caput haberetur), sub Domitiano, sub quo Martialis scripsit, fuisset senex decrepitus, et alibi *Lib. XI. epigr. 37. v. 8.* eum diserte vocat *C. Iulium Proculum*, adeoque non magis noster est, quam qui a Tacito memoratur *Licinius Proculus*. Denique minime omnium ad nostrum pertinent rescripta Alexandri imp. *l. 9. C. ad leg. Iul. de adult.* et Gordiani, *l. 7. C. de accusat.* quamuis eum errorem errauerit Guido Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap. 79. §. 10.*

§. CCXXVIII.

Source : BIU Cujas

§. CCXXVIII.

C. Cassius Longinus.

Huic merito iungimus aequalem et aemulum, C. CASSIVM LONGINVM, Q. Aelii Tuberonis ex filia nepotem, Ser. Sulpicii pronepotem (§. 191.). Consulem illum cum Quartino temporibus Tiberii fuisse obseruat Pomponius *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* sed Quartino L. Naeuium Surdinum substituit Rupertus *in Pompon. Enchirid. Lib. III. cap. 13. sect. 3. pag. 206. edit. nou.* quod hoc par coss. occurrit in lapide apud Gruter. *Inscript. pag.* 1087. *num.* 4. * Praefecerat eum Asiae C. Caligula imp. mox occidi iusserat, sed frustra (§. 211.) Sub Claudio Syriae praefuit, et ad Euphratem castra habuit, Tacit. *Annal. Lib. XII. cap.* 11. eaque occasione illi et cum Iudaeis fuit negotium. Ioseph. *Antiqu. Iud. Lib. XX. cap.* 1. Sub Nerone in Senatu liberrime dixit sententiam: Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap.* 11. at postremo suspectus principi saeuissimo in Sardinia exsulauit, Tac. *Annal. Lib. XVI. cap.* 7. *et* 9. Sueton. *Neron. cap.* 37. inde tamen postea a Vespasiano reuocatus *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* Menag. *Amoen. iur. cap.* 43.

* Pro Quartino cos. quem in *Fastis* non reperiunt, alii rescribunt *Q. Haterius*, alii *Surdinus*. Nam C. Cassius Longinus et L. Naeuius Surdinus coss. laudantur apud Gruterum *Inscript. pag.* 1087. *num.* 1. Sed quum notissimus sit *M. Vinicii* sub Tiberio consulatus, sub eoque cos. suffectus fuerit *C. Cassius Longinus*, eique collega tribuatur *L. Naeuius Surdinus*, quis, quaeso, dubitet, quin ex *Surdino* facile fingi potuerit *Quartinus*, maxime quum huc vsque nondum probatum sit, Vinicios *Quartinorum* cognomen tulisse? Maior sane lapidis Gruteriani, quam Pomponii hic merito est auctoritas. Ceterum M. Vinicii, adeoque et Cassii nostri, consulatum incidere in annum V. C. erae Varron. 783. ann. Christi XXX. luculenter ostendit Henr. Dodwell. *in Annal. Velleian. §. 29. pag.* 703. *sequ. edit. Burmann.*

§. CCXXVIIII.

Eius scripta et schola.

Reliquerat *libros X.* aut plures IVRIS CIVILIS, *l.* 70. *pr. D. de vsufr.* NOTAS AD VITELLIVM, *l.* 12. §. 27. *D. de instruct. et instrum. leg.* immo et AD VRSEIVM FEROCEM, *l.* 10. §. 5. *D. quib. mod. usufruct. vel vs. amitt.* * In Cassium deinde notarunt ARISTO, *l.* 17. §. 1. *D. de vsufr.* et PRISCVS IAVOLENVS, *l.* 28. §. 1. *D. de statulib.* At multo maiorem sibi famam peperit propagatis ad posteritatem, et magis magisque perpolitis Masurii Sabini, praeceptoris, principiis. Vnde Masurium et Cassium coniungit Arrian. *Dissert. Epict. IIII. cap.* 3. Fuit enim *Scholae Cassianae princeps et parens*, vti vocatur a Plin. *epist. Lib. VII.*

Source : BIU Cujas

epist. 24. nouamque adeo lucem Ateii Capitonis familiae intulit, quae inde CASSIANORVM nomen adsciuit. *l.* 35. §. 3. *D. de mort. causs. don. l.* 18. *D. de furt.*

* Io. Bertrandum et Eberlinum, qui CASSIVM ad VRSEIVM notasse scribunt, refellere non dubitarunt Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 4. et Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 43. Vrseium potius ad Cassium notasse, existimantes. At neminem ignorare arbitramur, quid veteribus ICtis fuerit *notare apud Cassium*. Res eo redit, vter fuerit aetate prior. Prior vero sine dubio fuit *Vrseius Ferox*, cuius ex libris Cassium quaedam retulisse, testatur Vlpianus *l.* 1. §. 10. *D. quar. rer. act. non det.* Quidni ad eumdem notas scribere potuerit?

§. CCXXX.

Atilicinus et Cassius Longinus iunior.

Obscurioris famae sunt ATILICINVS et CASSIVS LONGINVS alter, cuius meminit Pomponius *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* vbi, eum equestris ordinis fuisse, et ad praeturam peruenisse, scribit. ATILICINVS Proculo fuit aequalis, quippe quo cum litterarum commercium habuit. *l.* 17. *D. de pact. dotal.* Hinc et Proculi partibus eum fuisse addictum colligunt, maxime quum plerumque vel Proculo, vel Neruae, adsensus dicatur. *l.* 27. *pr. D. de pact. l.* 21. §. 9. *D. de recept. arbitr. l.* 5. §. 1. *D. de seruit. praed. rust. l.* 17. *D. de pecul. l.* 7. *pr. D. de condict. causs. dat. l.* 19. *D. mandati. l.* 19. *D. de legat.* 3. *l.* 16. *D. de liberat. leg. l.* 49. *pr. D. ad leg. Falcid. l.* 4. §. 8. *D. de doli mal. et met. except.*

§. CCXXXI.

Nerua filius.

M. COCCEIVS NERVA, Marci illius, quem supra (§. 210.) descripsimus, filius, imp. Neruae pater, ingenii praecociſſimi fuit, quippe qui XVII. annorum adolescens, aut non multo maior, de iure responsitauit. * *l.* 1. §. 3. *D. de postul.* Ad hunc procul dubio referendum, quod Tacit. *Annal. Lib. XV. cap.* 72. refert, Cocceium Neruam, praetorem designatum, tanti fuisse apud Neronem, vt supra triumphalem in foro imaginem apud palatium quoque eius effigiem statui iuberet. Libri eius DE VSVCAPIONIBVS laudantur a Papiniano *l.* 47. *D. de adquir. vel amitt. possess.* Saepissime vero, dissimulato librorum titulo, citatur a Caio, Pomponio, Venuleio, Vlpiano, Paullo, et quidem plerumque sub *Neruae filii* nomine. Proculeianum fuisse, et familia argumento est, et ex *l.* 3. §. 17. *D. de adqu. vel amitt. possess. et l.* 2. *D. de his, qui not. infam.* colligitur.

* Quum

Source : BIU Cujas

* Quum adoleſcens non *reſpondiſſe*, ſed *reſponſitaſſe* de iure dicatur Nerua: Guil. Maranus et Mornacius ſuſpicati ſunt, *reſponſitare* minus eſſe, quam reſpondere, quos exinde Choartius et Dionyſ. Gothofredus ſunt ſequuti. Sed quis ignorauit, hoc naturae verborum frequentatiuorum refragari, quae notionem verbi augent potius et intendunt, quam minuunt? Merito ergo hunc virorum doctorum errorem notauit Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 2. Sane et Antiſtium Labeonem *conſulentibus de iure publice* RESPONSITASSE, ait Gellius *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 10. Et Cicero *de legib. Lib. I. cap.* 4. *ſummos fuiſſe*, ait, *in ciuitate viros, qui ius interpretari populo, et* RESPONSITARE *ſoliti ſunt.* Eſt ergo reſponſitare potius frequenter et adſidue reſpondere, eoque verbo procul dubio vſus eſt Vlpianus, vt Neruam adhuc adoleſcentem iam frequentiſſime de iure reſpondiſſe oſtenderet.

§. CCXXXII.

Qui Neroni ſucceſſerunt, principes tragici ac veluti intercalares, GALBA, OTHO, et VITELLIVS, inter fluctus ciuiles perpetuos et in tanta imperii breuitate vix quidquam noui iuris conſtituere potuerunt *. De VITELLIO tamen hic non praetermittendum, quod memoriae prodidit Tacit. *Hiſtor. Lib. II. cap.* 9. *funeſti ominis loco acceptum eſſe, quod, maximum pontificatum adeptus, de caerimoniis publicis XV. Kal. Aug. EDIXISSET, antiquitus infauſto die Cremerenſi Allienſique cladibus.* Ex eo enim patet, pontifices max. etiam ſub ſacerdotii ſui auſpicia edicta propoſuiſſe de ſacris et caerimoniis (§. 61. *) eumque vetuſtiſſimum morem ne his quidem temporibus exoleuiſſe. Iac. Guther. *de iure pontific. Lib. I. cap.* 12. Io. Andr. Boſ. *de pontif. max. Rom. cap.* 4. §. 1. Status iuris Rom. ſub Galba, Othone, et Vitellio.

* Idem Tacitus *Hiſtor. Lib. II. cap.* 62. refert, VITELLIVM *praemiſſo in vrbem edicto, mathematicos omnes Italia expuliſſe*, vel, vti Sueton. *Vitell. cap.* 14. rem refert, *ſanxiſſe, vt intra Kal. Octobres vrbe Italiaque mathematici excederent*: aſtrologos vero proxima nocte aliud oppoſuiſſe edictum: BONVM FACTVM, *vt Vitellius Germanicus intra eumdem Kalendarum diem nuſquam ne eſſet.* Verumne fuerit iſtud augurium, illudque comprobarit exitus, diſquirit Sauil. *Not. ad Tacit. ibid.* Sane enim Vitellium non ante Octobrem, ſed die XXI. Decembr. interiiſſe, luculenter demonſtrauit Anton. Pagi *Critic. Baron. ad ann. Chriſti 69. n.* 8. *pag.* 62. *ſequ. Tomo I.*

§. CCXXXIII.

Stabilius fuit VESPASIANORVM imperium, qui proinde et plurima noua in iuris prudentiam inuexerunt. Sane enim T. FLAVIVS VESPASIANVS, cui ad hoc faſtigium euecto ſenatus omnem poteſtatem, qua olim Auguſtus, Tiberius, et Claudius vſi eſſent, ſanctione honorificentiſſima decreuerat, Tacit. *Hiſtor.* Veſpaſianus multa iura conſtitutionibus inuexit.

Source : BIU Cujas

Lib. IIII. cap. 3. Gruter. *Inscript. pag.* 242. plura constituit EDICTIS, veluti, *ne plures, quam tres, legati a ciuitatibus mitterentur: l.* 4. §. 6. *D. de legation.* plura DECREVIT, ceu docet exemplum *l.* 7. *pr. D. de iur. patron.* plura RESCRIPTIS praecepit, veluti vt grammatici, medici, oratores, philosophi, a recipiendis hospitibus immunes essent. *l.* 8. §. 30. *D. de mun. et honor.* *

* Rescriptum Vespasiani ad IIIIviros et decuriones Saborenses, adeoque sanctionem pragmaticam apud se exstare, scribit Ant. Augustin. de *nom. propr. Pandect. cap.* 3. *pag.* 264. *Tom. I. Thes. iur. ciuil.* quae an vmquam lucem viderit, nescio. Non solum autem noua iura constituit hic imperator, sed et vetera pleraque restituit. Auctor enim est Sueton. *Vespas. cap.* 8. eum *aerearum tabularum tria millia, quae simul conflagrauerant, restituenda suscepisse, et vndique inuestigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcherrimum et vetustissimum confeciſſe, quo contenta fuerint paene ab exordio vrbis SCta, plebiscita,* et similia.

§. CCXXXIIII.

SCta iis temporibus facta, Pegasianum et Plancianum.

Idem tamen imperator veteris moris, de rebus alicuius momenti ad senatum referendi fuit seruantissimus. Hinc sub eo tot condita SENATVSCONSVLTA, inter quae eminet PEGASIANVM, *Pegaso* et *Pusione* coss. suffectis, incertum, quo anno, factum. Censuerat enim his coss. ordo amplissimus, *vt ei, qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere liceret.* Vlpian. *Fragment. tit.* 25. §. 14. Paull. *Sent. recept. Lib. IIII. tit.* 3. §. 5. *Inst. de fideic. hered.* Notum quoque est duplex Sc. PLANCIANVM *, alterum de fideicommissis, quae personis incapacibus relinquerentur, *l.* 59. §. 1. *D. ad leg. Falcid.* alterum de agnoscendo partu. *l.* 3. *D. de agnosc. et alend. liber.*

* A quo Plancio haec SCta acceperint nomen, non adeo certum est. Testem tamen habeo Tacitum *Histor. Lib. II. cap.* 63. M. PLANCIVM VARVM praetura functum esse sub Vespasiano. Idem procul dubio postea et consul factus. Proconsulem enim paullo post fuisse docet numus apud Spon. *in Itinerar. sub fin.* in cuius antica caput Vespasiani cum eius nomine, additis litteris ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΑ, in postica fasciculus sex spicarum, cum epigraphe: ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Fuit ergo hic M. Plancius Varus procos. Ciliciae sub Vespasiano, ad quam dignitatem tum vix alii, quam viri consulares et praetorii adspirabant. Cass. *Lib. LIII. pag.* 504.

§. CCXXXV.

SC. de aedificiis non diruendis

Memoratur etiam SC. his temporibus, at incertum, quo anno factum, de aedificiis negotiationis caussa non diruendis, marmoribusque non detrahendis, *l.* 2. *C. de aedif. priuat.* quale et

Source : BIU Cujas

et sub Nerone factum esse supra (§. 225.) vidimus. Nec minus ad Vespasiani tempora pertinet Sc. VITRASIANVM *, *de manumissis et pretio manumissionis*, de quo *l.* 30. §. 6. *D. de fideicommissar. libert.* negotiationis caussa, et Vitrasianum.

* Est et hoc SC. incerti anni, cum Vitrasii consulis siue ordinarii, siue suffecti, sub Vespasiano nusquam vel vola, vel vestigium occurrat. Sub Hadriano celebris fuit *Vitrasius Pollio*, legatus prouinciae Lugdunensis, ad quem rescripsit princeps *l.* 15. §. *fin. D. de excusat. tut.* cuiusque mentio fit apud Reines. *Inscript. Class. VIII. num.* 52. *pag.* 532. Sub Antoninis porro annis 919. et 929. bis consul fuit *T. Vitrasius Pollio*, primum cum Q. Seruilio Pudente, deinde cum M. Flauio Apro. Spon. *Miscell. erud. antiquit. pag.* 34. Gruter. *Inscript. pag.* 30. *num.* 4. *et pag.* 31. *num.* 3. Maluas. *Marmor. Felsin. pag.* 253. Quare parum abest, vt hoc SC. potius sub M. Aurelio Antonino imp. quam sub Vespasiano factum, existimem.

§. CCXXXVI.

Ab eodem Vespasiano V. consule anno erae Dionysiacae LXXIIII. vltimum lustrum esse conditum, neque vmquam postea censum actum, obseruat Censorin. *de die natal. cap.* 18. Longo tamen interuallo repetitum censum egisse dicitur Decius imperator. Trebell. Pollio *in Valerianis*. Ex quo consequitur, vt et manumissio per censum lustralem, de qua Cic. *de orat. Lib. I. cap.* 40. Vlpian. *Fragm. tit.* 1. §. 8. *Fragment. regul. vet. ICt.* §. 17. tunc exoleuerit *. Eumdem Vespasianum de contrahendis litibus consilia agitasse, refert Sueton. *Vespas. cap.* 10. Alia sub Vespasiano circa ius mutata.

* Quamuis vero in locum huius manumissionis surrogatus dicatur ritus manumittendi in sacrosanctis ecclesiis: id tamen multo post, saeculo puta quarto, factum est a Constantino M. Sozom. *Hist. eccles. Lib. I. cap. 9. l. 1. et l. 2. C. de his, qui in eccles. manumit.* Neque enim ad haec tempora pertinent manumissiones factae ἐπὶ τῷ βώμῳ, *super aras*, Graecis vsitatae, Suid. *in voce* Κράτης, neque rasio libertinorum in templo Feroniae, de qua plura Brisson. *Antiqu. sel. Lib. I. cap.* 11. Taubmann. *ad Plaut. Amphitr. Act. I. scen.* 1. *extr.* Alex. ab Alexandro *Genial. dier. Lib. IIII. cap.* 20. denique manumissiones ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, *in comitiis*, quas Constantino, hanc manumissionem introducenti ob oculos fuisse, existimat Iac. Gothofred. *ad Cod. Theodos. Tomo I. pag.* 355.

§. CCXXXVII.

Non adeo multa sunt, quae TITO, imperatori, debeat iuris prudentia *, quippe inter ipsa imperii auspicia properantibus fatis exstincto. Notari tamen meretur primum, eum de binis PRAETORIBVS FIDEICOMMISSARIIS vnum detraxisse: *l.* 2. §. 32. *D.* Status iuris sub Tito imp.

de

Source : BIU Cujas

de orig. iur. deinde eumdem grauissimas leges opposuisse delatoribus, qui tum impune in corpora et bona innocentum grassabantur: Plin. *Panegyr. cap.* 35. Sueton. *in Tit. cap.* 8. Henr. Brenkmann. *de lege Remm. cap.* 18. *pag.* 1622. tum porro, Titum imp. esse auctorem praecipuum priuilegii, quod militibus testamentum condituris datum est. *l.* 1. *pr. D. de testam. milit.* Denique et constitutionis Titi imp. mentio fit *l.* 1. §. 3. *D. de iure fisci.*

* Immo iacturam haut leuem tunc fecit iuris prudentia, templo Capitolino cum vicinis templis iterum igne, quem terra erupisse ferunt, denuo consumtis. Dio Cass. vel potius Xiphilin. *Lib. LXVI. pag.* 756. Neque enim dubitandum, quin simul incendio illo perierint illa SCta, plebiscita, foedera, quae Vespasianus post prius incendium tanta industria restituit. (§. 233.) Sueton. *Vespas. cap.* 8.

§. CCXXXVIII.

Itemque sub Domitiano.

Sed et T. FLAVIVS DOMITIANVS imp. initio principatus sui non pauca satis praeclare constituit. Ex quibus vt hic pauca veluti per lancem saturam proferamus, ipse Sueton. *in Domit. cap.* 7. eum edixisse, ait, *ne mares castrarentur* *: et sequente *cap.* 8. *vt probrosis feminis nec lecticae vsus, nec ius capiendi legata hereditatesue esset*: porro, quod *cap.* 9. pluribus refert, *vt fiscales calumniae calumniantium poenis reprimerentur*: *vt rei, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependissent, vniuersi discrimine liberarentur, nec repeterentur, nisi ante annum, eaque occasione, vt accusatori, qui caussam non teneret, exsilii poena esset.* Denique et EDICTI Domitiani, *vt abolitiones ex SCto Turpilliano factae ad seruos, capitalis criminis postulatos, non pertinerent*, mentio fit *l.* 2. §. 1. *D. de custod. et exhibit. reor.* quamuis id RESCRIPTVM vocet Paullus *l.* 16. *D. ad SC. Turpill.*

* Quamuis hoc a Domitiano non tam amore iusti et aequi, quam odio Titi, fratris, qui semiuiris istis magnopere delectatus fuerat, constitutum esset. Xiphilin. *in Domitian. Lib. LXVII. pag.* 759. Philostrat. *Vit. Apollon. Tyan. VI.* 17. magno tamen omnium cum plausu excepta est illa Domitiani sanctio. Vt enim omittam laudes, quibus ideo principem prosequuntur Martial. *Lib. VI. epigr.* 2. *et Lib. VIII. epigr.* 7. nec non Ammian. Marcellin. *Lib. XVIII. cap.* 4. eam Domitiani legem ita eleganter describit Papinius Statius *Lib. III. silua* 4.

Nunc frangere sexum,
Atque hominem mutilare, nefas: gauisaque solos,
Quos genuit, natura videt.

At paullo post, sub Antoninis, iam iterum mos inoleuerat, vt in prouinciis impune exscinderentur mares, modo id Praesidum praescitu fieret. Iustin. Martyr. *Apolog. II. pag.* 71. Hinc tam frc-

Source : BIU Cujas

frequenter in vsum revocata est haec prohibitio constitutionibus Neruae, Hadriani, Antonini Pii, Constantini M. Leonis Sapientis, vt facile adpareat impares huic vitio leges fuisse. Lindenbrog. *ad Ammian. Marcellin. pag.* 150. *edit. Gronou.*

§. CCXXXVIIII.

SCta sub eo principe facta.

SENATVSCONSVLTA quoque nonnulla sub Domitiano facta commemorantur. Tale est IVNIANVM, quo anno ab V. C. 836. *Domitiano* X. et *Appio Iunio Sabino* coss. cautum est, *vt qui, per domini et serui, aut patroni et liberti collusionem, factum probasset, vt vel seruus ad libertatem, vel libertus ad ingenuitatem proclamaret, liberque aut ingenuus pronunciaretur, is seruum quidem in potestate ac dominio suo, libertum autem in patronatu suo haberet, l.* 1. *D. de collus. deteg. l.* 2. *C. eod.* vbi hoc SC. vitiose pro *Iuniano Numianum* dicitur, et *l.* 8. *D. de in ius voc.* Sed vti adhuc principem egit haec constituens Domitianus: ita tyrannidem redolet SC. *Asprenate* et *Laterano* coss. anno ab V. C. 846. factum, quo *omnes philosophi vrbe et Italia exesse iussi sunt.* * Gell. *Noct. Attic. Lib. XV. cap.* 11.

* Occasionem seueriſſimae sanctioni praebuerat Iunius Rusticus, qui Paeti Thraseae et Heluidii Prisci laudes scribens, eos *sanctissimos viros* vocauerat. Adeo iis temporibus et virtutem laudare periculosum fuit. Sueton. *Domit. cap.* 10. Pertinuit id periculum ad plurimos, non modo Romanos, sed et Graecos, veluti Dionem Chrysostomum, qui hanc calamitatem suam commemorat. *orat.* 40. Epictetum, Musonium, Demetrium, Peregrinum, in primis vero ad Iunii Rustici propinquos et amicos, quam vere philosophicam familiam breui schemati inclusam dabo ex Reines. *Epist. ad Rupert.* 34. *pag.* 216. *et Epist.* 35. *pag.* 251. sed a nobis hinc inde suppleto. Subiungam etiam alteram Heluidiorum et Paetorum Thrasearum gentem, vt tot vtriusque sexus personae illustres, et incredibilem sapientiae famam consequutae semel simulque oculis obuersentur. Et Iuniorum quidem Rusticorum stemma tale est:

Source : BIU Cujas

L. IVNIVS MAVRVS, Lar. Aug. Magiſter, apud Gruter. *Inſcript. pag.* 1068. *num.* 8.

Iunius

VXOR II. VXOR I.

POMPONIA GRATILLA VXOR II. Arulenni Ruſtici, cui vidua nupſit. Relegata a Domitiano. Plin. *Epiſt. Lib. III. epiſt.* 11.

= N. =

IVNIVS ARVLENVS RVSTICVS, philoſophus Stoicus a Domitiano interemtus. Suet. *Domit. cap.* 10.

IVNIVS MAVRICVS exſul ſub Domitiano. Plin. *Epiſt. I. 5. et 14. III. 22.*

IVNIA ſoror.

= Vettius Bolanus, legionis ductor. Tacit. *Annal. Lib. XV. cap.* 3. rexit Britanniam anno 821. Tac. *Hiſtor. Lib. II. cap. 65. Agric. cap.* 8. *et* 16.

Q. IVNIVS RVSTICVS, cui rhetorem quaerit patruus, Iunius Mauricus. Plin. *Epiſt. Lib. II. epiſt.* 15. Coſ. anno 872.

Fratres quidam Iunii Ruſtici, quorum meminit Plin. *Epiſt. Lib. II. epiſt.* 15. inter quos fortaſſis *Iunius Mauricianus*, ICtus, de quo infra §. 309.

Iunia virgo, cui Plinius maritum inuenit. Plin. *Epiſt. Lib. I. epiſt.* 14.

= Minucius Acilianus Brixienſis, trib. pleb. Praetor et ſenator. Plin. *Epiſt. Lib. I. epiſt.* 14.

Aſſiduus Curianus, Gratillae ex priore matrimonio filius, a matre exheredatus, Plinio herede inſtituto. Plin. *Epiſt. Lib. V. epiſt.* 11.

M. Vettius Ruſticus Bolanus coſ. anno 863. Gruter. *Inſcript. pag.* 128. *num.* 5. *et pag.* 169. *num.* 7.

IVNIVS RVSTICVS, philoſophus Stoicus, Marci Antonini imp. praeceptor, Iul. Capitol. *in Marc. cap.* 2. Coſ. ſuffectus anno 915. Gruter. *Inſcript. pag.* 181. *num.* 3. *praefectus vrbi et amicus imperatorum* vocatur a DD. fratribus *l.* 1. §. 3. *D. de adpellat.* idem vt videtur, qui Iuſtinum Martyrem capitis damnauit. *Acta S. Iuſtini philoſophi et ſociorum eius*, apud Ruinart. *Act. martyr. ſel. pag.* 58.

Alteram vero Heluidiorum et Paetorum familiam hoc ſchemate complectimur:

PAE-

Source : BIU Cujas

PAETVS CAECINA, qui cum Scriboniano contra Claudium imp. fecerat. Plin. *Epist. Lib. III. epist.* 10. = ARRIA, virilis animi femina, maritum in exsilium sequuta, cuius facta et mortem miratur Plin. *ibid.*

Filius mira pulcritudine et pari verecundia, qui viuo et simul aegrotante patre decessit. Plin. *Epist. Lib. III. cap.* 16.

Heluidius, qui inuito Vespasiano periit. Suet. *Vespas. cap.* 15.

ARRIA minor ob mariti fatum, mori cupide voluit, et in filiae Fanniae solatium precibus mariti a proposito revocata. Tacit. *Annal. Lib. XVI. cap.* 34. = PAETVS THRASEA, a Nerone mori coactus. Tacit. *Annal. Lib. XVI. cap.* 34.

HELVIDIVS PRISCVS a Domitiano interemtus, de quo Tacit. *Agric. cap.* 2. Sueton. *Domitian. cap.* 10. Plin. *Epist. Lib. I. epist.* 5. *Lib. VIIII. epist.* 13. = FANNIA, nouerca Helvidii. Plin. *Epist. VIIII.* 13. cum Arria et Gratilla relegata a Domitiano. Plin. *Epist. III.* 11.

HELVIDIVS filius, qui tempore Plinii solus supererat, domumque sulciebat. Plin. *Epist. Lib. IIII. epist.* 21.

Duae filiae, quas ambas vno tempore a partu decessisse, refert Plin. *Epist. Lib. VII. epist.* 21.

§. CCXXXX.

Subiungimus more nostro seriem IVRISCONSVLTORVM, qui sub Vespasianis potissimum floruerunt. Horum veluti familiam duxit COELIVS SABINVS, aliis perperam CAECILIVS, qui ab Othone imp. cos. designatus in Kal. Iul. anni ab V. C. 821. eum honorem et volente Vitellio gessit. Tacit. *Histor. Lib. I. cap.* 77. Plurimum potuit sub Vespasiano, *l.* 2. *§. vlt. D. de orig. iur.* eodem die auspicante imperium, quo ipse magistratum inierat. Scripsit *librum* DE EDICTO AEDILIVM CVRVLIVM: Gell. *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 2. ex quo et illa, quae *Lib. VII. cap.* 4. de seruis pileatis venum prostantibus ex Coelio Sabino profert, decerpta videntur. Sabinianum eum fuisse, nemo dubitat: immo

ICti sub Vespasianis, Coelius Sabinus.

Source : BIU Cujas

potius ab hoc ipso demum Coelio Sabino *Sabinianorum* nomen ortum videri, iam supra (§. 206. **) monuimus.

§. CCXXXXI.

Celsus pater.

De CELSO patre, nihil fere memoriae proditum reperimus, quam quod in Ducennii Veri, consulis, consilio fuerit. *l.* 29. *D. de legat.* 2. At quis fuerit ille Ducennius, plerique se scire fatentur iuxta cum ignarissimis. Et sane ne probabilis quidem videtur coniectura Ant. Augustini, qui libro *de nom. propr. Pandect. cap.* 3. *pag.* 259. C. Iuuentium Verum cos. vel Guil. Grotii, qui in *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 2. L. Ceionium Commodum; vel denique Abr. Wielingii, qui *in Iurisprud. restituta pag.* 194. L. Ceionium Verum sub eo nomine latitare existimant *. Neque, an quidquam hic Celsus noster scripserit, hodie notum est, quia raro, et non nisi omissa libri inscriptione, citatur in iure nostro, ita tamen, vt eum inter Proculi sectatores fuisse, non obscurum videatur. *l.* 20. *D. de legat.* 2. *l.* 39. *D. mandat.*

* C. Iuuentius Verus cos. fuit anno ab V. C. 887. ad quem vix Celsus pater aetatem produxisse potuit. Reliqui quoque coss. a Grotio et Wielingio laudati Celso patre iuniores videntur. Nos ergo intelligimus DVCENNIVM GEMINVM, consulem, cum Pompeio Paullino suffectum ex Kal. Iul. anni ab V. C. 809. De his consulibus videndi Lydiatus *in Serie summ. magistr. pag.* 62. et Spon. *Miscell. erud. antiquit. pag.* 278. Is sane et Veri cognomen habere potuit. (Vid. *Syllog. I. opusc. Exerc. XIII. pag.* 522. *not. I. edit. Geneu.*) De eius praefectura vrbis Tacit. *Histor. Lib. I. cap.* 14.

§. CCXXXXII.

Pegasus.

De PEGASO, ICto celeberrimo, erudite differit Aegid. Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 17. Patrem habuit trierarchum, cuius ex liburnae parasemo, quod Pegasus erat, ipse nomen accepit, vt refert Scholiastes Iuuenalis *ad Satyr. IIII.* vbi et id addit, *eum iuris studiis tantam memoriae gloriam meruisse, vt* LIBER *vulgo, non homo diceretur*: Eumdem porro *omni honore functum esse*, refert, *quum et prouinciis plurimis praefuerit, et vrbis curam administrarit.* Et sane de eius consulatu testem habemus Iustinianum §. 5. *Inst. de fideic. hered.* de praefectura vrbis Pomponium *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* et Iuuenalem *Sat. IIII. v.* 76. ex quibus testimoniis colligimus, eum semel sub Vespaniano, atque iterum sub Domitiano, vrbi praefuisse.

§. CCXXXXIII.

Source : BIU Cujas

§. CCXXXXIII.

Proculeianos ab eximio hoc ICto PEGASIANORVM nomen adſumſiſſe, in vulgus notum eſt, quamuis id vocabulum in iure non occurrat. Videtur tamen ad illud adludere ſcholiaſtes Iuuenalis, dum *ibidem* ſcribit: *hinc eſt* PEGASIANVM *ſcilicet* IVS, *quod iurisperitus fuerit* *. Ex eius libris, ſi quos ſcripſit, nihil in *Pandectas* relatum eſt. At citatur tamen paſſim, taleſque eius recenſentur ſententiae, vt eum cum Labeone, Proculo, Nerua plerumque ſenſiſſe, et diſſenſiſſe a Sabino, adpareat. *l.* 12. §. 3. *D. de inſtruct. et inſtrum. leg. l.* 7. §. 1. *D. de ſenator. l.* 30. *D. de pecul. l.* 27. *fin. D. de adquir. rer. domin. l.* 2. §. 4. *D. de his, qui not. infam. l.* 116. *D. de verb. ſignif.* Eius ſchola et ſcripta.

* Non praetermittenda hic ingenioſa, at mira tamen Iac. Haſaei ſententia, qui in ſingulari *de Berytenſi ICtorum academia* diatribe, *cap.* 3. §. 5. Pegaſi placita iam a Veſpaſiani temporibus Beryti doceri ſolita eſſe, exiſtimat, idque probat teſtimonio Iuuenalis *Sat. III. v.* 117.

Ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonii delapſa eſt pinna caballi.

Quae poetae verba ille hac παραφράσει explicat: *in illa ripa, ad quam Gorgonii caballi pinna, id eſt, Pegaſiani iuris diſciplina, quaſi pinna pegaſi, delapſa eſt, quia ius ex placitis ſectae Pegaſianae ibi docebatur.* Sed loqui ibi poëtam de Egnatio Celere, Beryti nato, res ipſa docet, cauſſamque iam perorauit Gotfridus Maſcou. *de ſectis Sabin. et Proculeian. cap.* 3. §. 5. *n.* 2. *pag.* 68. *ſeqq.*

§. CCXXXXIIII.

Circa eadem tempora floruiſſe, anteriores tamen aetate anteceſſiſſe videtur VRSEIVS FEROX, cuius permagnam et ſereniorem fuiſſe famam, vel ex eo colligas, quod eius libros notis illuſtrarunt C. CASSIVS LONGINVS (§. 229. *) et IVLIANVS. Proculo tamen poſterior fuit, cui aliquoties denunciat teſtimonium. *l.* 27. §. 1. *D. ad leg. Aquill. l.* 11. §. 2. *D. de aqu. et aqu. pluu. arc.* Ipſe non modo a Iuliano, ſed et a Caſſio laudatur, ex eoque manifeſto conſequitur, vt eum ſub Nerone et Veſpaſianis floruiſſe dicamus. Proculeianorum ſua aetate acerrimus fuiſſe videtur, dignus quippe viſus, in quem ſtricturas conficerent duo ſcholae Sabinianae decora, C. Caſſius et Saluius Iulianus *. Vrſeius Ferox.

* Quid ſcripſerit, non minus hodie ignoramus. Opus tamen eius non exiguum fuiſſe videtur. Quamuis enim *index Florentinus* Iuliani *libros* tantum *quatuor ad Vrſeium* recenſeat: ipſius tamen *Vrſeii Librum X.* laudat Vlpianus apud *Pariatorem legum Moſ. et Rom. tit.* 11. §. 7.

Source : BIU Cujas

§. CCXXXXV.

Fufidius. FVFIDIVM, ignotum antehac ICtum, primus ab obliuione vindicauit Iac. Cuiac. *Obſ. Lib. I. cap.* 9. in eo tamen falſus, quod illum, libera adhuc republica floruiſſe exiſtimauit *, quum Atilicinum, Proculo σύγχρονον (§. 230) laudet, *l.* 5. *D. de aur. arg. mund. leg.* recte id obſeruante Grotio *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 4. Ceterum pauciſſimis *Pandectes* locis mentio fit huius Fufidii, ex iiſque adparet, eum ſcripſiſſe libros QVAESTIONVM, quorum ſecundus laudatur *d. l.* 5. *D. de aur. arg. mund. leg.* Addantur *l.* 25. *D. de manumiſſ. vind. et l.* 29. *D. de rebus auctor. iudic. poſſid.*

* Nec magis ſolida eſt Ant. Auguſtini diuinatio, qui eumdem fuiſſe hunc Fufidium exiſtimat cum illo L. Fufidio, ad quem M. Scaurum tres libros de vita ſua ſcripſiſſe, quemque in aliquo patronorum numero fuiſſe, refert Cicero *in Brut. cap.* 29. Plin. *Hiſtor. nat. Lib. XXX. cap.* 1. Ita Ant. Auguſtin. *de nom. propr. Pand. pag.* 244. ſed eodem Grotii argumento refutandus. Celebris fuit Fufidiorum familia, a qua et *lex Fufidia* nomen habuit. Paſſim etiam Fufidiorum fit mentio a Cicerone *Orat. in Piſon. cap.* 35. Horatio *in Satyris*, et ab aliis.

§. CCXXXXVI.

Plautius. Sed et PLAVTII magnum inter ICtos eorum temporum nomen fuiſſe, vel ex eo patet, quod ad eius libros certatim notas ſcripſerunt NERATIVS, IAVOLENVS, POMPONIVS, et PAVLLVS. Quum vero ipſe CASSIVM et PROCVLVM laudet, *l.* 8. *D. de aur. arg. mund. leg. l.* 43. *D. de condit. et demonſtr.* et viciſſim laudetur a NERATIO, *l.* 5. *D. de ſeruit. praed. ruſtic.* certiſſimum profecto eſt, eum Veſpaſianorum temporibus vixiſſe. *

* *Plautii* celeberrimi fuerunt ſub Claudio et Nerone Auguſtis, in primis *A. Plautius*, qui primus e conſularibus Britanniae praefuit, Tacit. *Agric. cap.* 14. atque inde ouans rediit. Tac. *Annal. Lib. XIII. cap.* 32. Nec magis notus *Plautius*, qui inter Meſſalinae adulteros nominatus ob patrui, Auli procul dubio, merita id flagitium impune tulit. Tac. *Annal. Lib. XI. cap.* 30. *et* 36. Denique omnium celeberrimus *Plautius Lateranus*, qui a Nerone mori iuſſus, incredibile conſtantis atque intrepidi animi ſpecimen edidit, laudatus ideo a Tacito *Annal. Lib. XV. cap.* 60. et Arriano *Diſſ. Epictet. Lib. I. cap.* 1. Poſtremo huic liberi fuerunt ſuperſtites, quos ne complecti quidem patri ante mortem licuit, teſte Tacito *ibid.* Sed eodem tempore et alii celebrantur Plautii, quorum adcuratius ſtemma confecit Reineſ. *Epiſtol. ad Rupert.* 32. *pag.* 106. Veroſimile itaque eſt, virorum iſtorum aliquem Plautii noſtri vel parentem, vel fratrem fuiſſe.

§. CCXXXXVII.

Source : BIU Cujas

§. CCXXXXVII.

Proximus est OCTAVENVS, de quo, quod dicamus, fere nihil est, nisi quod illi a Valente, Terentio Clemente, Pomponio Marciano, et Vlpiano saepius testimonium denuncietur *, adeoque et ipse sub Vespasianis videatur floruisse. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 5. Idem suspicatur, eum quaedam AD EDICTVM, nec non AD LEGEM IVLIAM ET PAPIAM, in quibus illustrandis eo tempore ICti praecipue exercebant ingenia, scripsisse. Quod posterius ex *l.* 32. *D. qui et a quib. manumiss. liber. non fiunt*, colligit: quamuis rem non adeo expeditam esse, obseruauerim *in Commentar. ad leg. Iul. et Pap. Lib. I. cap.* 1. §. 4. Octauenus.

* Laudatur hic ICtus etiam ab auctore *fragmenti veteris ICti*, quod a Petro Pithoeo primum in lucem protractum, postea Ant. Schultingius *Iurisprudentiae veteri et anteiustinianeae* inseruit, et quidem §. 12. *pag.* 806. vbi tamen falso vocatur OCTAVIANVS. Ceterum ex hoc ipso fragmento saltim id discimus, quod Octauenus hic meminerit legis Iuniae Norbanae, adeoque eum post Tiberii tempora vixisse oporteat.

§. CCXXXXVIII.

Denique et VALERII SEVERI scripta memorantur a Iuliano, *l.* 30. *D. de negot. gest.* adeoque satis certum est, ICtum istum ante Hadriani imperium vixisse. Fallitur tamen, nisi ipse fallor, Guil. Grotius *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 5. dum Hadrianum imp. *l.* 3. §. 2. *D. de testam.* ad hunc ipsum VALERIVM rescripsisse, existimat, quum ibi non *Seuerus*, sed *Verus Valerius* nominetur, et nominis istius emendatio nullius fide MSCti nitatur. Neque magis certum est, quod idem coniicit Grotius, *Valerium* hunc esse illum *Seuerum*, quocum Plinio Secundo litterarum commercium intercesserit: Vid. *Lib. III. epist.* 6. 18. *Lib. IIII. epist.* 28. *Lib. V. epist.* 1. *Lib. VI. epist.* 27. *et Lib. VIII. epist.* 22. Nam nec Valerii nomen exstat apud Plinium, et, si exstaret, illud eo tempore tam multis commune fuit, vt nihil certi ex eo colligere liceret *. Valerius Seuerus.

* Plures eo tempore passim occurrunt VALERII SEVERI, et quidem milites aeque, ac aliorum ordinum homines, maxime in marmoribus. Vid. Gruter. *Inscript. pag.* 49. *num.* 4. *pag.* 566. *num.* 6. *pag.* 745. *num.* 6. *pag.* 1077. *num.* 7. Periculosum ergo est, in tanta *Valeriorum* et *Seuerorum* ὁμωνυμία certi quid statuere velle.

§. CCXXXXVIIII.

Source : BIU Cujas

§. CCXXXXVIIII.

Status iuris sub Neruа.

Haec de Vespasianorum temporibus. Eorum successor M. COCCEIVS NERVA, imp. ICti filius et nepos, licet breue habuerit imperium, non tamen omnino nihil ad augendam iuris prudentiam contulit. Primus PRAETOREM FISCALEM, qui inter fiscum et priuatos ius diceret, constituit, *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* et militibus, testamenta condituris, plenissimam indulgentiam dedit *. *l.* 1. *D. de testam. milit.* Primus deinde quaestionem de statu defunctorum, elapso a morte quinquennio, vetuit: *l.* 4. *pr. D. ne de statu def.* quin et primus ciuitatibus omnibus, quae sub imperio Romano essent, legata relinqui permisit. Vlpian. *Fragm. tit.* 24. §. 8. LEGIS quoque AGRARIAE a D. Neruа latae mentio fit *l.* 1. *D. de term. mot.* sed ea procul dubio SC. tantum fuit. Vlr. Obrecht. *de legib. agrar. cap.* 5.

* Idem et filiisfamilias militantibus testandi dedit facultatem, de iis saltim rebus, quas in expeditione adquisiuissent. Id Traianus postea firmauit, militibusque, licet in patria potestate constitutis, eam potestatem ratam esse voluit. Hadrianus vero eam vlterius produxit etiam ad veteranos. *pr. Inst. quib. non est perm. fac. testam.*

§. CCL.

Status iuris sub Traiano. SC. Rubrianum.

Neruae successit TRAIANVS, *Optimi* cognomine ornatus a senatu, laudatusque tantum non ab omnibus eorum temporum scriptoribus. Quemadmodum ciuilitatis laudem in omnibus rebus adfectauit: ita seruauit id institutum, vt de praecipuis ad senatum referret. Argumento sunt tot SCta, sub eius imperio condita, inter quae primum est RVBRIANVM, factum anno 853. *Rubrio Gallo* et *C. Coelio Hispone* coss. ex Kal. Iul. suffectis. Grut. *Inscript. pag.* 464. *num.* 1. quo cautum, *vt, si hi, a quibus libertatem praestari oporteret, euocati a praetore non adessent, neque vlla iusta causa impedirentur; praetor vero, causa cognita, libertatem deberi, pronunciasset, eorum status eodem iure seruaretur, ac si directo manumissi essent.* * Ita enim hoc SC. describitur *l.* 26. §. 7. *sequ. l.* 28. *l.* 33. *l.* 36. *D. de fideic. libert. l.* 3. §. 3. *D. de legit. tut.*

* In *l.* 29. *D. de fideic. libert.* Paullus addit: *si quis, posteaquam in ea causa esse coeperit, vt ex fideicommisso manumitti deberet, alienatus sit, eum quidem, cuius interim seruus fuerit, manumittere cogi, neque hic distingui, iusta, an non iusta causa absit: omnino enim* LIBERTATEM EI SERVARI. Postrema verba Merill. *Obseru. Lib. VI. cap.* 24. mutanda censet, rescribendumque putat: *omnimodo enim et* LIBERTVS *seruatur.* Qua in re sequitur Graecos, praefatus a

Source : BIU Cujas

tus, *non temere quidem se adsentiri Graecorum interpretationibus, quibus vis Latini sermonis, et potissimum verborum ad ius ciuile pertinentium haud satis perspecta fuerit: hic tamen rationem facere, vt eorum lectionem tueri malit.* At quae ratio? Quod in ipso SCto ita exprimitur: *eorum status seruatur*, id Paullus reddit: *ei libertas seruatur.* Et quis ita loquitur: *libertus seruatur?*

§. CCLII.

Paullo post prodiit SC. DASVMIANVM. Illud enim non multo post *Rubrianum* et *Articuleianum* factum esse, obseruauit Ant. Augustin. *de nom. propr. Pandect. cap. 4. pag. 325.* Eo cautum *, vt si ex iusta *etiam caussa abesset, qui fideicommissariam libertatem deberet, et hoc pronunciatum esset, perinde libertas competeret, atque, si, vt oportebat, ex caussa fideicommissi manumissus esset.* Ita Marcianus *l. 51. §. 4. D. de fideic. libert.* Itemque, *vt, quemcumque fideicommissam libertatem ex quacumque caussa debere pronunciatum fuerit, et eum eosue abesse contigerit, perinde haberetur, atque si, vt oportebat, ex caussa fideicommissi manumissus esset. l. 51. §. 6. D. eod.* SC. Dasumianum.

* Noui ergo quid Rubriano adstructum est per SC. Dasumianum. Ex Rubriano enim ob verba: *si adesse noluerit*, quaerebatur, quaenam sit caussa absentiae, iustane, an iniusta? si iniusta, seruus manumittebatur, sed fiduciarius iura patronatus amittebat. Sin iusta, libertas seruabatur, sed iura patronatus salua esse iubebat SC. Dasumianum. *L. 36. D. de fideic. libert.* Merill. *Obseru. Lib. VI. cap. 24.*

§. CCLIII.

SC. ARTICVLEIANO *Traiano IIII.* et *Sex. Articuleio Paeto* coss. anno ab v. c. 851. facto cautum est, *vt quacumque in prouincia libertas seruo relicta testamento fuerit, praeses eius prouinciae ea de re cognosceret, quamuis heres non esset eius prouinciae. l. 51. §. 7. D. de fideicomm. libert.* Inter SCta procul dubio etiam fuit illa LEX VECTIBVLICI, quae libertis municipiorum iura ciuitatis concessit, *l. vlt. C. de seru. reip. manum.* quamque ego iisdem temporibus conditam fuisse arbitror *. SC. Articuleianum, et lex Vectibulici.

* Municipia olim seruos manumittere plane non poterant, quia actio legis non poterat per procuratorem explicari. *l. 123. pr. D. de regul. iur. l. 3. C. de vind. lib.* Postea id permissum quidem est municipiis: at manumissi non ciues erant, sed ex lege Aelia Sentia tantum in libertate morari dicebantur. Vlpian. *Fragm. tit. 1. §. 12.* Quum porro lex Iunia Norbana omnes, quos lex Aelia Sentia in libertate morari patiebatur, Latinae conditionis esse iuberet: idem ius et municipiorum libertis competebat: donec hac lege Vectibulici participes fierent iurium ciuitatis. Quamobrem parum solida est

Source : BIU Cujas

Hermanni Noordkerkii obseruatio, legem illam Vectibulici multo antiquiorem esse temporibus Tiberii, existimantis. *Disquis. de lege Petron. pag. 98.* Potius hanc legem, quodcumque verum eius nomen fuerit, latam esse oportet inter annum 771. quo lex Iunia Norbana lata est, et annum v. c. 881. quo lex Vectibulici etiam ad prouincias prolata est. *l. vlt. C. de seru. reip. manumitt.* Quum vero monstrum nominis sit illud Vectibulici, anno vero v. c. 863. consul cum L. *Calpurnio Pisone* fuerit VETTIVS RVSTICVS BOLANVS, Gruter. *Inscript. pag. 66. num. 2. pag. 128. num. 5. et pag. 163. num. 7.* non dubitamus, quin scribendum sit: *lex Vettia* vel *Vectia Bolani.*

§. CCLIIII.

SC. ἀναγνωστὸν de actione subsidiaria aduersus magistratus.

Denique SCti, quo *actio subsidiaria aduersus magistratus municipales, tutorum nominatores, si administrationis tempore non fuerint soluendo, nec ex cautione fideiussoris solidum exigi possit, indemnitatis nomine introducta est*, mentio fit in constitutione DIOCLETIANI et MAXIMIANI AVG. *l. 5. C. de magistr. conuen.* Id vero auctore Traiano factum esse, et hac ipsa lege exprimitur, et aliunde satis notum est.

§. CCLV.

Rescripta et edicta Traiani.

Multa tamen etiam Traianus non adhibito in consilium senatu, RESCRIPTIS atque EDICTIS constituit. Et illorum quidem quam plurima memorantur in iure nostro: magis tamen notatu digna sunt EDICTA, veluti *de iis, qui se ipsi detulerint, parte quadam eorum, quae contra leges ceperint, donandis.* * *l. 13. pr. §. 1. l. 15. l. 16. l. 42. l. 49. D. de iur. fisc. l. 5. §. 10. D. de his, quae vt indign.* Quod BENEFICIVM D. TRAIANI, quod in iure nostro vocatur, caput tantum fuisse videtur EDICTI seueriſſimi, *quo delatorum calumnias compescuit.* Plin. *Panegyr. cap. 34.* Sed et de stateris adulterinis, *l. 6. §. 1. D. de extr. cogn.* nec non de pollicitationibus, quaedam edixisse dicitur princeps optimus. *l. 14. D. de pollicitat.*

* Haec sui ipsius delatio ad caduca, quae fiscus capiebat, pertinebat. Quum enim lege Iulia caducaria praemia constituta essent delatoribus, quae deinde Nero ad quartas redegerat, Suet. *Ner. cap. 10.* id vero lucrum plures moueret, vt per calumniam bona quaeuis, tamquam caduca deferrent: demum delatorum calumniis ita interceſſit Traianus, vt ipsis possessoribus liceret se ipsos deferre, illudque tunc lucrum maius caperent, quam alioquin delatoribus vel quadruplatoribus cedebat, nempe dimidiam. *l. 13. pr. D. de iur. fisc.* Quumque alias non omnibus promiscue liceret deferre: se ipsos deferre poterant etiam feminae, et adolescentuli in pupillari aetate constituti, *l. 16. D. eod.* modo se ipsos tantum deferrent, non alios. Id enim tam rigide

Source : BIU Cujas

gide exigebant interpretes, vt ne illud quidem, quod seruo fuerat relictum, a domino deferri paterentur. *l.* 13. §. 8. *D. eod.* Dubitatum etiam legimus, an heres eius, qui contra leges ceperit, deferre posset. At DD. Fratres rescripserunt, ita demum heredes deferre posse, si is, cui plus iusto datum fuerit, constituerit se ipsum deferre, idque morte praeuentus non potuerit. *l.* 13. §. 5. 6. *D. eod.* Plura, quae ad hoc edictum illustrandum pertinent, obseruauimus *in Commentar. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. III. cap.* 10. §. 3.

§. CCLVI.

ICti sub Nerua et Traiano. P. Iuuentius Celsus.

Proximum est, vt et IVRISCONSVLTORVM, qui sub Nerua et Traiano potissimum floruerunt, breuem recensum instituamus. Horum princeps, P. IVVENTIVS CELSVS, qui ex rationibus nostris anno ab v. c. 820. aut non multo post natus *, et puer artibus elegantioribus ac philosophia Stoica probe excultus, iuris prudentiam a patre edoctus est, *l.* 20. *D. de legat.* 3. cuius exemplo et Proculi sectae se addixit. Cuiac. *Obs. Lib. VIII. cap.* 35. *Lib. XXVII. cap.* 12. Mascou. *de sect. Sabin. et Proculei. cap.* 3. §. 7. *pag.* 75. Attamen veritatis, quam sectae, studiosior, aliquando a Labeone, Nerua, ipsoque patre dissensit, *l.* 25. *pr. D. de furt. l.* 29. *D. de euict. l.* 3. §. 6. *D. de condict. causs. dat.* ac Sabino et Cassio adsentiri non dubitauit, *l.* 65. §. 3. *D. de legat.* 3. *l.* 6. *D. de condict. ob turp. causs.*

* Rationes autem ita subducimus. Iuuentii nostri praetura incidit in aetatem Plinii. Et hic quidem refert, eum praetorem grauiter altercatum esse cum Licinio Nepote, de sententia, quam hic in caussa Pomponii Rufi Vareni, repetundarum a Bithynis postulati, in senatu dixerat. Plin. *Lib. VI. epist.* 5. Ea caussa acta est anno ab v. c. 854. quia tunc *M'. Acilium Rufum*, cos. designatum, primum sententiam dixisse, alibi obseruat Plin. *Lib. V. epist.* 20. qui eo anno consul suffectus fuit. Quumque ex eodem constet Plinio, *Lib. VII. epist.* 16. leges annarias tunc adhuc religiose fuisse obseruatas, annum vero praeturae legitimum eo tempore fuisse aetatis trigesimum quartum, nemo ignoret: natum esse oportet Celsum nostrum circa annum 820. vel aliquot annis prius aut posterius, quia aliquot anni aliquando vel iure liberorum, vel beneficio principis remittebantur. Tacit. *Annal. Lib. II. cap.* 51. *l.* 2. *D. de minorib. Comment. nost. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 6. §. 3.

§. CCLVII.

Eius honores.

Cum Nerua, qui imperio postea potitus est, aliisque coniurauerat aduersus Domitianum, sed nominatus inter coniuratos, eo periculo se callide expediuerat, dum persuaserat principi, se expertem esse eius criminis, et liberaliter ei fuerat pollicitus, se

Source : BIU Cujas

ipsum indagatum sceleris socios, argumentoque coniurationis perspicua suggesturum: ita vero dimissus, rem ad caedem vsque Domitiani extraxerat. Dio Cass. *Lib. LXVII. pag.* 765. Philostr. *Vit. Apoll. Tyan. VII.* 3. Hoc facinus illi, caeso Domitiano, magno procul dubio adiumento fuit ad honores consequendos. Praeturam enim anno ab v. c. 854. Plin. *Lib. VI. epist.* 5. consulatum priorem nescio quo anno; posteriorem anno ab v. c. 881. collega Marcello gessit: Noris. *de epoch. Syro-Macedon. pag.* 498. quin et inter Hadriani amicos et consiliarios fuit, Spartian. *Hadrian. cap.* 18. extremis eius annis, vti videtur, fato functus *, Vid. *Syllog. I. opusc. Exerc.* XIII. *pag.* 529. *edit. nou.*

* Non ergo confundendus est noster cum filio eiusdem nominis, qui sub Antoninis imperatoribus tamquam PROMAGISTER, libello liberti Augusti. quo petierat, vt coniugis et filii reliquias feretro fictili liceret inferre III. Non. Nouembres *Antio* et *Opimiano* coss. ordinariis, id est, anno ab v. c. 907. subscripsit. Is libellus cum P. IVVENTII PROMAGISTRI subscriptione integer exstat in lapide apud Gruter. *pag.* 687. eumque perperam ad ICtum nostrum retulerunt Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 3. et Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 20. quum eum, tunc fere nonagenarium, promagistri negotiosissimum officium obiisse, ne verosimile quidem videatur.

§. CCLV(II.

Nec non scripta.

Scripsit EPISTOLAS, quarum *librum XI.* laudat Vlpianus *l.* 3. *D. de minorib.* nec non QVAESTIONVM *libros* saltim XVIIII. * *l.* 1. *D. de reb. cred. l.* 9. §. 2. *D. de hered. instit. l.* 19. *D. de aur. arg. leg.* itemque COMMENTARIOS, quorum *liber VII.* laudatur *l.* 19. §. 6. *D. de aur. arg. mund.* Ex nullo vero alio opere Tribonianus fragmenta in *Pandectas* retulit, quam ex DIGESTORVM *libris XXXVIIII.* vt illi soli ea aetate adhuc exstitisse videantur. Somniare dixeris Bern. Rutil. *in Vit. ICtor. cap.* 58. qui Celso nostro INSTITVTIONVM *libros XX.* nec non IAN. VINC. GRAVINA, qui ei librum DE VSVCAPIONIBVS tribuit, in eoque illum crebram patris sui mentionem facere addit, quum CELSI *patris* vix semel ac iterum mentio fiat in toto *Pandectarum* opere.

* Quales fuerint scripti a veteribus ICtis QVAESTIONVM libri, (tales enim praeter nostrum et Africanus, Maecianus, Ceruidius Scaeuola, Tertullianus, Papinianus, Callistratus, et Iulius Paullus reliquerunt), ostenderunt Iac. Cuiac. *in Tract. I. in African.* Bynkershoek. *ad l. lecta cap.* 1. *pag.* 6. et Eu. Otto *in Papinian. cap.* 12. *pag.* 361. *seqq. edit. nou.* Nimirum quum saepe ICti inciderent in problemata iuris: ea, publice tractata, editis quaestionum libris euulgabant ICti, rationesque, cur eae decisiones placuerint, diligentius atque exquisitius, quam in *Responsorum libris*, explica-

plicabant. Ex quo simul intelligitur, cur inscriptionem QVAESTIONVM PVBLICE TRACTATARVM operi suo praefixerit Ceruidius Scaeuola.

§. CCLVIIII.

Συγχρονος P. Iuuentio Celso, eiusque condiscipulus, (siquidem vterque Celso patri in schola Proculeiana successit, *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.*) fuit NERATIVS PRISCVS *, vir omnibus probatissimus, et doctrina moribusque eximius, et tam carus Traiano imperatori, vt hic non modo consiliis eius vteretur, *l. 5. D. si a parent. quis manumiss.* sed ex multorum sententia eum successorem designaret, eique aliquando diceret: *commendo tibi provincias, si quid mihi fatale acciderit.* Spartian. *Hadr. cap.* 4. Consul fuit, collega Annio Vero, *l. 6. D. ad leg. Cornel. de sicar.* posteaque et inter Hadriani consiliarios locum habuit, Spartian. *Hadr. cap.* 18. sub quo principe et decessisse illum, opinor. Neratius Priscus.

* In veteris ICti *fragmento Regularum* apud Schulting. vocatur NERATIVS PROCLVS. Sed aut *Priscus* rescribendum, quod Pithoeo placuit, aut et PROCVLVS, quod ego malim. Ceterum, quum apud Vlpian. *Fragm. tit.* 11. §. 28. PRISCVS dicatur inter Proculeianos et Cassianos in quaestione de pubertate ita se medium gessisse, vt amborum sententiam coniungeret, incertum est, nosterne sit intelligendus, an Iauolenus, quia vterque et eiusdem cognominis, et maximae auctoritatis fuerit. Schulting. *Iuris prud. vet. anteiustin. pag.* 604.

§. CCLX.

Plura reliquerat ingenii monimenta, veluti REGVLARVM *libros XV.* MEMBRANARVM *libros VII.* RESPONSORVM *libros III.* quae sola in Indice Florentino memorantur. At praeter haec opera laudantur etiam *libri* EPISTOLARVM *, *l.* 12. §. 35. *D. de instr. et instr. leg. libri* EX PLAVTIO, *l. 5. D. de seru. praed. rustic. libri* DE NVPTIIS apud Gell. *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 4. Edidit etiam NOTAS AD FVLCINIVM, *l.* 43. *D. de mort. causs. donat.* quemadmodum et AD NERATIVM *Notarum libros IIII.* reliquerat Iulius Paullus. Ceterum et Neratium fecisse cum Proculo, vel schola, ex qua prodierat, satis superque demonstrat Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap. 3. §. 8. pag.* 76. Eius scripta.

* Videtur Neratius litterarum commercium habuisse cum viris, qui tum floruerunt, doctissimis. Nam et Plinius, quas *Lib. II. epist.* 13. *Lib. VI. epist.* 8. *et Lib. VII. epist.* 8. *et* 19. ad Priscum dedit, epistolas, ad Neratium nostrum videtur scripsisse. At EPISTOLAE tamen, quales Proculus, Celsus, Neratius, aliique veteres ICti reliquerunt, non tam ad familiares amoris

Source : BIU Cujas

cauſſa et de negotiis priuatis, quam ad ICtos de quaeſtionibus iuris dubiis, vel ad conſulentes, de ſpeciebus ambiguis ſcriptae videntur.

§. CCLXI.

T. Ariſto. Iiſdem temporibus inclaruit T. ARISTO, aequalis Celſo et Neratio, quibuſcum illi et litterarum commercium interceſſit. *l.* 19. §. 2. *D. locat. l.* 3. *pr. D. quae res pign. vel hypoth. l.* 29. §. 1. *D. de ſtatulib.* Ex quo tamen non conſequitur, eum Proculeianis eſſe adnumerandum, a Pegaſi ſane opinione ſuam ſeiungit ſententiam *l.* 19. *D. de hered. inſtit.* Amiciſſimus fuit Plinio, qui *Lib. I. epiſt.* 22. illi, pertinaciter aegrotanti, tamquam iam mortuo, tanta facundia parentauit, vt ſimul veram perfecti ICti imaginem, qualem illo tempore animo concipiebant viri docti, ob oculos ponere voluiſſe videatur *.

* Primo generatim laudat eius grauitatem, ſanctitatem, doctrinam, quam tam variam ac diffuſam eſſe ait, *vt ſibi non vnus homo, ſed litterae ipſae, omneſque bonae artes, in vno homine ſummum periculum adire videantur.* Deinde inprimis eruditionis iuridicae ambitum ita circumſcribit: *quam peritus ille et priuati iuris et publici? quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet? nihil eſt, quod diſcere velis, quod ille docere non poſſit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, ille theſaurus eſt.* Laudat porro eius in ſermonibus fidem, in reſpondendo circumſpectam tarditatem, frugalitatem in victu et cultu, magnitudinem animi, quae nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam referat. Denique eum tamquam genuinum Stoae alumnum deſcribit, quamuis enim non ſectetur gymnaſia et porticus, nec diſputationibus longis aliorum ocium ſuumque delectet, ſed in toga negotiiſque verſetur, multoſque aduocatione, plures conſilio iuuet: non tamen facile quemquam eorum, qui ſapientiae ſtudium habitu corporis praeferant, huic viro videri comparandum. Addit, nemini illum caſtitate, pietate, iuſtitia, fortitudine, patientia in morbo pertinaciſſimo, etiam primo loco cedere: quin iam ſibi pauciſque aliis aperuiſſe eum conſilium, ſponte exeundi e vita, ſi medici morbum inſuperabilem eſſe renunciarent. Quae omnia argumento ſunt, Ariſtonem more ſaeculi philoſophiam Stoicam cum adcuratiore iuris peritia, omniumque bonarum artium ſcientia coniunxiſſe.

§. CCLXII.

Eius ſcripta. De ſcriptis Ariſtonis, quod mireris, nihil Plinius. Ex iure tamen noſtro patet, illum notaſſe AD CASSIVM, *l.* 7. §. 3. *l.* 17. *D. de vſur.* AD SABINVM, *l.* 6. *D. de vſu et habitat. l.* 3. §. 1. *D. de penu leg.* nec non AD LIBROS POSTERIORVM LABEONIS, *l.* 17. §. *vlt. D. de hered. inſtit.* Librum porro illius DE FVRTIS laudat Gell. *Noct. Att. Lib. XI. cap.* 18. et collectionem DECRETORVM FRONTINIANORVM * Pomponius *l. vlt. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.*

Source : BIU Cujas

possess. An et RESPONSA, et DIGESTA scripserit, (quod ex *l.* 8. §. 5. *D. si seru. vind.* et *l.* 44. *D. solut. matr.* colligunt), alii viderint.

* At quid DECRETA FRONTINIANA? Id hodie nemo facile dixerit. Videtur tamen quidam vel *Frontinus*, vel *Fronto* in iuris dictione sua multa seuere ac prudenter decreuisse, quae deinde digna visa Aristoni, quae animaduersionibus suis illustraret. Ceterum ad *Frontonem* quemdam rescribit Traianus, *l.* 5. *D. de poen.* et M. Cornelius Fronto consul fuit anno ab v. c. 852. idem fortassis cum priore. Sed alii quoque circa eadem tempora passim memorantur *Frontones* et *Frontini*, quos recenset Ant. Augustin. *de nom. propr. Pand. pag.* 272. 353. 361. 377. 379. *et* 399.

§. CCLXIII.

Minus celebres ea aetate fuerunt ARRIANVS, SERVILIVS, et VIVIANVS. ARRIANVM Guil. Grotius eumdem esse suspicatur cum illo, ad quem literas dedit Plin. *Lib. I. epist.* 2. *Lib. II. epist.* 11. *et* 12. *Lib. IIII. epist.* 8. et alibi. Sed id incertum. Certius multo est, eum scripsisse libros DE INTERDICTIS, qui citantur *l.* 11. *D. de hered. petit.* SERVILIVS a solo Terentio Clemente laudatur, et ita quidem, vt eum Proculo posteriorem fuisse adpareat *, *l.* 10. *D. de iur. patron.* Postremus VIVIANVS laudatus subinde a Ceruidio Scaevola, Pomponio, Vlpiano, Paullo, ipse aliquando Sabino, Cassio, et Proculo testimonium denunciat. Quaedam scripsisse videtur AD EDICTVM, ad quae deinde notas edidit Pomponius. *l.* 17. §. 4. *D. commodat.* Arrianus, Seruilius, Viuianus.

* Ex quo manifestum est, quamuis pro *Seruilius* plerique codices MSSC. habeant SERVIVS, hic tamen intelligi non posse Seruium Sulpicium. Quandoquidem tamen ICti veteres raro citarunt obscurioris famae homines: elegans profecto est coniectura Bynkersh. *Obseru. Lib. V. cap.* 23. pro *Seruilio* rescribentis *Ceruidium*, puta Scaeuolam, et qui per aetatem et laudari a Terentio Clemente, et laudare Proculum potuit.

§. CCLXIIII.

De serenioris famae ICti, MINVCII NATALIS, aetate eo minus dubitare licet, quod ad eum rescripsisse dicitur Traianus, *l.* 9. *D. de fer.* Cuiac. *Obseru. Lib. VII. cap.* 2. et ita quidem, vt eum tunc Proconsulem fuisse adpareat, quippe cuius de officio ibi Vlpianus differuit. Firmant hanc coniecturam marmora apud Gruter. *Inscript. pag.* 49. *num.* 6. et *pag.* 59. *num.* 8. in quorum altero PROCOS. LIBYAE; in altero LEG. AVG. PRO PR. PROVINCIAE MOESIAE INFERIORIS vocatur *. Sabinianum se suo indicio Minucius Natalis.

dicio prodit. *l.* 61. *D. de rei vindic. l.* 22. *D. de reb. cred. l.* 6. §. 4. *D. de act. emt.* Cuiac. *Obseru. Lib. X. cap.* 4. Quid vero scripserit, hodie fere nescimus, quamuis eius libros, qualescumque fuerint, notis a IVLIANO illustratos esse, satis constet.

* Ex eadem inscriptione patet, Minucio huic praenomen fuisse *Lucio*, itemque eum et Consulem, et Augurem fuisse. Tota enim ita se habet:

HERCVLI
TIBVRT. VICT.
ET CETERIS DIS
PRAET. † TIBVRT.
L. MINVCIVS
COS. AVGVR
LEG. AVG. PR. PR.
PROVINCIAE
MOESIAE INFER.
VOTIS SVSCE.

† Appianus rectius legit PENAT.

In quem vero annum hic consulatus L. Minucii Natalis incidat, nullo indicio deprehenditur.

§. CCLXV.

An et Caluisius?

CALVISII cuiusdam nomen ICtorum catalogo ideo inseruit Guil. Grot. *in Vit. ICt. Lib. II. cap.* 5. quod Plinius Secundus *Lib. V. epist.* 7. Caluisio cuidam dat negotium, decurionum Comensium ordinem docendi, quid iustum sit circa legata municipio relicta. Sed quum talia, vt non dicam cuius ex triuio, saltim mediocriter prudenti diligentique homini mandare potuerit Plinius: ego ideo Comensem illum non dixerim ICtum, multo minus illum auctorem crediderim ACTIONIS CALVISIANAE, cuius originem ad eumdem referre non dubitet Grotius.

§. CCLXVI.

Laelius Felix.

Meliore iure hic locum damus LAELIO FELICI, quem ad Hadriani tempora vitam produxisse, patet ex *l.* 3. *D. si pars hered. pet.* Scripsit AD MVCIVM, ex quo libro quaedam decerpsit Gell. *Noct. Attic. Lib. XV. cap.* 27. Nec aliunde esse videntur, quae ab eo αὐτόπτῃ scripta esse dicuntur de muliere Alexandrina, quinque simul vtero gestante. * *d. l.* 3. *D. si pars hered. pet.* Ceterum Laelii Felicis testimonio vtitur etiam Paullus *l.* 43. *D. de hered. pet.*

* Eamdem historiam narrant etiam Caius *l.* 7. *D. de reb. dub.* Iulianus *l.* 36. *D. de solut.* Phlegon *de mirabilib. cap.* 29. et Iul. Capitolin. *Antonin. Pio cap.* 9. sed circumstantiis tam discrepantibus, vt ambiguus haereas, idemne, an diuersa narrent. Totam rem cum cura expenderunt Rigalt. *ad Tertullian. de anima, cap.* 17. *pag.* 81. et Car. Hannibal Fabrott. *Exercit. select. II.*

§. CCLXVII.

Source : BIU Cujas

§. CCLXVII.

Sub Hadriano maximam mutationem subiit iuris prudentia.

Progredimur ad HADRIANVM imperatorem, sub quo nouam veluti faciem induisse iuris prudentiam, inter omnes constat. Iuvenis adhuc, quum futuri sollicitus Virgilianas sortes consuleret, sors exiit illud *Aeneid. Lib. VI. v.* 809.

Quis procul ille autem, ramis insignis oliuae
Sacra ferens? Nosco crines, incanaque menta
Regis Romani, primam qui LEGIBVS vrbem
Fundabit.

teste Spartiano *in Hadr. cap.* 2. Quam sortem, probante euentu, Hadrianus in publica priuataque vita Numam imitari studuit. Aurel. Victor *Schotti cap.* 14. Dodwell. *Praelect. Cambden. VII. pag.* 295. *sequ.* In eo tamen praecipue se ad Numae exemplum composuit, quod legibus armauit rem publicam, quod in eo laudant Latin. Pacat. *Panegyr. cap.* 11. Oros. *Lib. VII. cap.* 13. Io. Sarisber. *Nugar. curial. Lib. VIII. cap.* 19.

§. CCLXVIII.

Eius auspiciis conditum edictum perpetuum.

Sic primus condi iussit *Edictum perpetuum*, quum praetores ad eius vsque tempora edicto singulis fere annis noui quid adstruxissent *. Falluntur enim, qui Paullo Diacono credentes, eam laudem Antonino Pio tribuunt, vel decepti loco Aurelii Victoris male sano, Didio Iuliano edictum illud deberi, contendunt, veluti Garro *ad l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* et Hugo Grot. *Flor. spars. pag.* 87. Hadriani vero auspiciis hunc laborem suscepisse SALVIVM IVLIANVM, testantur Eutrop. *Lib. VIII. cap.* 9. et ipse Iustinianus *Constit. Graec. de confirmat. Digestor.* §. 18.

* Durasse hunc morem ad Hadriani vsque tempora, probari potest luculento loco *l. 6. §. 1. D. de custod. et exhibit. reor.* vbi Marcianus: *sed et caput*, inquit, *mandatorum exstat, quo D. Pius, quum prouinciae Asiae praeerat,* SVB EDICTO PROPOSVIT, *vt irenarchae, quum adprehenderint latrones, interrogent eos de sociis et receptatoribus*, cetera. Asiam autem eum multo ante, quam ab Hadriano esset adoptatus, rexisse sub Hadriano, patet ex Iulio Capitol. *in Anton. Pio cap.* 3. Si ergo procos. tunc adhuc edicta sub auspicia magistratus sui proposuerunt: quidni et praetores?

§. CCLXVIIII.

Quo anno?

Auctor est Eusebius *Chron. n.* 2147. illo Abraami anno in lucem prodiisse edictum perpetuum: qui annus inchoandus est a Kal. Octobr. anni ab v. c. 884. erae Dionys. 130. Quum ve-

Source : BIU Cujas

ro sequente demum anno Hadrianus celebrarit quindecennalia, quae vt plurimum illustrium legum promulgatione solebant celebrari: Ant. Pagi *Dissert. hypat. Part. II. cap.* 4. §. 3. *pag.* 123. genuina publicati edicti perpetui era incidere videtur in annum erae Dionys. 131. quo *Ser. Octauius Laenas Pontianus* et *M. Anton. Rufinus* consules fuerunt *. Ant. Pagi *Critic. Baron. Tom. I. pag.* 127. Tillemont. *Histor. imp. Tom. II. part.* 11. *pag.* 408.

* Errant ergo tum Baronius, qui edictum anno erae Dionys. 134. conditum putat, tum Ren. Bottereau, qui *in Hadriano legislator. pag.* 189. eram illam figit in anno 132. Nos Eusebium eo tutius sequi videmur, quo certius constat, illum antiquiora pleraque ex Iulio Africano exscripsisse: hunc vero chronologiam suam perduxisse ad annum erae Dionys. 221. adeoque nonaginta circiter annis abfuisse ab illis Hadriani temporibus. Georg. Syncell. *Chron. pag.* 212. Quis vero dubitet, quin tum adhuc exstiterint incorrupta monimenta, ex quibus genuinum publicati edicti perpetui annum eruere potuerit scriptor diligentissimus?

§. CCLXX.

Auctor eius Salvius Iulianus.

Composuisse illud edictum perpetuum SALVIVM IVLIANVM, ICtum celeberrimum, non modo Eusebius et Eutropius observant, verum etiam Iustinianus *l.* 2. §. 18. *C. de vet. iur. enucl.* et *l.* 10. *C. de condict. indeb.* vbi *summae auctoritatis homo*, et EDICTI PERPETVI ORDINATOR adpellatur. Quum vero et alii tum floruerint ICti eximii, et Iuliano nihilo deteriores: ratio, cur ei potissimum id negotii datum sit, vix alia reddi poterit, quam quod ille tum praeturam gesserit, eumque adeo in edicto scribendo laborare oportuerit *. Idque et inde colligimus, quod Iulianus tralatitiis edictis quaedam noua, veluti *de coniungendis cum emancipato liberis eius*, addidit: *l.* 3. *D. de coniung. cum emanc. liber.* quod non nisi a praetore fieri potuisse, nouimus.

* Ipse sane praeturae suae meminit Iulianus *l.* 5. *D. de manum. vind.* ea vero per temporis rationes commode incidere potuit in hunc annum erae Dionys. 131. Vix credibile est, sine aemulatione ICtorum, maxime diuersae sectae deditorum, huic Sabiniano dari id negotium potuisse, quum facile praeuidere potuerint illi, hominem pleraque sectae suae placita edicto inserturum. Commodissima vero ratio componendi hanc litem haec esse potuit, vt negotium id delegaretur ei, qui esset praetor in hunc annum designatus. Ita enim non erat quod Proculeiani irascerentur Iuliano, qui sorte magis, quam principis iudicio, Spartam hanc nactus videbatur.

§. CCLXXI.

Source : BIU Cujas

§. CCLXXI.

In quonam constiterit Iuliani opera?

Quamuis autem in eo potissimum constiterit Saluii Iuliani opera, vt ius, *quod varie inconditeque a praetoribus* adhuc *promebatur*, IN ORDINEM COMPONERET, Aurel. Victor *Schotti cap.* 19. ORDINARET, *l.* 10. *C. de condict. indeb.* et CONDERET *: *l.* 2. §. 18. *C. de vet. iur. enucl.* certissimum tamen est, eumdem non modo quaedam de nouo adiecisse, *l.* 3. *D. de coniung. cum emanc. liber.* vel omisisse, tamquam quae vsu iam exoleuissent, e. g. edictum *de fluminibus retandis* apud Gell. *Noct. Attic. Lib. XI. cap.* 17. sed et aliqua immutasse, vti obseruatur ab edicti interpretibus, *l.* 1. *D. quod met. causs. l.* 1. §. 1. *D. commod.* quin et sectae suae seruientem, quaedam Sabinianorum placita edicto inseruisse, et Proculeianorum hoc modo explosisse sententias *l.* 1. §. 1. *D. de iur. fisci.*

* Talia veterum praetorum edicta eo tempore adhuc permulta exstabant, maxime in bibliotheca Vlpia, in qua integrum eorum volumen reperit euolvitque paullo post Gellius, ceu ipse testatur *Lib. XI. cap.* 17. Bibliotheca ista, collecta a Traiano, et legum, SCtorum, edictorum, aliorumque monimentorum collectionibus refertissima, initio in templo Traiani stetit, et postea in thermas Diocletianas translata est, vbi se illa vsum esse testatur Vopisc. *in Tacit. cap.* 8. *et in Aurelian. cap.* 8. Vocatam esse hanc bibliothecam *Athenaica*, ex codice Palatino Trebellii Pollionis *de triginta tyrann. cap.* 20. obseruat Claud. Salmas. *ad Script. histor. Aug. pag.* 302. Sed impressi plerique ibi pro *athenaicis* habent *archiua.*

§. CCLXXII.

Edictum perpetuum oratione principis et SCto firmatum.

Ceterum hoc edictum adeo se probauit et Hadriano imp. et senatui, vt ille ORATIONE, quae in *constit. Graeca de confirm. Digest.* §. 18. λόγῳ τῷ Ἀδριανῷ ἐν κοινῷ διεξελθὼν ἐπὶ τῆς πρεσβυτέρης Ρώμης, *oratio Hadriani in senatu veteris Romae recitata* appellatur *; hic SCto in principis sententiam facto istud ratum haberet. Id SC. postea ipsi edicto loco praefationis praemissum esse, ex *l.* 102. *pr. D. de reg. iur.* luculenter coniecit Iac. Gothofred. *in Commentar. ad reg. iur. pag.* 1009. *edit. nou.*

* Ex hac oratione principis integram sententiam seruauit Iustinianus *d.* §. 18. quae et ab ipso Iuliano repetitur in *l.* 12. *D. de legib.* et ab eo aliisque quoque ICtis, mutatis tantum verbis, saepe inculcata est, in *l.* 10. *l.* 11. *et l.* 13. *D. eod.* puta, vt *si quid praeter id, quod iam ordinatum sit, emerserit, conueniens sit, eos, qui in magistratu sint, conari decidere, et remedium imponere secundum eorum, quae iam ornata sint, consequentiam.*

Source : BIU Cujas

§. CCLXXIII.

Eius auctoritas.

Ex eo ergo tempore edictum illud, a Iuliano conditum, pro norma iuris dictionis perpetua atque immutabili fuit, dictumque est κατ' ἐξοχὴν EDICTVM, *l.* 1. *l.* 2. *C. de succeſſ. edict.* EDICTVM PERPETVVM, Gell. *Noct. Attic. Lib. X. cap.* 15. Eutrop. *VIII.* 9. ΔΙΗΝΕΚΕΣ ΔΙΑΤΑΓΜΑ, Paean. *Metaphr. Eutrop. ibid.* EDICTI FORMA, *l.* 8. *D. de calumn.* EDICTI PERPETVI AVCTORITAS, *l.* 3. *de edendo.* IVRIS AVCTORITAS, *l.* 10. *C. Gregor. de pact.* EDICTI PERPETVI CVRSVS, *l.* 6. *C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* FORMA CONSTITVTA, *l.* 1. *C. de inoffic. teſt.* FORMA IVRIS, *l.* 1. *C. ſi tut. vel curat. interu.* FORMA IVRISDICTIONIS *, *l.* 5. §. 1. *D. vt legat. ſeu fideic. cauſſ.* IVRISDICTIONIS TENOR, *l.* 5. *C. de his, quae vi metuſue cauſſ.* PERPETVA IVRISDICTIO, *l.* 2. *C. de reſtit. mil.* INDVBITATVM IVS, *l.* 2. *C. Gregor. de pact. et tranſact.* IVRIS RATIO, *l.* 7. *C. Greg. eod.* LEX, *l.* 1. §. 2. *D. vnde cogn.* denique IVS PERPETVVM, *l.* 5. *C. de adpellat.*

* Apud Graecos primum inualuerat, vt edicta qualiacumque τύποι vocarentur, hinc τύπος ἐπαρχικὸς *edictum praefectorium, Nou. CLXVI. in rubr. Nou. CLXVII. ſequ. in rubric.* θεῖος τύπος, *edictum imperatoris, Nou. CLXII.* γενικὸς τύπος, *generale edictum.* Id poſtea Latino FORMA expreſſerunt, cui adeo adſueuerunt ICti, vt *formas* vel τύπους vocarent quaſlibet leges, ſanctiones, conſtitutiones principum, *l.* 31. *D. de adminiſtr. l.* 10. *D. de pact. l.* 14. *D. de alim. et cibar. leg. l.* 1. *C. de iure domin. l.* 23. *C. de excuſat.* Sic et *formam oraculi ſui* principes vocabant conſtitutionem ſuam. *l.* 1. *C. Th. de rei vind.* Immo et ſententia ad legis vel conſtitutionis praeſcriptum lata *forma* vocabatur, *l.* 11. *C. Th. de bon. proſcript.* et τύπῳ ἐπιθεῖναι τύπον eſt *ſententiam definitiuam ferre. Nou. XXIIII. cap.* 5.

§. CCLXXIIII.

Edicto ne principes quidem derogare audebant.

Immo tantum abeſt, vt magiſtratibus, publicato iam edicto perpetuo, noui quid edictis ſuis ſancire liceret, vt ipſi principes paſſim profiterentur, non eſſe vlli permittendum, iuris dictionis formam mutare, vel iuri publico derogare, *l.* 13. *C. de teſtam.* abſurdum eſſe, edicti perpetui negligi formam, *l.* 2. *C. de condit. infert.* eoque nomine fruſtra ſupplicari, *l.* 2. *C. de ſucceſſ. edict.* et temere deſiderari poenam, edicto perpetuo praeſtitutam vlli concedi, *l.* 2. *C. de in ius voc.* fruſtra denique remedium a principe quaeri, vbi ſupplicem ratio iuris impugnet. *l.* 1. *C. Hermog. de calumn.* Si quid etiam ex edicto perpetuo fuerat decretum: ne adpellationi quidem locum fuiſſe, docet Paullus *l.* 7. §. 1. *D. de adpellat. recip. vel non* *. Donell. *Commentar. Lib. XXVIII. cap.* 6. *pag.* 437.

* Id

Source : BIU Cujas

* Id tamen cum grano salis accipiendum. Potest in edicto ad factum adplicando non minus labi iudex, ac in adplicando alio iure. Et si ex tali adplicatione peruersa oritur grauamen, ob quod superiorem iudicem adpellare licet: quidni etiam, si edictum perperam facto sit adplicatum? Verba Paulli *d. l. 7. §. 1. D. de adpellat. recip. vel non.* ita se habent: *item si ex perpetuo edicto aliquid decernatur,* ID QVO MINVS FIAT, *non permittitur adpellare.* Sensus ergo est, si quis adpellatione sua impedire velit, quo minus secundum edictum decernatur, eo fortassis obtentu, quod illud edicti caput exoleuerit, eius non recipiendam esse adpellationem, quum perpetua sit atque indubia edicti auctoritas.

§. CCLXXV.

Memoratur etiam in iure nostro EDICTVM PROVINCIALE perpetuum, quod Henr. Dodwellus ab eodem Hadriano; Ezech. Spanhemius sub Antonino quodam conditum putat. Sed illud vere cum praetorio vnum idemque fuit, idque nomen tulit in prouinciis, quum in vrbe *praetorium*, *vrbanum*, itemque *vrbicum* adpellaretur *. Sane et seriem vel ordinem eumdem fuisse in edictis vrbano et prouinciali, obseruauit Iac. Gothofredus *in Serie edicti perpet.* et Caius, qui edictum prouinciale luculento commentario illustrauit, promiscue vtitur formulis: AIT PROCOS. et AIT PRAETOR. *l. 4. D. quod quisque iur. l. 1. §. 2. D. quod cuiusc. vniuers. nom.* Edictum prouinciale idem cum vrbano.

* Quum iam libera re publica praesides pleraque edicti vrbani capita in sua edicta prouincialia transferrent (§. 80.*): ad quid opus fuisset singulari edicto prouinciali sub imperatoribus? Accedit, quod Aristides *Orat. in Romam pag. 395. edit. Guil. Canteri*, quum paullo ante *pag. 390.* meminisset θεσμῶν καὶ πέξεων ἀφύκλων ἅπασιν ἐπισταθέντων, *legum et* ORDINIS PERPETVI *omnibus traditi*, statim pergit: ἐδὲ γὰρ δεῖ νῦν περιήγησιν γῆς γράφειν, ἐδ' ὡς ἕκαστοι χρῶνται νόμοις ἀπαριθμεῖν· ἀλλ, ὑμεῖς ἅπασι περιηγηταὶ κοινοὶ γεγόνατε, ἀναπεπόταντες ἁπάσης τῆς οἰκουμένης πᾶς πύλας καὶ παρασχόντες ἐξουσίαν ἀυλόπτας πάντων τὰς θέλοντας γίνεσθαι, NOMOVΣ KOINOVΣ ἅπασι τάξαντες: *nulla nunc terrae descriptione opus est, nec singulorum leges recensere quidquam attinet, postquam vos communes omnium orbis exploratores exstitistis, totiusque terrae portis apertis, vnicuique, quod vellet inspiciendi facultatem dedistis,* COMMVNESque OMNIBVS LEGES *tulistis.* Qui νόμοι ἅπασι κοινοὶ non alii sunt, quam edictum perpetuum, prouinciis cum vrbe commune, ceu ipse haec verba accepit Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. cap. 7. pag.* 285. Recte ergo Ant. Pagi *Critic. Baron. Tom. I. pag.* 127. scribit: *edicto perpetuo omnes ciuitates Romanae vrbis leges sequi iussae sunt:* quamuis vir doctissimus, dum istud edictum et hodie exstare, existimat, illa opinione sua omnino fallatur.

Source : BIU Cujas

§. CCLXXVI.

Qui restituere conati sint edictum perpetuum?

Quum vero praeclarus ille Romanae iuris prudentiae fundus temporum iniuria iam pridem perierit: de restituendo illo iam inde a renatis litteris cogitarunt viri doctissimi, quamuis non eodem omnes successu. EGVINARIVS BARO *in Manualibus iuris*, nec ordinis, a Iuliano obseruati, vllam rationem habuit, et, iudice Iac. Gothofredo *in Manual. iur. pag.* 1258. *edit. nou. sciens saepe ea edicta confinxit, quae numquam fuerunt, sed quae sunt ex ICtorum placitis, moribus Romanorum, antiquis legibus, vel etiam nouis principum constitutionibus.* Maiore religione edicti perpetui reliquias collegit GVIL. RANCHINVS, quamuis et ipse non ad genuinum, qui praetori placuerat, ordinem, sed secundum seriem titulorum Pandectarum, capita edicti disposuerit.

§. CCLXXVII.

Qui eiusdem oeconomiam vel ordinem ostenderint?

Quandoquidem tamen haud parum interest studiosi iuris, ordinem seriemque edicti perpetui non ignotum esse: primum HVB. GIPHANIVS *in Oeconomia iuris* illum non infeliciter ostendit: deinde et PETR. PITENIVS, IC. Florentinus, scripsit librum *de oeconomia edicti perpetui*, mihi adhuc nondum visum, at laudatum Io. Alb. Fabricio *Biblioth. Lat. Vol. III. pag.* 788. Denique omnium industriam superauit Iac. Gothofredus, edita et *Quatuor fontibus iuris ciuilis* inserta tabula, quam *seriem edicti perpetui* inscripsit *.

* At hi omnes tamen spicilegium satis magnum reliquerunt aliorum industriae. Nos ipsi in schedis habemus EDICTVM PERPETVVM, multorum annorum adfectum magis, quam perfectum opus, in quo tria potissimum nobis proposuimus: *primum*, vt historiam edictorum et edicti perpetui demus quam adcuratissimam: *alterum*, vt ipsum edictum non modo ordini atque integritati suae, quoad eius fieri potest, restituamus, sed et omnia probationibus luculentissimis firmemus: *tertium*, vt fragmenta veterum ICtorum, qui edictum perpetuum commentariis suis illustrarunt, omnia suis quaeque locis aptemus, eoque modo genuinam eorum speciem in clarissima luce collocemus. Vtinam demum colophonem imponere liceret laborioso operi! Sperarem, iuris prudentiae haud parum lucis ex his vigiliis meis accessurum. Sed haec Deo curae erunt. †

† *Prodiit postea iste* Heineccii *labor* an. 1738. *qui huiusce Editioni Tomo* VIII *locum habebit.*

§. CCLXXVIII.

Quam mutationem edictum perpetuum

Neque hic praetermittendum videtur, edictum perpetuum in ipso etiam iuris studio mutationem haud exiguam attulisse. Quum enim antea a legibus XII. tabularum auspicarentur iuris prudentiam: iam eam ab edicto exordiebantur, si credimus Gothofredo

in

Source : BIU Cujas

in Man. iur. quod tamen iam Ciceronis temporibus fieri coepisse, iam supra a nobis obseruatum est (§. 74 *). Deinde quum antea in libris Sabini, aliorumque ICtorum illustrandis potissimum exercerent ingenium: ex eo tempore ad edictum plerique scripserunt, eiusque ordinem in operibus suis tantum non omnibus sunt sequuti *. Hub. Giphan. *Oecon. iur. pag.* 120. Eu. Otto *in Papiniano cap.* 12. §. 7. *pag.* 410. *edit. nou.* in iuris prudentiae studio attulerit?

* Sunt, qui et sectas, condito edicto perpetuo, paullatim interiisse existimant. Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 7. Sed id non adeo liquido probatur. Quaedam Iulianum ex Sabinianorum sententia edixisse, ipsi supra (§. 271.) ex *l.* 1. §. 1. *D. de iur. fisci* ostendimus. Sed pauciora haec fortasis fuerunt, quam vt inde sectis immineret periculum. Et fuerunt sane etiam post Hadriani tempora ICti, alterutri sectae addictiores: adeoque probabilius est, principum interpretationibus ac decisionibus paullatim factum esse, vt ICti secum inuicem in gratiam redirent.

§. CCLXXVIIII.

Iisdem temporibus etiam EDICTVM AEDILITIVM perpetuum conditum esse, suspicatur Henr. Dodwellus, sed sine auctore: nec admodum probabilis est haec viri doctissimi diuinatio. Primo enim quaedam edicti aedilitii capita translata fuerant in edictum perpetuum. *Const. tanta,* §. 5. *de confirm. Digest. Const. omnem reip.* §. 4. *ad Anteces.* Cur vero, quaeso, id factum fuisset, si singulare exstitisset, aut ex Hadriani sententia conficiendum fuisset edictum Aedilitium perpetuum? * Deinde iam eo tempore euiluerat aedilium curulium iuris dictio, vt de eorum officio nec titulus singularis exstet in *Pandectis*, nec liber singularis ICti vllius exstiterit, quum tamen de multo minoribus magistratibus iustis libris egerint. Papiniani enim librum ἀγορανομικῶν ad aediles municipales pertinuisse, obseruauit Eu. Otto *in Papinian. cap.* 12. §. 5. *pag.* 398. *seqq. edit. nou.* An et Aedilitium edictum perpetuum exstiterit?

* Pleraque veteris edicti aedilitii capita, quorum supra (§. 77. *seqq.*) quaedam ex antiquitatis parietinis eruimus, iam illo tempore ab vsu recesserant. Tria vero, quae adhuc in foro vsum aliquem habebant, (§. 76.), tanti non visa sunt, vt inde nouum systema vel edictum aedilitium perpetuum contexeret, sed ea edicto praetorio inseri iussit. Hinc quamuis insequentis saeculi scriptores, CAIVS, VLPIANVS, et PAVLLVS *binos* quisque *libros* AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM scripserint: in iis tamen non alia, quam quae in *Pandectis* memorantur, capita interpretati sunt, vt facile adpareat, eos non tam ad singulare aliquod edictum aedilitium perpetuum, quam ad titulum edicti perpetui *de aedilitio edicto*, qui inter postremos edicti erat, scripsisse. Eu. Otto *de tutel. viar. Lib. III. cap.* 2. *pag.* 429.

§. CCLXXX.

Source : BIU Cujas

§. CCLXXX.

Aduocatus fisci institutus, restitutaque ICtis facultas de iure respondendi.

In eo etiam noui quid inuexit Hadrianus, quod primus ille FISCO ADVOCATVM dedit. Spartian. *Hadrian. cap.* 20. Idem ICtis pristinam libertatem de iure respondendi restituit. Qua de re Pomponius: *optimus*, inquit, *princeps, Hadrianus, quum ab eo viri praetorii peterent, vt sibi liceret respondere, rescripsit iis: hoc non* PETI, sed PRAESTARI *solere* *, *et ideo, si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se praepararet. l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.*

* Ex his verbis patet, iam paullo ante Hadrianum paullatim exoleuisse illud Augusti institutum, de quo supra (§. 178. *seqq.*) plura diximus. At ex interuallo tamen illud multo post Hadrianum in vsum coepisse reuocari, patet exemplo Innocentii, ICti, apud Eunapium *in vita Chrysanthi pag.* 286. qui respondendi de iure facultatem a principe impetrasse dicitur. A Seueri imp. temporibus id fieri iterum coepisse, suspicatur Henr. Dodwellus *Praelect. Cambden. VIIII.* §. 11. *pag.* 350.

§. CCLXXXI.

Quid circa constitutiones innouatum?

Frequentius etiam multo, quam antea, CONSTITVTIONIBVS noua iura dabat Hadrianus. Quum enim ante eum pleraque principum edicta vel SCtis firmarentur, veluti edictum Augusti de interceſſionibus mulierum, *l. 2. D. ad SC. Velleian.* Tiberii, de iis, qui sibi legatum ipsi adscripserint, Petr. Faber *Semestr. Lib. I. cap.* 25. *pag.* 143. Claudii de nauicularis apud Sueton. *Claud. cap.* 18. *sequ. l. 3. §. 3. D. de iur. immunit. l. 3. D. de vacat. et excus. mun.* iuncta *l. 3. §. 8. D. de incend. ruin. naufr.* vel ea, quae decreuerat senatus, principum edictis confirmarentur et publicarentur: Tacit. *Annal. Lib. VI. cap.* 12. Symmach. *Lib. X. epist.* 21. Maran. *Paratitl. Pandect. Lib. I. tit. 3. pag.* 59. *edit. nou.* Ant. Dadin. Alteserra *Recitat. quotid. pag.* 182. et Petr. Burmannus *de vectigal. pop. Rom. cap. 6. pag.* 113. ab Hadriani temporibus principes, nullo adhibito colore, quidquid collibitum, edictis suis constituere coeperunt *.

* Hadrianus id eo faciebat frequentius, quo rarius toto fere imperii sui tempore Romae erat, quippe per vniuersum terrarum orbem peregrinatus. Spartian. *Hadr. cap.* 12. Hinc et rarius consulebat senatum, et suo pleraque arbitrio rescriptis constituebat, adeo, vt ab eius potissimum temporibus increbuisse videatur paroemia? οἰκεῖ τι ἡ Ῥώμη, ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ἦ, *Roma est, vbi imperator est.* Herodian. *Histor. Lib. I. cap. 6.*

§. CCLXXXII.

Source : BIU Cujas

§. CCLXXXII.

Noua iura ab Hadriano constituta.

Itaque Hadrianus non modo, vt vtamur verbis Tertulliani *Apologet. cap.* 4. quotidie *totam illam veterem ac squallentem silvam legum nouis principalium rescriptorum et edictorum securibus truncabat, caedebatque*: sed et noua constituebat iura, veluti de adquisitione thesauri, Spartian. *Hadr. cap.* 18. §. 39. *Inst. de rer. diuis.* de bonis damnatorum, Spartian. *ibid. et l.* 2. *l.* 6. *l.* 7. §. 2. *D. de bon. damnat.* de alimentis legatis, *l.* 14. *D. de alim. et cib. leg.* Em. Merill. *Obs. Lib. III. cap.* 16. de tempore luctus, Gell. *Noct. Attic. Lib. III. cap.* 16. de beneficio diuisionis inter plures confideiussores *, *l.* 26. *sequ. D. de fideiuss.* de muliere vulgari et quaestuaria a milite herede non instituenda, *l.* 41. §. 1. *D. de test. mil.* de iis, qui testari aliquem prohibuerint, hereditate a fisco priuandis, *l.* 1. *pr. D. si quis aliqu. test. proh.* de possessione ventri danda, *l.* 3. §. 3. *D. de ventr. in poss. mitt.* de funeribus et sepulcris, *l.* 3. §. 5. *D. de sepulcr. viol.* de poena perpetui carceris non irroganda, *l.* 35. *D. de poen.* de iis, qui spadones, vel thlibias faciunt, puniendis, *l.* 4. §. 2. *l.* 5. *D. ad legem Cornel. de sicar.* de parricidiis, *l.* 9. *pr. D. ad leg. Pompei. de parricid.* de termino moto, *l.* 2. *D. de term. mot.* aliisque iuris capitibus, de quibus accuratius Ren. Bottereau *in Hadriano legislatore.*

* Hoc ius epistola D. Hadriani invectum esse, satis patet ex §. 4. *Inst. de fideiuss. l.* 26. *D. eod. et l. vlt. C. de constit. pec.* Vix autem prodierat illa epistola, quum in edictum perpetuum referretur a Iuliano: Paull. *Sentent. recept. Lib. I. tit.* 20. §. 1. vt mirum non sit, beneficium hoc diuisionis ex edicto repeti a Paullo, quod alioquin ex epistola Hadriani profectum dicitur. Miramur ergo, Cuiacium eius auctorem facere Antoninum Pium, quum fieri non possit, vt ab Antonino sit, quod iam in edicto perpetuo locum inuenit. Neque Cuiacio suffragatur *l.* 49. §. 1. *D. de fideiuss.* vbi Antoninus non ius nouum constituit, sed iam constitutum certae speciei adplicat.

§. CCLXXXIII.

Eius decreta, interloquutiones, edicta.

Sed et DECRETORVM Hadriani passim fit mentio: *l.* 28. *D. de inoffic. test. l.* 23. §. 2. *D. de liberal. causs.* et INTERLOQVVTIONES eiusdem plures complectitur Dosithei, grammatici Graeci, elegans *Sententiarum et Epistolarum* libellus, editus a Melch. Goldasto, ac deinde ab Ant. Schultingio *Iuris prudentiae veteri anteiustinianeae* insertus *pag.* 855. *sequ.* EDICTA denique notanda sunt complura, veluti illud, quod singulari constitutione abolevit Iustinianus *l.* 3. *C. de edict. D. Hadr. toll.* de quo adcurate Iac. Cuiacius *in Paratitl. Cod. h. t.* nec non de direptione nauium,

Source : BIU Cujas

l. 7. *D. de incend. ruin. naufr.* et de poena eorum, qui relegati vel ante tempus redierint, vel exceſſerint inſula, vel deportati euaſerint *: *l.* 28. §. 13. *D. de poen.* denique de maſculorum feminarumque lauacris ſeparandis. Spartian. *Hadrian. cap.* 18.

* Deportati in inſulam fuerant ſuſpecti de imperio Laberius Maximus et Frugi Craſſus. Et quamuis Hadrianus primis ſtatim imperii diebus per epiſtolas eſſet admonitus a Tatiano, vt homines occideret: tantum tamen erat clementiae ſtudium, vt neutrum eorum laederet. Craſſum tamen poſtea egreſſum inſula, Caeſaris procurator, dubium an iuſſu domini, occiderat. Spartian. *Hadr. cap.* 5. Id occaſionem dediſſe huic edicto, quo relegatus, ſi inſula exceſſerit, deportari, deportatus capitis damnari iubetur, coniicit Ren. Bottereau *in Hadriano legislat. pag.* 138. qui hoc edictum anno ab v. c. 870. *T. Vipſanio* et *Aproniano* coſſ. prodiiſſe exiſtimat. Vbi obiter monemus, coſſ. eo anno non fuiſſe *T. Vipſanium et Apronianum*, ſed *T. Vipſanium Apronianum* et *Quinctium Nigrum*. Gruter. *Inſcript. pag.* 578. *num.* 1. *pag.* 1008. *num.* 7. et *pag.* 1009. *num.* 2.

§. CCLXXXIIII.

SCta ſub Hadriano facta. Aeque tamen nulla ſub Hadriano facta ſunt SENATVSCONSVLTA. Vt enim iam non dicam de illo, quo anno v. c. 885. edictum perpetuum firmatum eſſe, monuimus (§. 272): paſſim commemorantur et alia, veluti factum anno v. c. 879. *Neratio Fuſco* et *Annio Vero* coſſ. de eo, qui ſeruum caſtrandum dederit: *l.* 6. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.* nec non aliud de agnoſcendo partu: *l.* 3. §. 1. *D. de agnoſc. et al. liber.* itemque de legatis vel fideicommiſſis ciuitatibus relictis. Vlpian. *Fragm. tit.* 24. §. 28. quod non videtur ab Aproniano diuerſum *: Schulting. *Iuris prud. vet. anteiuſtin. pag.* 635. porro de fideicommiſſo quod ſeruo cum libertate relinquitur: *l.* 83. *D. de hered. inſtit.* de adpellatione a ſenatu non recipienda: *l.* 1. §. 2. *D. a quib. adpell. non lic.* denique de parte dimidia, iis, qui ſe ipſi detuliſſent, ex beneficio Traiani relinquenda. *l.* 15. §. 1. *D. de iur. fiſci.*

* Sub Hadriano prodiiſſe hoc SC. vel inde patet, quod eius notitiam habuit Iulianus. *l.* 27. *pr. D. ad SC. Trebell.* Et ſane ſub Hadriano, anno ab v. c. 869. conſul fuit *T. Vipſanius Apronianus*, cuius paullo ante (§. 283. *) meminimus, et anno 875. *C. Ventidius Apronianus*, cuius mentio fit in lapidibus apud Gruter. *Inſcript. pag.* 1079. *num.* 10. et *pag.* 1082. *num.* 16. a quorum alterutro nomen accipere potuit hoc SC. Nulla ſaltim ratio eſt, cur cum τῷ πάνυ Cuiacio, *in Not. ad Vlpian. Fragm. tit.* 24. §. 28. et *in Iulianum ad l.* 27. *D. ad SC. Trebell.* SC. Apronianum ſub Marco demum imp. conditum eſſe, exiſtimare malimus, quum *l.* 20. *D. de reb. dub.* non de legatis ciuitatibus, ſed collegiis relictis agat, et his a Marco imp. concedi potuerit, quod antea ab Hadriano conceſſum fuerat municipiis.

§. CCLXXXV.

Source : BIU Cujas

§. CCLXXXV.

SCta Iuventiana, ἀνώνυμα et Tertullianum.

At omnium celeberrima sunt quatuor SCta, quorum duo IVVENTIANA anno ab v. c. 881. *P. Iuuentio Celso* et *Iulio Balbo* coss. facta sunt, alterum de accessionibus fructibusque hereditatis, et pecunia, ex hereditate redacta, quod integrum supereſt *l.* 20. §. 6. *sequ. l.* 25. *D. de hered. petit.* * alterum, quo lex Vectibulici, de qua supra (§. 253.), ad prouincias est prolata, memoratur *l. vlt. C. de seru. reipubl. manumitt.* Nec praetermittendum SC. quo vxoris, ciuis Romanae partus ciuis Rom. declaratur, apud Vlpian. *Fragm. tit.* 3. §. 8. et TERTVLLIANVM, quo mater ingenua, trium; libertina quatuor liberorum ius habens, ad bona liberorum ab inteſtato vocatur. Id enim sub Hadriano factum esse, docemur §. 2. *Inst. de SC. Tertull.* Cuiacii vero dissentientis sententiam discussimus in *Antiquit. Roman. Lib. III. tit.* 3.

* Quantiuis pretii est hoc SC. ex quo adparet, qualis eorum forma sub Hadriano fuerit. Sed quaedam tamen in mendo videntur cubare, in primis imperatoris titulus, quem iam emendare coepit Petrus Pithoeus *Aduerſ. Lib. II. cap.* 15. De consulibus, qui ibi memorantur, vid. Henr. Noris. *de Epoch. Syro-Maced. pag.* 498. Libelli, seu orationis huic SC. praemissae pars quaedam supereſt in *l.* 22. et *l.* 40. *D. de hered. petit.* Denique notandum, IVNII RVSTICI, cuius distracta hereditas huic SC. occasionem dedit, integrum stemma genealogicum nos supra (§. 239. *) exhibuisse. Non potest autem ille esse alius, quam aliquis fratrum, quibus rhetorem inuenire rogatus est Plinius *Lib. II. epist.* 15.

§. CCLXXXVI.

ICti sub Hadriano, Priscus Iauolenus.

Progredimur ad illorum temporum IVRISCONSVLTOS, inter quos PRISCVS IAVOLENVS * primum omnino locum meretur. Fuit Coelii Sabini auditor, dignusque in schola Sabiniana successor, *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* quamuis et ipse aliquando a Cassio Longino dissentiat, *l.* 54. *D. de condit. et demonstr. l.* 39. *D. de statulib.* et aliquando Labeonis et Proculi sententiam amplectatur. *l.* 57. *D. loc. cond. l.* 32. *D. de pact. dot. l.* 90. *D. de furt. l.* 11. *D. de hered. instit. l.* 64. *D. de donat. inter vir. et vxor. l.* 62. *D. de adquir. vel amitt. hered.* Quanto cum plausu docuerit iuris prudentiam, vel id argumento est, quod tria eximia ingenia, Saluii Iuliani, Aburni Valentis, et Tusciani, se ab illo potissimum formata perpolitaque esse gloriarentur. *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.*

* *Priſci* cognomen noster cum Neratiis, Fulciniis, Flauiis, Aeliis, Corneliis, Lutoriis, aliisque commune habuit. Non aeque obuium *Iauolenorum*,

Source : BIU Cujas

vel, vt in Pandectis Florentinis scribitur, *Iabolenorum* nomen. Aliquorum tamen notitiam ex Gruteri *Inscript. pag.* 48. *num.* 9. *pag.* 53. *num.* 15. *pag.* 790. *num.* 1. et Thom. Reines. *Inscript. Class. XIIII. num.* 194. habemus. Dicti sunt, si quid video, ἀπὸ τῦ ἰαύειν, a *commorando*, vnde ἰαυθμὸς, *diuersorium, commoratio.* Potuit inde formari *Iauolus*, et ex hoc *Iauolenus*, quemadmodum ex Octauio *Octauenus*.

§. CCLXXXVII.

Eius honores et aetas.

Honores eum gessisse, dubitare nos non patitur Iulianus, qui eum ex praetura Africam et Syriam rexisse, et seruos, apud se ipsum manumisisse testatur *l.* 5. *D. de manum. vind.* Postea et de iure respondit diligentissime, et consiliis adhibitus est, ipso fatente Plinio *Lib. VI. epist.* 15. qui tamen illi iniquior, eum senem dubiae sanitatis fuisse, scribit *. Decessit vel extremis Traiani, vel primis Hadriani annis. Saltim non verosimile est, eum ad Antonini tempora vitam produxisse, quod tamen decepto loco corrupto Iulii Capitolini *in Antonino Pio cap.* 12. colligunt Rutil. *Vit. ICtor. cap.* 57. §. 1. Bertrand. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 9. §. 1. et Rupertus *ad Enchirid Pomp. Lib. III. cap.* 13. *sect.* 4. *pag.* 210. *edit. nou.*

* Miratur nonnemo, me hanc calumniam in historia iuris paullo timidius profligasse. Sed id feceram apertius, antequam illa historia iuris prodiisset, in *Programmate de Saluio Iuliano*, vbi *pag.* 810. *Syllog. I. opusc.* ita scripseramus: *Plinius refert, Passienum Paullum, elegos recitaturum, adhibuisse etiam Priscum Iauolenum. Hunc vero honoris caussa interrogatum:* PRISCE, IVBES? *respondisse:* EGO VERO NON IVBEO. *Male id habuit Plinium, qui ideo in Iauolenum inuectus:* cogita, *inquit*, qui risus hominum? qui loci? Est omnino Priscus dubiae sanitatis. Interest tamen officiis, adhibetur consiliis, atque etiam ius ciuile publice respondet, quo magis, quod tum fecit, ridiculum et notabile fuit. *Ob id parum abest, quin bonum Iauolenum pro insano traducant. At quid, quaeso, stoliditatis inest illi Iauoleni dicto? Et quid mirum, si senex occupatissimus, pertaesus molestissimi istius officii, recitationes frigidissimas audiendi, Passieni insaniam senili dicacitate perstrinxerit, quam non minore libertate multo ante perstrinxerat* Iuuenalis *Sat. I. v.* 2. *sequ.* et *Sat. III, v.* 8.

§. CCLXXXVIII.

Eiusdem scripta.

Scripsit EX CASSIO *Libros XV.* in quibus pleraque magni huius scholae suae auctoris sententias partim masculę dissendit, partim mitigauit, *l.* 21. §. 2. *D. de adquir. vel amitt. poss. l.* 36. §. 2. *D. mand.* vel, quo erat candore animi, refellit. *l.* 54. *D. de condit. et demonstr.* EPISTOLARVM *libros* XIIII. AD PLAVTIVM *libros V.* in quibus eum verba Plautii fere integra retulisse, et raro, praeterquam in *l.* 34. *D. de stipul. seruor.* iudicium suum inter-

Source : BIU Cujas

interposuisse, obseruant. Denique *libros* EX POSTERIORIBVS LABEONIS et LIBRORVM LABEONIS epitomen, quae opera quomodo distinguenda sint, ostendit iam Em. Merill. *Obseru. Lib. V. cap.* 38.

§. CCLXXXVIIII.

Saluius Iulianus.

De SALVIO IVLIANO, celeberrimo horum temporum ICto, nuper singulari *Programmate* egimus. Fuit is non Mediolanensis, Insuber, sed Hadrumetinus Afer: Spartian. *Iulian. cap.* 1. Floruit sub Hadriano, Pio, et diuis, quos vocant, fratribus, a quibus amicus vocatur, *l.* 17. *D. de iure patron.* et Sabinianorum post Iauolenum duxit familiam. Non modo praeturam, sed et bis consulatum, et praeterea praefecturam vrbi gessit, Spartian. *ibid. l.* 5. *D. de manum. vind.* et in omnium, sub quibus floruit, principum consilio fuit. Spartian. *Hadrian. cap.* 18. Iul. Capitolin. *Antonin. cap.* 12. *l.* 17. *D. de iure patron.* Posteros eius, inter quos et Didius Iulianus, Augustus, in tabula genealogica * exhibuimus *in dict. Programm. de Saluio Iuliano*, *Syllog. I. opusc. Exerc. XXIIII. pag.* 803. *edit. nou.*

* Tale schema genealogicum primus confecit Isaac. Casaubonus *Not. ad Scriptor. histor. Aug. pag.* 110. postea id lapidum auxilio emendauit Thom. Reines. *Lect. var. Lib. III. cap.* 2. *pag.* 34. ab eoque acceptum *Animaduersionibus suis in Pompon. Enchirid. Lib. III. cap.* 3. *sect.* 4. *pag.* 215. *edit. nou.* inseruit Rupertus. Quum vero et in hoc permulta vel perperam dicta, vel omissa esse, in eodem *progr. pag.* 802. ostenderimus: pleniorem et adcuratiorem tabulam et nos concinnare ausi sumus, quam hoc loco etiam exstare operae pretium fuerit.

Source : BIU Cujas

DIDIVS SEVERVS Insuber Mediolanensis.

SALVIVS IVLIANVS Hadrumetinus; Afer, IC. bis cos. et praef. vrbi, edicti perpetui conditor.

DIDIVS SEVERVS.

M. SALVIVS IVLIANVS, Dioni male Σίγειος, cos. anno v. c. 927. praefectus praetorio, occisus a Commodo circa annum v. c. 941.

L. VIBIVS VARVS.

NVMIVS. — VIBIA SALVIA VARA, de qua Gruter. *pag.* 459. *num.* 2.

PETRONIVS DIDIVS. — AEMILIA CLARA.

SALVIVS IVLIANVS, cuius pudicitiae insidias struxit Commodus, cui desponsata fuerat Tarunteii Paterni, IC. et praef. praetorio filia.

M. NVMIVS ALBINVS bis consul anno 998. et 1015. praef. vrbi anno 1009.

NVMIA VARA.

L. DIDIVS PROCVLVS ob adoptionem, ROSCIVS. Gruter. *Inscript. pag.* 459. *num.* 2.

M. DIDIVS SALVIVS IVLIANVS SEVERVS Aug. natus v. c. 890. ad imperium euectus, in eoque occisus anno 945. VXOR MANLIA SCANTILLA.

NVMIVS SECVNDVS. Reinef. *Inscr. Class. VI. num.* 132.

PROCVLVS ROSCIVS IVLIANVS, de quo Gruter. *pag.* 18. *num.* 10.

BASSA, de qua marmor apud Gruter. *Inscript. pag.* 18. *num.* 2.

DIDIA CLARA Aug. destinata Didii Proculi filio, nupta Cornelio Repentino, praefecto vrbi.

Filii, de quibus idem marmor.

Filii, de quibus idem marmor.

§ CCLXXXX.

Eius scripta.

Praeter edictum perpetuum, cuius illum conditorem fuisse, paullo ante diximus, scripsit *libros LXXXX.* * DIGESTORVM, ad edicti perpetui seriem compositos, et notis illustratos ab Vlpio Marcello, Ceruidio Scaeuola, Iulio Paullo, et Iunio Mauriciano, quibus Africanum, licet parum adcurate, iunxit Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib.* II. *cap.* 6. deinde *libros* VI. AD MINVCIVM, *libros* IIII. AD VRSEIVM FEROCEM, *librum singularem* DE AMBIGVITATIBVS, Stoicorum exemplo scriptum, quorum multos exstitisse libros περὶ τῶν ἀπόρων et περὶ ἀμφιβολιῶν, patet ex Diog. Laert. *Lib. VII.*

Source : BIU Cujas

VII. segm. 178. *et* 193. Quos vero Bertrandus addidit libros AD EDICTVM et DE DOTALI PRAEDIO, eos numquam exstitisse probauimus in dict. *programm. de Saluio Iuliano*, *pag.* 814. et 817. *Syllog. I. opusc. edit. nou.*

* Equidem librum LXXXXIIII. DIGESTORVM laudari videmus *l.* 32. *D. de legib.* Sed in codice Florentino scriptum fuisse *libr. LXXXIIII.* quartumque X. ab alia manu accessisse, *ἀνλόγως* testatur Theodor. Laur. Gronouius *Emendat. Pandect. cap.* 25. *pag.* 71. *edit. nou.* Errant igitur, qui cum Haloandro, Bertrando, et Angelo Politiano opus hoc libris vel LXXXXVIIII. vel C. constitisse putant: quod et Hub. Giphanium *in Oecon. iur. pag.* 128. suspicatum esse animaduerto.

§. CCLXXXXI.

ABVRNVS (non ALBVRNIVS, ABVRBINVS, EBVRNIVS, vid. Bynkersh. *Praetermiss. pag.* 294. *edit. nou.*) VALENS, Iuliano *σύγχρονος*, et cum illo in Antonini Pii consilio fuit, Iulius Capitolin. *Antonin. cap.* 12. ex quo loco simul colligimus, eum Iuliano paullo fuisse iuniorem, quippe cuius etiam auctoritate vtitur *l.* 33. *D. de minor.* Scripsit *libros* VII. FIDEICOMMISSORVM, totidemque saltim, si non plures, ACTIONVM. Sabinianis eum accenset Mascou. *de sect. Sabin. et Proculei. cap.* 2. §. 5. *num.* 3. *pag.* 53. quippe Iauoleni discipulum. Iungimus illi condiscipulum TVSCIANVM, de quo omnia incerta sunt, quia eius praeter Pomponium *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* veterum nemo omnino meminit *. Aburnus Valens, et Tusciānus.

* Refertur a Pomponio inter Iauoleni successores, adeoque procul dubio Sabinianus fuit. Quum vero nec *Tusciani*, nec librorum eius vsquam fiat mentio: fuerunt, qui nomen ei mutarent, et pro *Tusciano* modo *Fusciānum*, modo *Maecianum*, modo *Vivianum* vocarent. At probum est nomen, et vere Romanum, ceu patet ex *l.* 18. *D. mand.* Si quid mutandum esse existimarem, latere sub hoc nomine crederem *Fuscium Fuscianum*, Numidiae legatum, cui rescripsit Antoninus imp. *l.*7. *D. de legat. praest.*

§. CCLXXXXII.

Progredimur ad ANTONINVM imp. sub quo eadem omnia, ac sub Hadriano, obseruamus. RESCRIPTA eius in *Pandectis* aeque, ac *Codice*, tam multa laudantur, vt eorum recensum instituere, taediosum videretur. DECRETORVM exempla sunt in *l.* 3. *D. de his, quae in testam. del. l.* 11. *pr. D. de legat.* 2. *l.* 35. *D. ad SC. Trebell. l.* 1. §. 3. *D. de liber. exhib.* quorum primum vel ideo maxime notabile est, quod in eo ipsa sententiae verba seruata animad- Status iuris sub Antonino Pio. Eius constitutiones.

Source : BIU Cujas

animaduertimus. Denique nec EDICTA desunt, quippe quorum vestigia exstant in *l.* 6. §. 2. *D. ad leg. Iul. peculat. l.* 11. *D. de muner. et honor.*

§. CCLXXXXIII.

An et SCta sub eo condita?

Quumque, *imperatorium fastigium eum ad summam ciuilitatem deduxisse*, testetur Iul. Capitolin. *in Antonin. cap.* 6. non dubitamus, quin et senatum consuluerit de rebus praecipuis, adeoque et SCta sub eo condita sint, quamuis eorum hodie vix exstet memoria. TERTVLLIANVM enim et APRONIANVM, quae sub Antonino Pio condita esse putat Cuiacius *, ad Hadriani potius tempora referenda esse, ostendimus. Quid? quod iam paullo rarius imperatores iura noua hoc ritu constituere coepisse videantur, facilius id per edicta fieri, experientia iam pridem edocti.

* Multa, quae Hadriano debent originem, Antonino Pio tribuere solet Cuiacius, eo obtentu, quod et Pius adoptionis iure Hadriani nomen tulerit. Id quod quidem verissimum est, quum in vetustis monimentis saepe legamus: IMP. CAES. D. HADRIANI F. T. AELIVS HADRIANVS ANTONINVS PIVS AVG. Reines. *Inscript. Classs. II. num.* 9. 10. 11. 75. et *Classs. III. num.* 21. *sequ.* Sed vix tamen reperies exemplum, vt simplex Hadriani nomen Antonino detur: adeoque vix huic obseruationi locus esse videtur, sicubi aliquid Hadriano fine addito tribuitur.

§. CCLXXXXIIII.

Iura noua ab eo inuecta.

Ceterum multa Antoninum de iure sanxisse, obseruat Iul. Capitolin. *Antonin. cap.* 12. eoque refert, *quod mortuos intra vrbem sepeliri vetuerit*, quod tamen iam Hadrianum sanxisse nouimus. *l.* 3. §. 5. *D. de sepulcr. violat.* Adde, quod primus adoptionem impuberum certis conditionibus concessit: Vlpian. *Fragm. tit. VIII.* §. 5. §. 3. *Inst. l.* 17. *D. l.* 7. *C. de adopt.* quod actionem subsidiariam ab Hadriano aduersus magistratus datam, et aduersus eorum heredes dedit: *l.* 6. *D. de magistr. conuen.* quod inter personas coniunctas donationem et sine mancipatione valere voluit, quam alioquin lex Cincia requirebat: *l.* 4. *C. Th. de donat.* Paull. *Sentent. recept. Lib. IIII. tit.* 1. §. 11. Brummer. *ad leg. Cinc. cap.* 15. §. 2. *sequ. pag.* 251. *sequ.* quod donatorem vltra vetuit conueniri, quam quantum facere posset: *l.* 20. *l.* 41. §. *vlt. D. de re iudic. l.* 28. *D. de reg. iur.* denique quod donationes inter virum et vxorem, constante matrimonio honoris caussa factas, sustinuerit *, *l.* 42. *D. de donat. inter vir. et vxor.* et huius generis alia.

* Quam-

Source : BIU Cujas

* Quamuis enim alioquin certum ſit, SC. de donationibus inter virum et vxorem prohibendis demum ſub Antonino Caracalla factum eſſe: *l. 3. D. de donat. inter vir. et vxor.* aetas tamen Caii, cuius eſt fragmentum iſtud *l. 42. D. eod.* vix patitur, vt in ea Antoninum Caracallam intelligamus. Sed ſalua res eſt. Et ante Caracallam irritas viſas eſſe donationes iſtas, ex ipſa huius principis oratione intelligimus. *l. 3. pr. D. eod.*

§. CCLXXXXV.

Addo, Antonini Pii temporibus, LEGEM RHODIAM in orbe Romano tantae fuiſſe auctoritatis, vt Eudaemoni Nicomedienſi, direptum ſe a publicanis, querenti reſcripſerit princeps: Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μή τις ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντίεται: *ego quidem mundi dominus: lex autem maris. Lege id Rhodia, quae de rebus nauticis praeſcripta eſt, iudicetur, quatenus nulla noſtrarum legum aduerſatur, l. 9. D. de lege Rhod. de iact.* ad quam legem multa egregia ſcripſerunt cum alii, tum FRANC. BALDVINVS, IAC. GOTHOFREDVS, et CORN. VAN BYNKERSHOECK. Eius reſcriptum de lege Rhodia.

§. CCLXXXXVI.

Exſtat eo pertinens Graeca legum nauticarum farrago, apud Leunclau. *Iur. Graeco-Rom. Tomo II. pag. 265.* Ex ejus praefatione vel *auctoritate*, vti ibi vocatur, Iac. Gothofredus *Diſſert. de imperio mar. cap. 8. pag. 88. edit. nou.* probare nititur, legem Rhodiam primum ſub Claudio, anno v. c. 805. *Q. Aterio Antonino* et *D. Iunio Silano* coſſ. receptam; deinde a Veſpaſiano, Traiano, Antonino Pio, quin et poſtea a Pertinace et Seuero, imperatoribus, firmatam eſſe. Enimuero vt ipſam congeriem illam, quae legum Rhodiarum nomine ſuperbit, eſurientis cuiuſdam Graeculi commentum eſſe, praeclare demonſtrauit Bynkershoek. *ad l. ἀξίωσις cap. 5.* ita et nullius fidei eſt, quae illi praemittitur, auctoritas *. Quid de legibus Rhodiis hodie exſtantibus ſit ſentiendum.

* Primum ei hiſtoria refragatur. Auctoritatis enim illius auctor legem Rhodiam receptam eſſe ſcribit ſub Tiberio Claudio ἡμαρχικῆς ἐξουσίας λβ: *tribuniciae poteſtatis anno 32.* At ſiue Tiberium imp. intelligas, ſub eo nullum reperies Antoninum coſ. ſiue Claudium, hic vix ad annum XIIII. tribuniciae poteſtatis vitam produxit. Deinde manifeſtum eſt, auctorem iſtius auctoritatis, quiſquis fuerit, pleraque exſciſſe ex *l. 9. D. ad leg. Rhod.* idque tam imprudenter feciſſe, vt ne gloſſema quidem illud: τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν: *hoc ipſum et D. Auguſtus conſtituit*, omiſerit. Fucum ergo fecit viris doctis, quiſquis illas leges nauticas in lucem protruſit, mirumque eſt, Iac. Gothofredum, cui alioquin naſus rhinocerotis erat, id non olfeciſſe.

Source : BIU Cujas

§. CCLXXXXVII.

Lex Rhodia quae et quo tempore a Romanis recepta?

Quidquid ergo de lege RHODIA pro certo adfirmari potest, eo redit. Rhodii, *populus nauticus*, teste Floro *Lib. II. cap.* 7. et diu θαλασσοκρατῶν, seu *maris dominus*, vti obseruat Eusebius *in Chron. num.* 1100. leges de rebus nauticis tulerat aequissimas, adeo, vt et Cic. *Orat. pro lege Manil. cap.* 18. eas mirifice laudet, et θαυμασὴν εὐνομίαν περὶ τὰ ναυτικά, *admirandam legum optimarum circa rem nauticam constitutionem*, maxime miretur Strabo *Geogr. Lib. XIIII. pag.* 448. Ex his Rhodiorum legibus non omnia, sed caput de iactu *, receperant Romani, et quidem non demum sub Claudio, sed ante ipsius Augusti imperium, siquidem non modo OFILIVS, LABEO, et SABINVS, sed et SER. SVLPICIVS, qui libertati patriae non fuit superstes, secundum legem Rhodiam de iactu responderunt, eamque suo more illustrarunt. *l. 2. pr. §. 3. l. 4. pr. et §. 1. D. ad leg. Rhod. de iact.*

* Hinc nec in *Pandectis* fragmenta vlla, nisi quae ad hoc caput pertinent, occurrunt: nec Paullus *Sentent. recept. Lib. II. tit. 6.* vbi ex instituto legem Rhodiam interpretatur, de re alia, quam de iactu disputat. Attamen et de exercitoria actione quaedam ex lege Rhodia in *Pandectas* translata, et a Romanis adoptata esse, suspicatur Nic. Rigalt. *Obseru. ad Tertull. aduerf. Marcion. Lib. III. cap. 6. p. 99.* Cuius tamen coniecturae suae, quas ille rationes habuerit, scire me fateor iuxta cum ignarissimis.

§. CCLXXXXVIII.

Status iuris sub Marco Aurelio Antonino imp.

Ab Antonini Pii excessu primum MARCVS et LVCIVS Caesares, qui in iure nostro DIVI FRATRES adpellantur, postea superstes M. AVRELIVS ANTONINVS ob philosophiae studium celeberrimus *, solus, ac demum idem cum COMMODO filio imperauit. Hoc quoque tempore constitutiones fere innumerae prodierunt, in *Pandectis* aeque ac *Codice* vel superstites, vel laudatae, quas illustrauit Io. Ortwinus Westenbergius in commentario, quem *D. Marcum* inscripsit, ediditque *Lugd. Bat.* 1736. 4. Nos, quae tunc in iuris prudentia nouata sunt, paucis consectabimur.

* Non minus tamen iuris prudentiam, quam philosophiam, excoluerat princeps optimus, de quo Iulius Capitolinus *in Marc. cap.* 3. *Studuit et iuri, audiens L. Volusium Maecianum, tantumque laboris et operis studiis impendit, vt corpus adficeret, atque in eo solo pueritia eius reprehenderetur.* Et hunc Maecianum, praeceptorem, (non Marcianum,) ipse celebrare videtur *libro I. ad seipf. §. 6.* Non mirum ergo, principem in iure constituendo, emendando, dicundoque sagaciſſimum fuisse, quum non ab vnius alteriusue consilio

Source : BIU Cujas

lio penderet, sed ipse ciuilem illam sapientiam probe a puero imbibisset. Hinc Aristides *Orat. in regem pag.* 109. *Tom. I. edit. Canteri*: Ὁ δὲ τὸ μὲν δίκαιον ἀκριβῶς οἶδεν, ὡς αὐτὸν νομοθέτης ὤν, καὶ εὐμαθὴς αὐτῷ: *ipse ius exacte nouit, quippe qui eius auctor sit, et legis lator.* Et paucis interiectis, laudans iustitiae studium, summa humanitate temperatum: Τοῦτο δὲ ἄπιστον, inquit, ὅτι ἐκ τῆς ἑτέρας ὁρᾷν ἑρμηνείας, ὅταν λαμβάνει τὸ δίκαιον, ἀλλ' αὐτὸν ἔχων ἐκ παιδείας τῶν ὡς ἀληθῶς καλῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν ἐπιστήμην τὴν ἀπὸ τῶν νόμων ἐμπειρίαν προσειληφῶς· ὥστε μήτε τῶν γεγραμμένων διαφεύγειν αὐτόν. ὅπου τῆς κρίσεως ποιεῖται περὶ πάντων: *cuius est rei caussa, quod ille non ab aliis interpretibus iuris cognitionem accipiat, sed ad eam, in qua institutus est, rerum praeclarissimarum scientiam adiuncta legum experientia, sic, vt nihil eum scripti iuris effugiat, ita demum de rebus omnibus iudicat.*

§. CCLXXXXVIIII.

Primum ergo multa hi quoque imperatores SCtis vel ORATIONIBVS suis constituerunt. Exstitit enim Diuorum Fratrum oratio, qua et cum inquisitione datus tutor satisdare iubebatur, si vnus administrare vellet. *l.* 19. §. 1. *D. de testam. tutel.* Celebrantur etiam Diui Marci orationes de feriis et dilationibus: *l.* 1. §. 2. *l.* 7. *D. de fer.* Iul. Capitolin. *Marc. cap.* 10. de transactione super alimentis *: *l.* 8. *D. de transact.* de fugitiuis, etiam per Caesaris, senatorum, et paganorum praedia inuestigandis: *l.* 3. *D. de fugit.* de quatuor mensium vsuris socio soluendis, qui cessantibus sociis insulam restituerit: *l.* 52. §. 10. *D. pro soc.* de senatoris filia, libertino nupta: *l.* 16. *D. de rit. nupt.* de libertinis libertinorum tutoribus: *l.* 1. §. 4. *D. de excusat. tut. l.* 44. *pr. D. eod.* Iulius Capitolin. *Marc. cap.* 11. denique de testamento eius, qui damnatus prouocauit. *l.* 6. §. 9. *D. de iniust. rupt. irr. fact. testam.*

Orationes vel SCta DD. fratrum, et Marci Antonini.

* Iulius Capitolinus *Marc. cap.* 11. generatim: *de alimentis*, inquit, *publicis multa prudenter inuenit.* Annon et de priuatis? Celeberrima sane illa oratio principis de alimentis *l.* 8. *D. de transact.* non ad alimenta publica, sed testamento relicta, adeoque priuata, pertinet. Et hinc Is. Casaubonus *in Notis ad script. hist. aug. pag.* 66. rescribendum existimat: *de alimentis publicis priuatisque.* Ceterum ad publica alimenta recte referas, quae idem Iulius Capitolinus *in Marc. cap.* 7. refert: *filiam suam Lucillam fratri despondit. Ob hanc coniunctionem pueros et puellas nouorum hominum frumentariae perceptioni adscribi praeceperunt.*

§. CCC.

Eiusdem MARCI sunt orationes et SCta de tacita hypotheca eius, qui quid ad reficiendas aedes credidit: *l.* 1. *D. in quib. caus. pign.* de quaestione status, morte finienda: *l.* 1. §. 3. *D.*

Alia eorumdem SCta.

Source : BIU Cujas

ne de statu defunct. de colluſione intra quinquennium detecta : *l.* 2. *pr.* §. 4. *D. de colluſ. deteg.* Iul. Capitolin. *Marc. cap.* 10. de confeſſis et iudicatis : *l.* 56. *D. de re iud. l.* 6. §. 2. *D. de confeſſ.* de expilatoribus hereditatum : *l.* 1. *D. expil. hered.* denique de temporibus interponendae adpellationis. *l.* 1. §. 7. *D. quando adpell.*

§. CCCI.

Nec non ad Marci et Commodi orationes condita.

Quin et MARCI cum COMMODO filio imperantis orationes, et Sta eas conſequuta, paſſim occurrunt, veluti de nuptiis ſenatorum *: *l.* 16. *D. de ſponſal.* nec non de pupilla vxore a tutore, eiuſue filio, non ducenda. *l.* 20. l. 60. *D. de ritu nupt.* Omnium tamen celeberrima ſunt SCta duo, quorum altero SC. APRONIANVM (§. 283. *ſequ.*) ad collegia et corpora prolatum eſt ; *l.* 20. *D. de reb. dub.* altero ORPHITIANO liberi ad maternam admiſſi ſunt hereditatem. *l.* 1. *l. penult. D. de SC. Tertull. et Orphit.* Conditum illud eſt anno ab v. c. 930. *Vettio Rufo* et *Cornelio Scipione Orphito* coſſ. de quibus Henr. Noriſ. *in Epiſt. conſular. pag.* 462. Praemiſſae vero huic SCto Marci et Commodi imperatorum orationis meminit Vlpianus *Fragm. tit.* 26. §. 7.

* In *l.* 20. *D. de ritu nupt.* inſcriptio legis talis eſt : PAVLLVS *libro ſingulari ad orationem D. Seueri et Commodi.* Sed haec nihili eſſe, facile vnuſquiſque animaduertit. Numquam enim cum Seuero imperauit Commodus, ſed cum M. Antonino patre, cuius hic nomen reponendum eſſe, recte obſeruat Ant. Auguſtin. *de nom. propr. Pandect. pag.* 289. Nam hoc nomen habet etiam inſcriptio *l.* 60. *D. de ritu nupt.*

§. CCCII.

Noua a Marco reperta.

Quamuis vero a Iulio Capitol. *in Marc. cap.* 11. obſeruatum ſit, Marcum imp. *ius magis vetus reſtituiſſe, quam nouum feciſſe* : plurima tamen etiam noua ab eo profecta animaduertimus, velvti, quod PRAETOREM TVTELAREM primus fecit. §. 3. *Inſt. de Atil. tut.* Iul. Capitol. *in Marc. cap.* 10. Ioſ. Caſtalio *Lect. var. Lib. VI. cap.* 4. itemque, quod quum antea non niſi ex lege Laetoria, vel propter laſciuiam, vel propter dementiam curatores darentur *: adultos omnes curatores accipere iuſſerit, non redditis cauſſis: Iul. Capitolin. *in Marc. cap.* 10. nec non, quod calumniis quadruplatorum interceſſerit, adpoſita falſis delatoribus nota, viceſimamque hereditatum temperarit. Iul. Capitolin. *ibid. cap.* 11.

* Hunc

Source : BIU Cujas

* Hunc locum a pleriſque ita intelligi animaduertimus, ac ſi ex lege Laetoria adoleſcentibus tantum laſciuis ac dementibus curatores dati ſint. Sed hi auctoris verba male intelligunt. Alivnde enim conſtat, legem illam omnibus adoleſcentibus petentibus curatores dari iuſſiſſe, cauſſa cognita. Senſus ergo potius eſt: quum antea non niſi tria curatorum genera nota eſſent, vnum eorum, qui adoleſcentibus petentibus ex lege Laetoria dabantur, alterum eorum, quos prodigi, tertium eorum, quos furioſi ex legibus XII. tabularum accipiebant: Marcum imp. haec eatenus mutaſſe, vt adulti omnes curatores acciperent, etiam cauſſa non cognita. Vid. *Elementa noſtra iur. ciu. ſec. ordin. Inſt. adornat.* §. 271. *ſequ.*

§. CCCIII.

Peſſimis omnino principibus adnumerandus eſt M. ANTONINVS COMMODVS: tamen et is, vbi ſolus rerum potitus eſt, quaedam ad iuris prudentiam contuliſſe legitur. RESCRIPTA enim eius laudantur *l.* 10. *D. de in lit. iur. l.* 2. *D. ad SC. Silan. l.* 6. *D. ſi cui plus, quam per leg. Falc. l.* 31. *D. de iur. fiſci.* DECRETI mentio fit *l.* 26. *D. de probat. et praeſumpt.* EDICTORVM denique *l.* 6. §. 1. *D. de agnoſc. et alend. liber.* Notum quoque eſt SC. IVNCIANVM, ſub eodem imp. factum anno ab v. c. 935. *Aemilio Iunco* et *Iulio Seuero* coſſ. * de fideicommiſſariis libertatibus, de quo *l.* 28. §. 4. *l.* 51. §. 8. *D. de fideic. libert.* Status iuris Rom. ſub Commodo imp.

* Varie admodum hi coſſ. ſuffecti nominantur. Aemilius Lampridio *in Commod. cap.* 4. vocatur *Iunctus*, eiuſque collega *Atilius Seuerus*, quos a Commodo in exſilium actos refert. At coſ. alter in *l.* 28. §. 4. *D. de fideic. libert. Iulius Seuerus*, in aliis Faſtis *A. Hibius Seuerus* dicitur. Sed facile ex *Atilius* ſcribarum oſcitatione fieri potuit *A. Hibius*, vel *Iulius*.

§. CCCIIII.

Occiſo Commodo HELVIVS PERTINAX, et huic mox nefarie obtruncato DIDIVS IVLIANVS, Saluii Iuliani pronepos, (§. 289. *) ſucceſſit. Vtrique in tam breui imperio vix licuit multa de iure conſtituere. Memorantur tamen quaedam Heluii Pertinacis CONSTITVTIONES, veluti vna de fideicommiſſariis libertatibus, occupata a fiſco hereditate, dandis: *l.* 12. §. 2. *D. de fideic. libert.* nec non Graeca altera, de immunitate ob XVI. liberorum numerum, aliaſque cauſſas concedenda. *l.* 5. §. 2. *et* §. 13. *D. de iur. immunit.* Status iuris Rom. ſub Pertinace et Iuliano.

§. CCCV.

In Codicem quoque repetitae praelectionis relatas eſſe video eius CONSTITVTIONES de filio, qui patremfamilias mentitus mutuam ſumſit pecuniam. *l.* 1. *C. de SC. Macedon.* et de ſeruo oppigno- Quaedam Pertinacis conſtitu-

Source : BIU Cujas

tiones et orationes

pignorato, ac deinde herede instituto. *l. 2. C. de seru. necess. her. inst.* Sed et ORATIONIS D. Pertinacis de testamentis mentio fit §. 7. 8. *Inst. quibus mod. test. infirm.* Iul. Capitolin. *in Pertin. cap. 7.* IVLIANI, quamuis iurisconsultissimi principis *, nihil, quod sciam, in iure nostro occurrit, nisi quod ei, nondum principi, rescripsisse dicitur Marcus imperator. *l. 20. §. 9. D. qui testam. fac. poss.*

* Imperatorem hunc *Iulianum iuris peritum* vocat Euseb. *in Chronic. num.* 2209. immo et aliis Graecis scriptoribus νομοθέτης est: sed vereor, ne hi aeque, ac Aurelius Victor, eum cum Saluio Iuliano proauo confundant. De Eusebio tamen id suspicari vix licet; quia ipse alibi in *Chronico* meminit Saluii Iuliani, qui sub Hadriano composuerit edictum perpetuum, adeoque hunc cum Didio Iuliano confundere potuit.

§. CCCVI.

ICti qui sub Antoninis huc vsque floruerunt. Sex. Caecilius Africanus.

Sed omittendi etiam non sunt IVRISCONSVLTI, qui sub Antoninis ad haec vsque tempora floruerunt. Eorum agmen ducit SEX. CAECILIVS AFRICANVS. Eumdem enim cum Africano esse *Sex.* illum *Caecilium*, qui *l. 3. §. 4. D. de agnosc. et al. liber.* memoratur, et quem Gell. *Noct. Attic. Lib. XI. cap. 15.* cum Fauorino de XII. tabularum legibus disputasse refert, contra Ant. Augustinum, Labittum, et Menagium ostenderunt Cuiac. *Tractat. I. in African. init. Obseru. Lib. VII. cap. 2.* et Reinold. *ad l. 23. D. de reg. iur. pag. 9.* *

* Fundus rei est *l. 3. §. 4. D. de agnosc. et al. liber.* vbi Iulianus *Sex. Caecilio Africano* respondisse dicitur. Quum ergo et tempus conueniat, nec inauditum, sed frequentissimum sit, iuris consultum iuris consulto respondere, maxime seniorem et serenioris famae iuniori, praeceptorem discipulo: nulla profecto ratio est, cur elegantem illam coniecturam Cuiacii reiicere velimus, quamuis eam pro certa obtrudere, ne ipse quidem fortassis Cuiacius voluerit.

§. CCCVII.

Eius aetas, secta, scripta.

Fuit Africanus Iuliano σύγχρονος, sed eo paullo aetate minor, quippe qui sub Antoninis potissimum floruit. Saltim ante Seueri et Antonini Caracallae tempora eum vixisse ex *l. 109. D. de legat. 1.* acute, suo more collegit Cuiac. *Recitat. ad African. Tractat. I.* Sabinianum eum fuisse, et eius quidem sectae subtilissimum, nemo negauerit. At apud eumdem Iuliani, vti apud Pythagoraeos Pythagorae, auctoritatem sine ratione valuisse, quod eidem Cuiacio, Menagio, et Guil. Grotio visum est; nullo idoneo argumento probatur. Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap. 4. §. 3.*

Source : BIU Cujas

§. 3. Scripsit *libros nouem* QVAESTIONVM *, et fortassis *libros saltim XX.* EPISTOLARVM, quae laudari videntur *l. 39. pr. D. de legat.* I.

* In his QVAESTIONVM libris tam subtiliter de difficillimis iuris quaestionibus disputauit Africanus, vt iam olim in prouerbium iuerit quotidianum interpretum dicterium: *Africani lex, id est, difficilis.* At nodos illos se vindice dignissimos existimauit ὁ πάνυ Cuiacius, qui scriptis in Africani fragmenta recitationibus, non alios tantum, sed et se ipsum longe superauit.

§. CCCVIII.

Minus celebres sunt TERENTIVS CLEMENS et VINIDIVS VERVS. Et ille quidem discipulus, vti videtur, et sectator Iuliani fuit, quippe quem ipse *suum* vocat *l. 6. D. de vulg. et pupill. substit.* auctorque fuit *librorum XX.* AD LEGES IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM, ex quibus plurima in *Digestis* fragmenta, alibi a nobis curatius exposita, supersunt. Hic inter Antonini Pii consiliarios fuit, Iul. Capitolin. *in Antonin. cap.* 12. et a Maeciano, Vlpiano, et Paullo aliquoties, quamuis non expressis librorum titulis, laudatur. *l. 32. §. 4. D. ad leg. Falcid. l. 7. §. 18. D. de pact. l. 2. D. si ex nox. causs. agat.* Terentius Clemens et Vinidius Verus.

§. CCCVIIII.

IVNIVS MAVRICIANVS, qui aetatem suam ipse perspicue indicat, *l. 57. D. de legat. 2.* auctor fuit *librorum sex* AD LEGEM IVLIAM ET PAPIAM, et saltim *duorum* DE POENIS. *l. 3. de edendo.* TARVNTENVS PATERNVS sub Commodo imp. praefectus praetorio occubuit, *Excerpta Peiresc. pag.* 724. Lamprid. *in Commod. cap.* 4. relictis *libris IIII.* DE RE MILITARI *. Denique PAPIRIVS IVSTVS, collector *librorum XX.* CONSTITVTIONVM, vti fragmenta eius operis pleraque ostendunt, sub Marco potissimum Antonino et Commodo scripsisse videtur. Vid. *l. 60. D. de pact.* Iunius Mauricianus, Tarruntenus Paternus, et Papirius Iustus.

* Sunt duo priores iuris consulti omnino notabiles. IVNIVS MAVRICIANVS procul dubio adoptiuus fuit *Iunii Maurici*, fratris *Iunii Aruleni Rustici*, quorum stemma supra (§. 239. *) dedimus. Quum enim Plinius *Lib. II. epist.* 15. mentionem faciat plurium filiorum istius Iunii Aruleni Rustici; vnus eorum a patruo, *Iunio Maurico* adoptatus, Iunii Mauriciani nomen videtur adsciuisse. TARVNTENVM PATERNVM sub Alexandro demum Seuero imp. vixisse existimat Guido Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap. 79.* non alio motus argumento, quam quod hic imperator *Paterno* cuidam rescribit *l. 2. C. de magistrat. conuen.* Sed quum et iis temporibus, et multo post permulti floruerint Paterni, quorum aliquos recenset Reines. *Inscript. pag.* 38. nulla ratio est, cur ibi Taruntenum Paternum nostrum intelligamus. Accedit,

Source : BIU Cujas

cedit, quod iam illo tempore homines iuris rerumque militarium periti ad praefecturam praetorianam adspirarent. Noſtrum vero tamquam *diligentiſſimum iuris militaris adſectorem*; laudat Veget. *de re milit. Lib. I. cap.* 8.

§. CCCX.

Sex. Pomponii aetas.

SEX. POMPONIVS vnus, non duo, in iure noſtro celebrari videtur *, de eoque nos ex inſtituto egimus in *Praefatione Opuſculis ad hiſtoriam iuris, et maxime ad Pomponii Enchiridion illuſtrandum pertinentibus*, praemiſſa, *Halae* 1735. 4. Vixiſſe eum Iuliani temporibus, vel inde patet, quod et a Iuliano laudatur, *l. 6. §. 6. 7. 8. D. de negot. geſt. l. 63. §. 9. D. pro ſoc.* et ipſe Iulianum et Aburnum Valentem laudat. *l. 2. §. 8. D. de orig. iur.* Vitam ſaltim ad Diuorum Fratrum, quos vocant, tempora produxit, quippe qui alicubi *Antoninum Pium* diuum vocat. *l. penult. D. de pollicit.* Contra nuſquam meminit vel Marci Antonini, vel Commodi, immo ne *Vlpii Marcelli* quidem, ceu quidam ex *l.* 10. *D. de caſtr. pecul.* colligunt. Verba enim illa non Pomponii eſſe, ſed Triboniani, quamdam Vlpii Marcelli notam ad Pomponium referentis, obſeruauit Ant. Auguſtin. *de nom. propr. Pandect. pag.* 121. Erroris ergo manifeſti rei ſunt, qui eum ſub Alexandro demum vixiſſe contendunt, veluti Bernard. Rutil. *Vit. ICtor. cap.* 73. et Io. Bertrandus *de iurisperit. Lib. I. cap.* 11. Vterque enim deceptus eſt loco Lampridii *in Alex. cap.* 48. quem ab aliena manu eſſe, luculenter oſtendit Salmaſ. *ad hiſt. aug. ſcript. pag.* 242.

* Duos fuiſſe Sex. Pomponios, primus ſuſpicatus eſt Ant. Auguſtin. *de nom. propr. Pandect. pag. 92. et* 255. quem deinde cum alii, tum et Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 5. ſequuti ſunt. Immo nec ſe ab hac ſententia admodum alienum eſſe profitetur Eu. Otto *Praefat. Tomi I. Theſaur. iur. civil.* At rationes omnes, quas diligenter collegit Grotius, *in praefatione ad laudata Opuſcula, pag.* 10. *ſequ.* excuſſimus. Vrgent praecipue, Pomponium in *l.* 41. *D. de hered. inſt.* ipſum videri alium Sex. Pomponium citare, et in *l.* 32. *D. de legat. I.* legi: *quod ita verum eſſe, tam Sex. quam Pomponius, negant.* Sed vti in poſteriore textu SEXTVS ille alius eſſe poteſt IC. quam Pomponius, et ille ipſe fortaſſis, qui *l.* 44. *pr. D. ſolut. matr. l.* 30. *§. 6. D. de adquir. hered. et l.* 1. *§.* 27. *D. ad SC. Silan.* ita admodum dubium eſt, an *l.* 41. *D. de hered. inſt.* ſit Pomponii, ac non potius Iuliani, *et liber. XII. Lect. var.* Pomponii non in margine tantum fuerit adſcriptus. vid. Reinold. *Orat. de Pompon. pag.* 12. *ſequ.*

§. CCCXI.

Source : BIU Cujas

§. CCCXI.

Eius philosophia et secta.

Praeter iuris prudentiam eorum temporum more et philosophiam videtur excoluisse, cuius vestigia deprehendimus in *l.* 121. *D. de verb. signif.* iuncto Seneca *de benef. Lib. VII. cap.* 10. et *l.* 30. *pr. D. de vsurp.* et *vsucap.* vbi diuisio corporum interiorem philosophiam redolet, ceu obseruarunt Cuiac. *Obs. Lib. XV. cap.* 33. et Guil. Forner. *Select. Lib. II. cap.* 27. De secta inter viros doctos non satis conuenit, aliis eum iuris consultis neutrarum partium, quos erciscundos adpellitant, adnumerantibus, Mascou. *de sectis Sabin. et Procul. cap.* 8. §. 4. *pag.* 130. aliis eum inter Proculeianos referentibus. Christ. Otto a Boekelen *de diuers. famil. vet. ICtor. cap.* 6. *

* *Proculeianum* ideo fuisse contendunt, quod Labeonis definitionem probet: *l.* 22. §. 1. *D. quando dies leg. ced.* eiusque sententiam tueatur aduersus Trebatium: *l.* 21. *pr. D. de hered. instit.* Proculo testimonium denunciet, *l.* 16. §. 2. *D. de euict. l.* 12. *pr. D. de legat.* 2. itemque eius et Pegasi, Celsi, Atilicini, Aristonis, et Neratii sententias probet: *l.* 28. *D. de adquir. rer. dom. l.* 43. §. 2. *D. de legat.* 2. *l.* 29. *D. de euict. l.* 14. *D. de verb. obl. l.* 48. *pr. D. de legat.* 1. *l. vlt. D. de adqu. vel omitt. her. l.* 21. *l.* 72. *D. ad SC. Trebell. l.* 8. §. 2. *D. de liberat. leg. l.* 3. *D. pro suo. l.* 45. *D. de legat.* 1. At idem Pomponius non modo Sabino et Cassio aliquando suffragatur, *l.* 6. *D. de condit. et demonstr. l.* 6. *D. de stipul. seru.* et eorum dicta benigniore interpretatione iuuat, *l.* 3. §. 1. *D. de iur. et facti ignor.* sed et passim eorum auctoritate vtitur, *l.* 34. §. 2. *D. de fideic. libert.* et id plerumque agit, vt dissidentes iuris consultos ad concordiam reducat, velvti Proculum et Sabinum, *l.* 14. *D. de condit. et demonstrat.* nec non Proculeianos et Sabinianos, *l.* 26. §. 2. *D. de legat.* 2. Qui vero ita rationes componit, iuris consultus, eum si quis sectarium esse clamet: nae is, quid sit sectae studium, mihi omnino videtur ignorare.

§. CCCXII.

Eius scripta.

Scripsit hic iuris consultus, inter πολυγράφους iure referendus, ENCHIRIDION duplex, quorum vnum *singularis* fuit *liber*, *l.* 2. *D. de orig. iur. l.* 2. *D. de iust. et iur. l.* 239. *D. de verb. sign.* alterum ex *duobus libris* constitit: *l.* 5. *D. de grad. et adfin. l.* 13. *D. de tutel. l.* 107. *D. de solut. et liberat.* EPISTOLARVM *libros XX.* FIDEICOMMISSORVM *libros V.* LECTIONVM AD Q. MVCIVM *libros XXXVIIII.* AD PLAVTIVM *libros VII.* REGVLARVM *librum singularem.* AD SABINVM *libros XXXV.* SENATVSCONSVLTORVM *libros V.* VARIARVM LECTIONVM *libros* non XV. vt est in indice Florentino, sed saltim *vltra XXXX.* * *l.* 8. §. 6. *D. si seru. vind.* DIGESTORVM *libros V.* DE STIPVLATIONIBVS

Source : BIU Cujas

libros VIII. denique AD EDICTVM *libros LXXXIII.* ex quibus fragmenta in *Pandectis* quam plurima supersunt.

* Hunc titulum inter *inscriptionum festiuitates, quas plerique vtriusque linguae scriptores in libris suis fecisse ait*, refert Gell. *Noct. Att. praefat.* Ait enim, *alios libros suos* MVSARVM *inscripsisse, alios* SILVARVM, *illum* ΠΕΠΛΟΥ, *hunc* ΚΕΡΑΤΟΣ ΑΜΑΘΕΙΑΣ, *alium* ΚΗΡΙ *partim* ΛΕΙΜΩΝ, *quemdam* LECTIONIS SVAE, *alium* ANTIQVARVM LECTIONVM. Vbi Gellius manifesto ridere voluit titulos librorum argutiores atque exquisitiores. Sed iam Salmasius recte monuit, multos titulos eo referre Gellium, qui nihil habeant, quod ad *festiuitates inscriptionum* iure referri possit. Quid enim festiuitatis inest inscriptionibus *antiquarum lectionum, epistolarum moralium, epistolicarum quaestionum, historiae naturalis*, quas omnes Gellius in hanc classem retulit? Quis non titulum NOCTIVM ATTICARVM, quem se Gellius tamquam simpliciſſimum libro suo praescripsisse, ait, facilius facetis nugis comparet, quam titulum *antiquarum* vel *variarum lectionum*? Sed videtur Gellius hic sine iudicio imitatus Plinium *in praefat. Hist. natural.*

§. CCCXIII.

Caius iurisconsultus.

CAIVS, elegantis ingenii iuris consultus, vulgo GAIVS, certissime vixit sub Hadriano, ceu patet ex *l. 7. pr. D. de reb. dub.* certissime etiam superstes fuit Antonino Pio, quia M. Antoninum imperatorem *sacratissimum principem suum* vocat *l. 9. D. ad SC. Tertull.* An vero ad Antonini Caracallae tempora aduixerit, quod Iac. Raeuardo *Coniect. Lib. III. cap. 19.* et nuper Franc. Car. Conradi (*Act. erud. Lipsi. a. 1727. mense Februar.*) visum est, merito in medio relinquimus, tanto certiores, falli eos opinione sua, qui Caium nostrum, quem familiaritatis iure suum vocat Pomponius, *l. 39. D. de stipulat. seruor.* vel ad Diocletiani, vel ad ipsius Iustiniani tempora vitam produxisse existimant, quum ab Hadriani excessu ad Diocletiani imperium centum et quadraginta septem; ad Iustinianei imperii auspicia trecenti octoginta nouem anni sint circumacti *.

* Caium Diocletiani tempora attigisse, suspicatus est Marcilius *ad §. 6. prooem. Instit.* Eumdem Iustiniano ἀνώτερον et Christianum fuisse, ex *d. §. 6. prooem. Inst. §. 5. Inst. de publ. iudic.* et *Constit. omnem reip. §. 1. ad Anteces.* collegerunt Ant. Vacca et Hotomanus, non alio persuasi argumento, quam quod eum *Caium suum* vocare non dubitarit Iustinianus. At praeterquam quod nihil Christiani praeferunt Caii fragmenta, quodque vtrique huic sententiae rationes chronologicae manifesto refragantur: aliae rationes esse potuerunt Triboniano, (nam Iustinianum ibi stilo suo vsum, vix credibile est,) cur Caium *suum* vocare non dubitarit, quoniam nimirum eum potissimum exscripsit in conscribendis Institutionibus. Vid. Eu. Otto *Praef. Tomi I. Thesaur. iur. ciu. pag. 19.*

§. CCCXIIII.

Source : BIU Cujas

§. CCCXIIII.

Ceterum CAIVS quoque a sectae studio satis alienus iure ercisçundis accensetur, Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 8. §. 3. *pag.* 127. modestiam eius satis superque demonstrantibus tot eius fragmentis, quae in *Digesta* retulit Tribonianus. Scripta reliquit tam multa, vt lectorem merito remittamus ad indicem Florentinum et Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 43. id modo obseruantes, eum quaedam scripsisse, in quibus reliquorum iuris consultorum vix quisquam exercuerat ingenium, veluti DOTALITIORVM *librum singularem*, AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM *libros II.* AD EDICTVM PROVINCIALE *libros XXXII.* AD LEGES XII. TAB. *libros VI.* et similia. INSTITVTIONVM et extra *Pandectas* exstare fragmenta bene longa, sed ab Aniano passim interpolata, nemo ignorat. * Eius scripta.

* Ex iis duo fragmenta insignia de ritu mancipationis, et in iure cessione, qui in Anianea editione hodie non exstant, seruauit Boeth. *Lib. III. Commentar. in Topic. Ciceron.* quae tota exhibet Ant. Schulting. *in Iurisprudent. vetere anteiustin. pag.* 50. *seqq. et pag.* 84. *seqq.* Sed eadem in Cyri *Commentario ad tit. C. de vsuc. transform.* multo integriora reperit Bynkershoek. *de reb. mancipi, cap.* 1. *pag.* 107. Is vero haec descripta esse ait a Petro Iacobo de Rauani, qui dicat *se ea vidisse in libro Institutionum Caii.* Quae si vera sunt, (fidem autem Petri Iacobi de Rauani in dubium cur vocare velimus, nullam omnino rationem video,) Caii Institutiones saeculo XIIII. quo ille Rauani vixit, adhuc integriores, quam est Aniani editio, exstitisse oportet.

§. CCCXV.

L. VOLVSIVM MAECIANVM sub Antonino Pio et Diuis Fratribus vixisse, et in eorum principum consilio fuisse, ex Iul. Capitolin. *in Pio cap.* 12. *l.* 42. *et l.* 47. *D. de fideic. libert.* denique ex *l.* 17. *D. de iur. patron.* patet. Marcum imp. instituerat in iuris prudentia, teste eodem Iulio Capitol. *in Marc. cap.* 3. Vid. Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 5. Vitam etiam ad Marci imperium produxit, sub quo tamquam Alexandrinae ciuitatis iuridicus, in Auidii Cassii tumultu periit, et quidem seditionis Cassianae conscius, teste Volcat. Gallic. *in Auid. Cass. cap.* 7. id est anno erae Dionysiacae 175. in quem hunc tumultum incidere ostendit Ant. Pagi *Critic. Baron. Tom. I. pag.* 168. *seqq.* L. Volusius Maecianus.

§. CCCXVI.

Sabinianum eum fuisse, et Iuliani adsectam, ipse in fragmentis suis satis prodidit. Scripsit FIDEICOMMISSORVM seu QVAESTIONVM Eius secta et scripta.

Source : BIU Cujas

STIONVM DE FIDEICOMMISSIS *libros sedecim.* Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 5. PVBLICORVM *libros XIIII.* a quibus diuersum fuisse librum EX LEGE RHODIA, vel AD LEGEM RHODIAM * suspicamur, quamuis aliud visum sit Iac. Gothofredo *de imper. mar. cap.* 2. Vid. Bynkershoek. *ad l.* 9. *D. ad leg. Rhod. cap.* 1. Porro *libri* QVAESTIONVM meminit Papinianus, *l.* 86. *D. de adquir. vel omitt. hered.* qui tamen an a *libris quaestionum de fideicommissis* diuersus sit, alii viderint. Denique notus est *libellus* Maeciani DE ASSE, a Io. Fridr. Gronouio post opus *de pecunia veterum*, et a Io. Ge. Graeuio *Thesaur. antiqu. Rom. Tomo XI.* editus, et iuris studiosis etiam atque etiam commendatus a Iac. Cuiacio *ad l.* 21. §. 2. *D. de ann. legat.*

* In Florentina est: *ex lege Rhodia*, apud Haloandrum: *ad legem Rhodiam.* Sed non erat, quod hic aliquid mutaret Haloander. Ita enim, notante Bynkershoekio, et aliae in iure nostro librorum inscriptiones se habent. Nec absurdus est titulus, ex quo colligitur, Maeciani librum fuisse collectionem quarumdam legum Rhodiarum, fortassis quae magis in vsu erant, et ad iactum pertinebant, quasque hoc libro Volusius vel collegerit tantum, vel notis suis illustrarit. Vid. Bynkershoekii *Opusc. min. pag.* 269. *edit. nou.*

§. CCCXVII.

Q. Cervidius Scaeuola.

Proximus est Q. CERVIDIVS SCAEVOLA, *auctor iuris consultorum prudentissimus*, *l.* 3. *C. Th. de testam.* et Marco Antonino a consiliis, Iul. Capitol. *in Marc. cap.* 2. vel hoc ipso maximam laudem consequutus, quod Seuerum imp. et Papinianum iuris consultum formauit. Iul. Capitolin. *in Caracall. cap.* 8. Miscellionibus vel erciscundis eum adnumerat Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 8. §. 5. quippe adeo fluctuantem inter diuersas scholae vtriusque sententias, vt Bertrando Proculeianus; Ottoni a Boekelen *de famil. Ictor. cap.* 5. Sabinianus videatur. Notum quoque est, eum apud quosdam non modo obscuritatis et variationis, sed et προσωπολη\u{03C8}ίας caussa male audire. *

* Nam in *l.* 14. *D. de transact.* eum ingenuitatis et candoris laudem non seruasse, et in gratiam alicuius vel odium a iure recessisse statuit Ger. Noodt *Probabil. Lib. II. cap.* 2. *pag.* 36. et *de pact. et transact. cap.* 22. *pag.* 546. Variationes quoque eiusdem notant Cuiac. *Obs. Lib. IIII. cap.* 1. Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 2. et Noodt. *Obs. Lib. II. cap.* 18. vbi et stilum eius abruptum et hiulcum, ac proinde maxime obscurum notari animadvertimus, de quo etiam conqueruntur Guil. Budaeus *Adnot. ad Pandect. pag.* 76. *sequ.* Franc. Duaren. *Disput. anniuers. I.* 50. Petr. de Toulieu *Diss. de anantapodotis in iure occurrentibus*; et Eu. Otto *in Papiniano cap.* 11. §. 3. *pag.*

Source : BIU Cujas

pag. 313. Sed vt de ſtilo Scaeuolae facile tranſegerim: ita reliqua, quae Scaeuolae exprobrantur, iam ab aliis ſatis profligata ſunt.

§. CCCXVIII.

Eius ſcripta.

Scripſit DIGESTORVM *libros XXXX.* et quidem poſt exceſſum Marci Antonini imperatoris, ceu ex *l.* 39. *D. de legat.* 3. obſeruauit Ger. Noodt *de foenor. et vſur. Lib. III. cap.* 6. *pag.* 244. DE QVAESTIONE FAMILIAE *librum ſingularem:* QVAESTIONVM *libros XX.* QVAESTIONVM PVBLICE TRACTATARVM *librum ſingularem:* REGVLARVM *libros IIII.* RESPONSORVM *libros VI.* in quibus eum ſaepe repetere, quae iam dixerat in *Quaeſtionibus*, obſeruat Cuiac. *Obſ. Lib. XII. cap.* 10. OPΩN *librum ſingularem*: denique *Notas* IN IVLIANVM et MARCELLVM.

§. CCCXVIIII.

Vlpius Marcellus.

Supereſt VLPIVS MARCELLVS, vir toga ſagoque celeberrimus, quem in conſilio Antonini Pii fuiſſe, teſtatur Iul. Capitolin. *in Antonin. Pio cap.* 12. Floruit et ſub Marco, *l.* 19. *D. de teſtam. tut.* ſub quo non quidem praefectus praetorio, vti exiſtimat Bertrandus *de Iuris perit. Lib. I. cap.* 17. ſed legatus pro praetore Pannoniae inferioris fuit. Ita enim intelligendus vetus titulus apud Grut. *Inſcript. pag.* 100. *num.* 4.

VIRTVTI.
ET
HONORI. L.
VLPIVS. MARCELLVS.
LEG. AVG.
PR. PR.
PANNON. INF.
V. S.

Sub Commodo in Britanniam cum imperio miſſus, non modo incredibilia continentiae, frugalitatis, et vigilantiae ſpecimina edidit *, ſed et rem ibi praeclare geſſit, vt parum abeſſet, quin a ſaeuiſſimo principe virtutis cauſſa occideretur. Dio Caſſ. *Lib. LXXII. pag.* 820. et *Excerpt. Peireſc. pag.* 724.

* Meretur ille Dionis locus, qualis in primis in *Excerptis Peireſcianis* legitur, excerpi. Ait, legatum illum in Britannia tam alienum fuiſſe a ſordibus et corruptione, quantum ab humanitate ac benignitate: tam autem vigilantem, vt per totam noctem vigilare videretur. Vt vero et ceteros comites ſomno arceret, eum duodecim tabellas, quales ex philyra fieri ſolebant, quotidie veſperi perſcripſiſſe, et mandaſſe ſuis, vt alias aliis, atque aliis

Source : BIU Cujas

horis perferret ad diuersos. Quamquam etiam a natura ad domandum somnum fuerit factus, tamen vigilantiam illam adiuuisse abstinentia, modico tantum vsum cibo, et vt pane ventrem ne impleret, eum Roma in Britanniam advehi curasse, non quod pane eius regionis vesci non posset, sed vt eo minus ob vetustatem panis comederet, gingiuis ob eius siccitatem saepe cruentatis. Hinc apud Xiphilinum Vlpius noster vocatur ἀνὴρ μέτριος καὶ εὐσταλὴς ὤν, *vir modestus et frugi*, ὅτε ἐπολέμει ὑψηλόφρων καὶ φρονηματώδης, χρημάτων τε ἀδιαφανῶς ἀδωρότατος ὤν, *sublimis et elati animi, quoties bellum gereret, et pecunia non corruptibilis*. Habes ergo priscae disciplinae ac continentiae hominem, dignumque, qui non sub Commodo, sed melioribus rei publicae temporibus vixisset.

§. CCCXX.

Eius secta et scripta.

Proculeianorum suo tempore fuit acerrimus, Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 28. *Lib. VIII. cap.* 18. Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 5. §. 4. *pag.* 90. vt Vlpiano aliisque id haud leue veritatis argumentum esset, si Iuliano adstipularetur Vlpius Marcellus. Cuiac. *Obs. Lib. XIIII. cap.* 35. Menag. *Amoenit. iur. cap.* 24. Mireris, homini negotioso, et saepius in castris, quam in museo, moranti tantum fuisse ocii, vt aliquid de iure scriberet. Et tamen praeter NOTAS AD IVLIANVM et POMPONIVM reliquit DIGESTORVM *libros XXXI.* AD LEGES Iuliam et Papiam *libros VI.* DE OFFICIO PRAESIDIS *librum singularem*: DE OFFICIO CONSVLIS *libros* saltim *V.* PVBLICORVM *libros II. et librum singularem* RESPONSORVM *.

* Addit Iac. Curtius Ἐικασῶν *Lib. I. cap.* 38. NOTAS AD PAPINIANVM, quarum mentionem fieri ait *l. 7. D. ad leg. Iul. de adult.* Marcellum saltim laudasse ait Papinianum *l. 1. D. ad SC. Turpillian.* Quum vero multo antiquiorem Papiniano Scaeuolam ad Marcellum notasse constet: *l. 11. §. 6. D. de donat. int. vir. et vxor.* laudatus Curtius duos floruisse *Marcellos* iuris consultos, existimat: *Vlpium* alterum, de quo hic agimus, alterum *C. Quinctilium*. Sed potuisset Curtius non errare. Qui enim ad Papinianum scripsit, eumque laudauit, non est MARCELLVS, sed AEL. MARCIANVS, Vlpiani aequalis. Adeoque ad illorum temporum iuris consultos non pertinet ille *C. Quinctillius*.

§. CCCXXI.

Status iuris sub Septimio Seuero.

Redimus ad imperatores Romanos, inter quos obtruncato Didio Iuliano, aemulisque, C. Pescennio Nigro, et D. Clodio Septimio Albino, remotis, imperium arripuit L. SEPTIMIVS SEVERVS, Africanus, princeps non solum Graecis Latinisque litteris eruditissimus, sed et iuris Romani peritissimus, auditor quippe Q. Ceruidii Scaeuolae, et Papiniani condiscipulus (§. 317),

Source : BIU Cujas

317.), et hinc fisci aduocatione ante imperium functus. Spartian. *Septim. Seu. cap.* 1. *et* 2. Huius potissimum condiscipuli sui, Papiniani, vsus consilio iura constituit, aequitatis, moderationis clementiaeque plenissima, vt ab Aurelio Victore *legum conditor longe aequabilium* adpelletur. Eu. Otto *Papinian. cap. XIIII.* §. 3. *pag.* 496. *edit. nou.* Odio tamen decessoris, Didii Iuliani, *Saluii Iuliani decreta iussit aboleri, neque obtinuit.* Spartian. *Seuer. cap.* 17. Quod nos de edicto Iuliani perpetuo intelligendum esse arbitramur *.

* Sunt, qui haec de Didii Iuliani decretis intelligunt, quia et hic intercalaris veluti princeps Saluii nomen tulerit. Thomas. *Naeu. iurisprud. anteiustin. pag.* 85. Sed *de Saluii scriptis*, non de imperatoris alicuius actis loqui Spartianum, ex Aurelio victore, eamdem rem plenius narrante, intelligimus. Is enim, vbi de Septimio nostro agit: *Saluii*, inquit, *nomen, atque eius* SCRIPTA *factaque aboleri iubet, quod vnum effici nequiuit.* Iam quid, quaeso, scripsisse nouimus Didium, tam eximium, vt id perire nollet senatus? Et quid intererat senatus, Didii principis sibi exosi et hostis a se iudicati, memoriam et acta non aboleri, vt in hoc vno principi asperrimo dicto minus audiens esse auderet? Denique si de Saluii Iuliani scriptis priuatim editis accipiamus Spartianum et Aurelium Victorem, vix comminisci licebit rationem, cur senatus voluntati principis seueri, et adcuratum a suis obsequium exigentis, refragari voluerit. Verosimillimum itaque est, Seuerum, exsecratum Iulianorum nomen, conditum a Saluio Iuliano edictum perpetuum voluisse abolere, senatu tamen ob eximiam eius operis praestantiam auctoritatemque grauiter obnitente.

§. CCCXXII.

Iura a Seuero constituta.

Inter Seueri instituta et sequentia fuerunt: quod praefecturam vrbanam, data ad Fabium Chilonem epistola, ad summam euexit potentiam: *l.* 1. *D. de offic. proef. vrb. l.* 8. §. 5. *D. de poen. l.* 6. §. 1. *D. de interd. et releg.* quod oratione sua anno ab v. c. 948. *Q. Flauio Tertullo* et *Flauio Clemente* coss. res immobiles eorum, qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto alienari vel supponi vetuit: *l.* 1. §. 1. *D. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur.* quod legem Iuliam de adulteriis in vsum reuocavit *: Dio Cass. *apud* Xiphil. *Lib. LXXVI. pag.* 869. quod quaedam circa leges Iuliam et Papiam Poppaeam mutauit: Tertull. *Apologet. cap.* 4. quod cum Antonino Caracalla, filio, imperii socio, SCto anno ab v. c. 959. *M. Numio Albino* et *Fulvio Aemiliano* coss. facto, donationes inter virum et vxorem de nouo prohibuit: *l.* 32. *pr. D. de donat. int. vir. et vxor.* Recensum vero tot constitutionum, quae in *Pandectis* aeque ac *Codice*,

dice, vtramque paginam faciunt, hic a nobis inſtitui, chartae anguſtia vix patitur.

* Debemus hanc notitiam Dioni, qui de Seuero imp. refert, eum criminari ſolitum incontinentes, ὡς καὶ περὶ τῆς μοιχείας νομοθέτηται πολλά, *ob eamque cauſſam et de moechis leges tuliſſe*, ex quibus deinde quam plurimi in ius rapti ſint. Addit: Τελοχιλίας γὰρ ὑπατεύων εὗρεν ἐν τῷ πίνακι ἐγγεγραμμένας, innuens, *ſe conſulem tria millia moechorum in tabulis accuſatorum reperiſſe*. Incidit vero Caſſii illius conſulatus in annum Chriſti 291. quo iam paene ante centum annos leges iſtas ſeueriſſimas tulerat Seuerus, ex eoque iam ſatis patet, quam late patuerit hoc flagitium, quum Seuerus eam legem ferret. Ceterum ex eo ſimul reddi poterit ratio, cur *de adulteriis* et ad legem Iuliam de illis eo tempore certatim ſcripſerint PAPINIANVS, VLPIANVS, PAVLLVS, et alii.

§. CCCXXIII.

Status iuris ſub Caracalla.

Qui exſtincto patre, et Geta fratre occiſo, ſolus imperavit, ANTONINVS CARACALLA, non minus, quam pater, ius variis nouis inſtitutis locupletauit. Nam vt iam non dicam de celeberrima conſtitutione *l.* 17. *D. de ſtatu hom.* qua ius ciuitatis cum omnibus ingenuis, in orbe Romano habitantibus, communicauit *, quam Antonino noſtro auctoritate Dionis Caſſii *in Excerpt. Peireſc. pag.* 744. vindicat Ezech. Spanhem. *in Orbe Romano*: tot aliae eius conſtitutiones in *Codice* et *Pandectis*, immo et in *Codicis Gregoriani* et Paulli *Sententiarum receptarum* reliquiis ſuperſunt, vt reliquorum imperatorum paene omnium conſtitutiones numero ſuperare videantur.

* Origo ergo huius iuris hodie extra omnem dubitationis aleam poſita eſt, quamuis et noſtris temporibus non deſint viri eruditiſſimi, qui et Antonini Pii hac in re partes aliquas fuiſſe, adeoque vel conſtitutionem antiquam ab Antonino Pio primum editam, in vſum reuocatam eſſe, vel diſtinctione inter ius ciuitatis *indultum* et *imperatum* rem expediri poſſe exiſtimant. Io. Petr. a Ludewig in *Diſſ. de peregrinitate, albinagio, et vvildfangiatu, cap.* 9. §. 3. *pag.* 98. *ſequ.* Et ſane fauent huic ſententiae partim locus inſignis *Nouellae LXXVIII. cap.* 5. partim nummus Antonini Pii imp. apud Mediobarbi Biragi, cuius in poſtica coronae inſcriptum: S. P. Q. R. AMPLIATORI CIVIVM. At ſi dicendum, quod res eſt, nec Iuſtiniani eſt tanta in rebus hiſtoricis auctoritas, vt ea in re errare non potuiſſe videatur: et elogium iſtud tribui poſſe Antonino Pio, ſi vel maxime auctor non ſit conſtitutionis famoſiſſimae, quam *l.* 17. *D. de ſtat. hom.* laudari animaduertimus, iam ipſe oſtendit Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. cap.* 1. *pag.* 208. quippe qui non modo viros bene de re publica meritos frequentius iure ciuitatis donarit, ſed et cum Carnis Cataliſque, adeoque cum totis gentibus, eximium iſtud beneficium communicarit. Gruter. *Inſcript. pag.* 408. *num.* 1.

§. CCCXXIIII.

Source : BIU Cujas

§. CCCXXIIII.

ELAGABALVS. monſtrum illud hominis, qui, occiſo Caracalla, victoque aemulo *M. Opilio Aurelio Seuero Macrino*, imperio potitus eſt, non plus ad iuris prudentiam amplificandam contulit, quam hic Opilius, vt ſcribit Iul. Capitol. *in Macrin. cap.* 13. *iuris non incallidus*, et, teſte Herodiano *Hiſtor. Lib.* IIII. *cap.* 12. peritus *νόμων ἐπιστήμης*. Equidem Opilium iſtum *omnia reſcripta veterum principum tollere ſtatuiſſe*, refert *eodem loco* Iulius Capitolinus, *nefas eſſe dicentem, leges videri Commodi et Caracallae, hominum imperitorum voluntates, quum Traianus numquam libellis reſponderit, ne ad alias cauſſas facta * proferrentur, quae viderentur ad gratiam compoſita.* Sed breuitas imperii vix bimeſtris vetuit illum ſpes inchoare longas. Itemque ſub Opilio Macrino.

* FACTA hic ſunt reſcripta, vel Graecis πραγματικαὶ vel πραγματικοὶ τύποι. Iac. Gothofred. *ad Codic. Theodoſ. Tom. I. pag.* 25. Hinc PAVLLI *libri Sententiarum et* FACTORVM *ſex.* Ceterum quamuis id conſilium Macrini plerique damnent: tantum tamen abeſt, vt videatur reprehendendum, vt prudentiſſimo inſtituto reſcriptis tantum in aliquorum gratiam vel odium editis vim legum detrahere voluerit. Id vero non magis improbandum eſt, quam quod et Valentinianus Senior imperator talia reſcripta caſſa eſſe iuſſit. *l. 6. C. de vectigal.*

§. CCCXXV.

ELAGABALI vero ne nomen quidem in *Pandecte* occurrit, quamuis quaedam eius conſtitutiones exſtent *l. vn. C. Gregor. de patr. poteſt. et l. 8. C. de negot. geſt.* quas Elagabali eſſe, ex ſubſcriptionibus docent Henricus Noriſius *Epiſt. conſular. pag.* 471. et Ant. Pagi *Crit. Baron. Tom.* I. *pag.* 203. Obiter tamen monemus, Elagabali origines, et familiam ex *Pandectis* non modo illuſtrari, verum etiam ſuppleri poſſe *. Nec non ſub Elagabalo.

* Fuiſſe ELAGABALVM filium Varii Marcelli et Iuliae Soaemidis, ex eorum temporum hiſtoricis ſatis notum eſt. Sed in iure noſtro paſſim memorantur alii eius cognati, quos hac tabula repraeſentare iuuabit, maxime quum quaedam videantur emendanda, quae parum adcurate tradidit Reineſ. *Epiſt. ad Rupert. 69. pag.* 611.

Source : BIU Cujas

N. e familia IVLIORVM.

IVLIVS AGRIPPA primipilaris, de quo *l.* 38. *D. de legat.* 3. patruus magnus Iuliae Domnae, quam legem non intellexere Cuiac. *Obs. Lib. III. cap.* 18. et Menagius *Amoen. iur. ciu. cap.* 25.

N. filia, de qua *l.* 38. *D. de legat.* 3.

N. Neptis, de qua eadem *l.* 38.

IVLIVS AGRIPPINVS, cui rescripsit Antoninus imp. anno 961. *Pariator LL. Mos. et Rom. Tit. X.* §. 4.

N. Iulii Agrippae frater.

BASSIANVS, sacerdos Dei solis. Sex. Aurel. Victor. *in Caracalla et Elagab.*

IVLIA DOMNA Aug. nupta Septimio Seuero imperatori.

ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA, imp.

Filiolus vna cum matre in Liparam insulam relegatus, teste Dione.

P. SEPTIMIVS GETA, a fratre occisus.

IVLIA MOESA ex Apamea Syriae, teste Dione, vel ex Emesa, vti existimat Herodian. *Histor. Lib. V. cap.* 4.

IVLIA SOAEMIS, nupta *Vario Marcello.*

ELAGABALVS, imp.

IVLIA MAMMAEA, nupta *Genesio Marciano.*

ALEXANDER, imperator.

§. CCCXXVI.

Et sub Alexandro imp.

Successit his M. AVRELIVS SEVERVS ALEXANDER, Elagabali consobrinus, continentissimae disciplinae princeps, et qui non pauca constitutionibus suis emendauit. Praefectorum vrbi, et praetorio potentiam maxime auxit, et illis quatuordecim ROMAE CVRATORES addidit ex consularibus, quos audire negotia cum praefecto vrbis iussit, ita, vt omnes, aut magna pars, adessent, quando acta fierent. Lamprid. *in Alex. cap.* 33. His senatoriam addidit dignitatem, vt VIRI CLARISSIMI essent, et dicerentur, idque ideo, ne quis, qui senator non esset, de senatore Romano iudicaret. Lamprid. *ibid. cap.* 21. Quin et edicta eorum, condito licet iam pridem edicto perpetuo, seruari voluit. *l.* 2. *C. de offic. praef. praet. Orient. et Illyr.*

§. CCCXXVII.

Source : BIU Cujas

§. CCCXXVII.

Denique sub Maximino, Maximo et Balbino, Gordiano et Philippo.

MAXIMINVS porro, Alexandri percussor, quod a scelere auspicatus fuerat, imperium tam breue habuit, vt non multum potuerit de iure nouo constituendo cogitare. Habemus tamen duas eius constitutiones: *l.* 13. *C. de pact. et l.* 6. *C. de iure dot.* quum oppositorum illi principum, MAXIMI et BALBINI nullae omnino exstent. Plurimae contra supersunt GORDIANI tertii, sub quo reuirescere potuisset imperium, si vixisset diutius: nec non percussoris eius PHILIPPI, Arabis, quamuis pleriſque horum omnium epistolis vetera magis iura speciebus obuenientibus adplicari, quam noui quid sanciri, animaduertamus. *

* Et hoc ipsum argumento est, Philippum illum imp. sceleratissimum hominem, non fuisse Christianum. Fieri enim non potuisset, quin de emendando iure, abolendisque, quae paganam superstitionem sapiebant, serio cogitasset, eiusque rei vestigia in eius constitutionibus exstarent, si pio Christianorum caetui sese adiunxisset. Praeterea ludi saeculares, publice editi, sacraque sollemnia et superstitiosissima eo anno curata, cum religione Christiana minime omnium congruunt. Sed illam de Philippi Christianismo sententiam iam pridem profligarunt viri doctissimi, in quorum numero sunt Conr. Sam. Schurzfleisch. *Diss. de Philippis augg.* §. 3. *sequ.* et Cellar. *de primo principe Christiano.*

§. CCCXXVIII.

ICti huc vsque florentes. Papiniani origo.

Supereſt, vt et IVRISCONSVLTOS, qui a Commodi excessu ad haec vsque tempora floruerunt, paucis persequamur. Eorum facile princeps fuit AEMILIVS PAPINIANVS, quem vulgo Italum, Hostilii Papiniani et Eugeniae Gracilis filium fingunt, ob lapidem, descriptum a Gruter. *Inscript. pag.* 348. *num.* 8. Sed nihil veri ei lapidi inesse, ad quem tot viri docti offenderunt, praeclare ostendit Eu. Otto *in Papin. cap.* 3. qui eumdem potius Syrophoenicem, et Iuliae Domnae cognatum fuisse suspicatur. *

* Fundamentum huius coniecturae est locus Spartiani *in Caracall. cap.* 8. vbi Papinianum *amicissimum fuisse*, ait, *Seuero imperatori, et vt alii loquantur, adfinem etiam per secundam vxorem.* At secunda Seueri vxor erat Iulia Domna, cuius schema genealogicum supra (§. 325. *) exhibuimus, ac proinde eius cognatum fuisse oportet Papinianum. Ceterum fuit illa familia litterarum studiosissima, adeo vt Philostratus *in vit. Sophist. II.* 30. *pag.* 622. Iuliam Domnam vocet τὴν φιλόσοφον, et Antoninum Caracallam τὸν τῆς φιλοσόφου παῖδα Ἰ'ουλίας, *philosophae Iuliae filium.* Eam enim lectionem contra Ios. Scaligeri emendationem tuentur Thom. Reines. *Var. Lib. II. cap.* 12. et Gottfrid. Olear. *in not. ad Philostr. pag.* 622. De doctrina Iuliae Domnae videndus etiam Aegid. Menag. *de mulier. philos. cap.* 16.

Source : BIU Cujas

§. CCCXXVIIII.

Eius doctrina. In iuris prudentia praeceptorem habuit Ceruidium Scaeuolam : Spartian. *Caracall. cap.* 8. in eaque arte adeo profecit, vt omnes longo post se interuallo reliquerit. Zosim. *Hist. Lib.* I. *cap.* 9. Hinc passim vocatur *iuris asylum et doctrinae legalis thesaurus*, Spartian. *in Seuer. cap.* 21. ὁ σοφώτατος τῶν νομικῶν, *iuris consultorum excellentissimus*, Theophil. §. 7. *Inst. de fideic. hered. legum armarium*, Cassiodor. *Var. Lib. VI. cap.* 5. *acutissimi ingenii vir*, et merito ante alios excellens, *l.* 30. *C. de fideicomm.* et vix vmquam a veteribus sine elogio nominatus * : tanto maior profecto, quanto minus in aliorum verba iurauerat, inter erciscundos, quos vocant, praecipuus. Vid. Eu. Otto *in Papin. cap.* 11. §. 6.

* Eius vero auctoritas tum in scholis iuridicis, tum in foro maxima fuit. In illis tertio cursus iuridici anno studiosi PAPINIANISTARVM nomen non sine caerimoniarum adparatu adsumebant. *Const. omnem reip.* §. 1. 4. *ad anteceſſor.* In hoc inter ICtos, quorum scriptis Theodosius iunior vim iuris scripti attribuerat, Papiniano non solum primus locus datus, sed et id concessum est, vt paribus ICtorum suffragiis, ea pars vinceret, cui suffragaretur Papinianus. *l. vn. C. Th. de respons. prud.* et ibi Iac. Gothofredus.

§. CCCXXX.

Honores et scripta illius. Quamuis vero vir ingenii eminentissimi innumeris paene negotiis distringeretur, quippe sub Marco imp. aduocatus fisci, Spartian. *Caracall. cap.* 8. sub Seuero libellorum magister, *l.* 12. *D. de distract. pign.* ac paullo post praefectus praetorio, Xiphilin. *Lib.* LXXVI. *pag.* 865. et Caracallae ac Getae, fratrum, totiusque imperii tutor : Zosim. *Histor. Lib.* I. *cap.* 9. non tamen impediri se passus est, quo minus libros praestantissimos scriberet, veluti *libros* XXXVII. QVAESTIONVM, *libros* XVIIII. RESPONSORVM, *libros* II. DEFINITIONVM, porro DE ADVLTERIIS tum *libros* II. in quibus singula legis Iuliae capita ordine exposuit, tum alium *singularem*, de exercitione huius publici iudicii. *l.* 11. *D. ad leg. Iul. de adult.* Eu. Otto *in Papinian. cap.* 12. §. 4. *pag.* 388. *sequ. edit. nou.* denique *librum* ΑΣΤΥΝΟΜΙΚΩΝ, quo Aedilium municipalium officia Graece explicauit. *l. vn. D. de via publ.* Otto *Papin. cap.* 4. §. 3. Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 8. §. 6. *n.* 2. *

* Papinianum in libris suis aliquando variasse, eiusque variationis vestigia passim in *Pandectis* exstare, ostendunt Iac. Cuiac. *Obs. Lib. II. cap.* 37. Merill. *Obs. Lib. I. cap.* 9. Idem Cuiac. *Obs. Lib. XII. cap.* 10. notat, Papinianum

Source : BIU Cujas

num, Scaeuolae praeceptoris exemplo, saepe repetere in libris RESPONSORVM, quae iam in libris QVAESTIONVM scripserit. Sed non sane nouum est, in vno libro auctorem adcuratius exsequi illa, quae strictius in alio exposuerat.

§. CCCXXXI.

Mors Papiniani.

Sed tantum sidus exstinxit Antonini Caracallae furor, qui quum Papiniani virtutem ferre non posset, ipse flagitiis omnibus contaminatus, eum non modo dignitate mouit, simul ac peruenit ad imperium, Xiphilin. *Lib.* LXXVII. *pr.* sed et paullo post, parricidium, in Geta admissum, defendere recusantem, vna cum filio, quaestorio viro, nefarie interemit: quamvis ea de re non parum discrepent veterum historicorum sententiae. Saltim Papinianum tum non triginta sex, sed septuaginta aut plures annos natum fuisse, ostendit Otto *in Papinian. cap.* 16. §. 9. *

* Ex quo patet, quam absonum sit, quod Gruter. *Inscript. pag.* 348. *num.* 8. exhibet Papiniani monimentum:

AEMILIO. PAVLLO. PAPINIANO.
PRAEF. PRAET. IVR. CONS.
QVI. VIX. ANN. XXXVI. M. IIII. D. X.
HOSTILIVS. PAPINIANVS.
EVGENIA. GRACILIS.
IVRBATO. ORDINE. IN SENIO.
HEV. PARENT. INFELICISS.
FILIO. OPTIMO. P. M.
FECERVNT.

Sed impostura haec aeque manifesta est, ac illud, quod vrnae argenteae inscriptum est, elogium apud Boldon. *in Diss. praelim. Epigr. fol.* 2. illi Gruteriano simillimum, nisi quod in hoc EVGENIA GRACILII VXOR vocatur. Sed caussam iam perorarunt M. Aurel. Galuan. *de vsufr. cap.* 13. *n.* 11. Reines. *praef. Inscr. pag.* 5. et Otto *in Papin. cap.* 16. §. 10. *pag.* 651. *seqq.*

§. CCCXXXII.

Tertullianus.

Progredimur ad TERTVLLIANVM, de quo praecipue quaeritur, sitne idem cum Q. SEPTIMIO FLORENTE TERTVLLIANO, qui inter Latinos ecclesiae patres primum locum tenet? Nam et hunc Eusebius *Hist. eccl. Lib.* II. *cap.* 2. τὸν Ρωμαίων νόμων ἀκριβωκότα ἄνδρα, *virum ius Romanum adcurate doctum* adpellat, et ipsa patris istius opera magnam vbique iuris peritiam produnt. Hinc eumdem esse ICtum nostrum et Tertullianum patrem, adfirmant Ant. Augustin. de *nom. propr. Pand. pag.* 139. Cuiac. *Obseru. Lib.* VII. *cap.* 2. Radulph. Forner. *Rer. quotid. Lib.* VI. *cap.* 5. Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib.* II. *cap.* 9. Sed si nihil aliud huic sententiae opponi posset: ipsum dicendi genus, a tumore patris ecclesiastici diuersissimum, satis euinceret, diuersos hos

Source : BIU Cujas

fuisse Tertullianos, quamuis et iuris prudentiae laude, et ipsa aetate suppares *. Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 12.

* Fatetur id et Guil. Caue *Antiqu. patr. Tom. I. pag.* 396. Sed subleſtum eſt, quo vtitur argumentum, a diuerſitate nominum deſumtum. ICtum enim noſtrum TERTYLLIANVM, patrem eccleſiaſticum TERTVLLIANVM dictum eſſe, ait: quaſi non eadem eſſent haec nomina, nec ſexcenta exſtarent exempla permutationis litterarum. Sane quum Graeci dixerint *Sylla* pro *Sulla*, *Tyllius* pro *Tullius*, Latini *Suria* pro *Syria*: quidni et eodem iure ſcripſerint *Tertyllianus* et *Tertullianus*? Immo et pater eccleſiae Τερτυλλιανὸς vocatur ab Euſebio *Hiſt. eccl. Lib. II. cap.* 2.

§. CCCXXXIII.

Eius aetas et ſcripta.

Vterque tamen, vt dixi, eodem tempore floruit. Vlpiano certe noſter anterior eſt, quippe a quo citatur *l.* 30. §. 6. *D. de adqu. vel amitt. poſſeſſ.* poſterior vero SC. Tertulliano, quod ſub Hadriano factum eſſe diximus, ceu colligi poteſt ex *l.* 2. §. 44. *D. ad SC. Tertull.* Scripſit *libros VIII.* QVAESTIONVM, et DE PECVLIO CASTRENSI *librum ſingularem*, ex quo tria fragmenta ſuperſunt in *Pandectis*, *l.* 23. *D. de teſt. mil. l.* 33. *D. eod. et l.* 44. *D. de caſtr. pecul.*

§. CCCXXXIIII.

Claudius Tryphoninus et Arrius Menander.

Minus celebres ſunt CLAVDIVS TRYPHONINVS, Papiniani aequalis, quocum et cum MESSIO, neſcio quo, in Seueri et Antonini conſilio fuit *, *l.* 50. *D. de iur. fiſc.* et praeter NOTAS AD SCAEVOLAM, ab Ant. Dadino Alteſerra illuſtratas, *Toloſ.* 1679. *libros* non XXVI, vti putat Grot. *in Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 9. ſed XXI. tantum, DISPVTATIONVM ſcripſit: nec non ARRIVS MENANDER, Antonino Caracallae a conſiliis, et hinc a tutela excuſatus, *l.* 11. §. 2. *D. de minor.* quem libros IIII. MILITARIVM, ſeu de RE MILITARI reliquiſſe nouimus.

* Eſt haec obſeruatio Cuiacii *Obſ. Lib. VII. cap.* 2. eaque firmatur ex *l.* 78. §. 4. *fin. D. de iure dot.* vbi ipſe Tryphoninus ſe *in auditorio* aliquid *dixiſſe* refert, procul dubio in auditorio Papiniani, quod toties in iure celebratur. *l.* 40. *D. de reb. cred. l.* 97. *D. de adquir. vel omitt. hered.* Praeterea ad Claudium Tryphoninum anno erae Dionyſ. 213. reſcripſit Antoninus Caracalla *l.* 1. *C. de Iudaeis et caelic.* ex quo loco eum Syriae tum praeſidem fuiſſe colligit Guido Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap.* 79.

§. CCCXXXV.

Sex. Pedius Puteolanus.

Incertae aetatis ſunt SEX. PEDIVS, qui AD EDICTVM, tum PRAETORIVM, tum AEDILICIVM notaſſe, *librumque* DE STIPVLATIO-

Source : BIU Cujas

LATIONIBVS scripsisse videtur : *l.* 2. §. 6. *D. de bon. possess. l.* 6. *D. de reb. cred.* nec non PVTEOLANVS, auctor ADVERSARIORVM, *l.* 12. *D. de pact.* PACTVMEIVS CLEMENS, citatus a Pomponio *l.* 21. §. 1. *D. de statulib.* PAPIRIVS FRONTO, cuius RESPONSA laudat Callistratus, *l.* 4. *fin. D. ad leg. Rhod. de iact. l.* 220. §. 1. *D. de verb. signif.* FVRIVS ANTHIANVS, auctor *librorum V.* AD EDICTVM * : denique CLAVDIVS et Q. SATVRNINI, et RVTILIVS MAXIMVS, de quibus tantum non omnia incerta sunt. Pactumeius, Fronto, et alii.

* Hic FVRII ANTHIANI commentarius ne Triboniani quidem aetate integer videtur exstitisse. Ex solo enim *libro I.* fragmenta non nisi tria in *Pandecten* relata sunt. *l.* 62. *D. de pact. l.* 40. *D. de dolo mal. l.* 80. *D. de rei vind.* Praeterea auctorem habeo Laur. Theod. Gronouium *Emend. Pandect. cap.* 25. *pag.* 82. *edit. nou.* in Indice Florentino non, sicut in Taurelliana, legi μέρος ἰδίκῆς βιβλίω πέντε, sed μέρος ἰδίκῆς βιβλίων πέντε.

§. CCCXXXVI.

A Papiniani celebritate parum abfuit DOMITIVS VLPIANVS, Tyrius Syrophoenix *, *l.* 1. *pr. D. de cens.* qui Romae iam sub Seuero et Antonino inclarescere coepit, quo tempore inter Papiniani adsessores, scriniorumque magister, postea ab Elagabalo vel dignitatibus priuatus, vel in exsilium missus, Lamprid. *Elagab. cap.* 16. hinc inter Alexandri consiliarios et praefectus annonae fuit. Lamprid. *in Alex. cap.* 26. *l.* 4. *C. de contrah. stipulat.* Denique sub eodem principe ad summum praefecturae praetorianae fastigium adspirauit, ἐπιγνώμων καὶ ὥσπερ κοινωνὸς τῆς ἀρχῆς, *inspector et quasi particeps imperii*, vti vocatur a Zosimo *Histor. Lib. I. cap.* 11. Domitii Vlpiani natales et honores.

* Sunt, qui ideo Hebraismos quosdam in Vlpiani stilo deprehendere sibi videntur. Sed quamuis loquutiones quasdam sibi peculiares habuerit, ceu recte obseruauit Car. Andr. Dukerus *de Latinitat. vet. ICtor. pag.* 322. *et* 392. nihil tamen in eius *fragmentis* occurrere, quod Hebraismum redoleat, singulari programmate *de Hebraismis Vlpiani* ostendimus, *Francof.* 1730. Multo certius est, plurimos Hellenismos magnamque stribiliginem eius stilo inesse : quod non mirandum in homine semigraeco, et qui cadente iam Latinitate scripsit. Erudite de eius stilo differit Bynkershoek. *Obs. Lib. VIII. cap.* 15. vbi et *l.* 22. §. 7. 8. *D. solut. matr.* quam Cuiac. *ad l.* 1. *C. de dignit.* et Donellus *Comment. iur. ciu. Lib. VIII. tit.* 2. ob impurissimam Latinitatem non ab Vlpiani, sed Triboniani, manu esse existimant, adcuratius expendit.

§. CCCXXXVII.

Source : BIU Cujas

§. CCCXXXVII.

Eius mors.

Quamuis vero tanta cum prudentia ampliſſimis muneribus fungeretur, vt dicere non vereatur Lamprid. *in Alex. cap.* 51. *ideo Alexandrum ſummum imperatorem fuiſſe, quod Vlpiani potiſſimum conſiliis rexerit rem publicam*, ac proinde principi ſuo eſſet cariſſimus, a quo non modo vt amicus, ſed et parentis fere loco honorabatur: *l.* 4. *C. de contrab. ſtipul. et l.* 24. *C. locat. cond.* a militibus tamen praetorianis, eius ſeueritatem peroſis, in ipſo paene imperatoris gremio eſt interemtus *. Zoſim. *Hiſtor. Lib.* I. *cap.* 11. Xiphilin. *Lib. LXXX. pag.* 917.

* Auctor eſt Lamprid. *in Alex. cap.* 51. Alexandrum *Vlpianum pro tutore habuiſſe, primum repugnante matre, deinde gratias agente, eumque ſaepe a militum ira obiecto purpurae ſummae defendiſſe.* Purpura enim ſacroſancta habebatur et inuiolabilis. Et hinc patet, cur et poſtrema vice, quum vrgeretur a militibus, in palatium, et veluti in gremium principis, tamquam in portum confugerit. Ceterum cauſſa odii a Xiphilino memoratur reformatio morum, ſub Elagabalo corruptiſſimorum, quam Vlpianus vrgebat; occiſis ſimul Flauiano et Chreſto, et quidem ἵνα αὐτὸς διαδέξηται, *vt illis ſuccederet.* Male id habuit Epagathum, hominem libertinum, ſed potentem, qui non deſiit ſollicitare praetorianos ad ſeditionem, donec obtruncata magna ciuium parte, iniectoque vrbi igne, Vlpianum etiam occiderent. At non impune id facinus tulit Epagathus, primum in Aegyptum ſub honoris ſpecie miſſus, quia periculum erat, ne a praeſente ſumtum ſupplicium milites ad nouum tumultum incitaret, inde vero mox in Cretam reuocatus, capitiſque ibi, prout meruerat, damnatus. Refert haec omnia auctor σύγχρονος, Dio, a Xiphilino excerptus *Lib. LXXX. pag.* 917. quum reliqui ſcriptores paene omnia confundant, immo quidam ſub Elagabalo obtruncatum eſſe Vlpianum perperam ſcribant.

§. CCCXXXVIII.

Eiuſdem iuris prudentia.

In iuris prudentia id, quod ſummum eſt, erat adſequutus, νομοθέτης ἄριστος, καὶ τὸ παρὸν εὖ διαθῆναι καὶ τὸ μέλλον εὐτόχως συνιδεῖν δύνασθαι, *iuris conſultus praeſtantiſſimus, qui et res praeſentes recte diſponere, et futura callide proſpicere poterat.* Zoſim. *Hiſtor. Lib.* I. *cap.* 11. Nulli ſectae mancipatus, modo Sabino et Caſſio, modo Labeoni et reliquis Proculeianis ſuffragatur, ideoque erciſcundis accenſendus, ex ſententia Maſcouii *de ſectis Sabin. et Procul. cap.* 8. §. 7. *n.* 2. quamuis eum paullo addictiorem Proculo fuiſſe exiſtimet Eu. Otto *in Papinian. cap.* 13. §. 9. *pag.* 469. *edit. nou.* qui et §. 7. *pag.* 456. *ſeqq.* obſeruaſſe ſibi viſus eſt, eum ſaepe perſtringere Papinianum, etiam vbi id minime mereatur, et §. 8. eumdem argutari aliquando *, et cauillis vti, thermis Neronianis frigi-

Source : BIU Cujas

frigidioribus. Id quod tamen me nondum fateor deprehendisse.

* Eumdem Vlpianum verborum novatorem esse, obseruat Iac. Gothofredus *Animadu. cap.* 8. Sed fallitur vir doctus, dum sequutus Cuiacium *Obseru. Lib. XXIIII. cap.* 39 ICtum nostrum confundit cum Vlpiano, sophista, quem κειτὲκελον vel κειτωπὲκελον ob familiarem illi interrogationem: πῦ κέλαι, *vbi hoc habetur?* dictum, et ob κινοφωνίαν saepe irrisum esse, refert Athenaeus *Deipnosoph. III.* 18. Diversus vero hic non minus est a nostro, quam Vlpianus, Demosthenis scholiastes, quamuis et ipse Tyrius Syrophoenix fuerit. Vid. Io. Alb. Fabric. *Biblioth. Graec. IIII.* 20. *6. pag.* 632.

§. CCCXXXVIIII.

Fragmenta ex scriptis Vlpiani plura, quam ex vllius veteris ICti, in *Pandectis* supersunt. Scripsit enim plurima, partim maiora opera, partim mole exigua. In illorum numero sunt DIGESTORVM *libri* saltim *XXXX.* AD EDICTVM *libri LXXXIII.* AD LEGES IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM *libri XX.* AD SABINVM *libri LI.* AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIIS *libri V.* DE APPELLATIONIBVS *libri IIII.* DE CENSIBVS *libri VI.* DISPVTATIONVM *libri X.* FIDEICOMMISSORVM *libri VI.* OPINIONVM *libri VI.* INSTITVTIONVM *libri II.* AD LEGEM AELIAM SENTIAM *libri saltim IIII.* PANDECTARVM *libri X.* REGVLARVM *libri VII.* RESPONSORVM *libri* II. PROTRIBVNALIVM *libri X.* quorum de argumento videndus Cuiac. *Obs. lib.* VII. *cap.* 23. DE OFFICIO COS. *libri* III. DE OFFICIO PROCOS. *libri X.* denique AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM *libri* II. * Opera Vlpiani maiora.

* Hos libros saepenumero in *Glossis* Philoxeni, non adscripto Vlpiani nomine, citari, obseruat Cuiac. *Obs. Lib. X. cap.* 34. Quumque Lactant. *Inst. diu. Lib. V. cap.* 11. §. 19. referat, *Domitium libro VII. de officio procos.* (ita enim legendum est, non *libris VII.* Cuiac. *Obs. Lib. X. cap.* 34. Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 12.) multa principum rescripta contra Christianos collegisse: quaerunt eruditi, an de Vlpiano nostro loquatur Lactantius? Negant id mihi, et nuper ex instituto Petrus de Toullieu: sed sine idoneo argumento. Christianis nostrum parum aequum fuisse, et aliunde patet. *l.* 1. §. 3. *D. de extraord. cognit.* Et scripsit Vlpianus hos libros sub Antonino Caracalla, ceu patet ex *l.* 4. *pr. l.* 6. §. 3. *D. de offic. procos. l.* 6. *D. de legation.* aliisque quamplurimis: sub quo principe durius actum esse cum Christianis, nemo ignorat. Et quis, quaeso, in pagano odium aduersus Christianos susceptum miretur? Conf. Bynkershoek. *Obs. Lib. V. cap.* 23. *de relig. peregr. Diss. I. pag.* 241.

Source : BIU Cujas

§. CCCXXXX.

Et minora. Inter minora Vlpiani opuscula sunt DE OFFICIO QVAESTORIS *libri siue* II. *siue vnus.* Merill. *Obseru. Lib.* II. *cap.* 30. nec non libri singulares DE OFFICIO CONSVLARIVM, CVRATORIS REIP. PRAEFECTI VIGILVM, PRAEFECTI VRBI, PRAETORIS TVTELARIS, itemque DE EXCVSATIONIBVS, et DE SPONSALIBVS. Accedunt NOTAE, quibus varia veterum ICtorum, veluti ARISTONIS, PAPINIANI et MARCELLI opera vel illustrauit, vel reprehendit *.

* Notas Vlpiani ad Papinianum saepe fuisse κατασκευαστικὰς, obseruat Eu. Otto *in Papinian. cap.* 13. §. 6. *sequ.* Idem de Notis in Marcellum statuit Merill. *Obseru. Lib.* I. *cap.* 28. Quum enim Marcellus notas scripsisset ad Iulianum, in quibus eius sententias quacumque ratione cauillauerat ac reprehenderat, Merillius credit, Vlpianum, Marcello indignatum, par pari retulisse. Sed coniectura haec est, quam in *l.* 14. *D. de reb. cred.* quam Merillius ad partes vocat, parum praesidii reperire facile vnusquisque animadvertet.

§. CCCXXXXI.

Iulii Paulli patria et honores. Suppar aetate eiusdemque vir dignitatis fuit IVLIVS PAVLLVS, quem Bartachinus et alii Patauinum, Io. Bertrandus Tyrium, Hotomanus et Marcilius Graeculum, Laur. Pignorius *opusculo singulari* et *Epist. symbolic. Lib. I. cap.* 41. Romanum fuisse contendunt, argumentis parum idoneis subnixi. Eosdem fere, ac Vlpianus, honores gessit, quippe Seueri consiliarius, *l. vlt. D. de iur. fisc. l.* 97. *D. de adquir. hered.* nec non Antonini Caracallae, *l.* 38. *D. de minor.* ab Elagabalo in exsilium actus *, patriaeque redditus ab Alexandro imp. Aurel. Victor. *cap.* 24. Fuit etiam inter Papiniani adsessores, *l.* 40. *D. de reb. cred.* demum sub Alexandro praefectus praetorio. Lamprid. *Alex. cap.* 26.

* Eius rei non meminit Lamprid. *in Elagabal. cap.* 16. sed Vlpianum tantum ab imperatore, vt virum bonum, remotum esse, refert. Hinc vereor, ne hic duos ICtos, confuderit Aurelius Victor. Sane Elagabalum imp. generum habuisse videtur Paullus nosster, data ei in matrimonium parum auspicatum filia, IVLIA CORNELIA PAVLLA, quam γυναῖκα εὐγενεστάτην, *illustrissimam feminam* vocat Herodian. *Histor. Lib. V. cap.* 6. cuiusque nummos exhibet Vaillant. *Numism. imp. pag.* 137. *et* 263.

§. CCCXXXXII.

Eius iuris prudentia. Hic quoque *iuris peritissimus* a Lampridio *in Alex. cap.* 68. et cum Scaeuola et Vlpiano *legum peritorum coryphaeus* a Modestino *l.* 13. §. 2. *D. de excusat.* adpellatur. Sabinianum eum fuisse,

Source : BIU Cujas

fuisse, credit Eu. Otto *in Papinian. cap.* 13. §. 9. erciscundis accenset Mascou. *de sectis Sabin. et Procul. cap.* 8. §. 8. *n.* 2. Id vero omnes fere obseruant, eum carpendi studio maximorum virorum doctrinas non sine acerbitate perstringere, Balduin. *Iuris prud. Mucian. pag.* 562. *Tom. I. Iuris prud. Rom. et Attic.* Petr. Faber *ad l.* 145. *D. de reg. iur.* Eu. Otto *ibid. pag.* 466. *sequ.* Mascou. *ibid. pag.* 144. et ab Vlpiano in primis et Papiniano frequenter dissentire: Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 33. quamuis, quae de Vlpiani et Paulli aemulatione vulgo iactantur, non adeo certa videantur Bynkershoekio *ad l. lecta, cap.* 13. *pag.* 89. Denique subtilitatum studiosissimum, vt subinde σκοτεινὸν et obscurum eum vocat Duaren. *ad l.* 132. *D. de verb. sign.* suscipiente et hic eius patrocinium Bynkershoekio *ibid. pag.* 55.

§. CCCXXXXIII.

Indicem operum bene longum texit index Florentinus, quem hic exscribere taedet *. Fuit enim noster ICtorum πολυγραφώτατος. Eius operta. Obseruasse ergo hic tantum iuuabit, ne omnes quidem Paulli libros in indice isto reperiri, sed in eo desiderari *libros* II. AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM, *libros* saltim *quinque* EPITOMARVM, seu EPITOMATORVM ALFENI DIGESTORVM, DE IVRE FISCI tum *libros* II. tum *librum singularem*, DE CENSIBVS *libros* IIII. *libellos* item *singulares* DE LIBERALI CAVSSA, DE ARTICVLIS LIBERALIS CAVSSAE, nec non DE ASSIGNATIONE LIBERTORVM, DE COGNITIONIBVS, DE CONCEPTIONE FORMVLARVM, DE DOTIS REPETITIONE, DE FORMA TESTAMENTI, AD LEGEM FVSIAM CANINIAM, DE OFFICIO ADSESSORVM, DE OFFICIO COS. AD ORATIONEM D. ANTONINI ET COMMODI, AD SC. LIBONIANVM, et DE VARIIS LECTIONIBVS. Denique NOTAS ad IVLIANVM, SCAEVOLAM, et PAPINIANI tum *Quaestiones*, tum *Responsa*.

* Exstiterunt PAVLLI opera et opuscula vltra nonaginta, quorum tamen quaedam breuissima fuisse videntur. Habuit sane vir doctus *librum* PAVLLI *de gradibus*, quem non multo prolixiorem fuisse, quam *l.* 10. *D. de grad. et adfin.* testatur Cuiac. *Obs. Lib. VI. cap.* 40. Quales fuerint PAVLLI *libri Decretorum*, disquirunt Cuiac. *Obs. Lib. II. cap.* 26. et Merill. *Obs. Lib. II. cap.* 26. quales *libri ad Plautium et ad Labeonis libros πιθανῶν*, Bynkersh. *Obs. Lib. II. cap.* 18. *Lib. III. cap.* 6. *et* 12. qui alibi et *de libris Quaestionum* differit *ad l. lecta, cap.* 1. §. 3. Ad Paulli *libros Manualium* librum Differentiarum singularem edidit Em. Merillius *Paris.* 1638, 8. Denique Paullum non *de septemuiralibus*, sed *de centumuiralibus iudiciis* scripsisse, iam alii obseruarunt. Io. Frid. Gronou. *Obs. Lib. IIII. cap.* 2. Ita plura monere lice-

Source : BIU Cujas

liceret de PAVLLI libris, nisi admoneret promissae breuitatis fides, quando omnia transcursu dicenda sint.

§. CCCXXXIIII.

Callistratus. Iisdem temporibus et CALLISTRATVS floruit, quippe qui Severum et Antoninum Caracallam imperatores suos vocat, *l.* 2. *D. de iur. fisc. l.* 38. *D. de legib. l.* 3. §. *vlt. D. de offic. proc. Caes.* Plura de eo fere ignoramus. Nam locus Lampridii, in quo Papiniani discipulis et consiliariis Alexandri Seueri adnumeratur, tam corruptus est, vt ei fidem habere non liceat. Scripsit COGNITIONVM vel de COGNITIONIBVS *libros sex*, EDICTI MONITORII *libros totidem*, quos ego ad ordinem edicti perpetui compositos fuisse, obseruaui, INSTITVTIONVM *libros tres*, DE IVRIBVS FISCI ET POPVLI *libros quatuor*, denique *libros II.* QVAESTIONVM.

§. CCCXXXXV.

Aelius Marcianus. Sed et AELIVS MARCIANVS Alexandri Seueri tempora attigit *, Iac. Gothofr. *de cenotaph. pag.* 331. *Tom. III. Thesaur. iur. ciu.* quippe qui Antoninum Caracallam diuum vocat, *l.* 11. §. 3. 4. *D. de muner. et honor.* et ab Alexandro imp. rescripto videtur honoratus. *l.* 4. *C. ne de statu def.* Fuit et ipse adsessor, siue Papiniani, siue Vlpiani, *l.* 1. *fin. D. ne de statu def.* et quod ad iuris prudentiae studia attinet, inter ICtos erciscundos refertur ab Eu. Ottone *in Papinian. cap.* 13. §. 9. *pag.* 469.

* Diuersus itaque est ab eo *Aelio Marciano*, non *Aurelio*, vti est apud *Pariatorem legum Mosaic. et Rom. tit.* 3. §. 3. qui sub D. Pio Baeticae proconsul fuit, et ad quem huius principis rescriptum extat §. 2. *Inst. et l.* 2. *D. de his qui sunt sui vel al. iur.* Quum ergo et ICtus noster AELIVS vocetur §. 1. *Inst. de leg. Aquill.* probabile est, hunc illius filium fuisse. Ad eumdem ICtum nostrum pertinere videtur rescriptum Alexandri Seueri, *l.* 6. *C. de procurat.* immo et Gordiani fortassis, *l.* 4. *C. de fide instrum.*

§. CCCXXXXVI.

Eius scripta. Scripsit DE ADPELLATIONIBVS *libros II.* INSTITVTIONVM *libros XVI.* in quibus, obseruante Iac. Gothofredo *de Cenotaph. pag.* 330. *Tomo III. Thesaur. iur. ciu.* id potissimum, quod in ipsis obtinuit rerum argumentis, diligentius proposuit: REGVLARVM *libros V.* PVBLICORVM *libros II.* DIGESTORVM *libros VII.* porro *libros singulares* DE DELATORIBVS, AD HYPOTHECARIAM FORMVLAM, et ad SC. TVRPILLIANVM: denique NOTAS AD PAPINIANI *libros de adulteriis*, quas eum non interpretationis, sed

Source : BIU Cujas

ſed reprehenſionis cauſſa ſcripſiſſe, poſt Franc. Raguellum *ad l. 1. C. de vet. iur. enucl.* obſeruat Eu. Otto *in Papinian. cap. 13. §. 6. et 9. pag. 450. et 470. edit. nou.* *

§. CCCXXXXVII.

Florentinus, Venuleius Saturninus, et Licinius Rufinus.

Nullum quoque dubium eſt, quin eiuſdem aetatis fuerit FLORENTINVS, cuius exſtiterunt INSTITVTIONVM *libri* XII. ſtilo non vulgari ſcripti. Videtur hic idem eſſe Florentinus, cui reſcripſit Alexander imp. *l. 8. C. de inoffic. teſt.* Nec aliorum temporum fuit VENVLEIVS SATVRNINVS, cui reſcripſiſſe videmus et Caracallam, *l. 1. C. quib. non obiic. long. temp. praeſcript.* et Alexandrum *l. 1. C. de excuſat. veteran.* Reliquit is ACTIONVM *libros X.* DISPVTATIONVM *libros* VII. INTERDICTORVM *libros* VI. DE OFFICIO PROCOS. *libros* IIII. DE POENIS PAGANORVM *librum ſingularem*, PVBLICORVM *libros* II. et STIPVLATIONVM *libros* XVIIII. Σύγχρονον his fuiſſe LICINIVM RVFINVM, vel id argumento eſt, quod cum Paullo inſtituit litterarum commercium. *l. 4. D. quib. ad libert. proclam. non lic.* Scripſit REGVLARVM *libros ſaltim* XIII. ſi recte ſe habet inſcriptio *l. 34. D. de re iud.* De aliis eius operibus nihil compertum habemus *.

* Eidem Licinio Rufino vulgo tribuunt COLLATIONEM LEGVM MOSAICARVM ET ROMANARVM a Petro Pithoeo primum editam *anno* 1572. et poſtea ſaepius, et praecipue in Antonii Schultingii *Iuris prud. vet. anteiuſtin. pag. 727. ſeqq.* recuſam: ſed non alio argumento, quam quod Io. Tilius narrare ſolitus ſit Petro Pithoeo, habuiſſe ſe aliquando eius operis fragmenta paŭca, quae ipſe LICINIO RVFINO tribuerit. Quamuis vero ipſe Pithoeus neſcire ſe fateatur, cur ita ſenſerit Tilius: aliis tamen illa Tilii coniectura tam viſa eſt probabilis, vt ideo Licinium Chriſtianum fuiſſe cenſerent, non modo Io. Bertrandus, ſed et ipſe Cuiac. *Obſeru. Lib. VII. cap. 2.* Vid. Menag. *Amoen. iur. ciu. cap. 7.* Enimuero quum hic *Pariator legum Moſ. et Roman.* non modo ex *Codice Hermogeniano* et *Gregoriano*, verum etiam ex ipſo *Theodoſiano* conſtitutiones quaſdam deſcripſerit: *vid. tit. 5. §. 9.* oportuit illum ſaltim non ante Theodoſii iunioris tempora, et annum 435. quo *Codex Theodoſianus* prodiit, vixiſſe. Immo ſunt argumenta, quae auctorem illum ſaeculo demum ſexto animum ad ſcribendum adpuliſſe perſuadent. Vid. Iac. Gothofr. *proleg. Cod. Theod. cap. 3. Lib. II. cap. 2. §. 10. pag. 1262. edit. nou. et Manual. iur.* Manifeſtum itaque eſt, operis iſtius fragmenta Licinio Rufo, ſaeculi tertii ICto abſurdiſſime tribui.

§. CCCXXXXVIII.

Aemilius Macer.

Eamdem aetatem prodidit AEMILIVS MACER, dum non modo Vlpianum et Paullum ſaepius citat, *l. 68. D. ad leg. Falcid. l. 13. D. de re milit.* ſed et Alexandrum Seuerum ſuum imp. vocat.

Source : BIU Cujas

cat. *l.* 1. *D. si pendent. adpellat.* Accedit, quod ad eum rescripsisse videtur Alexander *l.* 3. *C. de calumn.* Guid. Pancirol. *Lect. var. Lib.* I. *cap.* 79. Reliquit *libros* II. MILITARIVM, totidemque PVBLICORVM *, *libros* item DE OFFICIO PRAESIDIS, EIKOΣTΩN seu DE VICESIMA HEREDITATIS et DE ADPELLATIONIBVS. Perperam ipsi tribuitur opus OPNIΘOΓONIAΣ, cuius Diomed. *Lib.* I. meminit. Illud enim alii Aemilio Macro, aeui Augustei poetae deberi, ostendit Broukhus. *ad Tibull. Lib.* II. *eleg.* 6.

* PVBLICORVM *libros* praeter Aemilium Macrum nostrum scripserunt Marcianus, Venuleius, et Volusius Maecianus. Ea vero inscriptio nihil aliud significat, quam illa PAVLLI *de publicis iudiciis*, ex quo libello decerptae sunt *l.* 6. *D. de praeuaricat. l.* 8. *D. de publ. iud. l.* 7. *D. ad leg. Corn. de sicar. l.* 9. *D. ad leg. Iul. peculat.* Sane, si inter se contendas omnia fragmenta, quae ex tot auctorum *libris publicorum* in *Pandectas* relata sunt, ne vnum quidem, quod non ad crimina publicaque iudicia pertineat, reperies.

§. CCCXXXXVIIII.

Herennius Modestinus.

HERENNIVM MODESTINVM ab Vlpiano esse eruditum, satis constat ex *l.* 52. §. 20. *D. de furt.* quamuis ex eo loco vix probetur, eum gente Dalmatam fuisse. Sub Alexandro imp. anno v. c. 936. cum Faltone Restitutiano controuersiam, decem et octo annos inter magistros fontium et fullones agitatam, decidit *. Fabrett. *Inscript. pag.* 278. Post Alexandri excessum Maximinum iuniorem in iuris prudentia instituit. Iul. Capitolin. *Maximin. iun. cap.* 1. Porro de iure eum respondisse comperio sub Gordiano, a quo *non contemnendae auctoritatis iuris consultus* vocatur. *l.* 5. *C. ad exhib.* Legalia se Graecorum voce enarrasse, ipse profitetur in *l.* 1. *D. de excus.* At in Latinis quoque eius operibus Graecismos passim reperit Merill. *Obs. Lib.* III. *cap.* 33. Aequitatem, modestiam, prudentiamque Modestini pro meritis laudat Brenkmannus *in Modestin. Heuremat. cap.* 1. §. 18.

* Prolixum est illud marmor, ad aggerem Seruii pone ecclesiam S. Antonii abbatis in Exquiliis repertum, ex quo patet, fullones, quum aquae vsum sine pensione exigerent, Aelium Florianum magistrum existimasse, debere fullones probare, *hoc ex sacra auctoritate descendere, vt pensiones non dependerentur.* Replicasse porro fullones, *se quibuscumque rationibus posse ostendere, hoc ex sacra auctoritate obseruari, et hodie; et ex eo tempore, ex quo Augustus rem publicam obtinere coeperit, vsque in hodiernum diem numquam haec loca pensiones pensitasse.* Demum sententia pro fullonibus lata, et pensiones exigi prohibitum est. ACTVM IIII IDVS MAR. ANN... VO. VICTORIAM PERCEPI-MVS.

Source : BIU Cujas

MVS. LITIGATVM EST EX ALEXANDRI AVG. II ET MARCELLI II COS. IN PEREGRINI ET AEMILIANI COS. DIES, id est, ab anno Christi 226. ad annum 244.

§. CCCL.

Eius scripta.

Scripsit Modestinus praeter HEVREMATICA, a Ioanne Schiltero et Henr. Brenkmanno illustrata, de quorum materia praeter laudatos scriptores Iac. Cuiac. *Obs. Lib.* XII. *cap.* 32. et Merill. *Obs. Lib.* VII. *cap.* 34. DIFFERENTIARVM *libros* VIIII. EXCVSATIONVM *libros* VI. Graece adornatos, quorum fragmenta erudite expoſuit Ant. Auguſtinus: porro REGVLARVM *libros* X. RESPONSORVM *libros* XVIIII. PANDECTARVM *libros* XII. quos definitiones tantum complexos eſſe putat Merill. *Obs. Lib.* VIII. *cap.* 32. DE POENIS *libros* IIII. AD Q. MVCIVM *libros ſaltim* XXXI. denique et *libros ſingulares* DE DOTIS DIFFERENTIA, DE CASIBVS ENVCLEATIS, quos de nouo enucleauit Io. Florens Riuinus, *Diſſ. edita Lipſ.* 1727. DE INOFFICIOSO TESTAMENTO, DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS, DE MANVMISSIONIBVS, DE PRAESCRIPTIONIBVS, DE RITV NVPTIARVM, et DE TESTAMENTIS *.

* Eidem Modeſtino periochas, Virgilii Maronis libris praemiſſas tribuunt Scip. Gentil. *Parerg. Lib. II. cap.* 31. ipſeque Io. Alb. Fabricius *Biblioth. Lat. Vol. I. cap.* 12. *pag.* 207. Sed eas grammatici cuiuſdam inferioris aeui eſſe, cum ipſae illae periochae produnt, tum praefatio, in qua ſe Naſonem vocat ille Modeſtinus. Vid. *Catalecta Virgil. pag.* 143. *edit. Scalig.*

§. CCCLI.

Ex eo obmutuerunt ICtorum oracula.

Ex eo tempore fere obmutuerunt ICtorum oracula, ceſſim et retro paullatim collabente iuris prudentia. Qui enim deinceps inclaruerunt, cuius modi haud pauci memorantur, nudam docendi profitendique prouinciam Beryti, Romae, ac Conſtantinopoli pro virili ornarunt, non acceſſione vlla locupletarunt iuris prudentiam. Iac. Gothofred. *Manual. iur. Lib. I. cap.* 7. *pag.* 1252. *edit. nou.* Illuxerunt quidem multo poſt HERMOGENIANI, AVRELII ARCADII CHARISII, et vti quibuſdam videtur, IVLII AQVILAE ingenia, quae et lucubrationibus ſuis ſibi famam peperunt: ſed vel ipſa operum fragmenta oſtendunt, eos viros doctos non adſpiraſſe ad veterum gloriam, nec cum his vlla ex parte eſſe comparandos.

§. CCCLII.

Status iuris Rom.

Sed et, qui Gordianum et Philippos ſequuti ſunt, imperatores vel breue habuerunt imperium, vel inter arma et perpetuas turbas

sub insequentibus imp.

turbas vix cogitare de legibus potuerunt. Exstant tamen constitutiones CN. MESSII TRAIANI DECII, C. VIBII TREBONIANI GALLI et C. VALENTIS HOSTILIANI VOLVSIANI, P. LICINII VALERIANI et P. LICINII GALLIENI, M. AVRELII CLAVDII, L. DOMITII AVRELIANI, M. AVRELII PROBI, M. AVRELII CARI, et M. AVRELII CARINI, qui ab anno erae Dionys. 249. ad annum 284. imperarunt *: sed earum pleriſque non tam noui quid constitui, quam iura constituta speciebus obuenientibus adplicari, animaduertimus.

* Has constitutiones ordine chronologico disposuit, et ad suos quamque annos et coss. retulit Petr. Reland. *in Past. consular. pag.* 210. *seqq.* Et DECII quidem constitutiones reperies *l.* 2. *C. de hered. act. l.* 2. *C. vbi causs. stat. l.* 3. *C. de adquir. vel amitt. poss. l.* 9. *C. de iur. dot. l.* 4. *C. de iure delib. l.* 3. *C. de legitim. her. l.* 3. *C. de donat.* Rescriptum GALLI et VOLVSIANI, *l.* 16. *C. de negot. gest.* VALERIANI et GALLIENI, *l.* 2. *C. de aduoc. fisc. l.* 6. *C. de restit. mil. l.* 3. *C. de testib. l.* 13. *C. de testam. mil. l.* 5. *C. de testam. l.* 14. *C. de fideicomm. l.* 11. *C. de transact. l.* 2. *C. de inoff. test. l.* 2. *C. quemadm. test. aperiantur. l.* 15. *C. de fideic. l.* 16. *C. ad leg. Iul. de adult.* et alias plurimas. CLAVDII, *l.* 6. *C. de seru. et aqu. l.* 2. *C. de diuers. rescript.* AVRELIANI, *l.* 1. *C. de his qui ven. aet. impetr.* PROBI, *l.* 2. *C. de reuoc. don. l.* 1. *C. vt nem. lic. sine iud. auct. sign. reb. l.* 4. *C. de donat.* CARI denique et CARINI, *l.* 9. *C. de rei vind. l.* 4. *C. de test. l.* 6. *l.* 7. *C. de praed. et al. reb. min. non al. l.* 16. *C. de fideic. l.* 4. *C. in quib. causs. pign. vel hypoth. tac. l.* 4. *C. de calumniat. l.* 2. *C. de recept. arb. l.* 6. *C. de sent. et interloquut. l.* 5. *C. quand. prou. non est necess.* CARINI et NVMERIANI, *l.* 19. *C. ex quib. causs. infam. irrog. l.* 17. *C. de inoff. test. l.* 2. *C. de diuid. tutel. l.* 5. *C. de donat. l.* 3. *C. de reuoc. donat. l.* 9. *C. ad leg. Corn. de fals.*

§. CCCLIII.

In primis sub Diocletiano, et collegis ac successoribus.

Soli ergo DIOCLETIANVS, MAXIMIANVS, et reliqui imperii consortes plures ediderunt constitutiones, quibus et emendarunt veterem iuris prudentiam, et noua non pauca sanxerunt. Quamvis enim vtriusque vita multis dicatur polluta flagitiis, neque illis parcant scriptores Christiani, quos detestanda illa laniena offenderant: fatendum tamen est, DIOCLETIANVM saltim, si ab illa truculentia aduersus Christianos discesseris, non male meritum esse de re publica, et multis eam institutis praeclaris ornasse. At eius vestigiis non institerunt GALERIVS, MAXIMIANVS, et reliqui collegae, quorum sub principatu *exstinctam esse eloquentiam, caussidicos sublatos, iuris consultos aut necatos, aut relegatos*, conqueritur Lactantius *de mort. persequut. cap.* 22.

CAPVT

CAPVT V.

DE STATV IVRIS ROM. A CONSTANT. M. AD IVSTINIANVM IMP.

§. CCCLIIII.

EX quo Christianae veritatis lumen in orbe Romano resplenduit, eoque colluſtratus CONSTANTINVS M. paganam ſuperſtitionem deſeruit, (quod initio ſaeculi quarti factum eſſe nouimus): hi dies aliam vitam, alios mores poſtulare viſi ſunt. Hinc permulta in iuris prudentia mutauit Conſtantinus M. * quae adcurate ac erudite expoſuit Franc. Balduinus *in Conſtantino M.* tum *Halae anno* 1727, 8. tum nuper *Tom. I. Iuris prud. Romanae et Atticae, pag. 569. ſeqq.* recuſo, quocum iungendus Iac. Gothofred. *in Commentar. ad Codic. Theodoſ.* in quo Conſtantini leges vtramque facere paginam nouimus. Conſtantinus M. plurima in iure innouauit.

* Iure ergo inter praecipuos legiſlatores locum ſibi vindicat CONSTANTINVS, quem ideo maxime laudat Nazarius *in Panegyr. cap. 38. quod nouas leges regendis moribus, et frangendis vitiis conſtituerit, veterum calumnioſas ambages reſciderit, haeque captandae ſimplicitatis laqueos perdiderint.* Similia obſeruant Euſeb. *in vit. Conſtant. M. Lib. II. cap. 30. et auctor incertus panegyrici, Conſtantino Aug. dicti, cap. 4.* Laurentius Patarolus *in Notis ad veterum auct. orat. panegyr. pag. 299.* huc refert elegantem Conſtantini nummum, in quo ſiſtitur ara, cui inſidet noctua, ex tranſuerſo haſtile quoddam, e cuius vna parte clypeus, ex altera caſſis propendet, cum lemmate: SAPIENTIA PRINCIPIS. Sunt enim haec ſymbola Mineruae, adeoque ſapientiae, in primis legislatoriae.

§. CCCLV.

Ad haec iura noua, Conſtantini M. edictis inuecta, merito retuleris, quod eccleſiis per vltimam voluntatem, quantumcumque cuique libuerit, relinqui permiſit: *l. 1. C. de ſacroſanct. eccl.* quod ludos gladiatorios ſuſtulit: *l. vn. C. de gladiat.* quod artium profeſſores immunitate donauit: *l. 6. C. de profeſſ. et medic.* quod diem ſolis rite, nec tamen tam ſuperſtitioſe celebrari voluit, vt agricolis non indulgerentur operae neceſſariae: *l. 3. C. de fer.* quod ſeruos boueſque aratores pignori capi; *l. 7. C. quae res pign. obl. poſſ.* concubinaſque plures vna haberi vetuit *: *l. vn.* Exempla nouorum iurium a Conſtantino M. repertorum.

Source : BIU Cujas

C. de concubin. denique quod liberos non nisi sanguinolentos ob famem distrahi passus est, *l.* 1. *C. de patr. qui lib. distrax.* quamvis et eam facultatem postea, constitutis e publico alimentis, parentibus ademerit. *l.* 1. *et l.* 2. *C. Th. de alim. quae. par ex publ. pet. deb.*

* Sunt, qui mirantur, concubinatum non plane sublatum esse a Constantino M. principe Christiano, et qui plures leges saluberrimas de re matrimoniali promulgarat. Sed impares adhuc fuisse leges communi huic vitio, et satis tamen multa sanxisse Constantinum, quibus concubinatus indirecte subrueretur, ostendimus in *Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 4.

§. CCCLVI.

Alia eius generis exempla.

Idem Constantinus bona liberorum materna ita esse in potestate patrum voluit, vt fruendi tantum haberent facultatem, dominio eorum ad liberos pertinente : *l.* 1. *C. de bon. matern.* quamvis ideo peculium aduentitium non inuexisse Constantinus, sed multo prius imperatores liberis tale ius concessisse videantur *. Sed et equis consuluit, cursui publico destinatis, quos fustibus contundi vetuit. *l.* 1. *C. de curs. publ.* Denique et tacitam hypothecam pupillis in bonis tutorum concessisse legitur. *l.* 20. *C. de administr. tut.*

* Est haec obseruatio ICti eximii, M. Aurel. Galuani, *de vsufr. cap.* 7. *p.* 57. Hic enim docet, primum ICtos introduxisse differentiam dotis profectitiae et aduentitiae. *l.* 5. *D. de iure dot.* Vlpian. *Fragm. tit.* 6. §. 3. Sic primum coepisse filiamfamilias aliquid proprium habere, nempe dotem aduentitiam. Deinde Hadrianum imp. filio concessisse facultatem statim repetendi a patre fideicommissum, quod ipse dissipare coepisset, *l.* 50. *D. ad SC. Trebellian.* quod denuo fuerit aduentitium, quia profectitium non videretur, quod a patre inuicto et coacto proueniret. *l.* 5. §. 9. *D. de iure dot.* Mox ICtos, argumento huius constitutionis induxisse, vt si pater institutus, et rogatus filio restituere nolit, filius possit per magistratum cogere patrem, ad aditionem et restitutionem. *l.* 16. §. 11. *D. ad SC. Trebellian.* Sed et Antoninum Pium rescripsisse, vt filius furiosi delatam sibi successionem haberet, non obstante patria potestate. *l.* 52. *D. de adqu. vel omitt. hered.* Denique Constantinum M. hoc ius filii ad bona materna; *l.* 1. *C. de bon. mat.* Theodosium et Valentinianum ad lucra nuptialia; *l.* 1. *C. de bon. quae lib.* Leonem et Anthenium ad lucra sponsalitia; *l.* 5. *C. eod.* denique Iustinianum ad omnia aduentitia porrexisse. *l.* 6. *C. eod.*

§. CCCLVII.

Source : BIU Cujas

§. CCCLVII.

Praeterea Constantinus M. SC. de rebus minorum sine decreto non alienandis ad vrbana etiam praedia produxit *: *l.* 22. *C. de adm. tut.* et nouas edidit constitutiones de actione ex donatione danda, *l.* 25. *C. de donat.* de diuisione paterna a liberis seruanda, *l. vlt. C. famil. erciſc.* de querela inofficiosi testamenti fratribus et sororibus germanis, et consanguineis non concedenda, nisi instituta turpi persona, *l.* 27. *C. de inoffic. test.* de testibus iure iurando obstringendis, nec fide aliter iis habenda, *l.* 9. *C. de testib.* de carcere in poenam non habendo, *l.* 1. *C. de custod. reor.* plures-que eiusdem generis alias. Iterum alia.

* Quin singularem eam ob rem constituisse videtur PRAETOREM, qui ideo CONSTANTINIANVS vocatur in *l. vlt. C. de praed. et al. reb. min.* cuiusque in eo constitit officium, vt in distractione rerum minorum decretum caussa cognita interponeret. Immo tunc quoque partes suas interponere hunc praetorem iussit, si propter debita fiscalia pupillorum vel minorum res immobiles distrahendae sint, quamvis necessaria esset haec distractio. Vid. Balduin. *in Constant. M. pag.* 642. *Tom. I. Iuris prud. Rom. et Attic.*

§. CCCLVIII.

Reuixit ergo quodammodo sub Constantino M. Romana iuris prudentia: et hinc post tantum temporis interuallum ICti quidam tunc doctrinae laude florere coeperuut, quorum veluti coryphaeus fuit HERMOGENIANVS. Celeberrima iis temporibus fuit Hermogenianorum familia potentissimae Aniciorum genti arcto cognationis vinculo coniuncta, de qua docte differit Reines. *ad Inscript. pag.* 70. ICtum nostrum et post Constantinum, et sub eius liberis floruisse, ex eo intelligimus, quod *l.* 17. *D. de min.* meminit praefectorum praetorio, a quibus adpellari non possit: quod priuilegium de non adpellando praefectis anno demum Christi 331. datum est. *l.* 16. *C. Th. de adpellat.* Itaque non mirandum, eum non semel nouis ac parum Latinis vocabulis vsum esse. Iac. Gothofred. *Prolegom. Cod. Theodos. cap.* 1. Bynkershoek. *Obs. Lib. VI. cap.* 21. Eumdem adhuc immersum fuisse paganis superstitionibus, nos ex ea ipsa *l.* 60. *D. de donat. int. vir. et vxor.* ex qua eum Christianum fuisse, probare voluit Bertrandus, probamus. Scripsit EPITOMATORVM IVRIS *libros VI.* * quorum ordinem ipse indicat *l.* 2. *D. de statu hom.* Sub eo floruit Hermogenianus ICtus.

* Alii eidem HERMOGENIANO tribuunt *libros* FIDEICOMMISSORVM, ob inscriptionem *l.* 14. *D. ad SC. Trebell.* Sed mendosam esse illam inscriptionem,

Source : BIU Cujas

et prima tantum legis verba ex Hermogeniani *Epitomatis iuris*, reliqua ex Vlpiani *libris fideicommissorum* esse desumta, ostendit Cuiac. *Obseru. Lib. II. cap.* 27. vbi etiam docet, Hermogeniani *libros Epitomatorum iuris* non fuisse IVLIANI *Digestorum* epitomen, sed institutiones vel compendium iuris.

§. CCCLVIIII.

Et Aurelius Arcadius Charisius.

Eiusdem aetatis fuisse AVRELIVM ARCADIVM CHARISIVM, ex *l. vn. §. 1. D. de offic. praef. praet.* colligimus, vbi itidem praefectorum praetorio, a quibus prouocare non liceat, meminit: quod ius sub Constantino demum inductum esse, paullo ante monuimus. Vnde perperam Guido Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap.* 79. eum sub Caro, Carino, et Numeriano, nec non sub Diocletiano floruisse, contendit *. Christianum illum fuisse, censet Cuiac. *Obs. Lib. VII. cap.* 2. sed non reddita vlla, qua in hanc opinionem adductus sit, ratione. Sex sane fragmenta, quae in *Pandectis* ex eius libris supersunt, nihil omnino, quod Christianismum redoleat, continent. Ceterum ex eorum inscriptionibus discimus, eum magistri libellorum officio esse functum, et reliquisse *libros singulares* DE TESTIBVS, *l.* 1. *l.* 21. *l.* 25. *D. de test. l.* 10. *D. de quaest.* DE OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO, *l. vn. D. de offic. praef. praet.* et denique DE MVNERIBVS CIVILIBVS, *l.* 18. *D. de muner. et honor.*

* Ad Charisium enim nostrum Pancirolus directas esse putat constitutiones Cari, Carini, et Numeriani, *l.* 4. *C. de calumniat.* nec non binas Diocletiani et Maximiani, augustorum, *l.* 1. *C. ne rustic. ad vll. obs.* et *l.* 27. *C. de pact.* Sed Carus et Carinus in *d. l.* 4. *C. de calumn.* ad ARCADIVM quemdam rescribunt, quo nomine iis temporibus plures vsos esse, constat. Is vero, ad quem *l.* 27. *C. de pact.* missa est, ARCADIVS non CHARISIVS, sed CHRESIMVS adpellatur, nec facile quis audiuerit Pancirolum, *de clar. leg. interpr. Lib. I. cap.* 2. *pag.* 12. pro *Chresimo*, nullo addicente codice MSC. rescribentem *Charisio*. In *l.* 1. *C. ne rustic. ad vll. obs.* ne *Arcadii* quidem vllius fit mentio.

§. CCCLX.

An et Iulius Aquila?

Quod ad IVLIVM AQVILAM ICtum attinet, eius familiam Elagabali temporibus floruisse, arbitror, siquidem hic imp. in matrimonio habuit IVLIAM AQVILIAM SEVERAM, antea virginem Vestalem, cuius nummi exstant apud Patinum *Numism. imp. pag.* 270. De ICti nostri aetate multa disputant eruditi, quae veluti in nucleo exhibet Eu. Otto *in Praefat. Thesaur. iur. ciu. Tom. I. pag.* 17. Id vnum certum est, eum reliquisse *librum* RESPONSORVM, ex quo bina supersunt fragmenta, *l.* 34. *D. de administr. et peric. tut.* et *l.* 12. *D. de suspect. tutor. et curator.*

§. CCCLXI.

Source : BIU Cujas

§. CCCLXI.

Schola iuridica Berytensis.

Lacertos tum mouere coepisse Romanam iuris prudentiam, argumento est SCHOLA IVRIDICA, quae tum non quidem instituti primum, sed inclarescere in orbe Romano coepit, puta BERYTENSIS. Ea et insequentibus saeculis adeo in deliciis fuit imperatoribus, vt aliis locis, quam Beryti, Romae, et Constantinopoli ius publice docere prohiberent, et quum Alexandriae * et Caesareae nonnulli scholas iuridicas aperirent, eas claudi iuberet Iustinianus imp. *Const. omnem reip.* §. 7. *ad Anteces.*

* At tanto plus celebritatis consequuta est schola Alexandrinorum medica, adeo vt olim ad commendationem artis sufficere videretur, si quis se Alexandriae vixisse diceret. Ammian. Marcell. *Lib. XXII. cap. 16. Medicinae autem, cuius in hac vita nostra nec parca, nec sobria, desiderantur adminicula crebra, ita studia augentur in dies, vt, licet opus ipsum redoleat, pro omni tamen experimento sufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, si Alexandriae se dixerit eruditum.* Alexandrini autem medici quanto in pretio fuerint, indicat etiam Galenus *libro de Anatomia*, et Iulianus Aug. *Epist. 46.* Hinc Fulgentius Planciades *Lib. I. Mythol.* Alexandriae in cunctis fere angiportis fuisse medicorum domicilia, scribit. Alios porro medicos, qui ad perfectam artis suae scientiam adspirarint, relictis patriis scholis Alexandriam nauigasse, vt a professore aliquo magno medicinam discerent, patet ex Liban. *Lib. IIII. epist. 95.* et Theodorit. *Epist.* 224. Zach. Mitylen. *pag.* 179. Vid. Vales. *ad Ammian. Marcell. pag. 267.* Noluit ergo Iustinianus Alexandrinos et scholam iuridicam habere, qui iam ex medica multum celebritatis fuerint consequuti. Neque tamen Alexandrini statim paruisse videntur illi Iustiniani edicto. Quum enim Constitutio illa prodierit anno Christi 533. quindecim annis post, anno 548. de se scribit Agathias *Lib. II. pag.* 48. ἐτύγχανον γὰρ ἀνῦθ' διατρίβων παιδείας ἕνεκα τῶν πατρίων νόμων: *commorabar enim ibi*, (Alexandriae) *tum temporis legalium studiorum caussa.*

§. CCCLXII.

Eius laudes et fata saeculis tertio et quarto.

Scholam istam iam saeculo tertio coepisse, supra monuimus. Vt vero paullo adcuratius inquiramus in eius origines, hic obseruasse iuuabit, non sub Diocletiano demum (vti Strauchius *de Beryto*, *cap.* 4. §. 15. censuit), sed haud paullo prius, illam iuris Romani studiis floruisse. Nam Gregorius Thaumaturgus, iam anno 248. ad episcopatum Neocaesarienſem euectus, in *Orat. panegyr. pag.* 186. *sequ.* Berytum vocat πολίν Ρωμαϊκωτέραν πῶς, καὶ τῶν νόμων τούτων πιστευθεῖσαν παιδευτήριον, *vrbem plane Romanam, et legum Romanarum schola ornatam.* Nec minus, eodem saeculo, huius scholae cum laude meminerunt Diocletianus et Maximianus augusti, *l.* 1. *C. qui aet. vel profess. excus.* Saeculo insequente quarto tantus Berytum fiebat ingenuorum iuuenum concursus,

Source : BIU Cujas

vt Libanius *Orat. XXVI.* inuidiae percitus oestro adolescentes, abdicato eloquentiae studio Berytum, ad hauriendam iuris disciplinam contendere queratur. Enimuero hoc ipso saeculo IIII. triste huic scholae fatum incubuit, vrbe horribili terrae motu concussa, maximamque partem subuersa, anno erae Christianae 349. Cedren. *Annal. pag.* 246.

§. CCCLXIII.

Nec non saeculis quinto et sexto.

Sed mox tamen reuiruit schola celeberrima. Nam insequente saeculo Nonus *in Dionys. Lib. XXXXI. extr.* mirifice laudat legum studium, quod Beryti ferueat: et Zacharias Mitylen. *de opific. mundi pag.* 164. eamdem vrbem vocat μητέρα τῶν νόμων, *matrem legum*, quemadmodum saeculo sexto a Iustiniano *ciuitas legum veneranda et splendida metropolis*, nec non *legum nutrix* adpellatur. *Const. tanta. §. 9. de conf. Dig.* et *Const. omnem reip. §. 7. ad Anteces.* Auditorum magnificentiam laudant *Geographus a Iac. Gothofredo primum editus, pag.* 256. *edit. Gronou.* et Zachar. Mitylen. *ibid. pag.* 166. * Legum professores tempore Iustiniani ibi celebrabantur DOROTHEVS, ANATOLIVS, SALAMINIVS, et THEOPHILVS, quorum opera princeps in componendo Corpore iuris vsus est. Denique de petulantia studiosorum in nouitiis initiandis videnda *Constit. omnem reip. §. 9. ad Anteces.* et Straach. *de Beryto, cap. 5. §. 1. seq.*

* Quia hi scriptores non omnium in manibus sunt: gratiam nos inituros a studiosis, speramus, si loca eorum integra huc referamus. Et Noni quidem de Beryto haec verba sunt: *Lib. XXXXI. v.* 389. *sequ.*

Σκῆπτρον ὅλης Αὐγυστε ὅπη χθονὸς ἡνιοχήσεις
Ῥώμη μὲν ζαθέη δωρήσεται αὐσόνιος ζεύς,
Κοιρανίην, βηρὸς δὲ χαρίζεται ἠιθέα θεσμῶν.
Sceptrum totius Augustus quando terrae gubernabit,
Romae quidem diuinae dabit Ausonius Iupiter
Imperium: Beroae vero indulget fraena legum.

Geographus, a Gothofredo editus, *pag.* 256. *Tam Berytus ciuitas valde delicioſa, et auditoria legum habens, per quam omnia iudicia Romanorum. Inde enim viri docti in omnem orbem terrarum adſedent iudicibus, et ſcientes leges cuſtodiunt prouincias, quibus mittuntur legum ordinationes.* At prolixissimus est Zacharias, qui fingit, se hospitem in auditorium Berytense, quod ipse *pag.* 165. τὸ τέμενος τοῦ θεοῦ, *fanum Dei* adpellitat, inductum, qui, conspecta illa augusta basilica, exclamarit: *O peritiam artificis, mi anime! O praeclarum ſpectaculum! Quae forma! quam apta quamque elegans coagmentatio auguſtae Dei domus! vtque tanta magnitudo decem columnis ſuſtinetur! Vtque vna ex materia politae omnes! Vt eumdem inter ſe adſpectum formamque retinent! Candidae omnes et leues, candore et laeuitate valde admodum praenitent renidentque, figuram*

Source : BIU Cujas

ram eamdem et speciem ostendunt! At picturis lineas vt admiror! et varia, et periucunda spectacula! omnis generis picturae lumina, colorum gratiam, et venustatem, et insignem nitorem! Vbi Casp. Barth. *in Not. pag.* 250. *Videtur*, inquit, *templum intelligere, dicatum auditoriis legalibus, vbi scholae iuridicae, ex quibus auditoriis viros doctos in omnem terrarum orbem depromtos scribit Chorographus incertus:* παιδευτήριον τῶν νόμων *Gregorio Thaumaturgo.*

§. CCCLXIIII.

Interitus huius scholae miserabilis.

At vrbem florentem, et ad inuidiam vsque felicem, anno Iustiniani XX. terrae motus subruit, et magnam studiosorum multitudinem vna ruina inuoluit, vt praeter vrbis pauimenta nihil superesset. Et quamuis Antecessores superstites scholam Sidonem transferrent, et ciues interim nihil facerent reliqui, vt vrbem instaurarent: eam tamen e ruinis prodeuntem noua excepit calamitas, incendium maximum, quo vrbs antiquissima, Phoeniciae post Tyrum metropolis, et colonia iuris Italici splendidissima tota in cineres consedit. Quae fusius narrat Agathias *Hist. Iustin. Lib. II. pag.* 47. vbi vrbem illam vocat τὴν καλίστην, τὸ φοινίκων τέως ἐγκαλλώπισμα, *pulcherrimam, et totius Phoeniciae ocellum,* ᾗ τοῦτο πάτειον ἦν, ὥσπερ γέρας τι μέγιστον τὸ, νόμων αὐτῇ ἀνεῖται διδασκαλεία, *cui hoc patrium, et veluti maxima honoris praerogatiua fuerit, quod scholae iuridicae ei essent dicatae* *.

* Exstant in hanc Beryti ἄλωσιν elegantia Epigrammata Graeca in *Antholog. Lib. I. cap.* 68. *ep.* 19. quorum primum adscribere iuuabit:

Ἀὸ᾽ ἐγὼ ἀ τλάμων ἄπολις πόλις, ἄμμιγα νεκρῶις
Heu nimium infelix vrbs, non vrbs, lumine cassis
Fusa solo, en iaceo mixta cadaueribus.

Ἐνναίπαις κῆμαγ ἀ παναπόμπε πε.
Nec sat erat me Neptuni sensisse tridentem:

Ἠφαιστός μ᾽ ἐδάμασσε μετὰ κλόνον ἐννοσιγαίου.
Mulciberis cladem hanc addidit ira nouam.

Φεῦ, ἀπὸ τοσσαλίης κάλλεος εἰμὶ κόνις.
Haec, mihi quae pridem fuerat pulcherrima forma,
Eheu iam tenui puluere versa iacet.

Ἀλλ᾽ παρατρέχοντες ἐμὸν στοναχήσατε μοῖραν,
Vos, quibus hac iter est, nostrae miserescite sortis:

Σατήσατε Βηρυτῶ δάκρυα καὶ φθιμένα.
Beryto et lacrymas post sua fata date.

§. CCCLXV.

Constantinus quaedam et in re publica innouauit.

Sed vt ad Constantinum M. reuertamur, is non modo in iuris prudentia, vt supra diximus, plura innouauit, verum etiam in republica, toto orbe Romano nouo instituto in quatuor dioeceses vel praefecturas praetorianas descripto, Zosim. *Histor. Lib. II. cap.* 33. de quibus eruditissime post Auctorem *Notitiae imperii orien-*

Source : BIU Cujas

orientis et occidentis, a Guidone Pancirolo perpetuis commentariis illustratae, erudite egit Philippus Berier. *libris* Παθανῶν, in *Thesaur. iur. ciu. Tom.* IIII. *pag.* 789. *seqq.* recusis, *diatribe I.* Quin translata Constantinopolin sede imperii, et episcoporum Romanorum ambitioni viam, qua ad summum in ecclesia imperium sensim progrederentur, muniuit, et barbaris occasionem dedit, occidentem suis incursibus lacerandi, nouaque sibi imperia quaerendi in praestantissimis Romanorum prouinciis *. Zosim. *Histor. Lib.* II. *cap.* 34.

* Sunt tamen, quae pro excusando Constantino M. adierri possent. Semel enim electa Christiana religione, satis animaduertebat, se nusquam securius acturum, quam in ea imperii parte, quam plurimi incolerent Christiani. Quum ergo in maxima occidentis parte altissimas radices egisset pagana superstitio, et Romae plerique potentiores eam adhuc mordicus tenerent: quis vitio vertat Constantino, dum in oriente, quam in occidente, sedem imperii constituere maluit. Et quod commodius imperii domicilium eligere potuisset, quam Byzantium, speculam Europae, Asiae, et Africae tutissimam? Si consiliis non respondit euentus, id magis receptae iam imperii diuisioni, quam translationi sedis imperii, videtur tribuendum.

§. CCCLXVI.

Iudicium de Constantino M.

Est hoc fatum Constantini M. vt pleraque eius actiones perstringant Zosimus, Iulianus, ὁ παραβάτης, immo et recentiorum scriptorum Christianorum quam plurimi. Contra eum laudibus in caelum euehunt Eusebius *in Vita*, et scriptores Christiani eorum temporum alii. Sed quemadmodum adfectus migrare soleat in calamum, et paganos Constantino ob sacrorum suorum euersionem infensos; Christianos eumdem ob munificentiam et patrocinium sibi praestitum admiratos esse, verosimile est: ita ii demum Ioue aequo iudicare videntur de hoc principe, qui nec naeuos eius dissimulant, et iustum pretium statuunt eius virtutibus, meritisque in rem Christianam plane eximiis.

§. CCCLXVII.

Codices cur fieri tum coeperint?

ICti eorum temporum, quorum plerique deorum cultui adhuc dediti fuisse videntur, nihil magis in Constantino M. displicuit, quam quod iuris prudentiam, cui adsueti fuerant, innumeris quotidie constitutionibus emendaret, nouamque ei veluti faciem daret. Hinc metuentes constitutionum, quae ab Hadriani temporibus prodierant, ruinam: operam dederunt, vt illae colligerentur in certos CODICES, et sic earum memoria ad posteros conseruaretur. Iac. Gothofred. *Prolegom. Cod. Theodos. cap.* 1.

* Ita

Source : BIU Cujas

* Ita κατ' ἐξοχὴν vocabantur libri, in quibus constitutiones principum colligebantur, eosque quadratae formae fuisse, ostendit Schulting. *Iuris prud. vet. anteiustin. pag.* 377. Huius modi collectiones iam pridem plures exstabant, veluti IVLII PAVLLI *imperialium constitutionum libri sex*, *l.* 113. *D. de condit. et demonstr.* PAPIRII IVSTI *Constitutionum libri viginti*, ex quibus codices suos facile locupletare potuerunt GREGORIVS et HERMOGENIANVS, de quibus mox.

§. CCCLXVIII.

Codex Gregorianus qualis fuerit?

Prior tale opus confeciſſe videtur ſiue GREGORIVS, ſive GREGORIANVS *, neſcio quis, qui principum anteriorum ab Hadriano ad Conſtantinum M. reſcripta collegit, et ſub certos redegit titulos. Sane, quae ſuperſunt, fragmenta, licet pauciſſima, conſiſtunt in conſtitutionibus Antoninorum, Seueri et Caracallae, Alexandri, Gordiani, Philippi, Valeriani et Gallieni, Cari, Carini et Numeriani, denique Diocletiani et collegarum, vt male Cuiac. *princ. Paratitl. Cod.* exiſtimet, Gregorium vltra Valeriani et Gallieni tempora non proceſſiſſe.

* De auctore huius Codicis fere omnia incerta ſunt, adeo, vt dubium ſit, GREGORIVS, an GREGORIANVS fuerit adpellatus. Poſteriore enim ſub nomine citari videtur ab Auguſtino *ad Pallent. Lib. II. cap.* 8. et a *Pariat. legg. Moſ. et Rom. tit.* 1. §. 8. *ſeqq. tit.* 3. §. 4. *tit.* 6. §. 4. *tit.* 10. §. 8. *tit.* 15. §. 3. At quum tamen ubique ſubaudire liceat ſubſtantiuum *Codex*, et ſub Conſtantino M. quidam floruerit GREGORIVS, praefectus praetorio circa annum Chriſti 336. *l.* 3. *C. Th. de ann. et tribut. l.* 2. *C. Th. de contrah. emt. l.* 1. *C. Iuſtin. de natural. lib.* non poenitenda ſane eſt coniectura Iac. Gothofredi *Proleg. Cod. Theodoſ. cap.* 1. hunc ipſum Gregorium huius Codicis auctorem fuiſſe. Panciroli enim ſententia, qui Gregorium hunc ſub Valente et Gratiano imp. ſcripſiſſe cenſuit *de clar. leg. interpretib. Lib. I. cap.* 66. nullo idoneo fundamento nititur.

§. CCCLXVIIII.

Eius Codicis auctoritas et fragmenta.

Quamuis vero priuato GREGORII conſilio inſtituta primum fuerit haec collectio, magnam tamen et in foro eius fuiſſe auctoritatem, patet ex interpretamento *legi vnicae C. Th. de reſponſ. prud.* ſubiecto *, vbi interpres, ſiue is ANIANVS, ſiue alius ſit: *Gregorianum vero*, inquit, *et Hermogenianum ideo lex iſta praeteriit, quia ſuis auctoritatibus confirmantur ex lege priore ſub titulo de conſtitutionibus principum et edictis.* Reliquias huius Codicis, quas Aniano debemus, poſt Sichardum et Cuiacium nobis exhibuit Ant. Schulting. in *Iuriſprudent. vet. anteiuſt. pag.* 682. *ſeqq.*

* Nec minus idem probari poteſt ex *Conſt. ſumma reip. §. 3. de Iuſt. Cod. confirm.* vbi imperator: *vt ſciant omnes, tam litigatores, quam diſertiſſimi aduo-*

Source : BIU Cujas

aduocati, nullatenus eis licere de cetero constitutiones ex veteribus TRIBVS CODICIBVS, *quorum iam mentio facta est, vel ex iis, quae Nouellae constitutiones ad praesens tempus vocabantur,* (sunt hae Nouellae Codici Theodosiano a Iac. Gothofredo subiectae,) *in cognitialibus recitare certaminibus, sed solum eidem nostro Codici insertis constitutionibus necesse est vti, falsi crimini subdendis his, qui contra hoc facere ausi fuerint.* Quid vero attinebat vsum et horum Codicum in foro sub poena falsi inhibere, si numquam auctoritatem in foro habuissent?

§. CCCLXX.

Codicis Hermogeniani auctor.

Gregoriano Codice non multo posterior fuisse videtur HERMOGENIANVS, Reinesius *ad Inscript. pag.* 70. qui notissimo Lampridii loco deceptus, HERMOGENIANVM ICtum inter Alexandri Seueri consiliarios fuisse existimabat, non poterat sane, quin hunc Codicem scriptum esse, negaret: ac proinde illum tribuere malebat Q. CLODIO HERMOGENIANO OLYBRIO, praefecto vrbi anno Christi 365. vel eius certe patri, vel patruo. At, quum HERMOGENIANI, ICti, aetatem in Constantini M. tempora omnino incidere, iam supra (§. 358.) ostenderimus: nihil sane impedit, quo minus eum huius Codicis auctorem esse potuisse statuamus cum Ant. Augustino et Iac. Gothofredo *.

* Dicimus, illum auctorem esse potuisse, fuisse, pro certo non adfirmamus. Floruerunt enim per ea tempora plures Hermogenes et Hermogeniani: quorum posteri sunt *Hermogenes Ponticus*, praef. praet. orient. anno 358. defunctus. Ammiam. Marcell. *Lib. XVIIII. cap.* 12. et *Lib. XXI. cap.* 7. *Q. Clodius Hermogenianus Olybrius*, praef. praet. et vrb. anno 365. cos. anno 379. *l.* 2. *C. de haeret. l.* 1. *C. de spect. et sumt. l.* 4. *C. quemadm. test. aper.* Grut. *Inscript. pag.* 353. *num.* 2. Reines. *Inscript. Class. XX. num.* 371. *Anicius Hermogenianus Olybrius*, cos. anno 395. l. 24. *et* 25. *C. de nauicul. l.* 41. *C. de transact.* Gruter. *Inscript. pag.* 352. *num.* 5. 6. *pag.* 353. *num.* 1. *pag.* 450. *num.* 2. *et* 3. *Clodius Hermog. Caesarius*, cos. anno 397. et praef. praet. *l.* 2. *C. de alluu. C. Clodius Hermog. Olybrius*, Grut. *Inscript. p.* 392. *nu.* 5. consularis Tusciae et Valeriae. *l.* 72. *C. Th. de decur.* Horum, eorumque maiorum quum nullus fere sit, qui talem codicem facere non potuerit: quam difficile hic sit diuinare, et quam paene ἐκ τῶν ἀδυνάτων, verum Codicis huius auctorem eruere, nemo non intelligit.

§. CCCLXXI.

An tres eius editiones?

Tres eius codicis editiones ab ipso auctore factas esse, vulgo colligunt ex verbis Sedulii, presbyteri, *in praefat. oper. paschalis.* Is enim excusaturus, quod post editos libros V. Carminis paschalis, eorum textum metricum in prosam transferre non dubitarit: *cognoscant*, inquit, *Hermogenianum, doctissimum iuris latorem*,

Source : BIU Cujas

torem, tres editiones sui operis confeciſſe. Sed locus hic non minus de HERMOGENIANI *Epitomatis iuris*, quam de Codice Hermogeniano poteſt intelligi. Nec ratio reddi poſſe videtur, cur plures Codicis ſui editiones conficere voluerit Hermogenianus, niſi forte eum poſtea aliquas conſtitutiones, quae antea eius diligentiam fugerint, reliquis addidiſſe, dicamus.

§. CCCLXXII.

Ceterum maxima diligentia hic auctor, quiſquis ſit, colle giſſe videtur conſtitutiones Diocletiani et collegarum eius, adeoque ſpicilegium inſtituiſſe poſt Gregorii meſſem. Fragmenta ſane, quae ſuperſunt, Diocletiani et collegarum nomina praeferunt *, quamuis quaedam horum conſtitutiones iam fuerint in Codice Gregoriano, ſed paullulum diuerſae. Huius quoque codicis reliquias nouiſſime debemus Ant. Schultingio, qui eas cum doctiſſimis adnotatiunculis ſuis edidit *in Iuriſprudent. vet. anteiuſtin. pag.* 709. *ſeqq.* Aliam tamen conſtitutionem, quae in his fragmentis non habetur, ſeruarunt Graeci iuris interpretes, de qua Cuiacius *Obſ. Lib. XII. cap.* 35. Eius materia et fragmenta.

* Tres tantum primae conſtitutiones nomen AVRELII aug. praeferunt. Iam plures, tum tyranni, tum legitimi principes ante et poſt Diocletianum *Aurelii* dicti, veluti M. AVRELIVS VICTORINVS et L. AVRELIVS VICTORINVS, M. AVRELIVS MARIVS, M. AVRELIVS CLAVDIVS, M. AVRELIVS QVINCTILLVS, M. AVRELIVS TACITVS, M. AVRELIVS PROBVS, M. AVRELIVS CARVS, M. AVRELIVS CARINVS, M. AVRELIVS NVMERIANVS: ſed laudatiſſimus Schultingius oſtendit, has quoque conſtitutiones eſſe Diocletiani et Maximiani, auguſtorum, quod ambo apud Gruter. *Inſcript. pag.* 259. et alibi paſſim, vocentur AVRELII.

§. CCCLXXIII.

Sub Conſtantini liberis, immo et poſt illos ad THEODOSIVM iuniorem, eadem per omnia, quae ſub Conſtantino M. fuit, iuris prudentiae facies. Nam et ſequentes imperatores Chriſtiani id fere agebant conſtitutionibus ſuis, vt ius Romanum non modo ad maiorem ſimplicitatem, ſed et, quod Euſebius *Vit. Conſtantin. Lib. IIII. cap.* 26. de Conſtantino M. praedicat, ἐπὶ τὸ ὁσιώτερον, *ad maiorem ſanctitatem* traducerent. Sic exempli gratia Conſtantinus iunior iuris formulas, aucupatione ſyllabarum inſidiantes eunctorum actibus radicitus amputauit: *l.* 1. *C. de form. et impetr. act. ſubl.* idemque cum fratribus permulta ſanxit, ad euertendas paganorum ſuperſtitiones, coërcendos Iudaeos, et prouehendam religionem Chriſtianam comparata *. Status iuris ſub Conſtantini M. liberis.

 * Tales

* Tales sunt sanctiones Constantii, Iudaeis alioquin parum aequi, ne Iudaei mulieres e gynaeceo principis in turpitudinis suae consortium ducerent: *l. 6. C. Th. de Iud.* vt ex Christiano Iudaei effecti bona fisco vindicarentur: *l. 7. C. Th. eod.* Iudaeus ne Christianum haberet mancipium: *l. 2. C. Th. l. 1. C. Iust. ne Christ. mancip.* Sozom. *Hist. eccles. Lib. III. cap. 16.* Constantis porro et Constantii constitutiones, vt cessaret superstitio, templa occluderentur, et sacrificiorum aboleretur insania, *l. 2. et 4. 5. 6. C. Th. de pagan.* templis tamen extra moenia parceretur, *l. 3. C. Th. eod.* vt episcopi, clerici, eorumque mancipia ab extraordinariis collationibus, metatis, et lustrali collatione immunes essent. *l. 8. C. Th. l. 1. C. Iustin. de episc. l. 9. l. 10. l. 11. 14. 15. sequ. C. Th. eod.* vt a foro saeculari sint exemti. *l. 12. C. Th. de episc.*

§. CCCLXXIIII.

Sub Iuliano imp.

Qui viuo Constantio imperium extorsit, IVLIANVS, ad pristinam superstitionem relapsus, non pauca in Christianorum odium constituit. Nam et templa deorum aperuit, et profanos ritus vbique instauravit: Ammian. Marcell. *Lib. XXII. cap. 7.* Christianis quoque honorum aditum intercluſit, Sozom. *Hist. eccles. Lib. V. cap. 15.* Greg. Nazianz. *Orat. I.* et eosdem bonis artibus erudiri vetuit, Socrat. *Hist. eccles. Lib. III. cap. 16.* quod ipsi Ammiano Marcellino *Lib. XXV. cap. 15.* inclemens visum. Cetera princeps grauis et eruditus, permulta praeclare constituit, (Petr. Cunaei *praefat. ad Iuliani Caesares*,) vt pleraſque eius constitutiones in codicem suum recipere non dubitarit Theodosius Iunior *.

* Aliquando tamen merito desideres compilatorum iudicium, qui plures Iuliani leges, Christianorum principum constitutionibus contrarias, immo et manifesto impias, in codicem illum receperunt. Iac. Gothofr. *Prolegom. Cod. Theodos. cap. 2. pag.* 188. Et sane quis in Codice, fori Christiani vsibus destinato, ferat, *l. 4. et l. 5. C. Th. de sepulcr. viol.* quae omnem paene veterum superstitionem de religione deorum manium, reliquiis non contrectandis, aggeribus consecratis, de funeribus oculos hominum infaustis adspectibus incestantibus, vt ad deos et templa venire puri nequeant, complectuntur? Sed qui religioni sibi non duxerunt, Constantini M. et Valentiniani constitutiones de licito haruspicinae vsu illi iuris corpori inserere: *l. 1. C. Th. de pagan. l. 2. l. 3. l. 9. C. Th. de malef. et mathem.* quid eos prohibuisset, Iuliani sanctiones eiusdem furfuris in opus suum referre?

§. CCCLXXV.

Miſera iuris prudentiae conditio.

Ceterum quam misera sub hoc principe fuerit iuris prudentiae conditio, vel inde colligere licet, quod nullus plane ICtus alicuius nominis illud tempus illustrauit, abhorrentibus fere ingenuis ab illo legum studio, et illud libertinis et infimae plebi relinquentibus. Saltim de anterioribus proxime temporibus Cl. Mamer-

Source : BIU Cujas

Mamertin. *Panegyr. XI. cap.* 20. *iuris*, inquit, *ciuilis scientia, quae Manlios, Scaeuolas, Seruios in ampliſſimum gradum dignitatis euexerat*, LIBERTORVM *artificium dicebatur.* Nec probabile eſt, intra paucos annos, quibus rerum potitus eſt Iulianus, ita refloruiſſe iuris prudentiam, vt aliter ſeſe res habere coeperit.

§. CCCLXXVI.

Cito tranſiit haec nubecula, quod praedixerat Athanaſius apud Socrat. *Hiſt. eccleſ. Lib. III. cap.* 14. ac proinde Conſtantini M. veſtigiis poſtea ſtrenue inſtiterunt IOVIANVS, VALENTINIANVS, VALENS, GRATIANVS, et THEODOSIVS M. quorum plurimae exſtant conſtitutiones, ad eumdem finem comparatae, quem Conſtantino M. ob oculos fuiſſe, paullo ante obſeruauimus. Singularis fuit VALENTIS ferocia, τὸν τῶν πραγμάτων ὄγκον ἐ φέρουσαν, *rerum molem non ſuſtinentis*, vti de eo iudicat Zoſimus *Hiſtor. Lib. IIII. cap.* 4. qui, vt Arianis conſuleret, libertatem omnibus dedit, ſuum in colenda religione iudicium ſequi *: quod edictum ſingulari *oratione de religionibus*, quae Latine tantum exſtat, collaudauit Themiſtius, *pag.* 155. *Oper. edit. Harduini.* THEODOSIVS M. quantum dederit operae, vt omnes antiqui iuris ambages, ſi quae ſupereſſent, tolleret, boniſque legibus armaret rem publicam, patet ex Socrate *Hiſt. eccl. Lib. V. cap.* 18. ipſaeque eius conſtitutiones, quas ſe ſingulari commentario illuſtraturum promiſerat FRANC. BALDVINVS, ſatis euincunt.

Status iuris ſub Iuliani ſucceſſoribus ad Theodoſium M.

* Neque enim, quod conſcientiae libertati faueret, huius modi propoſuerat edictum, ſed vt Ariani ſui tanto ſecurius in orbe Romano agerent. Vnde ipſe poſtea Valens grauis fuit catholicis. Io. Antiochen. *in Excerpt. Peireſc. pag.* 847. Ὁ δὲ Οὐάλης τὴν Ἀρείου δόξης μεταποιούμενος μίγιστον ἐλύμηνε κακὸν τὴν Χριστιανῶν διαγωγὴν, ὡς πολλοὺς μὲν ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀναιρεῖσθαι, πολλοὺς δὲ καὶ ἐξορίαις ὑποβάλλεσθαι, καὶ ἄνδρας δὲ τοὺς κατὰ τὴν ἔρημον ἐμφωλεύοντας τὴν ἰδίαν στυγνὸν ἀπολαύειν βίον: *ſed Valens, Ariana infectus labe, grauiſſimam in Chriſtianos perſequutionem excitauit, adeo, vt multi iudicum ſententia damnati interirent, multi in exſilium truderentur: nec pauci ex iis, qui in eremo abditi erant, e caſis ſuis pellerentur.* Res ad ſaeuiorem ſpectabat lanienam, niſi Chriſtianorum patrocinium ſuſcepiſſet paganus ille Themiſtius. Socrat. *Hiſt. eccl. Lib. IIII. cap.* 3. Sozomen. *Hiſt. eccl. Lib. VI. cap.* 36. Orationem tamen, quam tunc habuit Themiſtius, intercidiſſe, aduerſus Antonium Pagi oſtendit Fabric. *Biblioth. Graec. V*, 18. *Tom. VIII. pag.* 10. Similes Valentiniani conſtitutiones de libertate conſcientiae exſtant *l.* 2. *l.* 3. *l.* 9. *C. Th. de malef. et mathem.*

Source : BIU Cujas

§. CCCLXXVII.

Iuris prudentiae moles et misera facies.

Interim nimia illa imperatorum diligentia factum est, vt in immensam paene molem excresceret iuris prudentia. Nam praeter tot ICtorum opera, quorum haud exigua erat in foro auctoritas, quorumque duo paene millia sua adhuc aetate exstitisse, testatur Iustinianus, *l.* 2. §. 1. *C. de vet. iure enucl.* tam immensa erat constitutionum veterum nouarumque silua, vt Eunapius *in vita Aedesii*, *pag.* 72. ius ciuile ἄχθος καμήλων πολλῶν, *multorum camelorum onus* vocaret, et nullum paene erectius ingenium isti se labyrintho committere auderet. *

* Egregiis veterum testimoniis hoc probauit Iac. Gothofred. *Prolegom. Cod. Theodos. cap.* 1. *pag.* 185. Mamertini querelam, quae ad tempora Iuliani et anteriora pertinet, iam supra (§. 375.) audiuimus. Sub finem saeculi quarti, Asterius, episc. Amasen. *Homil. VII.* apud Phot. *Biblioth. cod.* 271. meminit serui Scythae, a ciue Antiocheno emti, qui ius professus sit, (ἀνὴρ νόμων ἄφθη διδάσκαλος) quem se ipsum ius docentem audiuisse, profitetur. At nemo eorum temporum iuris peritos, illorumque ignorantiam, fastum, et caninum optimos quosque adlatrandi studium elegantius descripsit Ammiano Marcellino *Lib. XXX. cap.* 4. qui locus prolixior est, quam vt hic locum inueniat.

§. CCCLXXVIII.

Theodosii II. et Valentiniani Constitutio de responsis prudentum.

Remedium huic malo reperisse sibi videbantur THEODOSIVS iunior et VALENTINIANVS, edita anno 426. constitutione, qua Papiniani, Paulli, Caii, Vlpiani ac Modestini opera, quaeque hi quinque viri ex aliorum veterum ICtorum libris in suos transtulissent, exceptis Vlpiani et Paulli notis ad Papinianum, nec non secundo loco Scaeuolae Sabini, Iuliani et Marcelli scripta, si prius ad fidem antiquorum codicum fuerint recognita, sola in foro citari permiserant, ita vt plurium sententiae vincerent pauciorum, et si par sit ita sentientium numerus, eorum praeferretur sententia, cui adstipuletur Papinianus, *l. vn. C. Th. de respons. prud.* Sed quum parum prudentiae legislatoriae prae se ferat haec sanctio *: eam ex codice suo merito exsulare iussit Iustinianus.

* At ita non iusti ac aequi habebatur ratio, sed auctoritatis, et plurium dissentientium non ponderabantur, sed numerabantur sententiae. Quum ergo prudenter obseruauerit Ammian. Marcellin. *Lib. XXX. cap.* 4. *iuris scientiam repugnantium sibi legum aboleuisse dissidia*: actum procul dubio fuit de iuris prudentia publicata hac constitutione. Et hinc ad pristinam perfectionem neminem eorum temporum peruenisse animaduertimus, quamuis in constituendis iuris peritis, qui ius ciuile enarrarent, nihil reliqui faceret Theodosius ille iunior. *l. vlt. C. Th. de stud. liber. vrb. Rom. et Constantinop.*

Source : BIU Cujas

nop. l. vn. C. Th. de profeſſor. qui in vrb. Conſtantinop. docentes ex lege meruer. comitiu.

§. CCCLXXVIIII.

Idem THEODOSIVS iunior anno 438. conſtitutiones principum ad certum modum redigere ſtuduit: & hinc, quotquot a Conſtantino M. ad id vſque tempus prodierant, ſanctiones * per octo viros, quorum ANTIOCHVS, eunuchus, expraefectus et conſul, demum inter presbyteros relatus, de quo *l. 6. C. Th. de collation. donatar. l. 5. C. Th. de his, qui ad eccleſ. confug.* Marcellin. *Com. in Chron. ad ann.* 448. *pag.* 41. *edit. Scalig.* Suid. *Tom. I. pag.* 227. *pag.* 899. *Tom. II. pag.* 175. *Tom. III. pag.* 135. *edit. Kuſter.* familiam duxit, digeſſit in codicem, qui ab ipſo THEODOSIANVS adpellatur, Iſidor. Hiſpal. *Orig. Lib. V. cap.* 1. eumque poſtea ſingulari nouella Conſtitutione, quae inter Theodoſianas prima eſt, confirmauit. Iac. Gothofr. *Proleg. Cod. Theodoſ. cap. 3. pag.* 189. Hunc Codicem luculentis Iac. Gothofredi commentariis illuſtratum poſt eximii huius ICti obitum edidit Ant. Marvillius *Lugd.* 1668. *fol. Tomis VI.* quae editio Lipſiae nuper repetita, collata Wurzburgenſi codice antiquiſſimo, emendatior prodire coepit. Codex Theodoſianus.

* Proſper Aquitanic. *in Chronico Part. I.* hunc Codicem vocat *leges legitimorum principum*: quod Iac. Gothofredus *Prolegom. cap.* 1. *pag.* 184. interpretatur de principibus Chriſtianis, quia ipſa Chriſtiana religio illis temporibus lex catholica, *l.* 1. *C. Th. de haeret.* lex Chriſtiana, *l.* 16. *C. Th. de epiſc.* lex ſanctiſſima, *l.* 5. *C. Th. eod.* lex ſuperna, *l.* 49. *fin. C. Th. de decurion.* lex venerabilis vel veneranda, *l.* 7. *l.* 13. *C. Th. de Iudaeis*, vocata ſit. Sed quis hoc ſenſu *legitimum principem* vocet Iulianum, cuius tamen conſtitutiones vtramque in hoc Codice paginam faciunt? Potius ergo *principes legitimi* opponuntur tyrannis, quorum tum plurimi imperium per bina ſaecula adfectarunt, veluti ſub Conſtantino M. *Maxentius, Licinius, Valens, Martinianus, Calocaerus*: ſub eius filiis *Magnentius* Francus, *Vetranio, Decentius, Nepotianus, Siluanus*: ſub Valentiniano et Valente *Procopius, Marcellus* Protector, *Valentinianus, Firmus* Maurus: ſub Theodoſio M. *Theodorus, Maximus, Victor, Eugenius*: ſub eius filiis *Stilicho, Eucherius, Marcus, Gratianus, Conſtantinus et Conſtans, Gerontius, Maximus, Iouinus, Sebaſtianus, Sarus, Fl. Priſcus Attalus, Heraclianus, Sabinus, Gildo, Plinto, Iouinianus* et *Salluſtius*; de quibus ceteris ſcriptoribus adcuratius egit Chriſt. Ad. Rupert. *Obſeru. in Synopſ. Beſoldi cap.* 15. *pag.* 388. 390. *ſequ. pag.* 403. *ſequ. pag.* 410. *ſequ. pag.* 415. *ſequ.* Quum ergo conſtitutionum ab his nominibus editarum in hoc codice non habeatur ratio: ille leges *legitimorum* dumtaxat *principum* ſinu ſuo complecti dicebatur.

§. CCCLXXX.

Source : BIU Cujas

§. CCCLXXX.

Nouellae Theodosii II. et successorum.

Quum vero perfecto hoc codice subinde nouellae prodirent constitutiones non modo ipsius THEODOSII II. sed et VALENTINIANI III., MARTIANI, MAIORIANI, SEVERI, LEONIS, et ANTHEMII. Eas Nouellas primum edidit Petr. Pithoeus *Paris.* 1571. vnde in eius opera *anno* 1609. edita migrarunt, sub titulo: *Nouellae constitutiones imperatorum Iustiniano anteriorum, nunc primum in vnum corpus collectae, et iunctim editae*, cum notulis marginalibus publici iuris fecit Conr. Rittershusius IC. Altorphinus, *Francof.* 1615. 8. postea easdem Codici suo Theodosiano, veluti mantissam, subiecit Iac. Gothofredus *.

* Promiserat Leonardus Adami, Volsinensis, auctor, scripta *Historia Arcadica*, seu Academiae Arcadum, cuius ipse socius erat, famam consequutus, se has Nouellas nec non Papiani *Responsa* multo auctiora atque emendatiora ex vetustissimo codice MSC. Ottoboniano editurum, simulque in lucem protracturum quinque nouellas adhuc ineditas. Sed mors, quae virum doctissimum anno 1719. die VIIII. Ianuarii rei publicae litterariae eripuit, omnia eius consilia, in primis, quae de edendo Libanio et Iornande ceperat, turbauit.

§. CCCLXXXI.

Scholae iuridicae Romana et Constantinopolitana.

Maximi porro iure meritoque faciendum et THEODOSII II. studium, quo bonas litteras, et in his iuris prudentiam quoque, prouehere conabatur. Huic enim praecipue originem ac natales debent SCHOLAE *Romana* et *Constantinopolitana*, in quibus praeter tres oratores, decem grammaticos, quinque sophistas, et vnum philosophum duo constituti fuerant professores, *qui iuris et legum voluntatem panderent*, *l. vn. C. de stud. lib. Romae et Const.* quosque post viginti annorum stipendia comitiua primi ordinis ornatos voluit, initio facto a LEONTIO iuris perito *. *l. vn. C. Th. de profess. qui in vrb. Constantinop. docent. ex leg. mer. comit.* Add. Herm. Conringii singularem, qui *l. vn. C. de stud. liberal.* illustrauit, commentarium. Ceterum quantus ex eo tempore concursus cupidae legum iuuentutis factus sit Romam, quam Sidonius Apollin. *Lib. I. epist. 6. legum domicilium* vocat, insequente exemplo pluribus exemplis docebimus. Vid. Sauaro *ad Sidon. ibid.* Franc. Iuret. *ad Simmach. Lib. VIII. epist.* 83. Alteserr. *Rer. Aquitann. Lib. III. cap.* 5.

* Mentionem haec lex facit quorumdam eius temporis professorum, qui ob merita viginti annorum stipendia codicillis primi ordinis comitiuae ornantur, veluti *Helladii*, grammatici, de quo Suid. *in* Ἑλλάδιος Socrates

Source : BIU Cujas

tes *Hist. eccles. Lib. V. cap. 16. Syriani*, grammatici Latini, *Theophili*, sophistae, *Martini* et *Maximi*, praecipue iuris periti LEONTII, cuius alibi nusquam, quod sciamus, fit mentio, nisi quod ex *l. 3. C. Th. de frum. vrb. Constant. l. 8. C. Th. de princ. agent.* et *l. vlt. C. Th. de haeret.* constet, decennio post editam *l. vn. C. Th. de profess. qui in vrb. Constantinop. docent Leontium* quemdam praefectum vrbi Constantinopoli fuisse. Potest hic sane noster, quia *Themistium*, sophistam, et alios artium professores, ad hanc dignitatem adspirasse, nouimus. Gothofr. *Comment. ad Cod. Theod. Tom. II. pag. 114.*

§. CCCLXXXII.

Et talis quidem fuit iuris prudentiae facies sub imperatoribus Christianis etiam insequentibus usque ad magnum illum iuris Romani restitutorem, IVSTINIANVM. Quae enim in *Codice* nostro exstant, constitutiones MARTIANI, LEONIS, ZENONIS, Isaurici, ANASTASII, et IVSTINI, Thracis, ita sunt comparatae, vt multa a maioribus constituta iis aboleantur. Nam et tutelam mulierum perpetuam iisdem fere cessasse temporibus, nouimus. Vid. Eu. Otton. *Dissert. de perp. mul. tut.* Attamen et quaedam prudenter immutata esse, fatendum est, veluti dum *ab Anastasio* emancipationis veteris necessitas sublata, et a Leone vetus rigor aduersus plus iusto petentes mitigatus est. *§. 33. Inst. de act.* Status iuris Rom. sub Theodosii II. successoribus ad Iustinianum.

CAPUT VI.

DE COMPOSITIONE IVRIS IVSTINIANEI, EIVSQVE IN ORIENTE ET OCCIDENTE VSV ET FATIS AD NOSTRA TEMPORA.

§. CCCLXXXIII.


PRogredimur ad postremam iuris prudentiae Romanae periodum, quam a IVSTINIANI imperatoris temporibus inchoamus. Hic princeps, humili genere ortus, Sabbatii, Taurisini, et Biglenizae filius *, antea *Vprauda* dictus, per Iustinum avunculum peruenit ad imperium, iam misere a barbaris laceratum. Et tamen iste, vt vere ac iure gloriatur, *princ. prooem. Instit.* et armis condecorauit, et legibus armauit rem publicam. Iustiniani imp. res praeclare gestae.

Source : BIU Cujas

Nam et Persas compescuit, et, victis Vandalis, Africam iterum fecit prouinciam, et Gothorum in Italia et Sicilia regnum destruxit, tantasque res gessit, quantas vix imperator ab Augusto alius. Procop. *de bell. Pers. de bell. Vandal. de bell. Goth.* Theophan. *in vita Iustin.* et Io. Petr. a Ludwig. *in Iustiniano*, *cap.* 8.

* Quum lecturis IVSTINIANI historiam, non possint non omnia quodam modo obscura esse, nisi perspectam habeant vniuersam imperatoris familiam: licebit eius agnatos, cognatos, adfines, vna tabula comprehendere, ne operam supra tot ICtis nauatam tanto imperatori denegare velle videamur:

Acacius



Source : BIU Cujas

Talis fuit IVSTINIANI familia, barbara et modica origine, sed per integrum fere saeculum magno hominum illustrium prouentu insignis. Stemmata iam exhibuerunt Alemann. *ad Procop. pag. 67.* Car. du Fresne *in Byzantin. pag. 97. 98. 99.* Io. Petr. a Ludewig *in Iustiniano, cap. VIII. pag.* 131. Sed spero, nostrum paullo plenius visum iri. Ne tamen dissimulem, vnde profecerim, fateor me hic potissimum sequutum esse Christ. Adam. Rupertum, de vniuersa Iustiniani familia praeclare meritum in *Obseru. in synops. Besoldi min. cap. 15. pag. 467. sequ.*

§. CCCLXXXIIII.

Anceps eius fama ob libros Procopii.

Et tamen iunctis veluti phalangibus impetum in principem, tot rebus gestis clarum, faciunt permulti, eiusque vitia et naevos cum cura colligunt, nihilque faciunt libentius, quam vt et ipsum, et Theodoram vxorem, et Tribonianum, administrum, et totam eius aulam turpiter traducant. Quin vel solo hoc nomine iis mirifice placent PROCOPII ἀνέκδοτα, primum a Nic. Alemanno *Lugd.* 1623. *edita*, quod ex hac pharetra depromere possint tela, quibus IVSTINIANVM confodiant. Sed quam multum scriptor iste odio tum aduersus Iustinianum *, tum aduersus ipsam religionem Christianam suscepto indulgeat, iam ostenderunt cum GABR. TRIVORIVS in *Obseruatione apologetica*, et Io. CHIFLETIVS *in Dissertatione apologetica de iuris vtriusque architectis*, quos libellos *Tomo I. Thesauri iuris ciuilis* insertos animaduertimus, tum THOM. RIVIVS in *Defensione Iustiniani*, edita *Francof.* 1628. 8. Io. EICHELIVS in *Animaduersionibus ad Procopium*, *Helmst.* 1654. 4. CHRISTOPH. AD. RVPERTVS *in Obseru. ad Besoldum*, *pag.* 465. *seqq.* et nouissime Io. Petr. a Ludewig in *Iustiniano*, reconditae doctrinae opere, et suum apud posteros quoque pretium habituro, excuso *Halae* 1731. 4.

* Quid tuto credas homini, in reliquis libris Iustinianum laudibus velut in caelum euehenti, in *Anecdotis* vero eumdem traducenti tamquam hominem fatuum, et omnibus flagitiis coopertum, ac proinde aut insigni adulatori, si priora falsa sunt, aut, si posteriora, calumniatori turpissimo? Quid tuto credas homini, qui eas saepe criminationes profert, quas ipse procul dubio falsissimas esse non ignorauit? Tales sane sunt fabulae, quas de artibus Theodorae daemoniacis, et *pag.* 57. de Iustiniano ex incubo daemone concepto narrat. Et tamen non haec tantum facile credunt viri docti, sed et illas maledicentissimi scriptoris calumnias augent calumniis, veluti quod fuerit ἀναλφάβητος, quod a pietate Christiana alienum se ostenderit, quae aliaque ἐγκλήματα solide a principe illo depulit Conr. Sam. Schurzfl. *Diss. de Iustiniano orthodoxo.*

§. CCCLXXXV.

Source : BIU Cujas

§. CCCLXXXV.

Natus est IVSTINIANVS, si Zonarae fides, anno erae Dionys. 482. V. Id. Maiis. Patriam habuit Taurisium, quod oppidum deinde muro circumdedit quadrangula figura, et a quatuor turribus, quibus totidem angulos clauserat, Quadriturritam vocauit. Quum vero Archidae, propinquo Taurisio oppido, esset educatus, et illi, basilicis palatiisque ornatae, et nouo vocabulo *Iustinianae primae*, ad metropoleos dignitatem euectae, nutricationis officium altrici patriae rependit. Procop. *de aedific. Iustin. pag.* 167. *sequ.* Facile vero in gratiam reducentur cum Procopio, qui ei *Bederinam* patriam tribuunt cum Agathia *, *Histor. Lib. V. pag.* 307. Eius patria.

* *Bederinam* regionis nomen esse, in qua Taurisium situm erat, suspicatur Io. Petr. a Ludewig. *in Iustin. cap.* 8. §. 1. *pag.* 127. cuius et elegans illa coniectura est, idem esse *Taurisii* et *Ochridae* vel *Achridae* nomen, illud Latinum a tauris, hoc Germanicum vel Scythicum, quasi *Ochsenried*. Enimuero Procopius Bederinam praesidium vocat, quod prope Taurisium fuerit, potestque adeo credi, locum Iustiniani natalem promiscue modo ab arce *Bederinam*, modo ab oppido, quod prima eius incunabula vidit, *Taurisium* dictum esse.

§. CCCLXXXVI.

Iustini imp. auunculi ope primum anno 521. ad consulatum, deinde ad patriciatum et comitiuam domesticorum, hinc porro ad nobilissimatum, ac demum ad augustum fastigium peruenit, viuo adhuc auunculo anno Christi 527. Kal. Apr. Zonar. *Annal. Lib. XIIII. pag.* 60. Euagr. *Hist. eccl. Lib. IIII. cap.* 9. Procop. *Anecdot. pag.* 37. Mortuo quatuor mensibus post Iustino, ipse solus rerum potitus annos imperauit XXXVIII. caesisque hostibus, pacata, quoad licebat, ecclesia, conditis exornatisque vrbibus, et legibus Romanis restitutis, immortalem gloriam meritus, senex admodum decessit, anno 565. die XIIII. Nouembr. *Chron. Alexandr. ad h. ann.* dignus profecto, cuius aetas in meliora tempora incidisset. Quomodo et quando ad imperium peruenerit?

§. CCCLXXXVII.

Quum animaduerteret princeps, miserrimam esse iuris prudentiae faciem, de vniuerso iure Romano in concinniorem ordinem, simulque ad certum modum redigendo serio cogitauit. Quod quum sine virorum doctorum opera fieri non posset, magnis profecto sumtibus in palatio aluit viros iuris peritia illis Consilium eius de iure in ordinem digerendo.

Source : BIU Cujas

Quos viros ad id adhibuerit?

temporibus celeberrimos, et partim summis dignitatibus fulgentes, quales erant IOANNES, qui excellentissimus, exquaestor sacri palatii, consularis, atque patricius; PHOCAS, vir eminentissimus, magister militum, consularis, atque patricius; BASILIDES, vir excellentissimus, expraefectus praetorio orientis, ac patricius; THOMAS, vir gloriosissimus, quaestor sacri palatii, et exconsul; LEONTIVS, expraefectus praetorio, partim antecessores scholae Constantinopolitanae et Berytensis celeberrimos, quales erant THEOPHILVS, CRATINVS, DOROTHEVS, ANATOLIVS, THEODORVS, ISIDORVS, THALELAEVS, SALAMINIVS, CONSTANTINVS; partim caussarum patronos disertissimos, veluti STEPHANVM, MENNAM, PROSDOCIVM, EVTOLMIVM, TIMOTHEVM, LEONIDEM, LEONTIVM, PLATONEM, IACOBVM, IOANNEM, DIOSCVRVM, et PRAESENTINVM. Hi enim omnes recensentur * *l.* 2. §. 9. 11. *l.* 3. §. 9. *C. de vet. iur. enucl. Const. haec quae necessario* §. 1. *de nouo cod. fac. Const. summa reip.* §. 2. *de Iustin. Cod. confirm. Const. cordi nobis* §. 2. *de emend. Cod. Iustin. et* §. 3. *prooem. Instit.*

* Sunt in his quidam viri docti, aliunde quoque noti. PHOCAM maxime laudat ipse Procop. *Anecdot. pag.* 111. ubi eum vocat ἄνδρα δικαίως ἐς τὰ ἀκρότατον ἐπιμελητὴν γεγονότα, κέρδους δὲ ἐν τῷ ἀξιώματι καθαρὸν, *virum aequi iustique obseruantissimum, in eoque munere ab omni quaestu purum et vacuum.* BASILIDEM idem *Lib. I. de bello Pers.* vocat *virum mansuetudine et aequitate inter patricios clarum.* In primis de ANATOLIO ipse Iustinianus *Const. Canta*, §. 9. *de confirm. Dig.* non id modo obseruat, *eum virum illustrem, magistrum, et apud Berutienses iuris interpretem constitutum esse*, sed et addit, *eumdem ab* ANTIQVA STIRPE LEGITIMA *procedere, quum pater eius* LEONTIVS, *et auus* EVDOXIVS, *post* PATRICIVM, *inclytae recordationis quaestorium, et Antecessorem, et* LEONTIVM, *virum gloriosissimum, praefectorium, consularem, atque* PATRICIVM, *filium eius, optimam sui memoriam in legibus reliquerint.* Ex quo loco patet, similem hanc familiam fuisse genti Muciae, quam iuris prudentiam, tamquam gentilitium bonum sibi retinuisse, supra obseruavimus.

§. CCCLXXXVIII.

Iis praefecit Tribonianum, virum honoribus variis functum.

Sed horum omnium non modo ἐργοδιώκτης, sed et antesignanus fuit TRIBONIANVS, vel, vti plerique codices eum vocant, TRIBVNIANVS, gente Pamphylius, patre vsus Macedoniano, Procop. *de bello Pers. pag.* 263. qui postea virtute et doctrina viam sibi ad summos in palatio et re publica honores muniuit, quippe *vir magnificus, magister*, scilicet officiorum, (Guther. *de offic. dom. Aug. Lib. II. cap.* 20. *Lib. III. cap.* 10. Cassiodor. *Var.*

Source : BIU Cujas

Var. Lib. I. cap. 12. 13. *Lib. VI. cap.* 6.) *exquaestor sacri palatii*, §. 3. *Inst. prooem.* itemque *exconsul*, *Const. omnem reip.* §. 2. *ad Anteceſſor. et Const. Tanta* §. 9. *de confirm. Digeſt.* Quos titulos Triboniani egregie illuſtrat Chriſt. Gottl. Schwarz. *in Schol. philol. ad prooem. Iuſtin. cap.* 2. *pag.* 37. *ſeqq.* *

* Certum eſt, Tribonianum ob ſeditionem Victorianorum quaeſtura S. Palatii in gratiam plebis exutum eam tamen mox recepiſſe: Procop. *de bello Perſ. Lib. I. cap.* 24. Nam ei vita demum functo in quaeſtura ſucceſſiſſe Iunilium Afrum, tradit Procop. *in Anecdot. cap.* 20. Aldobrandinus tamen et Schwarzius, exquaeſtorem tunc dictum eſſe quaeſtorem primarium, exiſtimant: quemadmodum ὁ ἀπὸ ὑπάτων *exconſul*, vel *ex conſule* non fuerit, qui antea conſulatum geſſerit, ſed omnibus coſſ. tum ordinariis, tum ſuffectis, tum honorariis eminentior. Vid. Schwarz. *ibid. pag.* 39. *ſequ.*

§. CCCLXXXVIIII.

Varia de eo iudicia.

Huius quoque viri vita, non minus, ac ipſius IVSTINIANI, varie extollitur, arguitur. Heſychius Illuſtrius *de vit. philoſoph. pag.* 63. illum vocat ἕλληνα καὶ ἄθεον, *paganum et atheum*: Suidas *in* Τριβωνιανός, ἕλληνα, καὶ ἄθεον, ἀλλότριον κατὰ πάντα τῆς τῶν Χριστιανῶν πίστεως, *paganum et impium, et a Chriſtianorum fide prorſus alienum*, immo et κόλακά τε καὶ ἀπατεόντα, *adulatorem et impoſtorem*, quippe quem perſuaſiſſe aiunt Iuſtiniano, eum non moriturum, ſed viuum in caelum raptum iri. Procop. Ἀνεκδότ. *pag.* 63. Addunt alii auarum fuiſſe hominem, et ius venale habuiſſe. Sed vti ipſae dignitates viri eum Chriſtianum fuiſſe arguunt, via quippe ad honores paganis prorſus tum praecluſa, calumnia vero de adulatione iſta tam abſurda eſt, vt nemo eam vel probabilem ſaltim ſit habiturus: ita Procopio, de Triboniani fama tam proterue detrahenti, neminem rectius oppoſueris, quam ipſum Procopium *.

* Tantum ſane abeſt, vt Tribonianus, ſi gentilis vel atheus fuiſſet, potuiſſet ad tantas dignitates in palatio Iuſtiniani peruenire, vt diſerte teſtetur Cedrenus *Annal. pag.* 366. illum διωγμὸν κατὰ ἑλλήνων καὶ πίστεως αἱρέσεως, *perſequutionem paganiſmi et omnium haereſeon* mouiſſe: θεσπίσαντα, μόνους ὀρθοδόξους πολιτεύεσθαι, *lege lata, vt ſoli orthodoxi rem publicam gererent.* Mendacium porro de Iuſtiniano in caelum rapiendo tam eſt putidum, vt aut fronte Tribonianum, aut cerebro caruiſſe Iuſtinianum oporteret, ſi vel ille auſus eſſet tam proterue illudere principi, vel hic ſe eo modo ludibrio haberi paſſus eſſet. Denique ſi largiamur, opum adpetentiorem fuiſſe Tribonianum, eumque id vitium cum aliis pluribus commune habuiſſe: an inde ſequitur, vt ei et iura venalia fuiſſe dicamus? Sane ipſe Procop. *de bello Perſico*

Source : BIU Cujas

Persico Lib. I. Tribonianum vocat *virum moribus et disciplina omnium artium nulli secundum*, et paullo post ei, iam fatis functo, hoc perhibet testimonium: *eum virum multis post magistratum viventem annis morbo decessisse, nihilque a quoquam ingratum esse passum, quum natura mitis et humanus fuerit, iisque moribus simul et doctrina singulari vnicum auaritiae morbum obscurarit.* An vero ea elogia cadere dicamus in hominem paganum, impium, et qui virtutem post nummos habuit?

§. CCCLXXXX.

Primo confectus Codex Iustinianeus.

Capto semel illo consilio iuris in meliorem ordinem redigendi, IVSTINIANVS primum anno erae Christianae 528. decem viris, inter quos et TRIBONIANVS fuit, id dedit negotii, ut ex tribus, qui tum exstabant, Codicibus constitutiones vtiliores seligerent, easque, resectis praefationibus, et mutatis, quae eorum temporum foro minus concinna viderentur, vna cum iis, quae ipse adhuc edidisset, in XII. libros, et sub certis titulis digererent. *Const. Haec, quae necessario, de nou. Cod. fac.* Eum insequente anno absolutum IVSTINIANEVM vocauit *, Paull. Diac. *Hist. Langob. Lib. I. cap.* 25. Ioann. Antiochen. *pag.* 183. editaque anno 529. d. VII. Id. Apr. constitutione, publicauit, et suppressis tribus istis Codicibus, solum istum in foro pro norma haberi iussit. *Const. summam reip.* §. 3. *et* 5. *de Iustin. Cod. fac.*

* Est et hoc inter ea, quae in Iustiniano reprehendit Procop. Ἀνεκδότ. *pag.* 46. quod omnia a suo nomine dici voluerit. Ἀρχάς τε μισθώσας ἀπήρει· τὰς δὲ ἐκ ἔτους ἐφίστη τοῖς πράγμασι, τέλη τε νόμους, καὶ τῶν σφαπλῶν τὰς καταλόγους· πάντα ἴσα ἑαυτοῦ ἐποίει, ἐπὶ τῷ δικαίῳ εἶκων, οὐδὲ τῷ ξυμφόρῳ ἐς τοῦτο ἡγμένῳ, ἀλλ' ὅπως δὴ ἄπαντα νεώτερά τε, καὶ αὐτῷ ἐπώνυμα εἴη. ἦν δέ τι καὶ μεταβαλεῖν αὖ τῷ παραυτίκα ἥκιστα ἴσχυεν, ἀλλὰ τούτῳ γε τὴν ἐπωνυμίαν τὴν αὐτοῦ ἐθέλων: *nam statis magistratuum formis* LEGVMQVE *et militarium ordinum abrogatis, alias inuexit, non iure, non publico commodo adductus, sed vt omnia noua, et de* SVO NOMINE *dicerentur. Rei cuius statim abolendae copia non fuisset, saltim* SVVM *indidit* VOCABVLVM. Et sunt sane magistratus noui, quos a se institutos *Iustinianeos* vocauit, veluti Pisidiae praetor Iustinianeus, *Nouell. XXIIII. cap.* 4. comes Phrygiae Pacatianae Iustinianeus, *ibid.* comes primae Galatiae Iustinianeus, *ibid.* comes Lycaoniae Iustinianeus, *Nouell. XXV. cap. I.* praetor Thraciae Iustinianeus, *Nouell. XXVI. cap.* 2. comes Iustinianeus Isauriae, *Nou. XXVII. cap.* 1. Immo et moderatores, et Procoss. et quaestores Iustinianei passim occurrunt in *Nouellis XXVIII. CII. XXX. XXXXI.* Ita et verum est, eum ex Vandalis legisse milites, quos *Iustinianeos stationarios* vocauit. Procop. *de bell. Vandal. Lib. II.* Denique recte obseruarunt Alemannus et alii, Iustinianum vrbes, oppida, portus, litteras, libros, scholares, et diadema de suo nomine vocari voluisse. Sed quid his omnibus inest criminis? An minus licuerit Iustiniano magistratus quosdam vocare

Source : BIU Cujas

vocare *Iuſtinianeos*, quam Auguſto *legatos Auguſti* et *praefectos auguſtales?* An fas fuerit Traiano, Hadriano, Conſtantino, Gratiano concedere Traianopolin, Hadrianopolin, Conſtantinopolin, Gratianopolin, Iuſtiniano id nefas fuerit? Et quis quaeſo ignorat baſilicam Iuliam, menſes Iulium et Auguſtum, thermas Diocletianas, bibliothecam Vlpiam, et ſimilia, quae ab imperatoribus nomen tuliſſe, nemo vmquam ſanus reprehendit?

§. CCCLXXXXI.

Deinde, quum maximum ſolidioris iuris prudentiae theſaurum in veterum ICtorum ſcriptis reconditum eſſe, non ignoraret, et haec tamen etiam manibus hominum fere excidiſſent: anno erae Chriſtianae 530. die XVIII. Kal. Ian. illa, maxime ex Triboniani bibliotheca, (vid. *Conſt. Tanta* §. 17. *de confirm. Dig.*) conquiri, et periochas, quae in foro vſum praeſtarent, inde decerptas, et aliquando, ſi ita videretur, interpolatas mutataſque in quinquaginta libros, certoſque titulos colligi iuſſit. Perfecerunt id opus TRIBONIANVS aliique XVII. viri, quos ei adiunxerat Iuſtinianus, intra triennium, quum initio illis decennium ad hunc laborem indulſiſſet: idque opus deinde Iuſtinianus DIGESTA vel PANDECTAS, veterum exemplo *, adpellauit, *quod omnes diſputationes et deciſiones in ſe haberet legitimas, et, quod vndique eſſet collectum, in ſinus ſuos recepiſſet. l.* 2. §. 1. *C. de vet. iur. enucl.* Paull. Diac. *Hiſt. Langob. Lib. I. cap.* 25. Deinde Pandectae vel Digeſta.

* Familiares admodum veteribus hos titulos fuiſſe, exemplis IVLIANI, ALPHENI, CELSI, MARCELLI et CERVIDII SCAEVOLAE, qui libros ſuos DIGESTA inſcripſerunt, nec non VLPIANI et MODESTINI, qui PANDECTAS reliquerunt, ſatis conſtat. Erat *pandecte*, vti ex Apicio *de re culin. Lib. IIII. pag.* 103. patet, repoſitorium, quo varia condimenta et bellaria coenis inferebantur. Vnde et totum artis ſuae librum *pandecten* inſcripſit. ICtis huius modi inſcriptiones in deliciis fuiſſe, oſtendit Merill. *Obſerv. Lib. VII. cap.* 34. immo et Gell. *in praefat.* Imitati hanc figuram Hebraeorum Magiſtri, libros quoſdam ſuos inſcripſerunt כלבו, *Colbo*, quod omnia ſcitu digna ſinu ſuo complectantur. Huber. *Praelect. ad Pandect. prooem.* §. 2.

§. CCCLXXXXII.

Hoc opus, quod ipſe Iuſtinianus in ſeptem partes diuiſerat, maxime ad edicti perpetui ordinem diſpoſitum eſſe animaduertimus: nec tamen per omnia. Nam et praemiſſa quaedam ſunt de iure in genere, de ſtatu hominum, de rerum diuiſionibus et de magiſtratibus, quae in Edicto locum non habuerunt: et quaedam, quae primo ſtatim loco in edicto tractata erant, veluti de magiſtratibus municipalibus in poſtremum locum *Pandectarum* Ordo in Pandectis obſeruatus.

Source : BIU Cujas

rum reiecta, et quaedam interiecta de hypothecis, de euictionibus, de eo, quod falso tutore auctore gestum fuerit, quae vel omnino non, vel alio loco edicti occurrerunt: et denique sub finem *Pandectarum* permulta occurrunt de criminibus, adpellationibus, iure publico, quorum nullum in Edicto vestigium notamus. Ceterum ne denuo corrumperetur opus, magno studio elaboratum, Iustinianus et illud per notas scribi vetuit *, *l.* 2. §. 22. *C. de vet. iur. enucl.* et a ICtis non alios libros in illud scribi voluit, quam PARATITLA, *l.* 2. §. 21. *C. de vet. iur. enucl.* quae quid fuerint, docet Aeg. Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 15. et Ian. a Costa *Praef. Summar. Lib. I. Decretal.*

* In exemplari Florentino, obseruante id Ant. Augustino *Emend. Lib. I. cap.* 1. talia passim occurrunt. Quamvis enim id negarit Ang. Politian. *epist. X*, 4. et *Miscellan. XXXXI. ἀνθέπλης* tamen Henr. Brenkmannus obseruavit, reperiri ibi ꝯ pro ꝯm, I. pro *primo*, EDM. pro *edictum*, Ū pro *quinto*, UIIIO pro *octauo*, ú pro *us*, vt iam non dicamus de variis monogrammatibus et contignationibus litterarum, quae typis tam facile, quam calamo exprimi non possunt: de quibus consuli debet Brenkmannus *Histor. Pandect. Lib. II. cap.* 3. *pag.* 117. *sequ.* Viderint ergo, qui hunc librum ipsius Iustiniani temporibus scriptum existimant, an sententiam satis probabilem tueantur.

§. CCCLXXXXIII.

Institutiones confectae.

Perfecto *Pandectes* corpore, at nondum promulgato, tribus viris, TRIBONIANO, THEOPHILO, et DOROTHEO, negotium dedit imperator, vt INSTITVTIONVM *libros quatuor* ex veterum ICtorum compendiis *, et CAII potissimum Institutionibus adornarent, vt illae essent totius legitimae scientiae prima elementa. *prooem. Inst.* §. 2. *et* 6. Eum libellum, quamuis post *Pandectas*, vti diximus, conditum, prius tamen, quam illas, Iustinianus publicauit XI. Kal. Dec. anno erae Dionys. 533. eique plenissimum constitutionum suarum robur accommodauit. §. 6. *prooem. Instit.*

* Sic multa *Institutionum* loca totidem paene verbis decerpta videmus ex *Institutionibus* VLPIANI, FLORENTINI, MAECIANI, ex *Epitomis* HERMOGENIANI, immo et ex maioribus libris veterum ICtorum, veluti VLPIANI *regulis* et *libris ad Sabinum*, PAVLLI *libris ad Edictum*, PAPINIANI *responsis*, et similibus. Vnde optime meriti sunt de studiosa iuuentute, qui in editionibus singulis paragraphis adscripserunt loca *Digestorum*, ex quibus expressi sunt. Id quod nouissime praestitum animaduertimus ab Euerardo Ottone.

§. CCCLXXXXIIII.

Source : BIU Cujas

§. CCCLXXXXIIII.

Publicatio totius Corporis iuris.

Paullo post, XVII. Kal. Ian. anni 533. totum hoc Corpus iuris, adeoque et DIGESTA, constitutionibus binis, Latina altera, altera Graeca, confirmatum, et a III. Kal. Ian. in foro valere, et in scholis Romana, Constantinopolitana, et Berytensi praelegi iussum est, praescripta simul Antecessoribus methodo, qua per quinque istos annos, quos iuris disciplinae dare solebant iuuenes, vterentur, quin et nominibus paullo honestioribus, quibus singulis annis iuris studiosi vocarentur, inuentis *. *Const. omnem reip. §. 1. et 2. ad Antecess.*

* Primo anno, quo *Institutiones* et πρῶτα *Digestorum* audiebant, pro DVPONDIIS vocabantur IVSTINIANI NOVI, vel, vti ex codice suo MSC. eleganter emendat Christ. Gottl. Schwarz. *Diss. an omnia Pandect. exempl. e Florentinis manauerint? §. 16. pag. 46.* IVSTINIANISTAE: secundo, audientes vel alteram vel tertiam *Digestorum* partem, vna cum doctrinis de tutela, legatis, fideicommissis, EDICTALIVM nomen adsumebant. Tertio anno, percepta altera vel tertia *Digestorum* parte, (has enim Iustinianus alternis vicibus praelegi iusserat), nec non degustatis doctrinis de hypothecis, vsuris, edicto aedilitio, lectis denique Papiniani fragmentis per totum *Digestorum* opus dispersis, PAPINIANISTARVM nomen non sine sollemnitate accipiebant. His vbi quarto anno accesserant reliquae *Pandectarum* partes, non HIRCI, vti in Accursiano exemplari absurde legitur, sed LYTAE: denique quinto anno, postquam et *Codicem* sibi familiarem reddiderant, non LORITAE, nec COLORITAE, vti denuo apud Accursium est, nec COLOBITAE, vti Constant. Landus *in Exercit. pag. 1391. Tom. III. Thesaur. iur. ciu.* emendat, sed PROLYTAE vocabantur.

§. CCCLXXXXV.

Quinquaginta decisiones edictae.

Obseruauerat interea Iustinianus, quasdam dissensiones veterum ICtorum, ortas ex diuersis sectarum principiis, supersesse. Itaque illas veterum altercationes, Lampadio et Oreste consulibus, et duobus insequentibus annis, id est anno 530. et sequentibus, editis QVINQVAGINTA DECISIONIBVS composuit, quas Decisiones postea in varias particulas discerptas, Codici repetitae praelectionis, de quo mox dicendi erit locus, inseruit *. *Constit. Cordi nobis. §. 1. de Cod. emend.*

* *De Fastorum Romanorum formula:* POST CONSVLATVM, quam permultae decisiones Iustinianeae praeferunt, singulari, eaque pererudita dissertatione egit Christ. Gottl. Schwarzius, edita *Altorfi* 1735. Plures, quam quinquaginta, in *Codice* nostro occurrunt Decisiones, his ipsis annis editae. Sed Em. Merillius, qui has Decisiones, cum cura collectas, luculento commentario illustrauit, in *prolegomenis* ostendit, vnam saepe decisionem

Source : BIU Cujas

in plures particulas diſſectam eſſe a noui Codicis architectis. Praeter Emundum Merillium ſimilis labor exercuit Io. Strauchium, ICtum Ienenſem, qui tamen, quod dolendum, colophonem operi non impoſuit. Praeterea legi merentur Petri Franc. Linglois *Deciſiones L. a ſecundo ad nonum librum Codicis. Antu. 1661. fol.* et Dominici Baſſi *rediuiuus ingenii partus, ſeu quinquaginta Deciſiones D. uſtiniani, Vienn. 1708. 4.*

§. CCCLXXXXVI.

Itemque Codex repetitae praelectionis.

Sed paullo poſt idem deprehendit imperator, primo, *nouellas ſuas tam deciſiones, quam conſtitutiones, quae poſt priorem Codicem latae fuerant, extra corpus Codicis diuagari*: deinde, *quaſdam earum ex emerſis poſtea factis aliquam meliore conſilio permutationem vel emendationem deſiderare. Conſt. Cordi nobis. §. 2. de emend. Codic.* Itaque Triboniano aliiſque quatuor viris id dedit negotii, vt Codicem Iuſtinianeum refingerent, et praeter quinquaginta deciſiones etiam nouas conſtitutiones, quotquot adhuc prodierant, illi inſererent, quaſdam etiam ad rem non facientes omitterent. * Hunc CODICEM REPETITAE PRAELECTIONIS, id eſt, recognitum, ſuppreſſo priore Codice, edidit publicauitque XVI. Kal. Dec. anno 534. *Ead. Conſt. §. 4. de emend. Cod.*

* Plures ſane conſtitutiones, quas in Codice ſuo fulgere ait Iuſtinianus, in nouo illo ac recognito Codice deſiderantur. Exempla exſtant in §. 27. *Inſt. de legat. §. 7. Inſt. de legit. ſucc. agnat. §. 24. et 27. Inſt. de action.* Fieri tamen potuit, vt conſtitutiones quaedam Codici quidem inſertae fuerint, at nihilominus tamen poſtea, quia Graece ſcriptae erant, intercideriint. Plures ſane, quae in Baſilicis ſuperſunt, paſſim reſtituit Cuiacius.

§. CCCLXXXXVII.

Nouellae conſtitutiones poſtea editae.

Quum porro Iuſtinianus, condito Corpore iuris, diu adhuc imperaret, non mirum eſt, eum, nouis ſubinde emergentibus quaeſtionibus, plures promulgaſſe nouellas conſtitutiones, quarum pleraſque Graece ſcriptas eſſe, nouimus. Has ſe ipſum in aliam congregationem, quae *nouellarum* nomine *conſtitutionum* ſignificetur, relaturum, promiſerat Iuſtinianus, *Conſt. Cordi nobis §. 4. de emend. cod.* quin et praeſtitiſſe eum, quod promiſerat, teſtantur Io. Antiochen. *in Iuſtiniano, pag. 168.* Agath. *Lib. V. pag. 140.* et Paull. Diac. *Hiſt. Langob. Lib. I. cap. 25.* quippe qui Iuſtinianum *nouas quoque leges, quas ipſe ſtatuerat, in vnum volumen redactas*, CODICEM NOVELLARVM *vocari ſanxiſſe*, ſcribit.

§. CCCLXXXXVIII.

Source : BIU Cujas

§. CCCLXXXXVIII.

Et volumen sane istud, ipsius Iustiniani collectum auspiciis, non diuersum videtur ab illo, quod hodie pars Corporis iuris est, quodque in NOVEM COLLATIONES distinctum esse, animaduertimus, quamuis alicubi laciniis quibusdam auctum, veluti sub finem, vbi eparchica quaedam sub nomine Nouellarum occurrunt. Pro textu authentico habemus hodie versionem Latinam, antiquam illam quidem, quippe qua iam Gregorius M. Papa vsus videtur *Lib. XI. epist.* 53. aliquando et satis adcuratam, obseruante Cuiacio *Obs. Lib. VIII. cap.* 40. sed barbaram tamen, et hinc inde obscurissimam *. Earum collectio et versio Latina.

* At quum ipsas constitutiones Graecas iam editas habeamus ab Haloandro, Heruagio, Scrimgero, Russardo: Graecarum litterarum non imperiti inde facile genuinum sensum haurient. Quin notum est, *nouam e Graeco textu versionem* adornasse Io. Fridr. Homberch zu Vach, quae prodiit *Marburgi* 1717. 4. Sed textum tamen in foro non alium, quam illum semibarbarum, receptum esse, recte obseruant Alb. Gentil. *de libr. iur. ciuil. cap.* 7. et Arthur. Duckius *de auctoritate iur. ciu. Lib. I. cap.* 4. §. 16.

§. CCCLXXXXVIIII.

Hoc est praeclarum illud iuris ciuilis corpus, quod per tot saecula gentibus sagacissimis admirationi fuit. Et tamen in illud etiam imperitissimus quisque hodie calamum impune stringit, dum alii ipsorum auctorum imperitiam ac stupiditatem accusant, alii meras antinomias et contradictiones, somniant, alii in methodum, stilum, et librorum ordinem ac numerum inuehuntur: alii ipsum ius Romanum iniquitatis arguunt. Quin sunt, qui et minima in Iustiniano non ferunt, veluti quod de perfecto hoc opere gloriatus sit, *l.* 1. §. 2. *C. de vet. iur. enucl.* quod *Codicem* a suo nomine IVSTINIANEVM dixerit, quod *Pandectas* in septem, ac non plures paucioresue partes, *Institutiones* in quatuor libros, ac non potius in tres, distinxerit: quod nobis reliquerit ius iniquum, incertum, et male cohaerens, et quae sunt huius generis alia. Longa enim est ea fabula, quam mira industria perpolire studuerunt FRANC. HOTOMANVS in *Antitriboniano*, FRANC. BALDVINVS in *Iustiniano*, FRANC. MAESTERTIVS *de iustitia legum Romanarum*, BERN. AVTVMNVS in *Censura Gallica iuris Rom.* vt non dicamus de ANT. FABRO, ANT. MATTHAEO, Io. IAC. WISSENBACHIO *, et recentioribus, qui in hoc mustaceo laureolam quaerunt, quam plurimis. Naeui, quos in hoc corpore Iustinianeo obseruant.

 * Iuuenis

Source : BIU Cujas

* Iuuenis hic scripsit *Emblemata Triboniani*, a praeceptore, Antonio Matthaeo, incredibili Triboniani odio imbutus: eumque libellum homini pauperi et peregrino in Belgio viam ad famam et fortunam muniuisse aiunt. Sed recte Bynkerskoekius *praef. ad Obseru. Tom. II. Quum et ipse olim in hunc librum incidissem, et miratus, et indignatus sum, quod eo opusculo dicatur auctor sibi viam parasse ad famam: nam nihil quidquam ibi videtur praestitisse, quam quod, vt est in prouerbio, hircum mulgentibus cribrum suppoſuerit. Exhibuit sesquicentum fere emblemata, sed ex aliis maximam partem descripta; quae enim ex suo ipsius ingenio profecta sunt, vix numerum faciunt. Saepe etiam in libello inseruit παρεργα ἔργων μείζονα, vt solent, qui primum quid scriptitant eruditionis ostentandae gratia: sed et ea παρεργα non minus aliis auctoribus debentur, quam ipsa emblemata, vt obseruabis, si vel eos ipsos locos excutias, quos ipse adducit.* Vnde laudandus Io. Wybo, IC. Belga, qui singulari libello, hic recuso, caussam Triboniani aduersus hunc emblematum consarcinatorem erudite egit *Vltraiecti 1729.*

§. CCCC.

Iudicium de illis.

Sed, qui ipse olim in ea haeresi fui, quo magis in iure profeci, eo magis ab illa abhorrere coepi. Credo equidem, ipsum Iustinianum hominem se agnouisse, nihilque humani a se putasse alienum. Fateor, non incidisse eum in tempora, quae opus quoddam Daedaleum, et quouis Phidiae signo perfectius producere potuerint. Pleraque tamen, quae tanto supercilio notant censores quidam, vitio creati, proba esse, expertus sum. Criminationes vero tantum non omnes a viris harum rerum intelligentibus tam praeclare dilutas esse animaduerti, vt caussa perorata videatur. *.

* Prae ceteris commendari merentur Vlrici Huberi *Eunomia Romana*, opus postumum, editum a filio, Zachario Hubero, et recusum Amstelod. 1724. 4. nec non virorum illustrium, Henr. et Sam. de Cocceiis opera pleraque, in quibus haec calumnia non verbis, sed re ipsa, depellitur, dum, quae aliis desperata visa sunt, felicissima industria explicarunt, et, quae pugnantia habita, ita reuocarunt in concordiam, vt immortalem inierint gratiam ab omnibus, quibus solidior iuris prudentia cordi est.

§. CCCCI.

Graece versi libri iuris.

Iam vero porro quaeritur, quae fata iuris huius Iustinianei tum in oriente, tum in occidente fuerint? Et dubitari quidem nequit, quin in oriente vbique statim receptum sit, tum in foro, tum in scholis iuridicis. Quum vero iudices et antecessores plerique parum gnari essent linguae Latinae *: ipsis Iustiniani temporibus libri iuris in Graecam linguam transferri paullatim coeperunt.

* Rem

Source : BIU Cujas

* Rem praeclare expoſuit Car. du Freſne *in praef. Gloſſar. Lat.* §. 12. *pag.* 10. vbi oſtendit, Conſtantinum M. tranſlata Byzantium imperii ſede, Latinam etiam linguam nouae Romae ſeruari voluiſſe, hinc eum locis ac regionibus vrbis Latina impoſuiſſe nomina, inſcriptiones ſtatuarum, aedificiorum, monetarum Latinas feciſſe, conſtitutiones eius ac ſucceſſorum diu eodem conſcriptas eſſe idiomate: quin in ſchola Byzantina ideo eloquentiam Rom. oratores tres, grammaticos decem docuiſſe, vt lingua iſta in ſede imperii Rom. tanto diligentius excoleretur. *l.* 3. *C. de ſtud. liber.* Vſum ergo iſtius linguae in oriente manſiſſe aliquem, ſed curialem fere et palatinum, immo et forenſem, donec a Theodoſii temporibus contingeret, vt Graeculi, dum vtrumque colerent ſermonem, neutro recte vterentur, quod deinde exemplo praefatiunculae et verſiculorum Theodoſii M. temporibus ſcriptorum, et Antonini *Itinerario* in codice regio praemiſſorum, nec non pentaſtichi Latini obeliſco Conſtantinopolitano inſcripti, in quibus mera barbaries. Et ſane ſi iam ſub Theodoſio M. gliſcere coepit barbaries, quis de Latinitate orientalium ſub Iuſtiniano meliora ſperaret?

§. CCCCII.

Et INSTITVTIONVM quidem elegantem paraphraſin debemus THEOPHILO, quem Iuſtiniani temporibus floruiſſe, docent loca, vbi de Iuſtiniano vtitur verbis: ἡμετέρου βασιλέα, *imperatorem noſtrum*, §. 1. *Inſt. de vſuc.* θειοτάτῳ ἡμῶν δεσπότῃ, *religioſiſſimi imperatoris noſtri*, §. 12. *Inſt. eod.* ἐφοίτησε τὸ ἡμετέρου βασιλέως διάταξις, ἣν ἔναγχος ἐξεφώνησε: *exſtat et principis noſtri conſtitutio, quam nuper emiſit*: itemque εὐσεβεστάτη ἡμῶν δεσποίνη, *religioſiſſima domina noſtra*, §. *vlt. Inſt. eod.* Quae quum ex Latino *Inſtitutionum* textu non ſint, manifeſto probant, auctorem Iuſtiniani temporibus ſcripſiſſe *. Gundlingian. *Part. II. obſ.* 2. Nec obſcure aetatem ſuam ipſe indicare videtur Theophilus in *Paraphraſi* §. 4. 5. *Inſt. de SC. Tertull. et* §. 10. *Inſt. de except.* Vid. Io. Henr. Mylii *Hiſtoria Theophili, cap.* 3. §. 4. Vnde nihil prohibet, quo minus eumdem dicamus, cum Theophilo, Anteceſſore Conſtantinopolitano, cuius in componendo corpore iuris opera vſus eſt Iuſtinianus. Prodiit haec *Paraphraſis* poſt editionem VIGLII ZVICHEMII *Baſil.* 1534. *fol.* et *Lou.* 1536. 4. et IAC. CVRTII *Lugd.* 1581. cum animaduerſionibus CAR. ANNIB. FABROTTI *Pariſ.* 1638. et 1657. 4. In primis Inſtitutiones.

* Fallitur ergo Cuiacius, qui Theophilitzen vocat hunc paraphraſten, et eum Accurſio iuniorem facit, in *Recit. ad tit. Inſt. de act.* Falluntur, qui ei multos errores adfingunt, quum pleraque recte ſe habeant. Illud vnum mirandum, viuo Iuſtiniano id ſibi ſumſiſſe Theophilum, vt vberiorem ſcriberet *Inſtitutionum paraphraſin*, quum Iuſtinianus verſiones tantum κατὰ πόδα permiſerit. *l.* 2. §. 21. *C. de vet. iur. enucl.*

§. CCCCIII.

Source : BIU Cujas

§. CCCCIII.

Itemque Digesta et Codex.

Eamdem operam *Pandectis* praestitit THALELAEVS, et ipse Iustiniano, vt videtur, σύγχρονος, cuius versio Graeca *Pandectarum* saepissime in libris βασιλικῶν laudatur. Quin et versiones STEPHANI εἰς πλάτος, CYRILLI κατ' ἐπιτομήν, DOROTHEI κατὰ μίσην τάξιν laudat Matth. Blastares *pag.* 370. apud Fabric. *Bibl. Graec. Tom. XII. pag.* 370. et Ios. Mar. Suares. *Notit. Basil.* §. 19. sed et *Codicem* Graece siue a Thalelaeo, siue ab aliis, versum exstitisse ferunt, eumque sibi visum esse adfirmabat Marqu. Freherus. Suares. *ibid.* §. 20.

§. CCCCIIII.

Iuliani, patricii, versio Latina Nouellarum.

Denique vice versa Constitutiones nouellas CXX. iam tum Graece maximam partem scriptas, circa annum DLXX. resectis praefationibus, in epitomen contraxit, et elegante Latinitate donauit IVLIANVS, patricius, exconsul et Antecessor Constantinopolitanus. Quam epitomen cum saepius, tum cura Francisci Pithoei, editam nouimus *Basil.* 1567. *fol.*

§. CCCCV.

Basilicῶn origo.

Et versionibus quidem illis Graecis, Nouellisque, eadem lingua scriptis, in foris scholisque vtebantur saeculis insequentibus septimo et octauo, donec de eo in compendium mittendo saeculo nono cogitare inciperent imperatores Byzantini. Ex his primum BASILIVS MACEDO anno 838. ediderat πρόχειρον τῶν νόμων, quod constabat titulis quadraginta. Suares. *Notit. Basilic.* §. 3. Deinde LEO, σοφὸς, patri Basilio succedens, collectionem illam paternam perfecit, eamque sub titulo διατάξεων βασιλικῶν promulgauit anno Christi 886. * Suares. *ibid.* §. 10. Denique subsequutus Leonem CONSTANTINVS, cognomento Porphyrogeneta, paternum opus sub incudem reuocauit, et libros illos ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ publicauit sub initium saeculi decimi. Suares. *ibid.* §. 12. *sequ.*

* Eiusdem LEONIS imp. sunt Novellae CXIII. quas primum Graece ex Stephaniana edidit Henr. Scrimgerus, *Paris.* 1558. *fol.* postea Latine Henr. Agylaeus, *Paris.* 1560, 8. Vnde postea permultis iuris Iustinianei editionibus subiectae sunt. Harum nec apud nos vllam esse auctoritatem, nec olim in ipsa Graecia fuisse, existimauit Cuiac. *Obs. Lib. XVII. cap.* 31. Contra easdem, et olim valuisse in Graecia, et ne hodie quidem ibi extra vsum esse, ex Christoph. Angel. *de statu eccl. Graecae, pag.* 112. *et* 115. docet Bynkershoekius *Obs. Lib. IIII. cap.* 1.

§. CCCCVI.

Source : BIU Cujas

§. CCCCVI.

Et hi quidem sunt libri illi ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ, ex Graeca Institutionum, Pandectarum, Codicis versione, Iustiniani Nouellis et Edictis tredecim, nec non ex ICtorum quorumdam orientalium paratitlis, aliisque libris, quin et patribus et conciliis collecti, ita tamen, vt multa omissa videamus, quae fortassis tum ab vsu recesserant, multas etiam leges in compendium contractas, multa denique ex posteriorum principum legibus et constitutionibus addita, animaduertamus. Bynkershoek. *Obs. Lib. VIII. cap.* 17. Opus istud in sexaginta libros diuisum, praeter pauca, quae nondum integra reperiri potuerunt, cum glossis Graece et Latine editum est a CAR. ANNIB. FABROTTO, *Paris.* 1647. *fol. Vol. VII.* Quales hi libri.

§. CCCCVII.

Insequentibus etiam saeculis ius Romanum, quale in Basilicōn libris reperitur, in oriente floruisse, euincunt tot opera Graecorum iuridica, quae partim separatim prodierunt, partim ENIMVNDI BONEFIDII *Iuri orientali*, edito *Paris.* 1573. 8. et Io. LEVNCLAVII *Iuri Graeco Romano*, a Marqu. Frehero locupletato editoque *Francof.* 1596. *fol. Tom. II.* inserta sunt. Sic saeculo vndecimo MICH. ATALIOTA, iudex et procos. scripsit πόνημα seu πραγματικὸν, a Leunclauio sub titulo σύνοψις ὡσανεὶ συνόψεων editam, *Tom. II. pag.* 1. *seqq.* Iisdem temporibus MICH. PSELLVS iunior, vir πολυγραφώτατος, primum ad Constantinum Ducam, deinde et Alexium, ac demum ad Nicephorum, impp. versibus politicis edidit Σύνοψιν νόμων: Leo Allat. *de Psellis, eorumque script.* §. 48. quam Graece et Latine edidit Bosquetus *Paris.* 1632. 8. * Vsus huius iuris saeculo XI. quo Mich. Ataliota et Mich. Psellus floruere.

* Saeculo quoque XII. in oriente, et Constantinopoli maxime iuris Romani studia floruisse, vel inde patet, quod Irnerium ius Constantinopoli didicisse, nescio quo auctore, docet Innoc. Ciron. *Obs. iur. can. Lib. V. cap.* 5.

§. CCCCVIII.

Sequente saeculo XIII. floruit THEODORVS BALSAMON, qui PHOTII *Nomocanonem* suis commentariis illustrauit, in quibus permulta exstant iuris Romani, ex Basilicis deprompti, vestigia. Ediderunt eum Guil. Voellus et Henr. Iustellus *in Bibliotheca Graeco-Latina iur. can. Tom. II. pag.* 1312. *sequ.* Saeculo XIIII. non duodecimo, vt Suaresio, aliisque visum, floruit CONSTANTINVS HARMENOPVLVS, ediditque πρόχειρον τῶν νόμων, seu *Promtuarium iuris*, quod post Adami Suallenbergii Graecam, aliasque Item saec. XIII. et XIIII. quibus scripsere Balsamon et Harmenopulus.

Source : BIU Cujas

Bernardi Rey et Merceri Latinas editiones Graece et Latine cum adnotationibus suis edidit Dionys. Gothofredus 1587, 4.

§. CCCCVIIII.

Constantinopoli capta, et Turcae, et Graeci vsum aliquem iuris Romani conservarunt.

Saeculum decimum quintum finem attulit orientali Graecorum imperio, capta anno 1453. a Turcis Constantinopoli, et toto illo orientis tractu ab iisdem barbaris oppresso. Iisdem ergo temporibus et ius Romanum in oriente procul dubio exoleuit, at non penitus tamen, si recentioribus quibusdam fides habenda est, quippe qui et apud Turcas, et apud Graecos, aliquem iuris Romani vsum hodienum supersse, referunt *.

* Turcas enim Codicem Iustinianeum in sua lingua habere, eoque in foris suis vti, primus testis αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος adfirmauit Leunclau. *in Praef. ad libros III. Paratitl.* Ex Ism. Bullialdo quoque saepe audiuisse se refert Menag. *Amoen. iur. ciu. cap. 26. Turcas pleraſque ex legibus Romanorum in ſuas transfudiſſe, et praecipue quae ad materiam ſeruitutum ſpectent.* De vsu Nouellarum Leonis apud hodiernos Graecos iam supra (§. 405. *) diximus.

§. CCCCX.

In occidente maior erat Codicis Theodosiani auctoritas.

Ex oriente in OCCIDENTEM reuertimur. In eo quaedam prouinciae Francis, Burgundionibus, Gothis cesserant, quaedam a Iustiniano barbaris felici Marte ereptae erant, veluti Italia, Sicilia, et Africa. In illis quidem iuris Romani vsus superfuit, at non Iustinianei, verum Theodosiani, quocum Caii *Institutiones*, Paulli *Sententias*, et alia quaedam veterum ICtorum fragmenta coniungere solebant *. Demonstrarunt hoc ex instituto Herm. Conring. *de orig. iur. Germ. cap. 4. et 5.* Io. Selden. *in Diss. ad Fletam cap. 5. §. 2. sequ.* Iac. Gothofr. *in Prol. Cod. Theod. cap. 3.* Innoc. Ciron. *Obs. iur. can. Lib. V. cap. 2.* Sed et nos *Libro II.* ea de re pluribus agemus.

* Et haec collectio medio aeuo κατ' ἐξοχὴν LEGIS ROMANAE nomine veniebat. Pluribus adductis veterum testimoniis, ipsisque codicum MSS. titulis id demonstrauit Car. du Fresne *Gloss. Lat. Tom. II. pag. 269.*

§. CCCCXI.

Ius tamen Iustinianeum in Italia et Africa floruit.

At in Italia, et in Africa quoque, vsus iuris Iustinianei fuit quotidianus. Ipse enim Iustinianus illud vbique in orbe Romano obseruari, solumque in academia etiam Romana doceri iusserat. *l. 2. §. 23.* et *l. 3. §. 21. C. de vet. iur. enucl.* Et hoc sibi velle arbitror auctorem epigrammatis, Pandectis Florentinis praemissi, Iusti-

Source : BIU Cujas

Iuſtiniano aut parem aetate, aut non multo iuniorem, dum inter alia cecinit :

Ἄνθρωποι δ' Ἀσίης τε δορυκτήτου Λιβύσσης,
Εὐρώπης τε πίθωνται ὅλα σημάντορι κόσμῳ.

Europae vero, atque Aſiae, Libyaeque ſubactae,
Vnum omnes populi regem dominumque tuentur.

Ait enim poeta, *Pandectarum* opus non modo in oriente, et Africa nuper recepta, ſed et in Europa, (Italia nimirum Gothis extorta), vna cum auctore eius Iuſtiniano regnare. Coler. *Parerg. Lib. II. cap. 22. Tom. I. Theſ. iur. ciu.*

§. CCCCXII.

Etiam ſub Langobardis et Francis.

Et quamuis paullo poſt circa annum 568. Italiam inuaderent Langobardi, regnumque ibi conſtituerent potentiſſimum : tamen non modo in exarchatu Rauennatenſi iuri Iuſtinianeo pretium ſuum manſit, ſed et ipſi Langobardi Italis ſua cuique lege vivendi facultatem dederunt, ceu ex ipſa *lege Langobardica I. 29. 2. II. 2. 1.* adparet. Sane ſaeculo VII. Novellam CXIII. citat Gregor. *Lib. XI. epiſt. 53.* & alibi tum ad Codicem, tum ad Nouellas prouocat *Lib. XII. epiſt. 53.* Item ſaeculo VIIII. quo iſtud Langobardorum regnum iam deſtruxerat Carolus M. ſaepe ius Romanorum ad partes vocant Hincmarus *XVI. 5. XXXXIIII. 32. LI. pag. 587. LV. p. 440. 509. Tom. II.* et Ioannes PP. VIII. apud Iuon. *III. 98.*

§. CCCCXIII.

Vulgaris hiſtoria de reſtitutione iuris Rom. ſub Lothario III.

Quamuis vero his temporibus *Codex* magis et *Nouellae*, quam *Pandectae*, in manibus hominum fuiſſe videantur : non tamen ideo exiſtimandum eſt, eas plane intercidiſſe. Vulgo equidem referunt, *Pandectarum* codicem aliquem primum iterum repertum eſſe a Lothario III. imp. in Amalphi vrbe, anno 1137. expugnata, eumque imperatorem donaſſe Piſanis, qui illum claſſe inſtructiſſima adiuuerint. *Pandectas* vero illas Piſanas, quae iam Florentiae non ſine veneratione quadam oſtenduntur, occaſionem dediſſe et Irnerio, praelectiones in hunc librum inſtituendi Bononiae *, et Lothario, ius Romanum in ſcholas et fora introducendi. Sigon. *de regn. Ital. Lib. VIIII. p. 270.* Conf. Henr. Brenkmann. *de Amalphi a Piſanis direpta, §. 24. pag. 65. et Hiſt. Pandect. Lib. I. cap. 5. ſeqq.*

* Ad-

Source : BIU Cujas

* Addunt, Irnerium initio Latinas litteras docuisse Bononiae, quumque explicaturo illi, quid sit AS, aqua haesisset, *Pandectas* adiisse, eumque deinde librum publice interpretatum esse Bononiae. Nota sunt illa cardinalis Hostiensis in *c. 1. pr. X. de test. n. 2. As, id est, duodecim vnciae. As ergo quandoque ponitur pro obolo, propter quod verbum venit Bononiam studium ciuile, sicut audiui a domino meo* (Azone). Atqui Azo ille Bulgari tempora attigit, isque ipsius Irnerii discipulus fuit, vt rem non diu antea gestam scire omnino potuerit.

§. CCCCXIIII.

Quid de ea sentiendum.

Enimuero vt posterius falsum esse aduersus Nihusii et Bononiensium clamores solide demonstrauit Herm. Conringius: ita et tota illa historia de repertis Amalphi *Pandectis*, et restituto ea occasione iuris Romani studio, admodum suspecta est. Primo enim id veterum nemo tradit, et vir doctissimus, Lud. Ant. Murator. *Script. rer. Ital. Tom. XI.* ad Fr. Raynerii de Grancis Pisani *Poëma de Praeliis Tusciae*, quod e saeculo demum XIIII. est, obseruat, hunc primum fuisse, qui *Lib. IIII. Pandectas* memoret in depopulatione vrbis Amalphitanae repertas, Pisasque translatas. Deinde nescio, quid Pisanos mouere potuerit, vt librum hunc pro nauatae operae pretio accipere voluerint, nisi ei iam tum aliquis apud Italos honor fuisset. Denique et IRNERIVS ante repertum illum codicem ius ciuile Bononiae docuit anno 1128. ceu ipsi Bononienses in epistola ad Nihusium fatentur, et ante eum, teste Odofredo *ad l. 1. D. de iust. et iur.* PEPO leges priuata auctoritate professus est.

§. CCCCXV.

Quomodo iuris studium Bononiae florere coeperit.

Res itaque, nisi me omnia fallunt, ita se habet. Iuris ciuilis in foris Italiae iam a Iustiniani temporibus magna fuerat auctoritas. At quum in scholis, rudibus istis saeculis, vix quisquam reperiretur, qui cupidae legum iuuentuti viam ad ius ciuile monstraret: Bononiae eam artem profiteri coepit primum PEPO *, ac deinde IRNERIVS, Germanus, quem Constantinopoli ius didicisse, scribit Innoc. Ciron. *obs. iur. can. Lib. V. cap. 5.* Ex eo quum plures profecissent, iique et ipsi scholas iuridicas aperirent: tantus vndique Bononiam factus est concursus, vt ius ciuile plerisque tum primum renasci videretur. Inde et in Gallia PLACENTINVS, in Anglia ROGERIVS, posteaque ACCVRSIVS, alibi alii ius Romanum professi sunt, vt breui in vniuersa Europa id studium propagaretur.

* Hunc

Source : BIU Cujas

* Hunc PEPONEM plerique magnis conuiciis proſcindunt, ſequuti auctoritatem Odofredi *ad l. 6. D. de iuſt. et iur.* Hic PEPO, inquit Brenkmannus, *quem merito peponem dixeris aut fungum, plane nullius nominis fuit. Vnde etiam paſſim, miſſo eo, primus Irnerius auditorium iuris aperuiſſe dicitur.* Vid. *Hiſt. Pandect. Lib. I. cap. 9. pag.* 52.

§. CCCCXVI.

Primi, qui ibi poſt Irnerium ſub Friderico I. ius docuerunt.

Hinc iam ſub Friderico I. imp. clari fuerunt primi Irnerii diſcipuli MARTINVS GROSIAS, Cremonenſis, BVLGARVS, HVGO DE PORTA RAVENNATE, et IACOBVS HVGOLINVS, quos imperator, quum anno Chriſti 1158. comitia haberet in campis Roncalienſibus, in conſilium adhibuit. Radeuic. *de geſt. Fridr. imp. II.* 5. Otto et Andr. Moren. *de reb. Laud.* apud Leibnit. *Script. rer. Brunſuic. Tom. I. pag.* 818. quibus Bononiae ius docentibus, adeo ibi floruit ſchola, vt idem laudatiſſimus princeps, antequam expeditionem in Palaeſtinam ſuſciperet, peregrinos, Bononiam ſtudiorum cauſſa confluentes, pulcherrimo ornaret priuilegio, poſtea inſerto Codici Iuſtinianeo in *Auth. Habita. C. ne fil. pro patre.*

§. CCCCXVII.

Eorum ſucceſſores.

Praeter quatuor iſtos inter primos ICtos Bononienſes celebrantur ROGERIVS VACARIVS, qui in Angliam ius ciuile intulit, Io. Sarisber. *Policrat. Lib. VIII. cap.* 22. Selden. *Diſſ. ad Flet. cap.* 7. §. 2. *ſequ.* OTTO PLACENTINVS, qui primus Montiſpeſſuli iura interpretatus eſt, PYLEVS, qui Bononiae et Mutinae docuit, ALBERICVS A PORTA RAVENNATE, Azo, ICtorum ſua aetate princeps, et non minor hoc praeceptore ſuo ACCVRSIVS, Florentinus, cuius in illis tenebris doctrinam admirabilem ipſi laudant Iac. Cuiac. *Obſ. Lib. XII. cap.* 16. et Franc. Duaren. apud Mornac. *ad l.* 2. §. 21. *C. de vet. iur. enucl.* * quod eo magis mirandum, quo tardius eum, quippe iam quadragenario maiorem, ad ſtudia ſe contuliſſe, ſcribunt. Obiit anno 1229. aetatis LXXVIII. Vid. Guid. Pancirol. *de clar. legg. interpret. Lib. II. cap.* 29.

* Et recte quidem laudatur ACCVRSIVS, qui omnes ante ſe interpretes Graecos et Latinos longe ſuperauit, nullum omnino etiam e poſteris parem habiturus, niſi ei ſaeculum humaniorum litterarum antiquitatiſque lumen denegaſſet. Recte Ian. Vinc. Grauina *de ortu et progr. iur. ciu.* §. 155. *In ſenſibus veſtigandis adeo fuit acutus, et ſollers, perſpicuus autem in verbis, et ſobrius, felixque in abditis ſententiis eruendis, vt niſi temporibus barbaries antiquitatis ei lucem et ſermonis elegantiam ademiſſet, nullam fortaſſe laboris*

Source : BIU Cujas

boris partem reliquisset eruditis recentioribus. Vnde merito viro docto stomachum facessit eorum non dicam insolentia, sed immanitas, qui quum ex ACCVRSIO sapiant, tamen sicubi quid nubeculae occurrit, statim perstrepunt et cachinnos tollunt, nec naeuos condonant homini, qui illi non iuris inscitia, sed temporum iniuriis haeserunt, neque cogitant, tanto magis admirandum esse ACCVRSII ingenium, quod et istis praesidiis destitutum, acutius nonnumquam vidit, quam quisquam posteriorum, quibus nihil, quod ad elegantiores litteras et antiquitatem pertinet, defuisse, crederes.

§. CCCCXVIII.

Summae et glossae ab illis scriptae.

Hi et eorum auditores, a Guid. Pancirolo et Grauina recensiti, non modo viua voce iura publice docuerunt, sed et scriptis suis ista illustrare conati sunt. Eorum vero scribendi labor in eo constitit, vt quidam ius in breuiores veluti positiones, vel, vti ipsi vocabant, SVMMAS contraherent, alii in partiendo augendoque corpore iuris desudarent, alii Graecorum exemplo breuiores GLOSSAS, seu scholia, singulis iuris partibus adiicerent. Inter summistas, quos vocant, praecipui sunt ROGERIVS et AZO, cuius *Summa aurea* prodiit *Lugd.* 1596, 4. Glossas vero aliorum, et maxime AZONIS collegit, suasque adiecit ACCVRSIVS, atque ita anno 1220. perfecta est illa GLOSSA, quae deinde Corpori iuris addita, non minorem fere in foro auctoritatem, quam ipsae leges obtinuit *.

* Nota sunt illa Raphaelis Fulgosii in *l. 6. C. de oblig. et act. Nostis, quanta sit auctoritas glossatoris. Nam heri dixit Cynus, glossam timendam, propter praescriptam idololatriam per aduocatos, significans, quod sicut antiqui adorabant idola pro diis, ita aduocati adorent glossatores pro euangelistis. Volo enim pro me potius glossatorem, quam textum. Nam si allego textum, dicunt aduocati diuersae partis, et etiam iudices: credis tu, quod glossa non ita viderit illum textum, sicut tu, et non ita bene intellexerit, sicut tu? Ego recordor, et sit istud pro nouo, quod dum essem scholaris, eram satis acutus, et dum semel essemus socii multi in vna collatione, ausus fui vnum textum allegare contra sententiam doctoris mei: tantam audaciam habui. Dixit vnus socius, tu loqueris contra glossam, quae dicit sic. Et ego respondi, etsi glossa dicit sic, ego dico sic, ignarus auctoritatis glossatorum. Credebam enim, quod essent speciales apostillae, quae sunt in libris grammaticae, sicut super Virgilio et Ouidio. Sed tamen non ita est. Fuerunt enim glossatores maximae scientiae viri et auctoritatis.*

§. CCCCXVIIII.

Quid in Iustiniani libris innouarint?

Ad partiendum augendumque Corpus iuris pertinet labor eorum, qui Pandectas in DIGESTVM VETVS, INFORTIATVM, et NOVVM diuiserunt, quam ineptam partitionem tribuunt BVLGARO. Paullo magis operae pretium fecit siue BVLGARVSO, siue, vt

Source : BIU Cujas

vt alii malunt, BVRGVNDIO, vel BERGVNTIO, qui Graecos in *Pandectis* et *Codice* textus Latinitate donauit, Pancirol. *de Clar. legg. interpr. Lib. II. cap.* 15. Laurent. Pignor. *Epist. symb.* 39. quamuis, vitiis haud carere illam versionem, ostenderit Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 33. Contra minus concinna est partitio *Novellarum* in nouem partes, quas *nouem authenticarum collationes* barbare vocauit idem BVRGVNDIO.

§. CCCCXX.

Authenticae Codici insertae.

Sed omnium maxime notabiles sunt additiones AVTHENTICARVM, quas vocant, et librorum FEVDALIVM. Confecerant cum Irnerius, tum alii quidam, ex *Nouellis* certas positiones iuris noviſſimi, quibus ipsis *Codicis* legibus derogatum esse obseruarant. Addiderant alii similes quasdam periochas, ex legibus potissimum vtriusque Fridrici imp. decerptas. Has omnes sub titulo AVTHENTICARVM *Codici* inseruit, nescio quis, vt eo facilius reperirent studiosi, quid nouis legibus mutatum sit: quamuis nonnumquam a *Nouellarum* sensu aberrasse earum auctores, res ipsa loquatur. De Authenticarum auctoribus et erroribus videndus est Io. Strauchius in *Irnerio non errante*, et inter quos acris ea de re contentio fuit, Alex. Arnold. Pagenstecherus *Sicilim. Manip.* 3. et *in Irnerio iniuria vapulante*, ac Bynkershoekius *de auctore auctoribusque Authenticarum*, quod cum aliis opusculis prioribus nuper recusum est *Lugd.* 1730, 4.

§. CCCCXXI.

Libri feudorum Novellis adiuncti.

Quum vero multae in foro quaestiones etiam de feudis inciderent, de quibus nihil sancit Ius Iustinianeum, et in Italia scriptae circumferrentur consuetudines feudorum Langobardicae, a PHILIBERTO Episcopo, GERARDO NIGRO, et OB. AB ORTO, coss. Mediolanensibus, qui ab Ottone Friſing. *de gest. Fridr. II.* 13. memorantur, et ab aliis fortassis collectae: eas vna cum constitutionibus Conradi III. et Fridricorum impp. sub titulo, DECIMAE COLLATIONIS *Nouellis* subiunxit HVGOLINVS, ICtus Bononiensis. Odofred. *Comment. in Auth. Cassa. C. de SS. eccles.* Schilter. *praef. ad Mincucc.* §. 4. Quod postea Fridricum II. imp. ratum habuisse, ferunt. Engelhus. *Chron. pag.* 1115. Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap.* 90. Iis postea accessere CAPITVLA EXTRAORDINARIA, quae vocant, ab ARDIZONE et ALVAROTO collecta, nec non constitutiones quaedam principum, quae EXTRAVAGANTIVM nomine veniunt. Horn. *Iuris prud. feudal. cap.* 1. §. 35.

§. CCCCXXII.

Source : BIU Cujas

§. CCCCXXII.

ICtorum saeculi XIIII. prolixiores commentarii.

Hic primae istius ICtorum scholae labor fuit, qui per saecula XII. et XIII. ferbuit. Sequente enim XIIII. vixerunt BARTOLVS DE SAXOFERRATO, et, qui ab eo profecit, BALDVS, Perusinus, ALEXANDER TARTAGNVS, BART. SALICETVS, PAVLVS CASTRENSIS, IASON MAYNVS, CYNVS, RAPHAEL FVLGOSIVS, HIPPOLYTVS RIMINALDVS, et reliqui, quorum vitas Pancirolus aliique descripserunt, qui non breuibus glossis et scholiis, sed COMMENTARIIS amplissimis Corpus iuris illustrarunt. Sunt sane in his aeque, ac in glossa, quae admireris: sed plura etiam inepte et stolide scripta, qualia proficisci oportuit a viris in illa caligine educatis, omnique litterarum, historiae, ac philosophiae lumine destitutis *.

* Nemo commentarios horum hominum elegantius descripsit M. Ant. Mureto *Orat. I*, 17. *Primo* enim ostendit, quam saepe boni illi viri ignoratione antiquitatis et peruerso quodam contradicendi studio peccarint. *Deinde*, quam multa vbique tractarint ad rem nihil pertinentia, veluti dum quaerunt, quae sit potestas ablatiui, gerundii, relatiui, *qui*, *quae*, *quod*, et similia. De ordine *porro: at nostri*, inquit, *qualem nobis cuiusque generis farraginem reliquerunt? vt si quis rusticus hordeum, triticum, viciam, legumina in vnum aceruum conferat, non illis aceruum horum commentariis existimem perturbatiorem fore.* Et quibusdam interiectis: *apud hos enim, vbi v. c. de auctoritate magistratuum agitur, dicetur etiam aliquid de testamentis, vbi de emtione venditione differitur, aliquid de poenis, aut de auctoritate tutorum inferetur: nihil est denique, quod certam sedem ac domicilium habeat, nihil quod non alienissimo aeque facile, ac suo loco pertractatum reperiatur. Inde illae crebrae ex vno in alium locum reiectiones, quum te, quod hic agendum et tractandum erat, id iubent ex alio petere, in quo tale quidquam agi, numquam nisi admonitus, diuinare potuisses. Prorsus vt si quis paterfamilias vestem non in vestiario, sed in arca panaria, conderet, panem ex puteo hauriret, pisces in nemore, lepores in piscina inclusos haberet.* Denique de horrido dicendi genere agens: *non vnam linguam esse, ait, qua loquantur, sed deterrimum quemdam cinnum ex foediissima barbararum, peregrinarum, inauditarum vocum colluuione, olentem, vt seruus ille Plautinus ait, allium, hircum, haram, suem, canem, capram, cet.* Meretur sane tota oratio legi, qua nihil de glossatorum barbarie scriptum est elegantius.

§. CCCCXXIII.

Methodus docendi interpretandique iura.

Mansit ille scribendi mos saeculis decimo quinto et sexto, quo etiam in Germaniae aliarumque prouinciarum academias penetrauit. Quo tempore quae docendi interpretandique methodus fuerit, optime docuit Guido Pancirol. *de clar. legg. interpretibus toto libro II.* Nulla quoque circa iuris prudentiam his saeculis facta

Source : BIU Cujas

cta est mutatio, nisi quod libros Feudorum paullo concinniores quidam dare conati sunt.

§. CCCCXXIIII.

Ceperat hoc consilium anno 1428. ANTONIVS MINCVCCIVS (non *Mericutius*) DE PRATO VETERE, ICtus Bononiensis, scripseratque auspiciis, vt videtur, Sigismundi imp. de FEVDIS *libros sex*, quos a Sigismundo et Friderico III. impp. confirmatos docuit Schilterus, qui hunc MINCVCCII foetum, diu latitantem desideratumque a pluribus, edidit *Argentorati* 1695. 4. Nec aliud fuit institutum BARTHOL. BARATERII, Placentini, qui priuata industria confecit LIBELLVM FEVDORVM REFORMATVM, eumque anno 1442. Academiae Papiensi commendauit. Eum codicem cum reliqua bibliotheca Ticinensi in Galliam transtulerat Ludouicus XII. rex Franciae, ex quo eum primum edidit Nic. Rigaltius *Paris.* 1612. ac postea Io. Phil. Schmidius *Argent.* 1695. 4. Neuter tamen libellus iuris feudalis Langobardici luminibus offecit.

Quid Mincuccius et Baraterius circa feudorum libros moliti?

§. CCCCXXV.

Saeculo XVI. nouum iuris prudentiae splendorem circumdederunt ICti humaniores, ANDR. ALCIATVS, quem IAC. CVIACIVS, ANT. AVGVSTINVS, PITHOEI, fratres, PETRVS FABER, FR. HOTOMANVS, BARN. BRISSONIVS, VDALR. ZASIVS, FRANC. DVARENVS, FR. BALDVINVS, HVGO DONELLVS, aliique viri doctissimi in Gallia, et illustri Bituricensium schola, longo agmine sequuti sunt. At tantum abest, vt hi debellarint barbariem, vt ea multis post annis in foro et scholis regnarit, et quibusdam locis, et hodie regnet, imperet, triumphet *.

Schola ICtorum humaniorum.

* Quam altas in animis hominum radices egerit illa glossatorum barbaries, variis exemplis ostendi potest, velut quod Cuiacio in cathedra Forcatulus, id est, simia homini praelatus: Papir. Masson. in *Elog. Cuiac.* quod Muretus, quia ius nouo more Romae profiteretur, illam spartam Seluaghio, homini barbaro relinquere, et ad elegantioris litteraturae professionem redire coactus est. Muret. *Part. I. orat.* 21. Denique quod Lorioto, Lipsiam, lautiore proposito stipendio, inuitato, et ius non sine maximo iuuenum concursu docenti, parum fauerant ICti, qui fruge reperta glandibus vesci malebant. Vid. Melch. ab Ossa *Testam. cap.* 8. §. 2. *pag.* 385.

Source : BIU Cujas

§. CCCCXXVI.

Cur hi quoque non omnes fecerint operae pretium?

Et equidem, vt vera fateamur, non parum solidiori iuris prudentiae nocuit intempestiuum quorumdam studium, qui quum elegantiores litteras cum iuris prudentia coniunxissent, omnem doctrinae laudem in eo positam existimabant, vt audacissimà crisi leges non emendarent, sed figerent refigerentque, omniaque Romanorum instituta petulantissime riderent, Iustinianum, omnemque eius laborem, ludibrio exponerent, meraſque antinomias, Tribonianismos, et nescio quae alia monstra, vel laruas potius, venarentur, quin et nouum ius, si fieri posset, conderent, nihilque suo loco stare permitterent. Sane vt Bartolistae glandibus; ita hi auditores suos, tamquam Chamaeleontes, vento pascere videntur, non ICti, sed censores, sine populi suffragio creati, iisque accensendi criticis, quos hordeo et auena pasci vidit Cebes Thebanus *in Tabula*.

FINIS LIBRI PRIMI.

Source : BIU Cujas

LIBER II.

DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS GERMANICI.

CAPUT I.

DE IVRE GERMANICO ANTE CAROLI M. IMPERIVM.

§. I.

QVVM commune id esset Germanis cum gentibus reliquis antiquissimis, vt diutissime, et saltim ad saeculum Christianum quartum litteris ac scriptura carerent *: facile patet, eosdem, vti alias gentes, initio legibus quoque ac iure scripto caruisse. Germani veteres legibus scriptis caruerunt.

* Eo enim saeculo litteras inter Gothos primus inuenit Vlphilas, eorum episcopus, auctor versionis Gothicae sacri codicis. Socrat. *Hist. eccles. Lib. V. cap.* 33. Philostorg. *Hist. eccles. Lib. II. cap.* 5. vbi hic de isto Vlphila: *Καὶ γραμμάτων τῶν Γότθοις ἰδίων εὑρετὴς κατεστὰς, μεταφέρεται εἰ τὴν αὐτῶν φωνὴν τὰς γραφὰς ἀπάσας: proprias Gothis litteras excogitauit, et vniuersos sacrae scripturae libros patrio ipsorum sermone interpretatus est.* Quo invento non fuisset opus, si iam antea Germani litteras habuissent. Versionem enim illam vere Germanicam esse, res ipsa docet: et vere scripsit Walafridus Strabus *Rer. eccles. cap.* 7. *Gothi, qui et Getae, eo tempore, quo ad fidem Christi perducti sunt, in Graecorum prouinciis commorantes, nostrum, id est, Theotiscum sermonem habuerunt.* Quae ex Tacit. *Annal. Lib. II. cap.* 63. *et* 88. obiiciunt de epistolis a Germanis ad Romanos missis, ea de lingua et scriptura Latina intelligenda videntur, quam eorum nonnulli diuturna cum Romanis consuetudine procul dubio addidicerant, quemadmodum Graecas litteras ex consuetudine cum Massiliensibus addidicerant quidam Galli. Strabo *Lib. VI.* Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 14. *et Lib. I. cap.* 10. Sed et, quae de Runicae litteraturae antiquitate iactantur, plane incerta sunt, multoque incertius, an ea in Germania vmquam nota fuerit.

Source : BIU Cujas

§. II.

Habuere tamen suos mores et consuetudines.

Nihilominus tamen maioribus nostris sui erant mores ac consuetudines, tum communes omnibus, tum uni vel alteri genti propriae, quarum multas cum cura descripserunt Caesar *de bell. Gallic. Lib. VI. cap.* 21. *sequ.* et Tacitus libello *de moribus Germanorum* singulari, ex quibus locis prolixum recensum instituit Melch. Goldastus *in Collectione legum et consuetudinum imperii*, edita Francof. 1613. et 1674. Harum vero consuetudinum patriarum eo sanctior ad posteros manebat custodia, quo minus ipsa natio vllis exterorum commerciis connubiisue infecta esset *. Tacit. *de morib. Germ. cap.* 4.

* Adeo, vt quidam nec aditum exteris ad se concederent, nec vina, aliasque merces ad se importari paterentur, ceu de Neruiis et Sueuis narrat Caesar *de bell. Gall. Lib. II. cap.* 15. *et Lib. IIII. cap.* 2. Tales vero gentes moris patrii seruantissimae esse solent, ceu Hebraeorum, Scytharum, et olim Sinensium exemplis luculenter potest demonstrari.

§. III.

Earum quaedam exempla.

Tales consuetudines sunt quam plurimae, a Tacito, Caesare, et aliis auctoribus veteribus recensitae, veluti, quod longa esset Germanorum pueritia, longa impubertas, et sera iuuenum Venus: Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 21. Pompon. Mela *de situ orb. Lib.* III. *cap.* 3. Tacit. *de morib. German. cap.* 20. quod liberi cum matre ministeria domestica obirent†: Tacit. *ibid. cap.* 25. ipsique filii, non nisi acceptis sollemniter armis, pars rei publicae haberentur: Tacit. *cap.* 13. quod dotem non vxor marito, sed vxori maritus offerret, consentientibus parentibus et propinquis: Tacit. *cap.* 18. quod arma aliaeque res expeditoriae ad filios et nepotes transmitterentur: alioquin sui cuique heredes essent liberi, fratres, patrui, auunculi, nullumque ibi testamentum *: Tacit. *cap.* 18. quod auunculi sororum liberis loco parentis essent, sanctissimaque ea necessitudo haberetur. Id. *cap.* 20.

* Verba haec Taciti quidam ita interpretati sunt, vt non in vniuersum testamenta ignorasse Germanos existimarint, sed eo saltim casu, si liberi non essent, testamentis locum non fuisse contenderint. Sed hunc sensum nec verba Taciti, nec mores Germanorum, quippe ἀναλφαβήτων admittere, alibi docuimus ex instituto. Vid. *Diss. nostr. de testam. fact. iure Germ. arct. limit. passim circumscript.* [in *Syllog. I. opusc. Exerc. XXVII. §. 9. pag.* 943. *edit. Geneu.*] et *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 6. §. 3.

§. IIII.

Source : BIU Cujas

§. IIII.

Eiusdem generis sunt, quae veteres referunt de statu seruorum libertinorumque: Tacit. *cap.* 25. de seueritate maritorum in sponsas et vxores impudicas: Tacit. *cap.* 19. Procop. *de bello Goth. Lib. IIII.* de consultationibus plerisque inter pocula susceptis: Tacit. *cap.* 22. de insigni promittentium ac colludentium fide: Tacit. *cap.* 24. *Annal. Lib. XIII. cap.* 54. de inimicitiis a tota familia susceptis, Tacit. *cap.* 21. et manu potius, quam iure, finitis: Pompon. Mela *de situ orb. Lib. III. cap.* 3. Vellei. *Lib. II. cap.* 118. de homicidiis mulcta; aliis criminibus morte expiatis: Tacit. *cap.* 12. *et* 21. de mulcta pro parte regi vel ciuitati, pro parte ipsi, qui vindicabatur, vel propinquis eius exsoluta: Tacit. *cap.* 12. de hospitalitate mira et paene promiscua: Tacit. *cap.* 21. Caes. *de bello Gall. Lib. VI. cap.* 21. Pomp. Mela *Lib. III. cap.* 3. de tributis pro munere datis: Tacit. *cap.* 15. de numero non dierum, sed noctium computato: Tacit. *cap.* 11. Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 18. et quae sunt eiusdem generis alia *. Alia eiusdem generis.

* Quo et feuda refert Ge. Ad. Struuius *in Syntagm. iur. feud. Lib. I. cap.* 3. §. 3. ob ea, quae de principum comitibus eorumque insigni fide refert Tacit. *de morib. Germ. cap.* 14. Quod quamuis ridiculum videatur Dietmaro *in not. pag.* 87. argumenta tamen, quae ei sententiae opponit, non infringunt hanc Struuii doctrinam, tantum abest, vt ridiculam illam esse demonstrent. An enim apud Germanos viri principes, quia non erant territorii domini, sed in conciliis electi, non potuere habere vasallos? an necessario requiritur superioritas territorialis, ager, et sedes domini fixa, si quis vasallum habere velit? Et quid aliud sunt illi comites, *Gesellen*, *Waesseln*, quam *vasalli*, maxime quum Tacitus de eorum fide in dominos, et de stipendiis, pro seruitio militari datis, diserte testetur? Nihil ergo impedit, quo minus feudorum stamina cum Struuio iam apud Tacitum quaeramus.

§. V.

Sed quemadmodum pleraeque hae consuetudines Germanis omnibus communes erant: ita dubitari nequit, quin et singulae gentes quasdam habuerint, sibi proprias, ac peculiares, quarum vel vnicum exemplum adferre iuuabit ex Tacito, *cap.* 32. vbi de Tencteris: *inter familiam et penates, et iura successionum equi traduntur: excipit filius, non vt cetera maximus natu, sed prout ferox bello et melior.* Quem locum ad consuetudinem res expeditorias * ad filios vel agnatos transmittendi pertinere, interpretes plerique obseruant. Singulae etiam gentes suos mores speciales habebant.

Source : BIU Cujas

* Equus et hodie inter res expeditorias est, iis locis, vbi illae filiis cedunt. Quemadmodum vero filius natu maximus in Saxonia praecipuum habet gladium: *Ius prou. Sax. Lib. II. art. 22. Ius prou. Sueu. cap. 264.* ita Tencteri praecipuum capi volebant equum, non quidem a filio natu maximo, sed fortissimo.

§. VI.

Gentium Germanicarum aliae in Germania substiterunt, aliae alio migrarunt.

Sed a Taciti temporibus ad saeculum vsque quintum, magna facta est rerum conuersio, migrationeque tot gentium frequentissima effectum est, vt gentes potentissimae, GOTHI, VANDALI, BVRGVNDIONES, SVEVI, FRANCI, ANGLI, praestantissimis Romanorum prouinciis infusae, regna ibi amplissima conderent: vacuas vero eorum sedes gentes antea parum notae, ALAMANNI, BOII, SAXONES, THVRINGI occuparent, totamque Germaniam magnam inter se partirentur, nisi quod ad orientem VENEDI, gens Sarmatica *, magnam Germaniae partem inter mare Balthicum et Alpes sub suam redegerunt potestatem.

* Non VANDALI, gens vere Germanica, quamuis vocabuli sono non multum a VENEDIS differant. Hinc iam pridem explosus est Alb. Cranzii error, Vandalos et Venedos vbique confundentis. Illi relicta Germania in Hispaniam, atque inde in Africam, migrauerant, regnaque ibi potentissima condiderant. Hi vacuas eorum sedes occupabant, et imperii sui fines paullatim ita proferebant, vt ad Albim et Salam omnia, et in superiore Germaniae parte Silesiam, Moraviam, Boëmiam, partem Austriae, Carinthiae, Stiriae et Carniolae sub suam redigerent potestatem.

§. VII.

Illae iure scripto, hae non scripto vsae sunt.

Quae in vetere patria subsiterant gentes, eae, si a Francis discesseris, iure consuetudinario porro vixerunt, nec de iis scribendis, quamdiu sui iuris mansere, cogitarunt *: quum contra populi, qui extra Germaniam sedes quaesiuerant, adquisita sibi aliqua Latine loquendi scribendique facultate, paullo citius iura sua litteris consignarint. Vt adeo ab eo tempore gentium Germanicarum quasdam IVRE SCRIPTO, quasdam NON SCRIPTO vsas esse, animaduertamus.

* Exceptis Francis. Legis enim Salicae patriam in ipsa Germania magna esse quaerendam, eamque prius litteris consignatam, quam Franci Rhenum transirent, plerique recte existimant, ex eoque colligunt, legem illam antiquissimam primum Germanice scriptam fuisse, cuius authentici Germanici reliquias esse glossas Malbergicas existimat Wachterus *in Glossar. Tom. II. pag.* 348. Sed quum Salii iam inde ab antiquissimis vsque temporibus notitiam aliquam Latinae linguae habuerint, teste Venantio Fortunato *Lib. VI.*

Source : BIU Cujas

VI. carm. 4. et de lingua Francica adhuc suae aetatis conqueratur Odfridus Weissenburgensis *in Euang. praef. pag.* 2. *edit. Schilt.* eam scribi vix posse: multo profecto verosimilius est, legem quoque Salicam statim initio Latine scriptam esse.

§. VIII.

Antiquissima tamen omnium videtur LEX SALICA, quae Salios, inter Ligerim et Carbonariam postea habitantes, obstrinxit. Eam *dictasse* primum dicuntur proceres gentis, *Wisogastus*, *Bodogastus*, *Salogastus*, *et Windogastus* *, emendasse vero postea *Chlodouaeus*, *Childebertus*, *Chlotarius*, *Carolus M. et Ludouicus Pius.* Vid. *Praef. leg. Salic. Lindenbrog. Cod. leg. pag.* 346. *sequ.* Baluz. *Tom. I. Capit. pag.* 17. *pag.* 387. 606. *Tom. II. pag.* 1060. Ergo satis certum videtur, prima eius stamina in Germania magna ante Chlodouaeum ducta, eamque postea subinde variis additionibus auctam esse. Vnde diuersissimae huius legis editiones, cum glossa Malbergica, et sine ea, quas adcuratissime inter se contulit, et ex antiqua lingua Germanica illustrauit Io. Ge. Eccardus, *Hanouerae* 1719. *fol.* Lex Salica.

* Notum est doctorum de his hominibus locisque, vnde nomen tulerunt, certamen, quod nostra memoria inter viros illustres, Godofr. Guil. Leibnitium et Nic. Hier. Gundlingium aliquamdiu fuit. Sed coniecturae merae sunt, quas vterque profert, nec certius quidquam dici potest, quam legem Salicam initio saeculi V. circa annum 422. vti Sigebert. Gemblac. *in Chron.* ad illum annum statuit, in Germania Magna, et quidem, vt in *praefatione Corpori iuris Germanici praemissa* luculenter ostendimus, in tractu, qui nunc Franconiae nomine venit, procerum suffragiis conditam, ac paullo post in scripturam redactam, postremo a Chlodouaeo et successoribus recognitam, variisque additionibus esse amplificatam.

§. VIIII.

Non vna, sed duabus, legibus vsos esse Francos, iam Eginard. *in Vit. Car. M. cap.* 29. obseruauit. Id vero non de duabus legis Salicae editionibus, quod Hermanno Conringio *de orig. iur. Germ. cap.* 7. visum, intelligendum, sed de lege SALICA et RIPVARIORVM, a Ripuariis, qui inter Rhenum, Scaldim, et Mosam consederant *, dicta, quae etiamnum exstat apud Bas. Heroldum et Lindenbrogium, et paullo post Salicam condita, et a Theoderico, Chlodouaei filio, in scripturam redacta videtur, aucta postea a Dagoberto rege. *Praef. leg. Baiuwar.* apud Lindenbrog. *pag.* 399. Baluz. *Tom. I. pag.* 989. Ripuaria.

* Multo

* Multo post tractus terrae haud exiguus ad Ruram nomen *pagi Ripuariorum* vel *Ribuariorum* retinuit, ceu cum ex aliis monimentis, tum ex *Traditionibus Werthinensibus* a Leibnitio *Tom. I. Scriptor. rer. Brunsu.* editis patet. De eo plura auctor *Prodromi Chronici Gotuicensis, Lib. IIII. pag.* 749.

§. X.

Burgundionum. Initio saeculi quinti Burgundionibus, qui in Alpibus Graiis, Viennensi prima, Lugdunensi prima et quinta, prouinciis potissimum consederant, leges ex procerum sententiis dedit Gundobadus rex, a quo et ipsa lex GVNDOBADAE nomen accepit. Gregor. Turon. *Hist. Franc. Lib. II. cap.* 33. *Praef. Leg. Burgund. apud Lindenbr. pag.* 266. Plura tamen adiecisse videtur Sigismundus, cui ideo hae leges tribuuntur in codicibus MSSC. Valuit ea et euerso Burgundionum regno. *Capit. Caroli M. ann.* 813. Quod odio religionis Arianae adeo momordit Agobardum *, vt singularem librum *aduersus legem Gundobadi, et impia certamina, quae per eam geruntur*, scriberet, qui occurrit *Tom. II. Oper. pag.* 107.

* At ea in re non erat, quod Burgundionibus exprobrarent Franci, quum hi impia ista certamina non minus, quam Burgundiones probarent. Vid. *Capit. Lib. III. cap.* 46. Si vero Agobardus generatim damnauit singularia ista certamina: pie quidem et recte sensit, sed non debuit sibi solos Burgundiones eligere aduersarios. Fatendum tamen est, Agobardum inter primos agnouisse certaminum illorum impietatem. Exstat enim eius libellus *contra iudicia Dei ibid. pag.* 301.

§. XI.

Ostrogothorum et Wisigothorum. Ita et OSTROGOTHIS, qui in Italia regnarunt, EDICTVM satis prolixum primus proposuit THEODORICVS, rex, quod etiamnum exstat apud Lindenbrog. *in Cod. leg. pag.* 239. *sequ.* quamvis et plura alia eiusdem generis Cassiodorus *in Variis* seruarit, quae aeque, ac illud maius, non ius Gothorum sincerum, sed ex Romano iure vbique interpolatum, sistunt *. Paullo plus prisci moris inest LEGIBVS WISIGOTHICIS, quas primum Euricus rex anno erae Hispanicae 504. id est anno Christi 466. scripsit, successores vero, et in primis Legeuildus recognouit ac correxit, quum *antea tantum moribus et consuetudine tenerentur*. Isidor. *in Chron. Goth. ad ann.* 504. *et* 608. Lex ea primum locum occupat in Codice Lindenbrogiano: quamuis codicem MSC. multo locupletiorem, et aliquando ab editione Lindenbrogia-

Source : BIU Cujas

brogiana diuersum, seruet instructissima Io. Petri a Ludewig bibliotheca.

* Struuius *in Hist. iur. Lib. V. cap. 4. pag. 355.* leges antiquissimas Gothorum memorare ait Iornandem *de Reb. Get. cap. 11.* quarum auctor fuerit Diceneus aequalis L. Sullae philosophus. *Hic enim*, inquit, *cernens Gothorum animos sibi in omnibus obedire, et naturale eos habere ingenium, omnem paene philosophiam eos instruxit, erat enim huius rei magister. Nam ethicam eos eruditit, vt barbaricos mores ab iis compesceret: physicam tradens, naturaliter* PROPRIIS LEGIBVS *viuere fecit, quas vsque nunc conscriptas*, BELLAGINES *nuncupant. Logicam instruens, eos rationis supra ceteras gentes fecit expertos*, cetera. Sed nemo non videt, BELLAGINES istas non fuisse leges politicas, quibus res publica regeretur, sed diaeteticas et physicas, ad quas Gothi in cibo potuque, et tota vitae ratione sese componerent. Et nescio sane, an non vocabulum istud sit a Germanico *Wohlbehagen*, Belg. *Welbehagen*, quod sanitatem vel commodam valetudinem significat, ad quam tuendam comparatae erant illae *bellagines*.

§. XII.

Angliorum et Werinorum.

De SVEVORVM, qui in Hispania; nec non VANDALORVM, qui primum in Hispania, ac postea in Africa regnarunt, legibus nihil compertum habemus. At ANGLIORVM, qui in Britannia sibi nouas sedes imperiumque quaesiuerunt, et WERINORVM lex antiqua, sed perbreuis, exstat, ab Heroldo, Lindenbrogio, et Leibnitio edita, quamque facile patet, ante expeditionem Britannicam scriptam esse, si genuina est inscriptio, in qua Anglii et Werini, tamquam vicini, iunguntur: quamuis plane dubitare liceat, an hae Angliorum, ac non potius Thuringorum leges sint. Vid. Conring. *de orig. iur. Germ. cap. 13.*

§. XIII.

Cur gentes extra Germaniam ius Romanum non adspernatae sint?

Et hae quidem sunt leges gentium, quae relicta Germania in cultioribus orbis Romani prouinciis consederunt. Quum venerarentur, qui eas ibi regnare suis auspiciis patiebantur, quum expellere non possent *: haud mirum est, non modo ipsas illas gentes nonnulla ex iure Romano adsciuisse, sed et prouincialibus, quos quibusque locis repererant, leges Romanas permisisse.

* Ita ipsi FRANCI possessionem occupatae a se Galliae non satis stabilem existimabant, antequam tabulis ab imperatore consignatis confirmaretur, Procop. *de bell. Goth. Lib. III. cap. 33.* auctorque est Gregor. Turon. *Hist. Franc. Lib. II. cap. 38.* Chlodouaeum ab Anastasio imperatore consularia insignia

Source : BIU Cujas

signia impetrasse. Conf. Eccardi *praef. Orig. Habsburg.* Deinde ipsi Ostrogothorum regum nummi, in quibus imperatorum orientalium capita et tituli cusi sunt, satis indicant, Theodoricum, etsi non exspectata Zenonis imp. iussione regis Gothorum ac Romanorum titulum sumsisset, comiter tamen illius maiestatem veneratum, regnumque Italiae se clientelari tantum iure tenere, professum esse. Eccard. *Epist. de nummis quibusdam sub regimine Theodorici Gothor. reg. in honorem imperatorum Zenonis et Anastasii cusis, Hanou.* 1720, 4. Io. Petr. a Ludewig *in Vit. Iustin. cap.* 8. §. 86. *pag.* 404. Sed et Burgundiones sedes suas, teste Prospero Aquitanico *in Chron. ad annum* 443. beneficio Valentiniani Imp. obtinuerant, quemadmodum et Wisigothos Honorius imp. regnare passus erat in Gallia et parte Hispaniae, ea lege, *ut sua solatia Romanae rei publicae, vbi vsus exigeret, non denegarent.* Iornand. *de reb. Get. cap.* 32. Quae quidem clientelarem nexum satis superque arguunt.

§. XIIII.

Leges Germanorum passim ius Romanum redolent.

Ac primo quidem istas gentes ex diuturna illa cum Romanis consuetudine aliquid peregrini etiam circa leges attraxisse, tam certum est, quam quod certissimum. Quamuis enim de lege Wisigothica non adsentiamur Cuiacio *ad* 2. *Feud.* 2. scribenti, *in ea omnia fere esse petita ex iure ciuili*: multa tamen inde originem habere fatemur, in primis, quae constituta legimus de testamentis, *leg. Wisig. Lib. II. tit.* 5. §. 12. nec non de peculio filiorum familias. *Lib. IIII. tit.* 5. §. 5. Eiusdem originis sunt, quae de testamentis sancit *lex Burg. tit.* 43. §. 1. *et Edictum Theoderici* §. 28. *seqq.* itemque, quae *eodem Edicto* §. 132. de possessore nec titulum edente nec probante, §. 133. de muliere fideiubente, §. 138. de re a duobus emta, et vni tradita, nec non in *lege Burgundica tit.* 87. §. 3. de restitutione minorum ante annum aetatis XXX. et *tit.* 88. §. 2. de manumissionibus praecipiuntur. Vt iam non adcumulemus huius generis alia.

§. XV.

Germanicae gentes prouincialibus ius Romanum concesserunt, velvti Wisigothi.

Deinde probe obseruandum est, easdem gentes prouincialibus quasque suis legum Romanarum vsum concessisse. Fecerunt id sane WISIGOTHI, quorum rex, ALARICVS iunior, anno Christi 506. per Anianum Gothum, aliosque ecclesiae ac rei publicae proceres, ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, et Theodosiano, nec non Paulli *Sententiis*, et Caii *Institutionibus* conficiendum curauit corpus iuris Romani, sed vbique fere interpolatum. Vnde *Anianismos* innumeros in his fragmentis deprehenderunt eruditi. Cuiac. *Not. prior. ad* §. 34. *Inst. de rer. diuis.*

Source : BIU Cujas

diuiſ. Iac. Gothofr. *Proleg. Cod. Theod. cap. 6.* Baptiſta a Ieſu Chriſto *nou. vel vindic. iur. ciuil. art. 2.* Bynkershoek. *Obſ. Lib. V. cap. 13.* Id paſſim vocatur CORPVS THEODOSIANVM, Baluz. *Tom. II. pag. 474.* LEX ROMANA, Idem *Not. ad Capit. Tom. II. pag. 995.* Car. du Freſne *Gloſſar. med. et inf. Lat. voce: Lex Romana*, itemque BREVIARIVM ANIANI, *c. 21. cauſſ. 2. qu. 6.* Hiſtoriam huius corporis Alariciani dedit Iac. Gothofr. *in Proleg. Cod. Theod. cap. 5.* * cui addendum, vſum hunc iuris Romani ſaeculo ſeptimo in regno Gothico ſuſtuliſſe Childeſwindum, regem, cuius ſeuera ea de re conſtitutio exſtat in *leg. Wiſig. Lib. II. tit. 1. §. 9.*

* Vbi etiam recte obſeruauit, Anianum non eſſe auctorem et compilatorem corporis iſtius Alariciani, ſed tantum auctoritati vel conſtitutioni Alarici regis, qua illud opus ratum habuit, idque in foris obſeruari iuſſit, ſubſcripſiſſe, tamquam ſcriniorum magiſtrum, vel cancellarium. Vnde procul dubio iniuria fit bono viro, dum omnes iuris Romani corruptelae *Anianiſmorum* nomine traducuntur, vti emblemata iuris Iuſtinianei Tribonianiſmos ab omnibus vocari animaduertimus.

§. XVI.

Idem inſtitutum multo magis ſeruabant OSVTOGOTHI. Ipſe enim Theodoricus rex in praefatione edictum ſuum valere iubet, *ſalua iuris publici reuerentia, et legibus omnibus cunctorum deuotione ſeruandis.* Et apud Caſſiod. *Variar. Lib. III. cap. 43.* vſum iuris Romani diſerte confirmat. Quin tanta erat regum illorum humanitas, vt arbitrium facerent ſubditis, qua quiſque lege vivere vellet. Greg. Turon. *Hiſt. Franc. Lib. II. cap. 33.* Caſſiod. *Variar. Lib. I. cap. 1. Lib. III. cap. 4.* Oſtrogothi.

§. XVII.

Eo exemplo BVRGVNDIONES quoque Romanos, in regno ſuo viuentes, iure ſuo vti patiebantur. Gundebald. *in Praef. Leg. Burg. apud Lindenbr. pag. 267. Inter Romanos vero, ſicuti a parentibus noſtris ſtatutum eſt, ROMANIS LEGIBVS praecipimus iudicari.* Hinc PAPIANVS quidam Aniani exemplo *librum RESPONSORVM* ex Codice Theodoſiano, *Nouelliſque* Theodoſii et ſucceſſorum, quin et ICtorum libris quibuſdam compilauit, vt provincialibus, qui lege Romana, quam Gundobada, viuere mallent, pro norma eſſet *. In eo *Reſponſorum* libro, quem Ant. Schultingius recuſum dedit, eumdem ordinem eſſe ſeruatum, ac Burgundiones.

Source : BIU Cujas

in lege Burgundica, obseruant Lindenbrog. *in Praef. Cod. leg. Alam.* et Iac. Gothofr. *in Manual. iur. Lib.* II. *cap.* 2. §. 11.

* Addo, librum illum *Responsorum* a Papiano ipsius Gundebaldi regis iussu ac auspiciis videri confectum. Quum enim rex ille Romanos Romanis legibus iussisset iudicari : statim subiicit *in dicta praef. pag.* 267. *Qui* (Romani) *FORMAM ET EXPOSITIONEM LEGVM conscriptam, qualiter iudicent, se nouerint ACCEPTVROS, vt per ignorantiam se nullus excuset.* Vbi manifesto promittit corpus aliquod legum Romanarum, quod quidem non aliud esse videtur, quam PAPIANI *Responsorum liber.*

§. XVIII.

Franci tum sub Chlodovaeo et Theodorico.

Denique et FRANCI quamuis iure moribusque patriis viuerent, optionem tamen et ipsi dabant prouincialibus, suisne, an Romanis legibus, viuere vellent, quippe quas tum in Gallia vniuersa viguisse, testatur Agathias *de bello Goth. Lib.* I. *pag.* 7. Ita Chlotarius apud Baluz. *Tom.* I. *Capit. pag.* 7. *causas inter Romanos controuersas Romanis terminari legibus*, iussit. Sed et Theodoricus II. rex iuris Romani tam studiosus fuit, vt Baronius *ad ann.* 468. per *leges Theodoricianas*, quarum meminit Sidon. Apollin. *Lib.* II. *epist.* 1. intellexerit codicem quemdam legum Romanarum ab hoc rege exemplo Gothorum confectum. Quod quamuis falsum esse docuerit M. Ant. Dominicus *de praerog. allod. cap.* 6. §. 2. * idem tamen eius amorem erga ius Romanum aliunde solide probat, in primis ex illis Sidon. *Carm. Lib. VII. v.* 495. vbi Auitum alloquitur Theodoricus :

—— *Mihi Romula dudum*
Per te iura placent.

* Immo Iac. Sirmond. *ad Sidon. pag.* 25. ostendit, non intelligendas esse leges a Theodorico, rege Francorum, sed a Theodorico, Gotho, latas, ac proinde refellit eos, qui ante Euricum nullas exstitisse Gothorum leges, existimant. Sed et alterum locum non ad Theodoricum Francum, sed Gothum pertinere, facile lector intelligit.

§. XVIIII.

Tum sub sequentibus regibus.

Denique sub Dagoberto adhuc ius secundum leges Romanas dictum esse, testis est Aimon. *in Hist. Dagob. IV.* 25. Exstant etiam testamenta, tum ad normam iuris Rom. facta, quale est non modo S. Remigii apud Flodoard. *Hist. Rem. Eccles. I.* 18. et Hadoindi Cenomanensis Ep. apud *eumdem II.* 5. sed et Alredi, Abbatis, factum anno 571. apud Mabillon. *Analect. Tom. II. pag.* 48. qui et alibi *Annal. Bened. Tom. II. pag.* 702. adfert diploma

Source : BIU Cujas

ploma Murbacense Euerardi Comitis, in quo mentionem facit *donationis, a se nequaquam ciuiliter gestis municipalibus alligatae*, id est, ad acta non insinuatae. Quamuis vero non haberent peculiare aliquod iuris Romani syntagma: sequebantur tamen Codicem Theodosianum, cuius non ignari erant Francorum proceres, veluti Celsus patricius, quem *iuris lectione peritum*, et Andarchius, quem *legis Theodosianae libris eruditum* celebrat Gregor. Turon. *Hist. Franc. Lib. IV. cap.* 24. *et* 47. itemque Bonitus Aruernensis Episcopus, quem circa annum 650. *Theodosii edoctum fuisse decretis*, ex MSta eius vita docet Iac. Gothofred. *Proleg. Cod. Theod. cap.* 7. *pag.* 196. *

* Quin in vniuersum testatur Sidon. Apollin. *Lib. II. epist.* 1. iuuentutem Gallicanam, imperante Chlotario, Francorum Rege, *Codicis Theodosiani studio fuisse initiatam.* A multo enim tempore inoleuerat ibi mos, vt Romam confluerent, qui iuri ciuili dabant operam: eiusque rei exempla sunt apud Constantium *in vita S. Germani cap.* 1. et Rutil. Numat. *Itin. I. v.* 209. Celebrabatur enim tum Roma, tamquam *domicilium legum*, Sidon. Apoll. *Lib. I. epist. 6.* ac proinde iuris ciuilis cultum inde petebant, quotquot ex prouincialibus ad sapientiae istius laudem adspirabant. Fr. Iuret. *ad Symmach. Lib. VIII. epist.* 83.

§. XX.

An et Angli?

Quid? quod et Anglos, quamuis Britanniam, iam a Romanis desertam, occupassent, legum tamen Romanarum vsum, cui adsueti fuerint, Britannis prouincialibus relinquere non dubitasse, existimat Io. Sam. Brunquell. *Hist. Iur. I.* 15. 19. Auctor enim est Beda Venerab. *Hist. Angl. II.* 5. Ethilbertum, Cantii Regem, *inter cetera bona, quae genti suae consulendo contulerit, etiam decreta iudiciorum iuxta templa Romanorum cum consilio sapientum constituisse, quae conscripta Anglorum sermone hactenus habeantur, et obseruentur ab ea.* Enimuero non leges Romanas recepit Ethilbertus, quas tunc ex Britannia plane exsulasse, obseruat Selden. *in Diss. ad Flet. cap.* 7. §. 1. sed sensus est, primum illum regem Christianum proprias Anglis leges tulisse *, et tanta quidem cum cura, vt exemplo Romanorum viros sapientissimos in consilium adhibuerit.

* Exstant permultae Ethilberti istius leges etiamnum in G. Lambardi *Archaeonomia, edita Londin.* 1568. Sed eae nihil Romani redolent. Quin ipse Beda statim subiicit, Ethilbertum *in his* legibus *primitus posuisse, qualiter is emendare deberet, qui aliquid rerum vel Ecclesiae, vel Episcopi, vel reliquorum ordinum furto auferret*: Obseruatque Selden. *in Iano Angl. Lib. I.* §.

Source : BIU Cujas

I. §. 34. fures ex ea lege delictum numis luisse, si qui vero manum sacris essent admoliti, iis manum praecisam esse. Id quod sane cum iure Romano nihil commune habet, magisque iuri Germanico concinnum videtur.

§. XXI

Gentes quae in Germania subsiterunt, legibus scriptis vti coeperunt tum ante Carolum M.

Talis erat status apud eas gentes, quae in prouinciis Romanis noua regna condiderant. Quod ad eas attinet, quae in Germania subsiterant: eae pleraeque tum demum, quum in Francorum potestatem peruenissent, ius scriptum habere coeperunt. *Theodericus* enim *Rex Francorum, quum esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante, iussit conscribere legem Francorum, et Alamannorum, et Baiuuariorum, vnicuique genti, quae in eius potestate erat, secundum consuetudinem suam. Addidit, quae addenda erant, et improuisa et incomposita renouauit, et quae erant secundum consuetudinem paganorum, mutauit secundum legem Christianorum. Et quidquid Theodericus Rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, posthaec Childebertus, Rex, inchoauit, sed Chlotarius Rex perfecit. Haec omnia Dagobertus, Rex gloriosissimus, per viros illustres Claudium, Chadum, Indomagum et Agilulphum * renouauit, et omnia vetera legum in melius transtulit, et vnicuique genti scripta tradidit, quae vsque hodie perseuerant.* Ita habet *Praef. Leg. Baiuuar. apud Lindenbr. pag.* 399.

* Qui inter hos viros illustres est AGILVLFVS proculdubio Boioarius fuit, et fortassis ipse Boiorum Dux, qui et postea semper debuit esse ex Agilolfingicis. *Lex Baiuu. tit.* 2. §. 20. Ergo probabile est Dagobertum ex singulis gentibus, quibus leges praescribebat, viros illustres, et iuris patrii gnaros in consilium adhibuisse.

§. XXII.

Tum sub eo.

Similia de Carolo M. memoriae prodidit Eginardus *in vita Car. cap.* 29. *eum nimirum omnium nationum, quae sub eius dominatu erant, iura, quae scripta non erant, describi ac litteris mandari feciſſe.* Poëta vetus apud Leibnit. *Script. Brunsu. Tom. I. pag.* 168.

Cunctorumque sui regni leges populorum,
Collegit, plures inde libros faciens.

Talia etiam in *Annal. Francor.* apud Lambec. *Bibl. Vindob. II.* 5. legimus, ex iisque simul obseruamus, factum id a Carolo esse circa annum 804. *

* Hinc

Source : BIU Cujas

* Hinc tot harum legum editiones diuersissimae, quarum aliae prolixiores, aliae adstrictiores sunt. Immo quam sui dissimiles sint, argumento sunt tot variae lectiones, quas codici suo subiunxit Lindenbrogius, quarumque multo plures colligi posse, Ge. Eccardus legis Salicae et Ripuariorum; Lud. Ant. Muratorius Langobardicae exemplis docuerunt.

§. XXIII.

Iam itaque facile patet, quae sit origo LEGIS ALAMANNORVM *. Ea enim in Codicibus MSC. hunc titulum praefert; *incipit LEX ALAMANNORVM, quae temporibus Chlotarii Regis vna cum principibus suis, id sunt XXXIII. Episcopis, et XXXIV. Ducibus, et LXXII. Comitibus, vel cetero populo, constituta est.* Herold. *pag.* 17. Lindenbrog. *pag.* 363. Est ergo haec lex a Chlotario, et quidem, vt P. Daniel *Hist. Franc. Tom. I. pag.* 306. recte suspicatur, secundo, quia tum Alamanni iam ducibus suis paruerunt. Lex Alam. *tit.* 31. Interim facile largimur, Theodoricum, Chlodouaei filium, prima eius stamina duxisse. Nec dubium est, quin successores plura addiderint, eaque caussa sit tantae exemplarium varietatis, de qua Lindenbrog. *pag.* 1330. *sequ.* et Conring. *de orig. iur. Germ. pag.* 9. *cap.* 42. Lex Alamannorum.

* Doctissimus Nic. Hier. Gundlingius *Part. III. Gundling. Diss. II. §. 16.* statuit, Alamannorum a Chlodouaeo oppressorum, prouinciam occupasse Francos victores, iisque datam esse *legem Salicam*, cui postea demum lex Alamannica successerit, quum a Francis paullo mitius haberentur. Sed veterum auctoritate destituitur haec sententia, nec aliud habet fundamentum, quam quod vir doctus quatuor pagos, *Salheim*, *Windheim*, *Bodenheim*, et *Wisenheim*, qui *Salogasto*, *Windogasto*, *Bodagasto* et *Wisogasto*, legis Salicae auctoribus, nomina dare potuerint, in tractu Wormatiensi, adeoque in Alemannia inuenisse sibi visus est. Conf. quae huic coniecturae opposuit Leibnit. *in Responsione sua §. 45. sequ.* quam ipse Gundl. edidit *Part. VI. Gundling. pag.* 77. *sequ.*

§. XXIV.

Certior est LEGIS BAIVVARIORVM aetas: Quum enim Boioarii, Alamannorum clade perterriti primum Theodorico, Ostrogothorum in Italia regi, eoque mortuo, Francis se dedissent: leges eorum, in scripturam redactas firmarunt primum Theodoricus, deinde Childebertus et Chlotarius, ac demum Dagobertus, Reges. *Praef. Leg. Baiuuar. pag.* 399. At quum non armis victi, sed spontanea deditione in Francorum potestatem venissent, adeoque magna adhuc ducum e gente Agilolfingica esset auctoritas: non mirum profecto est, eos quoque leges tuliisse subditis, Baiuuariorum.

Source : BIU Cujas

subditis, in quibus est DECRETVM TASSILONIS *, legi isti Baiuuariorum subiunctum apud Lindenbrog. *pag.* 439. et haut paullo auctius apud Gewold. *ad Hund. Metrop. Salisb. Tom. I. pag.* 310. *sequ.*

* Sunt qui Thassilonem sibi id ius statuendi, vel nouas condendi leges ob regum Merouingicae stirpis impotentiam sumsisse existimant. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 9. Sed quantacumque fuerit regum impotentia, hanc audaciam saltim non tulissent maiores Domus, tanto potentiores. Probabilius ergo est, Ducatus Boiorum eam fuisse formulam, vt Duces pleraque iura, quae hodie ad superioritatem territorialem referuntur, iure suo in prouinciis explicarint, ac proinde et nouas leges, quas exigere videbatur rei publicae salus, ciuibus praescriberent.

§. XXV.

Frisiorum. Incertae aetatis est LEX FRISICA, quippe quam alii a Theoderico, alii a Chlotario, alii a Dagoberto, alii denique a Carolo M. latam existimant. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 13. Sed quum Theoderico nondum paruerint Frisii, leges ipsae autem rudiores atque horridiores sint, quam quales felicius Caroli M. saeculum ferebat, quin in ipsis, quae postea accesserunt, additionibus sapientum, VVLEMARI et SAXMVNDI *tit. XII.* §. 1. adhuc pagana legislatorum superstitio pelluceat: mihi quidem certissimum videtur, leges has scriptas esse, antequam gens Frisica sacra christiana susciperet *, quamuis deinde quaedam ad christianum ritum detorsa videantur. Vid. *Addit. Vulemari tit.* 1. §. 1. Praeter Heroldum, et Lindenbrogium hanc legem non modo edidit, sed et notis vtilissimis illustrauit SIB. TEDARDVS SICCAMA, cuius libellum eleganter recusum debemus viro clarissimo, Car. Guil. Gaertnero, *Lipsi.* 1730. 4*to.*

* Id demum factum, quum a Carolo Martello victi in Francorum potestatem venissent. Sed quam aegre suaue istud Christi iugum subierint, vel ex *S. Ludgeri vita Lib. I. cap.* 1. *sequ.* et S. Bonifacii certaminibus ac martyrio satis intelligitur. Non mirum igitur, tam cito non potuisse omnia superstitionis veteris vestigia tolli ex lege Frisica.

§. XXVI.

Langobardorum. Interea LANGOBARDI quoque Italiam, Gothis vix a Iustiniano Imp. ereptam, circa annum Christi 568. occupauerant, ibique regnum constituerant potentissimum, quod praeter exarchatum Rauennatensem vniuersam paene Italiam complexum est. Itaque et hic populus leges suas non modo in scripturam, verum

Source : BIU Cujas

rum etiam in iuſtum corpus redigere coepit, etiam poſt Caroli M. tempora, et exſtincto licet regno Langobardico, diutiſſime apud Italos valiturum. Sigon. *de Regno Ital. Lib. VIII. ad an.* 1007. *pag.* 188. quin etiamnum in quibuſdam Italiae vrbibus valentem *, ſi fides habenda lac. Spigelio et Melch. Goldaſto *apud* Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 22.

* Hinc leges Langobardicas paſſim citant gloſſatores, Accurſius, Pileus, Conradus, Ioannes Teutonicus, quoties ius ſuorum temporum deſcribunt. Obſeruauit hoc Franc. Curtius iunior; ex eoque Goldaſtus *in prolegom. collection. conſuet. et legum Imperial.*

§. XXVII.

Legum Langobardicarum collectio et gloſſae.

Diximus has leges in corpus aliquod redactas. Nam quamuis non vnum agnoſcant auctorem, ſed partim a Rothare Rege anno 637. partim a Grimoaldo, Luitprando, Ratchiſo, Aiſtulpho, quin et a Francicis ac Germanicis Imperatoribus, latae ſint: editiones tamen Lindenbrogiana, et pleraeque omnes, has leges ſiſtunt libris tribus, in certos titulos diſtributis. Quod a PETRO, diacono Caſſinenſi, factum eſſe, plerique exiſtimant, quem Lotharii III. Imp. Logothetam, exceptorem et chartularium fuiſſe, ex *Chron. Caſſin. IV.* 125. patet. Gloſſas iuridicas in leges has Langobardicas ſcripſerunt CAROLVS COTTVS, ANDR. DE BARVTO, et Io. BAPT. NENNA. Duorum priorum nec non NIC. BOERII gloſſae * habentur in *Corpore iuris gloſſato Lugd. Sequan. apud Gabr. Carter. anno* 1600. 4. *Tom. vlt.*

* Eaque quoque gloſſae argumento ſunt, eorum auctorum temporibus extra vſum non fuiſſe ius Langobardicum. Ex his vero iuris Langobardici interpretibus CAROLVS quidam COTTVS antiquiſſimus eſt, quem Pithoeus in *praef. ad Capitular.* annis 380. ante ſe vixiſſe ait: de Io. BAPT. de NENNA aetate non conſtat. ANDR. vero DE BARVTI et NIC. BOERIVS ſaeculo XVI. vixerunt.

§. XXVIII.

Noua Muratorii collectio laudata.

Sed omnium induſtriam in reſtituendo illuſtrandoque Codice LEGVM LANGOBARDICARVM ſuperarunt Socii Palatini, et in his Lud. Ant. Muratorius, qui inter *Script. Rer. Ital. Tom. I. Part.* 2. leges Langobardicas ex duobus codicibus Mutinenſibus * edidit, non in titulos, ſecundum ordinem argumentorum diſtributas, ſed ſecundum Regum, a quibus profectae, ſeriem digeſtas, ſuiſque prooemiis, quae in editis omnibus deſunt, inſtructas, interiectis paſſim formulis; quibus prudentes Langobardo-

Source : BIU Cujas

rum tum agendo, tum excipiendo in foro vſi ſunt, additiſque praefationibus, notis, indicibuſque praeſtantiſſimis, vt nihil hac quidem collectione reperiri poſſit perfectius.

* Alterum ex his codicibus Eurardus quidam per Lupum deſcribendum curauit. Id enim docet praemiſſum carmen heroicum, cuius initium eſt:

Hunc Heros librum legum conſcribere fecit
EVRARDVS prudens.

Eurardum iſtum Muratorius non alium eſſe ſuſpicatur, quam ducem Foroiulienſem ſub Ludouico II. imp. Addo ego, eumdem forſan eſſe hunc codicem, cuius ipſe Euerardus meminit in Teſtamento ſuo apud Aub. Miraeum *cod. donat. piar. cap.* 15. *pag.* 21. vbi Vnrocho filio primogenito legat *librum de lege Francorum, et Ripuariorum, et Langobardorum, et Alamannorum, et Baiuuariorum.* Et in hoc Codice Mutinenſi, eaedem leges, vno faſciculo coniunctae fuerunt, teſte ipſo Muratorio.

§. XXIX.

Capitularia Regum Francorum ad tempora Caroli M.

Et hae quidem ſunt leges gentium Germanicae originis, a ſaeculo V. ad Caroli M. imperium in ſcripturam redactae ac editae. Quum vero Franci hoc temporis interuallo, Burgundiones, Friſios, et Alamannos perdomuiſſent, Gothos Gallia ſubmouiſſent, Baiuuarios in deditionem accepiſſent: non mirum eſt, praeualuiſſe reliquis LEGES FRANCICAS, non modo SALICAM et RIPVARIORVM, ſed et edicta, quae ſinguli Reges in comitiis vel placitis publicis, et conſentientibus regni ordinibus, ſub CAPITVLARIVM * nomine edere ſolebant. Superſunt ſane eiuſmodi capitularia CHILDEBERTI, anni 554. CHLOTARII, anni 560. GVNTCHRAMMI, anni 585. CHILDEBERTI iunioris, anni 595. CHLOTARII II. anni 615. CAROLOMANNI, anni 742. ſequ. PIPPINI item capitularia Sueſſionenſe anni 744. Vermerienſe anni 752. Vernenſe anni 755. denique Metenſe et Compendienſe anni 757. apud Baluz. *Tom. I. Capit. pag.* 1. *ſequ.*

* CAPITVLVM et CAPITVLARE iam ante Francos erant vocabula ſatis nota, ſed alio plane ſenſu vſurpata pro oneribus, quae alias perſonalia vocantur *l.* 14. *l.* 15. *l.* 18. *C. Theod. de extraord. muner.* vbi temonaria functio eo nomine venit. *Vet. Gloſſarium*: *Tributum* CAPITVLARE, ἐπικεφαλαίᾳ φόρῳ. At quum tamen et leges *capitula* dici coepiſſent. *l.* 27. §. 4. et *l.* 30. §. 3. *D. ad leg. Aquill.* non mirum profecto, Francos leges ſuas κατ' ἐξοχὴν vocaſſe CAPITVLA et CAPITVLARIA.

§. XXX.

Leges Germanicae ple-

Quamuis ergo hae leges omnes paſſim aliquid ex iure Romano traxerint, (§. 14.) multa etiam ex priſtina barbarie paullatim deterſerit chriſtiana religio, qua interea hae gentes omnes

Source : BIU Cujas

omnes imbuebantur: res ipsa tamen docet, consuetudines tantum non omnes, quas Iulius Caesar, Tacitus, aliique veteres scriptores in Germanis notauerant, (§. 3. et 4.) in istis Germanorum legibus etiamnum reperiri: Vnde facile adparet, maiores nostros prisci et auiti moris tenacissimos fuisse. rosque mores patrios a Tacito descriptos firmarunt.

§. XXXI.

Hinc expressissima in legibus his vestigia deprehendimus longae pueritiae, *Leg. Wisig.* IV. 3. 1. *Langob.* II. 29. 1. dotis uxori a marito oblatae, *Leg. Wisig.* III. 1. 5. *et* 6. *Burg.* LXII. 2. *Alam.* LVI. 1. *sequ. Ripuar.* XXXVII. 1. *et* 2. *Langob.* II. 4. 1. *seqq.* rerum expeditoriarum et geradae, *Leg. Burg.* LI. 3. *et* 4. *Angl.* VI. 5. *et* 6. inimicitiarum a tota familia susceptarum, *Leg. Frisi.* II. 2. *addit. Vulem.* I. 1. *Leg. Sal.* LXIII. 2. *et seq. Angl.* VI. 5. *Langob.* I. 7. 15. I. 37. 1. *sequ.* controuersiarum non iure, sed ferro decisarum, *Leg. Burg.* LXXX. 1. *sequ. Alam.* I. 3. LXXXIV. 1. *Baiuuar.* XVI. 1. *Ripuar.* XXXII. 4. *Frisi.* XI. 3. XIV. 4. *Langob.* XXXII. 3. homicidii non morte, sed mulcta, expiati, *Leg. Sal.* XXVI. 1. *Ripuar.* VII. *et* XXXVI. 1. *Angl.* I. 1. *Frisi.* I. 1. *sequ. Alamann.* XLIX. 1. *sequ.* LXVIII. 1. *sequ. Baiuuar.* XIII. 1. *sequ. Langob.* I. 9. 3. *et* 6. hospitalitatis legibus praeceptae, *Leg. Burg.* XXXVIII. 6. 7. 9. numeri denique non dierum, sed noctium, initi *: *Leg. Sal.* XXVI. 49. *Ripuar.* XV. 9. 6. *Langob.* I. 13. 23. Id quod exemplis demonstratur.

* Immo eadem computandi ratio etiam multo post in Speculis Saxonico et Sueuico obseruatur, notaque est loquutio: *uber vierzehen hachte. Ius Prou. Sax. Lib. I. art. 2. et art. 67.* Et hinc nata est dilatio Saxonica, quam vocant, sex hebdomadum et trium dierum. Quum enim ter citandus esset reus, et quidem singulis vicibus, vt post quatuordecim noctes adesset: his connumeratis prodibant sex hebdomades, additisque tribus diebus iuridicis dilatio Saxonica. Vid. *Gloss. ad ius prou. Sax. Lib. I. art. 67.*

§. XXXII.

Sed haec quidem de legibus ipsis horum temporum sufficiant. Vnum addimus, ad earum aeque ac iuris Romani, tum apud prouinciales recepti illustrationem, vsusque forensis intelligentiam non parum conferre tot FORMVLARVM collectiones, quae ex istis saeculis supersunt. Habemus enim MARCVLFI *Formulas*, quales tum ab Hier. Bignonio, tum a Lindenbrogio, datae sunt, apud Steph. Baluzium; aliasque, secundum LEGEM ROMANAM, vel SIRMONDICAS, nec non alias BIGNONIANAS, Formulae forenses eorum temporum.

Source : BIU Cujas

ab eodem Baluzio ; alias ANDEGAVENSES, a Mabillonio tum *Analect. Tom. IV. pag.* 234. tum in operis *de Re Diplom. Appendice Tom. II.* editas, et quas paullo ante laudauimus (§. 28.) LANGOBARDICAS, a Lud. Ant. Muratorio *Tom. I. Script. Rer. Ital. Part. II.* ex vetere Codice Mutinensi descriptas *, quas vtut barbaro dicendi genere scriptas, maximam tamen adferre vtilitatem, vnusquisque re ipsa experietur.

* Merito addimus *formulas* ALAMANNICAS, a Melch. Goldasto *Tom. II. Rer. Alam. Part. I.* nec non ALSATICAS, itidem a Mabillonio primum, ac deinde a Ge. Eccardo sub finem *Legis Salicae pag.* 232. *sequ.* editas : quas tamen non minus, quam Goldastinas esse *Alamannicas* et in monasterio S. Galli scriptas res ipsa docet.

CAPVT II.

DE PROGRESSV IVRIS GERMANICI A CAROLI M. TEMPORIBVS AD LOTHARIVM III. IMP.

§. XXXIII.

Carolus M. legislator Saxonum.

PRogredimur ad tempora CAROLI M. quem si emendandis barbarorum moribus, legibusque aequioribus ferendis natum dixerimus, neminem nos habituros contradicentem speramus. Eum omnium, quae sibi parebant, gentium, leges in scripturam redigi iussisse, iam supra vidimus (§. 22.) Quum ergo tum gentes omnes iam leges scriptas haberent, praeter SAXONES, quos ipse primus diuturno bello perdomuerat : dubitari nequit, quin iis prae ceteris hanc operam nauarit *. Non tamen nouas illis obtrusit leges, sed, ut *Poeta Anonymus ad ann.* 803. loquitur,

Tum sub iudicibus, quos Rex imponeret ipsis,
Legatisque suis, permissi LEGIBVS vti
Saxones PATRIIS, et libertatis honore.

* Coniicit quidem Burc. Gotth. Struuius in *Hist. iur. Lib. VI, 7. pag.* 425. 426. iam ante Carolum M. in *Capitul. de part. Saxon. cap.* 33. ad *legem Saxonum*, et *in Capit. Sax. Aquisgr. anni* 797. nec non *capit.* 4. *app.* II. *cap.* 35. ad *eorum* euuam prouocet. Sed vti *lex et euua* πολύσημα sunt vocabula : ita et ius non scriptum significare possunt.

§. XXXIV.

Source : BIU Cujas

§. XXXIV.

Et haec procul dubio est LEX illa SAXONVM, ab Heroldo, Lindenbrogio, Leibnitio, et nuper a Car. Guil. Gaertnero, edita. Quamuis enim Lindenbrogius eam legem vel ideo Caroli saeculum antiquitate superare existimet, quod in membranis, quas nactus sit, litterarum ductus vetustatem maiorem arguant, et codex illi ante Caroli tempora scriptus videatur: tamen quum ista Lex Saxonum Christianis vocabulis e. g. *ecclesia* vtatur *, *tit. III.* §. 5. et praeterea regni ac regis Francorum diserte meminerit. *tit. III.* §. 1. *tit. XVII.* §. 5. fieri sane non potest, vt eam vel Caroli M. aeuo antiquiorem, vel ab Haraldo, Danorum Rege, profectam esse existimemus. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 12. Lex Saxonum quando scripta.

* Quamuis enim ante bella Caroli M. cum Saxonibus gesta, christianae religionis scintillae quaedam in Saxonia emicuissent, ceu patet ex Venant. Fortun. *Lib. III. carm. 9.* et *vita S. Faronis Episcopi Meldensis MSC. cap. 76.* ex qua excerpta edidit Leibnit. *Script. rer. Brunsuic. Tom. I. pag. 63.* id tamen de paucis hominibus, qui in Gallicano littore piraticae caussa consederant, intelligendum videtur, non de vniuersa gente, quae ad Caroli M. tempora auitam superstitionem et armis tuebatur, neque adeo patiebatur ecclesias vel templa Christianorum apud sese exstare.

§. XXXV.

Videtur tamen non nisi fragmentum istius legis ad nos perveniisse. Multa enim, quae veteres ex lege Saxonum citant, in hac nostra desiderantur, v. g. lex de matrimonio impari nobilis et plebeiae sub mortis supplicio vetito, Eginard. *apud Adam. Brem. I.* 5. de traditionibus digito firmandis, *Diplom. Liemari apud* Lindenbrog. *Script. Rer. Septentr. pag.* 147. de eo qui fines alienos inuaserit, capitis damnando. Lamb. Schaffnab. *Chron. pag.* 196. Accedit quod quum *crudelissimam Saxonum legem* vocet Wippo *in vita Conradi pag.* 430. in hac superstite nihil crudelitatis reperiatur, nisi crudelem etiam dicere velis Nemesin Carolinam, quae aeque, ac lex Saxonica, fures capite plecti iubet. Esse tamen in illa fragmenta genuina ac vetusta, aliis sane argumentis satis demonstrari potest *. An integra ad nos perverenerit.

* Prouocat enim ad legem nostram ipse Carolus M. *Capitul. de partib. Sax.* §. 32. vbi ait: *De periuriis secundum legem Saxonum sit.* Atqui hoc caput hodienum habemus in *lege Sax. Lib. II. cap.* 8. *et* 9. *Qui sciens peierauerit, capite puniatur, qui nesciens peierauerit, manum suam redimat auctor sacramenti.*

Source : BIU Cujas

§. XXXVI.

Capitularia Caroli M. de Saxonibus.

Nec in eo adquieuit Caroli M. sollicitudo. Quum enim gens Saxonum, quamuis publica professione christianis accessisset, adhuc tamen auitas superstitiones priuatim mordicus teneret *: legi illi patriae nonnulla adstruxit, quae rudem istam gentem saltim poenarum metu in officio continerent. Eo enim pertinent CAPITVLATIO DE PARTIBVS SAXONIAE incerti anni, et CAPITVLARE SAXONVM anno erae Christianae 797. in comitiis Aquisgranensibus promulgatum, quae inuenta in bibliotheca Vaticana a litteratissimo principe, Ferdinando Furstenbergio, (vid. *Monim. Paderborn. pag.* 324), primum a Luca Holstenio Romae, deinde ab Hermanno Conringio Helmstadii, demum a Steph. Baluzio *Capitul. Tom. I. pag.* 250. Herm. Adolph. Meinders *de statu relig. et reipubl. sub Car. Magn. pag.* 23. *sequ.* et nouissime a Car. Guil. Gaertnero, edita sunt *Lipsi.* 1730. 4.

* Argumento esse potest *Indiculus superstitionum et paganiarum*, quem eidem debemus principi Ferdinando Paderbornensi episc. *in Monim. Paderborn. pag.* 308. Et notum est, in iis illustrandis multum operae insumsisse Casp. Caluoer, Herm. Adolph. Meinders, et Io. Ge. Eccardum. Adeo vere cecinit poeta:

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

§. XXXVII.

Nec non ad Leges Salicam, Baiuuariorum et Langobardorum.

Sed aliarum quoque gentium legibus, quas a Theoderico, rege Francorum, eiusque successoribus in scripturam redactas diximus, noua quaedam additamenta sub Carolo M. eiusque filio, Ludouico Pio accesserunt. Ipsis enim Francorum legibus illum *paucula capitula, et ea imperfecta addidisse*, testatur Eginardus *in vita Caroli, cap.* 29. taliaque capitula ad LEGEM SALICAM exstant apud Baluz. *Capitul. Tom. I. pag.* 17. 387. 606. *Tom. II. pag.* 1060. * Eiusdem generis sunt capitula, LEGI BAIVVARIORVM anno 788. adiecta apud eumdem *Tom. I. pag.* 207. Denique quod ad legem LANGOBARDORVM attinet, non modo illi insertas videmus plures Caroli M. et successorum constitutiones, verum etiam *Capitula, addita ad legem Langobardicam*, nec non *Capitula, excerpta ex lege Langobardorum* reperimus apud Baluz. *Tom. I. pag.* 327.

* Fortassis et plura perierunt. Exstat sane charta monasterii Honaugiensis apud Mabillon. *Annal. Benedict. Tom. II. pag.* 697. in qua Carolus, *rex Francorum, vir illuster* profitetur, *res peregrinorum secundum legem Francorum proprias esse regis*: ab eoque iure excipit peregrinos Scotos. Quod est ipsum

Source : BIU Cujas

ipsum ius Albinagii, cuius alioquin vix vestigium in legibus Francicis reperias, vt non potuerint non quaedam earum capita periisse, nisi et hic per *legem Francorum* ius eorum non scriptum intelligere malis.

§. XXXVIII.

In primis vero notanda sunt ipsa CAROLI M. CAPITVLARIA, vniuersis ciuibus praescripta *, id est, sanctiones, vel in conciliis et synodis, vel in comitiis regni, de ecclesia et re publica factae, quarum plurimas ex variis codicibus MSC. integras edidit Steph. Baluz. *Tom. I. pag.* 189. *seqq.* Talia deinde et Ludouicus Pius, Pippinus, Italiae rex, Carolus Caluus, et alii Francorum orientalium et occidentalium reges plura publicarunt, quae laudatus Baluzius eadem industria vndiquaque collegit ediditque *Tom. I. pag.* 533. 541. 561. *sequ.* Addat. Brower. *Annal. Treu. Proparasc. cap.* 10. Mabillon. *Analect. Tom. I. pag.* 299. Capitularia regum Francorum vniuersalia.

* Quemadmodum enim communi populi consensu huius modi capitularia fiebant: ita et omnes iis subscribere, eoque chirographo se ad eorum obseruantiam obstringere cogebantur. *capit. III. a.* 803. *cap. XVIIII. Capitul. II. a.* 813. *in prooem. Capitul. Caroli Calui, tit.* 1. Ex quo patet, vnde mos superstit, in imperio nostro, vt leges communes et communibus electorum, principum, ac ordinum suffragiis ferantur, et capitularibus istis seu *recessibus* praeter imp. et electores et principes quidam, nec non ex comitibus, praelatis, et ciuitatum legatis quidam subscribant.

§. XXXVIIII.

Ne vero tot speciales leges conquirendae essent Francis: fuerunt, qui capitularia illa colligerent, et in certum ordinem redigerent. Collectionum illarum notissima est ANSEGISI, abbatis siue Lobiensis, siue Fontanellensis, siue alius monasterii, tamen non archiepiscopi Senonienſis *, Baluz. *Proleg. Capit.* §. 39. qui omnia Caroli M. et Ludouici Pii capitularia eo ordine disposuit, vt *liber primus* Caroli M. constitutiones ad rem ecclesiasticam pertinentes; *secundus* eiusdem leges ciuiles; *tertius* Ludouici leges ecclesiasticas; *quartus* eiusdem leges ciuiles, vel, vt auctor vocat, *mundanas* complectatur. Addidit auctor *adpendices tres*, quibus varia collegit Caroli M., Ludouici Pii, et Lotharii I. imp. capitularia, quae vel ex superioribus *memoriae caussa scripta, vel non plenum explere sensum, vel geminata, vel cum aliis mixta* videbantur. Ediderunt hanc collectionem, quae anno Christi 825. Ind. V. et XIII. imperii Ludouici Pii et Lotharii primum prodierat in lucem, (vid. Ansegis. *praefat.*) B. Rhenanus, Vitus Amer- Eorum collectio ab Anseguiso facta.

Source : BIU Cujas

Amerbachius, Ioach. Vadianus, Heroldus, P. Pithoeus, Iac. Sirmondus, et nouissime Steph. Baluzius.

* Ansegiso, abbati Lobiensi, hanc collectionem tribuit Sigeb. Gemblac. *in Chronic. ad annum* 827. Ansegiso, archiep. Senonensi, Odorann. *in Chron. ad ann.* 882. Ansegiso, abbati Fontanellensi. Baluz. *in Proleg.* §. 39. Sed vti manifesto errant, qui auctorem faciunt Ansegisum, archiep. Senonensem: ita sunt, qui Ansegisum, abbatem Lobiensem, postea Fontanellensi monasterio praefectum contendunt. Quae si probari possent, Baluzium Sigeberto facile conciliaremus. At quid opus est verbis, quum de hoc Ansegiso manifestum exstet auctoris veteris testimonium, puta Adsonis *de miraculis S. Waldaberti*, vbi inter alia refert, Ludouicum Pium abbatem Fontanellensem *Ansegisum* praefecisse *Luxonienſi* monasterio, hunc vero CAPITVLA *regum Francorum, quae diuersis fuerint acta conciliis, excepisse, et vno volumine contineri fecisse.* En Ansegisum, auctorem collectionis non Lobiensium, sed Luxoniensium et Fontanellensium abbatem. Facilis vero fuit Luxonii et Lobii confusio.

§. XXX.

Nec non a Benedicto Levita et Lothario.

Postea anno 845. nouam collectionem Otgarii, archiepiscopi Moguntini, auspiciis adornauit BENEDICTVS, Leuita Moguntinus, quam Ansegisianae collectionis veluti auctarium esse voluit. Constat illa tribus libris, in quibus nec delectu, nec ordine vsus est bonus ille Leuita. His deinde, nescio quo auctore, accesserunt *Additionum Libri IIII.* Vtraque collectio in foris Francicis haec Germaniae, illa Galliae, maximi vsus fuit: Ansegisiana tamen etiam Ludouici Pii et Caroli Calui auctoritate firmata. Vid. Steph. Baluz. *Proleg.* §. 47. *seq.* Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 15. Ant. Pagi *Critic. Baron. ad ann.* 845. *n.* 17. *pag.* 598. *Tom. III.* Quin ipse LOTHARIVS imp. nouam collectionem in vsum Italorum confecit *, Baron. *Annal. eccles. ad annum* 847. *num.* 12. quam edidit Melch. Goldastus *in Collect. leg. et consuet. Germ. pag.* 102.

* Errauit tamen Baronius, dum collectionem hanc Italis ex decreto *synodi Maldensis cap.* 78. promulgatam existimat; quo anno 845. cautum fuerit, *vt capitula ecclesiastica a Carolo M. imp. et Ludouico Aug. promulgata obnixe obseruari praeciperentur.* Sed non meminit Baronius id concilium in regno Caroli Calui habitum, ac proinde nec Lotharium obstrinxisse, nec ad Italos pertinuisse. Vid. Petr. de Marca *de concord. sacerdot. et imperii, Lib. II. cap.* 12. §. 5. Ant. Pagi *Critic. Baron. ad ann.* 847. *numer.* 13. *pag.* 604.

§. XXXI.

Source : BIU Cujas

§. XXXXI.

A Carolo M. ad finem ſtirpis eius in Germania leges patriae adhuc valuerunt.

Iam ex his facile patet, quaenam fuerit iuris Germani facies a Carolo M. vſque dum eius ſtirps apud Germanos defecit, id eſt, ad annum 811. Primo enim adhuc ſingulae gentes legibus ſuis propriis vtebantur. Id quod vel inde patet, quod multo poſt ad legem Baiuuariorum ipſe prouocat Henricus II. rex: Adelbold. *Vit. S. Henrici, cap.* 10. apud Leibnit. *Scriptor. rer. Brunſuic. Tom. I. pag.* 423. quodque idem imperator, eiuſque ſucceſſor Conradus Salicus, Saxonum leges confirmaſſe dicuntur: Ditm. Merſeb. *Lib. V. pag. 386. edit. Leibnit.* Wippo *in vita Conradi, pag.* 430. quin et lex Alamannica pro norma fuit Conrado I. regi Germ. in ferenda anno 914. ſententia. Ekkehard. *de caſib. monaſter. S. Galli, cap.* 1. vt taceam, manumiſſionem per iactum denarii ſecundum legem Salicam factam eſſe ſub Zuenteboldo, Lotharingiae rege, cuius charta ea de re exſtat apud Buchel. *ad Hedam de epiſc. Vltraiect. pag.* 70.

§. XXXXII.

Nec non capitularia regum.

Deinde maximae auctoritatis hoc temporis interuallo erant CAPITVLARIA Caroli M. et Ludouici Pii, quod ſolide demonſtravit Herm. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 17. *pag.* 94. *ſequ.* Ad ea enim prouocant patres concilii Moguntini anno 852. *cap.* 16. itemque ſynodi Colonienſis ſub Carolo Craſſo habitae *cap.* 3. concilii Moguntini anno 888. *cap.* 21. *et* 23. indicio ſatis luculento, toto illo tempore ſancta adhuc Germanis fuiſſe illa regum Francorum capitularia *.

* Patres enim concilii Moguntini anno 852. vrgent, *pauperes liberos non eſſe ſaepius banniendos ad placita, niſi ſicut in* DOMINICO CAPITVLARI, *olim facto praecipiatur.* Non ergo ſolum citant CAPITVLARIA, tamquam leges quaſdam veteres, ſed et eas non obſeruari, et pauperes contra illas leges publicas opprimi, conqueruntur. Quo vero, quaeſo, colore id feciſſent, ſi eorum capitularium, tamquam legum obſoletarum nulla ſuperfuiſſet auctoritas?

§. XXXXIII.

Et ſi quas alias novas leges tulerunt Caroli ſucceſſores.

Praeterea nullum eſt dubium, quin nouas ſubinde leges tulerint Ludouicus Germanicus, eiuſque poſteri: quamuis eae, quas edidit Goldaſtus *Tom. I. Conſtit. imp. pag.* 274. non ex chartis authenticis, ſed ex Auentini Annalibus, legibuſque Langobardicis, deſumtae videantur. Omnium celeberrima tamen eſt conſtitutio *de expeditione Romana*, CAROLO Craſſo vulgo tributa, a multis

Source : BIU Cujas

multis reiecta, criticisque stricturis confossa. Sed quum, qui plurimum illi constitutioni tribuunt, cum non a Carolo Crasso, sed Conrado Salico, profectam existiment *, non est sane, quod hic illi immoremur.

* Videnda, quae de ea disputarunt Marq. Freherus, Rittershusius, Schurzfleischius, Io. Petr. de Ludewig, Gebauerus, nec non etiam olim Conring. *de orig. iur. Germ. cap. 17. pag. 89.* Retulit mihi nuper amicissimus, et discipulorum meorum optimus, Io. Guil. Hofmannus, in manus suas incidisse ipsam chartam authenticam, quam olim cum Rittershusio communicauit Marcus Velserus, et se illius ope plura, quae editores praeteuiderint, quaeque ad constitutionis istius veram aetatem atque originem pertineant, obseruasse, adfirmauit, quae se vna cum aliis obseruationibus suis editurum promittebat. Sed heu vitae breuitas vetuit ingenii paene stupendi virum spes inchoare longas. Euanuit illa spes, Hofmanno meo sub finem superioris anni properantibus fatis extincto.

§. XXXXIIII.

An et iuris Romani aliquis vsus fuerit?

Quaeri posset, an non et iuri Romano in Germania tum locus fuerit? Responsum cape. Quum Franci iis tantum iuris Romani vsum concederent, qui illi iam antea adsueuerant (§. 18.): toto hoc tempore in Gallia non exoleuisse iuris Rom. vsum, satis adparet ex Hincmar. *Opusc. XVI. 5. Tom. II. pag. 225. Opusc. LV. Tom. II. pag. 440. 509. 587. 739.* vt iam non dicamus de conciliis Gallicanis et Iuonis Carnutensis Decreto, in quibus ad leges Romanas, etiam Iustinianeas, et e *Pandectis* depromptas, saepissime prouocatur. Add. Strauch. *Amoen. iur. can. Ecl. II. cap. 7. pag. 33.* Id vero de Germanis dici non potest, quippe quos numquam Romani in prouinciae formam ita redegerant, vt stabile ibi esset eorum imperium. Hinc consequens est, vt iuris Romani vsum nec desiderarint vmquam, nec habuerint. Interim quum Capitularia apud eos maximae fuisse auctoritatis, fassi simus (§. 42.), in iis vero paucula ex iure Romano depromta sint *: eatenus dici potest, aliqua ex eo iure profecta tum quoque in Germania locum habuisse.

* In ipsis Ludouici Pii *Capitularibus addit. IIII. §. 102.* ius Romanum vocatur *omnium humanarum mater legum*, adeoque non mirum est, quaedam ex illo in vsus suos conuertisse Francorum reges. Pauca tamen illa esse, et vix alicuius momenti, ipsorum Capitularium lectio vnumquemque conuincet, vt paullo latius scripsisse videatur Burc. Gotth. Struuius *Hist. iur. Lib. VI. cap. 11. pag. 435. fontes horum capitularium ipsas fuisse leges Romanas, ex eo potissimum patet, quod lex Romana omnium humanarum legum mater dicatur.* Neque enim id elogium nos conuincit, omnia vel pleraque ex iure Romano depromsisse Francorum reges.

§. XXXXV.

Source : BIU Cujas

§. XXXXV.

Sub Saxonicis impp. legibus patriis adhuc vixerunt gentes Germanicae.

Eadem omnia ab exſtincta apud Germanos ſtirpe Carolingica, vſque ad Saxonicae familiae interitum, obtinuiſſe videntur. Nam tunc quoque ſingulos Germaniae populos veteres ſuas leges, quas reges Francici ſcriptas promulgarant, ſequutos eſſe, ex iis, quae ſupra (§. 41.) obſeruauimus, et obſeruabimus paullo poſt, colligitur *: idque innuere videtur Wittich. *Annal. Lib. II. pag.* 21. *ſeq.* dum *leges diuinas et humanas auctorali vigore* Ottonis M. *polluiſſe, et coniuratos ſecundum leges meritas luiſſe poenas* ſcribit. Vid. Hert. *de conſult. legib. et iudic. in ſpec. Rom. Germ. imp. rebus publicis* §. 12. *pag.* 419. Accedit, quod ad LEGEM SAXONICAM in chartis ſuis ſe referunt anno 952. Otto M. apud Stangefol. *Annal. Weſtph. Lib. II. pag.* 185. multoque poſt anno 997. Otto III. apud eumdem *pag.* 203.

* Idem et inde patet, quod legem Salicam, Langobardicamque ſuis additionibus auxerunt Otto I. et Henricus II. impp. quas edidit ex vetuſto codice Io. Ge. Eccardus *ad leg. Salic. pag.* 198. *ſequ.* Quin in his ipſis additionibus Otto I. imp. anno 952. ſe refert ad *capitularium praecedentium regum inſtituta*, in comitiis Francofurtanis *coram poſita*. Vid. Eccard. *ibid. pag.* 198.

§. XXXXVI.

Lex Sax. tamen aucta ab Haraldo rege Daniae.

Quod tamen ad LEGEM SAXONICAM et FRISICAM * attinet, eam Ottonis II. temporibus non parum vel immutauerat, vel auxerat HARALDVS, rex Daniae, qui tum tranſalbinas proximaſque regiones inuaſerat, et tum his, tum Freſonum genti, leges et iura conſtituere coeperat. Referunt hoc Adam. Brem. *Hiſtor. Lib. II. cap.* 19. Helmold. *Chron. Slau. Lib. I. cap.* 15. qui addunt, gentes iſtas leges Haraldinas *pro tanti auctoritate viri adhuc hodie ſeruare contendere*. Sed harum additionum hodie nihil exſtat.

* Sane et Friſonibus leges datas eſſe ab Haraldo, refert Alb. Stadenſ. *ad ann.* 984. Sed id intelligendum videtur de Friſiis vel Freſonibus tranſalbinis, qui et hodie cherſoneſi Cimbricae littora adcolunt. Ad reliquos enim Friſios eius pertigiſſe imperium, nemo veterum obſeruauit. Immo ne Pontanus quidem in *Hiſtor. Dan. Lib. V. pag.* 196. vbi locum Alberti Stadenſis adducit, quidquam de eius imperio in Friſios dixit.

§. XXXXVII.

Capitularium etiam vs-

Quid? quod ne CAPITVLARIVM quidem vſus circa haec tempora exoleuiſſe in Germania videatur. Auctorem enim habemus Continuatorem Reginon. *ad annum* 952. *conſtitutum eſſe*

Source : BIU Cujas

ſus aliquis.

in Francofurth a rege glorioſiſſimo, Ottone, anno illius XV. conſentientibus epiſcopis, comitibus, aliiſque fidelibus compluribus, canonum ſanctorumque patrum auctoritate, nec non CAPITVLARIVM, praecedentium inſtitutis coram poſitis *. His ipſis tamen temporibus paullatim ab vſu receſſiſſe illa regum Francorum capitularia, ſuſpicatur Baluz. *in proleg.* §. 1.

* Eadem verba in ipſis illis additionibus legis Salicae, a Io. Ge. Eccardo *pag.* 198. editis reperiuntur, vt adeo illas tum in manu illius Continuatoris fuiſſe veroſimile ſit. Quod inſigne eſt γνησιότητος harum additionum argumentum.

§. XXXXVIII.

Leges nouae ſub Ottonibus latae.

Acceſſerunt et hoc temporis interuallo variae leges nouae, a regibus et imperatoribus, vel miſſis in ſuffragia ordinibus, vel commiſſis campionibus, quos vocabant, latae. Ita ſane in comitiis Stelenſibus Otto M. interpretatione authentica decidit quaeſtionem iuris Germanici, *num nepotes cum filiis ad hereditatem ſimul admittendi ſint, nec ne* *? Rem enim Otto M. inter gladiatores diſcerni iuſſit, vicitque pars, quae filios filiorum computabat inter filios, et hinc lege perpetua firmatum, vt aequaliter cum patruis vel auunculis hereditatem diuiderent. Wittich. Saxo *Annal. Lib. II. pag.* 644. Sigeb. Gemblac. ad annum 942. Plures alias Ottonum leges collegit Goldaſt. *Conſtit. imp. Tomo vno pag.* 215. *ſequ. pag.* 225. *ſequ. Tomo III. pag.* 303. *ſequ. et pag.* 309. *ſequ.*

* Quum de iure repraeſentationis nepotibus concedendo tum ambigerent Romani: eo minus mirandum, Saxones illud numquam concedere voluiſſe fratrum ſororumue liberis, quin ſibi ius patrium reſeruaſſe, quum in comitiis aliud lege publica ſtatueretur. Qua de re alibi. Iam id obſeruo, in Geldria id ius repraeſentationis anno demum 560. inuectum eſſe, Pontan. *Hiſtor. Geldr. Lib. XIIII. pag.* 882.

§. XXXXVIIII.

An et iuris Romani vſus?

Iuris Romani hoc ſaeculo in Germania nec vola, nec veſtigium adparet: quamuis eo ſubinde vterentur reges et imperatores, ſi quando Italis, et maxime Langobardis, leges praeſcriberent. Exſtat ſane in *leg. Langob. Lib. II. tit.* 47. §. 11. Henrici imp. conſtitutio, de iureiurando calumniae clericis remittendo, in qua conſtitutio D. Marci, (vel Marciani potius, *l.* 25. *C. de epiſc.*) Iuſtiniani ſanctio, et legis periti, ab imperatore in conſilium adhibiti, memorantur.

§. L.

Source : BIU Cujas

§. L.

At certius est, his temporibus paullatim iuris canonici auctoritatem permagnam esse coepisse in Germania. Quemadmodum enim paullo ante haec tempora circa annum 906. Regino Prumiensis in regno Lotharingico iussu Ratbodi, archiep. Trevirensis, *de disciplina ecclesiastica libros II.* ex canonibus antiquis decretisque pontificum compilauerat, quos post Ioach. Hildebrandum, Helmstadiensem, iterum edidit Steph. Baluzius 1671. ita paullo post sub initium saeculi XI. scripto *magno canonum volumine* ex iisdem, at inquinatioribus aliquanto fontibus, ius ecclesiasticum deriuauit BVRCHARDVS, Wormatiensis episcopus. Sigeb. Gembl. *de script. eccles. cap.* 141. *seqq.* et in *Chron. ad annum* 1008. Chron. Wormat. *cap.* 13. apud Io. Petr. de Ludewig *Reliqu. MSSC. Tom. II. pag.* 55. Prodiit hoc opus *Col. anno* 1548. *et Paris.* 1550. *fol.* tantamque sensim auctoritatem obtinuit, vt non modo Sigeb. Gemblac. *d. cap.* 141. *ex eo adhuc* suo tempore *omnium conciliorum decreta auctorizari*, scribat, sed et apud vulgus canonistarum multo post mos inualuerit, vt regulas iuris, omni exceptione maiores, et vsu fori probatas, BROCARDICA, quasi *Burchardica* adpellarent *. Origo iuris canonici in Germania.

* Talia *Brocardica* primus scripsit DAMASVS, vetus iuris canonici doctor, quae deinde recognita, et ex MSTIS exemplaribus edita sunt *Colon.* 1564. Ex praefatione haec decerpsit Strauch. *Amoenit. iur. can. ecl. VI. cap. 6. pag.* 112. BVRCHARDICA *inscribuntur, a Burchardo, episcopo Wormatiensi, qui primus ea tempestate coepit ius pontificium ad generales quasdam theses reuocare. Ex Gallis atque Italis plerique, originationem verbi ignorantes, corrupte Brocardum et Brocardicum adpellant.* Nescio ergo, quid sibi velit Alciat. *ad l. 99. D. de verb. oblig.* scribens, BROCARDICA dici *materiam, quae sit contrariarum opinionum rationibus inuoluta.*

§. LI.

Supereſt, vt qualis ab Henrici II. regis ac imp. obitu ad Lotharium Saxonem vsque iuris Romani fuerit facies paucis ostendamus. Leges patrias SAXONVM, ALAMANNORVM, BAIVVARIORVM, etiam sub his constanter viguisse, dubio videtur carere. Leges enim SAXONVM firmasse Conradum Salicum, supra (§. 41.) ex Wippone ostendimus. Ad legem etiam SALICAM in regno Burgundico anno 1009. viuere se profitetur Otho comes, Arduini, regis Italiae filius, apud Guichenon. *Biblioth. Sebus. Cent. II. n.* 3. *pag.* 188. Vt iam non dicam Guilielmum marchionem in alia charta anno 1156. profiteri, se viuere lege Sa- Sub imperatoribus Franconicis leges patriae in vsu.

Source : BIU Cujas

lica, quemadmodum eius coniux, Iulita, Leopoldi Auſtriaci filia, ſe *lege Alamannorum* viuere ait. Ibid. *Cent. I. n. 99. pag.* 170. Quae charta, quamuis ad Burgundiam pertineat, ſatis tamen euincit, illo tempore Auſtriam *legem Alamannicam* coluiſſe, et Iulitam more iſtorum temporum, nuptam quoque retinuiſſe *.

* Aliquando tamen feminae nuptae ſe legibus, quibus mariti viuebant, vltro ſubiicere non dubitabant. Mathildis dux, initio viuebat lege Langobardica, at in gratiam mariti, Gottfridi Lotharingici, tranſierat ad legem Salicam, vid. Franc. Mar. Florentin. *Memor. Mathild. Lib. III. pag.* 105. vbi in diplomate Lucenſi Epiſcopo dato ita loquitur: *quia ego, qui ſupra* MATILDA, *marchioniſſa, profeſſa ſum ex natione mea LEGEM viuere videor LANGOBARDORVM: ſed nunc modo pro parte ſupraſcripti Gottifridi, qui fuit viro meo, LEGEM viuere videor SALICAM.*

§. LII.

Multae etiam leges novae conditae a Conrado Salico.

Quemadmodum vero hoc temporis interuallo nulla amplius fit mentio Capitularium regum Francorum: ita tanto frequentius nouas leges tulerunt imperatores et reges. De Conrado ſane II. Martinus Polonus *in Chronico, cap.* 94. *hic*, inquit, *multas leges condidit.* Et exſtant quaedam eius conſtitutiones non modo in *leg. Langob. Lib. III. tit.* 8. §. 4. ſed et *II. F.* 9. §. *vlt. et II. F.* 34. *et* 40. (quamuis eae ad Italiae regnum potius, quam ad Germaniam, pertinere videantur), et apud Goldaſt. *Conſt. imp. Tom. III. pag.* 312. Eidem celeberrimam conſtitutionem de expeditione Romana vindicant Schilterus, *ad Ius Feud. Alam. VIII.* 11. Schurzfleiſchius *Diſſ. de Conrado imp. Aug. eiuſque dipl. quod de exped. Rom. inſcribitur, Wittenb.* 1702. et nouiſſime Ge. Chriſt. Gebauerus *in adpend. ad Schilt. Inſt. iur. feud. Lipſ.* 1728. 8. Attamen ne ſic quidem ſuſpicione omni carere videtur conſtitutio illa, quae tot aliorum virorum doctorum cenſuras, ex quo lucem vidit, experta eſt *. Editiones eius recenſet Gebauer. *in Praef. pag.* 196. *ſeqq.*

* Quum enim omnes, qui illam adhuc vindicare Conrado II. conati ſunt, fateantur, eam ſolius Velſerianae membranae fide niti, in hac autem initium et finem a mala manu eſſe: ecquis fide ſua nos iubebit credere, reliqua omnia integra, ac ſincera eſſe? Qui nobis titulo et ſubſcriptione illuſit, an eum in reliquis bona fide agere voluiſſe credibile eſt?

§. LIII.

Source : BIU Cujas

§. LIII.

Sic et Henrici III. constitutionem de veneficiis protulit Goldastus *Const. imp. Tom. III. pag.* 312. qui *ibidem et Tomo vnico pag.* 252. etiam Henrici IIII. et V. quasdam edidit. Sed quum non vbique satis ἀκριβῶς genuina a falsis distinxerit vir ceteroquin diligentissimus *: de his similibusque iuris prudentiae publicae priuataeque monimentis, quae ex Goldasti scriniis prodierunt, paullo amplius videtur deliberandum. Eiusque successoribus.

* Dissimulare id non potuit eius encomiastes Io. Christ. Senckenberg *in Vita Goldasti, eius scriptoribus rerum Alam. praemissa*, §. 40. vbi: *iusto confidentior*, inquit, *noster erat, si quid verosimile habebat, sua aliis pro veritatibus, immo pro antiquorum sententiis obtrudens. Scatent id genus rebus scripta eius, nec solus ei* Gretserus *id obiecit.* —— *Sane nonnullos id ei exprobrantes apud* Io. Alb. Fabric. *Biblioth. pag.* 252. *videas: id ipsum legas in τῷ πάνυ* Conringii *de orig. iur. Germ. cap.* 18. *pag.* 99. *et saepius: nec non in* Wendelini *legibus Salicis, inter Opuscula Chifletiana, pag.* 61. *et alibi.* Hactenus Senckenbergius.

§. LIIII.

Iuris Romani ne hoc quidem tempore vllam inter Germanos mentionem fieri animaduertimus, quamuis eius vestigia nobis videamur anxie quaesiuisse. Video quidem, in ferali illo certamine, quod inter Gregorium P. P. VII. et Henricum IIII. intercessit, aliquando ad ius Romanum esse prouocatum, sed ab Italo, Venerico nimirum Vercellensi, in libro *de vnitate Eccles. conseru. pag.* 16. *edit. Schardii*, at in Germanorum scriptis, inter quae Leodiensium *Epistolam apologeticam*, Walrami, Numburgensis episcopi, *librum de inuestitura*, aliaque eorum temporum opuscula a Goldasto in *Apol. pro Henrico IIII.* edita euolui, tale quid reperire me nondum potuisse, fateor. An et iuris Romani aliquis vsus?

CAPVT III.

DE STATV IVRIS GERMANICI A LOTHARIO IMP. AD TEMPORA, QVIBVS IN GERMANIA ACADEMIAE INSTITVTAE.

§. LV.

QVamuis fabulam, quae circumfertur de iure Romano, iussu Lotharii III. imp. in foris et academiis recepto *, adeo pro- A Lothafliga- rii III.

Source : BIU Cujas

imp. temporibus magna iuris in Germania commutatio facta est.

fligarit Herm. Conringius *de orig. iur. German. cap.* 21. *sequ.* vt verbum addere pigeat : veriſſimum tamen eſt, ex eo tempore aliam paullatim factam eſſe iuris Germanici faciem, et ius Romanum, quod in vniuerſa paene Europa adeo inualuerat, vt miraretur orbis, ſe tam cito factum eſſe Romanum, etiam in Germania lacertos mouere coepiſſe.

* Semper enim et ante Lotharium vſum aliquem iuris Romani ſuperfuiſſe in Italia, pluribus poteſt teſtimoniis demonſtrari. Nos vnico rem conficiemus. Imperio Lotharius potitus eſt anno 1125. menſe Septembre eius anni coronatus a Fridrico, archiep. Colonienſi. Alberic. *in Chron. ad annum* 1125. res vero Italicas demum ab anno 1132. conſtituere coepit, *Chron. Bigaug. ad ann.* 1133. Codex porro Pandectarum Amalphi repertus fertur anno 1137. Iam vero anno 1098. Vmbertus, comes Sabaudiae, apud Vghell. *Ital. ſacr. Tom. IIII. pag.* 1458. *viuere ſe* profitetur LEGE ROMANA.

§. LVI.

Ab eo tempore in vniverſam fere Europam cultiorem ius Rom. penetrauit.

Quum enim ab eo tempore, vt ſupra oſtendimus, iuris Iuſtinianei ſtudium Bononiae quam maxime ferueret *, et ex vniverſo cultiore orbe iuuenes, tamquam ad mercatum ſapientiae civilis, eo confluerent : reduces in ſuam quique patriam, et ſummis in toga dignitatibus aucti, tantum iuri Romano auctoritatis conciliarunt, vt illo paſſim tamquam ſubſidiario vterentur, ipſaque inſtrumenta ſua ad eius iuris regulas anxia diligentia componerent.

* Obſeruauit hoc Conradus, abbas Vrſpergenſis, *in Chron. pag.* 291. *eiſdem*, inquiens, *temporibus dominus Wernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quiſquam in iis ſtuduerat, ad petitionem Mathildae, comitiſſae, renouauit.* Si ergo non priuata, ſed publica auctoritate ius profeſſus eſt Irnerius, id ſaltim non iuſſu Lotharii, ſed Mathildae auſpiciis factum eſt. Atqui Mathilda iam anno 1115. deceſſerat, decem annos ante, quam ad imperium adſpiraſſet Lotharius. Ergo prius floruit Bononiae iuris prudentiae Rom. ſtudium, quam Lotharius imperauit.

§. LVII.

Veluti in Angliam.

Sane Seldenus *in Diſſ. ad Flet. cap.* 7. §. 11. *sequ.* praeclare oſtendit, eodem tempore, quo Bononiae refloreſcere coeperint ſtudia iuris, non modo *Codicem Theodoſianum*, ſed mutilum, vna cum *Nouellis* Theodoſii, Caii *Inſtitutionibus*, et Paulli *Sententiis* in Anglia edidiſſe Guilielmum Malmesburienſem : ſed et non multo poſt regnante Stephano, Theobaldum, primatem, *Iuſtinianeum corpus* eo tranſuehendum curaſſe. Ioan. Sarisber. *in Policrat.*

Source : BIU Cujas

licrat. Lib. VIII. cap. 22. Id deinde publice ibi cum applausu exposuit Rogerius Vacarius, gente Langobardus, coaeuus Irnerio, Martino, Bulgaro, ICtis, et postea abbas Beccensis, sed edicto demum regio Stephani, teste eodem Io. Sarisber. et Rog. Baconio, prohibitus. Nihilominus tamen *Deo faciente*, vt Sarisberiensis verbis vtamur, *eo magis virtus legis inualuit, quo eam amplius nitebatur impietas infirmare* *.

* A Stephani regis temporibus, qui anno 1154. decessit, diutissime iuris Romani vsum in Anglia viguisse, et sub Eduardi demum III. regis initia, id est, circa annum 1327. euanuisse, toto *capite* 8. *Dissertationis ad Fletam* solide demonstrat Seldenus, *pag.* 1093. *Vol. II. Oper.* vt dici possit, prius, quam pleraque alias gentes Europaeas, et recepisse ius Romanum Anglos, et eidem nuncium misisse.

§. LVIII.

Paullo post et in Galliam penetrauit Romana iuris prudentia. In Gal-
PLACENTINVM enim in Monte Pessulano ius docuisse, testis est liam.
Pancirol. *de clar. leg. interpr. Lib. II. cap.* 20. Et hinc iam a saeculo duodecimo haud pauca, in Aquitania saltim et Narbonensi prouincia, exstant iuris Romani vestigia, quae adcurate suo more consectatus est vir doctissimus, M. Ant. Dominicus *de praerog. allod. cap.* 20. §. 1. Circa ea sane tempora Petrus, comes Melgorienſis, in charta profitetur: *si quis autem heredum aut successorum meorum contra hanc donationis et confirmationis auctoritatem insurgere praesumtuose, et obuiare, quod absit, attentauerit, non valeat vindicare, quod iniuste repetit, et persoluat mulctam, quam SANCTA LEX ROMANA per Theodosium, Arcadium et Honorium promulgata decreuit.* Vbi donatorem in animo habuisse *l.* 34. *C. Th. de episcop. et cler.* res ipsa docet. Et apud Guil. Briton. *Philippid. II. v.* 45. *sequ.* anno 1184. ita inter se, allegatis iuris Romani rationibus, contendunt Philippus rex Franciae et Flandriae Comes *, vt ad *v.* 55. notet Barthius *pag.* 91. *vides iuris ciuilis non ignaros, quod tum per scholas iam regnabat.*

* Sunt sane memorabilia haec vtriusque argumenta, quae, quia Guillermus ille non est in omnium manibus, paucis excerpere iuuabit. Comes primo vrget, patrem sibi castra donasse, quae iam rex repetat, atque inde colligit, se in iis ius in re consequutum. Hinc *v.* 40.

His veris titulis mihi ius adquiritur in re,
Quam repetis.

Deinde addit, se possessorem ne edere quidem titulum teneri, tamdiu rem habiturum, quamdiu rex illam suam esse, nondum probauerit. §. 4. *Inst. de interd.* Eo pertinent *v.* 45. *sequ.*

Source : BIU Cujas

Esto, quod nullum ius sit mihi rebus in istis,
Vt loquar absque meae praeiudicio rationis:
POSSIDEO *tamen haec per teque tuumque parentem,*
Iusque mihi defendit in his possessio sola.
Nam possessorem compelli dicere, quo rem
Possideat titulo, nimis inciuile videtur.

Praeterea se iam res illas vsucepisse, contendit *v.* 52. *seqq.*

Quum res a dominis licite data sit mihi veris.
Sic BONA *nempe* FIDES, *TITVLVS sit IVSTVS ab omni*
Excusat culpa nostri fundamina iuris.

Denique nec id omittit, neminem sine facto et culpa sua dominium amittere debere, *v.* 55. *seqq.*

Nec tibi ius nescire licet, quo nemo sibi rem,
Iuste collatam, sine culpa amittere debet.

Sic et rex comiti ex iure Romano obvertit exceptiones varias, e. g. possidere comitem precario: *v.* 60. *sequ.* se quidem illi diploma dedisse, sed adhuc minorennem: *v.* 63. *sequ.* Quin enarrata postea ipsius comitis, rem donatam donatario propter donatoris minorennitatem abiudicantis, sententia, ad partes vocat edictum: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM, *v.* 78. *sequ.*

Vis aliis aliud, aliud tibi dicere iuris?
Absit: quam tuleris, legem patiaris, oportet.

Quis sibi audire videatur regem et comitem, ac non potius binos cauſſidicos, ex iure Romano inter se disceptantes? Ad idem edictum triennio ante provocare videmus. Matth. Paris. *ad ann.* 1181. *quod quisque iuris in alterum statuerit, vti debet eodem.* Adeo iam eo tempore aulae curiaeque personabant huius modi iuris ciuilis Romani regulis.

§. LVIIII.

In Burgundiam et Hispaniam.

Ex Gallia facile id ius in Burgundiam, iuris Germanici regnum, penetrauit. Id quod maxime patet ex Guichenonii *Bibliotheca Sebusiana*, in qua iam hoc saeculo occurrunt diplomata, iuris ciuilis Iustiniani gemmulis distincta. Quale est illud *Cent. I. num.* 81. Fridrici I. imp. anno 1157. conscriptum, in quo mentio fit *meri et mixti imperii*, *conditorum testamentorum*, *heredum institutorum*, *dotis constitutae*, *legati facti*, et similium, quae ex iure Romano esse, nemo non videt. Quin et Hispanis eodem tempore innotuisse videntur leges Romanae *, quippe saeculo insequente XIII. iis tam familiares, vt Alphonsus X. Castiliae rex, conficiens legum corpus, quod PARTITAS Hispani vocant, permulta ex iure Romano desumserit. Vid. Art. Duckius *de vsu et auctor. iur. Rom. Lib. II. cap.* 7.

* Immo multo prius ipso saeculo XI. si fides Hispanis scriptoribus. Nam de Sanctio IIII. Arragonensium rege, qui Ramiro I. anno 1067. successit, scribit Mariana *de reb. Hisp. Lib. VIII. cap.* 7. *Sanctum, Romani successorem, memo-*

Source : BIU Cujas

memorant Gothicas leges abrogaſſe, Barcinonis exemplo ſcilicet: ſanxiſſe CAESAREAS, *et ſecundum eas populis iura dari.* Add. Herm. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 3.

§. LX.

Non mirum ergo, ſi ſenſim etiam in Germaniam noſtram viam ſibi muniuit ius Romanum, tanto vbique plauſu receptum. Nam et in ea legum Doctores et iuris periti ad ſummas in eccleſia, aulis, et foris dignitates adſpirabant, et imperatores ac reges ipſi, a pontificibus Romanis exagitati, fauebant ICtis, in quibus ſibi haud parum praeſidii poſitum exiſtimabant aduerſus pontificum iniurias, et ipſa denique conſilia pontificum Rom. ius canonicum obtrudentium regnis ac rebus publicis Chriſtianis, non felicius turbari poſſe videbantur, quam ſi iura Romana civilia in foris ac gymnaſiis dominarentur *. Cur et Germanis adriſerit?

* Quanti tum fieri coeperint iuris periti, vel inde patet, quod in Henrici VI. imp. laudibus poneretur, *quod fuerit dotibus inſignitus ſcientiae liberalis, et floribus eloquentiae redimitus, et eruditus apoſtolicis inſtitutis, et legibus imperatoriae maieſtatis*, Alberic. monach. *in Chron. ad annum* 1185. quodque Bertholdo anno 1179. ad archiepiſcopatum Bremenſem euecto, praecipue profuerit *decretorum legumque peritia*: Anon. *Hiſtor. epiſc. Brem. pag.* 94. Fridericum porro imp. ſibi quam maxime conciliare ſtuduiſſe ICtos, ſatis patet ex illius imp. oratione apud Radeuic. *in Vita Fridrici I. II*, 3. et ex iis, quae de dominio mundi cum Bulgaro et Martino colloquutus eſt apud Ottonem et Acerbum Moren. *de reb. Laudenſ. ad annum* 1158. apud Leibnit. *Script. rer. Brunſuic. Tom. I. pag.* 818. vbi etiam in iura regalia imperatorem per magiſtros Bononienſes et iudices vniuerſarum Lombardiae civitatum inquiſiuiſſe, legimus.

§. LXI.

Gliſcente enim iuris Romani vſu, DECRETVM, ſeu CONCORDIAM, DISCORDANTIVM CANONVM, circa annum 1152. ex Dionyſio Exiguo, Iſidoro, Iuone, Burchardo, aliiſque canonum collectoribus, compilauit GRATIANVS, patria Cluſinus, non Romanae eccleſiae cardinalis, quod viſum Alberico monacho *in Chron. ad annum* 1146. ſed monachus Benedictinus Claſtenſis, qui, vt eo commodius hunc laborem extantlaret, Bononiam in monaſterium S. Felicis ſucceſſerat *. Chiflet. *Diſſ. apolog. cap.* 5. §. 4. Pancirol. *de clar. leg. interpr. Lib. III. cap.* 2. Ger. Maſtricht *Hiſt. iur. eccleſ. n.* 318. *ſequ.* Huic Canonum corpori acceſſere variae additiones, quae PALEAE canoniſtis vocantur, quas diuerſis temporibus primum exemplarium adſcriptas marginibus, poſtea in ipſum textum migraſſe, codicum MSC. fi- Decreti origo.

Source : BIU Cujas

de probarunt Pithoei fratres *in praefatione editioni suae praemissa.*

* Ibi et mortuus dicitur. Exstat sane ibi ad sacellum S. Sebastiani monimentum, cum ab aliis, tum a Val. Forstero *in Hist. iur. ciu. Lib. III. cap.* 7. editum, recentius illud quidem, et a Io. Franc. Aldobrando anno 1498. positum, sed ideo non contemnendum, quod ex vetere carie ruderibusque obruto descriptum sit. In eo dicitur *Clusinus, Caesarei iuris et pontificii enucleator prope diuinus, monachus in martyrum Felicis et Naboris aede, vbi absolutissimum opus decretorum anno gratiae* 1151. *compilarit.*

§. LXII.

Illud et Germanis, et aliis gentibus obtrudere volebant pontifices.

Quamuis vero priuatum hoc monachi opus non eo iudicio ac cura confectum sit, vt nomen *concordiae discordantium canonum* sine rubore sustineat, Ziegl. *Diss. praelim. ad Lancell.* §. 38. nec a pontifice aliquo vmquam iuris robur acceperit: nihil tamen reliqui fecerunt pontifices, vt illud gentibus omnibus obtruderent, licet irrito aliquamdiu conatu, quum tot experimentis moniti reges et principes non possent non subolfacere, quid ea legislatione adfectet aula Romana *. Maluerunt ergo iuris Iustinianei studia euehere, quam collum submittere iugo illi pontificis Romani durissimo. Selden. *in Diss. ad Fletam. cap. 6.* §. 5. *pag.* 1078.

* Probauit hoc laudatus Seldenus insigni loco Orderici Vitalis *Hist. eccles. Lib. XIII. pag. 919.* qui verba faciens de concilio generali ab Innocentio II. Papa anno 1139. Romae habito, illisque qui illuc confluxerant: *multa eis*, inquit, *Papa de priscis codicibus propalauit, insignemque SACRORVM DECRETORVM TEXTVM congessit. Sed nimis abundans per vniuersum orbem nequitia terrigenarum, corda contra ecclesiastica scita obdurauit. Vnde remeantibus ad sua magistris apostolica decreta passim per regna diuulgata sunt. Sed nihil, vt manifesto patet, oppressis et opem desiderantibus profuerunt, quoniam a PRINCIPIBVS et OPTIMATIBVS REGNORVM cum subiectis plebibus parui pensa sunt.* Quum vero eo tempore in lucem nondum prodiisset Decretum Gratiani: intelligenda est alia Decretorum collectio, ipsius Innocentii Papae II. iussu confecta, nisi cum Bellarmino suspicari malis, Gratianum iam ab anno 1127. in adornando eo opere desudasse. Potuit ergo Innocentius hoc ipsum opus, licet nondum suis numeris absolutum, concilii patribus commendasse.

§. LXIII.

Hinc iuri Romano pretium statutum.

Inde factum, vt iam saeculo XII. multoque magis insequente in Germania passim prouocetur ad ius ciuile Iustinianeum, quamuis, quum in episcoporum curiis et Decreto aliquis locus esset, simul ius canonicum non exigui vsus haberetur. Collegerunt

Source : BIU Cujas

runt ex variis diplomatibus et scriptoribus rerum Germanicarum eius modi formulas, Hertius *de consult. leg. et iudic.* §. 14. Boehmerus *in iur. eccles. Protest. Lib. I. tit.* 2. §. 48. Struu. *Hist. iur. Lib. VI. cap.* 39. *pag.* 529. *seqq.* ex quibus patet, Germanos a saec. XII. actus suos ciuiles ad vtriusque iuris normam componere coepisse. Quum vero et nobis, quantum per negotia licuit, inquirentibus talia quaedam in manus inciderint: ea cum reliquis secundum temporis seriem disponere non pigebit, ita tamen, vt et Burgundici regni, quod tum Germanico vnitum erat, simul habeamus rationem.

§. LXIIII.

Probatur id de saeculo XII.

Ex saeculo XII. non nisi pauca adferre licet, sed insignia. Anno enim 1150. apud Guichenon. *Bibl. Sebus. Cent. II.* 54. contrahentes renunciant *exceptioni non numeratae pecuniae, et non habitae, et omni LEGVM et CANONVM auxilio, super hoc competenti, vel competituro.* Paullo post, anno 1157. in diplomate Fridrici I. imp. mentionem fieri *meri et mixti imperii, conditi testamenti, heredis instituti, facti legati*, iam supra (§. 59.) ex eiusdem Guichenonii *Bibliotheca Sebusiana Cent. I.* 81. ostendimus. Anno 1179. in dissidio Volcmari et Rudolphi, diuisis suffragiis ad archiepiscopatum Treuerensem euectorum, Volcmarus *sequebatur curiam Romanam, pro eoque esse videbatur iustitia CANONVM, quum LEGISTAE pro parte Rudolphi legum iura stare*, contenderent. Arnold. Lubec. *Chron. Slau. Lib. III. cap.* 10. Anno 1179. Bertholdum, archiep. Bremensem, ac demum anno 1185. Henricum VI. imp. a decretorum legumque peritia commendatos esse, iam supra (§. 60. *) monuimus *.

* Addi potest testamentum vel instrumentum comitis Homburgensis Mathildis, scriptum anno 1175. in quo monasterio Saliuallensi *palam, publice et expresse, pure et libere, et simpliciter donatione pura, mera, valida, et irreuocabili, quae dicitur INTER VIVOS pagum nomine Bourmont.* Addit sub finem, se adhibuisse *notarium publicum et testes ad praemissa vocatos specialiter atque rogatos.* Calmet *Probat. hist. eccles. Lotharing. Tom. II. pag.* 409. Quae omnia iuris Romani cautiones sapere, nemo negauerit.

§. LXV.

Itemque de saeculi XIII. initio.

Insequens vero saeculum XIII. huius modi testimoniorum insignem dat prouentum. Anno enim 1209. capitulum Lugdunense ab ecclesia Cluniacensi sibi stipulatur seruitutem non altius

Source : BIU Cujas

tollendi, Guichen. *Bibl. Sebuſ. Cent. II. n.* 15. Anno 1224. apud Schatenium *Annal. Paderborn. Lib. XIII.* occurrit ſententia, quae plane hodiernum litigandi modum redolet *. Anno 1235. apud Guichen. *Cent. II. n.* 96. reperimus contractum venditionis, in quo praeter alia de pretio in rem verſo reperimus formulam: *renunciantes certa ſcientia exceptioni minoris pretii, non numeratae pecuniae, et non habitae, et priuilegio fori, et exceptioni doli, et errori in factum, et omni auxilio* LEGVM *et* CANONVM, *et omni iuri ſcripto et non ſcripto.* Qualis renunciatio, *exceptionum doli, in factum, reſtitutionis in integrum*, etiam anno 1246. occurrit *Cent. II. n.* 98. quemadmodum anno 1244. apud eumdem *Cent. I. n.* 98. permutatio quaedam fit *de conſilio* IVRIS PERITORVM, *et amicorum.* Et apud Leibnit. *Cod. iur. gent. Part. I. pag.* 16. habetur eodem anno conditum teſtamentum Ioannae, comitis Flandriae et Hannoniae, in quo *clauſula codicillaris, conſtitutio teſtamentariorum, teſtium ſubſcriptio et ſubſignatio.*

* Sic et anno 1231. Henricus, comes Barrenſis, in pactis dotalibus cum Margaretha Luceburgica initis, quaedam *decernenda* eſſe monet *per duos* DOCTORES, nec adſenſum vtriuſque pactis ad hoc electos. Calmet. *Probat. hiſt. eccleſ. Lothar. Tom. II. pag.* 446.

§. LXVI.

Eiuſque fine. Talia vero et adultum iam ſaeculum XIII. ad finem eiuſdem complura reliquit. In charta enim anni 1252. Rudolphus landgrauius Alſatiae, apud Guillemann. *Habsburg. Lib. VI. cap.* 4. *renunciat omni iuris ſubſidio* CANONICI *et* CIVILIS, *conſuetudinibus, conſtitutionibus editis et edendis*, et anno 1259. *donationis propter nuptias*, ſuaeque *ad euictionem obligationis* meminit in charta apud eumdem *Lib. VI. cap.* 2. Anno 1266. Simon, epiſcopus Paderb. apud Schaten. *Lib. XI. pag.* 112. prouocat ad *conſtitutiones* LEGALES *et* CANONICAS *, et anno inſequente Rudolphus, comes Tubingenſis, *renunciat omni iuri* CANONICO *ſeu* CIVILI, *in Monim. Wurtemb. de monaſt. Blaubeuren. num.* 3. Similes renunciationes inſertas reperimus anno 1276. diplomati ducum Slauorum et epiſcopi Camin. apud Rangon. *in Pomeran. dipl. pag.* 265. *anno* 1278. chartae Hermanni, comitis de Sulze, in *Monim. Wurtemb. Part. I. pag.* 255. anno 1280. litteris Rudolphi, regis Rom. apud Gewold. *in Antith. ad Marqu. Freher. litt. B.* anno 1281. eiuſdem diplomati apud Toelner. *in Cod. dipl. Pal. n.* 112. *pag.* 78. anno 1283. tabulis capituli Ratiſponenſis

Source : BIU Cujas

sis apud Hund. *Metrop. Salisburg. Tom. I. pag.* 178. anno 1290. et 1292. chartis, productis *in Deduct. Stolb. num.* 7. anno 1296. foederi inter Eduardum, regem Angliae, et Guidonem, Flandriae comitem, inito, apud Leibnit. *Cod. iur. gent. Tom. I. pag.* 39. ** et denique anno 1298. chartae apud Io. Petr. de Ludewig, *Reliquiar. Tom. V. pag.* 445.

* Eodem anno Robertus, episcopus Verdunensis, apud Foppensium *in Supplem. Mir. pag.* 863. renunciat *privilegio clericatus et fori, consuetudini et statuto, beneficio restitutionis in integrum, et omnibus exceptionibus generalibus et specialibus.*

** Anno 1297. Fridricus, Lotharingiae dux, condidit testamentum plane ex iuris Romani formula, adeo vt ne septem quidem testium rogationem et sigilla omiserit. Exstat illud apud Calmet. *Probat. hist. eccles. Lotharing. Tom. II. pag.* 546.

§. LXVII.

Et haec quidem testimonia, quorum multo plura, si otium esset, accumulare facile potuissemus, satis superque indicant, iam ab ipsis Lotharii temporibus vtrumque ius, canonicum et ciuile, etiam in Germaniam paullatim penetrasse, adeoque non parum falli, qui saeculo demum XV. illud in academias primum, ac postea in forum, irrupisse existimant cum doctissimo Conringio *de orig. iur. Germ. cap.* 32. Nec tenuia tum eius rei initia fuerunt, vt sibi persuadet vir doctissimus: sed certis argumentis constat, iam illis temporibus in ipso foro rationem vtriusque iuris esse habitam *.

Iam ergo his saeculis ius Rom. vna cum canonico inualuit.

* Ludewigius enim in *Programmate, von Verbesserung des Deutschen Lehen-Rechts, pag.* 14. chartam edidit, ex qua adparet, comitem Schwartzburgicum, iudicem austregalem inter electorem Brandeburgicum et archiep. Magdeb. electum, auditis partibus, cognitaque caussa, noluisse tamen sententiam ferre, nisi *aduocatis prius Romani iuris peritis.*

§. LXVIII.

Vnde non mirandum, maxima incrementa iuris studium saeculo XIIII. cepisse in vniuersa Germania. Tunc enim inter domesticos et palatinos Balduini, archiep. Treuerensis, quem anno 1308. electum constat, primo statim loco recensentur LEGISTAE et CANONISTAE. *Auct. gest. Balduini Lib. I. cap.* 12. Biennio ante mentio fit *actionum personalium, realium, et mixtarum* apud Leibnit. *Cod. iur. gent. Tom. I. pag.* 113. Anno 1333. celebratur Vdalricus de Augusta, imperatoris scriba secretus, homo in vtroque iure peritus. Trithem. *Chron. Hirsaug. ad ann.* 1333.

Multoque magis saeculo XIIII.

Source : BIU Cujas

1333. Anno ſequente chartae Humberti, Delphini Viennenſis, ſubſcribit Amblardus de Bellomonte, IVRIS CIVILIS PROFESSOR, protonotarius Delphinatus. Guichenon. *Biblioth. Sebuſ. Cent. II. n.* 18. In decreto Renſenſi anno 1338. de iuribus electorum dicitur: *haec veriſſima eſſe, conuenit inter omnes annalium, rerum humanarum diuinarumque peritos, atque iam ſaepius*, VTRIVSQVE IVRIS, CAESAREI *atque* PONTIFICII, *caeleſtis theſauri teſtimoniis comprobatum eſt.* Goldaſt. *Tom. III. Conſt. imp. pag.* 409. Teſtamentum Henrici, ep. Lubec. anno 1340. plane ad iuris Rom. formulas conditum ex chartulario Lubecenſi eruit Boehmer. *Iur. eccleſ. Lib. I. tit.* 2. §. 47. *pag.* 115. In charta de anno 1343. memorantur ſubſtitutio teſtamentaria, ſtipulatio ſollemnis, donatio inter viuos, apud Guichen. *Biblioth. Sebuſ. Cent. II. n.* 22. *Emancipationis ſolemnis* Philippi, ducis Burgundiae, exemplum eſt apud Leibnit. *Cod. dipl. iur. gent. Tom. I. pag.* 221. In academia Viennenſi anno 1365. fuere *profeſſores iuris* CANONICI *et* CIVILIS. Lambec. *Bibl. Vindob. II.* 5. *pag.* 85. 164. *ſequ.* Vt iam non accumulemus innumeras formulas, quibus iuris vtriuſque beneficiis annis fere ſingulis huius ſaeculi nuncium miſerunt Germani noſtri *.

* Tales formulas hic tantum per lancem ſaturam indicabimus. Occurrunt eius modi renunciationes, factae anno 1305. apud Leibnit. *Cod. dipl. iur. gent. Tom. I. pag.* 113. anno 1306. *in der Waldeckiſchen Ehren Rettung. n.* 36. *pag.* 3. anno 1311. et 1318. in chartulario Lubecenſi, de quo Boehmer. Iur. *eccleſ. Proteſt. Lib. I. tit.* 2. §. 47. *pag.* 115. anno 1319. apud Ludewig. *Reliqu. MSC. Tom. VI. pag.* 4. 6. anno 1324. apud Schaten. *Annal. Paderb. Lib. XIII. pag.* 360. anno 1328. apud Leibn. *Tom. I. pag.* 128. anno 1330. et 1331. apud Ludewig. *Reliqu. Tom. V. pag.* 553. *et* 625. anno 1338. et ſequente apud eumdem *Tom. V. pag.* 546. 548. 630. 639. 565. anno 1341. apud Leibnit. *Tom. I. pag.* 154. anno 1356. apud Ludewig. *Tom. V. pag.* 518. anno 1367. in *Monim. Wurtemb. Part. I. pag.* 917. anno 1377. apud Schaten. *Annal. Paderb. pag.* 399. Nos ſpecimenis loco adferemus renunciationem talem Stephani Palatini com. Rheni et ducis Bauariae, ex diplomate anno 1338. ſcripto editoque a Gewaldo *Antith. ad Marqu. Freher. edito, pag.* 20. quia et Germanica eſt, et maxime ſingularis: *ob wir oder der deheiner, dez Got nicht engeb, als khranck weren, das wir oder ihr deheiner dawider teten, oder thuen wolden, uns dawider nit behelffen mit deheiner diſpenſation, abſolution, relaxation, abolition, in integrum reſtitution, deheinerlay beneficio, wie daz genant ſey, etz khomm wanne oder wie etz khom, etz geſcheh umb unſer oder ander leut beth, oder daz man nennet ze Latein ex officio.* Vbi quaedam ad ius ciuile, alia ad ius canonicum pertinere, vnuſquiſque intelligit.

§. LXVIIII.

Source : BIU Cujas

§. LXVIIII.

Quo magis vero feruebant his saeculis iuris ciuilis studia: eo magis de ecclesiastici incrementis sollicitus erat Pontifex Romanus. Hinc post varias ISIDORI MERCATORIS, IARLANDI, ipsorumque pontificum collectiones Gregorius PP. VIIII. circa annum 1230. per RAYMVNDVM DE PENNA FORTI, capellanum suum, compilauit DECRETALIVM libros quinque: Matth. Paris. *ad annum* 1235. Io. Chifflet. *de vtriusque iuris architect. cap.* 6. Ziegl. *in Diss. praelim. ad Lancell.* §. 51. *seqq.* cui postea anno 1298. librum VI. eodem modo in libros V. diuisum adiecit Bonifacius Papa VIII. Henr. Stero *in Annal. ad annum* 1297. eumque cum superioribus in fora et academias introduci iussit, quamvis in Gallia auctoritatem minime obtinuerit. Vid. Franc. Duaren. *praef. libri de sacr. eccles. minist.* Iis saeculi sequentis anno XIII. accessere CLEMENTINARVM itidem libri V. a Clemente PP. V. ita adpellatae, Baluz. *de Pap. Auenion. pag.* 60. et EXTRAVAGANTES tum IOANNIS PP. XXII. anno 1340. tum COMMVNES, exeunte saeculo XV. collectae *. Ziegl. *Diss. praelim. ad Lancell.* §. 58.

Pontifex Decretales publicat.

* Librum sextum Decretalium iussu Bonifacii PP. VIII. collegerunt Guill. de Mandagollo, archiep. Ebrodunensis, Berengarius Fredo, Biterensis episc. et Magister Richardus de Senis S. R. E. vicecancellarius. CLEMENTINAS mortuo demum Clemente PP. V. promulgauit anno 1313. Ioannes PP. XXII. Idem pontifex anno 1325. Extrauagantes edidit, nec tamen eas speciali rescripto ad vniuersitates misso confirmauit. Communes priuati hominis studio collectas esse post annum 1483. ex *c. 2. de reliqu. et vener. sanct.* colligitur. Vid. Nic. Frerotii *Paratitla sexti Decret. Clementinar. Extrauagant. et extrau. commun.*

§. LXX.

At non tamen ideo nuncium iuribus patriis mittebant Germani, sed iuribus his peregrinis tantum vtebantur, tamquam illorum supplemento. Quin erant, qui aegre ferrent, has lacinias iuri Germanico adsui, ac proinde illud conseruare omni ope niterentur. Quo factum, vt ipsi reges Germaniaeque ordines leges veteres in vsum reuocare, consuetudinesque litteris mandare studerent, et subinde nouas conderent, quibus obex quodammodo poneretur peregrinis istis iuribus.

Germani de conseruando iure patrio laborare incipiunt.

§. LXXI.

Imperatores et reges ipsos cum imperii ordinibus de conservando iure patrio fuisse sollicitos, primo inde patet, quod his

Hinc veteres leges ac iu-

Source : BIU Cujas

ra seruari iubent impp.

saeculis non semel publica lege cauerunt, aut iuri antiquo patrio sua constaret auctoritas. Sub Ottone enim IIII. imp. anno 1208. in comitiis Francofurtanis sancitum, *vt omnia iura a Carolo M. instituta, obseruarentur, tenerenturque* *. Godofred. monach. *in Chron. ad annum* 1208. Anno 1225. in comitiis Moguntinis celeberrimis, teste eodem Godofredo, *pax iurata, vetera iura stabilita, noua statuta, et Teutonico sermone in membrana scripta omnibus publicata.* Quod vetustissimum legis, patria lingua scriptae, monimentum edidit Goldast. *Part. II. der Reichs-Satzunger, pag.* 17. Eodem feruore legum patriarum vsum firmatum animaduertimus a Rudolpho Habsburgico, in comitiis non solum Herbipolitanis, anno 1287. sed et Spirensibus anno 1291. apud Lehmann. in *Chron. Spir. Lib. V.* 108.

* Nec tamen hic intelligenda videntur capitularia, sed leges Saxonibus, aliisque gentibus Germanicis a Carolo M. latae. Et iam fere in consuetudinem res abierat apud Germanos, vt quaeuis paene gens mores suos ac priuilegia Carolo M. tribueret. Exempla in iure tum prouinciali Saxonico, tum Weichbildico, itemque apud Frisios, aliasque gentes vbique occurrunt. Conring. de *orig. iur. Germ. cap.* 13. Gryphiander *de Weichbild. cap.* 54.

§. LXXII.

Imperatores et ordines nouas leges condunt.

Deinde ipsos imperatores principum consilio a Lotharii temporibus frequentius tulisse leges nouas, easque scriptas promulgasse in imperio, satis constat. Tales fuere leges Fridrici I. feudales, de quibus Radeuic. *de gest. Fridrici I. imp. Lib. II. cap.* 7. *: tales eiusdem constitutiones apud Goldast. *Constit. imp. Tom. III. pag.* 330. Talis eius *pax publica*, in comitiis Noribergensibus anno 1187. publicata, de qua Abb. Vrsp. *ad annum* 1187. et Dattius *de pace publ. cap.* 2. §. 69. *pag.* 19. Supersunt et aliquot leges Ottonis IIII. apud Goldast. *Constit. imper. Tom. III. pag.* 371. Friderici II. de quibus Pfeffing. *in Vitriar. illustr. Lib. I. cap.* 2. *pag.* 67. Vt alia huius generis omittamus. Mirandum enim profecto, collectiones Recessuum imperii antiquiorem nullam exhibere, quam ex saeculo XV. in cuius rei causas inquirit Io. Petr. a Ludewig *in Comment. ad Aur. Bullam, Tom. I. pag.* 15.

* In primis huc pertinet libellus de BENEFICIIS, quem dudum a Io. Havichorstio Col. 1569. editum, tamquam *ἀνέκδοτον* edidit Thomasius *in Selectis feudalibus.* De huius vero libri aetate, quae dicenda erant, iam *in praefatione prima* diximus.

§. LXXIII.

Source : BIU Cujas

§. LXXIII.

Iuraque patria in scripturam redigunt.

Denique tam certum, quam quod certissimum est, non aliam ob caussam ab his temporibus scribi coepisse tot leges prouinciales ac statuta, quam vt irruentibus in forum iuribus istis peregrinis obicem ponerent principes ac ciuitates. Iac. Frid. Ludou. *Prooem. Spec. Sax.* §. 12. *sequ.* Nec alio pertinent illa Repkouii *Lib. I. art. 3. Der Papst mag kein Recht setzen, da er unser Landrecht oder Lehen Recht mir aendern oder kraencken moege* *. Eo consilio saeculo XII. ad scribendum Speculum Saxonicum EPKONEM DE REPKAV excitauit HOYERVS A FALKENSTEIN: eodem scriptum est SPECVLVM SVEVICVM, totque ex eo tempore condita sunt iura prouincialia et municipalia statuta, vt taediosum esset, eorum numerum inire.

* Paullo ante enim innotescere in hoc terrarum tractu coeperant pontificum Decretales, iisque monachi Montis Sereni prope Halam nostram primum vsi sunt circa annum 1205. ad quem in *Chronico Montis Sereni pag. 79. edit. Maderi* haec legimus: *ad hoc primum tempus fratres Sereni Montis adpellationis et verborum Decretalium, eis adhuc ignotorum, vsum habere coeperunt, quarum rerum praefati Tiderici electores a Bertholdo Merseburgensi praeposito et Henrico, eius fratre, informati auctores fuerunt.* Qui sane locus notatu dignissimus hic non fuit praetermittendus.

§. LXXIIII.

Speculi Sax. auctor et aetas.

Quod ad Speculum Saxonicum attinet, auctoris vtriusque aetatem nos ignorare haud patiuntur tot chartae ac diplomata, in quibus commemorantur. Testis enim citatur HOYERVS COMES A FALKENSTEIN anno 1215. apud Beckmann. *Hist. Anhalt. Part. III. Lib. II. pag.* 213. et anno 1219. in charta alia Henrici, comitis de Aschersleue, apud Leukfeld. *Antiquit. Pold. pag.* 288. eique iungitur HECCO vel EICO de REPKAV vel REPECHOVE. Idemque HOYERVS laudatur anno 1230. 1233. et 1241. in diplomatibus quibusdam apud Ketner. *in Antiqu. Quedl. pag.* 219. 260. *et* 264. *et in Dipl. Quedl. pag.* 254. 256. *seqq.* 261. 264. 266. *seqq.* 273. 279. 332. adeoque nullum est dubium, quin iisdem circiter temporibus compilatum a Repkouio sit SPECVLVM seu IVS PROVINCIALE SAXONICVM *.

* Et quidem inter annum 1215. et 1235. Nam *Iur. prou. Sax. Lib. I. art. 3.* mentio fit *cap. non debet. X. de consangu. et adfin.* quod anno 1215. ab Innocentio PP. III. in concilio generali latum est. Ergo post illum annum perpolitum esse oportet hoc speculum. Deinde *Lib. III. art. 62.* enumerantur feuda imperii vexillaria, in quibus locum non inuenit ducatus Brunsui-

Source : BIU Cujas

censis et Luneburgicus: qui quum anno 1235. institutus sit a Fridrico II. consequens est, vt ante hunc annum opus suum absoluerit. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 30.

§. LXXV.

De eo iudicium.

Quamuis vero multi huius Speculi naeui sint, multae nugae ac naeniae, maxime, vbi aut philosophatur auctor, aut historicum agit, aut ius publicum Germanicum exponere conatur: fatendum tamen est, Repkouium laudabili industria collegisse iuris priuati patrii, per vniuersam Germaniam inferiorem recepti, reliquias *. Vnde huic Repkouii industriae reliquos eius naeuos, saeculo, quo scripsit, proprios, facile condonamus. Quod vero et ex iure canonico et ciuili Romano quaedam immiscuit, (vid. *Ius prou. Sax. Lib. II. art. 63. Lib. I. art. 37. Lib. II. art. 56.*) nouo argumento est, iura illa peregrina iam tum Germanis haud ignota fuisse.

* Testis est ipse Repkouius *in praef. rhythm.*

Dies Recht hab ich nicht erdacht,
Es habens vor Alten auf uns bracht,
Unsere gute Vorfahren.

Et pleraque sane, quae in hoc Speculo traduntur legibus veterum Saxonum, Frisiorum, Angliorum, Francorum, quin et Normannorum paene gemina esse, legg. Gaertnerus in *edit. Saxonic. et Frisiorum* multis exemplis ostendit. Quin et nos postea multo plura ac luculentiora huius consensus specimina dedisse videmur in *Elementis iuris Germanici.*

§. LXXVI.

Eius editiones.

Ipse Repkouius fatetur, initio se hoc opus Latine scripsisse, posteaque non sine difficultate illud in linguam vernaculam transtulisse. *Praef. rhythmica Spec. Sax.* Exstat et hodie, Latinum exemplar, quod tamen non est a Repkouio, sed ab homine peregrino, et fortassis Polono, nescio quo, siquidem hic interpres, quisquis sit, ne intellexisse quidem satis videtur linguam Germanicam. Schilter. *Prax. iur. Rom. Exerc. XVI. §. 35.* Authenticum hoc exemplar lingua Saxonica antiqua, qualis in ducatu Magdeb. et vniuersa inferiori Saxonia tum fuit, scriptum est, ceu et tot codices MSCi, et editiones veteres, testantur. At demum in dialectum Misnicam illud transtulerunt WOLFGANGVS LOSS, ciuis Fribergensis, et CHRISTOPH. ZOBEL *. Codices MSSC. qui passim reperiuntur, variasque operis editiones cum cura recensuere Gryphiander, Lambecius, Werlhoffius, Hertius, Struuius, Ludouici, Gaertnerus, quas repetere hic breuitas vetat et instituti ratio.

* Sed

Source : BIU Cujas

* Sed ſicuti Latinus Germanicam, ita Zobelius Saxonicam dialectum non ſatis intellexiſſe videtur. Hinc ſaepe Saxonicum *leven*, vita verti videmus *leib*, corpus. Sic cum equus aſthmaticus auctori ſit *hartſchlegig*, Zobelius id vertit *haarſchlechtig*, quaſi de equo ſcabioſo loquatur. Talia paſſim obſervabit, qui varios codices Saxonicos cum illa verſione, maxime Zobeliana contulerit.

§. LXXVII.

Acceſſit et IVS FEVDALE SAXONICVM, quod in codicibus MSSC. iuri prouinciali plerumque, tamquam liber quartus, adiungitur, et eidem auctori EPKONI DE REPKAV tribuitur. Eiusdem ſane illud aetatis videtur, eumdemque ſtilum et methodum praefert, quam in iure prouinciali obſeruamus, vt nihil prohibeat, quo minus EPKONI tribuatur. De eo plura dixit Iac. Frid. Ludouici *in Proleg. iur. feud. Sax.* Struu. *Hiſt. iur. Lib. VIII. cap.* 16. Thomaſ. *Select. feudal.* §. 9. *ſequ.* Ius feudale Saxonicum.

§. LXXVIII.

Recentius eſt ius municipale Magdeburgicum, ſeu WEICHBILDICVM, quod vel exeunte decimo tertio, vel ſequente demum ſaeculo ineunte Magdeburgi videtur compilatum *, et conſuetudines iſtius ciuitatis, ſed iuris ciuilis laciniis paſſim deformatas, complectitur, *Weichb. Art.* 119. 121. et 128. non tamen ita, vt Aen. Sylu. *in Europ. cap.* 24. id iure vocet *ius ciuile abbreuiatum, et Saxonica lingua conſcriptum.* De huius quoque iuris Weichbildici editionibus plura obſeruarunt ſcriptores paullo ante laudati, in primis Iac. Frid. Ludouici *in Proleg. Weichb.* §. 16. *ſeq.* Ius Weichbildicum.

* In Vindebonenſi enim bibliotheca codices quadringentorum annorum iam ſuperiore ſaeculo reperit Lambec. *de biblioth. Vindeb. II*, 8. *pag.* 831. Et ita in medium ſaeculum XIII. incideret huius libri origo. Sed vereor, vt tantam antiquitatem tueatur ius municipale multo inquinatius, quam reliqua iura Saxonica, eo tempore ſcripta.

§. LXXVIIII.

Quamuis vero pontifici minime omnium placeret illud iuris Saxonici corpus, adeo vt plures eius articulos damnarint Gregorius PP. VIIII. anno 1371. et poſtea Eugenius PP. IIII. vid. *Bull. ad archiep. Rigenſ. poſt Spec. Sax. pag.* 485. tanto tamen plauſu receptum eſt non modo per archiepiſcopatum Magdeburgicum et terras Anhaltinas, vbi genuina huius iuris patria eſt, verum etiam per Miſniam et Thuringiam, Marchiam, Brandenburgicam, Luſatiam, Boëmiam, Sileſiam, Holſatiam, Iuris Saxonici auctoritas.

Source : BIU Cujas

terras Brunſuicenſes, quin et Boruſſiam, Poloniam, Daniam, Tranſſyluaniam *, vt veluti ius commune harum aliarumque gentium haberetur, et hinc frequentiſſime exteri, ſententiis gravati, ad ſcabinatum Magdeburgicum prouocarent. Vid. Leuberi *Stapul. Sax. n.* 540.

* In omnibus his prouinciis viuebatur iure Saxonico, quamuis alibi *ius prouinciale* ac *feudale*, alibi *ius Weichbildicum*, maiore polleret auctoritate. Fuſius hoc probauit Struuius *Hiſt. iur. Lib. VI. cap.* 23. qui et *pag.* 475. de terris Meclenburgicis, et Brunſuicenſibus oſtendit, ibi abrogatum eſſe ius Saxonicum, adeoque eo ipſo eius vſum veterem in his prouinciis confirmauit. Sed quod ad terras Brunſuicenſes attinet, vſus iuris Saxonici in illis clariſſime demonſtratur ex vſu geradae, vel *Frauen-Radae*, de qua Io. Andr. Schmid. *in Helmſt. ſaeculis XIIII. et XV. per Frauen-radam adflicto. Helmſt.* 4. In Holſatia et vrbe Luneburgenſi eius adhuc hodie vſum aliquem eſſe, obſeruauit Hert. *de conſultat. legg. et iudic.* §. 15. *pag.* 430.

§. LXXX.

Speculi Sueuici aetas.

Eodem exemplo poſtea et SPECVLVM SVEVICVM conditum eſt, et quidem medio circiter ſaeculo XIII. Nam in eo mentio fit non modo Innocentii Papae III. et Ottonis IIII. imp. quorum ille anno 1216. hic non multo poſt deceſſit, *Spec. Sueu. Lib. I. art.* 348. et ita quidem, vt eorum certamen ſe tamquam rem antiquam legiſſe auctor profiteatur, ſed et Decretalium, quas anno demum 1235. prodiiſſe diximus, (§. 68.) *Spec. Sueu. Lib. I. art.* 5. quin et Friderici II. qui 1250. obiit. *Spec. Sueu. Lib. II. epilog.* Non multo poſt tamen illud conditum eſſe, manifeſtum eſt ex editione Io. Frid. Schannati, §. 144. *pag.* 253. vbi verba: *Verraeter haiſſen wir, dy mit red ain verpalmundent, alſo das ſy in ſagent von ſeiner Chriſtenhait, als dy Myner Prüder Kaiſer Fridrich teten*; et paullo poſt: *das teten all dij Mijner Prüder dem Kayſer Fridrichen*; vbi de hiſtoria illa, tamquam recenti, loquitur. Accedit, quod Speculum hoc archipincernatum tribuit ducibus Bauariae, qui ab anno 1231. cum Boëmiae rege de eo officio imperii altercati ſunt, donec ſecundum hunc litem dedit Rudolphus I. imp. anno 1290. Toeln. *Cod. dipl. Palat. n.* 109. *pag.* 76. Vnde denuo conſequitur, vt Speculum iſtud inter annum 1250. quo Fridericus II. obiit, et annum hunc 1290. in lucem prodierit *, adeoque Saxonico multo ſit recentius, quod tamen negaſſe nouimus viros doctos, Lambec. *Biblioth. Vindeb. II.* 8. *pag.* 825. et Schilter. *in Praef. iur. Feud. Alam.* §. 17.

* Quare

Source : BIU Cujas

* Quare nec adſentiri poſſumus Io. Sam. Brunquello, qui in *Hiſt. iur. Lib. I. cap. 6. §. 23.* hoc Speculum Sueuicum ſaeculo XIIII. conditum eſſe cenſet, ſequutus, vt opinor, Conringium, qui *de orig. iur. Germ. cap. 30. pag. 136.* id paullo ante Ludouici Bauari imp. tempora confectum eſſe ſcripſit.

§. LXXXI.

Plura vero eius exſtant exemplaria, inter ſe haud parum diſcrepantia. Nam praeter illud, quod ſequutus eſt Seb. Meiſchnerus *im kayſerl. und kocnigl. Land- und Lehen-Recht*, quod deinde ſimiliter expreſſerunt Melch. Goldaſtus *Tom. I. der Reichs Satzungen, pag. 31.* et Io. Steph. Burgemeiſter *im Deutſchen Corpore iur. dipl.* editionem nouam, et a reliquis et ordine, et verbis paſſim diſcrepantem edidit Io. Fridr. Schannatus *in der Sammlung alter Hiſtoriſcher Schrifften, Part. I. pag. 163. ſeqq.* et nouiſſime ex MSCo Argentoratenſi Io. Aug. N. D. de Berger *Lipſ. 1726, 4.* * Variae editiones.

* Ne iam dicamus de noua editione, quae in Io. Schilteri *Theſauro antiqu. Teuton. Tom. II.* prodiit, vbi Io. Ge. Scherzius non modo totum illud ius Alamannicum ex inſigni codice Kraffftiano edidit, ſed et codicem illum cum aliis XI. MSSC. et VI. impreſſis diligentiſſime contulit. In *praefatione praemiſſa pag. 4.* virum doctiſſimum eamdem mecum ſententiam de Speculi huius origine et auctoritate fouere non ſine voluptate obſeruaui. Et meretur ſane tota illa praefatio legi, quum nemo maiore inſtructus adparatu animum adpulerit ad Speculum iſtud nitori ſuo reſtituendum.

§. LXXXII.

Eſt et hic iuris Germanici theſaurus egregius, ac proinde iuri Saxonico in multis conuenit. Multa tamen auctor admiſit ex iure Romano, veluti *Lib. I. cap. 6. 41. 64. 67. 315.* et *327.* et vbi philoſophatur, aut de iure publico diſſerit, non minus deſipit, quam Speculator Saxo. An vſum vmquam hoc ius in foro habuerit, fuere, qui dubitarent *. Sed ſunt ſane diplomata, quae manifeſto prouocant ad deciſionem iuris Sueuici, quae iam produxit Datt. *de pace publica, Lib. IIII. cap. 1. §. 21.* De eo iudicium.

* Merentur ea de re legi verba Scherzii, *in praef. pag. 4. Quamuis autem hoc opus, prout hic iacet, legis robore donatum fuiſſe, nullus credam, attamen plurimum inde utilitatis, tum ad illuſtrandas antiquitates patrias, tum ad iuris prudentiam hauriri poſſe adſero. Nihil enim rationi ſanae magis conuenit, quam vt foro, ſi de pactis, contractibus, diuiſionibus familiarum, litteris inveſtiturarum, ſimilibuſque, quae antiquis temporibus fuere facta, iudicium ferendum ſit, illa interpretemur iuxta vſum moremque illorum temporum, quibus fuere*

re

re celebrata: vsum vero antiquiorum temporum in hoc opere repraesentari, vel Tiresiae clarum est, et probauit id multis exemplis Schilterus in Comm. ad ius feud. Alamann.

§. LXXXIII.

Ius feudale Suevicum Alamannicum.

Accessit et huic Speculo, seu iuri prouinciali, IVS FEVDALE, quod paullo post ius prouinciale, et fortassis ab eodem auctore, conditum est, siquidem aliquoties lector ad ius prouinciale, tamquam ad partem priorem, remittitur. *Ius feud. Alam. cap.* 1. §. 120. 168. Quare male de libri huius vetustate iudicarunt Lambecius, Schilterus, et alii, qui illum diu ante Speculum Saxonicum natum existimant. Thomas. *Select. feud.* §. 63. Editionem adcuratissimam huius libri, ad codicem Ambrosianum bibliothecae Vindebonensis expressam, et luculento commentario illustratam dedit Schilterus, Arg. 1697. 4. et nouissime Io. Aug. N. D. de Berger *Lipsi.* 1726, 4.

§. LXXXIIII.

Iura prouincialia varia.

Nec tantum communia illa Germaniae iura colligi sedulo coeperunt, sed et prouinciae singulae suas leges et consuetudines in scripturam iisdem fere temporibus redegerunt. Tale sane est IVS PROVINCIALE AVSTRIACVM, anno 1190. conditum, quod ex codice MSC. edidit Io. Petr. a Ludewig *Reliquiar. Tom. IIII. pag.* 1190. *sequ.* Tale IVS PROVINCIALE BAVARICVM, quod anno 1346. condiderunt fratres Ludouicus, Marchio Brandenburgicus, et Stephanus, Ludouicus et Guilielmus, comites Palatini Rheni, et duces Bauariae, qui tamen profitentur, *dass sie zu Rat worden mit ihrem Herrn und Vaeterlein, Kayser Ludwichen von Rom.* Codicem MSC. elegantem membranaceum, similemque per omnia illi, quem descripsit Lambec. *Bibl. Vind. II. 8. pag.* 834. in bibliotheca Hoffmanniana Francofurti vidi. Tales denique sunt leges, quas Tiroliensibus anno 1397. dedit Leopoldus, dux Austriae, teste Hundio *in Metrop. Salisb. Tom. I. pag.* 450. *

* Ad hanc eamdem epocham pertinent etiam Stadensium statuta, quae ipse MSSC. possideo, quorum in praefatione, quae incipit: *Iuste iudicate filii hominum* haec quoque legimus: *In dem Iare von onses Heren Godes Bort tusend twe hondert negen und seuentich in dem Mayge, do worden de meenen radmanne unde de mittigsten van diser Stadt tho Stade to rade, to Sünte Martinus Dage, also men then rade kefen schall;* sequuntur deinceps ipsa statuta, variaque additamenta, quorum singulis haec praemittitur formula: *Hinder den tweeden (derden, voffden) stükke syn volgende Capittel natho gedichtet.* Ex qui-

Source : BIU Cujas

quibus patet, primis his atque antiquissimis statutis postea varia SCta paullatim accessisse, adeoque non omnia esse eiusdem aetatis.

§. LXXXV.

Leges gentium exterarum Germanicis similes.

Quin et exterae gentes, quae leges et consuetudines Germaneas ob communem originem seruabant, iis temporibus illas in scripturam redigebant, ne a iure Romano et canonico agerentur in exsilium. Nam et Codex LEGVM DANICARVM auspiciis Waldemari II. regis, anno 1232. * confectus est, de quo aliisque Danorum Legibus consulendus Io. Petr. a Ludew. *in praef. Tomi VIIII. Reliqu. pag. 5. seqq.* Et NORMANNI LEGES suas, quas secum ex septemtrione attulerant, Germanicis plane geminas, litterarum monimentis consignarunt anno circiter 1250. ceu docet codex MSC. Bibliothecae Ludewigianae, ex qua illas cum notis suis edidit possessor *Tom. VII. Reliquiar. pag.* 149. *seqq.* **.

* Certum id est legibus Cimbricis, quas anno 1232. in comitiis Vordingensibus a Waldemaro II. praesentibus filiis Erico, Abele, et Christophoro, ducibus, conditas esse omnes fatentur. At Scanicas non a Waldemaro II. sed primo anno 1161. conscriptas, et postea ab Andrea, Sunonis archiepiscopo, Latine redditas esse, erudita *praefatione editioni Latinae Hafniensi* 1590, 4. praemissa demonstrauit Arnoldus Huitfeldius.

** Sed et Suedicae leges eiusdem fere aetatis sunt. Vplandicas enim, a S. Erico primum vel scriptas, vel collectas, publicauit, suisque auxit Birgerus Magni, rex, qui circa annum 1295. vixit: quemadmodum paullo ante anno 1251. Birgerus Iarl. ius municipale Sueciae ciuitatum in ordinem redegit. Qua de re ex instituto agit Io. Loccen. *Antiqu. Sueo Goth. Lib. II. cap. 2. pag.* 35. Brabantinorum quoque ducum constitutiones circa annum 1312. compilatas publicatasque esse, iam docuit Herm. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 28. *pag.* 167. Leges Boemicas a Carolo IIII. latas digestasque in ordinem sub titulo *Maiestatis Carolinae* edidit Paullus Geschinius *Francof.* 1617. *fol.*

§. LXXXVI.

Ciuitates patrii iuris seruantissimae.

Sed ciuitates praecipue, in quibus scabini, non nisi iuris patrii periti, maxima auctoritate pollebant, manibus pedibusque enixe omnia agebant, ne iura peregrina intra moenia sua reciperentur. Hinc multa vel condita, vel in scripturam primum redacta sunt STATVTA vrbium praecipuarum, non modo liberarum, sed et municipalium. Vbi id maxime notatu dignum, eas ciuitates, vnde alia oppida ius suum municipale petiuerant, ab his veluti metropoleon loco habitas, et a sententiis domi latis

Source : BIU Cujas

prouocatum esse ad illas vrbes, quarum iura adoptauerant, qui mos hodienum quibusdam locis obtinet *.

* Auctor est Ioannes Sibrandus in *Iur. publ. vrb. Lubec. Part. I. sect.* 10. *n.* 7. Rostochienses, quia iure Lubecensi vtebantur, adpellationes a tribunali Rostochiensi detulisse ad Lubecense. Idem *num.* 15. *pag.* 102. adducit priuilegium Stralsundensibus concessum anno 1314. quo permittitur ciuibus, *dass sie moegen und sollen ihre beschuldene Urtheil fuhren und holen zu Lübeck.* De adpellationibus Neomagensium ad scabinatum Aquisgranensium deuolutis, similique more apud Belgas passim obuio, quaedam haud vulgaria disserit Io. Isaac. Pontan. *Hist. Gelr. Lib. I. pag.* 59. quibus ex Conringio *cap.* 28. *pag.* 169. addimus, alias quoque vrbes Rhenanas partim Aquisgranum, partim Coloniam prouocare solere a caussis dubiis. Helmstadienses *a tribunali* magistratus sui *ad consistorium Magdeburgense solitos adpellare*, refert Magnus dux Brunsu. et Ioannes abbas Werthinensis in diplomatibus anni 1358. apud Schmidt. *de Helmstadio per Frawenradam adflicto, pag.* 6. *et* 8. Vnde non mirum, Polonos quoque et Boemos Halam vel Magdeburgum, a quibus ius acceperant, prouocasse: *Weichb. art.* 10. §. 1. quem morem tamen in Polonia anno 1356. sustulisse Casimirum II. regem, memoriae prodidit Mechou. *Chron. Polon. Lib. IIII. cap.* 19.

§. LXXXVII.

Statuta Susatensia.

De huius modi statutis iam satis prolixe a Struuio *Hist. iur. Lib. VI. cap.* 27. aliisque actum. Nos de praecipuis, et quibus apud alias quoque ciuitates honor fuit, agemus. Et hic nescio, an non primum sibi locum merito vindicet IVS SVSATENSE. Celeberrimum illud municipium iam olim εὐνομίᾳ tantam sibi famam pepererat, vt multae aliae ciuitates inde leges suas peterent, easque veluti beneficium acciperent ab imperatoribus, Arnold. *Lub. Lib. II. cap.* 35. Lambec. *Orig. Hamb. Lib. I. n.* 98. Henr. Meibom. *Introd. ad hist. Sax. infer. pag.* 81. At illud antiquum apud ipsos Susatenses paullatim obsoleuisse videtur: nam nouum ius Susatense, (*die Soestische Schraden* vel *Schragen*), in plerisque a iuris Lubecensis principiis discedit *.

* Ipse possideo apographum iuris municipalis Susatensis, cuius prima pars, continens *das alte gekorne und gepruvede Recht*, incipit: *in dem Boke von obersten Gude schrivet - Mester Boëtius, dat man in allen Beginnen sal anropen den allmachtigen Vader und Schopper aller Dinge cet.* Constat illud *articulis* 176. et quamuis sub finem legamus: *actum et concordatum anno Dni millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, feria sexta post beati Cuniberti episcopi; articulo* tamen 151. adscriptum: *anno Domini* 1350. *articulo* 156. *anno Dni* 1309. *crastino Alexii confessoris: articulo* 157. *anno domini* 1370. *in die beati Bonifacii: articulo* 173. *sub anno Domini* 1368. *in die dominica, qua cantatur Laetare:* vt adeo librum hunc subinde auctum esse, satis adpareat. Conf. Henr. Melch. Schutte *Diss. de iure Susat. eiusque et iur. ciu. collatione*

Source : BIU Cujas

ne in succeſſ. ab inteſtato. Altera pars eumdem titulum habens *dat alde und geprovede Recht der Stadt von Soeſt*, conſtat articulis 130. eiuſque initium eſt: *Tho den erſten ſo ſeyn drey Gerichte binnen der Stadt, dat ein unſes Herrn van Colln, dat ander des Proveſtes van Soeſt, und dat derde des Rats.* Tertia pars inſcribitur: *Des gemeinen Gerichts Proceſs*, tituliſque conſtat 19. quorum initium eſt: *Socrates der Heydniſche Philoſophus ſpricht: Das recht iſt einer ſpinnen-weben gleich, cet.* Sub finem ſubiiciuntur quaedam ſub rubrica: *Dit ſind nachfolgende Urtheil, ins freyen Stohls Gerichte gehoerig belangende.*

§. LXXXVIII.

Ex iure hoc Suſatenſi natum eſt LVBECENSE * et HAMBVRGENSE. Et Lubecenſes quidem, qui antea, teſte Helmoldo *Lib. I. cap.* 47. vt alii Nordalbingi iure Saxonico viuebant, ius ſuum ab Henrico Leone accepiſſe videntur, confirmatum poſtea a Fridrico I. imp. anno 1183. Arn. Lubec. *Chron. Slau. Lib. II. cap.* 35. Quod enim alii pro *Iure Suſatiae* apud Arnoldum reſcribi iubent *iura Holſatiae*, alii per illud intelligunt *legitimam conſuetudinem poteſtatemque vtendi paſcuis, ligniſque in comitatu Nordalbingiae*, id tam ſolide profligatum eſt ab Henr. Meibomio *Introd. ad hiſt. Sax. inf. pag.* 81. et Mollero *Iſag. ad hiſt. Cherſ. Cimbr. IIII.* 6. vt actum agere nolimus. Caue vero, id quod hodie obtinet, ius Lubecenſe vetus et ſincerum exiſtimes **. Vidi ego in bibliotheca Hoffmanniana codicem MSC. membranaceum antiquum, lingua vetere Saxonica ſcriptum, in quo iſtud ius et ab hodierno diuerſiſſimum, et multo breuius illo ſiſtitur. Conſtabat enim articulis 271. alio plane ordine diſpoſitis, quam qualem hodie in iure Lubecenſi obſeruamus. Fuſius de hoc quantiuis pretii codice, aliiſque, qui paſſim memorantur, codicibus MSCtis ſingulari programmate egit amiciſſimus Hoffmannus, *Francof.* 1731. Ius Lubecenſe.

* Equidem ex iure Sueogothico, tamquam fonte, promanaſſe ius Lubecenſe nuper oſtendere voluit Chriſt. Nettelblatt. in *Diſſ. de fontibus iuris Lubecenſis.* Sed quum pleraque communia habeant Gothicae illae et Germanicae leges, dicere malim, vtramque gentem talia a maioribus accepiſſe, vt non opus ſit fingere, Lubecenſes ius ſuum ex ſeptemtrione petiiſſe, de quo plane ſilent annales. Nec magis verum eſt, eſſe hoc ius Slauicum vel Venedicum, quum Suſato cum Venedis nihil vmquam commune fuerit.

** Collectio, qua hodie vtimur, facta eſt auſpiciis ſenatus, a Io. Ludinghauſen, coſ. Calixto Schein, ſyndico, Gottſchalco de Sliten, ſenatore, excuſaque Lubecae a Io. Balhorn, 1586. Eodem quidem anno Ioach. Kolius, conſul Crempenſis, ex codice MSC. ius Lubecenſe Hamburgi publicauit: ſed et haec, et ſi quae exſtant, aliae antiquiores editiones, in foro nullius amplius vſus ſunt. Conf. Ern. Ioach. Weſtphali *Diſſ. de origine et fontibus iuris Lubecenſis, eiuſque vſu, auctoritate, elogio, et ſubſidiis.*

Source : BIU Cujas

§. LXXXVIII.

Statuta Hamburgenſia.

Eumdem fuiſſe IVRIS HAMBVRGENSIS fontem, diplomata euincunt apud Lambecium, in quibus ipſis ſaeculo XIII. conceditur *antiqua iuſtitia Lubecenſium*, vel, *vt fruantur iure Suſatenſium et Lubecenſium*, quae iam alii attulerunt. Hinc ſimillimae olim fuere Hamburgenſium et Lubecenſium leges, vt Thraciger, Hamburgenſium ſyndicus, ſcribere non vereatur ad annum 1292. *Bis auf dieſe Zeit hat die Stadt Hamburg gebraucht Lübiſch Recht, als hiebevor iſt angezeigt.* Quum vero hoc ipſo anno Adolphus, Gerardus, Io. Henricus et Henricus, Holſatiae comites, vrbi *concederent et donarent ius tale, quod vulgo Kôhre dicitur, ſtatuta mandare, et edicta promulgare, ſecundum placitum eorum, pro vtilitate et neceſſitate ciuitatis, et reuocare eadem, quotieſcumque et quandocumque ipſis viſum fuerit expedire*: Lambec. *Orig. Hamb. II. n.* 471. vſi ſunt eo iure Hamburgenſes, et, vt denuo verbis Thracigeri vtamur, *nachdem ſie angeregtes priuilegium erlanget, haben ſie ihr eigen Recht gefaſt, welches mehrentheils aus gemeinen Sâchſiſchen Rechten gezogen, und in folgenden Zeiten etliche mal vermehret und verbeſſert iſt* *. Attamen et ante ſaeculum XIII. quaedam exſtitiſſe iuris Hamburgici ſtamina, oſtendit Mich. Richey *in Hiſtoria Statutorum Hamburgenſium, cap.* 1. §. 5. *ſequ.* qui et alia huc pertinentia plena manu ſerit.

* Hodierna Statuta Hamburgenſia nouiſſime reuiſa ſunt publicataque anno 1603. quamuis poſtea et nouae leges, veluti *die Gerichts-Ordnung*, et varii receſſus acceſſerint. At exſtat in bibliotheca Ludwigiana codex MSC. lingua Saxonica ſcriptus, et gloſſis illuſtratus, *inſigne iuris antiqui Germanici, a iure Romano adhuc minus infecti, monimentum*, iudice Bohemero, qui et ſpecimina quaedam dedit in *Diſſ. de aeris alieni inter coniuges Hamburgenſes communione, edita Hal.* 1728, 4.

§. LXXXX.

Iuris Lubecenſis vſus quam late patuerit? Vnde ius Culmenſe.

At latius patuit iuris Lubecenſis, quam Hamburgenſis, vſus. Illud enim in Pomerania, ducatu Magdeburgico, Saxonia inferiore, Holſatia, et Sleſuicenſi ducatu, nec non Pruſſia et Liuonia a multis ciuitatibus oppidiſque receptum eſt, quorum recenſum prolixum inſtituunt Io. Sibrandus *ad Ius Lubec. Part. I. ſect.* 5. *et* 10. Meu. *ad Ius Lubec. Prol. quaeſt.* 2. *n.* 23. Moller. *Iſagog. I.* 2. Werlhoff. *Specim. iur. Germ. Diſſ. III. pag.* 202. Quin ex eodem et Weichbildo Magdeburgico conflatum ineunte ſaeculo XIIII. videtur Ivs CVLMENSE *, quamuis poſterioris, puta iuris Weichbildici, principia magis redoleat. Vid. Hartknoch.

Source : BIU Cujas

knoch. *Diſſ. XVII. de iure Pruſſ. §. 14. ſequ. et in dem Alten- und Neuen- Preuſſen Part. II. cap. 7. §. 3. p. 549.*

* Culmia condita anno 1232. ab Hermanno de Balcke, ordinis Pruſſici magiſtro. Inſequente anno Hermannus de Salza, ſupremus ordinis Teutonici magiſter, Thorunenſibus et Culmenſibus dedit priuilegium famoſiſſimum Culmenſe, in quo diſerte illis vrbibus indulgetur, vt iure Magdeburgico vtantur. Hartknoch *in dem Alten- und Neuen-Preuſſen, ibid. §. 5.* Attamen circa aurifodinas ius Sileſiacum, circa argentifodinas Fribergenſe obſeruari iuſſum. Recepta etiam quaedam ex iure Flandrico, veluti in menſuris agrorum, ſucceſſione coniugum. Denique et ipſi magiſtri ordinis vrbi ſpecialia quaedam iura et ſtatuta dederunt. Ex his omnibus demum ius Culmenſe confectum, quod ex vetere MSC. primus edidit Henr. Stroband, burggrauius et conſul Thorunenſis *anno* 1584.

§. LXXXXI.

Statuta Aquiſgranenſia et Colonienſia.

Antiqua porro ſunt iura municipalia, COLONIENSE et AQVISGRANENSE, quae iam *Ius Weichb. art.* 1. laudat. Colonienſium iura ac conſuetudines iam anno 1229. confirmauit Henricus archiepiſcopus, et anno 1242. Fridericus II. imp. apud Lunig. *im Reichs- Archiu. Part. ſpec. IIII. cont. p.* 341. Prodiere anno 1562. * ſub titulo: *Abdruck und gemeiner Begriff der Policey-Ordnungen, Plebiſciten, und Statuten der alten löblichen freyen Reichs- ſtadt Coelln*, in quibus tamen Sigiſmundi aliorumque diplomata, ſaeculo XV. non antiquiora, ſtatim initio occurrunt. Aquiſgranenſia ſtatuta an vmquam edita ſint ſcire me fateor cum ignariſſimis.

* Attamen Io. Noppius *in Chron. Aquiſgr. Lib. III. n.* 18. *pag.* 54. edidit Sigiſmundi imp. *ſtatutum anno* 1423. *de mobilibus ab inteſtato relictis et aedibus ruinoſis, n.* 19. *pag.* 56. varia ciuium priuilegia ex libro ſcabinali *n.* 29. *pag.* 71. *ſeqq. Geſetze und Ordinantien des Churs, pag.* 85. *Reformirte Chur Gerichts-Ordnung de anno* 1577. *n.* 30. *pag.* 116. *Taffel des neuen Geſetz, auf Latein Tabulae nouae legis, genant, de anno* 1456. *die* 1. *Maii n.* 31. *pag.* 122. *Vormunder verſorger Ordnung de anno* 1574. *n.* 32. *pag.* 129. *Reviſion Ordnung eines ehrw. Sendt-Gerichts*, et quaedam eiuſdem generis alia.

§. LXXXXII.

Nec non aliarum vrbium paullo antiquiora.

Antiqua praeterea ſunt iura municipalia FRIBVRGENSIVM a Bertholdo IIII. Zeringiae duce anno 1170. data, itemque ſtatuta GOSLARIENSIVM, condita anno 1330. teſte fratre deſideratiſſimo in *Antiqu. Goslar. Lib. IIII. pag.* 362. et edita a Leibnit. *Script. rer. Brunſu. Tom. III. pag.* 484. *ſequ.* BREMENSIVM

Source : BIU Cujas

anno 1303. ab Oldenburgenſibus petita. Gryphiand. *de Weichb. Saxon. cap.* 77. BRVNSVICENSIVM apud Leibnit. *Tom. III. pag.* 434. anno 1232. ab Ottone I. duce praeſcripta, et alia, quorum recenſum non admittit hoc compendium.

§. LXXXXIII.

Ius Wisbyenſe.

Id modo addo, hac tempeſtate in rebus nauticis inualuiſſe in vrbibus Hanſeaticis vſum IVRIS WISBYENSIS, quod ipſum quoque originis Germanicae eſt, teſte praefatione apud Leibn. *Tom. III. pag.* 750. ubi haec occurrunt: *So ſande man an Hertoghen Hinrike, enen Hertoghen over Beyern unde Saſſen, de beſtedigde uns den Vrede unde dit Recht, als et vore ſin auder Vader Keyſer Lothar ghegheven hadde.* Saepius hoc ius Wisbyenſe prodiit: quod et apud exteros non leuis vſus eſt. At poſtea ipſae ciuitates Hanſeaticae condiderunt *der erbarn Hanſee Staedte Schiffs-Ordnung und See-Recht* *, quae conſtitutio vltimum recognita in conuentu ciuitatum Hanſeaticarum publicata eſt die XXII. Maii 1614.

* Immo Hamburgenſes iam ab anno 1290. habuerunt ius nauticum ſingulare, et ab Hanſeatico diuerſum, quod edidit et notis illuſtrauit Langenbeckius *in denen Anmerckungen uber das Hamburgiſche Schiff- und See-Recht*, vbi *pag.* 2. ius illud maritimum antiquum vocat *der Stadt eigenes, und aus keinen ander entlehntes See-Recht.* Ita et Lubecenſes ius nauticum iuribus Hanſeaticis antiquius ſibi eſſe perhibent. Andr. Lang. *de legib. naut. cap. 9. pag.* 61. Addatur Mich. Richey *Hiſt. Statut. Hamb. cap.* 1. §. 9. *pag.* 6.

§. LXXXXIIII.

An ideo ius Rom. et canonicum minora incrementa ceperit?

Tot igitur iuribus prouincialibus ac ſtatutis in ſcripturam redactis, id quidem conſequuti ſunt Germani, vt iura patria non plane in exſilium agerentur: nec tamen ideo ius Romanum et canonicum nulla in Germania cepit incrementa. Quin magis magiſque quotidie inualuit, et ab eo maxime tempore, quo academiae ſupremaque imperii iudicia inſtitui coeperunt, tantum auctoritatis conſequutum eſt, vt paullatim pro iure communi habitum, et iudiciis, tamquam norma decidendi commendatum ſit. Quod quomodo contigerit, poſtremo huius libri capite diſtinctius oſtendemus.

CAPVT

Source : BIU Cujas

CAPVT IIII.

DE STATV IVRIS GERMANICI A CONDITIS ACADEMIIS AD NOSTRA TEMPORA.

§. LXXXXV.

Constitutis academiis, professores vtriusque iuris publice docere coeperunt.

SImul ac in Germania institui academiae coeperunt, praeter theologos, medicos, et philosophos, etiam iuris vtriusque, CIVILIS et CANONICI, professores publica auctoritate sunt constituti. Quod eo minus mirum cuiquam videbitur, quo certius constat, Germanos in condendis academiis Italorum et Gallorum instituta esse imitatos *.

* Ad Parisiensis exemplum Carolum IIII. instituisse Pragensem, obseruat Dubrau. *Hist. Boem. Lib. XXII. pag.* 179. *edit. Freher.* Et Rupertus senior, comes Palat. Rheni, anno 1386. profitetur, academiam Heidelbergensem *ad instar studii Parisiensis a se fundatam*, eamque *regendam, disponendam, et regulandam modis et materiebus in vniuersitate Parisiensi solitis obseruari, vt Parisiensis studii, vt pedissequa, vtinam digna! modis conuenientibus gressus imitetur.* Toeln. *Cod. dipl. Palat. num.* 189. *pag.* 123. Sed et Ludouicum, ducem Bauariae, anno 1477. in constituenda academia Ingolstadiensi Bononiensis et Viennensis vniuersitatis exemplum se prae oculis habuisse, ait apud Hund. *Metrop. Salisb. Tom. II. pag.* 291.

§. LXXXXVI.

Et quidem iam saeculo XIIII.

Academias vero Germania nostra non demum saeculo quinto decimo habere coepit, ceu existimauit Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 24. *pag.* 147. sed integro saeculo prius. In omnibus vero, quarum historia comperta est, statim instituta est facultas, quam vocant, iuridica. Anno enim 1365. VIENNENSI vniuersitati Vrbanus papa ad priuilegium concedit, *vt sit studium generale, illudque perpetuis temporibus ibi vigeat, tam in iuris CANONICI et CIVILIS, quam in alia qualibet licita, praeterquam theologica, facultate.* Lambec. *Bibl. Vindeb. II.* 5. *pag.* 85. Idem circa annum 1388. ERPHORDIENSI academiae indultum est, teste Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 31. *pag.* 91. nec non anno 1386. HEIDELBERGENSI *, teste diplomate Ruperti senioris, com. Palatini, apud Toeln. *Cod. dipl. pag.* 123. ac denique INGOLSTADIENSI anno 1477. apud Hund. *in Metrop. Salisb. Tom. II. pag.* 291.

* Atta-

Source : BIU Cujas

* Attamen initio tres doctores iuris tantum canonici Heidelbergae docuisse, legimus *in Chron. magno Belg. pag.* 343. cui suffragatus Schilterus *de inuestitura simult. cap.* 3. §. 2. per totum saeculum XIIII. nullum ibi professorem iuris ciuilis fuisse, tradit. Id quod verum esse, deprehendi ex diplomate eiusdem Ruperti senioris *n.* 186. *pag.* 128. in quo anno 1393. recensentur: *Meistere und Doctorn und gute graduirte der heil. Geschrifft und in geistlichen Rechten, und in der Artzney, die zu zyten in denselben Zweyn Künsten gekorn und gesetzt sind zu lesen, und auch lesent in der obgem Universitaet*, iuris ciuilis professorum nulla facta mentione. At in Viennensi academia iam anno 1389. vtriusque iuris professores fuerunt. Eo enim anno condita facultatis iuris canonici et ciuilis statuta, quae exhibet Lambecius *in Bibl. Vindeb. pag.* 164.

§. LXXXXVII.

Hinc magnus doctorum numerus in aula imperatorum.

Itaque fieri non potuit, quin saeculo sequente iam vbique magnus esset doctorum vtriusque iuris prouentus, qui in principum palatiis, curiisque, et iudiciis illustrioribus vbique regnabant, caussasque ad iurium illorum peregrinorum principia decidebant, et omnem denique mouebant lapidem, vt ius patrium magis magisque supprimeretur. Sic in aula Caroli IIII. *Bartolus de Saxoferrato*; Dubrau. *Hist. Boem. XXII. pag.* 181. Struu. *Hist. iur. XII.* 38. *pag.* 535. in aula Sigismundi imperatoris *Georg. Fiscellus*, I. V. D. summa auctoritate pollebat. Sub eodem et duobus insequentibus imperatoribus, Alberto et Friderico, cancellarii munere functus est *Casp. Schlick.* Aen. Sylu. *Hist. Boem. cap.* 3. Quin hic postremus in consilium suum fere solos iuris peritos adoptauerat, ac proinde in diplomate, quo anno 1375. quemdam Adolphum Gegener, doctorem iuris renunciauit, id se facere professus est, *de adsensu et consilio DOCTORVM et SAPIENTVM curiae suae.* Itter. *de grad. acad. cap.* 6. §. 20. *pag.* 162. Quamuis fatendum sit, Fridericum III. imp. *mediocriter dilexisse iuris peritos, quod iuris aequitatem diceret ab iis inuerti, iustitiamque foedari* *. Cuspinian. *pag.* 411.

* Communis tum illa querela, non aliunde orta, quam quod, inuecto paullatim in fora iure Romano, tardius procedere lites animaduerterent, quam olim, quum vna alteraue dicta die finiretur controuersia. Tolerabilior vero Germanis videbatur breuis iniuria, quam tarda iustitia. Praeterea, quum eo tempore nondum sublata essent bella priuata, quibus iureconsulti quam maxime refragabantur, idem Germanis, maxime nobilioribus eueniebat, quod eorum maioribus, tempore Quinctilii Vari, vt mirarentur, legibus terminari lites, quae adhuc armis finitae fuerint. Vellei. Paterc. *Histor. Lib. II. cap.* 118.

§. LXXXXVIII.

Source : BIU Cujas

§. LXXXXVIII.

Imperatores imitati principes et ordines imperii, et ipsi ICtos maximi faciebant, eorumque consilio et opera, tum in administranda re publica, tum in iure dicundo, vtebantur. Sic in aula Saxonica magni fiebant consilia *Iac. Radewizii*, Ienensis, Thuringi, I. V. D. et ordinis iuridici in academia Lipsiensi praesidis, vsque adeo, vt ei potissimum impetratam a Sigismundo imp. Saxoniam, dignitatemque electoralem, acceptam ferret Fridericus, marchio Misniae. *Centur. script. qui in Lipsi. Witteb. et Francof. acad. flor. num.* 17. In Pomeraniam *Petrum Rauennatem*, eiusque filium, *Valentinum*, deduxerat Bogislaus X. Dux Pomeraniae. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 32. Comitiis Noribergensibus anno 1466. interfuere loco Treuerensis Ioannes Gemminger, Decret. D. loco Saxonis, Io. de Weisbach, D. Legati etiam Salzburgensis, Eistadiensis, Ratisbonensis, Bauari, marchionis Brandenb. landgrauii Hassiae, Lubecensium, doctores fuere, apud Goldast. *Const. imp. Tom. I. pag.* 217. *sequ.* Quin et in ciuitatibus quibusdam praecipuis, iurium doctores tum syndicorum et consiliariorum officio functos esse, reperio *. Itemque in palatiis principum et vrbibus.

* Noribergensi enim senatui saeculo XV. a consiliis fuit Gregorius Heimburg, sub initium concilii Basileensis doctor iuris creatus et satis suis notissimus. Freher. *in Theatr. vir. doct. pag.* 795. Eodem saeculo, immo et multo ante, etiam Francofurti ad Moenum fuere syndici, iuris periti, qui eo saeculo *Pfaffen* vocabantur, quemadmodum hodienum in Gallia, Anglia, et Belgio, clerici, *Clerken van Rechten*, audiunt, qui scripturas faciunt. Feltm. *de tit. hon. II.* 20. 9. Itterus enim *de gradib. acad. cap.* 9. §. 5. *pag.* 349. producit exemplum litterarum anno 1377. datarum, quibus Hermannus von Orbe, licentiatus Decret. profitetur, quod a senatu Francofurtano conductus sit syndicus, (*das er Paff und Diener worden sey der ersamen wisen Lude, des Rades und der Stadt zu Francenford*,) vbi Itterus recte obseruat, *Pfaffen* ibi esse syndicos, qui tum et *aduocati*, itemque ob honores academicos, quibus insigniti fuerint, *Meistere* fuerint adpellati.

§. LXXXXVIIII.

Nec parum etiam iuris Romani et canonici auctoritatem eo saeculo prouehebant imperatores et ordines, dum ipsi leges, quas dabant, ad vtriusque iuris placita attemperabant, quin et iura illa in iudiciis ac foris seruari lege publica iubebant. Talia plura occurrunt in *Reformatione politica* Sigismundi imp. apud Goldast. *Const. Tom. I. pag.* 188. Nam *cap.* 9. legimus: *Es ist zu wissen*, *dasz hohe Fürsten, die grosse Land haben, noch fast Keyserliche* Receſſus imp. ad leges Rom. attemperati, idque ius commendat-

Source : BIU Cujas

tum saeculo XV.

Recht zu ihrem Theil halten. Et *cap.* 13. §. 5. *Man soll an allen Haubtgerichten, do man über das Blut richten mag, haben ein Keyserlich Rechtbuch, daſz man richte nach Recht, und niemand unrecht beſchehe.* Item §. 8. *Waer aber Sach, daſz in den Rechten iedwederm Theil zu kurtz beſchech, deſz ihn deucht, ſo mag man die Sach ziehen für einen geiſtlichen Meiſter,* (doctorem Decretorum) *und einen weltlichen Meiſter,* (iur. ciu. doctorem,) *die dazu benant werden, die Urtheil zu ſprechen.* Ita et in *Auiſamentis Conſtantienſibus* de anno 1416. apud eumdem *Tom. I. pag.* 151. *cap.* 1. et in Moguntinis de anno 1426. apud eumdem *pag.* 160. *ſequ. cap.* 5. aliquoties mentio fit *Corporis iuris et extrauagantium: cap.* 9. *doctorum et licentiatorum iuris can. et ciuilis, et baccalaureorum iuris vtriuſque,* ad canonicatus admittendorum. Qualia a Friderico III. etiam profecta videmus apud Muller. *Reichs-Tags-Theatr. Part. IIII. cap.* 41. *et Part. IIII. cap.* 15. quae de iuris vtriuſque auctoritate ſatis teſtantur.

§. C.

Hinc ordines imperii de eo abolendo cogitarunt.

Animaduerterunt demum hoc ſaeculo principes, quanta ſtrages immineat iuri patrio, ac proinde ſub eodem Friderico III. anno 1441. id egerunt, vt lex publica, de doctoribus iuris plane abolendis in Germania: promulgaretur. Et exſtat ſane apud Goldaſt. *Part. I. der Reichs-Satz. pag.* 166. eiuſmodi *Reformatio*, in comitiis Moguntinis propoſita, vbi *art.* 5. legimus: *Alle Doctores der Rechten, ſie ſeind geiſtlich oder weltlich, im H. Roemiſchen Reich Teutſcher Nation, ſollen nach laut der fürgenommenen Reformation an keinem Gericht, bey keinen Rechten, auch in keines Fürſten oder andern Raethen mehr gelitten, ſondern ganz abgethan werden: Sie ſollen auch fürbas hin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden, ſchreiben oder Rath geben* *. Et id momordiſſe arbitror Petrum de Andlo, eius aetatis ICtum, dum *de imp. Rom. Germ. Lib. I. cap.* 10. ſcripſit: *leges Romanas noſtra Alamannia proh dolor! in ſua deſpicit inſipientia.* Sed euentu caruit illud conſilium, nec reliquis ordinibus adriſiſſe videtur ſcriptum, quod Fridericus III. vel pauci quidam alii conceperant. Saltim neque perlata eſt illi lex duriſſima, neque vnquam exſequutioni mandata. Manſit iuri peregrino ſuus honor, et magis magiſque creuit ICtorum in Germania auctoritas.

* Duriora ſunt, quae in *Declaratione* ſequuntur. Quemadmodum enim ibi locus relinquitur ICtis ternis in ſingulis academiis, ita tamen, vt non niſi

nisi iura in imperio probata interpretentur, et consulti, ex iis respondeant: ita foro plane exesse iubentur, addita ratione: *Wann ihnen das Recht harter, dann den Leyer, verschlossen ist, und kan ihrer keiner keinen Schlüssel dazu finden, bisz beyde Theil arm werden, oder gar verdorben sind. Aber der Ley behelt doch den Schlussel zum Rechten bey ihme, das man zu zimlicher zeit das Recht herfür bringen mag. Aus diesen Ursachen kan man die Gelehrten in keinen Richten mehr leiden. Darzu seynd es nur besolde Knechte, und nicht Erbdiener des Rechtens.* Paullo post audiunt *Stieff-vaeter, und nicht die rechten Arben des Rechten.* Sed meretur illa *Reformatio*, in qua auctor in ICtos grauissime inuehitur, tota perlegi. Reperiet quisque, eam plane conuenire genio Friderici III. imp. quem parum dilexisse ICtos, iam supra (§. 97.) vidimus.

§. CI.

Sub finem enim saeculi XV. et proxime insequente, ipsis imperii legibus frequenter ius Romanum pro norma esse iubetur, ita tamen, vt et iuris Germanici consuetudinumque patriarum praecipue habeatur ratio. Quin ipsas constitutiones Recessusque imperii, qui tum prodierunt, fere in plerisque ad iuris Romani normam accommodari animaduertimus. Id quod exemplis latarum a Maximiliano I. imp. legum paucis demonstrabimus. Saeculo XV. ius Romanum in foro pro norma haberi iussum.

§. CII.

Quum post longa molimina anno 1495. Wormatiae de instituendo iudicio camarali conueniisset, (vid. Datt. *de pace publ. Lib. III. cap.* 1. §. 66. *sequ.*): condita est prima ordinatio iudicii camaralis, in qua §. 6. mentio fit iurisiurandi *de calumnia et malitia vitanda*, *prout de iure*, ab aduocatis praestandi: et in §. 20. iudex et adsessores circa adpellationes ab interloquutoriis decernere iubentur secundum ius ciuile, (*wie das in Keyserlichen Rechten geordnet und begriffen ist*). Eodem anno imperator edidit constitutionem contra blasphemos, in qua breuiter recenset sanctionem Nouellae LXXVII. Iustiniani, quem vocat *seinem Vorfahren am Reich loeblicher Gedaechtniss*. Quumque anno 1500. Augustae Ordinationem camarae emendare placuisset: §. 8. receptum est ius Romanum, quod nepotes in stirpes iure repraesentationis cum parentum suorum fratribus et sororibus ad aui auiaeque hereditatem admitti iubet, *nach laut gemeiner geschriebener Keyserlicher Recht, der Gewonheit, so an etlichen Orten darwieder seyn moecht, unangesehen cet.* Quod patet ex legibus imperii sub Maximiliano I. latis.

Source : BIU Cujas

§. CIII.

In primis ex Ordin. iud. cam. 1507. et Constitutione de notariis.

Anno 1507. Ratisbonae prodiit noua camaralis iudicii forma, cuius nullus est titulus, nulla paragraphus, in qua non ius ciuile et canonicum, eorumque glossae, itemque Cynus, Panormitanus, Bartolus, Baldus, Speculator, Rosredus, similesque heroës, vtramque paginam faciant. Sequuta est anno 1512. *Constitutio, de notariis*, in cuius §. 1. statim hi suo munere fungi iubentur: *nach Inhalt gemeiner Rechten oder loeblicher Gewohnheit und Gebrauch ieder Orts*: deinde §. 3. forma instrumentorum praescribitur, *wie dieselbe von gemeinen Rechten, (Nou. XXXXVII. LXXIII. et LXXIIII. Brauch, Ubung, und Gewonheit eingeführet ist.* Titulus porro de testamentis totus ex iure Romano desumtus est *, addita §. 12. clausula: *es sollen auch alle Notarien des Wissens haben, welche obgemeldte form der Testamenten, als aus Reiserlichen Gesetzen gegeben, mit Fleiss zu halten saumig waeren, das die zudem, das die Testamenta, so anders gemacht würden, von Keyserlichen Rechten nicht bestaendig seyn, die Peen des Rechten darum zu leyden, sich nicht enthaltem moegen.*

* Ita tamen vt, qui constitutionem illam in chartam coniecerunt, plus videantur glossae, quam ipsi iuris textui tribuisse. Exemplo insigni de militari testamento, in cuius forma describenda glossam magis, quam veteres leges sequuti sunt, id probari potest quam luculentissime. Doctrinam vero veterum ICtorum et glossatorum hic diligenter contulit Vigl. Zuichem. *in Comment. ad §. 1. Inst. de milit. test.*

§. CIIII.

Necnon ex constitutionibus Caroli V. imp.

Multo magis itaque Carolus V. iuris Romani vsum in Germania firmare studuit. Sane anno 1521. in *Recessu Wormatiensi §. 17. sequ.* cauetur, primo vt nepotes nepteque in stirpes auo auiaeque succedant, cum parentum suorum fratribus et sororibus: deinde vt fratrum sororumque liberi vna cum defuncti fratribus sororibusque iure repraesentationis admittantur: abolitis consuetudinibus contrariis. Qua de re et singulare edictum paullo post per imperium promulgatum est. Denique vt de casu, vtrum fratrum sororumque liberi, si soli sint, in capita, an in stirpes succedant? a Regimento imperii decisio promulgetur. Sic et anno 1529. *in Edicto contra anabaptistas* edito reiterationem baptismi morte luendam monet, (*dass in Keyserlichen Gesetzen die Umbtauffung bey strafe des Todes verbothen*). Vbi sane provocat *ad tit. C. ne sacr. bapt. iteretur* *.

* Equi-

Source : BIU Cujas

* Equidem Conr. Sincerus, id est, Culpis. *in Dissert. epistolica* §. 80. per verba *des Reichs gemeine Rechte*, intelligenda putat iura Germanica, per *gemeine Reichte*, vel *Kayserliche Rechte*, ius ciuile Romanum. Sed expenderunt iam hanc sententiam Strykius in *Diss. prooem. vs. hod. Pand.* §. 25. Datt. *de Pace publ. Lib. IIII. cap.* 1. §. 117. *sequ.* Thomas. *Cautel. circa praecogn. iur. eccles. cap.* 22. §. 4. *sequ.*

§. CV.

Praecipue Constitutione criminali.

Paullo post anno 1532. in comitiis Ratisbonensibus promulgata est CONSTITVTIO CRIMINALIS CAROLINA, in qua passim iudices ad ius Romanum remittuntur, *auf die Keyserliche beschriebene Rechte*, *art.* 117. et 135. *auf die Keyserlichen Rechte*, *art.* 121. Quin *art.* 104. 118. et 120. ius ciuile vocatur *die Satzungen unserer Vorfahren*, *und unser Keyserlichen Rechten.* Quae eo magis notanda videntur, quo certius hodie constat, constitutionem illam criminalem tum non primum natam, sed ex antiquioribus ordinationibus et *proiectis*, vt vocant, compilatam esse *. Thomas. *Diss. de occas. concept. et intent. Constit. crimin. Ludouic. Praefat. Comm. in Const. crim. et Kress. Praefat.* §. 13. *seq.*

* Existimabat Thomasius, constitutionem criminalem descriptam fere esse ex Georgii, episcopi Bambergensis, Constitutione criminali, quippe quae iam 1508. prodierit, sub titulo *Bambergische Hals-Gerichts-und rechtliche Ordnung in peinlichen Sachen*, et saepius postea recusa, anno 1510. 1531. et 1543. et nouissime a Ludouici, et criminali Carolinae in plerisque similis. Sequutus illum est Ludouici, qui constitutionem Bambergensem nostrae veluti parentem facit, sororem vero Brandenburgensem, quam *anno* 1516. publicarunt Georgius et Casimirus, marchiones Brandenburgenses, ipse vero Ludouici cum Bambergensi itidem recusam dedit. At praeclare demonstrauit Io. Paullus Kressius *praef. Comm. in Const. crim.* §. 15. *sequ.* primam constitutionem criminalem confectam esse a Maximiliano I. imp. et quidem iam anno 1495. quamuis fortassis auctoritatem publicae legis non habuerit. Ex hac ergo pleraque decerpsisse primum anno 1508. Georgium, episc. Bambergensem, deinde anno 1510. Vdalricum Tenglerum, ducalem Altipolensis prouinciae praesidem (*Landvoigt zu Hochstedt*) *im Layen-Spiegel*, de quo videndus coniunctissimus olim collega, Hoffmannus in *Dissert. de insign. defect. iurisprud. crimin. Germ. cap.* 1. §. 18. *pag.* 36. *sequ.* anno 1516. Georgium et Casimirum, marchiones Brandenburgenses, ac denique anno 1532. Carolum V. imp.

§. CVI.

Non tamen penitus repudiatum ius

Quamuis vero ex his satis adpareat, nihil reliqui factum esse sub Maximiliano I. et Carolo V. vt ius Romanum et canonicum iuris communis nomine in imperio reciperetur: semper tamen simul cautum est, vt foris ideo non extorres essent le-

Source : BIU Cujas

Germanicum.

ges ac consuetudines patriae, quippe quae fere semper nominatim confirmantur in constitutionibus imperii. Maximilianus I. *in Ord. iud. camar. anno* 1495. *Ein ieder soll seine Unterthanen in ordentlichen Gerichten, Rechten und Obrigkeiten lassen und halten, nach eines iedem Fürstenthums, Herrschafft und Oberkeits Herkommen und Gebräuchen.* Et Carolus V. *in Ordin.* anno 1521. adsessores iureiurando obstringi iubet, vt iudicent, *nach redlichen ehrbaren und laendischen Ordnungen, Statuten, und Gewohnheiten der Fürstenthümer, Herrschafften, und Gericht, die vor sie bracht werden.* Id quod deinde saepe numero repetitum esse, iam ab aliis obseruatum est. Vid. *Constit. crim. Car. praefat. et art.* 140.

§. CVII.

Potius protestationes interpositae, quoties id actum.

Quin eo factum est, vt si quando iuris Romani vsus ordinibus obtruderetur paullo importunius, hi interpositis protestationibus, iura patria sibi reseruarent. Ita electorem Saxoniae protestatum nouimus, leges de successionibus ab intestato iuri Saxonico fraudi non futuras *. Vid. Speidelius *in Speculo sub voce Sachsen-Recht.* Thomas. *Dissert. de potestate legislat. stat. imp. contra ius commune, §. 51. sequ.* Quumque Nemesis Carolina multa ex iure communi sanxisset, similem protestationem interposuere multi imperii ordines, in primis elector Brandenburgicus, elector Palatinus, et hi quidem omnes ex ea ratione, quod iuribus patriae ea constitutione derogatum vellent imperator et ordines. Kress. *Praefat. §. 21. sequ.*

* At sunt, qui hanc protestationem vocant in dubium. Obseruauit enim collega olim coniunctissimus Chr. Gottfr. Hoffmannus, in *Diss. de Ioachimi I. elect. Brandenb. Constitut. de succes. pag.* 92. hanc protestationem non a Friderico electore, sed a Georgio, duce Saxon. interpositam esse, nec eam ad ipsam constitutionem de iure repraesentationis, sed ad controversiam de iure προσδρίας, quae tum inter Saxones et Bauaros gliscebat, pertinuisse. Vtcumque se res habeat: certum sane est, id ius tum Saxones non recepisse, nec hodie illud omnes admittere.

§. CVIII.

Status iuris Germanici et Romani sub sequentibus imperatoribus.

Eadem iuris facies fuit et sub Ferdinando I. omnibusque insequentibus imperatoribus. Quum enim et camarale iudicium, deficientibus legibus et constitutionibus patriis, iura communia sequeretur, idque ipsis in omnibus ordinationibus, et maxime postrema *anno* 1654. iniungeretur: *Part. I. tit.* 13. §. 1. *et Part. III. tit.* 53. §. 9. et idem postea iudicio aulico ab imperatoribus prae-

Source : BIU Cujas

praescriberetur *, ipsi quoque imperii Recessus, quoties de iure priuato vel modo procedendi forensi aliquid sanciunt, fere semper iuri Romano vel canonico suffragentur: facile est ad intelligendum, magis magisque inualuisse iuris communis auctoritatem, ita tamen, vt sua in primis iuribus ac consuetudinibus patriis constaret auctoritas.

* De ordinationibus variis huic iudicio praescriptis (*von Reichs-Hof-Raths-Ordnungen*) ex instituto egit Er. Mauritius *de iudic. aulico*, §. 19. Prima est Ferdinandi I. Augustae 1559. promulgata; postrema Ferdinandi III. Ratisbonae anno 1654. publicata, in qua *tit.* 7. §. 21. consiliarii aulici iurare iubentur *auf des Reichs Constitutionen und Satzungen, nebst den gemeinen beschribenen Rechten*, et in fine tituli §. 24. praecipitur, *dass das Corpus iuris ciuilis et Canonici allezeit auf der Reichs-Hoffraths-Taffel seyn solle, damit man sich derselben gebrauchen koenne.*

§. CVIIII.

Prouinciae quaedam repudiato iure patrio sese Romano submiserunt, vel vti Frisia.

At quod ad ordines et prouincias vrbesque Germaniae attinet, eorum aliis diligentior patrii iuris mansit custodia, alii repudiato illo, Romano se plane submiserunt. Exemplo praeiuerat sub initium saeculi XVI. FRISIA, de qua Zach. Huberus, *in praef. Obseru. rer. iud. Cent. I. Exortis diu post bellis plus quam ciuilibus, quibus per omne saeculum decimum quintum concussa et turbata fuit Frisia, procax haec licentia miscuit eam, et quidquid ibi iuris legumque superfuerat, e medio sustulit: donec tandem Saxoniae duces*, ALBERTVS et GEORGIVS, *quorum ille belli, hic pacis artibus sua aetate in Germania maxima laude claruerunt, gentem factionibus diuisam, armis efferatam, humanarum diuinarumque legum nesciam, ac insolentem, rerum potiti, in ordinem redegerunt, constituta ciuili reipublicae forma, et stabilita*, GEORGII *potissimum opera, curia suprema, cui datum id negotii fuit, vt ius Romanum tamquam suae iuris dictionis principium certum vnice sequeretur, ad dirimendas ciuium lites quotidianas* *. Conf. Vbb. Emm. *Hist. Frif. Lib. II.*

* Idem testatur, Frisios posthaec ea lege se submisisse Carolo V. imp. *vt ius fori redderetur, secundum praescripta legum Romanarum*, idque sibi eos pacto conuento esse stipulatos. Praesens etiam ipse obseruaui, sanctissime ibi coli Themidem Romanam, ipsaque Statuta Frisiae anno 1722. reuisa et locupletata pauca superaddere, quae a iure illo communi longius recedant.

§. CX.

Source : BIU Cujas

§. CX.

Marchia Brandenburgica.

Ita et in MARCHIA BRANDENBVRGICA repudium iuri Saxonico missum anno 1527. quo IOACHIMVS I. elector edidit *Constitutionem de successionibus ab intestato*, et in praefatione fatetur, se cum consensu ordinum omnes constitutiones, priuilegia, et consuetudines abrogasse, iisdemque ordines omnes renunciasse. Et quamuis scabinatum Brandeburgensem confirmet, eum tamen iubet pronunciare secundum illam constitutionem, *und in andern Sachen nach beschriebenen Kayserlichen Recht.* Idem factum et anno 1534. *in dem Landes-Reuers* *. Reliquos imitati sunt NOVAE MARCHIAE ordines, vt profitetur Ioannes marchio *im Land-Tages-Abschied* anno 1539. Et quamuis ius Saxonicum relinqueretur *denen Weichbildern, Crossen, Cotbus, Zullichaw*, et *Sommerfeld*, diserte tamen excipiuntur *die beyde Articuli, die Succession und Erbfaelle belangend.*

* Verba Reuersalium in codice meo MSCto variorum Recessuum Marchicorum ita se habent: *Und weil hievormals die Staendte unser Landschafft sich eintraechtiglich mit uns vereiniget, dass hinfürder in unserm Churfürstenthum und Landen Kayser-Recht gehalten und gesprochen soll werden, derowegen sich unsere Praelaten, Herren, Mann und Staedte aller Gebraeuch und Gewohnheiten voriger Gericht und Rechtens verziehen und abgesagt: so ordnen und wollen wir, dass hinfürder in Erbtheilungen kein Heergewedde, Gerade noch Musstheil soll genommen, noch gegeben werden, besondern in dem und andern allen Kayser-Recht dergestalt, wie hiebevor in unser aufgerichten Constitution und Ordnung der Erbfaelle geordnet, durch iedermanniglich solle gehalten werden.* Idem deinde saepius sancitum, veluti in recessibus prouincialibus 1538. et 1572.

§. CXI.

Ducatus Brunsuicensis et Luneb.

Idem de terris BRVNSVICENSIBVS et LVNEBVRGENSIBVS contigit. In illis iam saeculis XIIII. et XV. *geradam* seu *Frawenradam* Saxonicam Helmstadii esse abrogatam a Magno duce Brunsuicensi, et Ioanne et Bertholdo, abbatibus Werthinensibus et Helmstadiensibus, Martino denique Papa V. et Friderico III. imp. ostendit Io. Andr. Schmidius, *de Helmst. per Frawenradam adflicto*, *pag.* 6. *sequ.* vbi *pag.* 30. addit, in vniuerso ducatu Brunsuicensi et Calembergensi consuetudinem illam demum anno 1625. sub Friderico Vlrico, duce, esse abrogatam. Sed quod ad ipsum ius Saxonicum attinet, illud satis constat, multo ante, saeculo XVI. ab Henrico iuniore esse repudiatum, surrogato in eius locum iure Romano *. Conring. *de orig. iur. Germ.*

Source : BIU Cujas

Germ. cap. 32. *pag.* 203. Hahn. *praef. Obſ. ad Weſenbec. pag.* 18.

* Quumque Brunſuicum, ciuitas, ius Saxonicum mordicus adhuc tenuiſſet: ea potiti duces Brunſuicenſes et ibi illud plane aboleuerunt. Conſtitutionem Rudolphi Auguſti ducis Brunſuic. et Luneb. anno 1675. ea de re editam recenſet Strykius in *Diſſ. prooem. Vſ. mod. Dig.* §. 30.

§. CXII.

Aliaeque Germaniae prouinciae.

Eadem iuris Saxonici fata in aliis prouinciis fuerunt, veluti in POMERANIA et ducatu MECLENBVRGICO, (vid. Cothmann. *Vol. I. conſil.* 26. *n.* 219. *ſeq.*) nec non iuris Sueuici in ducatu WVRTENBERGICO, vbi iudicibus negotium datur, *ſo nicht andere redliche und ehrbare Gewonheiten vorhanden, nach des H. Reichs-Rechten gleich zu richten. Wurtemb. Hof-Gerichts-Ordn. Part. I. tit.* 9. Qualia et in aliorum principum ordinationibus et conſtitutionibus paſſim legas. Vid. *erneurte Anhalt. Canzley-Ordn.* §. 27. *Magdeb. Policey-Ordn. in praef.* Quod eo minus mirandum, quo magis conſtat, ne in ipſa quidem Saxonia iuris Saxonici totius vſum ſupereſſe, ſed ipſos Saxonum prudentes fateri, illud valere, quatenus ſit receptum. Hartm. Piſtor. *Quaeſt.* I. 16. 21. II. 13. 82. II. 25. 35. II. 26. 17. Carpzov. *Proceſſ.* XII. 1. 15. Coler. *de Proceſſ. exſequut. in praefat.*

§. CXIII.

Reformatio religionis iuris Rom. incrementa adiuuit.

Quae iuris Romani incrementa haud parum adiuuit felix illa temporum reparatio, qua ſub initium ſaeculi XVI. purior doctrina Chriſtiana veluti reuiuiſcere in Germania coepit. Quo minus enim iuri canonico fauere poterant Proteſtantium theologi, quod Lutherus flammis abſumere non dubitarat: eo magis euehebant ius Romanum. Vid. Luth. *Comm. ad Geneſ.* XXIIII. 1. *Tom.* VIIII. *Altenburg.*

§. CXIIII.

Varia iura prouincialia et ſtatuta.

Denique obſeruandum, omnes fere principes Germaniae a ſaeculo XVI. edere coepiſſe varias leges prouinciales inſcriptas, *Land-Rechte, Policey-Ordnungen, Hof-Gerichts, Cantzley, Proceſs-Gerichts-Ordnungen, Kirchen-Conſiſtorial-Ehe-Ordnungen*, et innumeras huius generis alias. Idem fecere ciuitates tum imperiales, tum municipales, in quibus paſſim condita varia *Statuta, Reformationes*, et *Willkühre*, quorum pleraque et principes territoriorum rata habuerunt. In his paſſim ſuperſunt quae-

Source : BIU Cujas

dam iuris Germanici reliquiae, at multa vbique de nouo ſancita, pleraque ex iure Romano in illa tranſlata animaduertimus.

§. CXV.

De vſu iurium cum patrii tum peregrinorum Regula I.

Iam ex his facile patet, quid de vſu iuris Romani et Germanici poſt tot eximiorum ICtorum concertationes tenendum videatur. Receptum ſane eſſe ius Romanum, et quidem tamquam ius commune et ſubſidiarium, nemo temere negauerit, quum ipſa experientia id ſatis demonſtret. Ac proinde primo loco tenendum I. *eum, qui iure illo nititur, eatenus firmo ſatis fundamento niti, neque ad receptionem probandam eſſe obſtrictum.*

§. CXVI.

Reg. II. et III.

At quum recepto iure Romano, non ideo in exſilium plane actum ſit ius patrium: conſequens eſt, II. *vt primo omnium ſecundum ius Germanicum pronunciandum, eoque demum deficiente, Romanum in ſubſidium ſit adhibendum*: III. *vtque adeo bene illi ſibi ſuiſque ſtudiis conſulant, qui IVRIS ROMANI et PATRII differentias mature inueſtigant.*

§. CXVII.

Reg. IIII. et V.

Enimuero iam ſupra oſtendimus, Capitularia regum Francorum, multoque magis leges Wiſigothorum, Burgundionum, Salicam, Ripuariam, Baiuuariorum, Alamannorum, Saxonum, Angliorum, Werinorum, Friſiorum, Langobardorum, iam ante plurima ſaecula exoleuiſſe, ex eoque colligimus IIII. *non eſſe ius Germanicum ex illis priſcis Germanicarum gentium legibus aeſtimandum* *. Quin quum hae gentes diuerſiſſimis maximam partem vſi ſint conſuetudinibus: ex eo facile vnuſquiſque animadvertit, V. *laterem eos lauare, qui ex tam diuerſarum gentium legibus et inſtiutis, quae principiis diuerſiſſimis nituntur, corpus et ſyſtema aliquod iuris Germanici conſui poſſe, ſibi perſuadent.*

* Itaque ius Germanicum hodiernum, cuius paſſim reliquiae ſuperſunt, egregie quidem illuſtrari poteſt ex his aliisque gentium Germanicarum legibus: ſed qui illis vſum forenſem hodie tribuunt, illis probatio incumbet, omnes illas leges iam olim in Germania vniuerſa receptas fuiſſe. Quod quum vel cogitare abſonum eſt, et multo magis abſurdum erit, ex iure Wiſigothico vel Burgundionum oſtendere velle, quale e. g. in hoc tractu Germaniae ius patrium olim viguerit.

§. CXVIII.

Reg. VI. et VII.

Multo maior quidem pro iure Saxonico et Alamannico praeſumtio eſt, quia illud in inferiore, hoc in ſuperiore Germania maxi-

Source : BIU Cujas

maximae fuit auctoritatis. Sed, quum iura illa, alibi desuetudine exoleuisse, alibi lege publica abrogata, et nusquam plane tota recepta esse, demonstratum sit: per se patet, VI. *iura illa citantem non habere fundatam intentionem, nisi eorum vsum in ea prouincia, in hoc vel illo capite, supereſſe ostenderit.* Quid? quod VII. *ne in Saxonia quidem allegatio iuris Saxonici alicuius momenti sit, nisi vel vsus probetur, vel de eo aliunde iam satis constet.*

§. CXVIII.

Itaque satis patet VIII. *multos inuehi in ius Romanum, multos iuris Germanici vsum mirifice commendare, qui quale sit illud ius Germanicum, quod tantopere commendant, scire cum ignarissimis videntur.* Eosdem vero VIIII. *incredibile damnum inferre reipublicae, dum ius Romanum certum, et a tot saeculis magno studio excultum, manibus inuentum extorquere conantur, neque tamen ius patrium certius, et quod pro norma tuto sequi possint, illis ostendunt.* Ex quo sane verendum, X. *ne demum plane omnis iuris certitudo in scholis et foro tollatur.* Reg. VIII. VIIII. et X.

§. CXX.

Vt ergo pateat, quale sit istud ius Germanicum, cuius primo omnium in dirimendis litibus rationem esse habendam diximus: sciendum XI. *esse quasdam consuetudines Germanorum vniuersales*, v. g. pacta nuda producere obligationem et actionem, liberos per separatam oeconomiam exire patria potestate, cet. *quas tuto sane sequimur, etiamsi nulla scripta lege firmatae sint, nisi probetur, eas quibusdam casibus legibus restrictas esse.* Deinde XII. *multorum Germanorum instituta passim confirmata esse statutis et legibus Germanorum, immo ipsis aliquando Recessibus imperii*, e. g. confirmationem tutorum, *quae itidem nulla probatione indigent:* denique XIII. *passim vigere consuetudines particulares, nulla lege scripta firmatas*, e. g. ius congrui, paroemiam: maior diuidit, minor eligit, *quarum vsus ex actuum conformium frequentia merito probandus est.* Tales sunt veteres Germanorum consuetudines, quas collegerunt Schottelius, *von unterschiedlichen Rechten in Deutschland*, et Struu. *Hist. iur. VI.* 34. *seq.* Reg. XI. XII. et XIII.

§. CXXI.

Si tale nihil occurrat, XIIII. *merito ad statuta topica, et his deficientibus, ad iura prouincialia respicitur, in quibus multa quis latere videbit iuris patrii λείψανα *, quae siue adhuc sincera sint, siue iuris Romani laciniis deformata, pro norma esse debent iudicibus.* Multoque minus quisquam dubitabit, XV. *quin sicubi* Reg. XIIII. et XV.

bi ſtatuta et iura prouincialia ius Romanum in vno alteroue capite mutant, in iſta iuris patrii diſpoſitione ſit adquieſcendum.

* Sic multa paſſim in ſtatutis reliqua ſunt ex iure Alamannico et Saxonico. De hoc nemo dubitarit, qui iura prouincialia Magdeburgica, Halberſtadienſia, Anhaltina perlegerit. De Alamannico iam obſeruauit Goldaſtus *in Praef. der Reichs-Satzungen: es ſey der Schwaben-Spiegel bey den Schwaben in Schwaebiſchen Gebieten, als Algoewern, Schweitzern, Pündinern, und Burgundiern, noch zu guten Theil im Schwanck, und in ihre Statuta gezogen.* Vnde a ſcopo aberrauit Steph. Chriſtoph. Harprechtus, dum *Speculi Sueuici* non vſum demonſtraturus, multa ICtorum reſponſa corraſit, ſuper quaeſtionibus, *vtrum ius feudale Alamannicum publice doceatur, et in decidendo pro norma habeatur, an ius feudale Langobardicum?* Quamuis enim nec publice doceatur, nec in reſponſis allegetur; multa tamen ex eo vel moribus adhuc obtinere, vel lege ſcripta confirmata eſſe, nemo dubitat.

§. CXXII.

Reg. XVI. et XVII. Deficientibus eius modi ſtatutis, iuribuſque prouincialibus, XVI. nihil reliquum eſt, quam *vt ius Romanum in ſubſidium adhibeatur.* Id quod etiam XVII. *de* IVRE FEVDALI LANGOBARDICO *intelligendum, quippe vna cum Corpore iuris Iuſtinianei ſimul recepto, tamquam iure feudali ſubſidiario* *, *ſi conſuetudines feudales patriae deficiant.*

* Schilterus *ad ius feud. Alam. cap.* 40. §. 4. 5. producit duo diplomata Ruperti Palatini, regis Rom. in quorum vtroque *mentio fit conſuetudinum feudorum, vſuum ſcriptorum et non ſcriptorum, praeſertim Capituli Naturales in rubrica, ſi de feudo controuerſia fuerit, collatione X. in libro feudorum.* Germanice: *Des Geſetzes und Gewonheit in Kayſerlichen Lehn-Rechten begriffen, und in dem Capitel, das anfahet Naturales der Rubricen, ob umb Lehn zweytracht ware.* Vtrumque diploma datum eſt anno 1409.

§. CXXIII.

Reg. XVIII. Attamen nullum eſt dubium, quin XVIII. *ea, quae ius Romanum ſancit, ad ius publicum Rom. pertinentia, nec non quae principiis Romanorum, reipublicae noſtrae parum concinnis, nituntur, nullum in foris noſtris vſum habeant, niſi recepta eſſe probentur.* Quamuis hic Io. Ottonem Taborem alioſque diſſentire, non ignoremus.

§. CXXIIII.

Reg. XVIIII. Denique XVIIII. IVS CANONICVM *in Proteſtantium foris, non niſi quatenus receptum eſt, valere, eiuſque vſum in cauſſis praecipue eccleſiaſticis, matrimonialibus, et proceſſu, quem vocant, forenſi ſupereſſe*, iam ab aliis, et praecipue Boehmero ἐξ ἐπαγωγῆς, ſeu *per inductionem*, oſtenſum eſt in opere eximio *de iure eccleſiaſtico Proteſtantium.*

FINIS. INDEX I.

Source : BIU Cujas

INDEX I.

SERIES CAPITVM.

LIB. I.

DE ORIGINE, PROGRESSV, VARIISQVE MVTATIONIBVS IVRIS ROMANI.

CAP. I.

De origine et progreſſu iuris Romani ſub regibus. Pag. 1

CAP. II.

De ſtatu iuris Romani ab exactis regibus ad latas leges XII. tabularum. 7

CAP. III.

De ſtatu iuris Romani poſt XII. tabulas ad tempora Auguſti. 19

CAP. IIII.

De ſtatu iuris Romani a Caeſare Auguſto ad Conſtantinum Magnum imp. 89

CAP. V.

De ſtatu iuris Romani a Conſtantino M. ad Iuſtinianum imp. 201

CAP. VI.

De compoſitione iuris Iuſtinianei, eiuſque in Oriente et Occidente vſu et fatis ad noſtra tempora. 217

Source : BIU Cujas

LIB. II.

DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS GERMANICI.

CAP. I.

De iure Germanico ante Caroli M. imperium. 243

CAP. II.

De progressu iuris Germanici a Caroli M. temporibus ad Lotharium III. imp. 260

CAP. III.

De statu iuris Germanici a Lothario imp. ad tempora, quibus in Germania Academiae institutae. 271

CAP. IIII.

De statu iuris Germanici a conditis Academiis ad nostra tempora. 295

Source : BIU Cujas

INDEX II.

RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.

Primus numerus designat Librum, *alter* Paragraphum, *Asteriscus* Additamentum.

A.

A*Burnus Valens* IC. I. 291. eius scripta. *ibid.*
Academiae in Germania saec. XIIII. institutae. II. 96. in iis condendis Germani Italorum et Gallorum instituta imitati. II. 95
Accursius (*Franc.*) Florentinus laudatur. I. 415. 417. tardius ad studia se contulit. *ibid.* glossam perfecit. I. 318. notatus. I. 41. * 395. *
Acilius (*Lucius*) sapiens a populo dictus. I. 125. in XII. tabb. scripsit. I. 31. an Atilius recte vocetur? I. 125
Actio constitutae pecuniae. I. 69. * finium regundorum. I. 101. * receptitia. I. 69. *
Actionem ex donatione quis dederit? I. 357
subsidiariam aduersus magistratus dedit Hadrianus. I. 254. 294
Actiones aedilitiae an quaedam perpetuae? I. 72
ciuiles qua ratione elisae a praetoribus? I. 68. vtiles. I. 50. * quaedam praetoriae poenales. I. 67. *
Actiones legis quid? I. 43
cur sollemnes? I. 44. tales omnes actus legitimi, sed non vice versa. I. 46. *
Actus legitimi. I. 46
eorum adfectiones. *ibid.* in quo differant ab actionibus legis? *ibid.*
Adamus (*Leonardus*) nouam editionem Nouellarum Theodosii II. et successorum promisit. I. 380. *
Adolescentes Rom. in forum deducti. I. 154. grammaticos, rhetores, et philosophos audiebant. *ibid.*
Adoptio impuberum ab Antonino Pio permissa. I. 294
simulata vsurpandis hereditatibus non profuit ex SC. Memmiano. I. 224. *
Adpellationi contra edictum perpetuum non erat locus. I. 274
Adrogationi curatoris consensum accedere iussit Claudius imp. I. 220. *
Aduocati dicti syndici ciuitatum. II. 98. *
Aduocatis infesti Galerius et Maximianus impp. I. 353
Aduocatus fisci ab Hadriano constitutus. I. 280
Aebutia lex quaedam capita XII. tabb. abrogavit. I. 30
Aediles cereales. I. 56. curules. *ib.* edicta de communi sententia propone-

Source : BIU Cujas

ponebant. I. 75. a quonam tempore id ius habuerint? I. 75. * eorum dignitas a saec. II. euilescere coepit. I. 279. de eorum officio nemo veterum scripsit. *ib.* Plebis tribunorum adiutores. I. 54

Aedilitium edictum. I. 75. perpetuum an vmquam exstiterit? I. 279. in hoc edictum quinam scripserint commentarios? *ibid.*

Aegeria Nympha, cur cum ea congressum simularit Numa. I. 9. *

Aegypto praefectum Augustalem praefecit Augustus. I. 177. huius instituti ratio. *ib.* cur ab hac praefectura excluſi senatores. *ibid.*

Aeliae gentis stemma. I. 193. *

Aelius (*Sex.*) *Catus* in XII. tabb. scripsit. I. 31
iuris Aeliani auctor. I. 49. 124
eius Tripartita. I. 49. **. 124
vita. I. 124

Aemilius Macer. vid. *Macer.*

Aemilius Papinianus. vid. *Papinianus.*

Aemulatio inter patricios et plebeios. I. 37

Aerarii cura primo quaestoribus, deinde praetoriis viris, denique praefectis aerarii demandata. I. 54. *

Africa, in ea floruit ius Iustinianeum. I. 412

Africanus (*Sex. Caecilius*) IC. I. 306. eius aetas, secta, et scripta. I. 307. subtiliter in quaestionum libris disputauit. *ibid.* * ad eius fragmenta Cuiacius scripsit. I. 307

Ἀγαθῇ τύχῃ formula edictalis. I. 66. *

Ager publicus patriciis extortus. I. 37. *

Agilulfus auctor stirpis Agilolfingicae memoratur in praef. leg. Baiuuar. II. 21

Agrariae leges a Cocceio Nerua latae. I. 249

Ἄγραφα quaenam in edictis relicta. I. 80. *

Alamannica lex quando scripta? II. 23
valuit adhuc sub Conrado I. II. 41. 51. immo in Austria adhuc saec. XI. II. 51

Alamannis an olim lex Salica data? II. 23. *

Alaricianum corpus quando et ex quibus legibus compilatum? II. 15. eius breuiarium. *ibid.*
quando abrogatum? *ibid.*

Alba Longa Romae metropolis. I. 1

Albanorum sacra et instituta initio Romani retinuerunt. I. 1

Albericus a Porta Rauennate. I. 417

Albinagii ius sub Carolo M. II. 37. *

Album. In eo edicta proposita. I. 66
regium vel edictum regium. I. 4. *

Alciatus (*Andr.*) iuris prudentiae humanioris auctor. I. 425
notatus. II. 50. *

Alexander Tartagnus. vid. *Tartagnus.*

Alexandriae iuridicus ab Augusto institutus. I. 127

Alexandri Seueri laus. I. 326
praefectorum vrbi potentiam auget. *ibid.* nec non praefectorum praetorio. *ibid.* eosdem clarissimorum virorum titulo ornat. *ibid.*
XIIII. Romae curatores instituit. *ibid.*

Vlpiani consiliis vtitur. I. 337

Alexan-

Source : BIU Cujas

Alexandrina mulier quinque simul enixa. I. 266. *
Alexandrina schola medica celebris. I. 361. * iuridica etiam post Iustiniani prohibitionem ibi floruit. *ibid.*
Alfenus Varus IC. I. 184. eius scripta. I. 185. an ex sutore consul factus? I. 184
Alimentariis prospexit D. Marcus. I. 299. *
Amalphi repertum exemplar Pandectarum. I. 413
Amblardus de Bello Monte IC. II. 68
Ammiani Marcellini elegans descriptio ICtorum ante Theodosii II. tempora viuentium. I. 377. *
Anabaptistarum poena ex edicto Caroli V. imp. II. 104
Anatolius professor Berytensis. I. 363
Ancus Marcius leges Numae in vsum reuocauit. I. 9
Anglia. Eo quando Codex Theod. peruenerit? II. 57. quando corpus Iustinianeum? *ibid.*
Angli an prouincialibus iuris Rom. vsum reliquerint? II. 20 iis leges quis primus tulerit? II. 20. vbi exstent. II. 20. *
Angliorum leges. II. 12
Anianismi. De iis iudicium. II. 15
Anianus corporis Alariciani conditor. II. 15. Codicis Gregoriani reliquias seruauit. I. 369. * eius breuiarium. II. 15
Ἀνώνυμον SC. I. 254
Ansegisi collectio Capitularium. II. 39
Anteceſſores comitiua ornati. I. 381
ab initio statim in academiis instituti. II. 96
Anthianus (*Furius*) IC. I. 335
Antiochus auctor Codicis Theodosiani. I. 379
Antipater (*Coelius*) IC. I. 141
Antistius Labeo. vid. *Labeo.*
Antoninus Caracalla. vid. *Caracalla.*
Antoninus (*Marcus Aurelius*) imp. in iure quaedam innouauit. I. 298. iuris prudentiam non minus, quam philosophiam excoluit. I. 298. * eius orationes et SCta. I. 299. *seq.* noua ab eo reperta. I. 302
Antoninus Pius imp. varia iura condidit. I. 293. 294. illi multa tribuuntur, quae Hadriano debent originem. I. 293. * an auctor beneficii diuisionis? I. 293. eius rescriptum de lege Rhodia. I. 295. an huic constitutio *L.* 17. *D. de stat. hom.* tribuenda. I. 323. * an edictum perpetuum illi tribuendum. I. 268
Apollinis aedes. Iuxta eam disputatio fori. I. 51
Appellatio. *vid.* Adpellatio.
Appiorum Claudiorum stemma. I. 114. *
Appius Claudius Coecus et Centimanus dictus. I. 114
eius vita et gesta. I. 115
an literae caninae inuentor? I. 115. *
Appius Claudius decemuir praecipuus legum XII. tabb. conditor. I. 25. 113. eius fata. I. 27. 113
Apud forum, palam vnde de plano recte legi possit, formula edictalis. I. 66. *
Aqua Claudia. I. 115

Source : BIU Cujas

Aquila (*Iulius*) IC. I. 360
Aquillia gens celeberrima. I. 146. *
Aquillius (*Caius*) *Gallus* IC. I. 146. eius ſtudium iuridicum. I. 147. is non tulit legem Aquilliam. I. 147. * eius ſcripta. I. 148
Aquiſgranenſia ſtatuta. II. 86. *
Architecti iuris. I. 387
Argentarii non promittere, ſed recipere dicuntur. I. 69. *
Ariſtocratiam Romae adfectabant patres. I. 13. *
Ariſtotelis obſeruatio de edictis. I. 61
Ariſto (*Titus*) IC. a Plinio laudatus. I. 261. eius vita. *ibid.* * ſcripta. I. 262
Armis finitae lites apud Germanos. II. 97. *
Arrianus IC. I. 263. eius ſcripta. *ib.*
Arrius Menander IC. I. 334.
Artes ſellulariae Romanis interdictae. I. 8. *
Artium profeſſores immunitate donati. I. 355
Aſſis explicatio an occaſionem dederit docendi Pandectas. I. 413. *ſequ.*
Aſylorum ius in municipiis ad modum reduxit Tiberius. I. 205. *
Ateius (*Caius*) IC. I. 153
Ateius Capito. vid. *Capito.*
Athenis leges petiuerunt Romani. I. 24. *
Atilia gens celeberrima. I. 225
Atilicinus IC. I. 230
Atilius (*Publius*) IC. I. 125. vid. *Acilius.*
Attaliota (*Mich.*) IC. Graecus. I. 407. ſcripſit πόνημα ſiue πραγματικὸν. *ibid.*
Attus Clauſus e Sabinis Romam migrat. I. 113. ab illo deſcendit gens Claudia. *ibid.*
Auctoritas legibus Rhodiis praemiſſa an fide digna. I. 296. *
Auctoritates a ſenatu ſcriptae. I. 111
Auctor libri *de beneficiis.* II. 72. *
Auditores dicti ſtudioſi iuris. I. 156. *
Auditoriorum Berytenſium ſplendor. I. 363. *
Aufidius Namuſa IC. I. 153. 187.
Aufidius Tucca IC. I. 153. 187
Auguſtalis praefectus. I. 177
Auguſtinus (*Ant.*) IC. humanior. I. 425. notatus. I. 245. *
Auguſtus (*Octauius Caeſar*) monarchiam inuexit. I. 159
de immutando iure cogitat. I. 160
ſub ea eadem magiſtratuum vocabula, nihil priſci et antiqui moris. I. 162
quibus titulis vſus. I. 162. *
in eum paullatim ſummum imperium collatum. I. 168
leges priſco ritu tulit. I. 163
multa SCtis et edictis conſtituit. I. 170
edicta propoſuit. I. 173
iis iura noua inuexit. I. 174
nouos magiſtratus inſtituit. I. 175
prouincias cum populo diuiſit. I. 176
ICtis non omnibus facultatem de iure reſpondendi conceſſit. I. 178
princeps πολιτικώτατος. I. 159
Aulici iudicii ordinationes. II. 108. *
Aureliani imp. conſtitutiones. I. 352. *

Source : BIU Cujas

Aurelii nomen plures tulerunt imperatores legitimi et tyranni. I. 372. * vnde non vnus error. *ibid.*
Aurelius Arcadius Charisius IC. vid. *Charisius.*
Austriacum ius prouinciale. II. 84
Authenticae *Habita. C. ne fil. pro patre.* auctor. I. 416
Authenticas quis excerpserit atque Codici addiderit? I. 420 de earum auctoribus atque erroribus controuersia inter Bynkershoekium et Pagenstecherum. *ibid.*
Αὐτονόμοι ciuitates quaenam. I. 79
Azo Summae auctor. I. 417. *seq.*

B.

BAiuuarii se Francis dederunt. II. 24. eorum lex quando scripta? *ib.* ea adhuc valuit sub Henrico II. imp. II. 41. nec non sub Franconicis impp. II. 51. ad eam Capitula Caroli M. II. 37. et Tassilonis ducis. II. 24
Balbino imp. nihil debet iuris prudentia. I. 327
Balduinus (*Franc.*) IC. humanior. I. 425. de iuris prudentia Muciana scripsit. I. 145. itemque de lege Falcidia. I. 165. nec non Theodosii M. constitutiones commentario illustrauit. I. 376
Baldus Vbaldus Perusinus IC. I. 376
Balsamon (*Theod.*) Photii *Nomocanonem* commentario illustrauit. I. 408. floruit saec. XIII. *ibid.*
Baptismi iteratio morte luenda. II. 104
Baraterius (*Barth.*) auctor libri feudorum reformati. I. 424
Baronii errores circa edictum perpetuum. I. 269. notatus. II. 40. *
Baronis (*Eguinarii*) Manualia iuris. I. 276. in iis edictum perpetuum restituere conatus est. *ibid.*
Bartolus de Saxoferrato IC. I. 422. in consilio Caroli IV. imp. fuit. II. 97. eius commentarii in Corpus iuris. I. 422
Basilicῶν libri. I. 406. eorum origo. I. 405. collectores. *ib.* fontes. I. 406. editio Fabrotti. *ibid.* vsus. I. 407. *seq.*
Basilius Macedo edidit πρόχειρον τῶν νόμων. I. 405
Bauaricum ius prouinciale quando conditum? I. 84
Bederina an patria Iustiniani? I. 385. *
Bellagines Gothorum leges diaeteticae. II. 11. * earum etymologia. *ibid.*
Benedicta Cascellii. I. 191
Benedicti Leuitae collectio Capitularium. II. 40
Beneficium diuisionis a quo concessum? I. 293. D. Traiani. I. 255
Berguntio glossator. I. 419
Berytensis schola quando constituta? I. 361. eius laudes et fata saeculis III. et IIII. I. 362. nec non V. et VI. I. 363. eius professores celebriores. I. 363. in ea an Pegasi placita proposita? I. 243
Beryti vrbis fata et interitus. I. 364
Bibliotheca Athenaica S. Vlpia ab Hadriano collecta. I. 271. * Ticinensis in Galliam translata. I. 424

Source : BIU Cujas

Bituricenſis Academia ICtos praeſtantiſſimos aluit. I. 425
Boemicae leges latae a Carolo IV. ſub titulo Maieſtatis Carolinae. II. 85. *
Boneſidii (*Enim.*) ius orientale. I. 407
Bononienſis Academiae celebritas. I. 415
quinam ibi antiquis temporibus ius docuerint? I. 415. 416. eo Germani iuuenes ſaec. XII. confluxerunt. II. 56. Irnerius ibi docuit. I. 413. itemque Pepo. I. 414
Bonorum maternorum vſumfructum conceſſit patribus Conſtantinus M. I. 355. *
Bonorum poſſeſſio a praetore inuenta. I. 69. *
Bonum factum formula edictalis. I. 66. *
Bottereau notatus. I. 269
Boues aratores pignori capi vetuit Conſtantinus M. I. 355
Brabantinorum ducum conſtitutiones. II. 85. *
Brandenburgica Marchia repudiato iure Saxonico ſe iuri Rom. ſubmiſit. II. 110
Breuiarium *Aniani*. II. 15
Briſſonius (*Barn.*) IC. humanior. I. 425
Britonis (*Guillermi*) teſtimonium de recepto iure Rom. notatu digniſſimum. II. 58. *
Brocardica quid? II. 50
Brunquellus (*Io. Sam.*) notatus. II. 79. *
Brunſuicenſis ducatus ius Rom. adoptauit. II. 111
Brutus (*Marcus*) illi Seruius nuncupauit Comm. ad edictum praet. itemque Cicero varios libros. I. 74. *
Brutus (*M. Iunius*) IC. I. 136. eius libri. I. 137
Bulgarus IC. Bononienſis. I. 416. auctor diuiſionis Digeſti in vetus, infortiatum, et nouum. I. 419
Burchardi, Wormatienſis epiſcopi, volumen Canonum. II. 50
Burgundia quando ius Rom. receperit. II. 59
Burgundio gloſſator. I. 419. auctor diuiſionis Nouellarum in VIIII. collationes. I. 419
Burgundiones prouincialibus ius Romanum conceſſerunt. II. 17. impp. Romanorum maieſtatem venerati. II. 13 *. eorum lex multa habet ex iure Romano. II. 14
Byzantium. *vid.* Conſtantinopolis.

C.

Caecilius (*Sex. Africanus*) IC. I. 306. vide *Africanus*.
Caelius Antipater. vid. *Antipater*.
Caelius Sabinus. vid. *Sabinus*.
Caeſar (*C. Iulius*) de iure in ordinem redigendo cogitat. I. 160. * adfectatio regiae maieſtatis male ei cedit. I. 161
Caeſius (*Titus*) IC. I. 187
Caius IC. I. 313. eius aetas. *ibid.* eius ſcripta. I. 314. nulli ſectae addictus. I. 314. Inſtitutionum eius fragmenta. *ibid.* an Chriſtianus et Iuſtiniano σύγχρονος. I. 313. cur eum ſuum vocauerit

Source : BIU Cujas

rit Iuſtinianus? I. 313. * eius Inſtitutiones maiorem in occidente vſum habuerunt, quam Iuſtiniani. I. 410. in XII. tabb. ſcripſit. I. 31
Caligula (*Caius Caeſar*) ICtis minatur exitium. I. 211. comitia reuocare tentauit. *ibid.* Caſſio ſtruxit inſidias. *ibid.* eius acta reſciſſa a ſucceſſore. I. 212. vnde eius in iure nuſquam mentio fit. *ibid.*
Calliſtratus IC. I. 344. aetas eius et ſcripta. *ibid.*
Caluiſius inter ICtos non numerandus. I. 265. neque is auctor eſt actionis Caluiſianae. *ibid.*
Camerae imp. ordinationes iuris Rom. tamquam communis vſum confirmant. II. 102
Candidati a toga cretata dicti. I. 103. *
Canonicum ius. *vide* Ius canon.
Canoniſtae. I. 68
Capito (*Ateius*) IC. Auguſto obnoxius. I. 180. eius ſcripta. I. 183. eorum nullum in Pandecte exſtat fragmentum. *ibid.* ſectae Sabinianorum auctor. I. 195. eorum, quae a maioribus acceperat, admodum tenax. *ibid.* * in XII. tabulas ſcripſit. I. 31
Capitula extraordinaria feudorum. I. 421
Capitularia quid ſint? II. 29. * II. 38. regum Francorum ante Carolum M. II. 29. Caroli M. de Saxonibus. II. 36. eiuſdem et ſucceſſorum. II. 38. collecta ab Anſegiſo. II. 39. a Benedicto Leuita. II. 40. a Lothario imp. *ibid.* ea adhuc in vſu ſaec. VIIII. et X. II. 42. et 47. ſed tum ſenſim in deſuetudinem abierunt. II. 47. addita legibus Salicae et Langobardorum. II. 37
Caracalla (*Antoninus*) ius variis inſtitutis locupletauit. I. 323. ingenuis in orbe Rom. ius ciuitatis conceſſit. I. 323. Papinianum interemit. I. 331
Carceres in poenam haberi vetuit Conſtantinus M. I. 355
Cari et *Carini* impp. conſtitutiones. I. 352
Carmen etiam de ſermone proſaico vſurpatur. I. 29. *
Carolingi. Sub iis leges patriae valuerunt in Germania. II. 41
Carolus Craſſus an auctor conſtitutionis de expeditione Romana? II. 43
Carolus M. barbarorum mores emendat. II. 33. omnium gentium, quae ſibi parebant, leges in ſcripturam redigi iuſſit. II. 22. leges Saxonum auxit. II. 33. an temporibus eius iuris Rom. aliquis vſus? I. 44. ab hoc ad finem eius ſtirpis leges patriae in Germania valuerunt. II. 41. eius Capitularia vniuerſis ciuibus praeſcripta. II. 38
Carolus V. imp. iuris Rom. vſum in Germania firmauit. II. 104
Cartilii ICti memoriam reſtituit Ant. Auguſtinus. I. 187
Caſcellii ICti aetas. I. 190. ioci et facetiae. I. 78. I. 191. benedicta. I. 191
Caſſianorum nomen a Caſſio Longino. I. 229

Source : BIU Cujas

Cassius (*C. Longinus*) IC. I. 228. eius scripta et schola. I. 229. notauit ad Vrseium Ferocem. I. 229. *
Castratio puerorum prohibita edicto aedilitio. I. 78. nec non a Domitiano. I. 138. *
Castrensis (*Paullus*) IC. I. 422
Cato (*M. Porcius*) censorius IC. I. 129. eius opera. I. 130
Cato (*M. Porcius*) filius IC. I. 131. auctor regulae Catonianae et aliorum. I. 132
Catonum stemma. I. 131. *
Cautio Muciana a quonam inuenta? I. 145
Celsus pater IC. I. 241. Proculi sectator. *ibid.*
Celsus (*P. Iuuentius*) filius IC. I. 256. eius aetas. *ibid.* * honores. I. 257. scripta. I. 258
Censorum origo, officia, dignitas. I. 55. edicta. I. 63
Census vltimus sub Vespasiano actus. I. 236
Centenaria coena. I. 100. *
Centumuirale iudicium an ex lege Aebutia? I. 30. *
Centuriata comitia a quonam, et cur instituta? I. 7. *
Cereales aediles. I. 56
Certaminum singularium impietas Agobardo visa. II. 10. *
Ceruidius rescribendum putat Bynkershoekius pro *Seruilius*. I. 263. *
Ceruidius Scaeuola IC. I. 317. Severum imp. et Papinianum instituit. *ibid.* quibusdam male audit. I. 317. eius scripta. I. 318
Charisius (*Aurel. Arcadius*) IC. I. 359. an Christianus. *ibid.* eius scripta. *ibid.*
Charondae leges vnde? I. 28. *
Chifletii (*Io.*) *Diss. apologetica.* I. 384
Chlodouaeus rex Francorum imperatorum Rom. maiestatem veneratus est. II. 13.
Chlotarius caussas inter Romanos controuersas legibus terminari iussit Romanis. II. 18
Chresimus non est Charisius. I. 359
Christianismus mutationi legum ansam dedit. I. 354
Christiani impp. ius simplicius reddere studuerunt. I. 373
Christianos in bonarum artium studia incumbere prohibuit Iulianus apostata. I. 374
Cicero (*M. Tullius*) an IC.? I. 149. de iure ciuili in artem redigendo cogitat. *ibid.* * ab eo quaestio iuris ex Sex. Aelii Paeti Tripartitis decisa. I. 124
Cincius (*L. Alimentus*) IC. I. 119. eius scripta. *ibid.* non confundendus cum M. Cincio M. F. Alimento. *ibid.* *
Cinna IC. I. 187
Ciuitates αὐτονόμοι. I. 79. iis relinqui legata permisit Nerua. I. 249. Germanicae iuris patrii seruantissimae. II. 87. eae, unde alia oppida ius suum municipale petierant, metropoleon loco habitae. II. 86. ad eas prouocatum a sententiis domi latis. *ib.* eae quando statuta, reformationes, Wilkuhre ediderint? II. 114
Ciuitatis ius. *vide* Ius Ciuitatis.
Clarissimi viri effecti Romae curatores ab Alexandro imp. I. 326

Clau-

Source : BIU Cujas

Claudius (*Appius*) vid. *Appius*.
Claudius imp. praetores fideicommissarios constituit. I. 213. consules tutores dare iussit. I. 214. eius SCta. I. 215. et constitutiones. I. 220. 352. *
Claudius Saturninus. vid. *Saturninus*.
Clausus. vid. *Attus Clausus*.
Clemens (*Terentius*) IC. I. 308
Clementinae quando editae, et a quo nomen ferant? II. 69
Clerici in Gallia, Anglia, et Belgio secretarii, et scribae iudiciorum vocati. II. 98. *
Cocceiorum (*Henr.* et *Sam.*) vindiciae Triboniani. I. 400. *
Cocceius. vid. *Nerua*.
Codex Alaricianus. *vid.* Alaricianum Corpus.
Codex Gregorianus. I. 368. eius auctor. *ibid.* auctoritas. I. 369 fragmenta ab Aniano seruata. I. 369
Codex Hermogenianus a quonam confectus? I. 370. eius materia et fragmenta. I. 372. editiones. I. 371
Codex Iustinianeus quando conditus? I. 390. quando abolitus? I. 396
Codex repetitae praelectionis. I. 396. Graece versus. I. 403. eo Arabice verso vtuntur Turcae. I. 409
Codex Theodosianus a Theodosio II. compilatus. I. 379. in eum pleraeque Iuliani constitutiones migrarunt. I. 374. * in occidente magis in vsu fuit, quam Iustinianeus. I. 410. II. 19. quis eum in Angliam inuexerit? II. 57
Codices quinam libri dicti? I. 367. * temporibus Constantini M. fieri coeperunt. *ibid.*
Coelius Antipater IC. I. 141
Coelius Sabinus. vid. *Sabinus*.
Coena centenaria. I. 100. *
Colbo Rabbinis idem, quod Pandecte. I. 391
Collatio legum Mosaicarum et Romanarum an Rufini opus? I. 347. *
Collationes authenticarum nouem. I. 419
Collatio decima. I. 421
Coloniae institutae et mores metropoleon seruant. I. 1. *
Colonienſia statuta. II. 91
Comitia quotuplicia. I. 7. * ea a populo translata a Tiberio ad patres. I. 199. quaenam huius consilii ratio? *ibid.* *
Comitiua ornati anteceſſores. I. 381. *
Commentarii glossatorum in ius Romanum. I. 422. de iis Mureti iudicium. *ibid.* *
Commodus (*M. Antoninus*) quid in iure mutarit? I. 301. 303. eius orationes et constitutiones. *ibid.*
Concordia discordantium canonum. II. 61
Concubinas plures habere vetuit Constantinus. I. 354
Concubinatus cur non plane abolitus a Constantino? I. 354. *
Conradi Salici imp. leges. II. 52. an auctor constitutionis de expeditione Rom. II. 43. *
Conringii Comment. in *l.* 1. *C. de stud. liberal.* laudatus I. 381
Constantinopolin translata imperii sedes a Constantino M. I. 365. an ob id excusandus? *ibid.* * illa translatione via barbaris aperta et ponti-

Source : BIU Cujas

pontificis dominatui. I. 365. ſchola iuridica ibi inſtituta. I. 381. cur in ea oratores et grammatici? I. 401. * ea a Turcis capta iuris Rom. vſus in oriente plane exoleuit. I. 409. ibi Irnerius ius ciuile didiciſſe dicitur. I. 407. *
Conſtantinus M. a Nazario laudatus. I. 354. * eiuſdem ſtudium in legibus Chriſtianiſmo attemperandis. I. 373
multa in iure mutauit. I. 354. *ſeq.* ſub eo iuris prudentia quodammodo reuixit. I. 358. artium profeſſores immunitate donauit. I. 354. orbem Rom. in quatuor dioeceſes diuiſit. I. 365. eius cura in emendandis moribus. I. 373. de eo iudicium. I. 366
Conſtantini liberi multa in iure innouarunt. I. 373. eorum ſtudium in euertendis paganorum ſuperſtitionibus. *ibid.* *
Conſtantinus Porphyrogeneta libros Baſιλικῶν publicauit. I. 405
Conſtitutio criminalis Carolina quando et vbi publicata? II. 105. iudices ad ius Rom. remittit. *ibid.* an deſcripta ex Bambergenſi? *ib.* * Brandenburgenſis. *ibid.*
Conſtitutio de expeditione Romana. II. 43. 52
Conſtitutio Theodoſii II. de reſponſis prudentum. I. 378. parum ſapit prudentiam legislatoriam. *ibid.*
Conſtitutiones principum ſaepe leges in iure vocantur. I. 88. * ab Hadriani potiſſimum tempore frequentiſſimae. I. 281. legitimorum principum quaenam? I. 379. *
Conſuetudines Albanorum a Romanis ſeruatae. I. 1
Conſuetudinum veterum Germanorum exempla. II. 2. *ſeq.* in ſingulis gentibus Germ. obſeruatarum exempla. II. 5. *ſeq.*
Conſulatus per tribunos plebis circumſcriptus. I. 19
Conſulum regium fere imperium. I. 13. quaenam ſub iis reip. forma? I. 13. *
hi edictis initio pleraque gubernabant. I. 18. I. 63. penes eos ſolos olim ius mulctandi immorigeros. I. 21. * eos tutores dare iuſſit Claudius. I. 214. quando et quomodo dictatores dixerint? I. 57
Contractus: de iis legem tulit Servius Tullius. I. 10. *
Conuentionis in manum effectus ex lege Romuli. I. 8. *
Corculum ob prudentiam adpellatus eſt Scipio Naſica. I. 121
Corneliorum Scipionum ſtemma. I. 120. *
Cornelius (*Caius*) auctor legis Corneliae de edictis perpetuis. I. 73. itemque legis, ne quis niſi per populum legibus ſolueretur. I. 73. *
Cornelius (*Caius*) *Maximus* IC. I. 143
Cornelius (*Publius*) *Scipio Naſica* IC. vir optimus a ſenatu dictus. I. 120. eius honores, res geſtae, filius. I. 121. Corculum adpellatus. *ibid.*
Corpus Alaricianum. *vid.* Alarician-um.
Corpus iuris Iuſtinianeum, quando publicatum? I. 394. a multis reprehen-

Source : BIU Cujas

prehenditur. I. 399. de illis iudicium. I. 400. eius in oriente magna auctoritas. I. 401. omnes eius libri Graece versi. I. 401. in mensa iudicii aulici semper praesto esse iubetur. II. 108. * quando et a quo in Angliam translatum? I. 57
Corpus Theodosianum. II. 15
Coruncanius (*Tiberius*) IC. primus ius ciuile professus est. I. 53. primus e plebe pontifex max. *ibid.* et I. 118
Crassus (*P. Licinius*) *Mucianus* IC. I. 143. rhetores vrbe exesse iussit. *ibid.* ICtorum disertissimus a Cicerone vocatus. *ibid.*
Criminalis constitutionis Carolinae historia. II. 105. contra eam protestati sunt imp. ordines. II. 107. aliae constitutiones criminales. II. 105. *
Critici non omnes bene de iuris prudentia meriti. I. 426
Cuiacius (*Iac.*) IC. humanior. I. 425. ei antehabitus Forcatulus. *ibid.* Fusidium ab obliuione vindicauit. I. 245. in Africani fragmenta scripsit. I. 307. notatus. I. 245 *. 282 *. 284. *
Culmense ius quando et vnde conflatum? II. 90. *
Culpisius notatus. II. 104. *
Curatores adolescentibus promiscue dari iussit D. Marcus. I. 302
Curatores XIIII. Romae praefecit Alexander imp. I. 326
Curiae, in quas Roma descripta. I. 7
Curiatae leges quando obtinuerint? I. 7. quid libera re publica fuerint? I. 7. *
Cynus ICtus. I. 422
Cyrilli versio κατ' ἐπιλομὴν. I. 403

D.

Dagobertus, rex Francorum. Sub eo adhuc ius secundum leges Rom. dictum. II. 19
Damasus primus scripsit Brocardica. II. 50. *
Danicae leges in codicem redactae a Waldemaro II. rege. II. 85
Debitores obaerati ex lege Seruii Tullii in vincula non ducendi. I. 10. *
Decemuiri legum ferendarum. I. 22. 25. litibus iudicandis. I. 57. 58
Decisiones L. Iustiniani. I. 395. quibus coss. prodierint? I. 395. cur plures, quam L. in iure nostro occurrant. I. 395. *
Decius imp. quaedam constitutionibus inuexit. I. 352. *
Decreta Frontiniana. I. 262. *
Decretales quando collectae? II. 69. earum vsus in Saxonia saec. XIII. II. 73. earum liber VI. II. 69
Decretorum et interloquutionum Hadriani collector Dositheus. I. 283
Decretorum libri quales? I. 343. *
Decretum Gratiani. II. 61. non confirmatum a pontifice. II. 62. illud omnibus gentibus obtrudere voluit pontifex. *ibid.*
Decretum Tassilonis. II. 24
Deinde non semper rem tempore posteriorem esse probat. I. 271. *
Delatores coërciti a Tito imp. I. 237. a Traiano. I. 255. * a M. Antonino. I. 302

Source : BIU Cujas

Deportati ex edicto Hadriani insula excedere prohibiti. I. 283. *
Dictator quis? I. 41. edicta proposuit. I. 63. a coss. dictus in re trepida. I. 57
Dictatura qualis magistratus? I. 57
Diem solis celebrari praecipit Constantinus M. I. 354
Dies, quibus lege agere licebat, vel non? I. 43. *
Digesta, ratione denominationis. I. 391. fontes. *ibid. vid.* Pandectae.
Dilatio Saxonica vnde? II. 31. *
Diocletianus et *Maximianus* multarum constitutionum auctores. I. 353
Dioeceses quatuor orbis Rom. a Constantino M. institutae. I. 365
Dionis Cassii insignis locus de praetorum edictis. I. 68
Dionysii Halic. locus explicatus. I. 18
Disputatio fori quid? I. 51
Diui fratres *Marcus* et *Lucius* AA. I. 298. SCtis et orationibus multa constituunt. I. 299
Diuisio paterna a liberis seruanda ex constitutione Constantini M. I. 355
Diuisionis beneficium ab Hadriano inuentum. I. 282
Doctores iuris in principum aulis iura patria supprimere student. II. 97. de iis abolendis cogitatum sub Fridrico III. II. 97. 100
Dodwelli (*Henr.*) de edicto aedilitio perpetuo coniectura. I. 279. *
Domitianus imp. quid noui in iure constituerit? I. 238. SCta sub eo facta. I. 239. philosophos pellit. I. 239
Domitius Vlpianus. vid. *Vlpianus.*
Donatio inter virum et vxorem honoris caussa permissa. I. 294. quando prohibita? *ibid.* * et 322
Donationem inter personas coniunctas sine mancipatione valere iussit Antoninus Pius. I. 294. ex ea dedit actionem Constantinus M. I. 357
Donatori beneficium competentiae concessit Antoninus Pius. I. 294
Donellus (*Hugo*) IC. humanior. I. 425
Dorothei versio Pandectarum κατὰ μέσων τάξιν. I. 403
Dorotheus professor Berytensis? I. 363
Dositheï, grammatici, liber Sententiarum. I. 283
Duarenus (*Franc.*) IC. humanior. I. 425
Ducennius Verus cos. quis? I. 241. *
Dupondii quinam dicti? I. 394. *
Duumuiri curatores viarum. I. 59. nauales. I. 60

E.

ECclesiis legari, easque heredes institui permisit Constantinus M. I. 354
Edicta adiuuandi, supplendi, corrigendique iuris ciuilis gratia proposita. I. 67. iis aliquando praetores ius scriptum euertebant. I. 68. quibus artibus id consequuti sint? I. 69. saepe edicta variabant. I. 68. 71. praetores SCto iussi sunt ex perpetuis edictis ius dicere. I. 72

Source : BIU Cujas

Edicta ex lege Ateria Tarpeia nata. I. 21. *
Edicta praefectorum praetorio et post Edictum perpetuum valuerunt. I. 326
Edicta praetorum. I. 64. talia et vrbanus, et peregrinus, et reliqui praetores omnes proponebant. *ibid.* quomodo id factum? I. 66. illa per annum saepe mutata. I. 71. quo sensu ex lege Cornelia coeperint esse perpetua. I. 73. talia tempore Hadriani permulta exstabant in bibliotheca Vlpia. I. 271. * ab iis iuris studium auspicabantur Romani. I. 74. *
Edicta principum ab Hadriano frequentissima. I. 281
Edicta prouincialia. I. 79. quae in iis cauenda fuerint? I. 82. ab omnibus, qui prouinciis praeerant, proposita. I. 80. ex vrbano hausta. *ibid.* * vel tralatitia, vel noua. I. 81
Edicta saepe SCtis firmata. I. 281. iis pleraque gubernabant reges. I. 4. et postea coss. I. 18. iis multa noua constituit Augustus. I. 173. quo colore id fecerit? *ibid.* a plerisque magistratibus proposita. I. 61. itemque a sacerdotibus et ducibus. *ibid.* de quibus rebus? I. 62. quaedam cur ab auctoribus dicta? I. 65. ** in albo proposita. I. 66. eorum finis. I. 67. caussa erat honor. I. 61. *
Edicta vel perpetua, vel repentina. I. 65. vel tralatitia, vel noua. *ibid.*
Edictales quinam? I. 394. *
Edictis quaedam Augustus constituit, itemque Tiberius. I. 170. 205
Edictum aedilitium de communi sententia propositum. I. 75. eius capita plura in iure nostro supersunt. I. 76. alia in iure non memorata. I. 77. an perpetuum conditum ab Hadriano? I. 279
Edictum censorum. I. 63. consulum. I. 18. 63. dictatorum. I. 63. ducum et sacerdotum. I. 61. tribunorum plebis. I. 63
Edictum D. Hadriani. I. 283
Edictum perpetuum Hadriani auspiciis conditum. I. 268. quo anno? I. 269. eius auctor Saluius Iulianus. I. 270. eius varia cognomina. I. 273. per orationem principis et SC. firmatum. I. 272. ei ne principes quidem derogare ausi sunt. I. 274. eius auctoritas. I. 273. contra illud non recipiebatur adpellatio. I. 274. id quomodo intelligendum. I. 274. * eius seriem et oeconomiam sistere conatus est Giphanius et Pitenius. I. 277. ad eius ordinem postea ICti libros suos composuerunt. I. 278. quam mutationem illud attulerit in studio iuris? *ibid.* illud frustra abolere conatus est Seuerus imp. I. 321. quinam illud restituere conati sint? I. 276. an ab eo diuersum prouinciale? I. 275
Edictum prouinciale perpetuum. I. 275. illud idem cum vrbano. *ibid.*
Edictum Theodorici Ostro-Gothorum regis. II. 11
Egeria Nympha. vid. *Aegeria.*
Elagabali imp. constitutiones. I. 325.

Source : BIU Cujas

eius ne nomen quidem in Pandecte exstat. *ibid.* ex Digestis tamen eius familia potest illustrari. *ibid.* eius stemma genealogicum. I. 325. *
Eloquentia exstincta sub Diocletiano et Maximiano. I. 353
Emancipationis necessitas sublata. I. 382
Ephesius legislator in *c.* 5. *X. de praescr.* quis? I. 25
Equos cursui publico destinatos fustibus contundi vetuit Constantinus M. I. 355
Erphordiensis Academia. II. 96
Et, copula inter duas leges interiecta, non semper diuersas leges significat. I. 164. *
Ethilberti, Anglorum regis, leges. II. 20
Euua et legem, et consuetudinem denotat. II. 33. *
Exceptiones variae a praetoribus repertae. I. 69
Exheredandi libertas restricta sub Augusto. I. 174. *
Expeditoriae res. *vid.* Heergewetta.
Extra ordinem vel honorem demandatum munus quid? I. 214. *
Extrauagantes libris Feudorum adiectae. I. 321
Extrauagantes Ioannis PP. XXII. et communes. II. 69

F.

Faber (*Petrus*) IC. humanior. I. 425
Fabius (*Quintus*) *Cunctator* an IC. I. 122
Fabius (*Quintus*) *Labeo.* I. 126
Fabius (*Seruius*) *Pictor* IC. *ibid.*
Facta saepius rescripta denotant. I. 324 *
Facultas iuridica in Academiis instituta. II. 96
Fasti a pontificibus in latenti habiti. I. 44. * 47. diuulgati a Cn. Flauio. I. 48. primi a Numa confecti. I. 44. in illis occurrit formula post consulatum. I. 395. *
Felix (*Laelius*) IC. vid. *Laelius.*
Feminae nuptae aliquando legibus mariti se subiiciebant iure Germanico. II. 51. *
Ferox (*Vrseius*) IC. I. 244. ad eum notauit C. Cassius Longinus. I. 229. * et Iulianus. I. 244. stricturas in eum scripserunt C. Cassius et Saluius Iulianus. I. 244
Ferre legem magistratus dicebatur. I. 39. *
Feudorum origo apud Tacitum. II. 4. * libri a quibus confecti? I. 421. Nouellis collationis decimae nomine additi. I. 421. eos concinnius dare voluerunt Mincuccius et Baraterius. I. 424
Fictiones praetoriae. I. 69. legis Corneliae. I. 92. *
Fides cur dea credita. I. 9. *
Fideicommissarii praetores a Claudio imp. instituti. I. 213
Filius ter venumdari poterat ex lege Romuli, I. 8. * eum, qui iussu patris vxorem duxerat, venumdari vetuit Numa. I. 9. * patrem verberans quomodo punitus ex lege Seruii Tullii? I. 10. *
Finis rei publicae Rom. I. 12. *
Finium regundorum iudicium dabatur

Source : BIU Cujas

batur propter confusum limitare iter. I. 101. *
Fiscellus (*Georgius*) doctor iuris in aula Sigismundi imp. II. 97
Fisci calumnias Domitianus inhibuit. I. 238
Flaccus (*Granius*) iuris Papiriani interpres. I. 17
Flauius (*Cnaeus*) iuris Flauiani auctor. I. 48
Flauius Priscus IC. I. 187
Florentinae Pandectae varias notas habent. I. 392. an tempore Iustiniani scriptae? *ibid.*
Florentinus IC. I. 347. eius scripta. *ib.*
Foenoris acerbitate plebs ad desperationem acta. I. 41
Forcatulus (*Steph.*) iniuria Cuiacio antehabitus. I. 425. *
Formam ICti vocarunt quaslibet leges. I. 273. *
Formulae actionum sollemnes. I. 43. * eas diuulgauit Cn. Flaccus et Sex. Aelius. I. 48. 49
Formulae Andegauenses, Alamannicae, Alsaticae, Bignonianae, Langobardicae, Marculphi, secundum legem Romanam, Sirmondicae. II. 32
Forum. In forum deductio sollemnis. I. 154. *
Franci. Sub iis ius Rom. floruit in Italia. I. 412. ipsi iure scripto vsi sunt. II. 7. * eorum leges. II. 8. *seq.* prouincialibus vsum iuris Rom. concedebant. II. 13. * II. 18. 19. in Gallia maiestatem impp. Rom. venerati sunt. *ibid.* inter eos iuris Rom. periti. II. 19. eorum testamenta ad normam iuris Rom. condita. *ibid.*
Fresonibus siue Frisiis transalbinis leges dedit Haraldus rex Daniae. II. 46. *
Fridricus I. imperator fauet ICtis, et studiosos iuris priuilegiis ornat. I. 416. eius leges. II. 72
Fridricus III. imp. in aula sua aluit ICtos. II. 98. at parum tamen iis fauit. *ibid.* doctores iuris creavit. *ibid.*
Frisiorum lex. II. 25. iis leges dedit Haraldus, rex Daniae. II. 46. Saec. XVI. iuri Rom. se submiserunt. II. 109
Frontiniana decreta collegit T. Aristo. I. 262. *
Fusidius IC. I. 245
Fulgosius (*Raphael*). I. 422
Fundi populi quinam? et de istis scriptores. I. 79. *
Funera. De eorum sumtibus edictum aedilium. I. 77
Furius Anthianus. vid. *Anthianus.*
Furtum nummis expiatum apud Anglos. II. 20. *
Fuscianus (*Fuscius*) IC. videtur esse, quem alii Tuscianum vocant. I. 291. *

G.

Galba nihil noui in iure statuit. I. 232
Galerius et *Maximianus* impp. ICtos et aduocatos persequuti sunt. I. 353
Galli et *Gallieni* impp. constitutiones. I. 352. *
Galli Graecas litteras a Marsiliensibus addidicerant. II. 1. *
Gallia quando ius Rom. receperit? II. 58. in ea sub Francorum regibus prouincialibus optio data

Source : BIU Cujas

eſt, iure Rom. an Francico vivere mallent. II. 18
Gallus (*C. Aquillius*). vid. *Aquillius*.
Gegener (*Adolphus*) doctor iuris a Fridrico III. renunciatus. II. 97
Gellius (*Publicius*) IC. I. 187
Gemminger (*Io.*) doctor iuris. II. 98.
Gentium Germanicarum migratio. II. 6
Geradae abrogatio apud Helmſtadienſes. II. 111
Germaniae gentes aliae in Germania ſubſtiterunt, aliae alio migrarunt. II. 6. earum quaedam iure ſcripto, quaedam non ſcripto vſae ſunt. II. 7
Germani veteres ad ſaec. IIII. non vſi ſunt litteris. II. 1. leges ſcriptas initio non habuerunt. *ibid.* eorum vetuſtiſſimae conſuetudines. II. 2. apud eos ſingulae gentes ſingularibus vſae ſunt moribus. II. 2. cum exteris nullum commercium habuerunt. *ibid.* qui extra Germaniam regna conſtituerunt, iure ſcripto vſi ſunt. II. 7. in his regnis imp. maieſtatem venerati ſunt. II. 13. et hinc nec iuris Rom. vſum in illis prouinciis ſuſtulerunt. II. 13. 15. qui in Germania ſubſtiterunt, quando leges ſcriptas habere coeperint? II. 21. apud hos nullus vſus iuris Rom. ante ſaec. XI. II. 44. ab eo tempore ius Rom. inualeſcere apud eos coepit. II. 64. laborarunt tamen de iure patrio conſeruando. II. 70
Giphanius (*Hubertus*) Oeconomiam et ordinem edicti perpetui oſtendit. I. 277
Gladiatorios ludos ſuſtulit Conſtantinus M. I. 363
Gloſſa. Eius auctores. I. 418. eius maxima auctoritas. *ibid.* * in teſtamentorum forma plus illi tributum, quam ipſis legibus. II. 103. *
Gloſſae Malbergicae. II. 7. * II. 8
Gloſſatorum barbaries. I. 418. quid in Iuſtiniani libris innouarint? I. 419. de iis iudicium Mureti. I. 422. *
Goldaſti (*Melch.*) Conſtitutiones impp. II. 43. de iis iudicium. *ibid.* et II. 53. *
Gordiani imp. conſtitutiones. I. 327
Gothorum lingua Germanica. II. 1. * quaedam eorum leges Bellagines dictae. II. 11. * *vid.* Oſtrogothi et Wiſigothi.
Gothofredus (*Iacobus*) Cod. Theodoſianum commentario illuſtravit. I. 379. notatus. I. 379. *
Graeci adhuc hodie iure Rom. vtuntur. I. 409
Graeciae magnae leges Romani adſciuerunt in XII. tabulas. I. 24
Granius Flaccus iuris Papiriani interpres. I. 16. 17. indigitamenta ſcripſit. *ibid.*
Gratianus imp. quid in iure innovarit? I. 375
Gratianus Decreti compilator. II. 61. eius hiſtoria. *ibid.*
Gregorianus Codex. *vid.* Codex.
Groſias. vid. *Martinus.*
Guilielmus Malmesburienſis Codicem Theodoſianum in Anglia edidit. II. 57
Guillermus Brito. vid. *Brito.*

Source : BIU Cujas

H.

Hadrianus quam plurima in iuris prudentia innouauit. I. 267. Numam praecipue imitatus est. *ib.* legum, quas tulit, optimarum laude eximius. *ibid.* eius auspiciis edictum perpetuum conditum. I. 268. aduocatum fisci constituit. I. 280. ICtis promiscue facultatem dat de iure respondendi. *ibid.* eius edicta atque aliae constitutiones. I. 281. SCta sub eo facta. I. 284. iura ab illo condita. I. 282. eius decreta, interloquutiones, edicta. I. 283
Halam prouocarunt Poloni et Boëmi. II. 86. *
Hamburgenses olim iure Susatensi, post Saxonico vsi. II. 89. eorum statuta. II. 90
Haraldus, rex Daniae, Saxonibus et Frisiis leges dedit. II. 46
Harmenopulus (*Constantinus*) IC. Graecus. I. 408
Hasaeus (*Iacobus*) notatus. I. 243
Hebraei morum suorum tenacissimi. II. 2. *
Heildelbergensis academia saec. XIIII. iuris tantum canonici professores habuit. II. 96. * ad Parisiensis exemplum instituta est. II. 95. *
Heimburg (*Greg.*) IC. consiliarius.
Heliogabalus. vid. *Elagabalus*.
Heluidiorum stemma. I. 239
Noribergensis. II. 98. *
Henrici III. imp. constitutiones. II. 53
Henrici IIII. et *V.* constitutiones. II. 53. 54
Henricus VI. iuris canonici et ciuilis peritia clarus. II. 59. *
Heraclii de Hermodoro elogium et somnium. I. 25. *
Herennius Modestinus. vid. *Modestinus*.
Hergewettae ratio apud Tencteros. II. 5
Hermodorus Ephesius leges Graecas decemuiris interpretatur, statuaque ideo donatus est. I. 25. an sit Ephesius ille legislator in *c. 5. X. de praescr.* I. 25. *
Hermogeniani ICti aetas et scripta. I. 358. paganae superstitionis homo. I. 358. is auctor videtur Codicis Hermogeniani. I. 370. *
Hermogenianus Codex. *vid.* Codex.
Hispania. In eam quando ius Romanum penetrarit? II. 59
Hoffmannus (*Io. Guil.*) laudatus. II. 43. *
Homberg (*Io. Frid.*) *zum Vach* novam versionem Nouellarum e Graeco textu adornauit. I. 398. *
Honor fundamentum iuris edicendi. I. 61. * 53
Honorarium ius quodnam, et cur ita dictum? I. 61. *
Honorati vel honore vsi quinam Romae dicti? *ibid.*
Honores patriciis extorti. I. 37. *
Hostilii, regis Rom. leges. I. 9
Hotomannus (*Franc.*) IC. humanior. I. 425
Hoverus, comes de Valckenstein, quando vixerit? II. 74. 78. eius suasu ius Saxonicum scriptum. *ibid.*
Huberi (*Vlrici*) Eunomia laudata. I. 400. *

Hugo

Source : BIU Cujas

Hugo de Porta Rauennate, IC. Bononienſis. I. 416
Hugolinus (*Iacobus*) ICtus Bononienſis. I. 416. libros Feudorum Nouellis, tamquam collationem decimam, adiecit. I. 421
Hypothecam tacitam in bonis tutoris conceſſit Conſtantinus M. I. 354. in aedibus refectis illi, qui ad id pecuniam credidit, Antoninus. I. 300

I.

IAnus bifrons in Atiliorum denariis conſpicitur. I. 125. *
Iaſon Magnus IC. I. 422
Iauolenus (*Priſcus*) IC. I. 286. eius aetas et honores. I. 287. ſenex dubiae ſanitatis fuiſſe dicitur. *ibid.* * eius ſcripta. I. 288
Imperatores Germanici, cur ICtis fauerint? II. 59. iura patria ſeruari iubent. II. 71. cum ordinibus imperii nouas leges condunt. II. 72
Imperia non vno tempore ad ſummum faſtigium perueniunt. I. 159. *
Imperium magiſtratuum an fundamentum iuris edicendi? I. 61. *
Indigitamenta quales libri? I. 209. *
Ingolſtadienſis academia ad exemplum Viennenſis et Bononienſis inſtituta. II. 95. *
Iniuriae. De iis leges tulit Ser. Tullius. I. 10. *
Innocentii PP. II. collectio Decretorum. II. 62. *
Innocentius IC. I. 280. *
Inſcriptionum feſtiuitates in libris ICtorum. I. 312
Inſtitutionum Iuſtiniani compoſitio. I. 393. illae ex Caii potiſſimum Inſtitutionibus deſumtae. *ibid.* earum publicatio. *ibid.* paraphraſis Theophili. I. 402
Interpretatio iuris penes ICtos. I. 50
Interreges. I. 57
Iouianus imp. quid in iure mutarit? I. 375
Irnerius ius Rom. et Latinas litteras Bononiae docuit. I. 413. * 414. ius Rom. Conſtantinopoli didiciſſe fertur. I. 407. * eius diſcipuli. I. 416
Italia. In ea ius Iuſtinianeum floruit. I. 412. etiam ſub Langobardis et Francis. *ibid.* ea etiamnum leges ſeruat Langobardicas. II. 26
Iubere populus vel plebs dicebatur. I. 39. *
Iudaeis parum aequus Conſtantius A. I. 373. *
Iudex Romanus dictus iuridicus Alexandriae et Aegypti. I. 177. *
Iudices a ſententia ICtorum recedere non oportebat. I. 178. *vid.* Reſponſa prudentum.
Iuliae Domnae doctrinam exhibuit Menagius. I. 328. *
Iulianorum ſtemma. I. 289. *
Iulianus Anteceſſor Conſtantinop. Nouellas Latine vertit. I. 404
Iulianus Apoſtata imp. quid conſtituerit? I. 374. eius pleraeque conſtitutiones in Codicem Theodoſianum relatae. *ibid.* miſera ſub eo iuris prudentiae conditio. I. 375
Iulianus (*Didius*) imp. quinam ſub eo ſtatus iuris? I. 304. an edicti perpe-

Source : BIU Cujas

perpetui auctor. I. 268. ad eum rescripsit Marcus imp. I. 305
Iulianus (*Saluius*) IC. I. 269. edicti perpetui conditor. I. 270. auctor edicti de coniungendis cum emancipato liberis eius. *ibid.* in quonam constiterit eius opera? I. 271. eius scripta. I. 290
Iulius Aquila IC. I. 360
Iulius Paullus. vid. *Paullus.*
Iunius Brutus. vid. *Brutus.*
Iura a ICtis per interpretationem inuecta. I. 50. ea docendi methodus. I. 156
Iureconsulti Graeci. I. 407
Iureconsulti humaniores. I. 425. isti non omnes operae pretium fecerunt. I. 426
Iureconsulti Romani cur iuris conditores dicti? I. 50. eorum disputationes fori ad aedem Apollinis. I. 51. eorum auctoritas libera rep. I. 52. quinam scriptis illustrare iurisprudentiam coeperint? I. 53. in edictum praetoris commentati sunt. I. 74. eorum vitae a quibus descriptae? I. 112. iudicium de illis. *ibid.* * veteres plerique Stoici. I. 155. in foro obambularunt. I. 157. ad eorum aedes consulentium concursus. *ibid.* quibusdam tantum ab Augusto facultas de iure respondendi concessa. I. 178. omnes promiscue eam recuperarunt sub Hadriano. I. 280. inter eos, quorum scripta in foro allegabantur, praecipua auctoritas Papiniani. I. 378. quando veterum ICtorum oracula obmutuerint? I. 351. nulli plane alicuius nominis sub Iuliano. I. 375. in aulis et foris principum Germ. saec. XIII. et sequ. dominati. II. 59. 60. 98
Iureconsultis parum fauent Diocletianus et Maximianus. I. 353. itemque Fridricus III. imp. II. 97. 100. ii tamen saec. XV. in aulis imperatorum, II. 60. et principum. *ibid.* et II. 98. in ciuitatibus syndici facti. *ibid.*
Iuridicus Alexandriae. I. 156. et aliarum ciuitatum. *ibid.* *
Iuris prudentia heurematica a C. Aquillio Gallo exculta, I. 147. itemque a Modestino. I. 350
Iuris prudentiam patres sibi vindicabant obtentu iuris patronatus. I. 44. eam publice professus est Tib. Coruncanius. I. 33. quomodo docuerint veteres. I. 156. eius magna moles ante Iustinianum. I. 376. * libertorum artificium esse coepit sub Iuliano. I. 375. illi male consuluit Theodosius II. I. 378. * ab ea ipsi principes laudati. II. 60
Ius Aelianum. I. 49. 124
Ius Albinagii Caroli M. tempore viguit. II. 37. *
Ius Austriacum. II. 84
Ius Bauaricum. *ibid.*
Ius Canonicum. Eius origo in Germania. II. 50. illud omnibus gentibus obtrudere voluit pontifex. II. 62. ad illud prouocatur saec. XII. et sequ. II. 64. *seq.*
Ius ciuile stricte dictum. I. 52. clam habitum. *ibid.* professus est Tib. Coruncanius. I. 53
Ius ciuitatis cum omnibus in orbe Rom.

Source : BIU Cujas

Rom. ingenuis communicauit Caracalla. I. 323
Ius commenticium. I. 52
Ius connubii patriciis extortum. I. 37. *
Ius consensu populi receptum. I. 52
Ius Culmense. II. 90
Ius feudale Langobardicum a quonam compilatum, atque Corpori iuris adiectum? I. 421. Saxonicum. II. 77. Sueuicum vel Alamannicum. II. 83
Ius Flauianum. I. 48
Ius Germanicum. De isto conservando laborarunt Germani. II. 70. *seq. vid.* Leges Germanicae.
Ius honorarium. I. 61
Ius incertum idem, quod non scriptum. I. 2. et 14
Ius Iustinianeum post Iustinianum in oriente semper floruit. I. 406. an capta Constantinopoli plane exoleuerit? I. 409. etiam a Turcis in subsidium adhibetur. *ibid.* in Italia et Africa floruit. I. 412. non in reliquo occidente. I. 411. in Italia et sub Langobardis auctoritatem retinuit. I. 412. *seq.*
Ius nauticum Hamburgense. II. 93. * Hanseaticum. II. 93. Wisbyense. *ibid.*
Ius non scriptum Romae aeque, ac in omnibus ciuitatibus antiquissimum. I. 2. cur eius Romanos pertaesum sit? I. 45
Ius Papirianum. I. 16. 17
Ius praediatorium. I. 190. *
Ius prouinciale Austriacum. II. 84. Bauaricum. *ibid.* Saxonicum, eiusque auctor et editiones. II. 73. *seqq.* Sueuicum. II. 80. *seq.* Tirolense. II. 84
Ius receptum quid veteribus? I. 51
Ius repraesentationis sub Ottonibus duello probatum. II. 48. illud alibi sero admodum, alibi plane non receptum. *ibid.* * illud publica lege imperii stabilitum. II. 104. protestante tamen Saxone. *ibid.*
Ius Romanum vsum habuit in oriente. I. 407. eius restitutio sub Lothario III. I. 413. methodus illud docendi interpretandique medio aeuo. I. 423. eius vsus inter Wisigothos, Ostrogothos, Francos, Burgundiones. II. 15. *seqq.* Langobardos. I. 412. in Gallia et Germania sub Carolingis. II. 44. illud in Capitularibus vocatur legum humanarum mater. *ibid.* * eius vsus sub Saxonicis imperatoribus. II. 45. 49. ad illud prouocat sub Henrico IIII. Vercellensis episcopus. II. 54. a Lotharii III. maxime temporibus in Germania inualuit. II. 55. ante Lotharium in Italia eius vsus superfuit. *ibid.* * immo in vniuersa fere Europa cultiore. II. 56. ad illud prouocatum saec. XII. II. 63. 64. saec. XIII. II. 65. *seq.* saec. XIIII. II. 68. cur ei pretium aliquod statuerint Germani? II. 60. illud in iudiciis ac foris obseruari iubent imp. et ordines imp. II. 99. de eo abolendo cogitant ordines imp. II. 100. saec. XV. tamquam subsidiarium receptum. II. 106. a plerisque prouinciis adoptatum. II. 109. *sequ.* eius incrementa adiuvit

Source : BIU Cujas

vit reformatio. II. 113. quando in Anglia receptum? II. 57. itemque in Gallia? II. 58. in Burgundia et Hiſpania? II. 59. in Germania vt ius commune commendatur. II. 99. 101. de eius vſu regulae. II. 115
Ius Saxonicum in pleriſque prouinciis abrogatum. II. 110. *vid.* Speculum Saxonicum.
Ius ſcriptum Romani aeque, ac aliae gentes initio nullum habuerunt. I. 2. * vti nec Germani. II. 1
Ius Sueuicum. *vid.* Speculum Suevicum.
Ius vitae et necis dominorum in ſeruos ſub Auguſto imminutum. I. 174
Ius Weichbildicum Saxonicum. II. 77
Ius Wisbyenſe. II. 93
Iuſtinianea prima. I. 385
Iuſtiniani noui vel Iuſtinianiſtae. I. 394. *
Iuſtinianus imp. res eius praeclare geſtae. I. 383. eius familia et ſtemma. *ibid.* * patria. I. 385. merita in eum. *ibid.* quomodo et quando ad imperium peruenerit? I. 386. conſilium eius de iure in ordinem redigendo. I. 387. quibus viris hanc prouinciam demandarit? I. 387. anceps eius fama. I. 384. nullam praeter Berytenſem, Romanam, et Conſtantinopolitanam ſcholam iuridicam aperire iuſſit. I. 387
Iuuentius (*Caius*) IC. I. 149
Iuuentius Celſus. vid. *Celſus.*

K.

K Littera calumniatorum fronti inuſta. I. 107. *
Καλῶς ἔχει formula edictalis. I. 66. *
Kortii (*Gottl.*) Vindiciae praetoris Rom. expenſae. I. 70. *

L.

L*Abeo* (*Antiſtius*) aemulus Ateii Capitonis. I. 179. Auguſtus eum ſibi conciliare ſtuduit. I. 179. ille in iure nouator fuit. I. 195. * eius ſcripta. I. 31. 74. 181. quinam ad eum notarint? I. 181. * eius bonarum artium ſtudium. I. 182
Labeones plures memorantur. I. 182. *
Lacedaemoniorum leges an Romani in XII. tabulas adſciuerint? I. 24. 28
Laelius Felix ICtus. I. 266. ad Q. Mucium notauit. *ibid.*
Λάμπρα dicta toga candidatorum. I. 103. *
Langobardi regnum in Italia conſtituerunt. I. 412. ius Romanum victis Italis reliquerunt. *ibid.* eorum leges. II. 26. 27. iſtarum noua collectio Muratorii laudata. II. 28
Latinam linguam tranſlata etiam Conſtantinopolim imperii ſede ſeruare voluit Conſtantinus M. I. 401. * eius fata in oriente. *ibid.*
Layenſpiegel. II. 105. *
Legati in Graeciam miſſi ad leges petendas. I. 24
Legationes in Germania ſaepius obierunt

Source : BIU Cujas

ierunt doctores iuris. II. 98
Lege agere. I. 43
Leges plurimae corrupta re publica. I. 36. *
Leges a regibus flagitauit populus. I. 5. eae libertatis argumentum. I. 5. *
Leges Augusti temporibus adhuc vetere ritu latae. I. 163. item, licet rarius, sub Tiberio. I. 200
Leges curiatae. I. 7. *
quamdiu obtinuerint? *ibid.*
Leges XII. tabularum ex quibus legibus compilatae. I. 24. 25. 28. earum historia. I. 24. vsus. I. 29. interpretes. I. 31. quarumdam abrogatio lege Aebutia. I. 30. earum interitus. I. 32. restitutio. I. 33. ordo. *ibid. seq.* vtilitas. I. 35. an ab iis auspicanda iuris prudentia? *ibid.*
Leges Germanorum extra Germaniam latae ius Romanum redolent. II. 14. omnes veterum consuetudinum a Tacito descriptarum vestigia seruant. II. 30. 31. sub Carolingis valuerunt. II. 41. sub Saxonicis imperatoribus. II. 45. sub Franconicis. II. 51. seruari iubentur saec. XIII. II. 72. et hinc in scripturam redigi coeperunt. II. 73. non abolitae recepto iure Romano. II. 107
Leges Numae. I. 9. *seq.* in vsum reuocatae ab Anco Marcio. I. 9. nec non a Seruio Tullio. I. 10
Leges prouinciales Germanorum. II. 114
Leges prouinciis a Romanis praescriptae. I. 79. earum supplementum edicta prouincialia. *ibid.*
Leges regiae. I. 6. *sequ.* earum indoles. I. 12. cur plane exoleuerint regibus exactis? I. 15. in XII. tabulas migrarunt. I. 15. 28. sub coss. adhuc pro more valuere. *ib.*
Leges Romanorum. Auctores qui de iis scripserunt. I. 84. *
Leges Romuli. I. 8. in vsum reuocatae a Ser. Tullio. I. 10. * in XII. tabulas translatae. I. 28
Leges sacratae. I. 19. *
Leges Seruii Tullii. I. 10. *
Leges Tulli Hostilii. I. 9
Legis actiones quid? I. 43. 45. earum origo. I. 44. 92
Legitimi principes opponuntur tyrannis. I. 379. *
Leo imp. Basilica perfecit. I. 405. eius Nouellae. *ibid.* *
Leontius iuris peritus in schola Constantinopolitana. I. 381
Leunclauii (*Io.*) Ius Graeco-Romanum. I. 407

LEGVM ROMANARVM RECENSIO.

Lex Acilia Calpurnia de ambitu I. 86
Aebutia de quibusdam XII. tabularum capitibus abrogandis. I. 30
Aelia apud Ciceronem. I. 49. **
Aelia Sentia. I. 166
Aemilia cibaria. I. 86
Agraria Neruae. I. 249
Agrariae. I. 37
Apuleia maiestatis. I. 86
Aquilia de damno iniuria dato. I. 87
Ateria Tarpeia. I. 21
Atilia de tutelis. I. 88

Lex

Source : BIU Cujas

Lex Atinia de vsucapione rerum furtiuarum. I. 89
Aufidia de ambitu. I. 90
Baebia Aemilia de ambitu. *ibid.*
Baebia Cornelia de ambitu. *ibid.*
Calpurnia repetundarum. I. 91
Canulcia. I. 37. *
Cincia de donis et muneribus. I. 91. ea abolita a Tiberio, et a Nerone reuocata. I. 121. * 122
Claudia de tutela mulierum. I. 217
Cornelia Fuluia de ambitu. I. 92
Cornelia de edictis perpetuis. I. 73. eius occasio. *ibid.* ea etiam ad edicta prouincialia prorogata. I. 83
Cornelia de falsis. I. 92
Corneliae de iniuriis, de limitibus, de lusu et sponsionibus, maiestatis, de parricidiis, de sicariis, I. 92. de testamentis. *ibid.*
Didia sumtuaria. I. 93
Duillia Maenia de foenoribus. *ibid.*
Fabia de ambitu vel numero sectatorum. I. 96
Fabia de re agraria et limitibus. I. 94
Fabia de plagiariis. *ibid.*
Falcidia de legatis. I. 165
Fannia sumtuaria. I. 94
Furia testamentaria. I. 34. 94
Fusia Caninia de manumissionibus. I. 166
Genucia de foenore. I. 95
Horatia de plebiscitis. I. 39
Hortensia de iisdem. I. 41
Hostilia de furtis. I. 95
Iulia de adulteriis. I. 164. in vsum reuocata a Seuero. I. 322
Iulia maiestatis. I. 97
Iulia de caede et veneficio. I. 167
Iulia de maritandis ordinibus. I. 166
Lex Iulia repetundarum. I. 97
Iulia de vi. I. 96
Iulia de foenore. I. 98
Iulia et Titia de tutelis. I. 164
Iunia Norbana. I. 197
Iunia Velleia. I. 167. 172. * eadem de liberorum institutione cauit. I. 174. *
Laetoria. I. 99
Licinia Cornelia sumtuaria. I. 100
Licinia de foenore de capite deducendo. I. 99
Luctatia de vi. I. 100
Maenia. I. 111. *
Mamilia de finibus agrorum. I. 101
Manlia de vicesima. *ibid.*
Maria de ambitu. *ibid.*
Ogulnia. I. 37. *
Oppia de cultu mulierum. I. 102
Orchia de numero conuiuarum. *ib.*
Papia Poppaea. I. 166. circa eam quaedam mutauit Seuerus imperator. I. 322
Pinaria de ambitu. I. 103
Plautia de vi. I. 96. * 103
Poetelia de ambitu. I. 104
Poetelia Papiria de obaeratis. *ibid.*
Pompeia de vi et de ambitu. I. 105
Pompeia de parricidiis. I. 106
Pompeia de repetundis. *ibid.*
Publicia de lusu et sponsionibus. I. 107
Publilia de plebiscitis. I. 40. 107
Quinctia de aquaeductibus. I. 165
Regia, qua in imperatores summa potestas collata. I. 169
Remmia de calumniatoribus. I. 107
Rhodia de rebus nauticis. I. 296. de ea Antonini Pii rescriptum. I. 295. quid de hac lege sentiendum?

Source : BIU Cujas

dum? I. 296. an hodie exstet? *ibid.* ei praemissa auctoritas haud genuina. *ibid.* legis Rhodiae caput de iactu tantum receptum. I. 297. ad eam Volusius Maecianus scripsit. I. 316
Lex Romana quid medio aeuo? I. 411. * II. 15
Scantinia de nefanda Venere. I. 108
Scribonia de vsucapione. *ibid.* I. 167
Seruilia de adulteriis, stupris, nec non de repetundis. I. 109
Sextia. I. 37. *
Terentilla de legibus scribendis. I. 22
Titia de lusu et sponsionibus. I. 110
Tullia de ambitu. *ibid.*
Vectibulici. I. 253. ea ad prouincias prolata. I. 284
Visellia de libertinis. I. 167. & 197. *
Voconia de mulierum hereditatibus & legatis. I. 110

LEGVM GERMANICARVM RECENSIO.

Lex Alamannica. II. 23
Angliorum. II. 12
Baiuuariorum. II. 24. ad eam capitula. II. 37
Boëmica. II. 85. *
Brabantinorum. *ibid.*
Burgundionum. II. 10
Cimbrica. II. 85
Danorum. *ibid.*
Frisica. II. 25
Gundobada. II. 10
Langobardica. II. 26. ad eam glossae. II. 27. et capitula. II. 37
Normannica. II. 85
Lex Ostrogothorum. II. 11
Ripuaria. II. 9
Salica quando lata? II. 7. * qua lingua? *ibid.* quorum auspiciis? II. 8. ea adhuc sub Zuenteboldo, rege Lotharingiae, valuit. II. 41. ad eam prouocatum sub Henrico I. et II. II. 45. * nec non saec. XI II. 51. an illa Alamannis data? II. 23. * ad eam capitula. II. 37
Saxonum. II. 33. *seq.*
Scanorum. II. 85. *
Suecorum municipalis. *ibid.*
Theodoriciana. II. 18
Vplandica. II. 85. *
Werinorum. II. 12
Wisigothorum. II. 11
Libellus SCto praemitti solitus. I. 200. *
Liberi aut instituendi, aut nominatim exheredandi. I. 174
Liberi tollendi ex lege Romuli. I. 8. *
Libertatem conscientiae stabiliuit Valens imp. I. 376
Libertini ciuitate donati a Seruio Tullio. I. 10. *
Libertorum artificium iuris prudentia. I. 376
Licinius. vid. *Rufinus.*
Limitare iter. I. 101. *
Lites breuiores reddere studuit Vespasianus. I. 236. earum ambages ex iure Romano metuerunt Germani. II. 87
Litteris initio caruerunt Germani. II. 1. eas primus inuenit Vlphilas. *ibid.* *
Liuius (Caius) Mamilianus Drusus IC. I. 133

Loriot-

Source : BIU Cujas

Loriottus (*Petrus*) IC. humanior. I. 425. * eius fata Lipsiae. *ibid.*
Lotharii I. imp. Collectio Capitularium. II. 40
Lotharius III. imp. restituisse ius Rom. dicitur. I. 413. ius Romanum introduxisse in scholas et fora dicitur. *ibid.* * magna sub eo iuris Germanici commutatio. II. 55
Lubecam prouocarunt vrbes iuris Lubecensis. II. 86. *
Lucillius (*Lucius*) *Balbus* IC. I. 149
Ludewigii Iustinianus laudatus. I. 384
Luneburgensis ducatus ius Romanum adoptauit. II. 111
Lustrum vltimum sub Vespasiano conditum, ex interuallo sub Decio. I. 236
Lycurgus leges a Cretensibus petiit. I. 28. *
Lytae quinam dicti? I. 394

M.

Macer (*Aemilius*) IC. I. 348. non is auctor ὁρνιθογονίας videtur. *ibid.* *
Macrinus (*Opilius*) imp. omnia rescripta tollere statuit. I. 324
Maecianus (*Volusius*) IC. I. 315. eius secta et scripta. I. 316. Marci Antonini praeceptor. I. 298. * 316. eius de asse liber. I. 316
Magdeburgum prouocarunt Poloni et Boëmi, itemque Helmstadienses. II. 86. *
Magistratus Rom. immorigeros pro sua quisque iurisdictione puniebat. I. 21. *sequ.* apud quosdam erat legis actio. I. 45. * initio pauci. I. 54. postea aucti. *ibid.* extraordinarii et ordinarii, maiores et minores. I. 57. 58. plerique edicta proposuerunt. I. 61. sub Augusto eadem magistratuum vocabula, nihil prisci moris. I. 162. noui ab Augusto instituti. I. 175
Manilius (*Manius*) IC. I. 138. eius libri. I. 139
Manliana imperia. I. 127. *
Manlius (*Titus*) *Torquatus* IC. I. 127. eius in filium seueritas. *ibid.*
Manumissio per censum lustralem sub Vespasiano exoleuit. I. 236. in SS. ecclesiis a Constantino M. inuenta. *ibid.* * aliae eius species. *ibid.* * per denarii iactum ex lege Salica facta sub Zuentebaldo, rege. II. 41
Manus regia. I. 4. *
Marcellus (*Vlpius*) IC. I. 319. temperantia et vigilantia clarus. I. 319. * Proculeianorum sectae addictus. I. 320
Marchia Brandenburgica repudiato iure Saxonico ciuili se submisit. II. 110
Marcianus (*Aelius*) IC. I. 345
Marcius (*Caius*) *Figulus* IC. I. 128. eum pro Marcello habuit Iac. Curtius. I. 320
Marculfi formulae. II. 32
Marcus imperator. vid. *Antoninus.*
Martinus Grosias IC. Bononiensis. I. 416
Masurius Sabinus IC. I. 198. 206. eius modicae facultates. I. 207. scripta. I. 208. 209
Mathematici vrbe pulsi a Vitellio imp. I. 232

Source : BIU Cujas

Mauricianus (*Iunius*) IC. I. 309
Maximianus et *Diocletianus* impp. ius variis conſtitutionibus locupletarunt. I. 353
Maximiliani I. leges ad ius ciuile attemperatae. II. 102
Maximini imp. conſtitutiones. I. 327
Maximus (*P. Cornelius*) IC. I. 143
Maximus imp. nihil noui conſtituit. I. 327
Maynus (*Iaſon*) IC. I. 422
Meclenburgenſis ducatus ius Rom. adoptauit. II. 112
Meiſtere dicti honoribus academicis inſigniti. II. 98. *
Memoria damnata. I. 212. *
Menander (*Arrius*) IC. I. 334
Meretrices vſu lecticae prohibuit, legatiſque priuauit Domitianus. I. 238
Merillius (*Emundus*) notatus. I. 88. *
Meſſala in XII. tabulas ſcripſit. I. 32
Methodus iura docendi vetus. I. 156. medii aeui. I. 423
Μεθόρια, limitare iter. I. 101. *
Migrationes gentium Germanicarum. II. 6
Mincuccius (*Anton.*) *de Prato Vetere.* I. 424
Minorum bona. *vid.* pupillorum.
Minucius Natalis IC. I. 264. eius libros illuſtrauit Iulianus. *ibid.*
Modeſtini, (*Herennii*) IC. elogium. I. 349. ſcripta. I. 350. multa in iure Graece ſcripſit. I. 349. praeceptor ille Maximini. *ibid.* an is auctor periocharum Virgilianarum? I. 350. ad Q. Mucium notauit. I. 145
Moenia ſancta ex lege Romuli. I. 8. *
Monſtroſus partus exponendus ex lege Romuli. *ibid.* *
Muciana cautio. I. 145
Muciorum ſtemma. I. 134. *
Mucius (*Publ.*) *Scaeuola* IC. I. 134. eius ſcripta. I. 135
Mucius (*Quintus*) *Scaeuola* Augur, IC. I. 140
Mucius (*Quintus*) *Scaeuola* pontifex max. IC. I. 144. eius libri. I. 145. quinam ad eum notarint? *ibid.* pauca tantum ex eius ſcriptis fragmenta in ius noſtrum tranſtulit Tribonianus. *ibid.* *
Mucius (*Quintus*) IC. I. 122. legatus iuiſſe Carthaginem falſo dicitur. I. 122
Mulcta. De eius modo lex Ateria Tarpeia. I. 21
Municipia olim ſeruos manumittere non poterant. I. 253. *
Muretus (*M. Anton.*) in iure docendo Seluaghio poſthabitus. I. 425. * eius de gloſſatoribus iudicium. I. 422. *

N.

NAeui, quos in Corpore iuris Iuſtinianeo obſeruant. I. 399
Natalis (*Minucius*) vid. *Minucius.*
Nauim aedificare ſenatori prohibitum. I. 216. *
Necti ciues ob aes alienum vetuit Seruius Tullius. I. 10. * itemque lex Poetelia Papiria. I. 104
Neratius (*Priſcus*) vel *Proculus* IC. I. 259. eius ſcripta. I. 260
Nero imp. quid in iure mutarit? I. 221. SCta, quae ei tribuuntur,

Source : BIU Cujas

tur, pleraque ad alia tempora pertinent. I. 222
Nerua (*M. Cocceius*) pater, IC. I. 210
Nerua (*M. Cocceius*) filius, ICtus. I. 231. adoleſcens de iure reſponſitauit. *ibid.* Proculeianorum ſectae addictus. *ib.* eius ſcripta. *ib.*
Nerua (*M. Cocceius*) imp. praetorem fiſcalem inſtituit. I. 249. iura varia ab eo conſtituta. *ibid.*
Neruarum ſtemma. I. 210. *
Noordkerkius notatus. I. 197. * 253. *
Notae, quas Sex. Aelius diuulgavit, non ſiglae, ſed ſigna fuerunt. I. 49. * per notas ſcribi vetuit Iuſtinianus. I. 392
Notarii, de iis Maximiliani conſtitutio. II. 103
Notarii olim dicti, qui notis ſcribebant. I. 49. *
Nouellae Theodoſii II. Valentiniani III. Marciani, Maioriani. I. 380. Iuſtiniani. I. 397. earum pleraeque Graece ſcriptae. *ibid.* collectio et verſio earum Latina. I. 398. earum in VIIII. collationes diuiſio. I. 398. 419. quaenam verſio in foro obtineat? I. 398. * verſio Iuliani Anteceſſoris. I. 404. noua verſio ex Graeco Hombergii zum Vach. I. 398. Leonis an in Graecia vmquam in vſu fuerit? I. 405. *
Nouitii vexati in Berytenſi ſchola. I. 363
Numae Pompilii regis leges. I. 9. *
Numeratum quid in lege Iulia de foenore? I. 98. *
Numeriani imp. conſtitutiones. I. 352. *
Nuptiales leges Romuli. I. 8. * *ſeq.*
Nuruum in ſoceros ſaeuitia lege Romuli coercita. I. 8. *

O.

Occidens. In eo maior erat Codicis Theodoſiani, quam Iuſtinianei auctoritas. I. 410
Octaueni ICti aetas et ſcripta. I. 247
Ofilius (*C. Aulus*) IC. I. 186. eius vxor Clodia quindecies enixa dicitur. *ibid.* edictum praetoris illuſtrauit. I. 74. I. 186. * an Iulii Caeſaris iuſſu edictum perpetuum ſcripſerit. I. 186. *
Opificiis Romulus ciuibus interdixit. I. 8. *
Oratio principis pro ipſo SCto. I. 200. * SCto praecedere ſolebat. I. 200. ab Hadriano edicto perpetuo praemiſſa. I. 272
Orationes Diuorum fratrum de ſatiſdatione tutorum. I. 299. variae D. Marci. I. 299. *ſequ.* Marci et Commodi. *ibid. et* 302. *ſequ.* Seueri et Commodi nulla exſtant. *ibid.* Pertinacis de teſtamentis. I. 305
Orbis Romanus in IIII. dioeceſes diuiſus a Conſtantino M. I. 365
Ordinatio iudicii camaralis. II. 102. iudicii aulici. II. 108. * de notariis. II. 103
Oſtrogothorum reges imperatoris Rom. maieſtatem venerati ſunt. II. 13. * eorum lex ſeu edictum Theodorici. II. 11. prouincialibus vſum iuris Rom. conceſſerunt. II. 16
Otho imp. nihil noui in iure conſtituit. I. 232

Source : BIU Cujas

Ottonis IIII. imp. conſtitutiones. II. 72
Ottonum I. II. et III. leges et conſtitutiones. II. 48. iſti ad legem Saxonicam prouocant. II. 45

P.

Actumeius Clemens IC. I. 335
Pacuuius (*C. Ateius*) IC. I. 187
Paetorum ſtemma. I. 239. *
Paetus (*P. Aelius*) IC. I. 123
Paganas ſuperſtitiones legibus euerterunt imperatores Chriſtiani. I. 374
Palea quid canoniſtis. II. 61
Pancirolus notatus. I. 359. * 367. *
Pandectae quando compoſitae? I. 391. ratio denominationis. *ibid.* inſcriptio admodum familiaris ICtis. I. 391. ordo in iis obſeruatus. I. 392. Graece verſae a Thalelaeo et aliis. I. 403. an perierint? I. 413. Amalphi repertae occaſionem reſtitutioni iuris ciuilis dederunt. I. 413. earum diuiſio in Digeſtum vetus, infortiatum, et nouum. I. 419. textus Graecos quis Latine verterit? *ibid.*
Papiani Reſponſorum liber. II. 17. auſpiciis compoſitus videtur Gundebaldi regis. *ibid.* * in eo ſeruatus ordo legis Burgundicae. *ibid.*
Papinianiſtae quinam dicti? I. 329. * 394. *
Papiniani (*Aemilii*) origo. I. 328. doctrina et elogia. I. 329. auctoritas. I. 329. * nulli ſectae addictus. *ibid.* eius honores et ſcripta. I. 330. in libris ſuis ſaepe variauit. I. 330. * auctoritas eius in foro. I. 378. mors. I. 331. eius conſiliis Seuerus imp. vſus eſt. I. 321
Papirius (*Caius*) pontifex, iuris Papiriani auctor. I. 16. 113
Papirius Fronto IC. I. 335
Papirius Iuſtus IC. I. 309
Papirius (*Sex.*) IC. I. 149
Paratitla tantum in *Pandectas* ſcribi permiſit Iuſtinianus. I. 392. *
Parricida ex legibus Numae quiſquis hominem occiderat. I. 9. * eius poena. *ibid.*
Partitae Hiſpanorum leges ius Romanum admixtum habent. II. 59. earum auctor. *ibid.*
Paternus (*Tarunteius*) vid. *Tarunteius.*
Patria poteſtas. De ea lex Romuli. I. 8. * Numae. I. 9. * quomodo illa moribus recepta? I. 15. * imminuta ſub Auguſto. I. 174. *
Patricios inter et plebeios aemulatio. I. 37. iis tribuni plebis reſiſtunt. *ibid.*
Patronorum officium erga clientes. I. 8. *
Paulli (*Iulii*) patria et honores. I. 341. iuris prudentia. I. 342. ſubtilitas. *ibid.* is Elagabali ſocer. I. 341. * Papiniani et Vlpiani aemulus. I. 342. πολύγραφος. I. 343. eius ſcripta. *ibid.* Receptae eius ſententiae in occidente in vſu fuerunt. I. 410
Paullus Virginius an ICtus fuerit. I. 141
Pax publica. II. 72

Pecu-

Source : BIU Cujas

Pecuniam primus Romae Seruius Tullius signauit. I. 21. *
Pedius (*Sex.*) ICtus. I. 335
Pegasus ICtus. Eius vita et honores. I. 242. schola et scripta. I. 243. an eius dogmata in schola Berytensi proposita? I. 243
Pellicatus. De eo lex Numae. I. 9. *
Pepo ante Irnerium ius Bononiae docuit. I. 414. de eo iudicium. I. 415. *
Perpetuum saepe pro continuo. I. 72. *
Perscriptum in lege Iulia de foenore quid? I. 98. *
Pertinax (*Heluius*) imp. quid novi constituerit? I. 304. *seq.*
Pfaffen saec. XV. dicti syndici ciuitatum. II. 98. *
Philippi Arabis constitutiones. I. 327. an Christianus? *ibid.* *
Philosophi a Domitiano vrbe pulsi. I. 239
Pisces, quinam ad polluctum emendi ex lege Numae. I. 9. *
Pitenius (*Petrus*) oeconomiam edicti perpetui ostendere conatus est. I. 276
Pithoei fratres ICti humaniores. I. 425
Placentinus IC. ius ciuile in Galliam intulit. I. 415. 417. II. 58
Plagium poena nummaria coërcuit lex Fabia. I. 93. *
Plancius (*Marcus*) *Varus*, a quo SCta Planciana, IC. I. 234
Plautii celebres fuerunt sub Claudio et Nerone. I. 246. *
Plautius IC. I. 246. ad eius libros Neratius, Iauolenus, Pomponius, et Paullus notas scripserunt. *ibid.*
Plebis cum patriciis certamina, I. 36. secessio in montem sacrum, I. 19. 39. in Ianiculum. I. 41
Plebiscita: eorum origo. I. 20. iis pleraeque praerogatiuae patribus extortae. I. 37. vim legum acceperunt. I. 38. * leges dicta. I. 42. an illa vnum tantum nomen ferant? *ibid.* * etiam sub Augusto condita. I. 165. *
Pluris petitionis rigor mitigatus. I. 382
Pomerania ius Romanum adoptavit. II. 112
Pompeius (*Sex.*) IC. I. 141
Pomponii (*Sex.*) ICti aetas. I. 310. eius philosophia et secta, I. 311. et scripta. I. 312. an duo huius nominis? I. 311. ei *l.* 2. *D. de orig. iur.* frustra abiudicatur. I. 6. *
Pontifices legis actiones inuenerunt. I. 44. formulas et fastos clam habuerunt. I. 46
Pontifices maximi edicta proposuerunt. I. 61. hoc sacerdotium et Augustus, et reliqui principes susceperunt. I. 162. *
Pontificum Romanorum ambitio aucta a Constantino M. I. 365
Populiscitum idem, ac lex. I. 20
Populi vocabulo se comprehendi negabant. I. 40
Populus fundus factus. I. 79. *
Porcius Cato. vid. *Cato.*
Post consulatum, formula fastorum. I. 395
Postea non semper posterius tempus denotat. I. 172. *
Potestas herilis imminuta sub Augusto. I. 174. *

Source : BIU Cujas

Praediatorium ius. I. 190. *
Praefecturae praetorianae sub Constantino M. I. 365
Praefectus annonae. I. 60. Augustalis Aegypti. I. 177. praetorio sub Augusto institutus. I. 175. eius edictum. I. 63. * 326. sub Tiberio summam potestatem habuit. I. 198. senatores facti. I. 326. quatuor sub Constantino M. I. 365. eius potentiam auxit Severus. I. 326. idem ei XIIII. Romae curatores adiecit. *ibid.* vigilum an fuerit magistratus? I. 60. 175. * vrbi qualis sub regibus et libera republica? I. 57. qualis sub Augusto. I. 57. * 175
Praegnans mortua non nisi ex secto foetu sepelienda ex lege Regia. I. 9. *
Praescriptio quinque pedum. I. 101. *
Praetores fideicommissarii a Claudio instituti. I. 213. ex iis vnum detraxit Titus. I. 237
Praetor fiscalis a Nerua institutus. I. 249. Constantinianus decreti de rebus minorum alienandis interponendi caussa institutus. I. 357
Praetor peregrinus, prouinciarum et quaestionibus qui praeerant. I. 51. *
Praetor tutelaris a M. Antonino institutus. I. 302. vrbanus. I. 51
Praetorum origo. I. 51. numerus. I. 51. 55. vrbanus. I. 55. peregrinus. *ibid.* maior. *ibid.* * an et praesides, et aediles ex praetoribus fuerint? I. 62. * omnes edicta proposuerunt. I. 64. iura vetera edictis suis euerterunt variis artibus. I. 68. *seq.*
Pragensis academia ad exemplum Parisiensis instituta. II. 95. *
Πραγματικαὶ vel πραγματικοὶ τύποι rescripta. I. 324. *
Princeps vocatus Augustus. I. 162. *
Principes legitimi opponuntur tyrannis. I. 379
Principes ab Hadriani temporibus pro lubitu edictis omnia constituerunt. I. 281
Priscus (*Flauius*) IC. I. 187
Priscus (*Iauolenus*) vid. *Iauolenus.*
Priscus Neratius. vid. *Neratius.*
Probi imp. constitutiones. I. 352. *
Proconsulis titulo vsus est Augustus. I. 162. *
Procopii anecdota. I. 384. * de iis iudicium. *ibid.* *
Proculianorum sectae origo. I. 227
Proculi (*Sempronii*) IC. genus, scripta, vita. *ibid.*
Procurator olim non nisi ex lege Hostilia admittebatur. I. 95. *
Professores artium immunitate donauit Constantinus M. I. 354. iuris ciuilis in Burgundia saec. XIIII. II. 68. Viennae eodem saeculo, non Heidelbergae. *ibid.* *vid.* Antecessores.
Prolytae quinam dicti? I. 394. *
Prouinciales leges cur in scripturam redactae apud Germanos? II. 73
Prouinciis leges praescriptae a victoribus Romanis. I. 79. interdum iis propriae leges relictae. *ibid.* *
Prouinciae sua edicta habuerunt. I. 80. eas Augustus cum populo diuisit. I. 176. quinam illis sub Augusto praefuerint? *ibid.*
Prudentes. *vid.* iureconsulti.
Psellus (*Michael*) IC. Graecus. I. 407

Source : BIU Cujas

Publicius Gellius IC. vid. *Gellius.*
Publicorum libros qui scripserint? I. 348. *
Pupillorum et minorum res sine decreto non alienandae. I. 322. eius iuris extensio sub Constantino M. I. 357. eam in rem ab eodem singularis praetor constitutus. I. 357. *
Purpura sacrosancta. I. 337. *
Puteolanus IC. I. 335
Pyleus IC. I. 417

Q.

QUaestionum libri veterum ICtorum. I. 258. *
Quaestorum origo. I. 54. edicta. I. 63. * numerus. I. 54. * candidati libellos et orationes principum in senatu praelegebant. I. 200. horum dignitas summa erat. I. 200. *
Quartinus an collega C. Cassii Longini in consulatu? I. 228. *
Quatuoruiri viarum publicarum curandarum. I. 59
Querela inofficiosi. De ea quid constituerit Constantinus M.? I. 355
Quindecennalibus leges nouae promulgatae. I. 269
Quinque pedum praescriptio. I. 101. *
Quinqueuiri cis et vltra Tiberim. I. 52. mensarii. I. 60. legibus de imperio consulari scribendis. I. 22
Quirites vnde dicti Romani? I. 7. iis patres et plebeii comprehensi. I. 40. * milites ab hoc nomine abhorruerunt. I. 40. *
Quod quisque iuris in alterum statuerit, edicti origo. I. 71. illo post legem Corneliam minus opus fuit. I. 74.

R.

R. Litteram inuenisse dicitur Appius Claudius I. 115. *
Radewizius (*Iac.*) IC. in aula Saxonica saec. XV. clarus. II. 98
Raymundus de Penna-Forti Decretalium collector. II. 69
Ranchinus (*Guil.*) edictum perpetuum restituere conatus est. I. 276
Rauennates (*Petrus* et *Valentinus*) ICti in aulam Pomeranicam saec. XV. acciti. II. 98
Receptum ius. I. 51
Recessus imperii saec. XV. non antiquiores. II. 72. *seq.* ad iura Rom. attemperati. II. 99. vnde mos iis subscribendi ab ordinibus imperii? II. 38. *
Reformatio religionis iuris Rom. incrementa adiuuit. II. 113
Reges. Eorum arbitria gentibus antiquissimis pro lege erant. I. 3. Romani initio manu omnia gubernabant. I. 4. nec tamen παμβασιλεῖς erant. I. 6. * edicta proposuerunt. I. 4. 63. sub iis, quae reipublicae Rom. facies? I. 14. eorum leges in XII. tabulas migrarunt. I. 15. 28. iis eiectis quaenam reipublicae facies? I. 13. *
Reginonis Prumiensis libri II. de disciplina ecclesiastica. II. 50
Regulae Catonianae auctor. I. 132
Religionis libertatem fauore Arrianorum stabiliuit Valens imp. I. 376

Source : BIU Cujas

Repkow (*Epkow de*) auctor Speculi Saxonici, quando et vbi vixerit? II. 73
Reſcribere, id eſt, in ſcriptis reſpondere non ſolebant ICti libera re publica. I. 157
Reſcripta principum abolere ſtatuit Opilius Macrinus. I. 26. 324
Reſpondere de iure vnicuique licuit libera republica. I. 157. non vero in ſcriptis, ſed viua voce. I. 157. * ſub Auguſto certis tantum ICtis. I. 178. promiſcue ſub Hadriano. I. 280
Reſponſa prudentum. De iis conſtitutio Theodoſii II. I. 378
Reſponſa ſub Auguſto et ſcripta dari, et ſignari coeperunt. I. 157. * 180. * non obligabant iudices ante Auguſtum. I. 156. 178
Reſponſitare de iure plus eſt, quam reſpondere. I. 230. *
Res publica Romana: eius forma ſub regibus. I. 6. I. 12. * eiuſdem finis, I. 12. ſub conſulibus, I. 13. * vitium. I. 36. monarchiae faciem non ſub Iulio Caeſare induit. I. 159
Reſtitutiones a praetoribus repertae. I. 62
Rhetores vrbe excedere iuſſit Craſſus cenſor. I. 143
Rhodii populus nauticus et maris dominus. I. 296. * eorum ius nauticum. *vid.* Lex Rhodia.
Riminaldus IC. Bononienſis. I. 422
Ripuaria lex. *vid.* Lex Ripuaria.
Rogare legem dicebatur magiſtratus. I. 39. *
Rogerius Vacarius Summiſta, ius in Angliam intulit. I. 415. 416. II. 57
Roma, Albanorum colonia. I. 1. mores Albanorum retinuit. *ibid.*
Roma eſt, vbi imperator. I. 281. *
Romae ſchola iuridica. I. 381. II. 19. *
Romae curatores XIIII. ab Alexandro Seuero imp. inſtituti. I. 326
Romani peregrinas leges petentes excuſantur. I. 28. *
Romilius (*Titus*) coſ. leges XII. tabularum condi ſuadet. I. 23.
Romulus Graecis legis latoribus antepoſitus. I. 12. eius leges. I. 8. *
Roſtra quando hoc nomen acceperint? I. 26. an in iis propoſitae XII. tabulae? *ibid.*
Rufinus (*Licinius*) IC. I. 347. an auctor collationis legum Moſaicarum et Romanarum? I. 347. *
Runica litteratura. II. 1. *
Rupertus (*Chriſt. Adam.*) Iuſtiniani familiam ſiſtit. I. 383. *
Ruſticorum (*Iuniorum*) ſtemma. I. 239. *
Rutilius (*Maximus*) IC. I. 335.
Rutilius (*Publius*) *Rufus* IC. I. 141. eius ſcripta, I. 142. exſilium. I. 141

S.

S. Littera veteribus pro R. ſaepius vſurpata. I. 115. *
Sabinianorum origo. I. 206. ** eorum ſententias Iulianus edicto perpetuo firmauit. I. 271
Sabinianorum librorum ordinem ICti in ſcriptis ſuis ante edictum perpetuum ſequuti. I. 208
Sabinus (*Coelius*) IC. I. 240. ſcripta eius. *ibid.* ab eo Sabiniani nomen

Source : BIU Cujas

nomen non repetunt. I. 206. *
Sabinus (*Maſurius*) vid. *Maſurius*.
Sacerdotia patriciis extorta. I. 37
Salaminius, prof. Berytenſis. I. 363
Salicetus (*Barthol.*) IC. I. 422
Saluius (*Ariſto*) vid. *Ariſto*.
Saluius Iulianus. vid. *Iulianus*.
Sanguinolentos liberos venumdari permiſit Conſtantinus M. I. 354
Sapientes quinam cognominati? I. 116
Sapientiae ſimulacrum in nummis gentis Sempronіae. I. 116. *
Saturninus (*Claudius*) IC. I. 334
Saturninus (*Quintus*) IC. I. 335
Saturninus (*Venuleius*) IC. I. 347. ſcripta eius. *ibid.*
Saxones quando leges habere coeperint? II. 33. *ſeq.* eorum ſuperſtitionum indiculus. II. 36. * iis leges dedit Haraldus, rex Daniae. II. 34. * de iis capitularia Caroli M. II. 36
Saxonica lex an Carolo M. antiquior? II. 33. non ab Haraldo profecta, *ibid.* aucta tamen ab iſto. II. 46. non integra ad nos peruenit. I. 35. adhuc valuit ſub Ottonibus. II. 45. itemque ſub Conrado II. II. 41. 51
Scabinatus Magdeburgici. Ad eos prouocatum ex Polonia, aliiſque prouinciis. II. 79
Scabini iuris patrii tenaces. II. 86
Scaeuola (*Mucius*) vid. *Mucius*.
Scaeuola (*Ceruidius*) vid. *Ceruidius*.
Scena. Ne quid in eam praeter pomum iaciatur edictum aedilitium. I. 78
Schertzius (*Io. Ge.*) laudatus. II. 81. *
Schlick (*Caſpar*) doctor iuris, trium imperatorum cancellarius. II. 97
Schola iuridica Berytenſis quando inſtituta? I. 361. extra Romam, Conſtantinopolin, et Berytum nulla permittebatur. *ibid.*
Scipio (*P. Corn. Naſica*) vid. *Cornelius*.
Sciſcere legem populus vel plebs dicebatur. I. 39. *
Scythae morum tenaciſſimi. II. 2. *
Sectarum inter ICtos origo. I. 194. earum primi auctores. *ibid.* earum deſcriptio. I. 195
Sempronius Sophus ICtus. I. 116. an hic vxorem repudiarit? I. 117
Senatoribus non licuit nauim aedificare. I. 216. *
Senatus quid curarit libera re publica? I. 111. noua iura SCtis inuehere non poterat ante Caeſarum tempora. *ibid.* ſub Tiberio non amplius dubitatum, an ſenatus ius facere poſſit? I. 199. auctor fieri debebat. I. 111. *
Senatus conſulta de rebus tantum ad ſenatum pertinentibus libera re publica fiebant. I. 111. leges antecedere ſolebant. *ibid.* iis noua iura conſtituta ſub Tiberio. I. 200. iis edicta principum firmata. I. 281. eorum forma ſub Hadriano ex SCto Iuuentiano altero perſpici poteſt. I. 285. *
Senatus conſultum de actione ſubſidiaria aduerſus magiſtratus, I. 254
de aedibus negotiationis cauſſa non diruendis. I. 225. 235
de adpellationibus. I. 284
de agnoſcendo partu. *ibid.*

SCtum

Source : BIU Cujas

SCtum de beneficio Traiani. I. 284.
de edictis praetorum perpetuis. I. 72
edicto perpetuo praemissum. I. 272
de eo, qui se castrandum dedit. I. 284
de fideicommisso seruo cum libertate relicto. *ibid.*
de fructibus hereditatis. *ibid.*
de iure asylorum in municipiis. I. 205. *
de legatis in Graeciam mittendis. I. 23
de lege vectibulici ad prouincias producenda. I. 285
de partu vxoris Romanae. I. 273
de philosophis vrbe pellendis. I. 239
de SCto Apronano ad collegia producendo. I. 301
SCtum Apronianum de legatis et fideicommissis ciuitati relictis. I. 284. *
Articuleianum. I. 253
Aurelianum. I. 202. *sequ.*
Caluitianum siue Caluisianum. I. 223
Claudiana. I. 202. de sexagenariorum nuptiis. I. 215. de re nautica. I. 216. de tutela mulierum, et de feminis amore seruili bacchantibus. I. 217
Dasumianum. I. 252
Hosidianum de aedificiis negotiationis caussa non diruendis. I. 218
Iuncianum. I. 303
Iunianum. I. 239
Iuuentiana duo. I. 285
Largianum. I. 218
Libonianum. I. 201
SCtum Licinianum. I. 203
Macedonianum. I. 219
Memmianum. I. 224
Neronianum. *ibid.*
Orphitianum. I. 301
Pegasianum. I. 234
Peruicianum vel Persicianum. I. 204
Pisonianum. I. 215. * 224
Plancianum. I. 234
Rubellianum. I. 203
Rubrianum. I. 250
Silanianum. I. 171
Statilianum. *ibid.*
Tertullianum. I. 285
Trebellianum. I. 226. *seq.*
Turpillianum. I. 225
Velleianum de adsignandis libertis. I. 218
Velleianum de interceſſione mulierum. I. 172
Vitrasianum. I. 235
Volusiana duo. I. 218. 225. *
Senecae nomen cur non praeferat SC. Trebellianum. I. 226. *
Sepultura intra vrbem prohibita. I. 294
Seruilius IC. I. 263
Serui venales titulum praeferebant. I. 76. *
Seruii Tullii regis leges. I. 10. * eiusdem ciuilitas. *ibid.* primus Romae aes signauit. I. 21. *
Seruii Sulpicii studium iuridicum. I. 150 eius honores. I. 151. et scripta. I. 152. eius auditores. I. 153. in XII. tabulas scripsit. I. 33. nec non in edictum, siue ad Brutum. I. 74. * et ad Q. Mucium. I. 135
Seuerus (*Septimius*) imp. doctus et iuris

Source : BIU Cujas

iuris peritus. I. 321. Papiniani consilio vsus multa praeclare constituit. I. 321. abolere voluit edictum perpetuum, irrito tamen ausu. I. 321. * praefecturam vrbanam ad summam potentiam evexit. I. 322. quaenam circa ius mutarit? *ibid.*
Seuerus (*Valerius*) IC. I. 248
Sidonem translata schola Berytensis. I. 364
Signandae quomodo fuerint tabulae? I. 221. *
Sinenses morum tenacissimi. II. 2. *
Singularii dicti, qui siglis scribebant. I. 49. *
Σοφὸς cognominatus *Sempronius* IC. I. 216
Speculum Saxonicum. II. 73. *sequ.* eius auctor et aetas. II. 74. de eo iudicium. II. 75. eius editiones. II. 76. eius auctoritas. II. 79
Speculum Sueuicum, eius aetas. II. 80. editiones. II. 81. de eo iudicium. II. 82
Statuta vrbium cur in scripturam redacta? II. 73. 86
Statuta Aquisgranensia. II. 91
Bremensia. II. 92
Brunsuicensia. *ibid.*
Colonienſia. II. 91
Friburgensia. II. 92
Hamburgensia. II. 89
Lubecensia, quando condita? II. 88. ea subinde interpolata et aucta. *ibid.* an ex iure Sueo-Gothico. *ibid.* * hodierna quando collecta? II. 88. ** ea a multis ciuitatibus adoptata. II. 90. an ius Venedicum exhibeant? II. 88
Stadensia: eorum aetas. II. 84. *
Statuta Susatensia. II. 87. a Lubecensibus et Hamburgensib. recepta. *ib.*
Stephani versio εἰς πλάτ@. I. 403
Stlitibus, Stlocus, Stlatus, cur veteres dixerint? I. 58. *
Stoicam philosophiam reliquis praeferebant ICti. I. 155
Studia Romanorum iuuenilia. I. 154
Studium iuris Romani ab edicto auspicati sunt. I. 74
Studiosorum iuris per singulos quinquennii annos cognomina. I. 394. *
Subcesiua prioribus possessoribus a Domitiano restituta. I. 238
Sulpitius. vid. *Seruius*.
Summas iuris ciuilis quinam scripserint. I. 418
Syndici in ciuitatibus iam saec. XV. doctores iuris. II. 98. dicti sunt *Pfaffen*. *ibid.*

T.

TAbulae XII. ab iis studium iuris auspicabantur Romani. I. 74. *
Tabulis eboreis, an roboreis inscriptae XII. tabulae? I. 26
Tarquinius Priscus an leges tulerit? I. 10
Tarquinii Superbi regis tyrannis et exsilium. I. 11
Tartagnus (*Alexander*). I. 422
Taruntenus Paternus IC. I. 309
Tassilonis, ducis Baiuuariorum, decretum. II. 24. *
Tengleri (*Vdalrici*) Layenspiegel. II. 105. *
Terentius Clemens IC. I. 308
Terminus deus. I. 9. * de eo lex Numae. *ibid.*
Tertullianus IC. an idem, cum patre

Source : BIU Cujas

tre eccleſiae? I. 332. eius aetas et ſcripta. I. 333
Teſta (*C. Trebatius*) IC. I. 188. Epicureae ſectae addictus. *ibid.* de eo iudicium et eius ſcripta. I. 189
Teſtamenta quomodo ſignari iuſſerit Nero? I. 221. a Francis ritu Romano condita. II. 19. Germani nulla habuerunt. II. 3. * in eorum ordinatione plus gloſſae tributum, quam ipſis legibus. II. 103. *
Teſtamentum militare vnde? I. 237. 249
Teſtibus iniuratis fidem haberi noluit Conſtantinus M. I. 355
Thalelaeus Graecus interpres *Pandectarum* et *Codicis*. I. 413
Themiſtius orator paganus Chriſtianorum perſequutionem diſſuadet. I. 376. *
Theodoriciana lex. II. 18
Theodoricus rex Francorum legiſlator. II. 21
Theodoſii II. merita in juris prudentiam. I. 378. 382. *ſequ.* quorumdam tantum ICtorum ſcripta in foro allegari permiſit. *ibid.* Iuſtinianus hanc conſtitutionem in ſuo Codice omiſit. *ibid.* Codicis Theodoſiani auctor. I. 379
Theodoſius M. iuris prudentiam ſua mole laborantem iuuat. I. 376. ejus conſtitutiones commentario illuſtrauit Balduinus. *ibid.*
Theophilus, *Inſtitutionum* paraphraſtes, quando floruerit? I. 402. editiones. *ibid.* an Theophilitzes, et Accurſio iunior? I. 402. * anteceſſor Berytenſis. I. 363. perperam a pleriſque reprehenditur. I. 402. *
Theſaurus cui adquiratur ex conſtitutione Hadriani. I. 293
Tiberius Caeſar callidiſſimus princeps. I. 196. Auguſti inſtituta ſeruauit. I. 196. 198. ſub eo vetere ritu lata lex Iunia Norbana. I. 197. comitia a populo ad patres tranſtulit. I. 199. edictis noua iura conſtituit. I. 205
Tituli mancipiorum venalium. I. 76. *
Titulos librorum ſchematicos adfectabant ICti. I. 312
Titus imp. de duobus praetoribus fideicommiſſariis vnum detraxit. I. 237. leges tulit contra delatores. I. 237. militibus dedit priuilegium ſine ſollemnitate teſtandi. *ibid.* ſub eo, capitolio igne deleto, iacturam paſſa eſt iuris prudentia. *ibid.* *
Traianus imp. varia iura conſtituit. I. 250. SCta ſub eo condita. *ibid.* variae conſtitutiones eius. I. 255
Trebatius Teſta. vid. *Teſta.*
Triboniani honores. I. 388. varia de eo iudicia. I. 389
Tribunicia lex. I. 13
Tribuniciam poteſtatem titulis ſuis inſeruit Auguſtus. I. 162. *
Tribuni militum conſulari poteſtate quando et cur creati? I. 57
Tribuni plebis quando creati? eorumdemque numerus et poteſtas. I. 19. pro roſtris dominati ſunt. I. 37. ciuitatem miſcent. *ibid.* eorum edicta. I. 63
Tribus Romanae. I. 7. *
Tributa comitia. *ibid.*
Triumuiratus. Sub eo miſera iuris conditio. I. 159. *

Source : BIU Cujas

Triumuiri A. A. A. F. F. I. 59. capitales. *ibid.*
Tryphoninus (*Claudius*) IC. I. 334
Τύποι vocata edicta, qualiacunque. I. 373. *
Turcae adhuc hodie iure Romano vtuntur. I. 405. * 409. Codicem Iustinianeum in sua lingua habent. I. 409
Tuscianus IC. I. 291
Tutela mulierum abrogata. I. 382
Tutores a consulibus dari iussit Claudius imp. I. 214
Tyrannorum acta quomodo rescissa. I. 212

V.

Vacarius (*Rogerius*). vid. *Rogerius.*
Valens (*Aburnus*). vid. *Aburnus.*
Valens imp. Arrianis consulturus edictum de libertate religionis edidit. I. 376
Valentiniani et *Theodosii* constitutio de responsis prudentum. I. 382
Valeriani imp. constitutiones. I. 352. *
Valerius Seuerus IC. I. 248
Vandali perperam confunduntur cum Venedis. II. 6. *
Vdalricus de Augusta. IC. Germ. saec. XIIII. II. 68
Venedi in Germania sedes constituunt. II. 6. * eorum ius an in Lubecensi superfit? II. 78. *
Venuleius Saturninus IC. I. 347
Versiones librorum iuris κ̓ ᾠδὰ permisit Iustinianus. I. 402
Vespasianus imp. multa iura noua inuexit. I. 233. et vetera restituit. *ibid.* * sub eo vltimum lustrum conditum. I. 236. quaedam sub illo circa ius mutata. *ibid.* SCta sub eo facta. I. 234. huic omnem superiorum imperatorum potestatem decreuit senatus. I. 233
Via Appia a quonam strata? I. 114
Vicesima hereditatum temperata a Marco Antonino. I. 302
Viduae intra annum luctus nubere non licebat per legem Numae. I. 9. *
Viennensis Academia iam saec. XIIII. iuris professores habuit. II. 96
Vigintiuiri. I. 58
Vinidius Verus IC. I. 308
Vino rogus non adspergendus ex lege Numae. I. 9. *
Viocuri. I. 59. *
Virginius (*Paullus*) IC. I. 141
Virgilii periochae an Modestino tribuendae. I. 350. *
Vitellius imp. edicto mathematicos et astrologos vrbe exesse iussit. I. 232
Vitis: ex ea imputata non libandum ex lege Numae. I. 9. *
Viuianus IC. I. 263
Vlphilas litterarum Gothicarum inventor. II. 1. *
Vlpiani (*Domitii*) IC. natales et honores. I. 336. Hebraismi. *ibid.* * mors. I. 337. iuris prudentia. I. 338. an verborum nouator. *ibid.* * eius opera maiora. I. 339. minora. I. 340. notae in Papinianum. *ibid.* * Christianis admodum infensus. I. 339. rescripta contra eos collegit. *ibid.* *
Vlpius Marcellus. vid. *Marcellus.*
Vnde de plano recte legi possit, formula edictalis. I. 66

Source : BIU Cujas

Vocabulis nouis repertis praetores iura ciuilia euerterunt. I. 69
Voluſiani imp. conſtitutiones. I. 352.*
Voluſius Maecianus. vid. *Maecianus*.
Vrſeius Ferox. vid. *Ferox*.

W.

WEichbildum Saxonicum. II. 78
Weisbach (*Io. de*), legatus Saxoniae. II. 98
Weſtenbergii (*Io. Ortwini*) D. Marcus. I. 298
Wisbyenſe ius nauticum. II. 93
Wiſigothi prouincialibus ius Romanum reliquerunt. II. 15. vnde codex Alaricianus compilatus? *ibid.* eorum reges imperii majeſtatem venerati ſunt. II. 13. * eorum lex. II. 11. an tota ex iure Romano. II. 14
Wiſſenbachii (*Io. Iac.*) Emblemata Triboniani. I. 399. de iis iudicium. *ibid.* *
Wurtenbergicus ducatus ius Romanum adoptauit. II. 112
Wybonis (*Io.*) Vindiciae Triboniani laudatae. I. 399. *

Z.

ZAleuci leges vnde. I. 28. *
Zaſius (*Vdalricus*) IC. humanior. I. 425
Zeno imp. quid de pluris petitione ſanxerit? I. 382

Source : BIU Cujas

IO. DAN. RITTERI

Iur. Conſ. Wittebergenſis,

ET

IO. MARTINI SILBERRADII

I. C. et Anteceſſoris Argentinenſis,

OBSERVATIONES

AD

IO. GOTTL. HEINECCII

Hiſtoriam Iuris Ciuilis Romani ac Germanici;

Ex edit. Argentorati ann. 1765. depromptae.

Ad §. 1.

(1) Aliarum Coloniarum exemplo cet. (*Heineccii Nota.*)

(1) Albani et Romani, origine Pelaſgi ſunt. Haec enim gens, per vniuerſam Graeciam, et inter Aeoles maxime clara, Italiam adiit, et Aboriginibus mixta, Latinum regnum conſtituit. Vid. Dionyſius *Lib. I. pag.* 7. 8. 18. 24. 75. Strabo *Lib. V. pag.* 337. 350. Eam ob cauſſam Plutarchus *in Romul. init.* ſcripſit, Romam a Pelaſgis eſſe conditam. Conſule Scip. Maffeium *in Originib. Etruſc. et Latin. cap.* 15. Hoc vero tirones ideo docendi ſunt, vt ab initio ſtatim hiſtoriae Iuris Rom. quaſdam non leuis momenti res, multum ad intelligentiam eorum, quae inferius dicentur, profuturas, capiant. Et *primo* quidem tenendum eſt, Latinam linguam antiquiſſimam, qua priſcae Romanorum leges conſcriptae ſunt, proxime ad proprietatem linguae Aeolicae accedere, quod claſſicus teſtatur Dionyſii locus *Lib. I. in fin.* Ῥωμαῖος δὲ φωνὴν μήτ' ἄκραν βάρβαρον, μήθ' ἁπηλλισμένως Ἑλλάδα φθέγγονται, μικτὴν δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν, ἧς ἐστι καὶ πλεῖστον Αἰολίς. *Romani autem ſermone nec prorſus barbaro, nec abſolute Graeco vtuntur, ſed ex vtroque mixto, accedente in pleriſque ad proprietatem linguae Aeolicae.* Deinde notandum, Romanos Graecorum colonos eſſe, qui mores à maioribus acceptos, et in Italiam

Source : BIU Cujas

illatos, sanctissime conseruauerint, docente eodem Dyonysio *Lib. I. in fin.* quo loco diserte scribit: τὰ δὲ ἄλλα ὁπόσα γένους Ἑλληνικοῦ μνημάτα ἐστιν, ὡς ἔχ ἑτεροί τινες τῶν ἀποικησάντων ἀφιστάζουσι: *Caetera, quaecunque sunt Graeci generis indicia, magis quam vlli alii Graecorum coloni retinent.* Idem auctor alibi scriptum reliquit, Romanorum ludos, certamina, sacrificia, cerimonias, pompas, Graecam cognationem ostendere; et Romulum, vrbis conditorem, ciuitatem secundum optimos quosque Graecorum ritus ordinasse. Vid. *Lib. II. pag. 90. Lib. VII. pag. 475. 477. 479. Porro* obseruandum; sapienter Romanos, eo tempore, quo erat post regifugium vrbs legibus fundanda, censuisse, legatos in Graeciam mittendos esse, qui describerent Graecarum ciuitatum, tum florentium, leges, ex quibus deinde corpus aliquod legum Romanarum posset confici. Recte enim respiciebat Senatus Populusque veterem patriam, cuius adhuc consuetudines seruabantur. Et ineptæ sunt nonnullorum reprehensiones, querentium, peregrinas Romanos leges adsciuisse, formae reipublicae, ex ciuilis prudentiae principiis, nullo modo conuenientes. Consul. *infra. §. 28. Denique*, facile sibi persuadere poterunt Iuris Romani cultores, magnam, non posse non, ob rationes allatas, Iuris Romani Graecique, ac legis actionum, conspirationem esse; quam Petitus inprimis, et Rittershusius, ex instituto demonstrarunt. R.

Ad §. II.

(2) Romanos initio iure scripto caruisse. (*H. N.*)

(2) Pomponii locum optime illustravit V. A. Bynkershoekius, quem, cum planiorem facere vellet Heineccius, in errorem incidit. Dionysii enim verba, ab ipso allata, nihil probant, neque opponitur ἰσονομία scriptis legibus, neque id denotat haec vox, quod auctor vult. Pertinet vero Dionysii locus ad annum V. C. 293. secundum aeram Catonianam, quo tempore reipublicae status aliam plane induerat faciem. Etenim tum in foro iam dominabantur Tribuni Pl. qui, vt euerterent Patrum de constituenda Aristocratia consilia, postulabant, vt plebeii quoque ad magistratus tam ciuiles, quam sacros admitterentur, atque ἰσηγορία, siue dicendi libertas, omnibus ex aequo concederetur, fierentque priuata publicaque ex legum praescripto. Nam nondum erat ἰσονομία in Vrbe, id est, eo non fruebantur omnes iure, quo Patricii, qui soli magistratus gerebant, iudicia administrabant, atque lites iure decidebant, quod maxima ex parte constabat virorum potestate præditorum praeiudiciis. Igitur ἰσονομία hoc loco ad ius publicum, non priuatum, pertinet, neque scriptis legibus opponitur, vti clarissime patebit inspicientibus Dionysii locum integrum. Et sane ἰσονομίαν hanc Quirites omnes flagitare poterant, quod eam dudum ante Tullius Rex promiserat oratione ad populum habita, apud laudatum Dionysium *Lib. VI. pag. 215.* Ὑπὲρ ἁπάντων ἓν ταῦτα ἴσην ἅπασι καὶ κοινὴν ποιεῖ πολιτείαν, καὶ τὰ δίκαια πᾶσι πρὸς ἅπαντας ὅμοια. *Praeter haec omnia decreui aequabilem et communem efficere rempublicam, et cunctorum ciuium jus aequare.* R.

Ad §. IIII.

Source : BIU Cujas

Ad §. IIII.

(3) Promulgatis Editis praecipiebant. (*H. N.*)

(3) Reges edixisse, loca plura docent: at de *albo regio* forte dubitare quis possit. Liuius *Lib. I. cap.* 32. memorat *album* Pontificium, non regium; et *cap.* 44. refert, Tullium cum vinculorum minis mortisque edixisse, vt omnes ad lustrum condendum in campo Martio adessent, quod facere potuit vel ipse Rex, concione aduocata, vel eius iussu, praeco. Similiter apud Dionysium *Lib. III. pag.* 178. Pontificis *album* occurrit, de quo dixi *in praefatione ad Tom. VI. Cod. Theodos.* At enim vero, cum idem auctor *Lib. IIII. pag.* 216. de auspicio regio Tullii differens, ita scribat: τοῦτα διαπραξάμενος ἐτίθηκεν ἐν φανερῷ διάταγμα βασιλικὸν, *his peractis palam proposuit edictum regium*, locoque superiore tradat, regum tempore, tam leges, quam sacrorum ritus, tabulis quernis fuisse inscriptas, probabile est, has quoque ligneas tabulas inseruiisse proponendis edictis regiis. Qui Liuium *Lib. I. c.* 32. cum Dionysio *Lib. III. pag.* 178. contulerit, is non poterit non intelligere, Liuium, quernas has tabulas, *Album* nominasse. R.

Ad §. V.

(4) Populum ferocem, mox Leges flagitasse. (*H. N.*)

(4) Magna circa hanc obseruationem cautione opus est, ne forte per *ciuitates liberas, legumque*, eas intelligamus, quae αὐτονομίᾳ gaudent. Ipse Gronouius non satis circumspecte hic egit, quod varia veterum auctorum loca ab eo adducta testatum faciunt. Sunt ex rationibus philosophicis *ciuitates legum, liberae*, quia nimirum in iis leges imperant, neque ex arbitrio suo magistratus omnia possunt agere. Sed alio plane sensu dicuntur ciuitates, νόμοις τοῖς ἰδίοις χρῶσαι, aut ἴδιοι παλαιοῖς καὶ νόμοις, *suis*, seu *patriis legibus consuetudinibusque viuere*, quibus a nouis Dominis aut victoribus, alienae leges vel nunquam obtrusae sunt, summaque permissa est libertas rempublicam secundum antiquum, hactenusque receptum, morem gubernandi, vel quibus adempta secundum patrias leges viuendi facultas, singulari populi victoris beneficio restituta est; quo pertinet Ciceronis locus *ad Att. Lib. VI. Ep.* 2. *Omnes suis legibus & iudiciis vsae, αὐτονομίαν adeptae, reuixerunt.* Vid. Spanhem. *de vsu et praestant. numism. dissert. VIIII. p.* 680. *sequ.* R.

Ad §. VI.

(5) Populus ferret suffragia: *Dion. Halic.* (*H. N.*)

(5) Disputauit quoque late aduersus Scipionem Gentilem Rupertus *ad Pompon. Enchirid. Lib. I. cap.* 2. Sed inprimis consulendus est Georg. d'Arnaud *Var. Coniect. Lib. I. cap.* 3. qui solide demonstrat, ipsum Dionysium humani quid passum esse, quod adductis in locis scripsit, populum sub regibus magistratuum creandorum testatem habuisse. Scimus enim, Regum tempore magistratus in vrbe nullos fuisse, idque Tacitus non modo *Annal. Lib. VI. cap.* 11. sed et Pomponius *l.* 2. §. 14. *D. de O. I.* docent, atque praeterea Dictatura Romana confirmat, quam ipse Dionysius *Lib. V. pag.* 337. imaginem regiae potestatis fuisse scribit. Iam vero, quis ignorat, Dicta-

Source : BIU Cujas

Dictatore ad gubernacula reipublicae sedente, magistratus omnes cessasse? Nec in magistratuum numero fuerunt Regum tempore, Praefectus Vrbi, Tribunus Celerum, et Quaestores. Vid. Idem *l. c.* Recte igitur Pomponius scripsit, *omnia manu reges gubernasse.* Imo clarissimum testimonium suppeditat Dionys. *Lib. IIII. pag.* 228. Regem de omnibus delictis iudicasse. Quod cum faciebat, consiliariorum vtebatur opera, docente eodem V. Cl. *Lib. I. c.* 17. R.

Ad §. VII.

(6) Vox Curiae.
(7) Florus. hist. I, 1.
(8) Et legis curiatae nomen veniebat.
(9) §. 4. Inst. de iur. nat. et gent.

(6) Nomina tribuum Dionysius *l. c.* memoriae non tradidit. Festi locus ad *curias* pertinet. Consulendus igitur est Varro *de L. L. Lib. IIII. pag.* 11. *inter Auctor. Lingu. L. Gothofred.* qui haec habet: *Ager Romanus primum diuisus in partes tres, a quo tribus appellatae, Tatiensium, Ramnium, Lucerum. Nominatae, vt ait Ennius, Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres, vt ait Iunius, a Lucumone.* Addendus Festus, *vocc. Tatienses, Turma*, et Asconius *in Verr. Lib. I. c.* 5. Liuius *Lib. X. c.* 6. scribit: *vt tres antiquae tribus, Ramnes, Titienses, Luceres, suum quaeque augurem habeant.* vbi videndus Gronouius. Tribus Plutarchus etiam *in Romul. pag.* 30. et Propertius *Lib. IIII. eleg.* 1. *v.* 31. nominant, atque de iis accurate disputant Sigonius *de Ant. Iur. Ciu. Rom. Lib. I. c.* 3. Georg. d'Arnaud *Var. Coniect. Lib. II. c.* 8. et Ernesti *in Clau. Ciceron.* Haec vero populi Romani descriptio a Graecorum moribus quoque repetenda est. Nam apud Athenienses κυρία ἐκκλησία et κυρία simpliciter, populi concio legitime conuocata appellabatur. Romulus vero non toti populo, sed parti trigesimae, quae tamen cum XXVIIII. rite vocata, idem ius habebat, nomen hoc imposuit. Κυρία igitur est Latinorum *Curia.* Vid. Gronouius *in Epistol. subiecta Commentar. de Pecun. Vet.* Similiter apud Graecos τριττύς, pro quo Aeoles, τριττύς, vnde *Tribus*, tertia pars tribus vocata est. Harpocration. *voc.* τριττύς, Pollux *Lib. VIII. c.* 9. *sect.* 31. Athenienſium enim aliquando φυλαὶ quatuor erant, singulaeque in tres τριττύας, et hae in triginta γένη, secabantur. Romulus itaque ciuium descriptionem faciens, omissis φυλαῖς, reddidit τριττύας, aut τριττύας, *tribus*, et γένη, *curias*, appellauit, seruans tricenarium numerum, non in singulis, sed in omnibus tribubus. Confer. Maussacus *ad Harpocrat. voc.* γενηταί. Etymol. *ibid. Obseruat. Virorum doctor. ad Polluc. l. c.* Meursius *de regn. Att. Lib. I. c.*7. Gronou. *l. c.* & Graeuius *praefat. ad Tom. I. Thesaur. Antiquit. Rom.* R.

(7) Neque id, quod Heineccius vult, Florus refert, neque, si ab eo relatum esset, eius auctoritas sufficeret. Romulum in coelo *Quirinum* vocari, laudatus Historicus memorat. Sed a Quirino non sunt Quirites, quamuis id velit Iustinianus §. 2. *Inst. de Iur. Natur. Gent. et Ciu.* Romani *Quirites*, a *Curibus* Sabinorum metropoli, dicti sunt. Cum enim post cruentum bellum cum Tatio Sabinorum Rege gestum, pax non modo, sed ex duabus Ciuitatibus, Roma, Curibusque, vna facta, regnumque consociatum esset, Liuius *Lib. I. c.* 13. scribit: *Ita geminata vrbe, vt Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites a Curibus appellati.* Rem vberius edisserunt Dionysius *Lib. II. p.* 111. & Plutarch. *in Romul. pag.* 30. qui auctor est, inter foederis, cum Tatio Rege icti, atque iure-

iurando,

Source : BIU Cujas

iurando confirmati, conditiones, hanc quoque fuisse; καλεῖσθαι μὲν Ῥώμην ἀπὸ Ῥωμύλου τοῦ πόλιν, Κυρίτας δ' Ῥωμαίους ἅπαντας ἀπὸ τῆς Τατίου πατρίδος: *Roma vrbs a Romulo, Romani omnes Quirites a Tatii patria vocarentur. Curetes*, sunt *Quirites* ob affinitatem literarum, vt, *Cointus*, *cotidie*, & innumera docent. Id vero nomen vsu mox inualuit, cum Numa, gente Sabinus, Rex Romanorum crearetur. Fuerunt autem Sabini, Lacedaemonii origine, austeraeque Laconicae disciplinae seueri custodes: quod ideo monendum, ne quis sibi forte persuadeat, Romam, mox ab incunabulis reipublicae, auctam barbarorum colluuie, moresque Graecos immutatos esse. Vid. Dionys. *Lib. II. pag.* 113. et Plutarch. *in Rom. pag.* 26. R.

(8) In duabus cauſſis habebantur Romæ Curiata Comitia per lictores, primo, *de re militari*, et deinde, *de adoptione*, quod docet Ernesti *in Clau. Cicer.* voc. *curiatus*, et in *Ind. LL. voc. curiata.* R.

(9) Vellem, hoc Auctori non excidisset. Institutionibus enim dicto loco, lux afferenda est ex historia Comitiorum Centuriatorum. R.

Ad §. VIII.

(10) Tabula Legum a Marliano edita.
(11) Apud auctores veteres etc.

(10) De Tabula Legum Romuli, a Marliano edita, Georg. d'Arnaud *Var. Conject. Lib. I. c.* 3. et eruditorum iudicia proponit, et probat, auctorem eius, linguae Latinae, rituumque antiquorum ignarum fuisse. R.

(11) Tales leges ad ius priuatum et animaduersionem in facinorosos homines pertinentes, apud Dionys. Halicarn. *Lib. II. p.* 95. *seq.* sunt sequentes: *Mulier, quae secundum sacras leges conuenit in manum, particeps bonorum sacrorumque mariti esto. Patri in liberos ius vitæ et necis, illosque ter venumdandi ius esto. Tertium venumdati & manumissi e patria potestate exeunto. Sordidas sellulariasque artes ciues ne faciunto, sed studiis militaribus reique rusticae vacanto. Temetum mulier ne bibito.* Et apud eundem *Lib. cit. pag.* 88. *Quod natum erit, parentes tollunto. Monstrosos partus sine fraude exponere ius esto.* Addatur *Lib. VIII. pag.* 580. *Lib. XI. pag.* 715. Ex aliis scriptoribus hae colliguntur: SEI PATRONOS CLIENTEI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTOD. Seru. *ad Virgil. Aeneid. VI. v.* 609. *Moenia sancta sunto.* Plutarch. *in Romulo p.* 23. et *in Quaest. Rom. Tom. II. pag.* 271. Est quoque fragmentum legis Romuli de nuruum in soceros saeuitia apud Festum *in Plorare*: cui occasionem dedisse mulierum Sabinarum a Romanis raptarum ferociam, suspicatur Merula *de Leg. Rom. Cap. II.* §. 4. Reliqua Romuli instituta ad sacra et rempublicam, atque adeo ad ius publicum, pertinent. H. Emendaui nonnulla, cum obseruassem, Auctorem eos, qui Romuli leges, et colligere et illustrare studuerunt, confidentius secutum esse. Monitos deinde hos volo, qui praelectiones historicas instituunt, vt hoc loco tirones doceant; qua ratione *nuptiae per confarreationem* factae sint, quantumque illae olim valuerint: qui *patrimi*, *matrimique* fuerint, quam in sacris habuerint praerogatiuam: et *Diffarreatio*, quid sit. *Patria* quoque *potestas* confundenda non est cum imperio militari, aut potestate ciuili, vi cuius parentes omnes, nec hi solum, qui Romano iure vtuntur, coguntur in liberos, mala patrantes facinora, animaduertere. Video enim ipsum Dionysium, de patria potestate, *Lib. II. pag.* 97. exponentem, cum ad Manlii Torquati Cos. factum, qui filium contra edictum, et extra ordinem pugnantem, securi percussit, prouocat, grauem commisisse errorem. De *vini vsu*, mulieribus interdicto,

Source : BIU Cujas

est locus apud Gell. *Noct. Att. Lib. X. c. 23.* De *partus expositione* videndi Gerard. Noodt *in Iulio Paullo*, et Corn. Bynkersh. *de iure occidendi, vendendi et exponendi liberos. Ius patronatus* Romulum inuexisse in vrbem, Dionysius *Lib. II. pag. 83. sequ.* testatur, probatque, eo antiquissimos Graecos vsos esse. Id vero, exactis Regibus, in XII. migrauit, e quibus profert Seruius *l. c.* Romuli nullam mentionem faciens. Quod ius, quia mirifice iuuit Patriciorum, de Aristocratia introducenda, consilia, atque simul amplam ipsis praebuit occasionem, Iurisprudentiam, tanquam gentilem possessionem, sibi vindicandi, paullo vberius hic elucidandum est. *Patroni* etiam *caussarum, clientes, lex Cincia*, de patronorum officio gratuito praecipiens, ex iure Patronatus lucem capiunt. De *moenium sanctitate* disseruit Plutarchus *l. c.* Romulum vero muros, lege data, sanctos esse voluisse, is auctor, quantum quidem scio, nullibi memoriae prodidit. Forte hi, qui Romuli leges conquisiuerunt, respexere ad locum Ouidii *Fastor. IIII. v.* 839. cuius tamen ego auctoritatem sequi nollem, cum persuasum mihi sit, rectius sanctitatem moenium ex moribus Graeciae antiquissimis deduci. Tandem Festus *l. c.* non memorat legem de *nuruum* in *soceros* saeuitia, verum haec apud eum leguntur: *In Regis Romuli et Tatii legibus: Si nurus sacra diuis parentum esto. Et in Seruii Tullii haec est: Si parentem puer verberit, ast olle ploraſſit, parentes, puer diuis parentum sacer esto.* Quae verba, cum sensum vix admittant, Scaliger per traiectionem ita emendauit: *In Regis Romuli et Tatii et Seruii Tullii legibus haec est: Si parentem puer verberit, ast oloe ploraſſint, puer diuis parentum sacer esto. Sei nurus, sacra diuis parentum esto.* Paullo aliter Merula legendum censet, et ingenio indulgens statuit, legem ferociae Sabinarum raptarum fuisse oppositam, quae et soceros et socrus verberibus afficere consueuerint. Quae coniectura, licet videam a plurimis eam probari, mihi tamen semper displicuit. Et primo quidem, quod ad soceros attinet; erant hi familiae principes, habebantque filium, nurumque in potestate, et iudicio domestico, ex lege Romuli de patria potestate, poterant coërcere. Deinde, quis credat, solas Sabinas adeo fuisse feroces, vt propter eas hac lege opus fuerit? Porro, licet secundum Terentium omnes socrus oderint nurus, verberare tamen eas vix potuerunt, ob metum, ne socer graues ex continenti ab iis sumeret poenas. Etenim, fingi ne quidem potest, socrus omnes fuisse viduas, in quas, eam ob causam, nurus, liberius exercere potuerint crudelitatem. Et quis sibi persuadeat, socerum ipsum patienter excepisse a nuru verbera, ni senem fingere velit decrepitum? Tandem in lege *parentes* occurrunt, quo nomine, quantum quidem ego video, hac aetate, neque socer, neque socrus, possunt intelligi. Igitur ita sentio; pertinere legem, tanquam appendicem, ad eas, quae de patria potestate latae sunt, et quarum hodie verba legitima pauca quoque superant. Eius vero sensum hunc esse puto: *Filia matrem verberans, sacra esto: Filius patrem verberans, sacer esto. Nurus* est omnis mulier, filia, virgo, mater, nupta, innupta, quod sciunt Claudiani lectores, docetque Broukhusius *ad Propert. Lib. II. eleg. 5. v. 18. Puer* est filius, vti ex Lexicis notum; et *pueri* dicuntur, qui virilem sumpserunt togam, obseruante Manutio *ad Ciceron. Lib. II. Famil. ep. 1.* Potuit vero antiquissimis temporibus, cum in summa Romani paupertate viuerent, et ab aratro arcesserentur, qui Consulatum gererent, sexdecim Aelii vnam domunculam, vnum in agro Veiente fundum possiderent, clarissimisque viris funebris lectus, et rogus mortuis deesset, vt est apud Valer. Max. *Lib. IIII. c. 4.* facile contingere, vt patriae maiestati aduersus filios ne locus quidem esset. Quomodo enim pater, vel summa senectute, vel continuis bellorum laboribus confectus, atque ob paupertatem seruorum familia carens, filium immorigerum improbumque, corporis vero viribus maxime

Source : BIU Cujas

xime valentem, in ordinem redigeret? Mater, praesertim vidua, qua ratione ferocientem filiam coërceret? Sed potuit etiam, quod praeuideo omnes sensuros esse, maxima parentum in liberos potestas, horum aliquando exacerbare animos, et locum quasi furori facere. Ne vero, cessante iudicio domestico, inulta essent liberorum pessima facinora, hac lege cautum, vt sacri essent, qui parentes verberassent, ciuitasque ab iis supplicium sumeret. Possem plura addere, nisi chartae parcendum esset. Iis autem, quibus haec, quae scripsi, displicent, alia suppeditabit Georg. d'Arnaud *Var. Coniect. Lib. I. c. 5.* At fortasse mecum plerique sentient, praesertim, vbi attenderint ad locum Plutarchi *in Numa pag. 77.* quo veterum monumentorum auctoritate retulit: *Primam Pinarii vxorem, Thalaeam nomine, iurgia habuisse cum socru Gegania, Tarquinio regnante Superbo.* R.

Ad §. VIIII.

(12) Numa in octo partibus &c.

(12) Sacris istis institutis, quibus simulato nocturno cum Egeria nympha congressu auctoritatem conciliabat, Liu. I, 19. Dionys. *Lib. II. p.* 122. callide vtebatur Numa ad eo acriora vincula legibus ciuilibus iniicienda. Sic vt vites diligentius putarent ciues: sanxerat: *ne quis Diis ex vite imputata libaret.* Plin. *Hist. Nat. XIIII,* 12. Ne insanos sumtus sepeliendis cadaveribus coenisque impenderent: instituerat, *ne quis vino rogum respergeret:* Plin. *ibid.* neue pisces nisi squamosos ad polluctum emerent. Plin. *Lib. XXXII,* 2. Ne termini nefarie mouerentur: neue pellicatus glisceret in ciuitate; vel fidem quisquam impune fallere auderet: callide praeceperat, *vt Terminus Deus esset, et si quis terminum exarasset, ipse cum bobus Diuis sacer esset:* Dionys. Halicarn. *Lib. II. p.* 133. Festus *in voce Termino. Ne pellex aram Iunonis tangeret: si tetigisset, crinibus demissis agnum feminam caederet.* Fest. *in voce Pellices.* Denique, *vt Fidei numen omnes metuerent.* Dionys. *ibid. p.* 134. Proprie ad leges ciuiles Numae pertinent sequentes: *Si quis liberum hominem dolo malo occiderit, parricida esto: sin imprudens, in concione pro capite occisi et natis eius arietem offerto.* Festus *in voce Parricid. Quaest. Si filiusfamilias, volente patre, vxorem duxerit, patri eius venumdandi potestas ne esto. Vidua intra decem menses luctus ne nubito.* Plutarch. *in Numa p. 67. et 71.* Addimus legem regiam, cuius mentio fit *l. 2. D. de mort. infer. ne mulier, quae praegnans mortua fuerat, nisi exciso partu humetur.* Eius enim auctorem esse NVMAM, ex ipsa illius indole colligit Ant. Augustin. *de Legib. et Senatuscons. p.* 130. Sunt qui Mosis leges, sunt qui Pythagorae instituta Numae ob oculos fuisse contendunt. Clem. Alex. *Stromat. Lib. I. p.* 304. Euseb. *praeparat. Euang. Lib. VIIII. Cap. 6. p.* 410. Sed, vti prius vix probabile: ita posterius manifesto falsum, et ob rationes chronologicas absurdum est. Liu. *Hist. I,* 18. Dionys. *L. II. p.* 181. H. Sunt et hic quaedam monenda. Et primo quidem Numae libri, quos ex Dionysio Auctor producit, ad leges eius curiatas minime pertinent. Rex enim octo sacrorum classes fecit, totidemque libris ea omnia perscripsit, quae ad religiones cerimoniasque pertinebant, et a sacrorum munerum ministris erant peragenda. Deinde, idem rerum Romanarum scriptor *Lib. II. pag. 94.* nihil de Tulli Hostilii legibus, quibus is rempublicam ordinauerit, memoriae tradidit, verum id tantum memorauit, Reges post Romulum, et inter hos quoque Tullum Hostilium, de cultu Deorum quaedam constituisse, seu, vt Liuius loquitur, *Lib. I. c. 31. religionibus etiam populum implesse.* Id vero hoc loco omittendum non est, a Numa institutum esse Pontificum col-

Source : BIU Cujas

legium, testibus Dionysio, Liuio, Plutarcho. Cum vero Pontificum scitis sacra omnia publica priuataque essent subiecta, ipsique de sacris nouas ferrent leges, fastos haberent, de votis, de feriis, de sepulcris, et si quid eiusmodi est, iudicarent, Cicer. *de Legib. Lib. II. c. 19. pro Muren. c.* 11. Dionys. *Lib. II. pag.* 132. Liu. *Lib. I. c.* 20. facile est ad intelligendum, Pontificii Iuris cognitionem ad intelligentiam Iuris Ciuilis perneceſſariam esse. Est enim tam arcta Iuris utriusque coniunctio, vt veteres ICti iam pronuntiauerint, esse Iurisprudentiam humanarum diuinarumque rerum scientiam. Ipsae XII. tabula X. ius sacrum comprehendunt, et sequente, de detestandis sacris, loquuntur. Lege agi possit, nec ne, Ius Pontificium docet; nuptiae, arrogationes, adoptiones, Pontificum auctoritate fiunt. Hereditas, quae sine sacris priuatis non potest intelligi, agnatorumque successio, ex Iure Pontificio lucem capiunt. Vide hac de re examussim disputantem Georg. d'Arnaud *Var. Coniecturar. Lib. II. c.* 1. De iure vero Pontificio consulendi sunt Gutherius et Bosius. Varias doctorum virorum opiniones de auctore *Legis* 2. *D. de mort. infer.* collegit Idsinga *Var. Iur. Ciuil. c.* 14. Tullus Hostilius, cuius erat de delictis capitalibus iudicare, *Duumviros* fecit, qui Horatio perduellionem iudicarent; ab eorum tamen sententia prouocationem concessit ad populum. Et tum primum populus nactus est capitalis iudicii potestatem. Dionys. *Antiquitat. Lib. III. pag.* 159. Liu. *Lib. I. c.* 26. Sigonius *de iudiciis Lib. II. cap.* 4. et *de antiqu. iur. ciu. Rom. Lib. II. c.* 18. Ancum Marcium, scimus, primum media in vrbe aedificasse carcerem, ad terrorem increscentis audaciae. Liu. *Lib. I. c.* 33. R.

Ad §. X.

(13) Laudantur Seruii Tullii leges.

(13) SERVIVS TVLLIVS non modo Romuli et Numae leges reuocauit in vsum: Dionys. *Lib. IIII. p.* 216. sed et plures nouas sanxit, veluti de iudiciis, Dionys. *ibid. p.* 228. de libertinis ciuitate donandis, *ibid. p.* 226. Cicero *pro Cornelio Balbo Cap.* 9. de ciuibus ob aes alienum in vincula non ducendis: *Ibid. Lib. IIII. p.* 215. de filio patrem verberante: Festus *in voce Plorare.* Denique de contractibus et iniuriis priuatis. Dionys. *Lib. IIII. p.* 218. et *Lib. V. init. p.* 278. Vnde Tacitus *Annal. III, 26. Praecipuus*, inquit, *Seruius Tullius sanctor legum fuit, queis etiam Reges obtemperarent.* Nam cum in toto imperio suo, tum in ferendis legibus tam popularis erat, vt non modo de patrum, sed et regia potestate dimidium detraxisse videretur. Dionys. *ibid. p.* 228. H. Cum Seruius Tullius statim ab initio regiminis leges tulerit, classibus nondum factis, fuerint eae necessario *curiatis comitiis* perferendae, quod et Dionysius expressis verbis docet *Lib. IIII. p.* 218. Ἔθηκε τὰς νόμους τὰς περὶ συναλλαγμάτων καὶ τὰς περὶ τῶν ἀδικημάτων ἐπικύρωσι ταῖς φράτραις· ἦσαν δὲ πεντήκοντα τὸ ἀριθμόν. Quae verba optime interpretatus est Georg. d'Arnaud *Var. Coniect. Lib. I. c.* 17. *Deinde* CVRIATIS COMITIIS *leges sanxit de contractibus et* DELICTIS: *erant autem illae quinquaginta.* Nam viris doctis et Gelenius et Sylburgius fraudem fecerunt, vertentes, *de contractibus* et *iniuriis.* Recte vero obseruat laudatus V. Cl. de *iniuriis* proprie ita dictis, vix verisimile esse, quicquam sanxisse Tullium, quandoquidem rudi illa aetate, homines non in magistratuum legumque auctoritate, sed in propria virtute, aduersus iniurias praesidium sibi positum esse, existimasse videantur. Patere praeterea e XII. in quibus viginti duntaxat assium poena, contra eum, qui ciuem pulsasset, constituta est, veteres iniurias illas magni non fecisse, nisi ita atroces, vt contumeliae terminos excederent,

Source : BIU Cujas

derent, et in maleficii, siue grauioris delicti speciem inciderent. Deinde, cum Seruium Tullium primum aes signasse memoret Plinius *H. N. Lib. XXXIII. c.* 3. B. Branchu *Obseruat. decad. II. cap.* 12. coniicit, inde occasionem Regi natam esse, legum de contractibus rogandarum. Ego vero, quamuis negare nolim, à Tullio aes signatum esse, hanc coniecturam ideo admitti non posse censeo, quia leges de contractibus a Tullio, mox vt regnum adeptus est, perlatas esse scripsit Dionysius, quo tempore, ne probabile quidem est, Regem de aere signando cogitare potuisse. Imo hoc mihi persuasum est, ipsam populi per classes distributionem, censionemque facultatum caussam fuisse signandae pecuniae. De *classibus* autem his minime omittendus est elegantissimus locus Dionysii *Lib. IIII. pag.* 222. vbi de Graeca vocis origine disseruit. Errauit etiam Heineccius cum iis, qui leges regias collegerunt, dum lectoribus persuadere vult, Tullium *de iudiciis* leges sanxisse. Etenim Dionysius *Lib. IIII. p.* 228. hoc tantum scriptum retulit, Seruium non omnes lites, antecessorum more, adhibitis in consilium viris prudentibus, (vt Liuius docet *L. I. cap.* 49.) ad sese traxisse, nec omnia delicta publica priuataque iudicasse, verum dimidium quasi regiae detraxisse potestati, ac de grauioribus tantum causis statuisse, minorum vero cognitionem demandasse priuatis iudicibus, prouidisseque, ne quid incaute ii pronuntiarent. Vid. Georg. d'Arnaud *Var. Coniect. l. c.* Libertinos, quibus ius ciuitatis datum, in quatuor vrbanas tribus distribuisse Tullium, Dionysius *l. c.* quidem memorat, legem vero Regem dedisse *de libertinis ciuitate donandis*, apud eundem scriptum non inuenio, nec Cicero *pro Balbo l. c.* id affirmat, neque haec tempora respicit. Imo Dionys. auctor est, Patricios, quibus hoc Tullii institutum displicuerat, permisisse tandem, πάΘΟΣ εἰς τὴν πολιτείαν παρελθεῖν, vt MOS *in rempublicam reciperetur*. Hunc vero morem, recipiendi libertinos in tribus vrbanas, post Reges exactos fuisse neglectum, Liuius docet *Epitom. Lib. XX.* ante belli secundi Punici tempora, a Censoribus libertinos in quatuor tribus redactos, referens, quum antea per omnes dispersi fuissent. Porro, non satis constat, an legem Tullius tulerit, *de ciuibus ob aes alienum in vincula non ducendis*; cum Dionysius recensum legum faciens, eam taceat, idque tantummodo prodat, Tullium, eo tempore, quo regnum sibi parabat, plebem variis deliniisse blandimentis, et conuocata concione promisisse, cauturum se, ne quis ob aes alienum in vincula duceretur, neue foeneratores ius haberent in libera corpora, sed debitorum facultatibus essent contenti. Scio, Heineccium *Antiquit. Lib. III. tit.* 30. §. 3. statuisse, non esse dubitandum, quin Rex promissis steterit, cum extremis temporibus exagitatus a patriciis in altera concione conquestus sit, ideo se adepti insidiis, quod pauperum libertatem aduersus foeneratores conseruauerit saluam. At enimuero, altera illa concio, quam Dionysius *pag.* 216. tangit, non vltimis temporibus a Rege conuocata est, sed antequam regium conscenderet solium. Cumque adhuc concionantem Tullium, plebs aduersus patrum voluntatem Regem declarasset, isque paulo post, publicum agrum, quod in concione quoque promiserat, inter plebem diuiserit, et leges de contractibus tulerit, quas Dionysius *Lib. IIII. p.* 245. perspicue tradit, patriciis oppositas fuisse, his potissimum videtur libertati plebeiorum prospexisse. Etenim contractus mutui, saeuiendi occasionem aduersus plebeios ampliſſimam, patriciis praebere potuisse, facile omnes iudicabunt. Hanc autem saeuitiam variis rationibus Rex coërcere potuit, plebeiorumque corpora libera praestare a summa iniuria, definiendo, vt et aes alienum confessum esset, et iudices, quos Rex dederit, reos audirent, et inducias, et vindices, concederentur; cum antea patricii, eos, qui debitum ex contractu, aut non poterant exsoluere, aut nolebant, excep-

Source : BIU Cujas

ptione forte vtentes, ſtatim atque pro lubitu in ſeruitutem abduxiſſent. Certe ſi Tullius lege cauiſſet, ne quis poſſet ob aes alienum in vincula duci, nunquam profecto permiſiſſent Quirites, vt Decemviri, ea abrogata, duram, libertatique maxime inimicam legem, tabulae tertiae, de rebus creditis, inſcriberent, inprimis cum Dionyſius *Lib. X. pag.* 681. auctor ſit, Decemuiros decem priores tabulas, antequam populi ſuffragiis confirmarentur, non tantum promulgaſſe, ſed et admiſiſſe priuatorum hominum admonitiones, et ita eas conformaſſe, vt deinde omnibus placerent. Et ſi quis forte ſibi perſuadeat, potuiſſe Decemuiros, cuncta pro lubitu agere, quod ſine prouocatione creati erant, ad animum is, velim, reuocet, alteram plebis in montem ſacrum ſeceſſionem, Decemuirum abdicationem, tribunitiae poteſtatis reſtitutionem, legemque mox centuriatis comitiis latam, vt plebiſcita populum tenerent. Nullibi ſane lego, Tribunos conqueſtos eſſe, patricios, hac lege ſcripta, de euertenda plebis libertate cogitaſſe. R.

Ad §. XIII.

(14) Vocatur Regiae Maieſtatis imperium.

(14) Propterea recte ſcripſit Dionyſius *Lib. V. init.* Οἱ πρῶτοι τὸν βασιλικὸν ἀρχὸν ἐξηλαθότες ὕπατοι, Βροῦτος καὶ Ταρκυίνιος Κολλατῖνος, etc. *Primi* REGIAM *ſumentes* POTESTATEM *Conſules, Brutus et Tarquinius Collatinus, etc.* R.

Ad §. XV.

(15) Leges Regum in XII. Tabulas migrarunt.

(15) Dionyſ. Halic. *Lib. V. pag.* 278. Τοὺς νόμους τοὺς περὶ τῶν συμβολαίων τοὺς ὑπὸ Τυλλίου γραφέντας, φιλανθρώπους καὶ δημοτικοὺς εἶναι δοκοῦντας, ἃς ἅπαντας κατέλυσε Ταρκυίνιος, ἀνενεώσατο. *Leges Tullii, de contractibus, humanas admodum et populares, quas in vniuerſum Tarquinius ſuſtulerat, reuocarunt in vſum.* Et paucis interiectis: Καὶ τἄλλα περᾶναι, ὅσα κατὰ τοὺς παρεληλυθότας χρόνους ἐπεράνθη, ἀπέδοσαν. *Ceteraque omnia ſecundum priſcas conſuetudines facere permiſerunt.* Non ergo valebant amplius leges regiae, tamquam ius ſcriptum, niſi quatenus de nouo legibus ſacratis eſſent firmatae. Et hinc *ius patriae poteſtatis*, quod ex ipſius Romuli legibus eſſe, obſeruauimus, (§. VIII.) MORIBVS *eſſe receptum*, teſtatur Vlpianus *l.* 8. *D. de his qui ſui vel al. iur.* H. Bene vero obſeruauit Georg. d'Arnaud *Var. Coniect. Lib. II. c.* 20. Romanos, quicquid a prima origine obtinuerat, *Moribus Maiorum* fieri, pronuntiaſſe. Igitur id, quod iam ſub Regibus fuerat obſeruatum, et in XII. migrauerat, recte *moribus receptum eſſe*, Vlpianus ſcribere potuit. Conf. Liu. *Lib. XXXIIII. c.6.* Deinde non capio mentem Auctoris, quando ſcribit, leges regias non valuiſſe, niſi *legibus ſacratis* eae eſſent firmatae. *Sacratae* enim *leges* proprie ita dictae, et Icilia, Publilia, Valeria, ad ius publicum magis, quam priuatum pertinent, libertatique populi conſulunt, quod praeter Sigonium *de antiqu. Iur. Ciu. Rom. Lib. I. c.6.* docuit Erneſti *Clau. Cicer. in ind. Leg.* Itaque reſcribendum eſt, non valuiſſe Leges tanquam ius ſcriptum, niſi aut legibus ſolemniter latis confirmatae, aut in XII. aut vſu, eſſent receptae. R.

Ad §. XVII.

Source : BIU Cujas

Ad §. XVII.

(16) Granii Flacci liber periit.

(16) Exstat fragmentum bene longum, quod ex ipso iure Papiriano citat Macrobius *Saturnal. III*, 11. ex Granii vero Flacci potius commentario esse obseruauit V. C. Petrus Wesselingius *Obseru. I*, 4. Immo ex eodem probabile est, Seruium et Festum depromsisse fragmenta legum regiarum, quae supra (§. VIII.* et VIIII.*) attulimus. Nam ne illa quidem stilum redolere temporis, quo Romae regnatum est, notauit Io. Nic. Funccius *de puerit. Lat. linguae Cap. III. §. V. p.* 224. H. Mira comminiscuntur de Iure Papiriano viri docti, quorum opiniones Auctor hic in compendio exhibet. Ego vero, cum in alia omnia eam, breviter dicam, quod sentio. Pomponius *l. c.* ita scribit: *Tulerunt et sequentes Reges (leges) quae omnes conscriptae extant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, vt diximus, appellatur Ius Ciuile Papirianum, non quia Papirius de suo quicquam ibi adiecit, sed quod leges sine ordine latas in vnum compesuit.* Apud eundem *d. l.* 2. §. 36. legimus: *Fuit autem inprimis peritus P. Papirius, qui leges regias in vnum contulit.* Iam in eo consentiunt omnes, esse haec Digestorum loca deprauata: at enimvero de sanandis iis, haud inter omnes conuenit. Duo autem sunt, quae in errorem induxerunt doctissimos homines: quorum est alterum, praeconcepta opinio, Ius Papirianum leges continuisse et sacras et ciuiles; alterum, auctoritas, quam Pomponio, aut potius eius fragmento, tribuunt. Ad primum quod attinet, nihil plane afferre possunt, quo probent sententiam, praeter obscuram quandam notam, *VI.* quam in MS. Cuiacius vidit. Mox itaque legunt *in Sexto*: fingunt praeterea, Papirium *Sex* vulgasse *libros*, et belliſſime diuinare audent, quinque libros priores sacras. *Sextum* ciuiles, siue regias comprehendisse leges. Sed audax haec coniectura plane repugnat fragmento Pomponii, quo laudantur primo Reges, quod leges tulerint, deinde celebratur Papirius, ob solam legum regiarum collectionem, porro dicitur, *omnes leges*, non ciuiles tantum, sed et sacras, quales Reges plures tulisse supra vidimus, collegisse Papirium libro singulari; tandem additur, *is liber appellatur Ius Papirianum.* Igitur si *omnes leges* continuit *Sextus liber*, quid quinque prioribus tradere potuerit Papirius, non video. Sed alterum momentum, quod errandi occasionem praebuit, tangendum quoque est. Nimirum tantam tribuunt viri docti Pomponiano Fragmento auctoritatem, quantam maiorem ne quidem dare possemus scriptori optimo, omnibusque numeris absoluto, et, quod maximum est, cuius scripta, et integra, et a nemine interpolata deprauataque, ad nos peruenerunt. Quoniam vero iidem non possunt non perspicere, pleraque male se habere, recurrunt ad coniecturas, et aegerrimo fragmento medicinam facere studeant, qua tamen minime opus esset, dummodo aduerterent, hominem indoctum rudemque, et qui ne primis quidem labris literas degustauit, Pomponii librum de origine Iuris, seculo Iustinianeo, barbaro iam, excerpsisse, atque foeda ignorantia adeo maculasse elegans enchiridion, vt singulae fere lineae, vel operosa et ingeniosa interpretatione, vel emendatione egeant. Exemplum possunt praebere verba supra prolata. Etenim ICtus ille Constantinopolitanus, Pomponii Epitomator, Papirium primo *Sextum*, et deinde per oscitantiam *Publium* appellat, notatque vixisse temporibus Superbi, quem, per ignorantiam, Demarati filium facit. Porro lepidum caput pergit, *is liber*, *vt* DIXIMVS, etc. cum tamen ea, quae dixerat Pom-

Source : BIU Cujas

Pomponius, omisisset; addit denique, *Leges sine ordine latas in vnum composuit*, respiciens sine dubio ordinem illum, qui sua aetate obtinebat, quo leges discerptae in partes varias, titulis quoque variis aptabantur. Nullum enim sensum admittunt haec; *leges regias sine ordine latas composuisse Papirium*, nisi velimus legere, *suo ordine*. Haec vero, quae paullo verbosius disputaui, eo pertinent, vt ostendam, Pomponii fragmentum, nisi consentiat cum scriptoribus, qui res Romanas accurate et summa fide posteritati tradiderunt, prorsus attendendum non esse. At cum de Iure Papiriano locum habeamus classicum Dionysii *Lib. III. p.* 178. de eo, quid sentiendum sit, strictim, sed, quod mihi persuasum est, probabiliter exponam. Differens autem Historicus *l. c.* de Anco Marcio, eiusque studio instaurandi neglectam, Tullo Hostilio imperante, religionem, haec scribit: Καὶ μετὰ τοῦτο συγκαλέσας τοὺς ἱεροφάντας, καὶ τοὺς περὶ τὰ ἱερὰ συγγραφέας, ὃς Πομπίλιος συνεκάλει, παρ' αὐτῶν λαβὼν, ἀνέγραψεν εἰς δέλτους, καὶ προὔθηκεν ἐν ἀγορᾷ πᾶσι τοῖς βουλομένοις σκοπεῖν, ἃς ἀφανισθῆναι συνέβη τοῦ χρόνου· χάλκειαι γὰρ σπήλαι ἦσαν τότε ἦσαν, ἐπὶ ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν, οἵ τε νόμοι καὶ αἱ περὶ τὰ ἱερὰ ἀναγραφαί· μετὰ δὲ τὴν κατάλυσιν τῆς βασιλείας εἰς ἀναστροφὴν δημοσίαν αὖθις ἤχθησαν ὑπ' ἀνδρὸς ἱεροφάντου Γαΐου Παπιρίου, τὴν ἀπάντων τῶν ἱερῶν ἡμιονίαν ἔχοντος. *Conuocatis deinde Pontificibus, sumptos ab eis Commentarios, quos Numa de sacris conscriptos reliquerat, transcripsit in tabulas, et in foro proposuit legendas quibuslibet; quae tandem vetustate sunt abolitae. Nondum enim in vsu erant columnae aereae: sed in quernis tabulis incidebantur tam leges quam sacrorum ritus: quae tabulae* POST EXACTOS REGES *rursum in publicum vsum reuocatae sunt per summum Pontificem*, GAIVM PAPIRIVM. En! igitur habemus *Papirium*, qui fuit Tarquinii Superbi temporibus ex principalibus viris, quique tabulas, sacras leges continentes, post exactos Reges, restituit. Is vero *Gaius* appellatur praenomine. Et forte sciolus quidam librarius, qui Cuiacii Codicem descripsit, cum legisset, *in libro G. Papirii*, τὸ G. notam putauit esse numeri senarii, siue ϛ′στόμου Graecum, de quo vide Schwartzii eruditam dissertationem, et *Prolegom. ad Cod. Theodos. pag.* 212. *not. X.* Fuit porro Papirius Pontifex Maximus, ad quem, muneris sui caussa, cura tantum sacrarum legum pertinuit, quas, cum, post exactos Reges, ciuitas aliam plane faciem induisset, et Consules de ordinanda republica solliciti, humanas Tullii leges veteresque consuetudines reuocassent in vsum, neglectas antea, denuo quoque describendas prouulgandasque esse censuit. Imo id publica ipsum auctoritate fecisse, persuadet Dionysius, qui *Lib. IIII. pag.* 274. et *Lib. V. p.* 278. testatur, Brutum, Tribunum adhuc Celerum, et Consulem deinde creatum, simul cum collega maximam sacrorum habuisse curam. Cum praeterea ad §. VIIII. supra ostensum sit, Iuris vtriusque, diuini scilicet atque humani, coniunctionem fuisse arctissimam, facile ad intelligendum est, ipsam necessitatem postulasse, vt summus Pontifex, exactis regibus, animum eo intenderet, vt ciuitas iure diuino imbueretur, quoniam eodem tempore, Consules, legibus ciuilibus eam quasi de nouo fundauerant. Praeuideo tamen, futuros nonnullos, qui obiiciant mihi, fragmentum Pomponii, leges a Papirio collectas, dicere, *Ius Ciuile Papirianum*, hisque satis innuere, leges ciuiles, proprie ita dictas, hoc quoque iure comprehensas fuisse. At enimvero hac obiectione nihil efficitur, cum et ius sacrum, in ciuitatem receptum, recte Ius Ciuile appelletur, vel Iustiniano docente *Instit. de Iur. Natur. Gent. et Ciu.* §. 1. Ea deinde, quae de Granio Flacco obseruarunt viri docti, manifestum praebent testimonium, *Ius Papirianum* esse Pontificium, siue diuinum. Scripsit hic auctor, librum ad Caesarem *de indigitamentis*. Sed *indigitamenta* sunt ἱερατικὰ βιβλία. Haec vero Ius Sacrum continent, docente Dionysio *init. Lib. X.* Queruntur enim

Source : BIU Cujas

enim ibidem Tribuni Plebis, in vrbe omnia patricios posse, solos praeesse iudiciis, multa ex arbitrio agere, cum plurima legibus non essent definita, καὶ εἰ ὀλίγα πρὸ αὐτῶν ἱεροῖς ἐν βίβλοις ἀπεκείμενα, ἃ νόμων εἶχε δύναμιν, et perpauca in SACRIS LIBRIS haberentur, quae legum vim obtinerent. Quo loco sacri libri, iidem sunt cum iure Papiriano, quod, licet de sacris, votis, sepulcris, pluribusque rebus aliis, quae, sine religione peragi non poterant, disponeret, solum tamen, Romanis, leges ciuiles proprie sic dictas, effiagitantibus, satis facere nullo modo potuit. Denique, quae ex Commentariis Granii habemus hodie, tanquam ex naufragio reliqua, meam confirmant sententiam. Ita enim legimus apud Macrobium *Saturn. Lib. III. c. 11. In Papiriano iure euidenter relatum est, arae vicem praestare posse mensam dicatam*, etc. Et *l. 144. D. de V. S.* haec extant: *Granius Flaccus in libro de iure Papiriano scribit, pellicem nunc vulgo vocari, quae cum eo, cui vxor sit, corpus misceat.* Quibus verbis illustrare voluit is auctor legem Numae, *Ne pellex Iunonis aram tangeret*, quam ex Commentariis Regis, Papirius, descriptam, rectissime Pontificio iuri inseruit, quoniam nuptiarum matrimoniique religionem, cuius erant custodes Pontifices, stabiliuit. Festus tandem *voc. ricae*, hoc scriptum reliquit: *Granius quidem ait esse muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica redimiatur.* Sed quis non videt, Granium quoque haec ad illustrationem Iuris Deorum Manium scripsisse. Sunt enim notissima illa, *Tribus riciniis*, etc. quae ex Pontificio iure in tabulam X. relata esse, inter omnes constat. Patet igitur, si quid ego intelligo, et ex testimonio Dionysii, et ex Commentariis Granii ad Ius Papirianum, et ex ipsa temporis ratione, Ius Papirianum, quod Pomponii fragmentum memorat, Pontificium fuisse. Etenim huius iuris tantam habuerunt Romani curam, vt Liuius *Lib. VI. cap. 1.* scribat, Tribunos militum consulari potestate, excisa a Gallis vrbe, *nulla de re prius, quam de religionibus Senatum consuluisse.* R.

Ad §. XVIII.

(17) Consules edictis moderabantur.

(17) Rem luculenter eodem loco probat Dionysius, vbi diserte ait: Ὡς δὲ ἐπαύσαντο μοναρχούμενοι, τῆς καθ' ἑνιαυτὸν ὑπαλυόντων ἀνήκατο τά τε ἄλλα τῆς βασιλέως ἐξουσίας, καὶ ἡ τοῦ δικαίου διάγνωσις, ἣν πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ὁτουδήποτε ἐκεῖνοι τὰ δίκαια οἱ ἀμφίπολοι ἦσαν. *Imperio regio cessante, eoque ad annuos magistratus translato, inter cetera regia officia iuris quoque cognitio ad eos translata est, atque illi, lite quacumque de causa inter aliquos orta, iura reddebant.* Postea obseruat ea, quae constituissent, postea, tamquam translatitia seruata esse a successoribus: vt ne dubitari quidem posse videatur, quin de edictis consularibus loquatur Dionysius. H. Nimium inseruit Auctor hypothesi suae, eaque fingit, quae frustra forte apud Dionysium quaeres. Edicere potuisse, et edixisse quoque Consules, non nego; sed raro hoc feciisse, fidem facit ibidem Dionysius, qui scriptum reliquit, vulgus agriculturae intentum, et in vrbem ad nundinas tantum veniens, iura ignorasse; quod tamen fieri non potuisset, si edicta plura publice proposita, eaque, tanquam tralatitia, a successoribus seruata fuissent. Imo, qui attente legerint Dionysium, obseruabunt, patricii generis Consules, et Aristocratiae studiosos, consulto noluisse edicere, ne, cum soli ius redderent, cogerentur secundum edicta sua, quod Tribuni Pl. volebant, pronuntiare. Male quoque Heineccius Graeca interpretatus est, vt vidit iam Georg. d'Arnaud *Var.*

Source : BIU Cujas

Coniect. Lib. I. cap. 17. Etenim laudatus Hiſtoricus haec tradit: *Ceſſante regio imperio, Conſulibus annuis, cum reliqua Regum munia, tum etiam iuriſdictio competebat: et ipſi erant, qui quacunque de cauſſa inter ſe diſceptantibus, iura dabant. Horum autem magna pars, Principibus magiſtratuum* (id eſt, Conſulibus) *qui e patriciis deligebantur, vna cum magiſtratu mandabatur. Etenim perpauca habebantur in ſacris libris, quae legum vim obtinebant.* Scio, G. d'Arnaud velle, *vt procuratoribus magiſtratuum iurium magna pars viam ad honores fecerit.* Sed hoc Graeca verba mihi innuere non videntur. Locus ſane obſcurus eſt, nec Codices MSS. ad interpretationem ſubſidii quid afferunt. R.

Ad §. XVIIII.

(18) Leges Sacratae.
(19) Decem Tribuni Plebis.

(18) *Sacratae* dicebantur hae leges, quia iis erat ſancitum, vt ſi quis aduerſus illas feciſſe diceretur, alicui Deorum cum familia pecuniaque ſua SACER eſſet. Feſtus *in voce Sacrata.* Hinc alibi vbi de *ſacro homine* diſſerit, adducit veterem formulam: SI QVIS EVM, QVI EO PLEBISCITO SACER SIT, OCCIDERIT, PARRICIDA NE SIT. De legibus ſacratis tum latis accurate egit Car. Sigon. *de Iur. Ciu. Rom. I, 6.* de aliis tali ſanctione poenali munitis Radulph. Forner. *Rer. Quotidian. Lib. VI. cap. 15. p. 295. ſequ. Theſaur. Iur. Ciu. Tom. II.* Non enim hae tantum, ſed omnes ſimili ſanctione munitae leges SACRATAE vocantur. Perizon. *Animadu. Hiſt. p. 418. ſequ.* H. Cl. Erneſt. *Clau. Cicer. in Indic. LL. voc. leges ſacrat.* R.

(19) De numero Tribunorum inter auctores non conuenit. Sunt enim, qui duos tantum in ſacro monte creatos dicunt. Vid. Liuius *Lib. II. c. 33.* Cicero *in fragm. Orat. pro Cornel.* et *ibid.* Aſconius. Suid. *voc.* Δήμαρχοι. De poteſtate Tribunorum, (de qua cum cura exponendum eſt, vt tribunitia Auguſtorum poteſtas intelligatur facilius) loca ſunt elegantia apud Dionyſ. *Lib. VI. p. 409.* Plutarch. *Caton. Min. pag. 768.* Liu. *Lib. IIII. c. 26. Lib. VIIII. c. 34.* Dionem *Lib. XXXVII. ad an. V. C. 694.* Gellium *Lib. XIII. cap. 12.* Confer etiam Erneſti *Clau. Cic. voc. Tribun.* et Georg. d'Arnaud *Var. Coniect. Lib. I. c. 21.* R.

Ad §. XXI.

(20) *Lex Ateria Tarpeia.*

(20) Ita hanc legem deſcribit Dionyſius: at plura tamen de illa notanda ſunt ex aliis auctoribus. Nam primo ſatis probabile eſt, pro δύο βόας καὶ τελάκοντα πρόβατα inuerſo ordine legendum eſſe δὲ πρόβατα καὶ τελάκοντα βόας. Quum enim minor ouium, quam boum prouentus eſſet: Feſtus *in voce Peculatus* diſerte ſcribit: *Ante aes aut argentum ſignatum, ob delicta poena grauiſſima erat* DVARVM OVIVM *et* TRIGINTA BOVM. Deinde, quum haec poena ante aes ſignatum exigi conſueuerit, aes autem Romae primum ſignauerit Seruius Tullius Rex: Plin. *Hiſt. Nat. XVIII, 3. XXXIII, 3.* vnusquiſque videt, hunc mulctae modum non primum hac lege, ſed iam inde ab antiquiſſimis temporibus fuiſſe definitum. Hinc vir doctiſſimus, Io. Koolius, Vltraiectinus, libello ſingulari *ad legem Ateriam Tar-*

Source : BIU Cujas

Tarpeiam Cap. II. p. 1507. *Thesaur. Iur. Tomo V.* obseruat, duo potissimum hac lege sancita fuisse, primum vt omnibus magistratibus fas esset mulctare eos, qui sibi non obtemperent: quum antea id ius soli consules habuissent. Dionys. Halic. *Lib. X. p.* 674. Alterum, vt numerum ouium boumque certa pecunia, et quidem ouem aeris denis, bouem centenis redimere liceret. Gell. *Noct. Att. XI*, 1. Festus *in voce Aestimata, Ouibus, Mulcta.* An vero et modus hic ea lege primum definitus sit, vt mulcta duas oues et triginta boues non excederet, merito dubitat ob locum Festi *in Peculatus*, ex quo hunc poenarum modum iam ante aes signatum obtinuisse vidimus. Ceterum ex hac lege nata postea esse videntur edicta Praetoris: SI QVIS IVS DICENTI NON OBTEMPERAVERIT, *l.* 1. *D. si quis ius dic. non obtemp.* itemque: SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT, QVVM EVM IRE OPORTERET, VT IS IN MVLCTAM PRO IVRISDICTIONE MAGISTRATVS CONDEMNETVR. *l.* 2. *pr. et* §. 1. *D. si quis in ius voc. non ierit.* H. Ad hanc legem quaedam non vulgaria, post Brissonium *Select. ex Iur. Ant. Lib. I. c.* 3. et Koolium, ab auctore laudatum, obseruauit Georg. d'Arnaud *Var. Coniectur. Lib. I. c.* 16. Dionysium errasse, Koolius statuit, quod scripsit, lege Ateria mulctam, duarum ouium, boumque triginta statutam esse, cum certum sit, eam obtinuisse iam antea, hacque lege boum tantum ouiumque aestimationem fuisse introductam. Nam apud Gellium *l. c.* legimus: *Idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oues singulas aeris deni, in boues aeris centeni.* Verum, licet haec ita se habeant, eam tamen ob caussam, erroris arguendus non est Dionysius, cum satis constet, ea saepenumero repetita esse, quae dudum ante legibus definita fuerunt. Deinde, si et ante Ateriam legem Consulibus ius fuit, tot ouium boumque mulctam dicendi; et si praeterea mulctis, ante eandem, modus quoque statutus est; id tamen de iis tantum intelligendum, quas Consules irrogabant. At quis non videt, cum lex nostra, eandem aliis magistratibus, quam hactenus habuerant Consules, facultatem concedat, eius quoque latores definire eorum magistratuum mulctae dictionem, debuisse, ne vel abuterentur potestate, vel potiore, quam Consules, iure gauderent? Hoc quoque tenendum est, legem Ateriam de iis solum mulctis agere, quas magistratus his irrogare consueuerunt, qui iniurii in ipsorum potestatem fuerant; plebem enim populumque in comitiis, criminis publici reis, mulctas dixisse grauissimas, et plura veterum auctorum loca declarant, et laudatissimus d'Arnaud *ibid.* docet. Iam vero, quod attinet ad emendationem loci apud Dionysium corrupti, eam a viris doctissimis feliciter tentatam factamque esse, facile largior, quoniam tot auctoritates id suadent, et in re eadem apud Plutarchum *in Poplicol. pag.*103. Δύο πρόβατα, καὶ πίνθ βόες occurrunt. Sed hoc est ridiculum, quod censent viri docti, ideo rescribendum esse apud Dionysium, *triginta boues*, quia maior boum, minor ouium prouentus fuerit. Scio, Gellium *Lib. XI. Cap.* 1. ex Varrone haec tradere: *Coniectare autem ob eandem caussam possumus, quod Italia tunc esset armentosissima, multam, quae appellatur suprema, institutam in singulos dies, duarum ouium, triginta boum; pro copia scilicet boum, proque ouium penuria.* Sed aut Gellius Varronem non cepit, aut Varro hac in re fuit tenuis nimis et λιπολόγος. Profecto, qui non attente satis haec Gellii verba adspicit, is in errorem potest induci, vt credat, tanti olim oues duas fuisse pretii, quanti fuerunt boves triginta. At enimuero, si tantus fuit olim boum prouentus, cur ouis decussibus, bos centussibus aestimatus est? Cur ille, qui, pueruli sui amore corruptus, vt omasum posset in coenam apponere, domitum bouem, quia bubulae carnis in propinquo emendae nulla facultas erat, occiderat, publica quaestione afflictus est?

Source : BIU Cujas

Innocens, inquit Val. Maxim. *Lib. VIII. c.* 1. id referens, *nisi tam prisco seculo natus esset.* Res igitur ita concipienda. Antiquissimis temporibus obtinebat mulcta pecoris, ouium boumque. *Sed*, inquit Gellius *l. c. cum eiusmodi mulcta pecoris a magistratibus dicta erat, adigebantur boues oueſque alias parui pretii, alias maioris: eaque res faciebat inaequalem mulctae punitionem. Idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oues singulas aeris deni, in boues aeris centeni.* Optime vero Dionysius, cum legem Ateriam memorat, scripsit, magistratus, secundum eam ouium boumque mulctam dixisse, quoniam recentiore etiam aeuo, qui vocati non ierant, aut ius dicenti non obtemperauerant, non in mulctam decem aut centum assium, sed ouis bouisue condemnabantur. Ita enim Gellius: *Quando igitur nunc quoque a magistratibus populi Romani, more maiorum multa dicitur, vel minima vel suprema, obseruari solet vt oues genere virili appellentur. Atque ita M. Varro, verba haec legitima, quibus minima multa diceretur, concepit: M. Terentio, quando citatus, neque respondit, neque excusatus est, ego ei vnum ouem multam dico.* Erat ergo *minima mulcta*, ouis vnius, succedebatque ouium duorum, siue vigessis, vt est apud Festum *voc. ouib. Ouibus duobus multabantur apud antiquos in minoribus criminibus, in maioribus autem bubus.* Et paullo post: *Item vigessis in minoribus delictis.* Ita enim ibi legendum est. Et postea demum dicebatur mulcta vnius bouis, siue centussis. Elegans locus Plinii *Hist. Nat. Lib. XVIII. cap.* 3. huc pertinet. *Mulctatio quoque*, inquit, *nonnisi ouium boumque impendio dicebatur. Non omittenda priscarum legum* BENEVOLENTIA: *Cautum quippe est, ne bouem prius, quam ouem nominaret, qui indiceret mulctam.* Quae sola verba faciunt, vt aliter apud Dionysium legi non possit, quam, *duos oues, & triginta boues.* Laudat enim Plinius legum beneuolentiam, quae non permiserint, vt magistratus his, qui immorigeri fuerant, mulctam statim boum dicere possent, verum eas praecepisse tradit, vt ouium primo, atque deinde demum, si ad saniorem mentem, post inflictam decussis, vigessisque poenam, non rediissent, mulcta boum in ordinem eos cogerent. Si quando vero graui opus erat, ob iudicis contemptum, coërcitione, tunc ex lege Ateria, et ouium duorum, et simul triginta boum poenam magistratus irrogare poterant, quam *maximam* siue *supremam mulctam* veteres dixerunt. Festus *voc. mulctam: Maximam mulctam dixerunt trium millium & viginti assium, quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duobus ouibus quemquam mulctari. Aestimabaturque bos centussibus, ouis decussibus.* R.

Ad §. XXIIII.

(21) Ciuitates a quibus Legati Romani petierunt leges.

(21) Dionysius *Lib. X.* locis duobus, *pag. 676. et 678.* et Athenas, et Graecas Italiae ciuitates nominat, legatosque ab iis Romam attulisse leges, scribit. Lis est de Lacedaemone inter viros doctos, plerisque negantibus, ab ea vrbe leges petitas esse. Quorum sententiam, cum eam ob caussam maxime probabilem esse censuit Heineccius, quod Lycurgi ῥήτρα literis mandatae non essent, describique ideo nihil potuerit, vehementer errauit. Quis enim non videt, et νόμιμα ἀγράφα, mores populi, consuetudinesque, legatos Romanos edisscere, memoriaeque mandare potuisse? Imo, vt facerent hoc, ipsos mandata habuisse, Liuius auctor est *Lib. III. c.* 31. *Iussique sunt inclitas leges Solonis describere, et aliarum Graeciae ciuitatum* INSTITVTA, MORES, *iuraque noscere.* Melius illi faciunt, qui, institutа collatione legum Romanarum cum Spartanis, Lacedaemoniorum leges, et parum habere

Source : BIU Cujas

habere cum Romanis similitudinis, et pleraſque his plane contrarias eſſe, docent. Et hanc viam ingreſſus eſt Cl. Otto *l. c.* Hoc autem loco iterum attendendum ad conſenſum Romanarum Graecarumque legum, de quo §. I. ſupra quaedam me monuiſſe memini. R.

Ad §. XXV.

(22) De Hermodoro Epheſio.

(22) HERMODORVM illum Epheſium vrbe ſua expulerant ciues per oſtraciſmum, non crimine vllo exſilium iſtud meritum, ſed virtute, qua ceterorum ciuium ſuorum luminibus officere videbatur. Quod conſilium adeo damnauit Heraclitus, philoſophus, vt diceret: ἄξιον Ἐφεσίοις ἡλικὸν ἀποθανεῖν πᾶσι, καὶ τοῖς ἀνήβοις τὴν πόλιν καταλιπεῖν, οἵτινες Ἑρμόδωρον ἑαυτῶν ἀνιστον ἐξέβαλον, λέγοντες, ἡμέων μηδὲ εἷς ἀνιστὸς ἔστω· εἰ δέ τις τοιοῦτος, ἄλλη τε καὶ μετ' ἄλλων. *Merentur Epheſii omnes adulti mori, impuberibuſque vrbem derelinquere, quoniam Hermodorum, ſuum benefactorem, expulerunt, dicentes: Noſtrum nemo meritis excellat, quoniam ſi quis erit talis, alibi degat, et cum aliis.* Diog. Laërt. *Vit. Philoſ. Lib. IX. ſegm.* 2. Cic. *Tuſcul. Diſp. V*, 36. Exſtat praeterea Epiſtola, quae inter Heracliteas tertia eſt, in qua per ſomnium ſe vidiſſe ait, ad Hermodori leges vniuerſi orbis diademata accedere, et ex Perſarum more, ἐγκλείοντας τὸ στόμα προσκυνεῖν αὐτούς, *ore obvoluto eas adorare.* Immo addit, Sibyllam cum alia plurima, tum id quoque vaticinatam eſſe:

Ἐξ Ἰάδος γαίης ἥξειν σαφὲς Ἰταλίηνν.

Venturum Ionia ſapientem ex vrbe Latinis. Vid. Stanleii *Hiſt. Philoſ. Parte VIII. cap.* 3. *p.* 832. Sed fungus ſit, qui fucum non videat. Non ſane ipſe has leges ſcripſit Hermodorus, quod Strabo *Lib. XIIII. p.* 951. *edit. nou.* velle videtur, ſed, vt Pomponius *l.* 2. §. 4. *D. de orig. iur.* ſcribit, *auctor Decemuiris fuit ferendarum legum*, id eſt, vt ego interpretor, conſilio illos iuuit, et obſcuriora interpretatus eſt. Quamobrem illum *Decemuirorum interpretem* vocat Plinius *Hiſt. Nat. XXXIIII*, 5. Et quis quaeſo dubitet, quin illis opus fuerit interprete, nulla Graecae ſapientiae cognitione imbutis? Falluntur etiam, qui et Iuſtinianum verbis *l.* 2. §. 19. *C. de vet. jur. enucl. Haſce itaque leges et* ADORATE, *et obſeruate*, ad illud Heracliti ſomnium adludere, et Pontificem *Cap.* 5. *X. de praeſcript.* Hermodoro *Epheſini legislatoris* elogium tribuere contendunt. Maran. *de Aequit pag.* 36. *Tomo II. Op. Epheſinus* enim *legislator* ibi eſt Theodoſius Imp. qui concilium Epheſinum indixit, Ciron. *Obſeru. I*, 15. et V. C. Ever. Otto *praefat. Tom. III. Theſ. Jur. p.* 3. quemque praeſcriptionis tricennalis auctorem eſſe, praeclare docuit Gonzal. Tellez *Tomo II. Parte II. p.* 678. vt mirum ſit, virum doctiſſimum poſtea cum Io. Savarone *ad Sidon. Epiſt. VIII*, 6. pro *Epheſinus* reſcribi iubere *Eugenius legislator.* H. Non videtur Heraclitus verum τῷ ψηφίσματι percepiſſe ſenſum. Id enim maximae ſemper curae fuit liberis ciuitatibus vt conſeruarent inter ciues aequalitatem, ne forte quis, elato altius capite, clientumque, quos ſibi largitionibus fecerat, inſtructus auxilio, detrimenti quid afferre libertati poſſet. Certe Romani olim hanc aequalitatis legem ſtudioſiſſime cuſtodierunt, quod docent, et accurata agrorum diuiſio, et variae leges Cenſoriae: quam, cum dominante libidine, negligentius poſteritas haberet, euerſa Democratia, tyrannidem experta eſt. Quis itaque vitio verteret Epheſiis, de libertate tuenda ſollicitis, quod ψήφισμα fecerint tale, ἡμέων μηδὲ εἷς ἀνιστὸς ἔστω, quod recte interpretatus eſt Cicero, *Nemo de nobis vllus excellat?* Eſt enim *excellere*, altiora tenere, et ἀνιστὸς, qui iuuando alios,

Source : BIU Cujas

atque commoda in eos conferendo, sibi auctoritatem prae reliquis conciliat, eoque efficit, vt solus omnia in ciuitate possit. Male ideo vertunt, *meritis excellat*, et putant, ipsam virtutem ab Ephesiis loco pulsam esse. At tam absurdas Ephesios leges dedisse, ne fingi quidem potest. Hermodorus vrbe eiectus est, quoniam libertati insidias struebat. Romam veniens, Patriciis carus fuit, quod ipsi quoque de Aristocratia stabilienda, et opprimenda plebe, consilia agitabant. Cum vero peregrinae leges, si causas ignoramus, propter quas illae latae sunt, vix intelligi, multoque minus in ciuitatem recipi possint, facile patet, Hermodorum, virum inter Graecos clarissimum, quoniam accuratam, earum ciuitatum, ad quas Romanorum legati adierant, notitiam habuit, allatam Romam legum Graecarum farraginem, et omnium optime elucidare, et Decemuiros consilio iuuare potuisse. Plinius ideo bene *interpretem* vocat; quod cum legisset Brunquellus, per summam incogitantiam in *Historia Iuris* scripsit, ignorasse Decemuiros linguam Graecam. R.

Ad §. XXVI.

(23) Centuriarum suffragia.

(23) Errat Dionysius, cum *Lib. X. pag. 681.* decem tabulas Plebiscito quoque confirmatas esse scribit. Nulli enim tum Tribuni fuerunt. *Eboreis tabulis* leges inscriptas fuisse, quod Pomponius vult, ne probabile quidem est. Recte iam olim Scaliger *Animaduers. ad Guilandini Papyrum*, emendauit *roboreas*, quam coniecturam Dionysius confirmat *Lib. III. pag.* 178. quo loco, antiquissimis temporibus et leges et sacrorum ritus, quernis tabulis Romanos inscripsisse, memoriae tradidit. Certe, si ebur hac iam aetate apud Romanos in vsu fuisset, vix ignorare Elephanti nomen potuisse videntur. At vero id nesciuisse, docet historia belli cum Pyrrho rege gesti. Cum enim eo tempore primum Elephantum in Lucania vidisset Romanus miles, *Bouem Lucam* appellauit. Consule Cl. Ottonem *Praefat. ad Tom. III. Thes. Iur. pag.* 4. R.

Ad §. XXVIII.

(24) Patriae consuetudines.
(25) Leges regias per Italiam conquisiuisse, &c.

(24) Cum Dionysius *Lib. II. pag. 97.* scribat, Decemuiros in foro proposuisse, τὰς παλαιὰς ἰδιωμάς τε καὶ νόμους, ἅμα τοῖς ἐπεισάκτοις, *patrios mores legesque, simul cum adscitiis*, hunc locum ita emendat Georg. d'Arnaud *Var. Coniectur. Lib. II. c.* 20. Ἐκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, καὶ τῶν κατὰ σφίσιν αὐτοῖς, ΚΑΙ ἀγράφων ἰδιωμάτων. *Atque e Graecanicis legibus, et propriis, et e moribus non scriptis.* Quam viri doctissimi emendationem idem Dionysius firmat, *Lib. V. pag.* 278. referens, Consules primos Tullii Regis humanas leges de contractibus in vsum reuocasse. Quae leges cum scriptae fuerint, satis constare poterit, Romam ante Decemviros, et scriptis legibus, et moribus vsam esse, ipsamque postulasse necessitatem, vt scriptae quoque leges, (quarum tamen numerus fuit exiguus, vt ad §. 18. supra obseruatum est) in XII. referrentur. R.

(25) Per Italiam Romanos leges conquisiuisse, Liuius scriptum non reliquit, apud quem haec legimus: *In primis foedera*

Source : BIU Cujas

dera ac leges (erant autem eae duodecim tabulae, et quaedam regiae leges) conquiri, quae comparerent, iusserunt. Conquiri vero potuerunt tabulae, vel in ruinis vrbis, vel in coloniis, quae Iure Romano viuebant. R.

Ad §. XXXIIII.

(26) De quibus rebus singulis tabulis actum sit?

(26) IAC. GOTHOFREDVS singulas leges tum stilo vetere, quo eas scriptas existimat, sistit, (quamuis eas, quarum ipsa verba legitima auctores veteres seruarunt, maiusculis litteris distinguat) tum et nouam earum paraphrasin addit. Enimuero quum in repraesentanda vetere Latinitate iusto plus sibi indulgeat vir doctissimus: non sine fructu simul consuli poterit IO. NIC. FVNCCIVS *de puerit. Lat. Linguae Cap. IIII. §. 4. sequ. p. 260.* H. Nonnulla, quae asseruit Cl. Funccius, in dubium vocauit Balth. Branchu *in Obseru. ad Ius Rom. Addend. p. 233.* cui is non tantum, *Spicilegium literarium, quo recta probatur legum decemuiralium restitutio*, opposuit, sed nuper quoque, edito in XII. Tab. Commentario, tabularum antiquissimam lectionem repraesentare studuit, pluraque obseruauit bonae frugis pleniſſima. Num vero fieri possit, et an conducat, vt prisca legum verba restituantur, disquisiuit Cl. Otto *praefat. Tom. III. Thes. Jur. pag. 23. sequ.* Id certissimum est, nulla hodie superesse antiqua monumenta, quae Decemuirum tempore lucem viderunt, nisi quis eo referre velit tabulas illas Eugubinas, de quibus tamen adhuc sub iudice lis est, vtrum a Latinis, an Hetruscis habeant originem, quaeque adeo obscurae sunt, vt doctissimi interpretes adhuc nesciant, quid iis inscriptum sit. R.

Non satis ergo Latina est phrasis, qua tres viri, *Institutionum* auctores, vsi sunt §. 15. *Inst. de Lege Aquill. plebem Romanam, Aquillio Tribuno rogante, hanc legem* TVLISSE, acriter ideo reprehensi ab Hotomano ad *d. §. 15.* H.

Ad §. XXXX.

(27) De Quiritium vocabulo.

(27) De *Quiritium* voce vid. *supr. §. VII.* Cum vero *Quirites* sint ciues togati, facile patet, milites eo nomine vti non potuisse. Inde, in vrbanis concionibus, qui cum populo agebant, QVIRITES dicebant, qui vero in castris alloquebantur exercitum, hoc verbo, MILITES, affabantur. Vid. Brissonius *de Formul. Lib. IIII. pag. 326. et 343.* R.

Ad §. XXXXI.

(28) De lege Hortensia.

(28) Consul. Liu. *Epit. Lib. XI.* Plinius *Lib. XVI. c. 10.* qui scribit, Hortensium legem in esculeto tuliſſe. Macrobius *Lib. I. Saturnal. c. 16.* tradit, *lege Hortensia effectum, vt nundinae fastae essent: vti rustici, qui nundinandi causa in vrbem veniebant, ltes componerent.* Hanc legem video nonnullos Hortensio Dictatori tribuisse. Ego vero, cum diuersas veterum, quas ibidem memorat Macrobius, de nundinis fastis sententias pensito, pronunciare malo, non liquere. R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. XXXXVI.

(29) Discrimen inter actiones legis et actus legitimos. (*H. N.*)

(29) Sed et ipse Auctor, cum Hotomanno, quem commendat, errat, vt demonstrarunt Cuiacius et Iac. Gothofredus *ad l. 77. D. de regul. iur.* Ego certe non video, quibus adducti rationibus Heineccius, aliique, hoc loco, quo de actionibus legum disputandum est, vt suam firment sententiam, lictores atque carnifices in medium producere potuerint. Cum enim hi *lege agere* dicantur, qui in foro et iudicio disceptant, suumque ius persequuntur, existimare quis possit, lictores virgis gladioque in reorum corpora saevientes, et disceptasse quoque cum reis in iudicio, et ius suum persecutos esse. Sed apage istas ineptias. Alio plane sensu *lege agere* carnifex dicitur. Etenim, quando poenam de sontibus sumit, hoc agit, quod iubent leges, quoniam non magistratus, sed leges ipsae poenas statuunt. Igitur Iudex, quaestione habita, reum secundum leges tantum condemnare potest, excitareque carnificem, vt *eat, legeque agat*, siue, id peragat faciatque, quod leges iubent. Quae cum ita sint, facile patet, haec omnia, quae de lictoribus scripsit Auctor, minime huc pertinere. Deinde nec auctor, nec alii, satis accurate distinxerunt *legis actiones* ab *actibus legitimis*. Est enim id aeternae veritatis, actionem in sensu forensi, pertinere ad accusatorem vel petitorem, qui ex lege in aliquem accusando petendoue agit, quod hodie dicunt Processum instituere. Cum vero agi non possit sine formula, eaque actoris intentionem comprehendat, formula quoque *actio* dicitur, quod ex Cicerone accurate demonstrauit Cl. Ernesti *in Clau. Cicer. voc. actio.* Quoniam autem nulla datur *actio*, sine lege, siue, sine iure, vel ciuili, vel honorario, Iureconsulti accusationem vel petitionem, *legis actionem* dixerunt. Hinc frequens illud in iure, *magistratus, apud quem legis actio est*, id est, apud quem potest lege agi, quique iurisdictionem habet. Ex his itaque clarissimum est, omnes *legis actiones* contentiosae esse iurisdictionis, neque ad eas haec pertinere posse; vt nec diem admittant, nec procuratorem, actuque vno peragendae sint. Sed id tantum verum est, quod ait Pomponius, *actiones illas certas sollemnesque* fuisse, id est, singulas actiones singulas quoque habuisse formulas, et in nonnullis sollemnitatem quoque fuisse adhibitam, vt in *vindiciarum caussa*. Deinde iam antiquissimi Romani voluerunt, vt quaedam ciuium negotia, maioris inprimis momenti, et a quibus salus fortunaque pendere solet, sollemni ritu, certisque adhibitis formulis, vel apud magistratum, vel intra priuatos parietes, peragerentur, ne lites propter ea aeternae essent. Haec autem negotia, vel publice vel priuatim sollemni modo rituque celebrata, *actus* dixere *legitimos*, quoniam sollemnitate a lege inducta perfici consueuerunt. Cum vero *actio*, et *actus* idem apud auctores denotet, factum est, vt Iureconsulti *actus legitimos* quoque *actiones legis* appellarent. Ita Caius *Instit. lib. 2. tit. 1.* cessionem in iure, *legis actionem* vocat: Papinianus vero *l. 77. D. de reg. iur.* tutoris dationem *actum legitimum* dicit. Recte vterque. Nam quod *actus*, id et *actio* est ex linguae genio: quod *legitimum* appellamus, id quoque *legis* esse, nemo facile negauerit. Et ita censuerunt veteres prudentes, nullum vnquam futurum, qui, cum scriptum viderit, cessionem in iure legis actionem esse, existimare posset, subintelligi legis actionem proprie sic dictam, qua vel accusamus vel petimus. Dedit tamen ea res infinitis erroribus occasionem, effecitque, vt recentiores ICti, quasdam secundi generis *legis actiones* fingerent, quae apud iudicem quidem, sed sine disceptatione

Source : BIU Cujas

diſceptatione interponantur, & voluntariae iuriſdictionis ſint; ac in tertiam deinde claſſem reiicerent *actus legitimos*, qui ſcilicet ſine iudicis auctoritate intra priuatos parietes fieri ſoleant. Sed, his admiſſis, quid fiet *tutoris dationi*, quam actum legitimum eſſe Papinianus ſcripſit? Hanc vero ſollemniter in iure celebratam fuiſſe, adeo notum eſt, quam quod notiſſimum. Res igitur omnis ita concipienda. Aut accuſamus, aut petimus; & tunc *lege agimus*, ſiue *legis actione* experimur, deſideramuſque, vt jus dicat judex ille, ad quem Juriſdictio pertinet. Etenim omnis legis actio iuriſdictionem requirit. Aut negotium quoddam, ſiue actionem, ſiue actum ſollemnem, celebramus, a lege inductum; tunc vero nec accuſamus, nec petimus, nec id volumus, vt jus dicat judex, ſed vt auctoritatem ſuam interponat, quo actus ille legitimus, ſiue legis actio, robur quoddam firmitatemque acquirat. Et quoniam hic nulla requiritur juriſdictio, actio illa, ſiue actus legitimus recte celebrari poteſt coram magiſtratu, qui iuriſdictionem contentioſam non habet. Ita apud Proconſulem, poſtquam vrbem egreſſus eſt, licet in provinciam, in qua ipſi iuriſdictio competit, nondum venerit, manumiſſiones & adoptiones fieri poſſunt, *l. 2. D. de off. Proconſ.* & alibi. Aut denique negotium quoddam conficimus, quod iudicis quidem auctoritatem non requirit, attamen, ne aliquando dubium poſſit ſuboriri, rem eam, non eo, ſed alio longe modo actam eſſe, ſollemnem formulam, ritum, ſigna, teſtes, et alia, vel lege, vel moribus inducta, deſiderat: quae, cum rite legitimeque peragimus, moremque in ciuitate receptum obſeruamus, actum hunc quoque celebramus legitimum. Et ad hos actus legitimos, vtriuſque generis, haec tantum pertinent, vt nec diem nec conditionem admittant: vno actu peragantur, atque per procuratorem explicari non poſſint; de quibus vide Jacob. Gothofredum ad *d. l. 77. D. de regul. Jur. pag. 940. ſequ. Oper. Iuridicor.* R.

Ad §. XXXXVIIII.

(30) Non litteris, ſed notis &c. (*H. N.*)

(30) Longa eſt obſeruatio, & nihilominus tamen longiſſime a veritate aberrarunt Auctor, et alii, qui de Iure Aeliano ſcripſerunt. De notis apud Pomponium nihil legitur, cuius verba haec ſunt: *Augeſcente ciuitate, quia deerant quaedam genera agendi, non poſt multum temporis ſpatium Sextus Aelius alias actiones compoſuit, et librum populo dedit, qui appellatur Jus Aelianum.* Ponunt autem ſententiae ſuae fundamentum viri docti in loco Ciceronis *Orat. pro Muraen. c. 11. Itaque*, inquit ille, *irati illi* (iureconſulti) *quod ſunt veriti, ne dierum ratione peruulgata, et cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi*, (quoniam Flauius et faſtos & formulas vulgauerat) NOTAS *quaſdam compoſuerunt, vt omnibus in rebus ipſi intereſſent.* Iam fingunt, veteres ICtos, proditis a Flauio formulis, nouas compoſuiſſe, easque, ne quis legere poſſet, notis occultis ſcripſiſſe. Sed id exſculpi ex verbis Ciceronis nullo modo poteſt. Putabimusne Ciceronem ita concludere potuiſſe: *notas compono, ergo omnibus in rebus interſum?* Sane ex mente doctorum noſtrae aetatis virorum Romanorum ille doctiſſimus ita ratiocinari debebat: *notas compoſuerunt, vt nemo ea, quae ſcripta eſſent, legere poſſet.* Deinde, *notae* non *componuntur*, ſed ſcribuntur; *componitur* vero *formula* ſiue *carmen*, vt ibidem Cicero *cap. 12.* docet. Recte igitur iam olim obſeruauit Camerarius, per *notas*, *actionum formulas*, apud Ciceronem, intelligendas eſſe, et aptiſſime ad hunc locum Cl. Erneſti *Clau. Ciceron. voc. nota*, haec notauit: *Quorſum autem opus ſcribere formulas illas per notas?*

Source : BIU Cujas

Ne a seruo iterum aut scriba publicarentur? Sufficiebat cauere, ne in talis hominis manus venirent, qui iis vulgandis gratiam popularem captare vellet et posset. Ne ii autem publicarent, qui eas tenerent, vt Aelius fecit, ne per notas quidem cauere poterant. Ego profecto neminem mihi persuaderi patiar, vt credam, notas tam vetustas esse, vt ante Aelium iam res quaedam iis perscribi potuerint. Sed hoc etiamsi factum esset, inde tamen male concluderetur, Ciceronem de notis esse intelligendum, cum de formulis actionum manifeste loquatur. Scribit enim, *Flauium cornicum oculos confixisse, fastos proposuisse, et ab ipsis cautis ICtis sapientiam compilasse*, siue, quod idem est, actionum formulas edidisse: *hos itaque iratos factos, quod verebantur, ne iam sine sua opera lege posset agere* quiuis ex populo, NOTAS *quasdam composuisse*, id est, nouas excogitasse formulas, *vt omnibus in rebus ipsi interessent*, id est, vt eorum quoque opera in posterum esset necessaria, ipsique soli regnum obtinerent forense. Si quis enim, post excogitatas has notas seu formulas nouas, lege agere secundum Ius Flauianum, vel secundum antiquam formulam, volebat, causa is cadebat, quod docet Cicero *ibid. c.* 12. *Cum hoc fieri* (ex formula Iuris Flauiani) *bellissime posset*: FVNDVS SABINVS MEVS EST: IMMO MEVS: DEINDE IVDICIVM: *noluerunt*. Nouam enim excogitarunt notam seu formulam, et eam quidem verbosiorem, qua in fundo vindicando opus esse et Iureconsultus et Praetor clamabant. Hanc Cicero ibidem recitat: FVNDVS QVI EST IN AGRO, QVI SABINVS VOCATVR, EVM EGO EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO, INDE EGO TE EX IVRE MANV CONSERTVM VOCO. Est igitur haec illa nota, quam composuerunt ICti, quamque deinde cum aliis Aelius in *Tripertitis* vulgauit. Ex his autem simul patet, nullam esse fragmento Pomponiano fidem habendam; cum in eo legamus, Aelium demum actiones, siue notas composuisse. R.

Ad §. LIIII.

(31) Aediles plebis.
(32) Quaestores.

(31) Aediles a Graecis ἀγορανόμοι nominantur, quod patet ex Polybio, Dionysio, Dione, Plutarcho, Herodiano, aliisque. Aediles autem Plebis recte Tribunorum adiutores dixit Heineccius. Auctor enim est Dionysius *l. c.* quotannis creatos, τοὺς ὑπηρετήσοντας τοῖς δημάρχοις ὅσων ἂν δέωνται, καὶ δίκας ἃς ἂν ἐπιτρέψωσιν ἐκεῖνοι, κρινοῦντας, *qui tribunis subministrent quicquid opus sit; et lites, quas tribuni eis commiserint, iudicent.* Idem paulo post scribit: καὶ τὴν ἐξουσίαν ὑπηρετικὴν ἑτέρων ἔχουσιν, *et potestatem habent alterius magistratus ministram*: quem locum male sollicitat Casaubonus, cum rescribendum censet, ἐξουσίαν οὐχ ὑπηρετικήν. Confundit enim Aediles Curules cum plebeiis, quos Dionysius significanter ὑπηρέτας τῶν δημάρχων, *ministros tribunorum*, appellat. Cum vero ad hosce Aediles, praeter annonam, aedium sacrarum, publicorum locorum, ludorumque cura antiquitus spectaret, factum deinde est, vt harum rerum procuratione ab Aedilibus curulibus suscepta, sola ferme annonae, rerum promercalium, ludorum plebeiorum, et ne loca publica sordibus foetoreque inquinarentur, cura iis concessa sit. Occurrunt in numis Aediles Plebis sellis vulgaribus simul insidentes; vtrinque autem modius cum spica, quae symbola, et apparens praeterea Spiciferae Cereris caput, omnino annonae procurationem arguunt. Vid. Spanhemius *de Vsu et Praestant. Numism. Dissert. X. Tom. II. pag.* 152. Ludos plebeios ab eis celebratos esse, passim

Source : BIU Cujas

passim legimus apud Liuium. Discurrisse Aediles per fora, vicos, plateas, et inspexisse res omnes venales, Plautus docet *Captiu. Act. IIII. Scen. 2. Tum piscatores, qui praebent populo pisces foetidos cet. Eis ego ora verberabo sirpiculis piscariis.* Et mox: *Tum lanii, qui locant caedundos agnos, et duplam agninam danunt, qui petroni nomen indunt verueci sectario; eum ego si in via petronem publica conspexero, et petronem et dominum reddam mortales miserrimos.* Curam gessisse eos, ne immunditie foetoreque publica loca foedarentur, idem *ibid.* docet: *Pistores, qui alunt furfuri sues, quarum odore nemo pistrinum praeterire potest: Eorum si quoiusquam scropham in publico conspexero, ex ipsis dominis meis pugnis exulcabo furfures.* Quae Plauti verba incogitanter Heineccius §. 75. *infr.* ad Aediles curules retulit, cum nemo non videat, Poëtam ad Plebeios alludere. Iidem praeterea, quae iter in publica via impediebant, frangebant conscindebantque, *l.* 12. *D. de pericul. et commod. rei vend.* dispellebant plebeculam in plateis negotia conferentem, Plautus *ibid. Proinde, vt omnes itinera insistant sua, ne quis in hac platea negotii conferat quicquam sui. Nam meus est balista pugnus, cet.* iniquas frangebant mensuras, *l.* 13. §. 8. *D. locat.* Cumque ab ipsa magistratus origine iurisdictionem propriam Aediles plebeii non habuerint, verum de rebus tantum Tribunorum arbitrio ad se delatis cognouerint, recte statuit Hotomannus, eos Edictum in albo non proposuisse. Sed edicebant viua voce in foris aut plateis, quae fieri vellent, vt ex Plauto *l. c.* cognoscimus: *Prius edico, ne quis propter culpam capiatur suam*; iudicabant de rebus leuioribus de plano, immorigeros verberabant manu, flagellisque caedebant, vt praeter Plautum, docet Suetonius *in Claud. cap.* 38. et *l.* 12. *D. de decurion.* pignora quoque capiebant, poenasque irrogabant, Tacitus *Annal. Lib. XIII. c.* 28. lites vero propter res emptas venditasque obortas dirimebant Aediles curules. Gesserunt tamen hunc magistratum illustribus apud Romanos familiis orti, quod numi docent a Spanhemio *l. c.* producti. R.

(32) Initio duo erant patricii generis, qui *vrbani* dicebantur. Eos anno ab V. C. CCCXXXII. duplicari voluerat Senatus, vt praeter duos vrbanos duo consulibus ad ministeria belli praesto essent. Exigente vero plebe, vt pars ex plebe fieret, tota res de augendo quaestorum numero tum omissa est, Liu. *Lib. IIII. cap.* 43. Nihilominus quatuor, et in his tres plebeii creati anno V. C. CCCXXXXIIII. *Lib. IIII. cap.* 55. Anno CCCCLXXXVIII. denuo ampliatus Quaestorum numerus, vt essent octo, *Epit. Liu. Lib. XV.* ex Cornelii Sullae porro instituto viginti, Tacit. *Annal. XI*, 22. ex Caesaris quadraginta creari coeperunt, Dio Cass. *Lib. XXXXIII.* ad an. V. C. 709. At quo plures fuerunt sub principibus, eo minus auctoritatis retinuerunt, cura aerarii primum ad praetorios viros; Dio Cass. *Lib. LIII. init.* Sueton. *Aug. Cap. XXXVI.* Tacit. *Hist. IIII*, 9. postea ad praefectos aerarii translata: Tacit. *Annal. XIII*, 28. Plin. *Paneg. c.* 121. vt demum Quaestura ingressus tantum gerendorum honorum, sententiaeque in senatu dicendae esset. *l. vn. §.* 3. *D. de offic. Quaest.* H. De quaestoribus, cura aerarii, eaque saepius immutata, exposuit cum temporum luce Lipsius *ad Tacit. Annal. Lib. XIII. Excurs. B.* et post eum Spanhemius *de vs. et praestant. numism. diss. X. Tom. II. pag.* 160. R.

Ad §. LV.

(33) Prætor vrbanus.

(34) De iurisdictione vrbana.

(33) Recte, *vrbanum Praetorem* institutum, Heineccius scripsit. Scio, Mylium *dissert. de Praetor. peregrin.* statuisse, Praetorem alterum, *Vrbanum* eo demum tem-

Source : BIU Cujas

pore dictum fuisse, quo *Peregrinus* creari coeperit, cum antea minus necessarium videretur, vnum Praetorem ab alio quoquam, addita hac nota, discernere. At enimuero Praetor tum institutus necessario *vrbanus* fuit appellandus, vt discerneretur a Praetoribus, qui extra vrbem cum finitimis bella gerebant. Notum enim est, veteres, Consules cum exercitu profectos, Praetores nominasse, vt docent Cicero *de LL. Lib. III. c.* 3. Festus *voc. Praetoria.* Asconius *Lib. I. in Verr. cap.* 14. aliique. Consule Perizonii *dissertat. de Praetorio p.* 8. Optime igitur fragmentum Pomponii *l.* 2. *D. de orig. iur. §.* 27. habet: *cum Consules auocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in ciuitate ius reddere posset; factum est, vt Praetor quoque crearetur, qui vrbanus appellatus est, quod in vrbe ius redderet.* Firmat haec Liuius *Lib. VI. in fin. Concessum nobilitati de Praetore vno, qui ius in vrbe diceret, ex paribus creando.* R.

(34) Ex his vnus iurisdictionem *vrbanam*; alter *peregrinam*; quidam *prouincias praetorias*; reliqui *quaestiones publicas* sortiebantur. Maxima erat dignitas Praetoris vrbani, qui ideo PRAETOR MAIOR dicebatur. Fest. *in Maior. consul.* Plutarch. *in Bruto p. 986.* Dio Cass. *Lib. XXXXII. p.* 195. Caesar *de Bello ciuili. III*, 20. et COLLEGA COSS. cui omnia absentium Coss. officia incumbebant Cic. *Lib. X. ad familiar. Epist.* 12. Plin. *Panegyr. Cap.* 92. Gell. *Noct. Att. XIII*, 14. Dio Cass. *Lib. LVIII, ad an. V. C.* 793. Aliquando tamen duae adiungi solebant iurisdictiones, veluti vrbana et peregrina, Liu. *Lib. XXIIII*, 44. *XXV*, 3. *XXVII*, 36. quemadmodum et apud Gruter. *Inscr. p. DIII.* laudatur ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΩΝ ΞΕΝΩΝ Ita et duas de criminibus quaestiones interdum coniungi consueuisse, iam olim obseruauit Sigon. *de Iudic. II.* 4. *p.* 400. H. De voce ξενικὸς vide differentem Spanhemium *ad Iulian. Crat.* 1. *pag.* 76. *et dissert. VIII. de vs. et praestant. numism. Tom. I. pag.* 697. Idem de Praetoribus, fascibus ac securibus, quibus vtebantur Romae, et in prouinciis, late exposuit *dissert. X. Tom. II. pag.* 104. *sequ.* Summum Praetoris vrbani honorem ex eo coniicere possumus, quod functi consulatu continuo Praetores vrbani fiebant, vt docet Liuius *Lib. X. c.* 22. 47. cum alias Praetura esset proximus ad Consulatum gradus. Imo, qui Censuram gesserant, quae dignitas post Consulatum deferri consueuit, Praetores facti sunt, eodem Liuio *Lib. XXIII. c.* 30. docente. Et Caesarum tempore, cum Impp. Consulatum adsumerent, Praeturam vrbanam, vt dignitate ei proximam, filiis aut nepotibus, vna cum Caesaris titulo subinde reliquerunt. Tacit. *Hist. IIII. c.* 3. Sueton. *in Domitian. c.* 1. De Praetore Peregrino est erudita Dissertatio Cl. Conradi *in Parergis.* R.

Ad §. LVI.

(35) Aediles Cereales.

(35) Annonae cura et ad plebeios, et ad curules Aediles pertinuit, atque vtrique dignitati χάραγμα, modius cum spicis, in numis commune est. Imo mansit quoque iis haec cura, licet Cerealibus institutis, vti demonstrauit Spanhemius *Dissert. X. de Vs. et praestant. Numism. pag. cit.* Hos vero Caesar ideo instituit, ne vrbs laboraret inopia et plebs seditiones excitaret. Quam ob causam Augustus quoque postea annuos annonae Praefectos, e viris Praetoriis, fecit, eodem Spanhemio *ibid.* docente. Occurrunt adhuc Aediles Cereales Gordiani temporibus in marmore apud Gruterum CCLXXII, 6. R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. LVIII.

(35*) De numero Decemuirorum.

(35*) Nemo credat, numerum Decemuirorum postremis temporibus auctum esse. Heineccius enim indices Reinesianos exscripsit, qui erroribus typographicis sunt plenissimi; lapides vero ipsos, alia omnia edocentes, ne adspexit quidem. Nam apud Reinesium *Class. VI. num.* 42. marmor nec *XVVIROS*, nec *XXVIROS* exhibet: verum Reinesius lacerum in lapide ICANIDIS vocabulum ex ingenio ita emendauit: X. V. STL. IVDICANDIS. Quam feliciter, videant alii. Quod autem scripsit ille Vir doctissimus, *Quindecim viros stlitibus iudicandis* ex antiquitate et marmoribus vetustis notissimos esse, id mihi nunquam persuadere potuit. Imo quouis pignore vellem contendere, in errorem quoque ipsum inductum fuisse ab Indice Gruteriano, in quo *XVViri* occurrunt magno numero, qui tamen, si lapides ipsos consulueris, omnes sunt *Decemuiri*. *Viginti viros* vero cum putauit inuenisse se in loco Spartiani *Vit. Iulian. c.* 1. *Intra viginti viros electus est suffragio matris Marci*, vehementer errauit, et sententiae suae fauens, male historici verba interpretatus est. Sunt enim ibi *viginti viri*, quorum in numero ipsi *Decemuiri stlitium iudicand.* fuerunt, quod ipsum Casaubonus docere potuisset. Lapis, quem *num.* 50. *Class. ead.* vulgauit Reinesius, clarissime XVIR STLIT. IVD. exhibet. Ita etiam habet marmor *num.* 78. *et* 136. at, quod affert *num.* 58. e collectione Piccarti, refert XVVIR. STLIT. IVD. Id tamen ipse Reinesius subleste fidei esse et σφάλματα γεαφικὰ habere, pronuntiauit. R.

Ad §. LVIIII.

(36) Quatuor viri viarum publicarum Curatores.

(36) *De Triumuiris monetalibus*, agit Spanhem. *de Vs. & Praest. Numism. Dissert. X. Tom. II. pag.* 167. *sequ.* Is ibidem docet, aeuo sequiore hoc signandae pecuniae munus penes Procuratores monetarum extitisse, qui pendente e nutu Comitis S. L. ejusdem auctoritate pecuniam signari curabant. Liquet id, tum aliunde, tum ex Ammiano *Lib. XXVIII. c.* 1. a quo *monetae praepositi* vocantur. De *Triumuiris capitalibus*, Lipsius *ad Tacit. Annal. Lib. V. cap.* 9. iique, quos laudat Cortius *ad Sallust. Catil. c.* 55. exposuerunt; quibus addendus Georg. d'Arnaud *de Iur. Seruor. c.* 8. a quo bene obseruatum est, poenas Triumuiros ab iis tantum exegisse, quos publici criminis aliquid patrantes deprehenderant. R.

Ad §. LX.

(37) Praefectus Vigilum.

(37) Rectè Heineccius Praefectum vigilum inter magistratus retulit, licet contradicat fragmentum Pomponianum; quod misere hic detruncatum esse iam et Cuiacius obseruauit. Etenim commodum vix sensum haec *ibidem* admittunt: *Praefectus vigilum extra ordinem vtilitatis causa constitutus est*; cum satis constet, ab Augusti imperio ad Justiniani vsque aetatem, dignitatem Praefecti vigilum legitimam perpetuamque fuisse. Eam ob caussam *de officio Praef. vigilum* titulus in Digestis est, quo

Source : BIU Cujas

dicitur, ipsum habere *cognitionem quaestionemque*, et *iudicem constitutum esse*. Imo fuit is Constantini M. tempore equitum Romanorum Praesul, vti Praefectus vrbi Senatorum, docente *l. vn. Cod. Theod. de his, qui ven. aetat.* atque ad ipsum, tanquam Romanae ciuitatis magistratum, data est eiusdem Constantini M. *lex 3. Cod. eod. de infirmand. his, quae sub tyran.* vbi consulendus Jac. Gothofredus. R.

Ad §. LXI.

(38) De jure edicta proponendi.

(38) Plurima loca collegit Heineccius, vt sententiam probabilem redderet, fundamentum juris edicendi in honore positum esse: at enimuero pleraque testimoniorum, id quod contendit, minimè probant. Ita apud Dodwellum l. c. de edicto Pontificis nihil inuenies; & lapides tres e Grutero producti huc planè non pertinent, cum in iis *honore usi*, sint decuriones municipales. In marmore quidem *pag.* CCCVII. 3. *M. Antonita Januarius Honoratus Augustalis Misenis*, occurrit, & in altero CCCLXIIII. 1. *Fabiani Honorati*, fit mentio. Sed *Honoratus* ibi est nomen viro proprium, quod animadvertit jam Georg. d'Arnaud *Var. Conject. Lib. I. c. 3. pag.* 32. et praeterea vtroque etiam in lapide flamines municipales indicantur. Nec male pronunciauit laudatus d'Arnaud, eodem iure, mulierem quandam, quae *Honorata* nuncupatur apud Gruterum DCCXXVI. 6. nos affirmare posse in honore fuisse, eoque et iurisdictionem, et ius proponendi edicta habuisse. Vti autem caussa, quamobrem magistratus edicta possent proponere, non *imperium* fuit, vt recte sentit Heineccius, ita quoque ab *honore* jus edicendi difficulter deducitur, cum inde sequeretur, & Ius Pontificium, Augurum, et verbo, ius sacrum omne, honorarium dicendum esse; quo tamen nomine id nemo veterum extulit. Imo sacerdotes in numero magistratuum non fuisse, sed singulari duntaxat effulsisse dignitate, demonstrauit Graeuius *in praefat. Tom. V. Thes. Antiquit. Rom.* Modestinus vero *l. 52. de obligat. et action.* scribit: *iure honorario obligamur ex his, quae edicto perpetuo, vel* MAGISTRATV *fieri praecipiuntur, vel fieri prohibentur.* Cum tamen negari non possit, sacerdotes quoque edixisse, rectius statuimus, edicta quondam omnia vi muneris publici, vel ciuilis vel sacri, fuisse proposita. Etenim id omnes facile perspiciunt, neminem munus publicum rite curare potuisse, nisi simul haberet edicendi de rebus iis potestatem, quae ad curam muneris, cui erat praepositus, pertinere videbantur. Quae de iure honorario addidit auctor, ea clarissime exponuntur in Institutionibus *de iur. nat. gent. et ciu. §. 7. Hoc ius honorarium solemus appellare, quod qui honorem gerunt, id est, magistratus, auctoritatem huic iuri dederunt.* R.

Ad. §. LXVIII.

(39) De verbis Dionis Cassii.

(39) Potest id per inductionem, quam vocant, probari, modo ad leges XII. Tabularum respicere velimus. Ita sane Praetor mutauit poenam furti manifesti, Gell. *Noct. Attic. XI, vlt.* Theophil. *ad §. 2. Inst. de perpet. et temp. act.* poenam frugis noctu demessae, Plin. *Hist. Nat. XVIII*, 3. iniuriarum, Gell. *Noct. Attic. XX*, 1. actiones arborum furtim caesarum, Plin. *Hist. Nat. XVII*, 1. deposito dolo malo abnegati, *Pariat. Mos. et Rom. leg. X*, 6. conditionem liberorum emancipatorum, §. 9. *Inst.*

Source : BIU Cujas

Inſt. de heredit. quae ab inteſt. nec non cognatorum, *l.* 1. *pr. D. vnde cogn.* Nec magis Praetor pepercit aliis legibus, veluti Aquilliae, cuius capita quaedam exſtitiſſe *de ſeruo corrupto* et *de effuſis et deiectis*, quae deinde Praetor edicto ſuo excluſerit, ſuſpicatur V. A. Corn. van Bynkersh. *Obſ. I*, 13. *p.* 61. Iam obiter addo, eam veram ac genuinam eſſe rationem, cur actiones quaedam poenales, licet praetoriae, tamen ſint perpetuae, veluti actiones furti manifeſti, *pr. Inſt. de perp. et temp. act.* arborum furtim caeſarum, *l.* 7. §. 6. *D. arb. furt. caeſ.* furti aduerſus nautas, caupones, ſtabularios, *l. vlt.* §. 6. *D. naut. caup. ſtab.* depoſiti miſerabilis, *l.* 18. *D. depoſ.* ſerui corrupti, *l.* 13. *D. de ſeru. corr.* de effuſis et deiectis, ſi non de occiſo libero homine agitur *l.* 5. §. 5. *D. de his, qui effud. vel deiec.* Omnes enim hae actiones non ſunt origine praetoriae, ſed ciuiles, at immutatae et correctae a Praetoribus. H. Incipiſſit hic Heineccius minas in Praetorem iactare; ſed ſalua res eſt. Ni enim Praetor ea mutaſſet, quorum hac nota mentio facta eſt, non ſecundum humanitatem aequitatemque, ſed iniquiſſime ius dixiſſet: quod Doctores facillime tirones docere poterunt, dummodo reſpiciant ad mutatam Romanae reipublicae formam, quam a paruis initiis ad ſummum excreuiſſe faſtigium, diuitiis opibusque auctam eſſe, ſimul tamen vitiis moribusque peſſimis laborare coepiſſe; notiſſimum eſt. R.

Ad §. LXVIIII.

(40) De artibus Praetorum ad conſequendum indirecte, quod directe non poterant.

(40) Cum Heineccius ad §. *LXX.* notauerit, Praeturam neminem mortalium impugnaſſe, ſed malitioſos perfidosque Praetores his tantum artibus, quas hic enumerat, abuſos eſſe, mirari ſatis non poſſum, quod hoc loco Praetores omnes accuſet, eorum *artes* traducat, *indirecte ius immutaſſe*, et *nouis luſiſſe vocabulis*, cum conuitio ſcribat. At ineptum profecto eſt, ſtatuere, Praetorem, ſanctiſſimum Romani populi magiſtratum, nouis vocabulis in foro, atque conſpectu tot grauiſſimorum ciuium, et voluiſſe et potuiſſe ludere. Deinde quoniam omnes Praetores nouis his vocabulis vſos eſſe, exceptiones dediſſe, atque in integrum reſtituiſſe, nouimus, neceſſum quoque eſt, vt omnes, ex ſententia Heineccii, malitioſi perfidique fuerint, quia adhibitis artibus, vt vocat, ius plurimum immutarunt. Nonne igitur is, qui *vocabula, exceptiones, reſtitutiones, fictionesque*, in ciuitate Romana cunctorum conſenſu receptas, in iure ipſo frequentiſſime adhibitas, a Iureconſultis probatas, tantopere vituperat, Praeturam ipſam impugnare videtur? Quis autem tam imperitus eſt, qui non ſentiat, has artes, quas Praetoribus exprobrat Auctor, non ab eorum libidine, aut nequitia, aut iniquitate, unice proficiſci potuiſſe, verum ex voluntate arbitrioque totius Romani populi, iuris ciuilis corrigendi adiuuandique cauſſa, in ciuitatem fuiſſe inducendas? Etenim ſi tantum potuiſſent Praetores, quantum perſuadent ſibi viri docti, fuiſſet ſane eorum poteſtas maior, quam Conſulum, omniumque magiſtratuum; atque non tantum omnia ab eorum pendere debuiſſent nutu, verum etiam, et ipſas leges, et libertatem, et ſtatum reipublicae, dudum ante Caeſarem, potuiſſent euertere. Igitur mitius de Praetoribus et Praetura ſentiendum, ſtatuendumque eſt, haec, quae ab auctore allata ſunt, omnia placuiſſe populo Romano. Non luſit Praetor, *bonorum poſſeſſionem* introducens. Etenim ſatis conſtat, magnam inter *bonorum poſſeſſionem*, *hereditatemque*, fuiſſe differentiam; et illam ob aequitatem ſummam

Source : BIU Cujas

mam non potuisse non ab omnibus probari. *Paciſci*, *promittere*, *recipere*, *conſtituere*, non sunt συνώνυμα, mirumque adeo est, elegantem ICtum ita pronuntiasse. Recte enim argentarius pro alio spondens *recipere* dicitur, quoniam in se recipit, soluturum se, quod hic vel ille caviſſet. Proprie quoque dicitur is *conſtituere*, qui pro se aliisque iterum promittit. Nimirum, vt *rem conſtituere*, est quasi fundare, et loco suo firmiter sistere, vnde deiici non possit: ita et qui *conſtituit*, rem promissam firmat, ipsamque obligationem reddit meliorem. Ni *reſtitutiones*; et *exceptiones* dediſſent Praetores, summum ius in summam euasiſſet iniuriam. Quae res adeo nota est, vt nulla probatione egeat. Errat quoque Heineccius, cum *excerptionem lenocinii* apud Valerium Maximum, iniquissimam dicit; eam enim summa niti aequitate, oppositamque fuisse homini, quem reipublicae pestem iure dixeris, patebit ipsa historici verba consulentibus. De *fictionibus* nihil addo: sufficit enim, eas ciuitatem Romanam, atque Prudentes, ratas et habuisse et feciſſe. R.

Ad §. LXX.

(40*) Cortius magno conatu nugas egit.

(40*) Migrauit affectus in calamum Heineccianum magnamque fecit *Cortio* iniuriam, cum *vindicias Praetoris Romani, et iuris honorarii*, non is, sed *Ioannes Richey*, Hamburgensis, vir doctissimus, atque iurisprudentia elegantiori probe excultus, scripserit. Solebat Cortius frequenti auditorio in Academia Lipsiensi Heineccii Antiquitates Iuris praelegere, et in eum, ob errores plures commissos, non raro nigrum effundere salem. Quae res eum, in Academia Halensi tum docentem, adeo commouit, vt, cum audisset, vitam cum morte commutasse Cortium, memoriae eius hoc monumentum ponere, in animum induceret. Maiorem vero apud homines eruditos iniisset gratiam, si eorum, quae hac nota proposuit, reddidisset rationem. Ego certe, eam quoque ob caussam, quod Heineccius, effusa licet omni bile, has Praetoris vindicias, quae Cortio Praeside *Lipsiae* 1730. lucem viderunt publicam, non confutare, sed conuitiis tantum proscindere potuit, vehementer easdem laudo commendoque, et dignas iudico, quae denuo prelo subiiciantur. Nonne Richeius mox in principio dissertationis professus est, perfidorum Praetorum causssam se acturum non esse? Cur igitur Heineccius ad Dionem prouocat, malitiosos tantum Praetores perstringentem? Cur Verrem producit, hominem maxime perfidum, superbum, crudelem, libidine infamem? Certe si toties, quoties is somniat, Ius Romanum nequitia perfidiaque sua Praetores euertissent, haberemus sane plura iniquissimorum Praetorum exempla apud eos, qui res Romanas memoriae summa cum fide tradiderunt. Ipse Cicero *in Verr. Lib. I. cap. 45.* scribit: *valde sit mirum, neminem fuisse, qui istius* (Verris) *se similem dici vellet.* Deinde, licet aliquando Praetores mali ius ex libidine sua dicerent, decreta variarent, nundinationes facerent; ius tamen ciuile ideo euersum esse, dici non potest: cum sciamus, grauissime eos, postquam magistratu abierant, et punitos, et quae immutata, atque per iniquitatem facta erant, abolita fuisse. Quae cum ita sint, rectissime concludimus, Jus honorarium in ciuitatem, omnium consensu receptum, vituperari non posse, et iniurium esse in Praetores doctissimum Heineccium, quod exceptiones, restitutiones, noua vocabula, et alia, quasi ad euertendum ius ciuile inuenta, redarguat. Haec enim omnia, nisi Senatui populoque placuissent, suaque se probassent aequitate, non potuissent non quam citissime ex vrbe, tanquam vtilitati, felicitati, et ipsi libertati insidiantia, exulare.

Source : BIU Cujas

exulare. Cum quaerit Heineccius, *cur Verrem insignis Romanorum cura in seruandis legibus non cohibuerit*, ignorauit forte, conspiraſſe nonnunquam ſplendidiſſimas familias, ſimul magiſtratus Romae gerentes, vt potentiores reliquis eſſent, et diuitias conquirere facilius poſſent. Imo Peregrinus Praetor Verrem cohibuit, quod teſtatur Cicero *Lib. I. in Verr. cap. 46. Itaque L. Piſo multos Codices impleuit earum rerum, in quibus ita interceſſit, quod iſte* (Verres) *aliter, atque vt edixerat, decreuiſſet. Quod vos oblitos eſſe non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Piſonis ſellam iſto Praetore ſolitus ſit conuenire. Quem iſte collegam ni habuiſſet, lapidibus coopertus eſſet in foro. Sed eo leuiores iſtius iniuriae videbantur, quod erat in aequitate, prudentiaque Piſonis paratiſſimum perfugium: quo ſine labore, ſine moleſtia, ſine impenſa, etiam ſine patrono homines vterentur.* Et Verres ipſe accuſatus, nonne in exilium deceſſit, in eoque conſenuit, odium timens Romani populi, grauiſſimamque poenam. Hanc autem quaeſtionem, cur *Verrem iurisiurandi religio in officio non continuerit*, plane ridiculam eſſe iudico, quoniam, ne ipſum quidem Verrem ad eam reſpondere potuiſſe, perſuaſum mihi eſt. Non eſt inſulſum, quod Richeius ſtatuit: *Praetorum poteſtatem ſimilem fuiſſe legiſlatoriae*, nec nugas egit, cum de *ſubitaneis edictis* exponeret; quamvis haud negem, ſatis diſtincte ipſum de lege Cornelia ex Dione non expoſuiſſe. Quaedam *de bonorum poſſeſſione*, quae *falſiſſima* ſint, attuliſſe vindicem, ſcripſit quidem Heineccius, at non probauit, nec in Antiquitatibus eius legimus meliora. Non negauit vindex, *Praetores iniquas potuiſſe inuehere exceptiones et reſtitutiones*: at enimvero eas a perfidis atque malitioſis Praetoribus datas eſſe accurate obſeruat. Cur igitur vituperat Heineccius vindicias? Cur perfidos Praetores in medium quaſi producit, a quibus, vt ſupra dictum eſt, ius ciuile immutari nullo modo potuit? Etenim tum demum triumphum potuiſſet canere, ſi demonſtraſſet, iniquiſſimas has exceptiones et reſtitutiones in ciuitatem eſſe introductas, et in ipſo iure ciuili locum accepiſſe. Intellexit profecto vindex *ſeruitutem poenae*, *ius poſtliminii*, aliaque iuris capita, atque de iis maiori cum accuratione expoſuit, quam quidem Auctor in Antiquitatibus; nec adeo abſurda ſunt, vt fingit Heineccius, quae de *fictionibus* protulit. A *veritate* autem *probabili* ſi abſtinuiſſet, forte nulla literatiſſimo auctori data eſſet ridendi materia. R.

Ad §. LXXV.

(41) Edictiones aediliciae. (Vide *N. H.*)

(41) Locus Plautinus pertinet ad Aediles plebis, vt ſupra ad §. LIIII. obſeruatum eſt. Vulgo ſcribunt, poteſtatem Aedilium Curulium deſiiſſe ſub Claudio et Nerone; ſed errant. Nam et Hadriani tempore viguit, quod oſtendit Edictum perpetuum, et de Gordiano ſeniore refert Capitolinus *in vit. c. 3.* ipſum aedilitatis ſuae tempore XII. populo Rom. munera, id eſt, per ſingulos menſes ſingula de ſuo exhibuiſſe. Imo conſtat, ad Conſtantinum M. uſque, veteres magiſtratus in vrbe manſiſſe, et fortaſſe diutius quoque, argumento *l. 19. Cod. Theodoſ. de accuſat.* et *l. 1. Cod. eod. de matern. bon.* quae inſcribuntur, *Coſſ. Praetorib. Tribunis Pl. Senatui.* Notandum et hoc eſt, non ſemper quotannis Aediles, Caeſarum tempore, eſſe creatos, eamque ob cauſſam eorum munera, et Praetores, et Tribunos Pl. obiiſſe. Vid. Dio *Lib. XXXXVIIII. pag. 459. Ed. Stephan.* et Cuiacius *Obſervat. Lib. VIII. c. 38.* Sed de Aedilibus curulibus accurate egit, nec vulgo obuia protulit Spanhemius *de Vſ. et Praeſtant. Numiſm. Tom. II. p. 143. ſequ.* cui addatur Georg. d'Arnaud *Var. Coniectur. Lib. I. c. 18.* R.

Source : BIU Cujas

Ad §. LXXVII.

(42) De Ovidii verbis.

(42) Aediles Curules de sumtibus funerum edixisse, non satis liquet, imo negat Georg. d'Arnauld *Var. Coniectur. Lib. II. cap.* 23. Et primo quidem monet vir ille doctissimus, si edictum Aedilitium *de funeribus* esset propositum, frustra Praetorem *de religiosis et sumptibus funerum* edixisse videri, cum omnes super ea re motas lites, et potuissent, et debuissent, secundum iurisdictionem suam, componere Aediles curules. Deinde docet, Ovidii locum id minime probare, quod asserit Heineccius. Enarrat enim Poëta rem paullo vberius, quam Liuius *Lib. VIII. cap.* 30. vt dictu paruam, paene praeteriisset, ni visa esset ad religionem pertinere. Nimirum an. V. C. 442. Tibicines, quod abs Censoribus prohibiti fuerant in aede Iouis vesci, quodque Aediles iusserant, ne plures, quam decem, funus prosequerentur, indignati Tibur secesserant. Nam, vt ait Ouidius, *temporibus veterum tibicinis vsus magnus, et in magno semper* HONORE, *dulcisque fuit* MERCEDE *labor.* Quam ob caussam, cum in aede Iouis vesci interdictum iis esset, et, vt decem tantum comitarentur funus, ex praescripto XII. tabularum, aediles iussissent, et debitum detractum sibi honorem, et mercedis acquirendae amplam ademptam occasionem esse, questi, vrbem relinquere maluerunt. Numerum autem tibicinum in funeribus, Aediles non propterea definierunt, quod de sumptibus funerum coërcendis edicendi facultatem haberent, sed quia tibicines eorum iurisdictioni speciatim subiacebant. Praeerant enim Aediles curules ludis spectaculisque, eoque ipso peculiare habebant in actores imperium, sive illi viua voce, siue tibiis, aliaue ratione delectationi populi seruirent. Et acute coniicit laudatus d'Arnaud, minime probabile esse, quod illa aetate, ab Xuiris non adeo remota, seueriſſimis adhuc populi Romani moribus, et ad parsimoniam comparatis, praeter XII. tabulas, Edicto Aedilium opus fuerit, ad funerum sumptus certis limitibus circumscribendos. Quod vero ad marmor Reinesianum attinet, ex eo quoque id non efficitur, quod volunt viri docti. Legitur enim ibi, *per Edictum Aedilis*, hocque satis arguit, Edictum Aedilium curulium intelligi non posse, cum ipse Heineccius §. LXXV. probauerit, Aediles non singulos, sicut Praetores, sed de vtriusque sententia communiter, edixisse. Deinde illa prohibitio, cuius fit in lapide mentio, non ex vllo, nedum funerario, Aedilium Edicto, sed ex legibus XII. descendit, quibus vetitum est, ne aurum bustis sepulcrisue inferretur. Sed in hunc censum veniunt quoque Attalica vestimenta, operis Phrygii, auro intertexta. Porro in *l.* 14. §. 5. *D. de religios. l.* 113. §. 5. *D. de legat. I. l.* 40. §. 2. *D. de aur. arg. leg.* de sumptibus funerum agitur: at nulla fit Aedilium, neque his locis, neque etiam alibi, mentio. Quam ob caussam id Aedilis Edictum, quod marmor memorat, ad magistratum potius municipalem videtur esse referendum; ad quem etiam recte retulit Cl. d'Arnaud lapidem alium, cuius inscriptionem vulgauit Gruterus DCCCCXXXII. 8. Apud Ciceronem *ad Attic. Lib. XII. ep.* 35. 36. nil de Aedilibus legimus: verum is legis meminit, quae sumptus, in monumenta faciendos, definierit. Et est temeraria nonnullorum coniectura, legem ibidem Aedilium curulium Edictum esse, cum sciamus, monumenta, quae extra vrbes erant, iurisdictioni Aedilium ideo subesse non potuisse, quia illa pomoeriis ipsius vrbis terminabatur. Rectius suspicatus est Dion. Gothofredus, per legem eam apud Ciceronem intelligendam forte esse Caesaris Dictatoris sumptuariam, cuius meminit Dio *Lib. XXXXIII. pag.* 256. *Edit.*

Source : BIU Cujas

Edit. Stephan. Quae sententia vel ideo probabilis est, quia oportet hanc legem non multum ante id tempus, quo monumentum siue fanum Cicero filiae mortuae extruere cogitabat, datam esse, cum eam, et maxime timeret, et ne satis quidem haberet cognitam. Ita enim scribit ad *Att. Lib. XII. ep. 36. Si tibi res, si locus, si institutum placet, lege, quaeso, legem, mihique eam mitte. Si quid in mentem veniet, quo modo eam effugere possimus, vtemur.* Supereſt locus eiusdem Ciceronis ex *Orat. Philipp. VIII.* ab auctore adductus, quem viri docti plurimum roboris receptae opinioni addere existimant. Sed ex eo quoque Aedilium edictum funerarium satis perspicue deduci non potest. Disserit ibi Cicero de funere et sepulcro Ser. Sulpicii Rufi, ICti, de cuius vita, honoribusque infra §. CL. *sequ.* expositum est. *Cumque*, inquit, *antea Senatus auctoritatem in virorum fortium funeribus, ornamentisque ostenderit; placere, eum quam amplissime supremo die suo efferri. Et cum Ser. Sulpicius, Q. F. Lemonia, Rufus, ita de republica meritus sit, ut his ornamentis decorari debeat: Senatum censere, atque e republica existimare, aediles curules* EDICTVM *quod de* FVNERIBVS *habeant, Ser. Sulpicii, Q. F. Lemonia, Rufi, funeri mittere: vtique locum Sepulcro in campo Esquilino C. Pansa Consul designet, quo Ser. Sulpicius inferatur.* At *Edictum funeri mittere*, quid sit, omnes ignorant, estque sine dubio locus corruptus. Cum vero ita habeant Codices, ex ingenio Manutius et alii emendant *remittere*, voluntque Senatum censuisse, vt Aediles, quo in Seruii funus plus erogari posset, quam per Edictum liceret, eius veniam facerent. Sed valde dubito, an Cicero dixerit, *Edictum remittere*, pro eo, quod est, veniam dare eorum, quae edicto statuta sunt. Concedamus tamen, hoc belle dici posse; nonne Edictum, si quod habuissent Aediles, ad funera tantum priuata pertinuisset? Rusi vero funus est publicum, ad quod deducendum Senatus requirebatur auctoritas. Quapropter Senatus tum quoque censuit, *vt amplissime supremo suo die Sulpicius efferretur, et Consul locum sepulcro designaret.* Si structura monumentorum ad curam Aedilium pertinuit, cur Consuli id negotium a Senatu datur? Aut sibine quis persuadere poterit, Senatum, qui legibus, quos vellet, soluebat, opus habuisse Aedilium permissione, vt maiorem, quam hi edicto suo definierant, summam funeri impendere liceret. Certe si edictum funerarium exstitisset, non potuisset id tacere ipse Cicero *de Leg. Lib. II. c. 25.* eo loco, quo de sumptibus funerum disserit, atque conqueritur, rem istam ad sumptus maximos progressam esse. Igitur noua et ingeniosa locum Ciceronis tentauit emendatione, et rescribendum esse putauit Georg. d'Arnaud: *Aediles* DEDVCTVM, *quod de* MVNERIBVS *habeant, Seruii Sulpicii funeri mittere.* Notum enim est, Aediles *munera* edidisse, inque iis commisisse gladiatores. Cumque Senatus Seruii funus egregie cohonestare cuperet, et proinde plura populo gladiatorum paria exhibere: censuit, vt Aediles, quos in muneribus editis non commiserant, quiue superstites remanserant gladiatores, funeri huic publico mitterent. Et quamquam praeuideam, hanc coniecturam non omnibus satisfacturam esse, hoc tamen forte plerique sentient, in Ciceronis verbis parum praesidii esse opinioni, quam de Aedilium Edicto funerario viri docti conceperunt. R.

Source : BIU Cujas

Ad §. LXXVIIII.

(43) Decem legatorum sententia.
(44) (*Ad Notam Heineccii.*)

(43) Non *decem* semper legati Senatores missi sunt, sed et aliquando *quinque*, ex quorum sententia, de hostibus, eorumque regione, Imperator statueret. Vid. Liuius *Lib. XXXXV. cap.* 17. et Sigon. *de antiqu. iur. prouinc. Lib. I. cap.* 1. R.

(44) Nec Ciceronem, nec Gellium cepit Heineccius. Disserit eo loco Cicero, *de Lege Iulia*, L. Iulii Caesaris, qui Cos. fuit cum P. Rutilio Lupo, bello sociali A. V. DCLXIII. *qua lege ciuitas est sociis et Latinis data, sed qui* FVNDI *populi facti non essent, ciuitatem non haberent*, hoc est, vt ad eos tantum populos hoc beneficium pertineret, qui professi essent, se beneficio huius legis vti velle. Vti enim donatio vim non habet, nisi is, cui fit, ei donationi *fundus* fiat, siue, vt ICti loquuntur, donationem accipiat; ita quoque nulla Romana lex, qua beneficium populis sociisque tribuitur, rata esse prius potest, quam hi eam suo assensu probauerint, siue, quod idem est, *ei legi fundi facti sint.* Quid enim magis notum est, quam hoc, beneficia nemini obtrudi posse. Itaque multi etiam Heraclienſium et Neapolitanorum beneficium hoc recusabant, siue *legi Iuliae fundi fieri nolebant.* Cicero *ibidem*: *In quo magna contentio Heraclienſium et Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis ciuitatibus, foederis sui libertatem ciuitate anteferret.* Sed quid sit, *populum fundum fieri*, ipse Cicero eo loco plenissime explicauit. *Sed totum hoc*, inquit, *in ea fuit positum semper ratione, vt, cum iussisset populus Romanus aliquid: si id adsciuissent socii populi, ac Latini, et, si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in* FVNDO, *resedisset: vt tum lege eadem is populus teneretur; non vt de nostro iure aliquid minueretur: sed vt illi populi, aut iure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo, aut beneficio vterentur.* Ad *locum Gellii* consule Gronouium. Plura dabant Graeuius *ad Cicer. l. c.* Spanhemius *Orb. Rom. Exercit. I. cap.* 12. *pag.* 97. *sequ. Ed. Londin.* et Ernesti *in Ind. LL. in L. Iul.* R.

Ad §. LXXX.

(45) Edicta Prouincialia.

(45) *Edictum vrbanum* semper fuit fundamentum *Edicti prouincialis*, siue animo concipiamus prouincias seruitute affectas, quae legibus suis, ac magistratibus ius dicentibus, spoliatae sunt: siue libertate donatas, quas suis legibus magistratibusque vsas esse, nouimus. Ad priores enim quod attinet, magistratus Romanus quotannis ab vrbe missus, conuentus agebat, atque ius dicebat. Cum vero hae prouinciae leges non haberent, Praetorem in iure dicundo ea obseruare oportuit, quae edicto vrbano constituta erant, omissis tamen, vel additis quoque iis, de quibus in prouincia, secundum reipublicae formam, regionis situm et qualitatem, mores et consuetudines hominum, aliter edicendum fuit. Huc pertinent illa Ciceronis *Lib. I. in Verr. c.* 46. *Cur ea capita* (edicti vrbani) *in edictum prouinciale transferre nolueris? Vtrum digniores homines existimasti eos, qui habitabant in prouincia, quam nos, qui aequo iure vteremur? An aliud Romae aequum est, aliud in Sicilia? Non enim hoc potest in loco dici, multa esse in prouinciis aliter edicenda.* Et paullo

Source : BIU Cujas

paullo post: *video non modo ceteros, sed te ipsum totidem verbis edixisse, quot verbis edici Romae solet.* Patet inde, Hadriani tempore, quo Iulianus Edictum perpetuum ordinauit, nullo opus fuisse Edicto prouinciali, quoniam ea, quae in vrbe valebant, vim quoque in prouinciis obtinuerunt. Et licet prouinciae ciuitatesque liberae suis vterentur legibus, magistratusque sibi suos crearent, facile tamen ad intelligendum est, legibus his, nec omnia definiri potuisse, nec ea, quae exigebat ipsa sequentium temporum necessitas. Quoniam vero prouinciales nullam habebant condendarum nouarum legum potestatem, magistratus Romani in has provincias missi, controuersias de rebus, quae legibus definitae non erant, dirimebant, iusque secundum Edictum vrbanum, atque si hoc forte ea, de quibus quaerebatur, non contineret, secundum aequitatem, dicebant. Quae de *nouis* et *tralaticiis edictis* dixit Heineccius, ea accurate exposuit quoque Spanhemius *Orb. Rom. exercit. II. cap. 7. pag. 256. Edit. Londin.* qui Vir illustris *Dissert. VIIII. de Vs. et Praestant. numism. Tom. II. p. 685.* confutauit Harduinum, in *Chronolog. Vet. Test. pag. 617. oper. selector.* statuentem, Rectoribus prouinciarum nullum ius fuisse in ciuitates liberas, seu αὐτονόμους, sed eos ludis tantum, pro Augustis editis, interdum etiam cum coniugibus, interfuisse. At enimuero, licet verum sit, immunes fuisse has ciuitates ab ordinaria magistratus Romani iurisdictione, habuisseque magistratus proprios, qui iuxta leges patrias ius dicerent; nisi extraordinario subinde Senatus Romani decreto aliter statueretur, vt est apud Ciceron. *pro Flacco cap. 32.* inde tamen non sequitur, Romanis Praetoribus, siue Praesidibus, omnem in ciuitates αὐτονόμους, earumque ciues, potestatem, vel imperium ademptum esse. Imperium certe ad eos solos pertinuit, quod declarant illa Paulli *l. 26. D. ad municipal. Ea, quae magis imperii sunt, quam iurisdictionis, magistratus municipalis facere non potest.* Et Cicero ad Quintum fratrem, Asiae tum Rectorem, in qua prouincia plures fuerunt liberae ciuitates, *Lib. I. ep. 1. cap. 10.* scribit: *quoniam in istis vrbibus cum summo imperio et potestate versaris.* Nempe Praetorum siue Praesidum id genus, officium erat, non ludis solum, vt Harduinus somniat, praeesse publicis, verum ciuitates eas, in officio fideque, Romano imperio debita, continere, compescere seditiones, foedera ac socierates cum Romanorum hostibus amoliri, rem bellicam administrare, Senatus Decreta, et Edicta de iis rebus, quae prouinciae legibus non erant definitae, proponere, idque efficere, vt, quae ad totius prouinciae, aut singularum in ea vrbium, aut societatum, aut corporum salutem, securitatem, commoda, priuilegia, vel ornamentum etiam, spectarent, quam optime implerentur: denique procurare vectigalia populi Romani, nisi ciuitates ab iis speciali priuilegio immunes essent. R.

Ad §. LXXXII.

(46) De Iurisdictione Praetorum.

(46) De Iurisdictione Praetorum siue Praesidum; de loco statuendi, tribunali, basilica, praetorio; de ministris, scribis, praeconibus, lictoribus: decreto, iudicii datione, videndus Sigonius *de antiqu. iur. prouinc. Lib. II. c. 5.* De Iure Latii, et Italico, quod ignorare non debent iuris cultores, idem exposuit, *de antiquo iur. Ital. Lib. I. c. 4. sequ.* Iacob. Gothofr. *ad tit. Cod. Th. de iur. Ital. Vrb. Constant.* et Spanhemius *Orb. Rom. exercit. I. c. 8. 9. Exercit. II. c. 19.* R.

Source : BIU Cujas

Ad §. LXXXIIII.

(47) Alii eas cum curâ collegerunt.

(47) Huc pertinet ANT. AVGVSTINI liber *de legibus* et alter *de SCtis Romanorum*, cum Fuluii Vrsini fragmentis editus *Romae* 1583. 4. et postea aliquoties in Gallia. PAVLLI MANVTII *de legibus*, et separatim aliquoties, et cum priore insertus *Tomo II. Thesauri Graeviani.* Ediderunt et VDALR. ZASIVS et POMP. LAETVS et FRANC. HOTOMANVS *legum Romanarum catalogos*, sed in quibus praeter earum nomina et obiectum vix quidquam notabile inuenias, quamuis ZASII catalogum passim illustrarit LVD. CHARONDAS, et cum aliis eiusdem argumenti scriptis inseri meruerit locupletissimo *Antiquit. Rom. Thesauro.* Addi debent PAVLLI MERVLAE *de legibus Romanorum* libri diligentissime scripti, et cum aliis eiusdem lucubrationibus, ad antiquitates Romanas pertinentibus, editi *Lugd. Bat. 1686.* 4. et collegae olim coniunctissimi, nunc amici desideratissimi, CHRIST. GOTTFR. HOFFMANNI *Historia iuris Rom. Iustin. p.* 42. H. Excitauit Cl. Otto *Praefat. Tom. I. Thesaur. Iur. p.* 30. nomina doctorum virorum, qui leges singulares Commentariis illustrarunt. R.

Ad §. LXXXVI.

(48) De lege Calpurniâ.

(48) De lege Calpurnia loca sunt apud Cicer. *pro Mur. c.* 23. *et* 32. vbi haec legimus: *Senatusconsultum esse factum, si mercede corrupti obuiam candidatis issent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributim, et item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri.* Post biennium vero SC. factum, quo lex Calpurnia abrogaretur, vt discimus ex eodem Ciceron. *in fragm. Orat. pro C. Cornel. p.* 430. *Edit. Gronou.* et Ascon. *ibid.* An lex *Apuleia* auctorem habeat L. *Apuleium Saturninum Trib. Pl.* qui, *agrariam*, *frumentariam*, et *de coloniis*, leges rogauit, non satis constat, cum nemo historicorum id memoriae prodiderit. Vid. Hoffmannus *in Indice LL.* qui auctoritate Ciceronis *de LL. Lib. II. c.* 6. existimat, huius turbulenti Tribuni Pl. rogationes statim cum ipso ex SC. interiisse, ideoque *Legem Apuleiam maiestatis* alii auctori tribuendam esse, quoniam in republica valuit, et ex ea C. Norbanus accusatus est, docente Cicerone *de Orat. l. c.* ex quo id quoque discimus, formulam huius legis fuisse; *ne quis populi Romani maiestatem minueret.* Pighius putat perlatam esse occasione motuum, qui Romae exorti sunt, cum Cimbri superatis Alpibus, Q. Catuli exercitum inuasissent, et equites Romani relictis praesidiis Romam fugissent, qua re imminuta populi Rom. maiestas videbatur. Vid. etiam Ernesti *in Ind. LL.* R.

Ad §. LXXXVIIII.

(49) Lex Atinia.

(49) Notat Gellius *l. c.* quaestionem fuisse inter ICtos, auctore Q. Scaeuola, vtrum ea lex in praeteritum etiam, an in futurum tantum valeret. Cicero *in Verr.* obseruante Cl. Ernesti in Indic. LL. diserte eam his legibus annumerat, quae in posterum statuunt, ex iisque docere suscipit, non posse à Praetore edici in praeteritum. R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. LXXXX.

(50) Lex Aufidia.

(50) Sed haec lex Aufidia non videtur esse perlata. Etenim Cicero *ad Attic. Lib. I. Ep.* 18. scribit : *facto Senatusconsulto, de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata.* R.

Ad §. LXXXXI.

(51) Lex Calpurnia *repetundarum.*

(51) Fuit haec lex prima de pecuniis repetundis. Cicero *de Off. l. c. Nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset.* Sed et poenam in damnatos repetundarum statutam, et ipsam legis formulam hodie ignoramus. Quam enim apud Hotomannum, Pighium, aliosque legimus, eam hi viri docti ex ingenio finxerunt. Bene tamen monuit Cl. Ernesti *in Ind. LL.* hac lege primam quaestionem perpetuam constitutam esse. R.

Ad §. LXXXXII.

(52) Lex Cornelia de ambitu.
(53) Lex Maiestatis.

(52) De hac lege omnia incerta sunt. Et cum Liuius *in Epit.* haec tantum habeat; *lex de ambitu lata*, Paull. Manutius recte monet, ne coniicere quidem nos ex iis posse, vtrum consularis, an tribunitia, haec lex fuerit. Quae Sigonius de *iud. Lib. II. c.* 30. affert, crimen ambitus hac lege exilii poena vindicatum esse, coniecturis nituntur. R.

(53) Ex *lege Cornelia de Sicariis*, occisi cognatis aliquid esse adiudicatum pro satisfactione, quod putat Heineccius, non patet *ex Collat. leg. Mos. et Rom. l. c.* Clodius enim, dum sago iactatur, culpa Euaristi tam male acceptus fuerat, vt post diem quintum moreretur. Proconsul Baeticae, vt ceteros eiusdem aetatis iuvenes emendaret, Euaristo prouincia Baeticae in quinquennium interdixit, *decrevitque, vt impendii causa duo millia Clodii patri persolueret, quod manifesta eius fuerat paupertas.* Qui locus docet, Euaristum sicarium non fuisse, cum homicidium, non consulto, nec inimicitia itaque concitatus, sed casu, atque inter ludendum fecerit. Deinde obseruamus, decreta patri Clodii duo millia, *impendii causa*, id est, ob impensam, in curationem et funus, faciendam. Et tandem patet, id vnice factum propter summam patris paupertatem. Recte igitur scribit Schultingius *ad h. l.* hinc non sequi, Romanis probatum fuisse pecuniariam poenam aliam, cognatis occisi dandam; quamvis illis, quorum interest hoc damnum sarciri, etsi tantum interuenerit culpa, naturalis succurrat aequitas, de qua Grotius *Lib. II. c.* 17. *de iur. bell. ac pac.* videndus, quamque postea placuisse, Cuiacius docuit *Obseruat. XIIII.* 4. Quae *ad legem Cornel. de sicar.* et *de parricidiis* pertinent, summo studio collegit Jo. Francisc. Ramos *in Tribon. Lib. IIII. p.* 107. *sequ.* R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. LXXXXIIII.

(54) Numerus Sectatorum.
(55) Lex *Furia*, sive *Fusia*.

(54) *Sectatores*, sive *assectatores*, qui sint, vide apud Quint. Fratr. *de petit. Consulat. cap. 9.* ubi ab *salutatoribus* et *deductoribus*, eos distinguit, duoque *sectatorum* genera constituit, quorum alterum est *sectatorum voluntariorum*, alterum vero eorum, qui *sectari debent*, et de quibus ita Quintus scribit; *Qui autem tibi debent, ad iis plane munus exige: qui per aetatem ac negotium poterunt, ipsi tecum vt assidui sint. Qui ipsi sectari non poterunt, necessarios suos in hoc munere constituant. Magnam affert laudem, et summam dignitatem, si ii tecum erunt, qui a te defensi, et qui per te seruati, ac iudiciis liberati sunt.* R.

(55) Haec lex et *Fusia* dicitur; nam idem nomen est, et *Furii* iidem et *Fusii* sunt appellati, vt obseruat Cl. Ernesti *in Ind. LL.* ex Quintiliano *Lib. X.* Male igitur habent optimae quoque Ciceronis editiones in *Verr. I. c. 42. Furias, Fusias*; cum altera vox ex glossa in textum irrepserit, ideoque tollenda sit. Mentio quoque legis fit apud Ciceron. *pro Balbo c. 8.* et Vlpianum *tit. 1. §. 2.* vbi haec legimus: *Furia testamentaria, plus quam mille assium legatum, mortisue caussa, prohibet capere, praeter exceptas personas: et aduersus eum, qui plus ceperit, quadrupli poenam constituit.* Vid. Schultingius *ad h. l.* R.

Ad §. LXXXXIIII.

(56) Lex Laetoria.

(56) Sparsa haec legis Laetoriae capita dudum ante Heineccium collecta sunt a Jacob. Gothofredo *ad d. l. 2. Cod. Theodos.* De tertio vero capite quaedam monenda. Ait Capitolinus *in Marco c. 10. De curatoribus vero, cum ante nonnisi ex lege Laetoria, vel propter lasciviam, vel propter dementiam, darentur, ita statuit, vt omnes adulti curatores acciperent, non redditis caussis.* Quae verba Heineccius *in Instit. tit. de curatorib.* et *infra not. ad §. 302.* ita accipit, vt triplicem ante Marcum curationem fuisse docere videantur, vnam *minorum* ex hac lege, alteram *prodigorum*, quos Capitolinus *lasciuos* vocet, tertiam *furiosorum*, qui historico sint *dementes*. Hos vero, vt et *lasciuos*, accepisse curatores ex iure vetustissimo XII. Tabularum, *minoribus petentibus* subueniisse *legem Laetoriam*, existimat. Sed non attendit, *L. XII.* non aliis prodigis prospexisse, quam iis, qui iure ciuili ab intestato parentibus erant heredes, vt optime obser-vat Schultingius *ad Vlpian. tit. 12.* His enim, qui ex testamento, patris heredes facti erant, bonaque sua deinde dissipabant, ex lege XII. curator dari non poterat, Audi Vlpianum *tit. 12. §. 3. A Praetore constituitur curator*, LIBERTINIS PRODIGIS, *itemque* INGENVIS, *qui ex testamento parentis heredes facti, male dissipant bona: his enim ex* LEGE *curator dari non poterat: cum* INGENVVS *quidem non* AB INTESTATO, *sed ex* TESTAMENTO *heres factus sit patri: libertinus autem nullo modo patri heres fieri possit, qui nec patrem habuisse videtur, cum seruilis cognatio nulla sit.* Qui locus nos dubitare non sinit, hoc innuisse Capitolinum, quod *curatores ex lege Laetoria*, ante Marcum, *propter lasciuiam, et dementiam dati sint*; Imperator vero ille deinde statuerit, *vt omnibus adultis darentur caussis non redditis.* Neque statuendum est, *minoribus petentibus*, caussa cognita, ex hac lege curatores tantum datos esse. *Dementes* enim,

Source : BIU Cujas

enim ; et parum de eo laborabunt, et forte vix laborare poterunt. Et quod ad *lasciuientes* attinet, ii non tantum non petent, sed et curatores sibi datos omni studio euitabunt, vt suo more, remotis arbitris, possint viuere. Imo hoc hominum genus tantum sibi sua stultitia placet, vt credat neminem melius rebus suis superesse posse. Quis igitur putet, huius generis hominem adiisse Praetorem, hisque verbis, (quod fieri certe oportebat) eum imploraſſe: *Peto curatorem, lasciuiens enim sum?* Adibant igitur Praetorem hi, quorum intererat, id est, agnati proximi, caussamque reddebant, quae curatorem postulare videbatur, ne forte lasciuiens demensque homo, familiae probrum facere posset. Consul. Schulting. *ad Caium Lib. I. tit. 8.* Spanhemius *de Vſ. et Praestant. numism. Dissert. X. Tom. II. pag. 116.* de fascibus sex, iisque fine iunctis securibus, qui Praetoribus Romae a totidem ῥαβδοφόροις lictoribus, praelati, auctorum veterum testimoniis, et numorum auctoritate, disputans, Manutium, Sigonium, Pighium, Vaillantium, confutauit, qui *ex lege Laetoria*, quam Censorinus *de die nat. c. vlt.* memorasse dicitur, probare voluerunt, Praetorem, duos tantum in vrbe fasces habuisse. Sed cum omnes libri Censorini habeant: *M. Plaetorius Tribunus Pl. scitum tulit*, notique sint *Plaetorii* ex Cicerone, (vid. Ernest. *Ind. histor.*) verba huius plebisciti ad legem nostram pertinere non videntur. R.

Ad §. CI.

(57) Lex Mamilia.
(58) Lex Maria.

(57) Quum huius legis MAMILIAE sanctiones, fragmentaque a Guil. Goesio *Rei agrar. auct. p. 339. sequ.* exhibita paucissimi intelligant: eam legem paullo accuratius expendere, operae pretium fuerit. Leges XII. Tabularum quinque pedum semitam inter fundos relinqui iusserant, quae *limitare iter* et Graecis μεθόριον dicebatur. Idem et lex MAMILIA sanxerat, teste Flacco Siculo *de condit. agr. p. 8.* cuius en ipsa verba: *Signantur arbores finales vtrimque, id est, ex vtraque possessione, intra pedes quinos, vt legis Mamiliae commemoratae rationem habeant.* Et planius Aggenus Vrbic. *Comment. in Frontin. p. 53. De fine*, inquit, LEX MAMILIA *quinque aut sex pedum latitudinem praescribit, quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri, quod vsucapi non potest.* Similia sunt apud Frontinum *p. 40.* et Simplicium *p. 83.* quae hic non adscribimus. Erat ergo hoc spacium inter fundos, et in ipsis finibus: non quaquauersum circa fines, vti contra Hotomannum ostendit Guil. Goes. *Not. ad Sicul. Flacc. p. 129.* Eius porro limitaris itineris nulla erat vsucapio. Aggen. Vrbic. *p. 53.* Alciat. *de quinque ped. praescript. Tomo III. Op. p. 345.* Goes. *ibid. pag. 191.* Ergo si quando de hoc quinque pedum limitari itinere nascebatur controuersia, quod imminutum esse ab alterutro vicino diceretur, ea vocabatur *controuersia finalis*, vel *de finibus*, seu *iudicium finium regundorum*, in eoque nulla habebatur praescriptionis ratio. Sin de ipso agro lis intercederet: erat haec *controuersia de loco*, quae non ad agrimensorem, sed ad Praetorem, pertinebat. Postea mos inualuit, vt spacium quinque pedum, non vsucapi quidem, at actioni de eo longissimo tempore praescribi posset. Sed id quoque mutarunt Valentinianus, Theodosius et Arcadius Augg. *l. 4. C. Theod. fin. regund.* quam accurate expositit, et a Iac. Gothofredi ψευδεπιγραφία vindicauit Guil. Goes. *in Not. p. 192.* Denique quum Iustinianus praescriptionem tricennalem limitaris itineris in vsum reuocasset: *l. 6. C. fin. reg.* fa-

Source : BIU Cujas

ctum est, vt spacium quinque pedum sensim plane aboleretur, et fines fierent lineares, quorum de confusione quotidianas nasci querelas oportuisse, facile vnusquisque intelligit. Fuerunt vero et alia huius legis capita: veluti, *vt curaret ille, qui coloniam deduxerit, limites vt fiant, terminique vt constituantur, neue quis eiiciat locoue moueat, qui ita constituti fuerint: Ne limites, qui constituti fuerint, serendo occuparentur, aliaque ratione reddantur inutiles vsibus publicis: Vt terminum, qui amotus fuerit, is, cuius ager esset, restitueret.* Quorum capitum verba legitima supersunt apud Guil. Goes. *p. 329. sequ.* H. Meminit *legis Mamiliae* Cicero *de LL. Lib. I. cap. 21.* docetque, ea singulos arbitros finibus regundis datos esse, cum e LL. XII. tres essent, si de finibus controuersia esset orta. De auctore legis videndus etiam Cl. Otto *Praefat. Tom. I. Thes. Iur. pag. 24.* R.

(58) Iussit *lex Maria*, vt pontes angustiores fierent, eam ob caussam, ne quis inspicere tabellam, ne rogare de suffragio, aut appellare ferentem posset. Obseruat Cl. Ernesti *in Ind. LL.* ex Plutarchi *Mario pag. 407.* eam, quia potentiae procerum erat opposita, Cottam et Metellum Coss. impugnasse SCto, sed frustra. Magnam ei affert lucem numus cuiusdam P. NERVAE, cum septis, seu cancellis, pontibus, cista, diribitore, populo tabellas distribuente, apud Spanhem. *dissert. X. Tom. II. p. 193.* R.

Ad §. CIII.

(59) *De Heineccii Notâ.*
(60) Lex Plautia.

(59) Non capio hanc Heineccii coniecturam. Ego certè ita concludere nollem: quia petitores in campum descendentes togam posuerunt, ideo Tribuni Pl. legem promulgarunt, ne cui album in vestimentum petitionis caussa addere liceret. Alia excogitanda est ratio, quam ipse Liuius suppeditat *l. c.* e quo discimus, patricios, sumpto elegantiore habitu, omnium in se oculos conuertisse, et ostentatis quasi diuitiis, plurium e plebe, qui opis indigebant, ita commouisse animos, vt clientum numero esse vellent. Addatur Meursius *de luxu Rom. cap. 4.* quo loco, de vestibus pressis, vt niterent, exponit, et Gronouius *ad Liu. l. c.* Praeterea bene monuit Hoffmannus, hanc legem male *Pinariam* dici. Hoc quidem scimus, latam eam esse *A. V. 321.* quo *L. Pinarius Mamercinus, L. Furius Medullinus, Sp. Posthumius Albus*, Tribuni militares fuerunt; sed cum legamus apud Liuium, *placet tribunos legem promulgare*, patet plebiscitum esse, et inuitis etiam patribus fuisse promulgatum. Est igitur error ridiculus, quem commiserunt tamen omnes, qui de legibus scripserunt, doctissimi viri, quod *Pinarium* legis auctorem fecerint, sine dubio receptum a patribus morem acriter defendentem. Ita enim Liuius *ibid. Res haec tunc ingenti certamine Patres ac plebem accendit.* Posset quis eodem iure, sed et errore eodem, hanc legem *Furiam*, vel *Posthumiam* appellare, quoniam tribunorum Plebis nomina ignoramus. R.

(60) Obseruat tamen Cl. Ernesti *in Ind. LL.* Sigonium, cum legem Plautiam *Catuli* auctoritate latam esse scribat, graviter errare, et *legem Lutatiam Catuli*, cum *Plotia* confundere. Lex *Lutatia*, auctoritate *Q. Lutatii Catuli* lata, fuit *Plotia* seuerior, et sanxit praeterea, vt diebus etiam festis de vi quaeri posset. Adeoque de *Lutatia* capiendus Cicero *pro Coelio l. c.* non vero de *Plotia*, quod vult Sigonius. R.

Ad

Ad §. CVIII.

(61) Lex Scribonia.

(61) Ad hanc legem quaedam obseruauit B. Branchu *Decad. II. Obseruat.* 17. qui non tantum Cuiacii opinionem de Lege Scribonia tuetur, sed et contendit, ex Cicerone *pro Caecin. cap. cit.* probari minimè posse, eius aetate seruitutes fuisse vsucaptas. Consule etiam Io. van de Water *Orseru. Iur. Lib. II. c.* 18. et Cl. Ottonem *Dissert. de vsucap. servit.* R.

Ad §. CVIIII.

(62) Lex Seruilia.

(62) Referenda haec lex ad an. V. C. 653. quo a C. Seruilio Glaucia, Praetore lata est, quem eodem anno C. Marius VI. Cos. interfecit. Cicer. *Catilin. III. cap. 6.* Epit. Liu. Lib. LXVIIII. et Cl. Ernesti *Ind. Hist. voc. Glauc.* R.

Ad §. CXI.

(63) Senatusconsulta.

(63) De Iure Senatus vid. Cl. Dukerus *ad* Liu. *Lib. XXXVIIII. c.* 14. De *lege Maenia*, quam latam *an. V. C.* 467. plerique putant, fere omnia sunt incerta. Festus *voc. prorsus*, eius non meminit, sed ibi habent libri impressi, *Iunia*. Apud Nonium autem legitur *Maenia*, non *Mania*. Et errat grauiter Heineccius *ad leg. Iul. et Pap. Lib. II. c.* 3. §. 4. cum compertum sibi esse scribit, rogationi isti nomen esse inditum a C. *Maenio Nepote*, qui vna cum *L. Furio Camillo Cos.* fuit *an. V. C.* 415. Cum enim *anno* antecedente 414. *lex Publilia*, auctore *Q. Publilio Philone*, Dictatore, lata, eaque secundum Liuium *Lib. VIII. c.* 12. cautum sit, *vt legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent*, consulem ex plebe designatum C. *Maenium*, paullo post, hanc legem plebi gratissimam tulisse, existimat. Sed Ciceronem non legit, qui in *Bruto c.* 14. haec habet: *M. Curium, quod is Tribunus Plebis, interrege Appio Caeco, diserto homine, comitia contra leges habente, cum de plebe consules non accipiebat, patres ante auctores fieri coëgerit; quod fuerit permagnum, nondum lege Maenia lata.* Fasti docent, *Appium Claudium Caecum* an. V. C. 446. Consulem prodiisse. Ponas vero, ipsum tum annum ingressum esse quadragesimum secundum, qui propter annariam legem requirebatur: necesse est, vt fuerit C. *Maenio Nepote Cos.* sive *an.* 415. vndecim annorum puer. Quomodo igitur Interrex *Claudius* ante legem Maeniam esse potuit? Finge, plures eo tempore annos habuisse, quo primum Consul factus est, parum tamen efficies, cum ex Dionysio sciamus, Interreges electos fuisse, grauissimos natuque maximos, ordinis Senatorii viros. At prolixa disputatione non opus est, cum Liuius *Lib. X. cap.* 11. memoriae tradiderit, Appium *an. V. C.* 454. fuisse Interregem, Consulesque creasse *L. Cornel. Scipionem*, et *Cn. Fuluium*. Igitur inanis est illa Heineccii coniectura, et amplectenda potius elegantis ingenii viri, I. F. Gronouii opinio, qui *Obseruat. I*, 25. Maeniam legem, Maenio Tribuno Pl. tribuit, annoque demum 467. supra memorato, statuit latam esse, et Ciceronis de ea locum egregie illustrat. De *auctoritate Senatus* etiam minus accurate exposuit Heineccius: sed meliora dedit Cl. Ernesti *Clau. Cicer. voc. auctoritas.* R.

Source : BIU Cujas

Ad §. CXVII.

(64) An vxorem ludos spectantem repudiarit?

(64) Veteres auctores, Dionysium, Valerium Maximum, et Gellium, inter quos de anno, quo Caruilius diuortium ab vxore fecit, non conuenit, optimè conciliauit Doddwellus *in Chronolog. Graeco-Rom. pro hypothes. Dionysii ab an. 521. aerae Caton.* R.

Ad §. CXXI.

(65) Scipio Corculum.

(65) Scipio *Corculum*, hoc est, *Sapiens*, Censuram gessit anno 595. vt docet Plin. *Hist. Nat. Lib. XXXIIII. c. 6.* et in magistratu, statuas circa forum omnes eorum, qui magistratum gesserant, sustulit, exceptis his, quae populi, aut senatus sententia essent statutae. Idem *Lib. VII. c. 60. Scipio Nasica*, (Censor) inquit: *primus aqua diuisit horas aeque noctium ac dierum. Idque horologium sub tecto dicavit, anno vrbis DLXXXXV. Tamdiu populi Romani indiscreta lux fuit.* Haec ideo adscripsi, vt et de vrbis magnificentia, et horarum obseruatione, his temporibus iudicium fieri possit. R.

Ad §. CXXV.

(66) Gens Acilia.

(66) In *Aciliae* gentis denariis Ianus bifrons, prudentiae sapientiaeque signum, conspicitur apud Patin. *de famil. Rom. p. 3.* At idem χάραγμα et in *Atiliae* gentis numis *p. 42.* reperimus. Si ergo verum est, hoc esse signum sapientiae vel prudentiae, a quo maiorum quis cognomen tulerit: facile est ad existimandum, de eo gentium suarum decore inter vtramque certatum esse. H. Bene monet Auctor, rem de *Atilio* et *Acilio* incertam esse. Optimi enim libri, et manu exarati, et impressi Ciceronis *de Amicit. c. 2.* habent, *Atilius*: quam lectionem cur amplecti nolint viri docti, mirari satis non possum. De *Sapientis* cognomine videndus Gellius *Lib. IIII. c. 1.* qui docet, veteres, iuris magistros, appellasse sapientes. R.

Ad §. CXXVIIII.

(67) M. Porcius Cato.

(67) M. Catoni, ob eloquentiam, Demosthenis cognomen impositum fuisse, tradit Diodorus *in Excerpt. Peiresc. pag.* 383. R.

Ad §. CXXXVIIII.

(68) *In Notam Heineccii.*

(68) Locus Plinii ab Heineccio citatus pertinet ad leg. Ateriam Tarpeiam, nec id probat, quod vult Heineccius. Vid. *sup. not. ad §. 21.* Sed alia loca suppeditauit Cl. Otto *l. c.* R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CXXXXIII.

(69) Licinius Crassus &c.

(69) Confundit Heineccius *Crassos* duos, *P. Licinium Crassum Mucianum Divitem*, et *L. Licinium Crassum*. De his paucis, sed distincte, dicam. P. LICINIVS P. F. P. N. CRASSVS MVCIANVS, (vt est in tabula Capitolina) *P. Mucii Scaeuolae*, Cos. A. V. 518. *filius*, et *P. Mucii Scaeuolae*, qui Cos. fuit A. V. 620. et Pontifex M. et de quo Pomponius de O. I. §. 39. *frater naturalis*, adoptatus est a *P. Crasso Diuite*. De eo Gellius *Lib. I. c.* 13. *Is P. Crassus Mucianus, a Sempronio Asellione, et plerisque historiae Romanae Scriptoribus, traditur quinque habuisse rerum bonarum maxima et praecipua, quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iurisconsultissimus, quod Pontifex Maximus.* Cicero de *Orat.* I, 37. *P. Crassum illum Diuitem laudandum puto, quod, cum* P. SCAEVOLAE *frater esset, solitus ei persaepe dicere, neque illum in iure ciuili satis illi arti facere posse, nisi dicendi copiam assumpsisset.* Fuit hic *Cos. A. V.* 622. collega *L. Valerio Flacco*, et *Pontifex Maximus*, et in eo Consulatu multam dixit Collegae *Valerio*, qui Flamen Martialis erat, si a sacris discessisset, ad bellum contra Aristonicum, Regis Eumenis filium, in Asia gerendum, vt ipse cum imperio in eam prouinciam ire posset. Cicero *Philipp. XI. c.* 8. *Cum Aristonico bellum gerendum fuit, L. Valerio et P. Licinio* (Crasso Muciano) *Consulibus. Rogatus populus, quem id bellum gerere placeret: Crassus Cos. et Pontifex Maximus, Flacco collegae, et Flamini Martiali, multam dixit, si a sacris discessisset. Ita populus Romanus Consuli Crasso bellum gerendum dedit.* Sed cum inordinata acie praelium Consul faceret, victus est, et ex vulnere mortuus. Liuius *Epit. Lib. LVIII. Aduersus Aristonicum P. Licinius Crassus, Cos. quum idem Pontifex Maximus esset, (quod nunquam antea factum erat) extra Italiam profectus, praelio victus, et interemptus est.* Vid. Valer. Max. *Lib. III. c.* 2. *ex.* 12. et Vaillant *pag.* 341. *in Achaemenidar. imper.* Et hic est ille *P. Crassus Mucianus*, cuius meminit Pomponius *de O. I. l.* 2. §. 40. Alter et ab eo diuersus, est LICINIVS CRASSVS, excellens ille orator, quem Cicero introducit loquentem in libris *de Oratore*. Vid. *Lib. I. c.* 8. et de quo fortasse scripsit quoque Pomponius; cuius tamen verba plurimum deprauata dedit is, qui Iustiniani tempore ex eleganti eius libello dolauit excerpta. Hic *Consulatum* gessit cum *Q. Mucio Scaevola A. V.* 658. quem et in reliquis fere magistratibus habuit collegam. *Censor* fuit *A. V.* 662. vt Plinius scribit *Lib. XVII. c.* 1. collega *Cn. Domitio Ahenobarbo*, quo tempore de coërcendis Latinis Rhetoribus Edictum proposuit, cuius mentio fit apud Gellium *l. c.* Et *A. V.* 662. cum *L. Philippus Cos.* grauiter in Senatorium ordinem esset inuectus, facunde deplorauit casum Senatus, neque ipsi Consuli pepercit. Sed cum vehementissima animi commotione multa in eum dixisset, latus ei condoluit, sudorque plurimus est consecutus; ex quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit, dieque septimo lateris dolore consumtus est. Ita rem narrat Cicero *de Orat. III. init.* qui *in Bruto c.* 3. et de eo, et Q. Scaeuola scribit: *Atque ita tum ab his patronis aequalibus, etiam consularibus, caussa M. Curii apud centumviros dicta est, cum vterque ex contraria parte ius ciuile defenderet, vt* ELOQVENTIVM IVRISPERITISSIMVS CRASSVS, IVRISPERITORVM ELOQVENTISSIMVS *Scaeuola putaretur.* R.

Source : BIU Cujas

Ad §. CXXXXVIIII.

(70) Lucilius Balbus &c.

(70) Balbos confundit, et male cum Ruperto ad Pompon. *pag. 397. Edit. Ienenſ.* ad locum Ciceronis *de Orat. I. c. 6.* prouocat, vbi nulla fit *Balbi* mentio. Huc pertinet L. LVCILIVS BALBVS, Seruii Sulpicii praeceptor, de quo Cicero *Brut. c. 42. Cumque* Seruius Sulpicius *diſcendi cauſſa duobus peritiſſimis operam deditſſet*, L. LVCILIO BALBO, C. *Aquillio Gallo*; BALBI, *docti et eruditi hominis tarditatem*, in reſpondendo, *vicit.* Ab hoc diuerſus eſt Q. LVCILIVS BALBVS, Stoicus, et in hoc Philoſophiae genere cum excellentibus Graecis comparandus, de quo idem Cicero *de Nat. Deor. Lib. I. c. 6.* haec habet: *Aderat etiam* Q. LVCILIVS BALBVS, *qui tantos progreſſus habebat in Stoicis, vt cum excellentibus in eo genere Graecis compararetur.* R.

Ad §. CLVIIII.

(71) Taciti citatio.

(71) Rectè ſcripſit Tacitus *Annal. III*, 28. *Sexto* demum *Conſulatu* Auguſtum potentiae ſecurum factum, quoniam mox *anno ſequente*, ſiue *Conſulatu VII. A. V. 727. ex ſententia Munatii Planci a Senatu caeterisque ciuibus ante diem XVI. Kal. Februar. nomen* AVGVSTI *accepit*, vt habet Cenſorinus *de die natal. c. 21.* AVGVSTI vero nomine accepto, omne Populi Senatusque imperium ad eum translatum eſt, ſecundum Dionem *Lib. LIII. pag. 581. Edit. Steph.* Facta tum quoque eſt *diuiſio prouinciarum* inter Caeſarem et S. P. Q. Romanum. Idem *ibid. pag. 576.* Et *aeraria duo* inſtituta. Id. *ibid. pag. 580.* ex qua inſtitutione deducenda *fiſci origo.* Diuiſio vero prouinciarum, et duplex hoc aerarium fecit, vt *Quaeſtores*, (quos *Quaeſtores Candidatos* appellamus, et de quibus infra plura) creandi eſſent. Auguſtus autem teſte Dione *Lib. LIII. pag. 577.* quo longius Romanos a ſuſpicione regiae poteſtatis abduceret, *imperium* tantum *decennale* capeſſiuit. Sed ei, quum primum *decennium* exiiſſet, aliud *Quinquennium*, atque eo elapſo, rurſum aliud, et hoc etiam circumacto, *Decennia duo* decreta ſunt, ita vt continuatis *quinque Decenniis* per totam vitam ſummam imperii obineret. Dio *Lib. LIII. p. 580.* Haec *Quinquennia* et *Decennia*, *Quinquennalibus*, *Decennalibusque* dederunt originem, de quibus *ibid.* Dio: *Quam ob cauſſam poſteriores Imperatores, etſi non ad certum tempus, ſed per omne vitae ſpatium iis Imperium deferatur, tamen ſingulis* DECENNIIS *feſtum pro eius renouatione agunt, quod hodie etiam fit.* Inde nummi illi votiui, quibus inſcriptum, VOT. X. MVLT. XX. Inde quoque *luſtralis collatio*, de qua eſt *titulus in Codice Theodoſ.* Ex *Quinquennalibus* vero hiſce, *Decennalibusque* plurimum lucis capiunt leges Codicis vtriusque, cum in ſollemnibus illis feſtis Impp. quae ad religionem et Rempublicam iuuandam ornandamque potiſſimum ſpectare videbantur, conſtituerent. Certe, et *criminum*, et *reliquorum indulgentias*, abſque Decennalium beneficio, difficillime intelligimus. Vid. Pagium *diſſert. hypat. part. II. cap. 4.* et quae ſcripſi ad *Prolegom. Cod. Theodoſ. pag. 213.* R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CLXII.

(72) Magistratuum vocabula.

(72) Bene quidem monuit Heineccius, processisse *Consules*, sicut libera Republica; sed obseruandum tamen est, consularem dignitatem nonnihil detrimenti passam esse propter *Consules suffectos*, quorum quidam iam a Caesare sunt constituti, et dein, *ab anno V. C. 715.* cum Triumuiri ad gubernacula publicae rei resiederent, eligi coeperunt. De his videndus Dio *Lib. XXXXIII. pag. 268.* et *Lib. XXXXVIII. pag. 431. Edit. Steph.* Pagii *Dissert. Hypat. Part. I. c. 1.* qui alibi, *in Critic. ad Annal. Baron. an. 311. n. 7.* asserit, hunc, Consules suffectos creandi, morem, ad conditae vsque Constantinopoleos tempora, obtinuisse. Imo est *tertium* etiam *genus Consulum*, quos *honorarios*, aut *Codicillares* dixerunt, qui licet Consulatum nunquam adepti essent, Consulares tamen viri, ex Imperatorum indulgentia et priuilegiis, appellabantur, ornamentis et praerogatiuis Consularibus iis concessis. Hanc dignitatem excogitauit Iul. Caesar, teste Suetonio *in Vit. c. 76.* quem imitatus est Senatus Romanus, qui, cum Consulem facere nollet Augustum, Consulares ei honores detulit. Et inualuit tempore *Seueri Aug.* vt hi Consules, eadem, qua suffecti, praerogatiua potirentur, dicerenturque *Consules iterum*, si ad Consulatum ordinarium eos evehi contingeret. Dio *Lib. XXXXVI. pag. 362. 365.* Pagii *Dissert. cit. Part. I. c. 8.* De *Tribunitia* Caesarum *potestate* est erudita Cl. Schwartzii dissertatio. R.

Ad §. CLXV.

(73) Lex Quinctia.

(73) Hanc legem magna industria illustrauit Ioan. Polenus *in not. ad Frontin.* R.

Ad §. CLXXII.

(74) De Senatusconsulto Velleiano. (*ad Notam.*)

(74) Potuit facile tam felix esse Heineccius, vt hos suffectos Coss. reperiret, cum Almeloveenius iam *in Fastis* eorum nomina protulerit. Sed feliciorem se praedicare potuisset, si probasset, hoc Consulum par ad annum tantum *763.* non vero ad alium, pertinere. Marmor Gruterianum nuda nomina habet, et fasti parum subsidii adferunt; viri autem docti his Coss. locum ex coniectura adsignarunt. Quae cum ita sint, Cl. Noodkerkii opinio tantisper praeferenda est, dum meliora quis doceat. Loca ex Pomponii Enchiridio sententiam Heineccii parum stabiliunt, quoniam absona illa et fere ridicula, ICto elegantis ingenii, nullo modo tribui possunt. Qua de re iam dixi, cum de iure Papiriano dissererem. R.

Ad §. CLXXIIII.

(75) Lipsii citatio.

(75) Superauit Lipsii diligentiam Georg. d'Arnaud, cuius prostat eruditus libellus *De Iure seruorum.* R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CLXXV.

(76) Praefectura vrbana.
(77) Officium Præfecti Vrbis.
(78) Herodiani citatio.

(76) Iul. Caesarem iam de Praefectis Vrbi constituendis cogitasse, docet locus Sueton. *in Vit. c. 76.* quem illustrat Spanhemius *de Vs. et Praestant. Numism. Dissert. X. Tom. II. pag.* 118. vbi, et de Praefectorum dignitate doctissime disseruit, et ex Cassiodoro *Var. I*, 42. probauit, praetorum eos insignia habuisse. Consulenda quoque est *Notitia Dignitatum*, quam Pancirolus edidit. R.

(77) Id praeter auctorum loca, optime docent Vlpianus et Paullus, qui *de Officio Praefecti Vrb.* libros singulares scripserunt, e quibus excerpta vide *l. 1. et 2. D. de Offic. Praefecti Vrb.* Durauit quidem Praetura, et fuerunt aeuo Constantiniano Praetores plures tam Romae, quam Constantinopoli, vsque ad Iustinianum, vt demonstrant *tituli de Off. Praet.* et *de Praetoribus*, in Digestis et Codice: sed adeo fuit imminuta eorum potestas, vt ipsis fere ludorum Circensium theatraliumque cura tantum incumberet, eamque ob caussam Editores dicerentur *l. 5. 7. 31. Cod. Theod. de Praetorib.* vbi consulendus Iac. Gothofredus *in Commentar.* Iurisdictio vero his finibus inclusa esset, vt ad eos modo pertinerent cognitio liberalis caussae, caussae restitutionis in integrum, tutoris et curatoris datio, manumissiones et emancipationes, docente *l. 16. Cod. Th. de Praetorib.* quae est *l. 1. Cod. Iust. de Off. Praetor.* Vide etiam Valesium *ad Ammian. Lib. XXVII. c. 3.* et Spanhemium *de Vs. et Praestant. Numism. dissert. X. Tom. II. pag.* 142. 143. R.

(78) Herodianus non vocat Praefecturam, *magistratum a Principe secundum*, sed Zosimus, quem vide *Hist. Lib. II. c.* 32. Apud Herodianum vero *l. c.* legitur *Macrini epistola*, quam mox, postquam ab exercitu Imperator dictus fuerat, ad Senatum dedit, eaque scripsit, *Praefecturam Praetorianam, non multum abesse a principatu.* Sed, si placet, vide *Historiam Praefecturae Praetorianae ab origine dignitatis ad Constantinum M.* vbi de potestate, a Principibus ante Constantinum M. Praefectis Praetorio sensim pedetentimque tributa, dixi. R.

Ad §. CLXXVI.

(79) Proconsules.

(79) Inde *Proconsulum* Siciliae mentio fit, Caesarum tempore, in lapidibus. Vid. Gruterus *CCCCXXI.* 3. *CCCCXXXVI.* 7. Nec nouus est titulus *Legati Propraetore*, et ab Augusto demum excogitatus, licet id velit Dio *l. c.* verum iam antea is in vsu fuit, probante Spanhemio *de Vsu et Praestant. Numism. dissert. X. p.* 179. qui *Pompeiae gentis* denarium producit, in cuius anteriore parte leguntur verba CN. MAGNVS IMP. posticae vero inscriptum nomen M. PVBLICI LEG. PROPR. nempe Pompeii M. in Hispania *Legati Propraetore.* R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CLXXVII.

(80) (*Ad Heineccii Notam.*)

(80) Errat grauissimè Heineccius, a Reinesio seductus, vt demonstraui *in praefat. ad Tom. V. Codicis Theodosian. Iuridici prouinciarum*, qui in locum Consularium successerunt, vti Praesides, prouinciis praefuere, et nequaquam confundendi sunt cum *Iuridico vnius ciuitatis*, qualis ille *Alexandrinus* fuit. Nil probant marmora, vbi alia omnia suadent docentque auctorum veterum, et legum testimonia. Vti enim ipse *Praefectus Augustalis*, nonnunquam *Praefectus Alexandrinus* audit, quia Alexandriae sedebat, ita dici quoque in lapide potuit *Iuridicus Alexandrinus*, *Iuridicus Aegypti*, a totius prouinciae metropoli. Imo in marmore Reinesiano IVR. PER. AERA. scriptum est, vt facile iudicare possis, quantum fidei huic monumento tribuendum sit. Male prouocat etiam Heineccius ad Guiacium, qui nullibi scripsit, vniuersae Aegypto vna cum Augustali Iuridicum praefuisse; verum id statuit, eum, et Praesidem Thebaidos, in Gypsum vel Oasin relegare potuisse, quoniam hae insulae eorum potestati subiectae fuerint. In quo tamen Vir ille magnus et ipse errorem commisit, cum in Graeca constitutione, quam e Basilicis produxit, legamus, τὰς δὲ ἄρχοντας Ἀλεξανδρείας καὶ Θηβαΐδος κελεύει μόνας εἰς Γύψον καὶ εἰς Οἄσιν ἐκπέμπειν αὐτούς, hisque verbis, non alii, quam Augustalis, et Praeses Thebaidos, intelligi possunt. Ἄρχοντες sunt Praefecti prouinciarum. Dio de Augusto *Lib. LIII. p. 578. Edit. Steph.* τὰς δὲ ἔξω πάντως, ὡς καὶ ἀντ' ἐκείνων ἄρχοντας πρεσβεύσοις, *qui extra* (Italiam) *imperarent, quasi eorum locum tenentes, Praefectos appellauit.* Vide etiam Iustiniani *Edict. XIII. de Alexandr. et Aegypt. Prouinc.* Sed, vt rem omnem animo facilius concipiamus, hoc tenendum est. Augustus, subacta Aegypto, huius prouinciae ciuitatibus reliquit suos magistratus et consuetudines; Alexandrinos autem solos sine Senatu esse voluit, quoniam experientia didicerat, esse eos ad rebellionem maxime procliues. Haec Dio habet *Lib. LI. p. 521. Edit. Steph.* Cum igitur soli Alexandrini Senatum non haberent, mittendus fuit magistratus, qui ius in ea ciuitate diceret, ipsosque ciues retineret in ordine. Fecit hoc Augustus, vbique *Iuridicum* praefecit, vt Strabo *Geograph. Lib. XVI. pag. 1147. 1148. Edit. Almeloveen.* scriptum reliquit. Ὁ μὲν ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἔχει τάξιν ὑπ' αὐτῷ δ' ἐστὶν ὁ Δικαιοδότης, ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος, ἄλλος δ' ἐστὶν ὁ πρεσβευόμενος ἴδιος λόγος, ὃς τῶν ἀδεσπότων, καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων, ἐξεταστής ἐστι. παρίστανται δὲ τούτοις ἀπελεύθεροι Καίσαρος καὶ οἰκονόμοι, μείζω καὶ ἐλάττω πιστεύματα πραγματα. *Qui mittitur Regis loco est. Ei subest Dicaeodotes,* (id est, iuridicus) *qui iudicia exercendi pleraque potestatem habet. Tum alius ἴδιος λόγος, nimirum, qui peculiares rationes curat. Is in ea inquirit, quae sub alterius potestate non sunt, sed seorsim ad Caesarem recidunt.* (bona vacantia et caduca intelligit) *Hos comitantur Caesaris liberti et administratores, quibus maiora et minora negotia committuntur.* Docet hic locus classicus, *Praefectum Augustalem* Regis loco omni Aegypto praefuisse; subfuisse autem ei *Iuridicum Alexandrinum*, quasi huius vrbis, quae Senatu carebat, praefectum. Fuit deinde simul in eam prouinciam missus ἴδιος λόγος, siue *Caesaris Procurator*, aut *Rationalis*; additi *officiales*, Caesaris liberti, quos leges Codicis Theod. *Caesarianos* appellant. Est itaque Aegyptus in potestate *Praefecti Augustalis*, *sub cuius dispositione* sunt *Iuridicus*, et *Caesaris Procurator*; *Officium autem habet ex Caesarianis.* Cum vero Strabo, *Iuridicum* Augustali subfuisse dicat, non video, quid viros

Source : BIU Cujas

viros doctos mouere potuerit, vt ei concurrentem cum Augustali iurisdictionem, aequalemque paene potestatem tribuant, censeantque, tanquam speculatorem in eam prouinciam missum esse. Sed fuit profecto inter magistratus minores, vti colligere est ex *l. 2. D. de off. Iuridici*, vbi dicitur, ipsi demum *tutoris dationem ex constitutione Diui Marci concessam esse*: qua constitutione tamen nil opus erat, si Iuridicus in Praesidum fuisset numero, quoniam ex *lege Iulia et Titia*, ad ipsum quoque tutoris datio pertinere debebat. Imo in Digestis *titulus de officio Iuridici*, postponitur ei, qui *de officio Procuratoris Caesaris* exponit. Et imminuta etiam est Iuridici potestas in vrbe Alexandrina, postquam ea, imperante Septimio Seuero, Senatum accepit. Ita enim Spartianus *in Seuero cap. 17.* scribit: *Alexandrinis ius buleutarum dedit, qui sine publico consilio, ita vt sub regibus ante viuebant, vno iudice contenti, quem Caesar dedisset.* A quo tempore, et vrbis et curiae dignitas, adeo creuit, vt et Theodosius M. *ad Senatores ciuitatis Alexandrinae*, constitutionem emitteret, quae est *lex 19. Cod. Theod. de petitionib.* in qua nulla Iuridici mentio. Quae cum ita sint, non possumus non incertissimi esse, vtrum apud eum, post Seueri tempora, contentiosa quoque fuerit iurisdictio, an voluntaria tantum. De voluntaria, Digesta et Codex loquuntur. Nec liquet, quem locum is obtinuerit apud Alexandrinos aeuo sequiore, cum clarum sit ex *lege vn. Cod. Iust. de Off. Iurid.* Leonis Augusti tempore dubitatum fuisse, an possent apud eum Alexandrini ciues donationum instrumenta referare. Quoniam vero id fieri potuit apud *defensores plebis*, docente *lege eadem*, *Iuridicus Alex.* tunc temporis, non in maiore, quam hi, honore fuisse videtur, hac sola tantummodo praerogatiua exsplendescens, quod ab antiqua institutione, ab Imperatore vrbi imponeretur, et in magistratuum municipalium numero non esset. R.

Ad §. CLXXVIIII.

(81) Ius respondendi.

(81). Vitas ICtorum, qui ab Augusti tempore floruerunt, negligere legum cultores nullo modo possunt, quamuis nemini auctor esse velim, vt minutiis inhaereat. Est autem α) attendendum *ad tempus*, quo ICtus vixit, ne in interpretandis eius fragmentis, quae in Digesta relata sunt, errores committamus chronologicos. β) Considerandа dein est *Secta*, cui Iureconsultus adhaesit, vt facilius de diuersis opinionibus ferre sententiam possimus. γ) Porro obseruandum est, *quid scripserit ICtus*, diligenterque et attente inspiciendae sunt *inscriptiones legum*, quas sollicite eam ob caussam exprimi curauit Iustinianus, quoniam sine iis, ipsa fragmenta ICtorum ne intelligi quidem possunt. Aliam enim interpretationem requirunt ea, quae ab ICtis ad Edictum vrbanum scripta sunt, et aliam iterum illa, quae ad Edictum prouinciale pertinent. Aliter interpretanda sunt verba, cum ICtus de Quaestorum, aliter vero, cum de Proconsulis, Praesidisque officio exposuit. R.

Ad §. CC.

(82) Quaestores candidati.

(82) Hos *Quaestores* primum ab Augusto introductos esse post annum *V. C.* 743. vt Senatus Consulta adseruarent; quum Tribuni Pl. ac Aediles, quibus ante id

Source : BIU Cujas

id negotium datum fuerat, per apparitores suos hoc egissent, atque propterea erroribus et confusioni dedissent occasionem, statuit diligentissimus Pancirolus *in Commentar. ad Notit. Imp. Oriental. cap. 73.* Sed errat sine dubio; neque Dio, ad quem prouocat, *Lib. LIIII. pag. 625. Edit. Steph.* dicit, Quaestores custodiendorum Senatus-Consultorum caussa primum tum creatos esse, verum id memoriae tradidit historicus, Quaestoribus, qui in vrbe magistratum gerebant, eo demum tempore hanc seruandorum SC. curam demandatam esse. *Quaestores Candidati* sine dubio iam ab anno V. C. 727. creari coeperunt, postquam facta est *diuisio prouinciarum*, Augustum inter et S. P. Q. Romanum, isque *Proconsulare imperium* sumpsit. Duplex *aerarium* tum fuit, alterum populi, alterum Augusti, Dio *Lib. LIII. p.* 580. Eam vero ob caussam Augusto *Quaestoribus* opus erat, qui aerarii, ad quod prouinciarum Augustalium reditus pertinebant, curam gererent, rationes e prouinciis Romam transmissas conferrent, et conficerent, confectasque referrent ad Augustum. Deinde notum est, *Proconsules*, cum in prouincias mitterentur, habuisse secum *Quaestores*, quibus etiam muneris sui partem demandare sunt soliti. Cum vero *Augustus perpetuus Proconsul*, in prouincias suas *Legatos* mitteret, ipseque Romae esset, ex Proconsulari illa potestate Quaestores quoque circum se habuit, iisque non modo conferendarum conficiendarumque rationum curam demandauit, verum eorum quoque opera vsus est in conscribendis epistolis, et praelegendis in Senatu libellis et orationibus. Vid. Dio. *Lib. LIIII. pag. 617.* Sueton. *Aug. c. 65.* Guther. *de Off. dom. Aug. Lib. II. c.* 18. et Dodwell. *Praelection. Cambden. prael.* 10. *pag.* 864. Sed cur *Quaestores hi, Candidati Principum* dicti sint, plurimos ignorare animaduerto, vt adeo necessum sit, paucis etiam in huius nominis originem inquirere. Scilicet *Quaestores* populi suffragiis in comitiis erant creandi. Sed, euersa libertate, Iulius Caesar iam comitia cum populo partitus est, *vt*, teste Suetonio in vita *c.* 41. *de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur; pro parte altera, quos ipse edidisset.* Pergit Suetonius, editionisque narrat modum: *Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura breui, Caesar Dictator illi tribui. Commendo vobis illum, et illum, vt vestro suffragio suam dignitatem teneant.* Habes igitur *Candidatos Caesaris.* Cum deinde Augustus imperaret, comitia quidem habebantur vetere more, *nihil tamen*, inquit Dio *Lib. LIII. pag.* 585. *praeter voluntatem Augusti agebatur. Magistratus partim ipse* DESIGNABAT, *alios populo plebique creandos permittebat.* En! itaque *Candidatos Principis. Principis* enim nomine Augustus cuncta sub imperium accepit. Sunt autem *Quaestores* καὶ' ἐξοχὴν, *Principis candidati* appellati, eam potissimum ob caussam, quoniam non vt reliqui magistratus, populi Romani, prouinciis, aut rebus vrbanis, sed negotiis palatinis praeficiebantur; eratque consentaneum, vt ab ipso Principe deligerentur. De Tiberio vide, quae Dio habet, *Lib. LVIII. pag.* 727. Post stabilitam magis magisque monarchiam, et euerso, in prouincias, iure Senatus, cum cura aerarii principalis aliis esset demandata. Quaestores hi, *scribendis* Principum *epistolis, rescriptis, edictis, decretis*, et *legendis* in Senatu *libellis orationibusque*, vacarunt, vt docet Vlpianus *titul. D. de Off. Quaest.* simul tamen, quia circa Principem versabantur, magnam sibi acquisiuerunt auctoritatem, ita, vt deinde aeuo Constantinianeo *Quaestores Palatii*, audirent, et inter aulicas dignitates summum obtinerent locum, *precum arbitri, concilii regalis participes*, et *legum conditores*, essent, vt est apud Symmachum *Lib. I. ep.* 17. Est de iis locus apud Zosimum *Lib. V. cap.* 32. medela tamen egens; atque ad haec tempora pertinent Cassiodori *formulae*, ab Heineccio allegatae. Sed inprimis consulenda *Notitia vtriusque Imper. in not. viri ill. Quaest.* R.

Source : BIU Cujas

Ad §. CCII.

(83) Coierit ad occisionem &c.

(83) Vid. Bynkershoekius *Obseruat. III*, 18. et Schultingius *Iurispr. Anteiust. p. 764.* In *l.* 1. §. 1. *D. de leg. Corn. de falsi.* legitur, *coierit ad obligationem innocentum*, eaque lectio multum vexauit viros consultissimos. Melior certe est haec, *ad occisionem. Occisio*, notat condemnationem, aut periculum. Et bene obseruat Io. Aug. Bachius *de Legib. Traian. p.* 12. veteres, *iugulare*, *necare*, *occidere*, de iis dixisse, quos in iudiciis, inprimis capitis, condemnassent. Imo Cato dixit, foenerari, *esse hominem occidere.* Vid. Gronou. *Obseru. IIII*, 24. R.

Ad §. CCVIIII.

(84) Liber de indigenis.

(84) De Inscriptione huius libri, consule Gronouium *in praefat. ad Gellium.* Proba est lectio, *Memorialium*, si quid video, quam et Paullus, et Macrobius, seruant. R.

Ad §. CCXVII.

(85) SC. Claudianum de muliere etc.

(85) Sunt, qui putant, hoc SC. prospexisse tantum dominis, ne in seruis suis, alieno amori operam dantibus, detrimentum paterentur; honestatem vero mulierum parum curasse Claudium, quoniam hae, permittente serui domino, impune cum ipso concumbere potuerint. Est haec sententia Gothofredi *in Commentar. ad leg.* 1 *Cod. Theod. ad SC. Claudian.* quam amplectitur quoque Georg. d'Arnaud *Var. Coniect. lib.* 1. *c.* 20. Et, tam Taciti locus, quam Theophil. *in Instit.* imo etiam Paullus *l. c.* opinioni fauere videntur. Sed tu vide ea, quae notat elegantissimus vir, Schultingius, ad Paullum *pag.* 306. *Iurisprud. Anteiust.* R.

Ad §. CCXX.

(86) Claudiani Edicta.

(86) Mentio fit huius Edicti *l. vn.* §. 3. *Cod. de Latin. libert. toll.* et *l.* 2. *D. qui sine manumiss.* Huc pertinet Vegetius *praefat. art. veterin.* vbi scribit: *praesertim cum mancipia, quorum plebeia curatio non putatur, saepe vilioris pretii, quam equi venduntur, aut muli.* Inde facile colligi potest, cur graui laborantes infirmitate servos, domini exponere maluerint. Ad edicta Claudii, quae Petr. Faber collegit, aliud adiecit Georg. d'Arnaud *dissert. de his, qui pretii participand. causs. c.* 7. *de iis, qui pretium participauerint, libertate multandis*, ex *lege vlt. D. quibus ad libert. proclam. non licet.* R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CCXXXIIII.

(87) Ad Senatus-Consultum Plancianum. (*in H. N.*)

(87) Debet Heineccius hanc obseruationem Gronouio, qui de Plancio Varo ad Tacit. *l. c.* ex Sponio differuit. Incertissimum tamen est, an huic *Varo* tribuendum sit SC. *Marci* enim pronomen apud Tacitum ei non tribuitur, nec Praetor fuit sub Vespasiano, sed ea dignitate functus est, *Galba* imperante. R.

Ad §. CCXXXV.

(88) SC. De aedificiis.

(88) SC. Vespasiani, *de aedificiis non diruendis*, d. lex Cod. non memorat, verum ibi legimus, Vespasianum hoc *Edicto* statuisse. En verba: *Negotiandi caussa aedificia demoliri, et marmora detrahere*, EDICTO *D. Vespasiani, et* SENATVSCONSVLTO *vetitum est.* Intelligitur hic SC. *Volusianum*, quod in desuetudinem abierat, imperantibus *Galba, Othone, et Vitellio.* Vespasianus vero vrbem, et orbem Romanum ornaturus, nouo Edicto idem constituit, cum Senatusconsulto non opus esset. R.

Ad §. CCXXXVIII.

(89) De Lecticis.

(89) De *lecticis* his habet aliquid Dio *Lib. XVII. pag.* 702. *Edit. Steph.* et *Lib. LX. init.* item Ammianus *Lib. XIIII. c. 6.* qui *basternas* vocat. R.

Ad §. CCXXXVIIII.

(90) Neruae edicta.

(90) Xiphilinus e Dione *in Vit. Nervae pag.* 240. *Edit. Steph.* refert, ipsum statuisse; *vt serui ac liberti, qui insidias dominis patronisque fecissent, omnes interficerentur, et ne eis liceret crimen vllius facinoris dominis inferre.* Idem ibid. scripsit, *Neruam non permisisse, vt quisquam impietatis aut ritus Iudaici accusaretur*, cum multi per calumniam essent damnati. Pag. 241. laudatus historicus memoriae tradidit, *Neruam multas leges tulisse, praesertim, ne quis eunuchum faceret, neue quis neptem in vxorem duceret.* R.

Ad §. CCL.

(91) De Gruteri inscriptione.
(92) (*Heineccii Nota.*)
(93) Traiani Edicta.

(91) Non debebat ad hunc lapidem prouocare Heineccius, ad quem offendit. Is enim seruat memoriam *C. Rubrii Proculeiani*, qui non Consulatum, sed dignitatem municipalem gessit, et *Curator Reipublicae* apud Veronenses fuit. Hi consulendi erant, qui fastos concinnarunt, quique ad hunc annum *Consules Suff. ex Kal. Iul. Rubrium Gallum* et *Q. Coelium Hisponem*, ediderunt. R.

Source : BIU Cujas

(92) Non cepit Heineccius Merillium, qui hanc *legem* 29. ad *SC. Iuncianum*, non vero *ad Rubrianum* pertinere, contendit, eamque ob cauſſam recte legit, *libertus ei ſeruatur*, id eſt, ad eum, qui in manu habet ſeruum alienatum, (cui ex fideicommiſſo debetur libertas) ſiue ex iuſta ſiue non iuſta cauſſa abſit, *pertinet libertus*, et eius patronus ſit, poſtquam Praetor ſeruo libertatem, abſente domino, dedit. Poſſes tamen melius cum Bachio *de legib. Traian. p.* 120. legem referre ad SC. Daſumianum, ſed ſeruata etiam Merillii lectione, quae ſenſum praebet commodiſſimum, quicquid contradicat auctor. R.

(93) De Legibus, SC. Edictis, Reſcriptis, Decretis Traiani, elegantem libellum concinnauit Io. Aug. Bachius, Lipſ. 1747. ſub titulo: *D. Traianus, ſiue de legibus Traiani Imp.* R.

Ad §. CCLI.

(94) Senatusconſultum Daſumianum.

(94) Recte obſeruat Bachius *de Legib. Traian. pag.* 116. *Rubrianum SC.* a *Daſumiano* ita differre, vt priore cautum ſit de iis, qui libertatem fideicommiſſam, cum deberent, euocati adeſſe noluiſſent, *dolo malo*, ſiue *in fraudem libertatis*, ſecundum *legem* 28. §. 5. *D. de fideicommiſſariis libertat. Daſumianum* vero *SC.* agat de iis, qui iuſta ex cauſſa abeſſent, et non in fraudem libertatis. *Rubriano* itaque coërcetur fraus et dolus malus, erepto liberto atque iure Patronatus. *Daſumiano* vero ſubuenitur libertati fideicommiſſariae, ſi iuſta cauſſa fideicommiſſarii abſint, ſeruato liberto et iure patronatus. Pertinet autem vtrumque SC. ad ſeruos hereditarios, quibus libertas relicta, atque in eo differt a *SC. Iunciano*, quod ſeruis non hereditariis, quibus libertas fideicommiſſa debetur, proſpexit, *l.* 28. §. 4. *D. de fideicommiſſ. libertat.* R.

Ad §. CCLII.

(95) Lex Vectibulici.

(95) Sunt hic quaedam minus accurate ab Heineccio tradita. *Lex Vectibulici* ad municipia proprie ſic dicta, et in Italia ſita, pertinere debuit, cum deinde demum SCto Hadriani tempore facto, ad prouincias porrecta ſit. *Municipia* vero ſeruos ſuos manumittere olim non potuiſſe, clarum ex *l.* 123. *D. de reg. Iur.* Sed iis id permiſſum poſtea. Manumiſſos vero ex *lege Aelia Sentia* in libertate tantum eſſe moratos, nec Vlpianus dixit, nec Heineccius mihi perſuadere potuit. Pertinet enim *lex Aelia Sentia* ad ciues Romanos, atque de ſeruis priuatorum, non vero de publicis municipiorum ſtatuit. Idem dicendum de *lege Iunia Norbana*. Recte igitur vidit Bachius *de legib. Traian. pag.* 158. hoc demum tempore non amplius dubitatum fuiſſe, id municipiis permitti poſſe, vt ſeruis publicis libertatem darent, cum iam antea iis eſſet conceſſum, vt legata caperent, et alias iuris Quiritium partes, beneficio Imperatorum, accepiſſent. Quod vero ad *legem Vectibulici* attinet, bene quidem monet Heineccius, eſſe hoc monſtrum nominis; ſed videant alii, an non et eius coniectura monſtroſa ſit. Perſuadebitne peritis, potuiſſe librarios ex illis *l. vlt. Cod. de ſeru. reipubl. ſecundum legem Vettiam Bolanam*, effingere *legem Vectibulici*? In MSS. eſt *Vectii Libici*, vt Contius et Cuiacius viderunt, emendantque Contius, *Vectii Lybici*, Pancirolus, *Vectii Bulici*, et alii aliter, ſed omnes

Source : BIU Cujas

omnes nulla adiuti veteris teſtimonii auctoritate. Cl. Otto *in Praefat. ad Tom. I. Theſ. iur. pag. 9.* varias recenſet opiniones, legendumque eſſe putat, vel *Vettii Ruſtici*, vel *Vettii Calpurnii*; ſed melius eſt, profiteri doctam ignorantiam. R.

Ad §. CCLXI.

(96) Decreta Frontiniana.

(96) Intelligendus eſt ſine dubio *Cornelius Fronto*, qui Conſulatum geſſit cum Traiano *A. V.* 853. *A. C.* 100. Vid. Pagius *in Critic. an. cit.* Hic enim *Fronto* inter decemuiros fuit, quos amici Traiani, in conuiuio, cum is de ſucceſſore deliberaret, dignos principatu iudicarunt. Xiphilinus *in Adrian. p. 265.* Qui, cum *ibidem* horum decemuirorum virtutes enarret; *Frontonem* potiſſimum ob iuris peritiam laudat. Ἀμείλει καὶ Κορνήλιος Φρόντων, ὁ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος: *Fuit et Cornelius Fronto magnae auctoritatis, qui in agendis cauſſis Romae primum locum obtinebat.* R.

Ad §. CCLXXVI.

(97) Edictum perpetuum.

(97) At hi omnes tamen ſpicilegium ſatis magnum reliquerunt aliorum induſtriae. Nos ipſi in ſchedis habemus EDICTVM PERPETVVM, multorum annorum adfectum magis, quam perfectum opus, in quo tria potiſſimum nobis propoſuimus: *primum*, vt hiſtoriam edictorum et edicti perpetui, demus quam accuratiſſimam: *alterum*, vt ipſum edictum non modo ordini atque integritati ſuae, quoad eius fieri poteſt, reſtituamus, ſed et omnia probationibus luculentiſſimis firmemus: *tertium*, vt fragmenta veterum iurisconſultorum, qui edictum perpetuum commentariis ſuis illuſtrarunt, omnia ſuis quaeque locis aptemus, eoque modo genuinam eorum ſpeciem in clariſſima luce collocemus. Vtinam demum colophonem imponere liceret laborioſo operi! Sperarem, iurisprudentiae haud parum lucis ex his vigiliis meis acceſſurum. Sed haec Deo curae erunt. H. Aliter Deo viſum eſt; et quod meditabatur opus elegantiſſimus Heineccius, perficere, morte praeventus, non potuit. Prodierunt quidem poſt obitum eius in lucem publicam adfecti operis ſchedae: verum eae doctorum hominum deſiderio nullo modo ſatisfacere poſſunt. R.

Ad §. CCLXXVIIII.

(98) Spartiani citatio.

(98) Huc et pertinent illa Spartiani *cap. 22. Quatuor Conſulares per omnem Italiam Iudices conſtituit.* Eorum loco M. Antoninus *Iuridicos* Italiae praefecit, Capitolin. *in Vit. c. 11.* ſed reduxit Conſtantinus M. *Conſulares*, de quibus vide Notit. Imp. *in Not. vicar. vrb. Rom.* R.

Ad §. CCLXXX.

(99) Ab Hadriani temporibus &c.

(99) Vbicunque locorum igitur Princeps *conſiſtat*, ibi de rebus ad ſalutem reipublicae, ciuium, ſubditorumque pertinentibus, inconſulto Romano Senatu, adhi-

Source : BIU Cujas

adhibitis in consilium comitibus, deliberare atque statuere potest. Vides *Consistorii*, atque *Comitum Consistorianorum* originem. Qui enim primis monarchiae Romanae temporibus, *amici*, *comites*, *consiliarii Principis*, dicti sunt, hos, aetate sequiore, *Comites Consistorianos* nominarunt. De his vide Salmasium *ad Spartiani Hadrian. c.* 18. *ad Trebell. Pollion. Macrian. c.* 11. et Gothofredum *in Commentar. ad leg. vn. C. de Comit. Consistorian.* Bene legitur in Glossis Nomicis: *Κονσιστόριον βασιλικὸν σίκρετον.* In eo *Comites Consistoriani*, deuotionis testandae caussa, plerumque stabant, solo sedente Principe. Vid. *Commentar. ad leg.* 5. *Cod. Theodos. de fide test.* et Du Fresne *Glossar. voc. consistorium.* Sed hoc notatu dignum est, in principis consistorio numerata suffragia, et, si aequalia essent, reum absolutum fuisse. Est elegans hac de re locus apud Iulianum in Encomio Eusebiae, siue *Orat. III. pag.* 115. *Edit. Spanhem.* Postquam enim retulisset, Athenis olim, si par reo cum accusatore suffragiorum numerus esset, tum Minerũae suffragio ei, qui condemnandus erat, adiuncto, vtrumque ab omni crimine liberatum esse; hanc suffragiorum aequalium legem, in Consistorio Principis non seruari modo, dicit, sed Eusebiam Augustam, tanquam alteram Mineruam, sua intercessione, eam multo benigniorem etiam reddere. *Τοῦτον δὴ φιλάνθρωπον ὄντα, καὶ χαρίεντα τὸν νόμον ἐπὶ τῶν δικῶν, ἃς βασιλεὺς κρίνῃ, σωζόμενον πρὸ ὀλίγου αὖτη καθίστησιν. ἔ γὰρ ἂν ὁ φεύγων παρ' ὀλίγον ἔλθῃ τῷ ἴσῳ ἐν ταῖς ψήφοις λαχεῖν, πείθει τῷ ὑπὲρ αὐτῆ δέησιν προσθεῖσα, καὶ ἐπιτιμίαν, ἀφεῖναι πάντως τὰς αἰτίας.* *Hanc perhumanam suauemque legem, quae* IN IIS IVDICIIS *retinetur, de quibus* IMPERATOR COGNOSCIT, *multo illa* (Eusebia) *mitiorem ac benigniorem facit. Nam vbi reus ipse* NON PAREM *omnino suffragiorum numerum sortitus est, tum illa precibus suis interpositis, apud eum efficit, vt omnibus illum criminibus absoluat.* Ad hoc *Principis consistorium*, in quo is cum *amicis* deliberabat tractabatque, pertinet etiam *l.* 17. *D. de iure patronatus*, quam ad *disputationes forenses*, viri docti, et in his Heineccius quoque (§. 52. *supr.* vbi tamen consulto eam expunxi) inepte referunt. En! verba ex rescripto Diuorum fratrum: *Sed cum et ipso Maeciano et aliis* AMICIS *nostris Iurisperitis adhibitis, plenius tractaremus; magis visum est, nepotem non excludi a bonis auiti liberti.* R.

Ad §. CCLXXXIII.

(100) Ab Aproniano diuersum &c.

(100) Minus accurate auctor *T. Vipsanii Aproniani* Consulatum ad Hadrianum refert. Prodiit enim is Cos. A. C. 117. qui est vltimus Traiani. Vid. Pagius *in Critic. an. cit.* Eam ob caussam Bachius *de legib. Traian. p.* 138. SC. Apronianum, ad Traianum referri posse censuit, hac in primis ratione inductus, quod iam ante D. Nerua statuerit, *vt ciuitatibus omnibus, quae sub imperio populi Romani sunt, legari posset.* Sed licet ibidem vir ille doctus copiose et subtiliter disputet, vt tueatur sententiam, ego tamen *Apronianum SC.* cum Schultingio Hadriani imperio, et anno V. C. 876. quo Consulatum *Ventidius Apronianus* gessit, assignare malo, cum sciam, hunc Imperatorem totius Romani orbis peragrasse prouincias, in omnibus fere vrbibus aliquid aedificasse, honores municipales, vt singularem testaretur comitatem, gessisse, ludos edidisse, et prouincialibus ingentia tribuisse beneficia. Haec, et alia huc pertinentia Spartianus *in Vita* habet. Quis igitur non credat, id quoque beneficii libenter Hadrianum prouincialibus concedere voluisse, *vt ciuitatibus*, quarum pleraque singulari complexus est fauore, *fideicommissae hereditates restituerentur?* R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CCLXXXV.

(101) Priſcus Iauolenus : (*N. H.*)

(101) Si Heineccius docuiſſet, Iauolenum apud Graecos natum, aut maiores eius Graecos fuiſſe, forte melius conii-cere potuiſſet. Sed quid eſt *Iauolus ?* vox profecto ſenſum non habens. R.

Ad §. CCLXXXVI.

(102) Priſcus Iauolenus.

(102) Ab hac iniuria Iauolenum erudite vindicauit V. C. Gottl. Aug. Ienichen, *Diſſ. de Iauoleno Priſco §. XII. p. 23. ſequ.* vbi miratur vir mei amantiſſimus, me hanc calumniam in hiſtoria iuris paullo timidius profligaſſe. Sed id feceram apertius, antequam illa hiſtoria iuris prodiiſſet in *Diſſ. de Saluio Iuliano*, vbi *p.* 801. *Sylloges opuſc.* ita ſcripſeramus : *Plinius refert, Paſſienum Paullum, elegos recitaturum, adhibuiſſe etiam Priſcum Iauolenum. Hunc vero honoris cauſſa interrogatum* : PRISCE, IVBES ? *reſpondiſſe* : EGO VERO NON IVBEO. *Male id habuit Plinium, qui ideo in Iauolenum inuectus* : Cogita, *inquit*, qui riſus hominum ? qui ioci ? Eſt omnino Priſcus dubiae ſanitatis. Intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atque etiam ius ciuile publice reſpondet, quo magis, quod tum fecit, ridiculum et notabile fuit. *Ob id parum abeſt, quin bonum Iauolenum pro inſano traducant. At quid, quaeſo, ſtoliditatis ineſt illi Iauoleni dicto ? Et quid mirum, ſi ſenex occupatiſſimus, pertaeſus moleſtiſſimi iſtius officii, recitationes frigidiſſimas audiendi, Paſſieni inſaniam ſenili dicacitate perſtrinxerit, quam non minore libertate multo ante perſtrinxerat* Iuuenalis *Sat. I. v. 2. ſequ. III. v. 8.* Magnam ergo gratiam a nobis iniit doctiſſimus *Διόγραφος*, quod hanc ſententiam noſtram pluribus argumentis ſtabiliuit, cauſſamque, cur Plinio acuto hoc dicto bilem mouerit Iauolenus noſter, perſpicae oſtendit. H. De loco Plinii iam olim ſcripſit quaedam Franciſcus Sarmiento, ICtus Hiſpanus, *Lib. II. Selection. c. 1. n. 4.* quem laudat Delrio ad Senecae *Medeam. pag.* 113. Mihi perſuaſum eſt, eos, qui auctores Latinos interpretari poſſunt, verba Plinii non aliter eſſe intellecturos, quam ita, vt Priſcus tunc temporis, per interualla quaedam, optima ratione vſus non ſit. In primis enim penſitanda ſunt haec Plinii : *tam ſollicite recitaturis prouidendum eſt non ſolum, vt ſint ipſi ſani, verum etiam vt ſanos adhibeant.* R.

Ad §. CCLXXXX.

(103) Tuſcianus.

(103) Refertur a Pomponio inter Iauoleni ſucceſſores, adeoque procul dubio Sabinianus fuit. Quum vero nec *Tuſciani*, nec librorum eius vſquam fiat mentio : fuerunt qui nomen ei mutarent, et pro *Tuſciano* modo *Fuſcianum*, modo *Maecianum*, modo *Viuianum* vocarent. At probum eſt nomen, et vere Romanum, ceu patet ex *l.* 18. *D. mand.* Si quid mutandum eſſe exiſtimarem, latere ſub hoc nomine crederem *Fuſcium Fuſcianum*, Numidiae Legatum, cui reſcripſit Antoninus Imp. *l.* 7. *D. de legat. praeſt.* H. *Tuſciani* nomen Romanum eſſe non negauerim : ſed fruſtra id quaeres *d. l.* 18. *D. mandat.* Auguſtinus *de nominib. propr. Pand. p.* 240. *Tom. I. Theſaur. Iur.* ſcribit, nullam eius fieri in Digeſtis mentionem. R.

Source : BIU Cujas

Ad §. CCLXXXXII.

(104) Antoninus Pius.

(104) Euerard. Otto V. C. *praefat. Tom. I. Thesaur. Iur. pag.* 30. obseruat, saepe in Digestis alio in loco *Hadrianum*, alio vero, *Pium*, idem rescripsisse, dici. Vid. leges ab eo productas. Negari quidem non potest, *Antoninum Pium* in lapidibus *Hadrianum* dici; at enim vero, cum fieri vix potuerit, vt Iurisconsulti in tantam prolaberentur confusionem, melius ita pronuntiabimus, id, quod ab Hadriano fuerat introductum, a Pio deinde, aut extensum, aut restrictum, aut diligentius constitutum fuisse. R.

Ad §. CCLXXXXVIII.

(105) Iulii Capitolini citatio.

(105) Ex Capitolino *in vita Marci cap. 9.* scimus, Marcum muniisse liberales causas. *Liberales causas ita muniuit*, inquit, *vt primus iuberet apud praefectos aerarii Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine impositio. Per prouincias tabulariorum publicorum vsum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romae apud Praefectos aerarii: vt si forte aliquis in prouincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret.* Adiecit quoque Marcus ad dies fastos iudiciarios. Idem *cap.* 10. *Fastis dies iudiciarios addidit, ita vt ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret.* Neque quisquam Principum, plus Senatui, quam is, detulit. Huc pertinent illa Capitolini *cap. cit. Senatum multis cognitionibus, et maxime ad se pertinentibus iudicem dedit. Et quoties de Senatorum capite esset iudicandum, secreto pertractauit. Semper interfuit Senatui, etiamsi nihil esset referendum, si Romae fuit: Si vero aliquid referre voluit, etiam de Campania in se venit. Comitiis vsque ad noctem interfuit, neque recessit de curia, nisi Consul dixisset*, NIHIL VOS MORAMVR, PATRES CONSCRIPTI. *Senatum appellationibus a Consule factis, iudicem dedit.* R.

Ad §. CCCXIII.

(106) Caii Fragmenta.

(106) Haec Caii fragmenta insignia, vti a Boethio, Cyno, Rosato, & Papia ad posteritatem transmissa sunt, egregio instruxit commentario ICtus doctissimus, Gerardus Meermannus *in Diatriba antiquario-iuridica de rebus mancipi et nec mancipi*; qui eximius vir, edito quoque *Specimine Criticarum Animaduersionum in Caii Institutiones*, plurimum iis, MSS. ope, et lucis et medelae attulit. R.

Ad §. CCCXIIII.

(107) Alexandriae Iuridicus.

(107) Non *Iuridicus*, sed *Praefectus Augustalis* fuisse videtur, vt monui *in praefat. ad Tom. V. Cod. Theodos.* Nam apud Vulcatium legitur, *Maecianum consensisse*

Source : BIU Cujas

fensisse Cassio, SPE PARTICIPATVS; qualem spem Iuridicus alere vix poterat. Xiphilinus vero *in Vita Marci p.* 278. auctor est, totam defeciſſe Aegyptum. Cum igitur solum Maecianum, tanquam seditionis caput, occisum esse legamus, colligi potest, ipsum huic prouinciae, quam non Iuridicus, sed Praefectus Augustalis ad rebellionem sollicitare potuit, tunc temporis praefuisse. R.

Ad §. CCCXXI.

(108) Dionis Cassii et Xiphilini citatio.

(108) Versatur Heineccius in ridiculo errore, quem facile euitare potuisset, dummodo attente legisset Xiphilinum. Confundit enim duos *Diones*, quorum alter Consul fuit *A. C.* 229. alter vero hanc dignitatem gessit *anno Ch.* 291. Prior est ille, qui magna diligentia Historiam Romanam scripsit: posterior, obseruante Pagio, Praefecturam vrbanam ante Consulatum administrauit. Huc vero pertinet *Dio Historicus*, qui *l. c.* narrat, se Consulem inueniſſe tria millia moechorum in tabulis, qui post legem a Seuero latam tunc temporis accusati essent. Fuit autem *Dio* Senator Romanus *Commodo* imperante, eumque *Pertinax* Praetorem designauit, quod ipse testatur *in vita Iuliani pag.* 305. Pertinax Augustus fit et interficitur *an. Ch.* 193. Ab hoc anno vsque ad annum *Ch.* 291. quo putat Heineccius Dionem Consulem prodiisse, effluxere anni 98. Adde, Dionem, cum esset Praetor designatus, annum egisse trigesimum: Consulem habebis annorum centum viginti atque octo, &, quod magis miraberis, vegetum adhuc, muneribusque publicis gerendum idoneum, vti profitetur ipse in fine operis. Quae si pensiassset Heineccius, vidisset forte, haec sibi repugnare. *Dio Historicus* autem *Consul* fuit cum *Alexandro Aug. III. an. Chr.* 229. Vide Historiam eius *in fin.* et gesto hoc consulatu, pertaesus rerum vrbanarum, relicta Italia, in patriam, Nicaeam, abiit, vt in otio conseneſceret. Idem *ibid.* Iam finge, Seuerum, mediis imperii annis, legem moechis opposuisse: elapsos tantum 30 annos esse, tempore Consulatus, quem Dio gessit, obseruabis. R.

Ad §. CCCXXII.

(109) *Heineccii nota.*

(109) Vide Schultingium *dissert. pro rescript. Imperat.* cuius eximii viri sententiam amplexus sum, cum quaedam notarem ad *Cod. Theodos. l. c.* R.

Ad §. CCCXXXVIII.

(110) De Censibus Libri VI.

(110) Tot occurrunt in Indice Florentin. sed ex libris tantum quinque apparent excerpta in Digestis, de quibus docte, suo more, disseruit Jacob. Gothofred. *in Comment. ad leg. un. Cod. Theodos. de Iur. Ital. vrbis Constantinopol.* R.

Ad §. CCCXXXVIIII.

(111) Curator Reipublicae.

(111) De hac municipali dignitate, lege, quae obseruauit Gothofredus *ad leg.* 20. *Cod. Theodos. de decurionib.* Patet ex fragmentis Vlpiani, quorum quinque tantum in Digestis sunt reliqua, idem munus *Curatores reipublicae*, aut *ciuitatum* obiisse, quod Romae Aediles. R.

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCXXXXII.

(112) Iulii Pauli Libri IIII. de Cenſibus.

(112) Hos libros ego inueſtigare non potui. Index Florentinus habet, *de Cenſibus βιβλία δύο.* Et, *τὰ αὐτὰ μονοβίβλια.* Wieling. *Iuriſprudent. Reſtit.* in *Indice ICtor. p. LXXXVII.* producit, *de Cenſibus Lib. IIII.* Sed *pag.* 207. vnicum tantum occurrit fragmentum *ex libro II.* Vnde igitur probabimus, *libros IIII.* exſtitiſſe? Wielingii tamen auctoritatem Heineccius ſecutus eſt. R.

Ad §. CCCLII.

(113) Lactantius citatus.

(113) Diuiſum tunc temporis fuit imperium. Vt igitur leges Codicis intelligantur facilius, notandus locus Victoris *de Caeſarib. c. 39. Cuncta quae trans Alpes Galliae ſunt* CONSTANTIO *commiſſa: Africa Italiaque* HERCVLIO (Maximiano): *Illyricique ora ad vſque Ponti ſretum* GALERIO (Maximiano): *caetera* VALERIVS (Diocletianus) *retentauit.* Tenuerunt itaque *Auguſti, Diocletianus* et *Maximianus Herculius*, Orientem, Africam, Italiamque cum inſulis. *Caeſaribus* autem, *Conſtantio Chloro*, & *Galerio Maximiano*, ceſſerunt Gallia, Hiſpania, Britannia, et Illyricum. Haec prouinciarum Romani imperii diuiſio dedit originem *quatuor Praefecturis*, quas Conſtantinus M. inſtituit. Eadem etiam magnam attulit *Iuri Italico* mutationem. Ita enim ſcribit Victor *l. c. Hinc denique parti Italiae inuectum tributorum ingens malum. Nam cum omnis eadem functione, moderataque ageret, quo exercitus atque Imperator* (Maximianus Herculius) *qui ſemper, aut maxima parte aderant, ali poſſent; penſionibus inducta lex noua.* Nam demonſtratum eſt a Gothofredo *in Commentar. ad tit. Cod. Theodoſ. de iur. Ital. vrb. Conſtantinop.* et poſt eum accuratius a Spanhemio *in Orb. Rom. exercit. II. c. 19.* partem iuris Italici nobiliſſimam, fuiſſe immunitatem a cenſu capitis atque ſoli. Attendendum ad eam quoque imperii Romani diuiſionem, quae facta eſt, cum in *Conſtantium Chlorum* atque *Galerium Maximianum* ſumma poteſtas transferretur, ponentibus purpuram Diocletiano et Maximiano Herculio. Vid. laudatus Victor *cap.* 40. R.

Ad §. CCCLIIII.

(114) Conſtantini M. edicta.

(114) Sed eos non prohibuit in toto orbe Romano, quod ſibi multi perſuadent, verum in Orientis tantum quibuſdam prouinciis, vt bene monet Gothofredus *ad leg. 1. Cod. Theodoſ. de gladiatoribus.* Nam poſt eam legem ludi gladiatorii Antiochiae facti ſunt, quorum meminit Libanius *de vita ſua pag. 3. Edit. Morell.* et in Italia, Romaeque potiſſimum, gladiatoria munera poſtea temporis ſunt edita, vt docent Ambroſius *Lib. II. Officior. c. 21.* et *l. 2. 3. Cod. Th. de gladiator.* Imo Romae demum an. Ch. 404. Honorio imperante, ceſſarunt cruenta illa ſpectacula, teſte Theodoreto *Lib. V. c. 26.* R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCLVIII.

(115) In hanc opinionem adductus, &c.

(115) Forte ex praeconcepta opinione, quae pleroſque magni etiam nominis viros induxit in errorem, quaſi cum Conſtantino M. potior pars hominum orbis Romani ad caſtra Chriſtianae religionis tranſierit. Nos ſcimus, ſub Valentiniano Jun. Romam numinum cultui adhuc fuiſſe deditam, et viros ſuperſtitioni addictiſſimos ſummas in aula Impp. geſſiſſe dignitates. Legendi ſunt Symmachus, Zoſimus, Olympiodorus, et ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae. R.

Ad §. CCCLX.

(116) Alexandriae ſchola.

(116) Vigeſimo anno, poſt conſtitutionem a Iuſtiniano editam, Agathias Alexandriae Iuriſprudentiae operam dedit. Narrat enim, tunc temporis eam vrbem terrae motu fuiſſe concuſſam, quod factum eſt anno Ch. 554. vt ex Theophanis *Chronograph.* docet Pagius *in Crit. ad an. cit.* Ex dictis emendandus Haſaeus *de Berytenſ. Academ. pag. 59.* qui hunc terrae motum male ad annum Ch. 558. retulit. R.

Ad §. CCCLXII.

(117) Profeſſores legum Beryti.

(117) Fuerunt Profeſſores Beryti, Dorotheus et Anatolius; quod patet ex *Conſtit. Tanta. de confirmat. Digeſt.* §. 9. et *l.* 3. §. 9. *C. de veter. iur. enucleand.* At enimuero *Theophilus* ex ipſius Iuſtiniani teſtimonio *locis cit.* Conſtantinopoli docuit. De *Salaminio* non liquet, vtrum Beryti, an Conſtantinopoli Iuriſprudentiam tradiderit; operamque perdunt ſine dubio viri docti, qui coniecturis nimium hic indulgent. In errorem etiam delatus eſt Iac. Haſaeus *de Beryt. ICtor. Academ. cap.* 8. §. 6. dum in ea Academia *Anatolium*, *Thalleleum*, *Cratinum*, et *Salaminium*, Anteceſſores fuiſſe, lectoribus perſuadere voluit. Vide, quae obſeruauimus *infr. ad* §. 386. R.

Ad §. CCCLXIII.

(118) Schola Beryti.

(118) De Schola Berytenſi ſcripſit Gothofredus *in Comment. ad leg.* 19. *Cod. Theodoſ. de annon. et tribut.* Berytum vrbem ex numis illuſtrauit Spanhemius *Diſſert. VII. de Praeſtant. et Vſ. Numiſm. pag.* 413. et *Diſſert. VIIII. pag.* 594. obſeruauit, eam a Theodoſio Iun. ob ſummam, qua gaudebat, celebritatem, Phoenices ſecundam Metropolin conſtitutam eſſe. R.

Ad §. CCCLXIIII.

(119) Quatuor praefecturae praetorianae.

(119) Italiae, Galliarum, Illyrici et Orientis. *Illyricum* vero ab *anno Ch.* 379. diuiſum eſt in *Orientale* atque *Occidentale*, cum Theodoſius M. in conſortium imperii

Source : BIU Cujas

esset adscitus, vt probat Pagius *in Critic. ad Annal. Baron. ad an.* 380. *n.* 7. Quatuor tamen etiam ab eo tempore Praefecturae fuere, cum *Illyricum occidentale* ad Praefecturam Italiae pertineret. Hinc legimus *in Notitia: Sub dispositione viri illustris Praefecti Praetorio Italiae, dioeceses infra scripta: Italia, Illyricum, Africa.* Notanda haec est diuisio, quoniam multum lucis interpretationi legum Codicis affundit, vt docui *in Praefat. ad Tom. III. Cod. Theodos.* R.

Ad §. CCCLXVI.

(120) Operam dederunt vt illae colligerentur in certos Codices.

(120) Hanc Gothofredi coniecturam et probant, et laudant omnes; at ego negare non possum, eandem mihi dudum displicuisse. Cur enim metuerent ICti, numinum cultui dediti, ruinam constitutionum, quas in foro publicam habuisse auctoritatem, nouimus? Inanem profecto posuissent operam in colligendis legibus, si persuasum ipsis fuisset, improbaturum eas esse Constantinum M. Hic enim, vt singulas antecessorum constitutiones abrogare, ita quoque prohibere facile poterat, ne leges anteriorum Principum, in Codices collectae, vim vllam in iudiciis haberent. Certe Constitutionum diualium collectionem, aeuo Constantinianeo, ipsa postulauit necessitas. Supra enim dictum est, ante Constantinum M. miserandam iurisprudentiam induisse faciem, et iureconsultos aut relegatos, aut necatos, fuisse. Neglectae et dispersae, inter diuturna et cruenta bella, iacuerant leges, quas restituta pace, cum reuiresceret legum studium, boni publici caussa Gregorius et Hermogenianus collegerunt, probe intelligentes, maximam se, eam ob rem, apud caussidicos gratiam inituros esse. R.

Ad §. CCCLXVIIII.

(121) Codicis Hermogeniani Auctor.

(121) Euerard. Otto V. Cl. *in Praefat. ad Tom. I. Thes. Iur.* scribit, a Gothofredo non multum abire Pancirolum *Var. Lect. II. c.* 257. quando *Anicium Hermogenianum Olybrium*, Consulem anno 395. compilatorem Codicis faciat: nec temporis rationem obstare, cum *Codicis Hermogeniani* primus mentionem fecerit Coelius Sedulius, seculi quinti ineuntis scriptor *in praefat. operis paschalis ad Macedonium*, hisce verbis: *Cognoscant Hermogenianum, doctissimum iuris latorem, tres editiones operis sui confeciisse.* At enim vero Sedulius Panciroli opinionem firmare nullo modo potest, cum dudum ante eum Ammianus *Codicum* mentionem faciat. Is enim *Lib. XXX. cap.* 4. caussidicos perstringens, scribit: *Quartum caussidicorum genus est impudens, peruicax et indoctum, eorum, qui immature e literariis eruperunt ludis: e quibus ita sunt rudes nonnulli, vt nunquam se* CODICES *habuisse meminerint.* Quo loco non possunt alii, nisi Codices, *Hermogenianus & Gregorianus*, intelligi. R.

Ad §. CCCLXXII.

(122) Sub Constantini liberis &c.
(123) Sublata formula.

(122) Cum inter Constantini liberos, et sequentes quoque Imperatores, diuisum sit Romanum imperium; leges autem Codicis intelligi non possint, nisi scia-

Source : BIU Cujas

ſciamus, vtrum ad Orientale, an ad Occidentale, eae pertineant: commendari meretur *Chronicon hiſtoricum*, quod concinnauit Iacob. Gothofredus, et *Tomo I. Cod. Theod.* praefixum eſt. Huius tamen ſummi viri diligentiam ſuperauit Anton. Pagius *in Critic. ad Annal. Baron.* quo inſigni opere hi vti poſſunt, qui accuratius in *legum inſcriptiones* et *ſubſcriptiones* inquirere cupiunt. R.

(123) En! ſublatam iuriſprudentiam formulariam. Ea tamen veteris iuriſprudentiae pars, quam Cicero *pro Muraena* ſalſe ridet, non a *Conſtantino minore*, quod Heineccius vult, abrogata eſt, verum a *Conſtantio*, cui hanc *legem* 1. *Cod. de formulis*, egregie vindicauit Iacobus Gothofredus *in Commentar. ad leg. vlt. Cod. Theodoſ. de ſtudiis liberal. Vrb. Rom. et Conſtant. Tom. V. pag.* 230. R.

Ad §. CCCLXXVI.

(124) *Heineccii Nota.*

(124) Id neſcimus, an Scytha ille doctus *Ius* Aſterium docuerit. Refert enim Photius *ibid.* Aſterium quidem diſcipulum eius fuiſſe, ſed vbi, aut quibus in ſtudiis, ignorari, cum Epiſcopus eius rei nullam fecerit mentionem. R.

Ad §. CCCLXXVII.

(125) Valentiniani Sanctio.

(125) Legendus eſt Ammianus *l. c.* cuius teſtimonium facit, vt laudare potius, quam vituperare Valentinianum III. malim, cum neceſſe eſſet eo tempore, vt paucis tantum libris veterum ICtorum in foro tribueretur auctoritas, quoniam pars cauſſidicorum nec Codices nec libros habebat, pars vero, quo altius videretur iura callere, ad ICtorum antiquiſſimorum ſcripta prouocabat, vt et iudicem et litigantes facilius confundere poſſet. *Hi*, inquit Ammianus, *vt altius videantur iura callere, Trebatium loquuntur et Caſcellium, et Alfenum, et Auruncorum Sicanorumque iam diu leges ignotas, cum Euandri matre, ab hinc ſeculis obruta multis. Et ſi voluntate matrem tuam finxeris occidiſſe, multas tibi ſuffragari abſolutionem lectiones reconditas, pollicentur, ſi te ſenſerint eſſe nummatum.* Paullo poſt de altero cauſſidicorum genere haec refert: *Cum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrenatam deflectunt conuiciandi licentiam: e quibus ita ſunt rudes nonnulli, vt nunquam ſe Codices habuiſſe meminerint. Et ſi in circulo doctorum auctoris veteris incideret nomen, piſcis aut edulii peregrinum eſſe vocabulum arbitrantur.* Conſule Gothofred. *Commentar. ad l. cit. Cod. Theod. Tom. I. pag.* 33. *ſequ.* R.

Ad §. CCCLXXVIII.

(126) Codex Theodoſianus.
(127) Antiochus Eunuchus &c.

(126) Bene Heineccius aduerſus Gothofredum diſputat. Principem *legitimum* tyranno opponi, Ammianus docet *Lib. XV. c.* 8. *Plebs auidius pompam regiam in Principe* LEGITIMO *cernens. Lib. XVIII. c.* 12. *Nec enim abnuimus, ſalutem* LEGITIMI *Principis conſociato ſtudio muniri debere cunctorum. Lib. XXVI. c.* 4. *Participem* LEGITIMVM *poteſtatis. Lib. eod. c.* 6. *Nam ſi principem* LEGITIMVM *prodi-*

Source : BIU Cujas

prodidissent. Hoc vero teneant Iuris cultores, integrum Codicem Theodosianum, vti est Theodosii temporibus euulgatus, hodie non supereſſe, sed multas principum constitutiones intercidisse eo tempore, quo barbari vastarunt Romani imperii prouincias: multas etiam neglectas fuisse, cum in Occidente patriae leges sensim in fora introducerentur. In Oriente vero, post publicatum Codicem Iustinianeum, cum euiluisset eius auctoritas, neminem librariorum inuentum esse, qui operam dare vellet vastae molis libro describendo, facile ad coniiciendum est. R.

(127) Heineccius, Gothofredum secutus *in Prolegom. ad Cod. Theod. c. 1. §. 5.* confundit *tres Antiochos.* Huc pertinet *Antiochus Expraefectus* et *Consul. Praefecturam* enim Praetorio gessit *an. Ch.* 427. *an.* 430. et 431. vt docent *l. 2. Cod. de officio eius, qui vicem. l. 6. Cod. Th. de collat. donatar. l. 4. Cod. eod. qui ad eccles. conf. An.* 431. Consul in Oriente prodiit. Vid. *Chronolog. Cod. Theodos.* Pagium, et Relandum. *Mortuus* vero est ante *annum* 444. quia in *Nouella Theodosii* 33. *de releuatis*, ILLVSTRIS MEMORIAE *Antiochus*, dicitur, quae Nouella eo anno emissa est. Igitur diuersus non potest non esse ab *Antiocho*, cuius Marcellinus meminit, quique *anno* 448. adhuc in viuis fuit. Neque est confundendus noster cum *Antiocho eunucho*, qui nec Consulatum nec Praefecturam gessit, sed dignitate *Praepositi S. cubiculi* exsplenduit. Vide, quae scripsi *ad Nouell. 1. de Cod. Theodos. auctorit. not. 55.* R.

Ad §. CCCLXXVIIII.

(128) Nouellae Theodosii.

(128) Has Nouellas, cum Mss. Codicibus ac libris impressis collatas, et commentario illustratas, addidi ad Codicem Theodosianum, tantumque praestiti, quantum potui propter virium ingeniique exiguitatem. Et quam vellem, his meis vigiliis aliquid lucis Iurisprudentiae elegantiori accessisset! R.

Ad §. CCCLXXX.

(129) Numerus Professor. Constant.

(129) Minus accurate legem, quam Codex vterque seruat, excerpsit Heineccius. Fuerunt enim in Schola Constantinopolitana Professores *triginta* atque *vnus*; et in his, *Romanae eloquentiae* ac *linguae*, TRES ORATORES et DECEM GRAMMATICI: *Eloquentiae linguaeque Graecae*, SOPHISTAE QVINQVE et GRAMMATICI DECEM: *Philosophiae* Professor VNVS, et *Iurisprudentiae*, DVO. Et tot quoque Romae fuisse, fidem facit inscriptio tituli, *de studiis liberalibus vrbis Romae et Constant.* licet postea, cum Roma esset in Gothorum manibus, Schola Romana, *vnum* tantum haberet *iuris expositorem*, vt est videre in Edicto Regis Athalarici apud Cassiodorum *Var. VIIII*, 21. Imo ante *annum Chr.* 425. quo lex citata emissa est, Professor Iuris in vrbe Constantinopolitana nullus fuisse videtur, cum *lege 16. Cod. Theodos. de Profess. et med.* in numero Professorum non inueniatur. Sed anno citato, *vnus* primo, deinde *duo* constituti sunt, quod docent nos leges, *un. Cod. Th. de Prof. qui in vrbe Constantinopol.* et *vn. Cod. Iust. de stud. liberal.* Vide ad eas Gothofredum *in Comment. Tom. II. pag.* 114. *Tom. V. pag.* 227. De Schola Romana quaedam etiam obseruauit Heineccius *in praefat.* huic libro praefixa. R.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCLXXXII.

(130) Biglenizae filius, antea Vprauda dictus.

(130) *Vprauda* vox est Slauica, et bene per *Iustinianum* exprimitur. Etiam- nunc apud Slauicas gentes, *prauda*, *iustum*, denotat. R.

Ad §. CCCLXXXIII.

(1) Quam vt et ipsum &c.
(2) Theodoram vxorem &c.
(3) Tribonianum administrum.
(4) Procopii Anecdota.
(5) Iustinianus Analphabetus: (*in Heineccii Nota.*)
(6) Iustinianus Orthodoxus: (*in eadem.*)

(1) Absit a me longius, vt dicam Iustiniano scribam, quem vel sola operis diu et anxiè expetiti, a multis iisque magnis omnino viris saepius quidem sed frustra tentati, a se tamen magno vere animo suscepti, et successu vltra quam seculi infelicitas sperare iusserat, prospero tandem perfecti non vana sane gloria vltimae posteritati commendat. Sed ab omni ipsum labe immunem praestare non nisi eorum est, qui nimia huius operis veneratione abrepti, quiduis aliud aequiori animo ferunt, quam autorem eius vel aliqua erroris vitiiue macula aspersum dici. Non nunc quidem ostentationem eius atque iactantiam operose persequar, qua omnia, quibuscunque vel aliquid ex eius cura et ingenio accesserat, de suo nomine Iustinianea appellasse, v. Heinecc. *inf.* §. 389. multarumque sibi gentium titulos sumsisse dicitur, quas nec sub suo imperio tenuerit, nec deuicerit vnquam, vid. Alem. *ad Anecd. Procopii p.* 51. quaque porro absoluto S. Sophiae templo Constantinopolitano exclamauerit: *Vici te Salomon*! huiusque Regis simulacrum, moesti et genas carpentis, quasi eius aedificii mole et pulchritudine suum templum superatum dolentis, e regione S. Sophiae collocari iusserit; vti refert Auctor Origin. Constantinopol. et ex eo Rupertus *ad Besold. Thes. pract.* Tom. IIII. *Notae ad hist. Iur. Ciu.* *p.* 482. Nec fastum sermonis et inanem tumorem commemorabo, quo aeternitatis *l. vlt. Cod. de Quadr. Praescript.* diuini oris *l.* 1. §. 6. *Cod. de V. I. E.* diuini oraculi *l.* 3. *Cod. de Iure Dom. imp.* §. 3. diuinarum numinis sui aurium *l.* 12. *Cod. de Acq. et Retin. poss.* diuinorum affatuum sui Numinis *l.* 23. *Cod. de Nupt.* diuinae constitutionis suae *l.* 15. *Cod. de legit. hered.* diuinae suae indulgentiae *l.* 23. §. 1. *Cod. de Nupt.* diuinorum suorum breuiculorum *l.* 7. *pr. Cod. de Summa Trinit.* et alia eiusmodi elogia non accipit, sed sibi rapit. Imputet haec, quicunque velit, seculi, non Imperatoris, moribus, quibus haec etiam adscribunt Christoph. Cellarius *in Praef. ad Paneg. vet.* et Gundlingiana *T. I. n.* 5. §. 3. vide Herm. Postii *dissert. de diuinis Imper. Titulis et eorum origine. Erfurt.* 1716. Detur aliquid sermonis Orientalis luxuriae. Non multum ego quidem refragabar. At fuit vir omnino vxorius, quicquid in contrarium producant Guilielmus Hieronymus Brucknerus singulari Programmate: *An Iustinianus fuerit vxorius?* et Iacobus Maestertius *de Iustitia LL. Roman. dub.* 3. Memorabilia sunt verba Zonarae *in Iustin. ab init. Tom. III. p.* 50. *Nihil ipso Imperatore minus, nisi etiam plus, vxor pollebat. Non vnius, sed duorum potestas fuit.*

Source : BIU Cujas

Abſit quidem, vt amorem coniugalem ipſi exprobrem, quem laudo prorſus et magni facio, cum quam ſuo dignam toto exiſtimauerat, non debuerit ſane amore coniugali non proſequi. Nec quod honorum titulis coniugem ſuam exceperit, *Dominam*, *Sanctiſſimam*, *Reuerendiſſimam*, *Auguſtam*, *Venerabilem* appellans, reprehendo. Quis adeo ab vſu rerum remotus eſt, vt vel hodie ab Imperatoribus, Regibus, Principibus thalami auguſti ſocias *Auguſtarum*, *Sereniſſimarum*, *Celſiſſimarum* elogiis et ſuo quidem merito ornari ignoret. Nec id quidem, quod, vt vel ipſe *Nou.* 8. teſtatur, Theodoram *conſilii participem* fecerit, cenſuram adeo acrem meretur. Quis enim adeo inuenuſtus eſt, vt muliebre conſilium omne reſpuat, quod multis ſaepe vtiliſſimum fuiſſe, exempla luculenta probant. Et quis neſcit, quantum prudentiae vxoris ſuae vel tum debuerit Iuſtinianus, cum orta ſeditione ſalutem pedibus iamiam quaeſiturus, et ita cauſam ſuam ipſe derelicturus, ab vxore retentus animumque ſumere iuſſus, hac demum animi conſtantia ſibi imperium, imo vitam ſeruauerat. Sed illud ſane diffiteri non poſſum, quod Theodorae praecipue conatibus effectum ſit, vt Iuſtinianus Venetae factioni nimium addictus in Praſinos vehementer ſaeuierit, quod Euagrius *L. IIII. c.* 32. teſtatur. Ratio enim ſtudii tam propenſi in Venetos, tam iniqui in Praſinos, haec refertur, quod hi Theodorae pro vitrico officium vrſarii inter ipſos ambiente preces cum contemtu reiecerint, illi, cum idem apud ipſos officium vacaret, blande exceperint. v. Procop. *Anecd. pag.* 40. Amori Iuſtiniani in Theodoram dandum etiam videtur, quod matrimonia viris ſenatoriis cum ſcenicis mulieribus permiſſa et omnibus verborum lenociniis contra graues antiquiorum temporum mores defenſa fuerint in *l.* 23. *Cod. de Nuptiis.* Quamuis eam Legem Iuſtino non Iuſtiniano deberi ſolide euincant Hoffmannus *Hiſt. Iur. Vol. I. P. I. L. II. c.* 1. §. 2. *not. c.* et Struu. *Hiſt. Iur. C.* 3. §. 1. *not.* 4. *p.* 268. Ludewig *in Iuſtin. c.* 8. §. 10. *n.* 61. Brunquell. *Hiſt. Iur. P. II. c.* 1. §. 16. *not. b.* Multa etiam Iuſtinianum, et quidem, vt videtur, ex conſilio Theodorae, in fauorem mulierum, maritis etiam, et aliis non raro grauia, ad dotis lucrorumque nuptialium iura praecipue augenda conſtituiſſe docent *l.* 20. *Cod. de Donat. ante nupt. l.* 30. *et* 31. *Cod. de Iure dotium. l.* 1. *C. de Rei Vx. Act. l.* 4. *C. de Lib. Praet.* et maxime omnium, quae vel ipſam aequitatem offendere videtur, *l.* 12. *C. qui pot. in pignore.* Quae omnia plenius iam Gundlingius et Struuius *l. c. not. 6. p.* 272. *et ſeqq.* nec non I. H. Boeclerus in *Diſſert. de Iuſtiniani fauore in foeminas Arg.* 1719. obſeruarunt. Maximopere autem ICtos offendit mitigata per *Nou.* 134. *c.* 10. adulterarum poena. Olim adulterium Romani tantum ex vxoris delicto aeſtimabant, ita vt maritus cum coelibe adulterium non committeret. Imperii maritalis, reuerentiae marito, tanquam familiae capiti, debitae et ſuppoſiti partus rationem fere unice habebant. Paulatim, nec ſine ratione, omnis fidei coniugalis violatio adulterium videbatur. In adulteros capitis poenam ſine diſcrimine ſtatuit *l.* 30. *Cod. ad L. Iul. de Adult.* Ab hac poena adulteras abſoluit Iuſtinianus ita, vt adulteram *competentibus poenis ſubditam*, monaſterio mancipari iubeat, ita vt marito, ſi libeat, eam inde recipere intra biennii metam liceat; ne verberatam quidem. Licet enim vulgaris eius Nouellae verſio adulteram *competentibus vulneribus ſubactam*, et Auth. *Sed hodie &c.* Cod. ad L. Iul. de Adult. *verberatam* exhibeat, Graeci tamen Codices ſinceriores πᾶσι προσηκούσαις ποιναῖς ὑποβαλλομένην dicunt, ciuiles ſine dubio poenas, iacturam nimirum lucrorum nuptialium propriorumque bonorum intelligentes. Vnde et Haloander et Graeca Baſilicorum Epitome, et verſio eius Leunclauiana, et Theodorus Balſamon in *not. ad Photii Nomocan. Tit. II. c.* 1. competentes poenas, non plagas, non vulnera commemorant. Hinc et Iulianus Anteceſſor competentes poenas plane omittit, quod et Harmenopulus

Source : BIU Cujas

populus facit, προχειρ. *L. IIII. Tit. 6.* Errorem vulgarem iam notarunt Petrus Faber *Semestr. L. 3. c. 22.* Rittershusius *Nou. Expos. Method. Part. 12. c. 5. §. 14.* et plenius persequitur Dissertatio *de Poena Adulterii Argentorati anno 1736. publice defensa.* Ad hanc tam mitem in adulteras Legem, Theodorae forsan consiliis suggestam non inconcinne referas, modo ex mente autoris recte quidem nonnunquam, sed falsе tamen sub specie laudis eam perstringentis intelligas verba Procopii non in Anecdotis quidem, ne testem recuses, sed *de Bello Goth. L. 3.* dicentis: *Imperatrix quodam naturae instinctu comparata erat ad suscipiendum afflictarum mulierum patrocinium.* Insignis enim Iustiniani prodigalitas excusari non potest. Munificentissimum iis, quibus haud conueniebat, eum fuisse Menander docet, nec non praeter Procop. in *Anecd. pag. 40. et 49.* Agathias *L. 5.* Ingentem in gentes barbaras effusam pecuniarum vim, ne imperio graues existerent, sub fuco prudentiae atque liberalitatis nequicquam excusat Rupertus *ad Besold. p. 482.* Magnas in aedificia, etiam inutilia, factas impensas modeste iam reprehendit Procopius *de Aedific. L. 1.* apertius in *Anecd. pag. 36.* Inde corradendae iterum quibusuis artibus pecuniae cupidissimus perhibetur Iustinianus ab Euagrio *Lib. 4. c. 30.* et Zonara *in Iustin. Tom. III. p. 50.* Lepide ipsum a Iuliana matrona ditissima, cuius bonis inhiabat, deceptum narrat Gregorius Turon. *de Gloria Martyr. L. 1.* Hinc non adeo sine omni ratione loquuntur illi, qui Leges etiam pretio quandoque et lucri studio mutatas asserunt. Luculento ex pluribus exemplo esse potest historia Legis 23. *Cod. de SS. Eccles.* artibus Prisci, nequissimi hominis; et Emesenorum Procuratorum promissionibus a Iustiniano, in partem lucri vocato, elicitae, a Procopio *Anecd. Ed. Alem. p. 123. et seqq. Eichelianae vero 156. et seqq.* et Suida *v. Priscus Emesenus*, commemorata, foedissimam, si quae vnquam fuit, Legis nundinationem exhibens. Magnis contra eam conatibus insurgunt Riuius atque Eichelius, ingeniose quidem et erudite, non satis tamen feliciter, eius fidem in dubium vocantes. Poterat falli, poterat aliqua affectui dare Procopius; sed historiam integram de re eo tempore et sub oculis plurimorum tunc viuentium gesta, commemoratis sollicite omnibus locorum, temporum, hominum, nominibus aliisque momentis contexere, eamque, quae statim mendacii conuinci posset, orbi inuito et indignanti obtrudere, hominis non stupidi et audacis deliramentum, sed vesani plane furor esset et rabies. Singula separata proxime opella conuellere meditor. Frequentissima sane Iustinianei iuris in causa Praescriptionis Ecclesiis et Ciuitatibus opponendae mutatio Procopio egregie suffragari videtur. Pandectae nullam Ecclesiis et Ciuitatibus vsucapionem opponunt. *l. 9. D. de Vsurp. et Vsuc.* Tricennalem demum praescriptionem ipsis obiicit *l. 3. Cod. de Praescript. 30. vel 40. ann.* Hanc in centenariam mutat haec *Lex 23. Cod. de SS. Eccles.* Mox haec vlterius extenditur in *Nou. 9.* et paulo post iterum per *Nou. 111. et 131. c. 6.* abrogatur et praescriptio centenaria in quadragenariam mutatur. Haec, ni me omnia fallunt, non leuitatis tantum aliquam et oscitantiae auram spirant, sed turpioris cuiusdam et foedioris omnino rei sensum naribus non sponte obstructis incutiunt. Qui rationibus frequentis huius et mirae mutationis Legum bene subductis aequa omnia lance ponderant, illi vere, non ex affectu, scripta agnoscent verba Procopii in *Anecd. pag. 61. Non est veritus et leges ferre, et quas tulisset refigere, dummodo turpi lucro esset, neque ad eas, quas scripsit, constitutiones exegit iudicia, sed ad quas trahebatur per pecunias seu luculentiores visas siue promissas munificentius.* S.

(2) Theodoram a labe impudicitiae ante matrimonium cum Iustiniano contractum turpiter omnino exercitae nequicquam purgare studet Ludewigius *in Iustin. C. 8. § 9. n. 55.* Demus, quod fidem excedant, quae de nefanda eius luxuria narrat

Source : BIU Cujas

narrat passim Procopius *in Anecdotis* et maxime in fragmentis, quae verecundiae causa ab eius editionibus remota ex Vaticano Codice exhibent Menagiana *Tom. I. p.* 348. *et seqq. Edit. Paris. de An.* 1729. Sane ipsam in Embolo vitam duxisse narrat Autor *de Antiq. Constantin. apud Alemannum* et plenius *ex Bandurii editione* apud ipsum Ludewigium *l. c.* Mulieres Embolarias honesto loco non videtur habere Plinius *Hist. Nat. L. VII. c.* 48. multo minus Harduinus *ibid. n.* 132. Leuia sunt, quae huic testimonio opponit Ludewigius *l. c.* Et nisi turpis vitae fuisset Theodora, non tantis, quibus dicuntur a Theophilo *in vita Iustiniani apud Alemann. ad Anecd. pag.* 35. conatibus eius cum Iustiniano nuptiis interfuissent Euphemia Iustini Senioris vxor, in aliis omnibus Iustiniano indulgens, v. Procop. *Anecd. pag.* 44. et Bigleniza ipsius Iustiniani mater, quae tam impatienter eas tulit, vt, cum eas amplius impedire non posset, ex moerore contabuerit, vt idem Procopius testatur. Concedo lubens, ipsam iam Iustiniano iunctam mores ad pudicitiae regulas magis composuisse, cum vel ipse Procopius testetur, quingenta scorta ab ipsa in monasterium detrusa et meliorem vitam viuere coacta esse. Forsan et ipsa Iustiniano leges contra lenocinia ferenti v. *Nouell.* 14. consilio fuit. Vindictae tamen vehementer appetentem et imperandi dulcedine nimis captam superius notata ostendunt. Prodigalitatis et rapacitatis corream cum Iustiniano facit Zonaras in *Iustin. paulo post init.* S.

(3) Quae in Tribonianum atheismi et paganismi sparguntur conuicia ex Hesychio et Suida vtique non moror. Optime illa discutiuntur a viris doctis Heineccio *inf.* §. 388. Hoffmanno *Hist. Iur. L. II. c.* 2. §. 1. *not. d.* Ludewigio *in Iustin. c.* 8. §. 17. *n.* 111. aliisque. Virum fuisse vltra genium seculi doctum, et res ipsa loquitur, et, qui sane non nimis ipsi fauent, Procopius et Suidas impense testantur. Suauitatem morum et insignem eius humanitatem multis elogiis ornant. Auaritiae vero maculam, quam sibi inussit, abstergere nequeo, quam ne quidem ab ipso amoliri audet Ludewigius, multam alias in ipso vel defendendo vel ornando operam ponens. Clara Procopii sunt verba *de Bello Pers. L.* 1. *c.* 24. *Iam diu Legum nundinationi deditus quotidie pretio refigebat alias, alias figebat, prout e re erat atque vsu poscentium.* Egregie his subscribit Harmenopulus *Epit. Iur. Ciu. L.* 1. *c.* 1. *Ad Nouellarum compositionem operam suam Iustiniano Tribonianus praebuit, qui ob ingenii dexteritatem et habendi studium ad miraculum vsque passim omnibus in ore est: qui cum scribendis Nouellis occuparetur, acceptis a litigantibus pecuniis partim pro voluntate contribuentium commutauit, partim obscura, difficilia et ad sententias duplices vergentia improuide inconsulteque effudit.* Operam perdunt, qui in verbis Procopii *de Bello Pers. L.* 1. *Tribonianus iustum sectabatur lucrum; singulis diebus leges antiquabat aut condebat*; voculas *iustum lucrum* nequicquam captantes Guil. Maranus *in Comment. de aequitate et iustitia p.* 69. et Chifletius *de Iuris vtriusque Architectis c.* 3. *n.* 2. eas in defensionem Triboniani infeliciter rapiunt. Non tantum enim hae voces in comparatione Triboniani cum Ioanne, illius auaritiam vincente, institutа modicum lucrum denotant, vti existimat Hoffmannus *l. c. not. c.* sed, vti vel ipse Ludewigius agnoscit, animum Autoris, auaritiam Triboniani in legibus condendis falsе perstringentis, omnino produnt. Hanc tamen auaritiam Legibus condendis nihil nocuisse arbitratur Ludewigius, cum Tribonianus nec solus, nec inter collegas primus iuris condendi opus perfecerit; et Iustiniani ipsius curae huic operi dirigendo impensae eius, si qui fuissent, conatus repressurae fuissent. Quanta vero Iustiniani gratia vsus fuerit Tribonianus, et summi in ipsum certatim translati honores et vnanimis Scriptorum consensus satis superque demonstrant. Hac eo facilius principis animum in sua desideria flectere poterat, quo magis auaritia vnius cupiditatem alterius adiutura videbatur.

Source : BIU Cujas

batur. Denique quod primae eius in condendo iuris corpore partes fuerint, luculenter ostendunt Constitutiones Iustiniani Corpori Iuris praemitti solitae, quae Tribonianum omnibus paginis loquuntur. S.

(4) Quos hic contra Procopium in aciem producit Heineccius, quibus accedit etiam Vayerus, et ipse *Opp. T. I. p. 339. Edit. Par. 1656.* Procopium non subitanea pugna sed iusto bello aggressus, illi vero plus terroris quam vulnerum incutiunt. Diuersa ab iis, quae in octo libris prioribus dixerat, in hoc nono libro, quem Anecdota inscribit, loquitur Procopius, imo cum illis non raro pugnantia. Esto. At tu vero, qui hoc solo argumento fidem Procopii dubiam reddere conaris, aut vtrumque opus abiicito, aut vtrumque seruato: cum dissensus ipse, si fidem autoris dubiam facit, vnum non magis, quam alterum opus suspectum reddat. Si alterum tantum seruare vis, cur, quaeso, calculum tuum illi dabis, quod eo tempore scriptum et editum, quo non in adulationem verba componere nefas erat. Rationem dissensus, qui te in operibus Procopii offendit, ipse tamen satis indicat vero sane non absimilem, imo vero maxime probabilem. Veritus est dicere, quae non placitura essent Imperatori eiusque propinquis et summam rerum administrantibus in libris, qui sub oculis et auspiciis Imperatoris scribebantur, in eo demum libro ex animi sententia scripturus, quem serius, et quo paucos offendere posset tempore, prodire voluit. Si dubitas de fide eorum, quae in Anecdotis dicuntur, ea, si placet, conferre licebit cum aliis scriptoribus fide dignis, quorum cum Anecdotis non infrequens consensus dubia tibi suborta eximet. Habebis in conferendis aliorum autorum scriptis egregie praeeuntem Alemannum *in Praef. et notis.* Nonnunquam facem tibi accendet ipse Procopius, passim in octo historiarum libris tecte et sub specie laudis perstringens eos, quos in Anecdotis pleno ore reprehendit. At paganus est, ergo abiicienda eius Anecdota. Bona verba quaeso! Si paganus est, non in Anecdotis tantum, sed in caeteris etiam historiarum libris, quibus tu tamen non raro delectaris, aeque paganus est, praesertim cum, quae te male omnino habent, eumque tibi paganismi maxime suspectum reddunt, ex eius *Libro I. de Bello Goth.* desumta sint, vbi naturam Dei profundius rimari, hominibus datum esse negat. Modestum audi, si placet, Ioh. Alberti Fabricii hac de re iudicium *Biblioth. Graecae Lib. V. c. 5. p. 249. Nihil video, quod non scribere sanus historiae scriptor Christianus potuerit, haud professus Theologum, et quae Christianis propria sunt dogmata, in alium opportuniorem locum reiicere se innuens.* Imo vero locorum, quae Christianum et pium scriptorem sapiunt, amplum satis indicem ex scriptis Procopii contexit Martinus Hankius *de Byzant. Rerum Scriptoribus Graecis P. I. c. 5. §. 5. p. 147. et seq.* Sed sit paganus, an tu ipsi ideo fidem omnem historicam in rebus cum religione nihil commune habentibus protinus denegabis? Abibunt ergo in malam rem, te quidem iudice, elegantissimi optimorum seculorum scriptores; quorum sane non tam vices doleo, quam tuam et nostram totiusque rei literariae, si iis carere iubeamur. At aniles quandoque fabulas nectit, maxime in Anecdotis. Sed haec quidem seculi magis, ad superstitionem omnino compositi, quam hominis labes est. Saepe tamen, pergis, de Iustiniano scribit, quae fidem omnem excedunt. Quid vero, si tibi largiar, eum aliquid affectui passim dedisse, an ideo tota eius fides corruet? Corruet ergo cum ipso plerorumque historicorum fides, quos saepius aliquid humani passos esse, nemo negat, nemo tamen non veneratur. Iudicio historico opus est ad discernenda vera a falsis. Ego vero, si quid mei hac in parte est iudicii, semper mihi dictum credo: ὅτε πάντα, ὅτε πάντοτε, ὅτε παρὰ πάντων. S.

(5) Fabulam de Iustiniano analphabeto ex corrupto Suidae loco ortam esse,

Source : BIU Cujas

nemo hodie ignorat, vbi pro Iustino, vere analphabeto, male legitur Iustinianus. Locum ex Codice Vaticano optimae notae feliciter restituit Kusterus. Duos alios non minoris integritatis in Bibliotheca Regia Parisina se vidisse Codices, qui pro Iustiniano Iustinum analphabetum optime exhibent, iam testatur Vayerus. Et si vel Codicum fides deficeret, ipse totius orationis, qua Suidas vtitur nexus Iustinum, non Iustinianum, legendum esse indicaret. Eruditionem Iustiniani testantur porro, quae in iure condendo egerat, qui leges non raro ipse scripsit, quique de se, quod Institutiones *legerit et recognouerit*, ipse testatur. Quantum temporis literarum praesertim Theologicarum studiis dederit, id satis indicat, quod multi veterum id Iustiniano exprobrauerint, quod literis se, vltra quam debuisset, dederit; et quod, qui cum Artabane nefarium in vitam Imperatoris consilium inierant, opportunum suis rebus tempus, teste Procopio *de Bello Goth.* L. 3. elegerint, quo Imperator sine custodibus ad multam noctem cum senioribus sacerdotibus rebus theologicis inuestigandis vacare soleret. Testes alios, eosque omni exceptione maiores, eruditionem Iustiniani impense laudantes, producunt Alemannus et Ludewigius. Operum a Iustiniano compositorum indicem bene longum exhibet Hoffmannus *Hist. Iur. Lib. II. c.* 1. *§. 3. not. a.* S.

(6) Multi quidem ipsi errorem Aphthardocetarum, alii Aphthardocidarum, exprobrant, praecipue Euagrius atque Nicephorus. Sed quam bene de ipso senserit Ecclesia, non tantum Iohannis Scholastici, Gregorii Magni et Agathonis luculenta testimonia docent, qui ipsius memoriam semper sub encomio pietatis recolunt, sed illud maxime demonstrat, quod in Prooemio Synodi Quini-Sextae ὁ τῆς θείας λήξεως, aut, ὁ μακαρίτης dicatur, elogio, quo eum, cuius fidem suspectam habuit, Ecclesia nunquam ornauit. v. Schurzfl. *l. c.* S.

Ad §. CCCLXXXIIII.

(131) Bederinam patriam etc.
(7) Bederinam patriam etc.

(131) Non elegans, sed ineptissima est haec coniectura. Procopius *de aedif. l. c. Bederinam* castellum, φρούριον, appellat. Deinde quis vnquam fando audiuit, ea loca, vbi *Taurisium* situm erat, inhabitasse Germanos, nomenque vrbi imposuisse Germanicum, cui deinde demum Romani Latinum dederint. Confundit *Ludewigius* Scythas cum Slavis, quorum pars ibi locorum tunc temporis sedit. Sed huius generis opinionibus haec Iustiniani vita est refertissima. R.

(7) Bederina s. Bederiana, Taurisium, Quadriturrita, Iustiniana prima quo loco haberi debeant in historia Iustiniani, distincte docet locus Procopii ex Vaticano Codice integer exhibendus: *Apud Dardanos Europaeos, qui post Epidamniorum terminos habitant, ad praesidium, quod Bederiana vocatur, oppidum est Taurisium nomine. Hinc Iustinianus Princeps, orbis reparator, ortus est. Eum locum muro circumdans quadrangula figura, singulis angulis turrim imposuit, effecitque, vt esset, et vocaretur Quadriturrita. Iuxta eundem locum vrbem nobilissimam condidit, quam Iustinianam primam appellauit, atque nutricationis officium altrici patriae rependit.* Ergo Taurisium est patria Iustiniani, postea Quadriturrita dictum. Bederiana praesidium est prope Taurisium; in vtriusque vicinia postea Iustiniana prima condita est. Hanc a Bederiana distinguit Procopius, Agathias vero cum ea confundit. v. Rupert. *ad Besold. c.* 15. S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCLXXXVI.

(132) Octo Iuris Anteceſſores etc.

(132) His *octo Anteceſſoribus* Iuſtinianus Conſtitutionem, *omnem reipublicae*, anno 533. emiſſam, inſcripſit. Quoniam vero ex Codicis vtriuſque titulo, *de ſtudiis liberalibus vrb. Romae et Conſtantinop.* ſatis ſuperque notum eſt, duos Romae, et totidem Conſtantinopoli, Profeſſores iura tradidiſſe; Menagius *Amoenit. Iur. c.* 24. ex Iuſtinianea conſtitutione manifeſto apparere exiſtimat, quatuor reliquos Anteceſſores Berytenſes fuiſſe. Menagii ſententiam Iacob. Haſaeus *de Berytenſ. ICtor. Acad. cap.* 8. §. 2. *et* 4. tanta cum confidentia eſt amplexus, vt ſcribere non dubitarit, *ex his, priores duos anteceſſores fuiſſe Conſtantinopolitanos, ſequentes duos Romanos, vltimos vero quatuor Berytenſes, quoniam Iuſtiniani conſtitutio, Tanta, de confirmat. Digeſt.* §. 9. *doceat, Anatolium inter vltimos quatuor primo loco nominatum, Ius Beryti profeſſum eſſe.* At viri illi doctiſſimi Iuſtiniani conſtitutiones, et male interpretati ſunt, et temporis accuratam rationem minime inierunt. Nominat Iuſtinianus primo loco, *Theophilum* et *Dorotheum*, quorum tamen prior Conſtantinopoli, alter Beryti docuit, vti fidem facit Conſtitutio, *Tanta* §. 9. Salutat poſt hos Imperator *Theodorum* et *Iſidorum*, quos Profeſſores Romae fuiſſe, Menagius et Haſaeus, hypotheſi ſuae inſervientes, ſibi aliisque perſuaſerunt; cum tamen eo tempore, quo promulgata eſt conſtitutio, *omnem reipubl.* Orientis Auguſtus, ne domunculam quidem in Italia ſua in poteſtate haberet. Etenim anno 533. potentiſſime ea in prouincia regnauit Athalaricus Oſtro-Gothorum Rex, qui conſiliis vſus matris Amalaſuentae, doctiſſimae foeminae, inſignem geſſit curam ſcholae Romanae, ſeuereque iniunxit Senatui, vt is *Iuris expoſitori commoda ſine aliqua imminutione*, daret, docente Caſſiodoro *Var. VIIII*, 21. Imo Iuſtinianus mortuo iam Athalarico an. 534. eius ſucceſſori Theodohato, anno demum ſequente bellum indixit, et victorem exercitum ex Africa duxit in Italiam. Vid. Procopius *de bell. Goth. lib. I. c.* 5. et Pagius *in Critic. ad Annal. Baron. an.* 535. Quae cum ita ſint, facile eſt ad intelligendum, errare omnes, qui e numero octo Profeſſorum, a Iuſtiniano laudatorum, Romae duos docuiſſe, autumant. Certe non liquet hodie, Conſtantinopoli, an Beryti, *Theodorus* et *Iſidorus* Anteceſſores fuerint. Male denique concludit Haſaeus, *Anatolium, Thalleleum, Cratinum* et *Salaminium* iuris doctrina, eam potiſſimum ob cauſſam, ſcholam Berytenſem exornaſſe, videri, quoniam *Anatolius* primo, inter hos quatuor, loco nominatus, Iuris ibidem interpretem, Iuſtiniano teſte, egerit. Euertit enim fallaciſſimam hanc coniecturam eiusdem Iuſtiniani teſtimonium, quod de *Cratino*, conſtit. *Tanta* §. 9. reddidit, *optimum eum Anteceſſorem almae vrbis Conſtantinopolitanae conſtitutum fuiſſe*, referens. Igitur ab Haſaeo neque Grauina, neque Brodaeus recte erroris argui potuerunt, quorum prior *Origin. Iur. Ciu. Lib. I.* §. 138. binos tantum in vnaquaque Scholarum olim Profeſſores fuiſſe ſtatuit; alter vero aſſeruit *not. ad Polleti hiſt. for. Rom. Lib. I. c.* 4. quatuor in ſingulis Gymnaſiis Anteceſſores docuiſſe. Quid enim habeat Haſaeus, quo poſſit probabilem Grauinae opinionem confutare, non video; in primis cum ſupra oſtenſum ſit, male ipſum ad conſtitutionem Iuſtiniani prouocare, et tempora mire confundere. Etenim cum Imperatores, in ſingulis metropolibus, Romae atque Conſtantinopoli, duos tantum iuris Doctores conſtituerint, vix idoneae afferri in medium rationes poſſunt, quibus eos permotos fuiſſe, perſuadere nobis valeamus, vt Berytenſium ciuitati, quae tamen erat ſupra laudatis longe inferior,

Source : BIU Cujas

rior, ordinarios Professores quatuor assignare voluerint. Ad Brodaeum vero quod attinet, vir ille doctus ea tantum tempora respexit, quibus Italia, nondum recuperata, Iustinianus Scholarum modo duarum, Constantinopolitanae, atque Berytensis, curam gerere potuit. Satis igitur probabiliter, vnicuique earum, quatuor Professores, aequaliter tribuit, animaduertens nimirum, octo viris tantummodo Imperatorem legum suarum corpus commendasse. Et habet profecto haec Brodaei sententia magnam verisimilitudinem, quam ego tantum abest, vt cum Hasaeo improbem, vt potius apta interpretatione magis confirmandam esse censeam. Res igitur omnis, nisi me omnia fallunt, ita concipienda est. Erant in singulis scholis, Constantinopolitana et Berytensi, ex veteri instituto, Professores ordinarii duo, quod dudum vidit Cl. Otto *Orat. de arduo antecessoris munere.* His vero, ne studiosa iuuentus detrimenti quid pateretur, si quando contingeret, ordinarios doctores aduersa valetudine premi, duos etiam in vnaquaque Scholarum suffectos esse, coniicio. Quod vtrum factum sit, Iustiniano demum imperante, an eo iam tempore, quo Heruli et post hos Ostro-Gothi, occuparunt Italiam, tacentibus Historicis, hodie incertissimum est. Cum vero Iustinianus de iure in ordinem redigendo cogitaret, ordinarios tantum elegit Professores, quorum industria ingeniique dexteritate Iuris Romani corpus conficeretur. Hinc Beryto *Anatolium* et *Dorotheum* euocatos esse nouimus, vt hi, Constantinopoli, cum *Theophilo* et *Cratino* sua communicarent consilia, quos adeo Quatuorviros laudibus tantum extollit Iustinianus Constitutione, *Tanta §. 9.* Perfecto vero iuris corpore, cum Scholis id tradendum commendandumque esset, Iustinianus, emissa constitutione, *omnem reipubl.* non ordinarios tantummodo, sed et his suffectos, Quatuoruiros, qui tunc quoque temporis publico docendi munere fungebantur, salutare debuit, vt nimirum omnibus innotesceret, qua methodo iura docenda essent. Habes igitur Octouiros, siue Antecessores, quibus memorata constitutio inscripta est. Dedimus autem hic nonnihil coniecturis, cum deficiant veterum testimonia. R.

Ad §. CCCLXXXVII.

(133) (*Ad Heineccii Notam.*)

(133) Noli in animum inducere, vt statuas, *Exconsulem*, et *Exquaestorem*, aliquid amplius, quam *virum consularem*, et *quaestorium*, aeuo Iustinianeo, significasse. Nihil enim habent viri doctissimi, quo coniecturam stabilire possint: imo est opinioni contraria *l. 2. Cod. vt dignit. ord.* Plura dixi *not. XX. ad Nouell. I. Theodos. de Theodosian. Cod. auctorit.* quam consule, si placet. R.

Ad §. CCCLXXXVIIII.

(8) Codicibus constitutiones etc.
(9) Minus concinna viderentur etc.
(10) De Iustiniano Codice.

(8) Quod non potius Constitutiones integras ex suo quamque authentico, quam truncatas ex hisce tribus Codicibus colligi curarit Iustinianus, has fere potuit habere rationes. Multarum Constitutionum authentica iniuria forsan temporum iamiam aboleuerat, praesertim cum Theodosiani Codicis promulgatio antiquiorum constitutionum conseruationem, parum diligentibus illarum custodibus minus necessariam

Source : BIU Cujas

ceſſariam eſſe perſuadere poſſet. Compendium etiam laboris, quod Codicis Iuſtinianei architecti in tribus his Codicibus deprehendebant, feſtinationi operis, quod Imperator ocyus perfici deſiderabat, v. *Conſt. de nouo Cod. fac.* §. 3. egregie veli-ficabatur. Quod vero Iuſtinianus hoc ipſo et illud obtinere voluerit, vti exiſtimat Hoffmannus, *Hiſt. Iur. L. II. c.* 2. §. 2. *not. b.* ne vſus fori per Codicem Theodoſianum introductus nimis turbaretur, id quidem parum mihi videtur veroſimile, cum tres hos Codices omnino obliteraturus Iuſtinianus, v. *Conſtit. de nouo Cod. fac.* §. 3. et *Conſtit. de nouo Cod. confirm.* §. 3. parum videatur curaſſe, vt vſus fori priſtinus ſeruaretur. S.

(9) Qui haec bene penſitauerit, merito quaeſiturus eſt cum Iacobo Gothofredo *Proleg. Cod. Theod. c.* 4. *Quid denique profuit Triboniano, retento nomine Imperatorum conſtitutiones edere, cum iis aliam ſententiam affigit, ſic vt potius Iuſtiniani iam ſint, quam illorum Imperatorum, et quarum primus Auctor extitit?* S.

(10) Licet vtique largiar, Reſcripta et Decreta ex eo, quod Codici Iuſtinianeo inſerta ſint, naturam Conſtitutionis generalis, ad exemplar trahendae, obtinere, vtiliſſimam tamen omnino arbitror eos et hodie nauare operam, obſeruante id etiam Noodtio in *Dioclet. et Maxim. c.* 2. qui ſollicite adhuc Reſcripta et Decreta ab Edictis diſtinguunt. Haec enim generalibus decidendi rationibus vtentia facilius interpretationem, quam vocant, extenſiuam admittunt. Illa vero ex ſpecialibus rationibus ad ſingulares caſus eorumque momenta reſtrictis decidentia ſtrictiorem naturam habent, et non niſi ad caſus ex omni parte ſimiles applicari poſſunt, adeoque interpretationi, vt aiunt, reſtrictiuae potius obnoxia ſunt. S.

Ad §. CCCLXXXX.

(11) Quum initio illis decennium etc.
(12) Pandectarum perfectio.

(11) Ego vero, qui venerandas has purioris Iurisprudentiae reliquias magni merito facio, laetarer magis, ſi audaces hi Pandectarum conſarcinatores tritum illud ſibi etiam dictum eſſe exiſtimaſſent: Sat cito, ſi ſat bene! Quod cum alto ſupercilio ſpreuerint, nunquam ſane a me impetrare potui, quin horum Collectorum audaciae ſubiraſcerer, quotieſcunque operae ab ipſis praeſtitae hiſtoria animum ſubiret. En paucis veram rei faciem. Septendecim homines Graeci rudioris iam ſeculi, Romanorum mores et ſermonem vix leuiter docti, perpetuis aulae negotiis iisque grauiſſimis toti plerique immerſi, in varias curas et partium ſtudia, difficillimis illis temporibus, ſaepiſſime tracti, ingentem bis mille voluminum molem, quibus Iuriſconſultorum iam aliquot ſeculis a ſe remotorum opera continebantur, quae et ipſa magno annorum et opinionum interuallo a ſe inuicem diſſidebant, et quorum non pauca Legum antiquarum et maxime XII. Tabularum, Ciceronis iam aeuo intellectu difficilium, interpretationes exhibebant, magna virium fiducia aggrediuntur, legunt, ex iis in ſuos, quaecunque vellent, vſus colligunt, illa reiiciunt, haec ſeruant, truncant, in partes ſcindunt atque diſiiciunt, mutant, augent, ad genium ſui ſeculi attemperant, in ſuos quaeque titulos referunt, et ita vnum ex innumeris opus ſibi, ſi Diis placet, ex omni parte reſponſurum componunt, idque legendum, approbandum, et confirmandum vel praemii properandi deſiderio capti, vel inſignem diligentiae et eruditionis laudem ex feſtinatione captantes, vel ſaltem taedium longioris laboris fugientes intra triennii metas offerunt, quod vel ipſe Imperator, plus iuſto tamen alias feſtinare ſolitus, intra

Source : BIU Cujas

decennium vix perfici posse prudens sperauerat. v. *l.* 2. §. 12. *et l.* 3. §. 12. *Cod. de V. I. E.* Miraculo res digna fuisset, si ab his viris, his mediis, hac festinatione tantum opus perfectum omnibusque numeris absolutum prodiisset. Optime sane Schultingius *in Orat. qua disquiritur, culpandusne sit Tribonianus etc.* Iurisprudentiae Anteiust. subiuncta: *Aegerrime ferimus, vasto adeo atque immenso operi, cui exacte elimando ne decem quidem suffecissent anni, non nisi perexiguum et ne integri quidem triennii spatium impensum fuisse.* Videantur etiam, quae bene monet Hoffmannus *Hist. Iur. L. II. c.* 2. §. 4. *n. a.* Addatur Arth. Duck. *de Auct. I. R. L. I. c.* 4. §. 8. et Vigl. Zuichemus *Comm. ad §.* 4. *Inst. de mil. testam.* S.

(12) De Origine, Etymo et praestantia Pandectarum Recitationes conscripsit Carolus Seluaghius, insertas *Thes. Jur. Ciu. T. I.* quae tamen ad hanc rem, de qua hic agitur, illustrandam parum faciunt. S.

Ad §. CCCLXXXXI.

(134) Ordo Pandectarum.
(13) Iustinianus in septem partes etc.
(14) Iani A Costa citatio.

(134) Male itaque faciunt, qui ordinem in Digestis obseruatum vituperant. Certe hi, qui de Digestis, in alium ordinem redigendis, cogitarunt, quorum fuerunt apud Germanos bene multi, parum subsidii, hoc facto, ad interpretationem legum attulerunt. Notent hoc iuris cultores, in interpretandis legibus respiciendum esse, primo ad ICtum, eiusque aetatem, ac sectam, cui is adhaesit; deinde vero ad librum, ex quo excerpta lex est. Porro coaeui potissimum scriptores consuli debent, si quando de vocum proprietate disputemus, cum notum sit, verba valere sicut nummos, aliamque subinde, pro temporum rerumque diuersitate, induere significationem. R.

(13) Sola numeri septenarii (qui sanctus veteribus visus Gell. *Noct. Att. L. III. c.* 10. Macrob. *in Somn. Scip. L. I. c.* 6.) veneratione se motum ipse prodit Imperator *l.* 2. §. 1. *l.* 3. §. 1. *Cod. de V. I. E.* Alia est barbara satis diuisio in Digestum Vetus, Infortiatum et Nouum. Vetus in Tit. II. Libri XXIIII. finitur. Infortiatum a Tit. III. Lib. XXIIII. incipit, et cum Libro XXXVIII. definit. Nouum ad finem inde extenditur. Plerumque haec Bulgaro autori, aequalem voluminum mensuram, vt videtur, seruaturo adscribitur. S.

(14) En verba Iani a Costa: *Paratitla non sunt explicationes Titulorum, sed ex caeteris Titulis Titulorum repletiones, id est, Indices Legum, quae ex caeteris Titulis ad Titulum subtiliter reuocari possunt: vel, vt Iustinianus loquitur, per subtilitatem Titulorum admonitoria.* Addatur Leunclauius *in Prol. de prisco Paratitlorum vsu: Haec igitur de modo Iuris explicandi posteriore per Paratitla mens Iustiniani fuit, vt liceat quemuis ad Titulum Pandectarum annotare, quae aliis in Titulis ac locis illum ad Titulum pertinentia reperiantur. Hic priscus scilicet germanusque Paratitlorum vsus.* Egregiis ad Codicem Theodosianum Paratitlis Iacobus Gothofredus nexum cuiusuis Tituli cum aliis Titulis, et Leges ex aliis Titulis ad hunc referendas indicavit, atque perfectum Paratitlorum exemplum nobis reliquit.

Optima quaeuis de suo Pandectarum opere sperauit Iustinianus, vt nullam in ipso voluerit esse Antinomiam, *sed vnam concordiam, vnam consequentiam*, v. Constit. *Deo Auctore etc. de conceptione Digest.* seu *l.* 1. *Cod. de V. I. E.* §. 8. imo *nihil contrarium, neque idem, neque simile in eo inueniri, et ne geminas leges pro rebus singulis positas vsquam apparere, ambiguitates omnes decisas esse, nullo seditioso relicto,*

Source : BIU Cujas

licto, contrarium nullum in hoc opere inveniri sibi omnino persuaserit. v. Constit. *Tanta. de Confirm. Digestorum ad Senat. et omn. pop.* seu *l. 2. Cod. de V. I. E. pr.* §. 1. *et* 15. aliquanto tamen modestius locutus sit in Constit. *Dedit. de Confirm. Digest. ad magnum Senat. s. l. 3. Cod. de V. I. E.* §. 15. Res ipsa tamen docuit, non adeo ab omni vitio purum esse hoc opus. Nolo hic Pardulphi Prateii querelas recoquere, qui in *Iurisprud. media, in Thes. Iur. Ciu. Tom. III. 160.* geminationes L. I. plures omissiones L. II. multas truncationes et inuersiones Libro III. specimina locorum veterum bene multa ex ignorantia antiqui iuris et bonarum literarum in alienos sensus tractorum L. IIII. magno studio collegit. Licet enim horum aliqua quandam forte delicatulis Lectorum stomachis nauseam excitare possint, tanti tamen non sunt, vt graues saniori iurisprudentiae dolores inferre queant. Truncationes sententiarum ex veterum scriptis excerptarum licet nobis parum gratae sint, a Iustinianeo tamen opere, quod veteres ad sui seculi genium attemperare studuit, abesse saepius non potuerunt. Nec Franciſci Hottomanni iras moror, qui *Anti-Trib. c. 12.* cum multis aliis erroribus et hunc maxime Triboniano exprobrat, quod antiquissimorum Iurisconsultorum sub libera republica et primis Imperatorum Romanorum temporibus viuentium opera a suis Pandectis exulare iusserit, cui tamen plena manu iam satisfecit Schultingius in *Oratione Iurisprudentiae Ante-Iustinianeae addita* egregie demonstrans, non vitio, sed laudi potius verti posse Triboniano, quod, qui tanto a Iustiniani seculi moribus distabant interuallo, eos sui seculi Iurisprudentiae parum conducere existimauerit. Illorum etiam sententiae subscribere non possum, qui in Tribonianum acrius inuehuntur, quod paganismi aliquas reliquias, quarum indicem exhibet Struuius *Hist. Iur. C. 3.* §. 5. *n.* 8. Pandectis inseri passus fuerit. Ita enim inuolutae saepius illae sunt sententiis veterum, aequi tamen iustique regulam optime statuentibus, vt sine offensa vix omitti potuerint. Quas vero illae tam vberi purioris religionis luci tenebras obducere possint, ego sane non video. Sint itaque Pandectae ab his quidem accusationis capitibus mea qualicunque sententia absolutae. Non tamen ita in verba Iustiniani vel Triboniani iuraui unquam, vt hoc opus Pandectarum ab omni naeuo immune pronunciare vellem. Sunt enim quaedam in illis plane obscura, quaedam secum invicem pugnantia, quae explicari commode et secum inuicem conciliari vtique non possunt. De Antinomiis autem inferius adhuc aliqua dicentur. Nunc vero, cum quaedam non omnibus tamen obscura sint, quaedam etiam speciem tantum aliquam pugnae, ab exercitatioribus facile componendae, sistant, quaedam etiam non autorum iuris, non Collectorum vitio inquinata sint, sed aliunde corrupta, liceat hic, vt studia Cultorum Iuris adiuuemus, quorum gratia haec maxime scribuntur, regulas quasdam, quas suggerit et scite explicat Brunquellus *Hist. Iur. P. II. c. 4.* subiicere, quae laborem hunc difficilem egregie levare possunt. I. *De Legis cuiusuis, quae explicatione aut conciliatione indiget, lectione constet.* Multos textus librariorum oscitantia corrupit, multos audax criticorum manus, dum sanare voluit, acrius vulnerauit. Genuinam itaque lectionem certius addiscere non possumus, quam si eam ad Codicis Florentini a Laelio Taurellio diligenter inspecti, et ab eiusdem filio Franciſco Florentiae Anno 1553. editi normam redigamus. Artem egregie emendandi Leges docuit Guilielmus Best, ICtus Batavus, singulari opusculo, cui titulus: *Ratio emendandi Leges Pandectarum Florentinarum auctoritate;* cui notas eruditas addidit Neuhaus. Non immerito huc referas etiam Sigm. Reich. Iauchii, *Meditationes Criticas de Negationibus Pandectis Florentinis partim recte vel male iam adiectis, etc. partim etiamnum adiiciendis etc.* Cum vero, vti Celsus bene monet *l. 17. D. de LL. Scire Leges non sit verba earum tenere,*

Source : BIU Cujas

ſed vim ac poteſtatem, ſi de genuina Legis lectione conſtat, II. *ad eius ſententiam progrediendum eſt.* Multum hic te iuuabit noſſe aetatem, vitam et mores Iurisconſulti, cuius verba ſunt, in quibus explicandis operam ponis. Diſces hac ex iis, qui vitas ICtorum veterum conſcripſerunt, Bernardino Rutilio, Joanne Bertrando, Guilielmo Grotio, Iano Vincentio Gravina. Inueſtigabis Sectam ICti, Stoicaene, an alii addictus fuerit, Proculeianorum, an Sabinianorum partibus adhaeſerit. Multa hic te docebunt, qui de familiis et ſectis veterum ICtorum ſcripſerunt a Boeckelen, Euerhardus Otto, van Eck, Heringius, Slevogtius, Boehmerus, Maſcouius, Schaumburgius. Inde vſum verborum, quibus ICtus, tuae Legis autor vtitur, egregie te docebunt eiusdem aetatis Scriptores ICti, Hiſtorici atque Poëtae. Quantum tibi lucis hiſtoriarum et antiquitatum ſtudia accendere hic poſſint, quantoque cum fructu praecipue Autoris noſtri opera vti queas, vel me tacente perſpicies. Perſpecta Legis lectione et ſententia obſeruabis Regulam III. *Quae verbis et ſententiae Legis conuenit ſpecies ſeu caſus ponatur.* Dici non poteſt, quantum vtilitatis tibi afferat, ſi inſpecta Legis tuae inſcriptione, cum de auctore et libro, ex quo tua Lex excerpta eſt, bene tibi conſtet, tum demum diſiectas per varios Pandectarum titulos eiuſdem autoris leges colligas, et ſecundum ſeriem operum ita in ordinem redigas, vt inde nexum omnium ſententiarum eiusdem autoris, quantum quidem fieri poſſit, diſcas, et hinc ex antecedentibus et ſequentibus mentem eius facilius eruas. Vtiliſſimam hic operam tibi praeſtant, qui Legum indices compoſuerunt, Iacobus Labittus, Antonius Auguſtinus et Wolffgangus Freymonius, quique omnium horum induſtriam feliciſſime ſuperauit Abrahamus Wielingius in *Iurisprudentia reſtituta.* S.

Ad §. CCCLXXXXII.

(15) Tempora inſtitutionum.
(16) (*In Heineccii Notâ.*)

(15) Tria tempora Inſtitutionum ſtudioſe diſtinguenda ſunt, quae de auctoritate Inſtitutionum cum Pandectis comparanda totam litem definiunt. Inſtitutiones poſt Pandectas compoſitae, vid. *Prooem. Inſtit.* §. 4. ante eas publici iuris factae, tempore, quod autor ipſe indicat, XI. Kal Decembr. D. Iuſtiniano PP. A. III. Conſ. *v. ſubſcript. Prooem. Inſt.* cum iis eodem die confirmatae fuerunt, et autoritate legali eodem die donatae. vid. Conſtit. *Tanta.* et Conſtit. *Dedit. de Confirm. Digeſt.* §. 23. Ex primo tempore dubium naſcitur, an Inſtitutiones derogent Pandectis, his poſteriores, ex ſecundo, an Pandectae Inſtitutionibus, his quippe poſteriores, ex tertio tempore decidendum. De qua re tamen plenius infra. S.

(16) Euerardus Otto in eo praecipue vtilem nauauit operam, quod non tantum loca Caii aliorumque veterum ICtorum in Inſtitutiones translata ex ipſorum fragmentis, quae extra Pandectas ſuperſunt, et ab Antonio Schultingio in *Iurisprudentia Ante-Iuſtinianea*, egregiis Commentariis illuſtrata exhibentur, diligenter indicauerit, ſed et ea, quae in Legibus Pandectarum occurrunt, eadem diligentia annotauerit. Indicem etiam Legum et Senatusconſultorum, quae in Inſtitutionibus laudantur, ex Cuiacio exhibet van de Water *p. 653. Editionis Inſtitutionum cum Commentario Iani a Coſta, et annotationibus Theodori Marcilii et Marci Antonii Mureti Lugd. Batau. 1714. editae, 1744. vero ibidem recuſae*; aliumque porro indicem Conſtitutionum, quas Imperatores Iuſtiniano antiquiores promulgauerant, in Inſtitutionibus commemoratarum, *p. 652.* nec non Iuſtinianearum Conſtitutionum, qua-

Source : BIU Cujas

quarum in Institutionibus mentio fit, *p.* 651. Quos indices cum aliis ibidem vtiliſſime ex Cuiacio exhibitis, etiam Euerardus Otto ſuae Editioni Inſtitutionum ſubiunxit, et Abrahamus Wielingius cum aliis apprime huc facientibus ſuae *Iurisprudentiae reſtitutae* inſeruit, *p.* 179. *et ſeqq.* qui Iuris Cultores in vſu Inſtitutionum egregie iuuant.

Quam ſortem aliae Iuris Iuſtinianei partes, eam et Inſtitutiones expertae ſunt, ab aliis quidem, v. g. Cuiacio *Obſerv. L. XI. c.* 38. et Charonda *in Praefat. ad filium*, vltra forſan, quam debuerant, laudatae, ab aliis, inter quos praecipue Weſembecius *ad §. 2. Inſtit. de Teſtam. ord.* iuſto acrius reprehenſae. Offendit multos, quod non in tres tantum libros, ad tria iuris obiecta, quae in iis ſibi explicanda proponit Iuſtinianus §. *vlt. Inſt. de I. N. G. et C.* adaptatos, ſed in quatuor potius ſcindantur Inſtitutiones, ita vt non ſingulis obiectis ſinguli libri reſpondeant; porro quod non ex ſuo fonte, ſed ex aliorum operibus Inſtitutiones petierit Imperator; nec non quod Caii praecipue veſtigiis, non alterius ICti, ſuo ſeculo propioris, inſiſtat; tandem quod non vni tantum, ſed tribus architectis libelli elementaris, perpetuo filo coniungendi, compoſitionem commendauerit; quod denique multa obſoleta et antiquata iuris capita Inſtitutionibus inſeruerit Iuſtinianus, et quae ſunt aliae huiuſcemodi ICtorum querelae. Quod vero ad primum accuſationis caput attinet, non aliam magis Inſtitutionum in quatuor partes ſcindendarum rationem habuiſſe videtur Iuſtinianus, quam vt voluminum menſuram aequalem redderet, quod ex veterum ſcribendi et libros colligandi ratione egregie illuſtrat Ludewigius *in Iuſtin. c.* 5. §. 8. Secundum caput modeſtiae potius Imperatoris et feſtinandi operis deſiderio, quam ignauiae adſcribendum videtur. Tertii capitis ratio ex inſigni Caii, qua tum temporis in ſcholis et foris gaudebat, autoritate petenda. vid. Ludew. *in Iuſtin. c.* 8. §. 18. *n.* 130. et §. 58. *n.* 330. Quarto capiti autem excuſatio inde paratur, quod, cum ex pluribus autoribus colligenda Inſtitutionum membra fuerint, facilius illae operam plurium admiſerint, quam ſi integrae ex proprio fonte hauriri debuiſſent. Quod quinto demum loco ponitur accuſationis caput, facili negotio refelli poſſe videtur, ſi modo probe quis conſideret, antiqua ſaepius praeſentibus facem accendere, ita vt, quae in ipſo rerum vſu quotidie obtinent, denſiſſimis non raro tenebris involuerentur, niſi ex antiquis lucem caperent. Multa etiam noſtris, imo vltimis iam Iuſtiniani temporibus antiquata et obſoleta videri poterant, quae ea, qua Inſtitutiones condebantur, aetate pleno vigore et robore gaudebant; vt hinc v. g. antiquae ſucceſſionis explicationem, quae magnam *Lib. III.* Inſtitutionum partem implet, ſine cauſa multi Iuſtiniano exprobrent, quae Inſtitutionum ſane aetate quotidiano adhuc vſu ſeruabatur, licet poſtea per *Nou.* 118. antiquata fuerit. Denique ſi quid etiam his in rebus peccatum eſſet, illud ſane maioribus Inſtitutionum meritis abunde penſatum eſſe exiſtimamus. Illud vero vtique diſſimulare non poſſumus, quod, cum Inſtitutiones totius legitimae ſcientiae prima elementa voluerit eſſe Imperator, *Prooem. Inſtit.* §. 5. operae pretium feciſſe viſus fuiſſet, ſi plura Iuris capita, vel plane omiſſa, vel leui tantum, vt aiunt, calamo delineata, vberius expoſuiſſet, cum ſine illis alia, quae fuſius exponuntur, vix ac ne vix quidem intelligi poſſint. S.

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCLXXXXIII.

(135) In Scholis valere etc.

(135) Ita legimus *in Constitut. omnem reipubl. Haec autem tria volumina tradi eis, tam in* REGIIS VRBIBVS, *quam in Berytensium celeberrima ciuitate volumus.* Et mox: *vt si ausi fuerint in posterum in hoc perpetrare, et extra* VRBES REGIAS *hoc facere*, etc. Haec Constitutio edita est *an. Chr. 533.* quo tempore Roma adhuc erat in potestate Regis Athalarici, nec forte de Italia recuperanda cogitare poterat Iustinianus. Igitur scribi aliter non potuit, quam ita: *in regia vrbe et Berytensium ciuitate.* Cum vero iam *an. 536.* magna Italiae pars a Iustiniano felicibus armis subacta, et ipsa Roma occupata sit, vt scimus e Procopio *de bello Gothico*, demonstrauitque accurate Pagius *in Critic. an. 537.* Iustinianus vero in Pragmatica Sanctione *de statu Italiae Cap. II.* profiteatur, quod leges Codicibus insertas in Italiam sub edictali Programmate miserit: statuendum est, huius constitutionis verba, in exemplaribus, quae deinde descripta sunt, immutata fuisse. Vide, quae scripsi *in praefat. ad Tom. II. Cod. Theodos.* R.

Ad §. CCCLXXXXIIII.

(17) Quinquaginta decisionibus etc. (18) (*In Heineccii Notâ.*)

(17) Constitutionis vocabulum latius patet, quam Decisionis, et hanc in suo ambitu complectitur, adeo, vt licet non omnis Constitutio Decisionis nomine venire possit, omnis tamen Decisio Constitutionis nomine commode insigniri queat. Hinc Decisio in *l. 1. Cod. de comm. seruor. manum.* Constitutio dicitur §. *fin. Instit. de Donat.* ita et *l. penult. Cod. de necess. seru. hered. inst.* quae decisio est, Constitutionis nomine allegatur *in §. 2. Inst. Cui et quibus ex caus. manum. non licet.* et quae alia a Merillio allegantur exempla *in Proleg. ad L. Decis.* Ea vero demum Constitutio Decisionis nomine gaudet, quae quaestionem Iuris ex dissensu veterum ICtorum ambiguam et in contrarias partes tractam ad certam nunc regulam ex voluntate Legislatoris adstringit, ita vt Legislator vel vnam vel alteram, vel plane mediam inter eas sententiam eligat. Vt vero controuersia haec circa singularem speciem versetur, nec Legem generalem constituat, quod Merillius *in Proleg. ad Quinq. Decis.* inter notas Quinquaginta Decisionum ponit, id quidem Iustinianus nusquam definit, vti bene monet Strauchius *ad Quinq. Decis. c. 1. n. 7.* Eiusmodi Decisiones, per eminentiam ita dictae, Quinquaginta ab Imperatore numerantur in *Constit. de Emend. Cod.* §. 1. Hae quinquaginta Decisiones compositae sunt post primum Iustiniani Codicem, *vid. ibid.* id est, post VII. Id. April. Decio Cons. seu Aerae Dionys. anno 529. quo Codex primus promulgatus est, v. *Const. de Iustinianeo Cod. Confirm. ad Mennam*, et quidem ante Institutiones editas, in quibus iam Decisiones illae allegantur. v. §. 3. *Instit. de Libertinis*, id est, ante XI. Kal. Decembr. D. Iustiniano III. Cons. anno Æ. D. 533. v. *Prooem. Instit. in fin.* qui anni in fastis consularibus notantur, Decio Consule, Lampadio et Oreste Coss. Post Consul. Lamp. et Orestis anno I. tandem post Consul. Lamp. et Orestis anno II. quibus annis Demosthenes, Iulianus et Ioannes Praefecti Praetorio fuerunt. Vnde sequitur I. *Legem vlt. Cod. quando tutor vel*

Source : BIU Cujas

vel Curator esse desin. et *l.* 12. *Cod. de Contr. vel Comm. stip.* quibus etiam altercationes veteris iuris deciduntur, tamen, quia Codicis primi editionem vno aut altero die praecedunt, inter Quinquaginta Decisiones non computari posse. *l. Legem pen. Cod. ad SCtum Orfit.* quam ex numero earum excludit Merillius, inter eas a Strauchio merito computari, latam nempe XV. Kal. Octob. Decio Cons. id est, anno 529. adeoque Codice primo Iustinianeo sex fere mensibus iuniorem. Datae sunt hae Quinquaginta Decisiones, vt altercationes veteris iuris ex dissensu ICtorum, Proculeianorum maxime et Sabinianorum, ortae per eas placarentur. v. §. 3. *Iustit. de Libert.* Inde ergo certissima harum Quinquaginta Decisionum nota characteristica statui haec potest. Quaecunque Constitutio Demostheni, Iuliano aut Ioanni Praefectis Praetorio, ad quos Edictales Constitutiones mitti solebant, inscripta, et vel Decio Consule post VII. Id. April. vel Lampadio et Oreste Coss. vel post Consulatum Lamp. et Orestis anno primo vel post Consul. Lamp. et Orestis anno secundo, quod ex subscriptione patebit, promulgata est, et cuius ex contextu patet, altercationem inter veteres ICtos de quaestione quadam iuris olim agitatam, per eam decidi, ea merito inter quinquaginta Decisiones referenda erit. De numero earum, quae in Codice repetitae praelectionis extant, definiendo non satis constat inter eruditos, cum multae illarum in diuersas partes scissae, et ita per partes competentibus quaeque Codicis Titulis insertae fuerint. v. *Const. de Emend. Cod.* §. 2. Alium illarum indicem Strauchius, alium Linglois, alium Merillius exhibet, quem vltimum tamen plerique sequuntur. Struuius *Hist. Iur. cap.* 3. §. 8. *not.* 1. Hoffmann. *Hist. Iur. L. II. c.* 2. §. 8. *in not.* Brunquell. *Hist. Iur. P. II. c.* 7. §. 7. et Wielingius *Iurispr. Restit. p.* 144. S.

(18) Erudite hanc formulam etiam illustrat Pagi *Dissert. Hypat. P. III. e.* 2. ubi hanc formulam primum in Fastis Idatianis anno 307. occurrere obseruat. S.

Ad §. CCCLXXXXV.

(136) Constitutionum diualium interpretatio.
(19) *Ad Ritteri Notam.*

(136) Difficilior est constitutionum diualium, quas Codex continet, interpretatio, quam legum, quae Digestorum corpori inclusae sunt, vt fatetur Cuiacius *in epistola dedicatoria Paratitl. ad Cod.* praefixa. Magnam quidem principum constitutionibus lucem affert historia; sed attendendum quoque sedulo ad imperii diuisionem, videndumque est, vtrum ad Orientem, an ad Occidentem lex pertinuerit. Considerandae deinde sunt inscriptiones, et subscriptiones, quoniam ex illis discimus, quibus potissimum prouinciis, aut cui hominum generi, Impera or consuluerit: hae vero edocent, a quo Imperatore leges emissae sint. Denique constitutiones, quae eandem seruant inscriptionem et subscriptionem, diligenter conquirendae sunt, cum earum coniunctio faciat, vt feliciter aliquando verum sensum indagare possimus. Si de verbis disputandum est, adeundi sunt coaeui scriptores, et in primis Patres Latini (α). R.

(19) Pulcherrima haec eruditissimi Ritteri consilia quicunque negligit, ille sibi ipsi nubes obducit, et, cum vberrima luce frui posset, seipsum densissimis tenebris temere committit. Historiarum et Chronologiae praecipue cognitio quantum commendanda sit genuinae Iurisprudentiae Cultori, erudita *Oratione III. Non. Sept. an.* 1740. *in illustri Iulia habita* docuit Henricus Hahnius, quam *Iurispr. Restitutae Part. Poster. pag.* 121. *et sqq.* exhibet Wielingius, qui et ipse huius rei vsum maxime adiuuit

Source : BIU Cujas

adiuuit suo Legum Codicis indice alphabetico et chronologico *Iurispr. Restit. Part. Pr.* quod ipsum ratione Codicis Theodosiani vberius praestitit Iacobus Gothofredus in *Chronologia Codicis Theodosiani*. Inscriptiones Legum tam Pandectarum quam Codicis consulere, quam utile, imo necessarium sit, vberrime demonstrarunt Henr. Brencmannus *Disputatione Iuridica Inaugurali de LL. inscriptionibus habita Lugduni Batauorum III. April.* 1705. et Bern. Henricus Reinoldus *de Inscriptionibus LL. Digestorum et Codicis Oratione Inaugurali dicta Duisburgi V. Idus Iunias* 1712. quam vtramque suae *Iurispr. Restit.* inseruit Wielingius. Interpolationes Legum Codicis a Triboniano frequenter admissas notauit Iac. Gothofredus passim *in Comment. Cod. Theodosian.* et quasi per indicem in *Prolegomenis c.* 4. Non felicius autem illae discutiuntur, quam si quis Leges Codicis Iustinianei conferat cum fontibus suis, integrioribus nempe Constitutionibus, quas seruarunt Codices Gregorianus et Hermogenianus, ab Antonio Schultingio editi in *Iurisprudentia Ante-Iustinianea*, et Theodosianus insigni Commentario a Iacobo Gothofredo illustratus variorumque obseruationibus et suis egregie auctus a doctissimo Rittero, strenuo purioris Iurisprudentiae assertore. Vt rerum harum omnium vtilitatem vel vno exemplo doceam, sit instar omnium celebratissima *Lex 19. Cod. Iustin. de Nuptiis.* Quam acris illi status controuersia a multis, eruditissimis etiam viris, Contio maxime et Brissonio mota sit, nemo hodie ignorat. Qui consobrinorum nuptias anno 396. communi consilio damnasse videntur Arcadius et Honorius *per Legem 3. Cod. Theod. de incestis nuptiis*, poenam seuerissimam a patre Theodosio statutam tantum mitigantes, easque adhuc illicitas asseruisse an. 409. *in L. vn. Cod. Theod. si nupt. ex Rescr. petantur*, ita vt tamen pro iis obtinendis Principi supplicare permiserint, quomodo potuerunt an. 404. tempore inter has duas Constitutiones medio, per *Legem 19. Cod. Iustin. de Nupt.* eas omnino permittere et ab omni accusationis periculo immunes praestare? Inde eam Legem plane commentitiis adscribendam iudicarunt eruditissimi Viri. Eius tamen fidem luculento commentario asseruit Iacobus Gothofredus, historiarum monumentis et inscriptionum subscriptionumque testimoniis vnice subnixus. En brevem totius rei conspectum. Nuptias consobrinorum sub poena ignis et proscriptionis bonorum prohibuerat Theodosius Constitutione seueriſſima, quae, licet hodie nusquam inueniatur, luculentis tamen testimoniis Libanii, Ambrosii, Pauli Diaconi, Augustini, imo ipsorum Imperatorum Arcadii et Honorii *in L. 3. Cod. Theod. de incest. nupt.* et *L. vn. Cod. Theod. si nupt. si nupt. ex rescr. pet.* asseritur. Has nuptias an. 396. mitigata tantum poena, adhuc damnat Arcadius, cuius est *Lex 3. Cod. Theod. de incest. nupt.* quod ex inscriptione patet et subscriptione, illa *Eutychianum P. P.* Orientis, hac *Constantinopolin*, Orientalis imperii sedem, loquente quod vtrumque Arcadio Orientis Imperatori conuenit. Mox Arcadius, vt erat in mutationes procliuior, eas nuptias omnino permittit *L. 19. Cod. Iust. de Nupt.* an. 404. In Occidente Theodosii de his nuptiis Constitutio vigorem plenum conseruauit vsque ad annum 409. quo Honorius per *L. vn. Cod. si nupt. ex Rescr. pet.* eas non quidem approbat, sed tamen per preces a Principe impetrari permittit; quam Legem Honorii esse indicat iterum inscriptio, quae *Theodorum P. P.* exhibet, quem Italiae, adeoque partis ad Occidentale Honorii imperium spectantis, Praefectum fuisse nouimus, et subscriptio, quae eam Legem *Rauennae*, in Vrbe scilicet ad Imperium Occidentale Honorii referenda, latam esse docet. Ita ope inscriptionum et subscriptionum suo quaeque Legislatori lex restituitur, vt nulla amplius inter eas pugna sit. Nec mouet, quod vtraque Lex vtriusque Imperatoris Arcadii et Honorii nomen in fronte gerat. Ex solenni eorum temporum more Leges in vno tantum Imperio natae, in altero forsan

Source : BIU Cujas

forsan ignotae, vel plane reprobatae, vtriusque tamen Imperatoris et Orientalis et Occidentalis nominibus ornabantur. Nihil tamen argumenti ex hoc vtriusque Imperatoris nomine pro asserenda Legis in vtroque Imperio auctoritate produci posse, praeter alia testimonia, luculenter docet *Lex 158. Cod. Theod. de Decurionibus;* quas et ipsa vtriusque Imperatoris, Arcadii et Honorii titulo ornata ad Occidentem tantum spectat, adeo, vt aliam Legem Orientis, nempe 13. *Cod. Theod. de Iudaeis*, quae et ipsa vtriusque Imperatoris nomine insignita est, Honorius reiiciat, et *tanquam suis partibus damnosam* acriori etiam sermone repellat. Actum sane fuisset de *L. 19. Cod. Iust. de Nupt.* nisi testimoniorum historicorum ope et inscriptionum atque subscriptionum autoritate et Codicis Theodosiani suffragio eam fortiter muniuisset Iacobus Gothofredus.

Graue tamen dubium remouendum supereſt. Leges latas in Oriente etiam valuisse in Occidente loquuntur testimonia luculenta ex Nouellis Theodosii et Valentiniani petita. Per Nouellam I. Theodosius Codicem suum confirmans statuit *nullam Constitutionum in posterum, velut latam in partibus Occidentis, alioue in loco ab inuictissimo Principe, filio suae clementiae, perpetuo Augusto Valentiniano posse proferri, vel vim Legis aliquam obtinere, nisi hoc idem diuina pragmatica* sibi *intimetur.* Ergo Occidentales Leges in Oriente valiturae fuissent, nisi haec singularis cautela obiecta esset. Imo valiturae sunt, si saltem Orientis Imperatori modo legitimo *intimentur.* In Nouella II. ad Valentinianum Occidentis Imperatorem missa Theodosius Orientis Imperator constituit, *si quid iuris ab altero* ipsorum *posthea conderetur, ita demum in alterius quoque Principis regno vires proprias obtinere debere, quod generatim constitutum esset, si ad alterum Principem fuisset emissum.* Imo suas nunc Nouellas, quas pro re nata sine Valentiniani consilio hucusque Theodosius promulgauerat, Valentiniano in Occidentalibus regionibus etiam promulgandas mittit, ab eoque, vt sibi, quas ipse interea in Occidente promulgasset, nunc mittat, a se in Orientis etiam Imperio publicandas petit. Valentinianus ipse in Novella, quam noua Editio inter Theodosianas XXXVam. exhibet, nunc has Theodosii Nouellas in Occidente promulgat, ipsisque vim Legis dat, rationem hanc notatu digniſſimam subiiciens: *vt, sicuti vterque Orbis* (Orientale nimirum et Occidentale Imperium) *indiuiduis ordinationibus regitur, iisdem quoque Legibus temperetur.* Imo passim Valentinianus ad Leges in Oriente latas prouocat, maxime autem in Nouella X. et XII. Leges Arcadii et Honorii, *quas Corpus Theodosianum ostendit*, allegat. Quae omnia clare ostendunt, communia fuisse vtrique Imperio iura. Haec quidem ita inter Theodosium et Valentinianum obtinuisse vltro concedimus. Caeterum ex ipsis his textibus apparet, nullam futuram fuisse iuris communionem, nisi ita vtrique Principi placuisset. Arctissimo amicitiae nexui, quo Theodosius et Valentinianus sibi inuicem iungebantur, quo Theodosio Valentinianus imperium debebat, quo Eudoxiam illius filiam duxerat, quo Patris et Filii nomine inter se vtebantur, haec tribuenda, nec ad exemplum trahenda esse nemo non videt. Vid. Jac. Gothofr. *Proleg. Cod. Theod. c. 3.* Ritteri *notas ad Nou. all.* Giannone *Histoire de Naples T. I. L. II. ch. 7. p. 149. et seq.* S.

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCLXXXXVI.

(137) Pauli Diaconi Citatio.
(138) Agathiae Citatio.
(20) Graecè scriptas nouimus etc.

(137) Paulli Diaconi testimonium, vtpote scriptoris seculi VIIII. paucissimis fecit satis. Sunt enim viri doctissimi, qui per Codicem Nouellarum, cuius facit Paullus mentionem, repetitae praelectionis Codicem intelligunt. Quamuis autem ista opinio mihi displiceat, fatendum tamen est, ea, quae de collectione Nouellarum a variis scripta sunt, plurimis esse dubiis involuta, Ioannes Malala, qui seculo quoque nono historiam concinnauit, in Vita Iustiniani, Nouellas memorat, sed eas a Iustiniano collectas esse, plane perspicueque non exprimit. Ita enim apud eundem legimus *pag. 58. Edit. Venet.* Καὶ ποιήσας νεαρὰς νόμους, ἔπεμψε κατὰ πόλιν, *nouellas etiam constitutiones edidit, et ad vrbes transmisit.* Agathias quidem hoc et accuratior est et aetate longe superior, quippe qui Iustiniani tempore scripsit, historiamque suam ad annum vsque 559. perduxit; nihilominus tamen ea, quae *loc. cit.* de Iustiniani Nouellis memoriae tradidit, nonnullis subobscura adhuc visa sunt. Etenim, cum de Zanis, anno circiter 558. vectigalibus factis, disseruisset, haec verba subiungit: τοιγάρτοι (Ἰουστινιανὸς) ἤν τινι τῶν οἰκείων νόμων ἐς δὴ νεαρὰς ἐπανορθοῦσθαι, τὰ μὲν ἄλλα ἀπαραβιάστως ἔχειν ἐᾷ, καὶ τῶδε ἢ ἔθνει ἢ τοῖς πολίσμασιν ἐπανίσθη: *quocirca Iustinianus etiam in quadam suarum constitutionum, quas Novellas appellamus, alias victorias recensens, huius etiam gentis inter primas meminit.* Sed nihil hic, inquiunt illi, qui Iustinianum Nouellas collegisse negant, de compilatione constitutionum legimus. Locus est extantissimus apud Cedrenum *pag. 291. Edit. Venet.* quo et nouellae Iustiniani constitutiones, aduersus eos, qui eunuchos faciunt, et contra impudicos latae, laudibus extolluntur ab historico, et haec deinde superadduntur verba: τὰς δὲ παλαιὰς νόμους πάντως ἀνανέωσε, ποιήσας μονόβιβλον ὃ καὶ Νεαρὰς διαθέξεις ἐκάλεσε, *et veteres omnes leges renouauit, fecitque volumen, quod Nouellas constitutiones appellauit.* At enim vero hoc quoque testimonium apud plerosque parum ponderis habet, partim, quod a scriptore Seculi XI. redditum est, partim, quod de vetustis legibus in vsum reuocatis, agit. Ad Codicem enim haec tantum pertinere posse, existimant. Et ita forte videbitur etiam iis, qui obiter tantum veterum auctorum loca solent inspicere: alia vero omnia sentient, si, collatis cum Cedreno Iustiniani nouellis, obseruauerint, iis, veteres leges et impudicis, et iis, qui eunuchos faciunt, olim oppositas, ab Imperatore renouatas quasi esse. Sed mirantur praeterea, qui nouellarum collectionem oppugnant, eam absque praefatione et constitutione confirmatoria in lucem emissam esse. Qua tamen constitutione minime opus fuit, quoniam Iustinianus, futura tempora prospiciens, dudum ante Constitutione, *Cordi nobis*, edita, Nouellarum congregationem confirmauit. Scio etiam, vrgere alios, indigestam hanc collectionem, temporisque rationem nullam obseruatam esse, leges priore loco positas, derogare posterioribus, et quae sunt alia huius generis. Sed forte persuadebo nonnullis, non potuisse non Iustinianeo aeuo Nouellas colligi. Pugnabo autem aduersus dissentientes primo rationibus, deinde vero auctoritate veterum confirmabo sententiam. Etenim hoc mihi persuasum est, neminem fore, qui non intelligat, mittendas fuisse nouellas in prouincias, promulgandas κατὰ πόλιν a iudicibus, siue prouinciarum rectoribus, et commendandas denique causarum patronis, vt describe-

rent

Source : BIU Cujas

rent eas, simulque discerent, quo in posterum iure in foro vtendum sit. Deinde et hoc extra dubitationem positum est, ius nouellum, quia veteri derogat, summam statim in foris obtinuisse auctoritatem. Inde manifestum est, necessitate adactos fuisse iudices caussarumque patronos, vt nouellas colligerent. Constat praeterea, Quaestorem dictasse leges salutares, quas deinde Magister scriniorum emittebat. Hae vero in scrinio sacro sanctissime conseruabantur colligebanturque, vt, si quando ad Principem prouocatum esset, inde ea, quae ad dirimendam litem pertinere videbantur, peti possent. Igitur ex his patet, nouellas Iustiniani tempore, et priuatim, et publice, iam colligi debuisse. Imo, si et scriniorum Magistri, et iudices, et caussarum patroni, hoc neglexissent facere, putabimusne tam negligentes quoque fuisse Professores vtriusque scholae, quibus has nouellas leges statim, postquam euulgatae erant, traditas esse, nemo forte dubitabit? Plura non addo: verum ad *Leonis* Imp. auctoritatem iam prouoco, qui *prooem.* Βασιλικῶν de Nouellis Iustiniani haec tradit: Ἔτι δὲ καὶ ὡς ὁ αὐτὸς ἐφιλοπόνησε νεαρὰς διατάξεις καὶ ταύτας ἰδίας ἔτυχε χάρας, *rursus nouellis constitutionibus, quas idem elaborauit, suum quoque locum dedit.* Habuit vero has nouellas in manibus Leo, atque ex iis potissima excerpsit capita, vt adeo huius testimonium tanti faciendum sit, quanti est pretii Iustiniani, quod de Hadriani edicto perpetuo perhibuit. Nec omittendus est Attaliata, qui *in praefat. Synopſ. pag.* 2. disertis testatur verbis, peculiari libro Nouellas Iustiniani insertas fuisse: Εἶπε καὶ νέαρας πεποίηκεν ὁ ἰδιάζουσι βιβλίῳ ἀπὸ Τριβουνιανοῦ; *secundum haec Nouellas etiam peculiari libro fecit per Tribunianum.* Obseruandum enim est, Novellas Iustiniani, licet editis Βασιλικῶν libris, retinuisse tamen in foris auctoritatem, vt adeo, neque Attaliata, neque Iudices alii, iis carere potuerint. Habes testes locupletissimos, Nouellas non a priuatis modo, sed Iustiniani auspiciis collectas esse. Atque id perbene potuit fieri, cum Collectio nullam contineat constitutionem, quae annum 559. excederet. Imo secundum illum ordinem, quem hodie seruant adhuc, olim iam dispositas eas fuisse, elegantissimus locus docet *Synopſ.* Βασιλικ. *Lib. XXIII. tit.* 3. *c.* 73. *pag.* 251. Legimus enim ibidem: ὑπεξήρηται δὲ τὸ κείμενον ἐν τῇ ρξ νεαρᾷ περὶ τῶν τόκων τῶν πολιτικῶν χρεμάτων, *verum excipitur id, quod positum est in CLX. nouella, de usuris pecuniae municipalis.* Euolue authenticarum collectionem, et invenies loco citato, *exemplum sacrae pragmaticae formae de vsuris.* Adde Scholion *ad Synopſ.* Βασιλ. *Lib. VII. tit.* 1. *p.* 57. Quod vero Nouellae non chronologico vbique ordine seruato collectae fuerint, id tribuendum est oscitantiae Adiutorum scrinii sacri. Quam facile enim fieri possit, vt inter colligendum confundantur chartae, quilibet, me ne monente quidem, perspicit. Alium proinde ordinem sibi proposuit Latinus interpres Iulianus, Nouellas inter se coniungens, quae de causis fere similibus exponunt, nulla quoque ratione chronologiae habita; quod magno iterum indicio est, homines illius aeui de ea parum fuisse sollicitos. R.

(138) Agathias *l. c.* id quod Heineccius vult, non probat, sed tantum scribit, in *quadam* Iustiniani *constitutione nouella*, Zanorum mentionem factam esse. Malalae fides magni momenti non est, in primis cum Nouellas prius, quam Codicem, collectas esse referat. Addo Matthaeum Blastarem *in Praefatione Syntagmatis Alphabet.* qui de Nouellis haec habet: Ἀμέψαι δὲ θελήσας ὁ βασιλεὺς Ἰουστινιανὸς καὶ τινὰς τῶν παλαιῶν ἀλαπόξεων, νεαρὰς ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν ἐφιλοπόνησε ἀλαβάξεις, καὶ ἰδίαν ταύτας χάραν ἀπένειμε. ἤμειψε δὲ τὸ περὶ τῶν Γαμῶν, καὶ τὸ περὶ Φαλκιδίου, καὶ τῶν τοιούτων· καὶ δὲ καὶ τὸ περὶ νόθων, ὅπερ ὁ μέγας πρῶτον ἐδίξατο Κωνσταντῖνος, συνεπαθέστερον περὶ τοὺς τοιούτους ἀλαπιθείς. πάντας δὲ πὰς νεαρὰς ἀλὰ πιο Τριβουνιανοῦ, δεξιᾷ μᾶλλον τῷ φύσει, καὶ εἰς ἄκρον πᾶσαν παιδείαν ἐξησκημένος,

Source : BIU Cujas

φιλοχρηματίᾳ δὲ δαιμονίως ἁλισκομένῳ. Διὸ καὶ ἐπὶ τὰ ταύτας συγγράφειν, πολλοὶ τῶν ἐχόντων δίκας χρήμασιν αὐτὸν ὑποφθείροντες, παρέπεισεν τὰ μὲν πρὸς τὸ συμφέρον αὐτοῖς μεταρρυθμίσαι, τὰ δὲ πρὸς ἀσάφειαν καὶ διχονοίαν χειμάζειν. *Imperator autem Iustinianus veterum nonnullas constitutiones immutare volens, nouellas septuaginta et centum constitutiones studiose effecit, et proprium iis locum attribuit. Commutauit enim leges de matrimoniis, de Falcidia, et istiusmodi, vt et de nothis, quam magnus Constantinus primus admisit, maiore commiseratione in tales affectus. Has autem Novellas emisit per quendam Tribunianum, natura quidem aliter idoneum, et in omni disciplina summe exercitatum, auaritia autem diabolice corruptum. Quapropter et dum iis conscribendis incumbebat, multi eorum, qui causas iudicandas habebant, eum pecunia corrumpentes, haec quidem ipsorum commodo adaptare, ea vero ita tumultuario opere congerere, vt obscura essent et duplicis sententiae, persuadebant.* En! hic numerum nouellarum, earumque collectionem, a Iustiniano factam. Sed, quod dolendum, nullam, ea omnia, quae monachus ille protulit, fidem mereri videntur. Quis enim Graeculum non rideat, qui magna confidentia ibidem scripsit, Hadrianum Imp. leges sapientum, ab Augusti tempore latas, collegisse, vnumque opus, quinquaginta libris constans, siue πανδέκτας fecisse: quaecunque autem Imperatores priuatim decreuerint, in duodecim scripsisse libris, quos Codices appellauerit: deinde vero Iustinianum et Digesta et Codicem, retentis tantum iis, quae tempori suo essent commoda, contraxisse, atque in linguam transtulisse Graecam? Vides igitur, et Graeciam habuisse suos glossatores, quo l tanto magis miran dum est, quanto maiora in ea orbis parte suppetebant subsidia, quibus vti poterant, qui animum ad scribendum appellebant. R.

(20) Cum lingua Graeca familiaris omnino fuerit Iustiniano, quam et vulgarem vocat *Novella* 28. *c.* 2. cum, qui Iustiniano paruerunt populi, magna ex parte Graeci fuerint, quibus Leges per Magistratus suos publice proponendas misit, cum ipsi denique Magistratus, Praefecti Praetorio, Episcopi aliique, quibus Leges missae, Graeci magis quam Latini sermonis gnari plerique fuerint, dubitandum non est, ipsum Graeco sermone Nouellas promulgasse, adeo vt optime Hombergk zu Vach in *Praefatione ad Novell.* rationes ita subducat: *Nobis enim sedet, omnes Nouellas Graeca lingua conscriptas esse, nisi exceptio possit euidenter demonstrari, quod in pauciſſimis fieri poterit.* Aliquas tamen Graece et Latine editas fuisse, ipse testatur Iustinianus in *Praef. Nov.* 17. *et Nov.* 66. *c.* 1. §. 2. Omnes tamen Nouellas, quae Latina solum lingua in vulgatis editionibus hodie exhibentur, ab Imperatore latine etiam editas esse, non admittit Hombergk zu Vach, cum Graecae dictionis vestigia etiam in illis appareant. Non repugnat tamen, si quis Nouellas aliquas iis terrarum partibus destinatas, quae Graeci sermonis vsum rariorem habuissent, vti v. g. *Nouellas* 36. et 37. quae in Africam missae fuerunt, Latine ab Imperatore editas existimauerit, qua in re consentientem omnino habet Hoffmannum *Hist. Iur. L. II. c.* 2. §. 10. *n. d.* Imo Graecum, quo hodie gaudemus, textum esse ipsum Iustiniani authenticum contra Strauchium in *Irner. non errante c.* 3. grauiter dubitantem fortiter defendit Hombergk *l. c.* his praecipue rationibus motus, quod Nouellae Graecae stylum Iustiniani, phrases innumeras, totam orationem, ipsumque etiam animum eius prae se ferant. S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCLXXXXVII.

(139) Gregorii M. citatio.
(21) Novem Collationes.
(22) Verſionem latinam etc.

(139) Prouocat Gregorius *l. c.* bis ad *Nouellam* 123. eiusque *caput* 8. 21. *et* 22. At neque indicat, quota ſit haec nouella numero, neque capitum mentionem facit. Imo, quod mireris, eandem hanc Iuſtiniani conſtitutionem diuerſis plane verbis excitat. Scribit enim initio epiſtolae: *Sicut nouella quadam conſtitutio manifeſtat, quae loquitur de ſanctiſſimis ac Deo amabilibus ac reuerendiſſimis epiſcopis*; et deinde poſt varias adductas e Codice leges, pergit: *Sicut nouella quaedam traditio, quae de epiſcopis loquitur, continet.* Inde coniicio, Gregorium haec nouellae capita, non ex ipſa earum collectione exſcripſiſſe, ſed exemplo vſum eſſe, quod ſeruabat archiuum eccleſiae Romanae. Solebant enim Imperatores Conſtantinopolitani conſtitutiones ſuas, recens editas, Pontificibus Romam tranſmittere, teſtante Gregorio ipſo *Lib. IV. ep.* 100. *Edit. Lugdun.* Sunt autem tria haec capita iisdem verbis Latinis prolata, quae hodie ipſe textus, in foris receptus, ſeruat, pauciſſimis modo variantibus lectionibus, et iis quidem nullius momenti, apparentibus, atque inſcriptione paululum mutata. Cum enim *Nouella* 123. data dicatur *ad Petrum Magiſtrum Sacrorum officiorum*, Gregorius Pontifex eam, *Petro Praefecto Praetorio*, inſcriptam eſſe, ſignificat. Ex hac tamen Gregorii epiſtola probare minime poſſumus, eam authenticarum verſionem, qua iam vtimur, tunc temporis quoque exſtitiſſe; imo contrarium potius afferendum eſt. Obſeruamus nimirum, ſummum hunc Romanae eccleſiae Epiſcopum, cum ibidem etiam *Nouellam* 90. *de teſtibus*, eiusque *caput vltimum*, in medium afferret, longiſſime receſſiſſe a verſione vulgata, verbisque ſequentibus vſum eſſe: *Verum hoc lege noſcendum eſt: Conſtitutione nouella, quae de teſtibus loquitur. Hoc quoque ſaepius agnouimus, quoniam quidam aut apud locorum defenſores, aut apud clariſſimos prouinciarum iudices, aut etiam, vt aſſolet, hic apud virum clariſſimum magiſtrum cenſus ingrediuntur, et queruntur, tanquam ab alio paſſi aliquid contra leges, aut aliter laeſi, aut damnificati, teſtes volentes producere. At ne poſtea obiiciatur eis, quia per vnam partem geſta confecta ſunt: oportet illum in ipſa ciuitate conſtitutum, vbi teſtimonia dantur, admonitum a iudice ſiue a defenſore aduenire, et audire atteſtationes. Si enim recuſauerit et venire noluerit, ſed contempſerit, vt ex hoc ab vna parte teſtimonia aduerſus eum inutilia ſint*, etc. Iam ſi hac conferantur cum verſione noſtra, ſtatim patebit, Gregorio longe aliam interpretationem ad manus fuiſſe. Quod vt facilius in oculos incurrat, apponere ipſa *capitis* 9. nouellae ſupra memoratae verba volui. Ita autem ibi legimus: *Et hoc vero quia multoties actum ſcimus, quod quidam aut apud locorum defenſores, aut apud clariſſimos prouinciarum Praeſides, aut forte, vt aſſolet, hic apud virum clariſſimum Magiſtrum cenſus ingrediuntur, et queruntur, tanquam ab aliquo ſuſtinentes aliquid contra leges, aut aliter laeſi, aut damnificati, teſtes volentes producere, vt non impoſterum opponantur eis, quae ab vna parte geſta ſunt: oportet etiam illum in ea ciuitate conſtitutum, in qua teſtationes dantur, admonitum a iudice, ſive a defenſore, praeſentem eſſe, et audire atteſtationes. Si vero noluerit aduenire, ſed reſpuerit, vt ex hoc ab vna parte teſtimonia dentur, vt ſecundum hoc ipſum inutilia eſſent.* Ex iis igitur, quae annotauimus, ſatis apparet, authenticarum verſionem male a nonnullis Iuſtiniano tribui. Etenim ab hoc ſi adornata fuiſſet, Ro-

Source : BIU Cujas

manus clerus inter primos eum verſaſſet manibus. Deinde hoc liquet, diuiſionem in *collationes* et *capita* eſſe aetatis recentioris; id quod et Gloſſatores fatentur. Intelligimus porro, tempore Gregorii Papae, verſionem vulgatam vſu receptam nondum fuiſſe. Obſeruo denique, Nouellas a variis Latina verſione donatas, vnamque aliquando plures nactam eſſe interpretes, vti Gregorii locus oſtendit. Probabile quoque eſt, Iurisperitos Romanos, reſtituta per Iuſtinianum Schola, (quod diſcimus ex Conſtit. *pro petitione Vigilii c.* 22.) in interpretandis Nouellis deſudaſſe. Et videtur hanc opinionem confirmare *cap.* 11. laudatae Conſtit. *pro petit. Vigilii.* Hinc et forte illud eſt, quod earum nonnullae magnam accurationem prae ſe ferant. R.

(21) Cum non omnes Nouellae, his nouem Collationibus comprehenſae, ſint ipſius Iuſtiniani, vti docent Brunq. *Hiſt. Iur. P. II. c.* 11. §. 7. et Hoffmann. *Hiſt. Iur. L. II. c.* 2. §. 16. cum etiam maxime veroſimile ſit, non omnes Iuſtiniani Novellas his collationibus includi, ſponte ſua ſequitur, ipſam diuiſionem in Nouem Collationes Iuſtiniano non deberi. S.

(22) Rationes, quibus Ludewigius in *Iuſtin. c.* 8. §. 42. ipſi Iuſtiniano verſionem vulgarem aſſerere conatur, perſuadebunt quidem facile, non leues fuiſſe Iuſtiniano rationes, vt Nouellas ſuas in Latinum ſermonem verti curaret; non tamen euincunt, id reuera ab ipſo praeſtitum fuiſſe, multo minus, hanc ipſam verſionem vulgarem Iuſtiniano deberi oſtendunt, quam non authenticam Iuſtiniani, ſed aliunde ortam eſſe, argumentis non contemnendis euicit Hombergk zu Vach *Praefat. ad Nov.* S.

Ad §. CCCLXXXXVIII.

(23) Meras antinomias &c.

(23) Qui meras Antinomias et Contradictiones ſomniant, illi ſane iniquius cum Iure Iuſtinianeo agunt. Qui vero in omnibus, quae vere ſecum pugnant, conciliandis ingenium miſere torquent, illi quidem operoſe nihil agere videntur. Qui potuit, quaeſo, fieri, vt Pandectae, in quas Proculeianorum et Sabinianorum diſcordes ſententiae relatae fuerunt, ab omnibus diſſidii veſtigiis, calamo adeo feſtinante, purgarentur. In iis itaque veras ſupereſſe Antinomias, Viri cordati ingenue fatentur, quarum longum ſatis indicem exhibet Struuius *Hiſt. Iur. Cap.* 3. §. 5. *n.* 6. Vnicum exemplum allegaſſe ſufficiat. Conſtans eſſe dicitur Iuris Regula: *impoſſibilem conditionem in teſtamento haberi pro non ſcripta.* v. Paul. *Recept. Sent. Libr. III. Tit.* 4. §. 1. Inſtit. *de Hered. inſtit.* §. 10. *L.* 14. *D. de Condit. Inſtit.* At eam euertit ſane *L.* 4. §. 1. *D. de Statu liberis*, qua Paulus parum ſibi certe conſtans: *non eſt ſtatu liber*, ait, *cui libertas in tam longum tempus collata eſt, vt eo tempore is, qui manumiſſus eſt, viuere non poſſit; aut ſi tam difficilem, imo pene* IMPOSSIBILEM *conditionem adiecerit, vt aliunde ea libertas obtingere non poſſit, veluti ſi heredi millies dediſſet, aut cum moreretur, liberum eſſe iuſſiſſet; ſic enim libertas inutiliter datur; et ita Iulianus ſcribit, quia nec animus dandae libertatis eſt.* Ludis, ſi verba *difficilem imo* PENE *impoſſibilem* obiicis. Quis enim non videt, conditionem millies dandi ſeruo, nihil proprii habenti, eſſe *omnino impoſſibilem?* Nec aliquid ſingulare in cauſſa libertatis hic conſtitutum dicere poteris, cum maximus libertatis fauor nihil regula communi durius in ipſam ſtatui patiatur. At inſtas tamen, et regeris, ſpeciem, quam *L.* 4. ſiſtit, ab vſu fori noſtri, quod ſeruos eiuſmodi et ſtatu liberos ignorat, plane alienam eſſe, adeoque Legis huius vi inter nos ceſſante, regulae communi ſuum inter nos vigorem reſtitui. Viciſſe te iam credis, ego

Source : BIU Cujas

ego tamen te nondum missum facio, quin habeo reum confitentem; concedis enim, Antinomiam in Iure Romano inueniri, de quo solo inter nos litigatur; et ita ab vlteriori disputatione abstinere possem. Verum, vt omne tibi dubium eximam, consideres paulisper velim, quod, licet ipsa species, vel, vti loquuntur, casus Legis a nostris foris exulet, ipsa tamen propositio generalis Legisque decisio: *inutiliter datur, quod sub conditione impossibili in testamento datur*, nihil habeat, quod Romano magis, quam nostro foro applicari possit; quodque semper et vbique huic decisioni Legis cum Regula communi: *conditio impossibilis in testamento habetur pro non scripta*, irreconciliabilis pugna sit. Denique Ratio decidendi, qua Iulianus et cum eo Paulus vtitur, *quia nec animus dandae libertatis est*, nobis non minus, quam Romanis, horum ICtorum hanc sententiam sistit: *vti, qui in conuentione aliquid sub conditione impossibili promittit, nihil agit, cum ne animus quidem promittendi serius ipsi sit, ita, qui heredem instituit, legat, aut aliud quid in testamento iubet sub conditione impossibili, ille nihil agit, quia nec animus instituendi, legandi, iubendi serius ipsi est.* Quae sententia quam grauiter Regulae communi obloquatur, nemo non videt. S.

Ad §. CCCLXXXXVIIII.

(24) *Ad Heineccii notam.*

(24) Operae pretium erit, paucis definire, quae pars Iustinianei Iuris praeferenda sit alteri, si cum illa pugnet. Regula est, quam ratio suggerit, et Ius Ciuile agnoscit: *Lex posterior derogat priori.* En Modestini effatum in *L. vlt. D. de Constit. Principum*: *Constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quae i fas praecesserunt.* Legis autem aetas non ex tempore, quo scripta, sed quo promulgata, quippe quod demum voluntatem Principis ciues ad regulam adstringentis declarat, aestimanda erit. Ergo Nouellae, quippe quae post Codicem, Pandectas et Institutiones prodierunt, si cum iis pugnant, his omnibus praeferendae sunt. Cum vero Nouellarum aliae post alias sint promulgatae, si quae inter illas pugna est, non ea, quae numero, sed quae tempore promulgationis alteram sequitur, huic derogabit. Codex repetitae praelectionis post Pandectas et Institutiones promulgatus est. Ergo non tantum quinque illae Leges, nempe *L. 2. C. de Off. Praef. Praet. Afr. L. 2. C. de Iurei. propter calumn. L. vlt. C. de Testam. L. vn. C. de Caducis toll.* et *L. vlt. C. de Legit. Hered.* quae Iustiniano IIII. et Paulino Coss. adeoque post Pandectas editae, non tantum L. Decisiones, sed omnes Codicis Leges Pandectis et Institutionibus, si cum his pugna sit, potiores erunt. Institutiones cum Pandectis eadem die vim Legis obtinuerunt. Ergo nulla iis aetatis praerogatiua. Cum vero Institutiones e Pandectis, tanquam e fonte manauerint, si ab his differant, ex fonte suo, a quo per oscitantiam autorum suorum aberrare potuerunt, aestimari debent. Quia tamen post Pandectas compositae sunt, et in eo interuallo temporis Imperator sententiam mutare potuit, Institutiones merito praeferendae erunt Pandectis, quotiescunque probari perspicue poterit, Imperatorem de industria a Pandectis recessisse, aut ad recentiores Constitutiones prouocasse. S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCCI.

(25) Mylii citatio.
(26)
(27) } *Ad Heineccii Notam.*

(25) Eiusdem, quam Heineccius, Gundlingius et Mylius tuentur, sententiae Patroni a Mylio *ibid. c.* 2. laudantur Iosephus Maria Suaresius *in Not. Basilic.* Antonius Augustinus *de Nominibus propriis & Παρδέκτε Florentini c.* 1. *in f. not. d. Thes. Iur. Ciu. T. I.* Brissonius *de Verb. Signif. voce Antecessor*, Stephanus Riccius *in Vindic. Iur. c.* 3. *v. Thes. Iur. Ciu. T. II.* Guido Pancirollus *de claris LL. Interpr. L. I. c.* 80. Euerhardus Otto *Comment. Inst. ad Prooem.* et *Dissert. de Nupt. Consobr. c.* 3. Brunquell. *Hist. Iur. P.* III. *c.* 2. quibus iungi merentur Iustus Henning. Boehmerus *Dissert. Praelim. de Paraphr. Theoph.* §. 9. et Ioh. Petrus de Ludewig. *in Iustin. c.* 1. §. 7. *c.* 2. §. 3. *et seqq.* Quod Iustinianum *nostrum* dixerit Theophilus, parum probat, cum ne hodie quidem ICti eum hoc elogio ornare erubescant. Reliqua vero argumenta ab Autore allegata rem satis manifestam reddunt. Quis enim a Iustiniano vel aliquot annorum interuallo remotus, si quam eius Constitutionem alleget, eam ab ipso nuper editam diceret? aut quis, quaeso, Iustiniano recentior, Theodoram religiosissimam suam Dominam appellaret? Thalelaei testimonium Theophilum allegantis magnae vtique autoritatis esset, si modo inueniri posset, quod tamen negat Euer. Otto *l. c.* diligens alias rerum scrutator; aut si satis certum esset, Thalelaeum hunc, qui Theophilum citat, eundem esse cum eo, qui inter Pandectarum Auctores laudatur Constit. *Tanta.* §. 9. *L.* 3. §. 9. *C. de V. I. E.* de qua re tamen grauissime dubitatur. v. Euer. Otto *l. c.* Hoffmann. *Hist. Iur. Lib.* III. *c.* 1. §. 5. *n. a.* Giannone *Hist. de Naples* L. VII. *chap.* 2. *p.* 573. et ipse Mylius *l. c. c.* 3. §. 7. Quod vero ipsi Stephano Theophilus Paraphrastes ὁ μακρείτης vocetur *in Schol. Basilic. T.* III. *p.* 176. *et* 180. id quidem ambiguum Thalelaei testimonium fortissime adiuuaret, si probatum esset, hunc ipsum Stephanum in scholiis Basilicorum laudatum eum esse, qui et ipse inter Pandectarum Architectos commemoratur *l. c.* quod sine haesitatione affirmat Suaresius *in Notit. Basilic.* et Matthaeus Blastares *in Hist. Iur.* asserere videtur, Stephanum suum *aetate Iustiniani Digesta in latitudine interpretatum esse*, dicens. v. Euer. Otto *l. c.* Id quod tamen vero minus simile videtur, cum Iustinianus Digesta non nisi κατὰ πόδα verti permiserit, atque ita ICtus ipsi σύγχεγρ eas εἰς πλάτ vertere vtique ausus non fuisset. S.

(26) Idem faciunt, quos ipsius autoritas in errorem traxisse videtur, magni omnino nominis viri Iacobus Gothofredus *Man. Iur. p.* 71. Hugo Grotius *Flor. Sparsa ad Prooem. Instit.* Gabriel Triuorius *in Obs. Apolog. c.* 32. *n.* 4. *et seqq.* quae in *Thes. Iur. Ciu. T. I.* exhibetur. S.

(27) Fateor, hoc dubium diu mihi haesisse animo, vt illud inde expellere vix potuerim. Sunt tamen, quae regeri possint. I. enim non contemnenda est explicatio τῶ κατὰ πόδα, quam Hombergk zu Vach suggerit *Praef. ad Nouell.* qui genus illud interpretandi, quod Graeci κατὰ πόδα vocant, non esse id, quod verba adeo sequitur, vt nulibi ab eorum serie deflectat, (a quo tamen dissentit Haloander *in Praef. ad Nouell.*) sed quod opponitur Commentariis, aliisque, vt Constitutio allegata loquitur, *interpretationibus et verbosis peruersionibus, quibus Leges in diuersas sententias distrahuntur*, vt ab antiquis Edicti Perpetui Commentatoribus factum esse ibidem notatur. II. Qui ipsa Constitutionis allegatae verba diligentius perpenderit, ille non difficulter per-

Source : BIU Cujas

perſpiciet, praeceptum, quod ibi de interpretationibus nonniſi κατὰ πόδας faciendis datur, tantum Pandectarum interpretationibus, et his quidem inſtar Commentarii faciendis, opponi, non elementaris Inſtitutionum libelli verſioni paulo tantum liberiori, cui nec tantum periculum ex paraphraſi, vti Pandectis, imminebat, nec tanta explicationis in gratiam tyronum, quorum non pauci in literis Latinis rudes erant, faciendae neceſſitas fuit. Sed ſunt alia adhuc dubia remouenda. I. Si idem eſt Theophilus Paraphraſtes, qui inter Autores Inſtitutionum ab Imperatore laudatur *in Prooem. Inſtit.* cur eius rei mentionem nullam fecit in Paraphraſi, quo loco id ſilere ſine pudoris ſubruſtici et pene puerilis nota non potuit. Reſpondet Mylius, contigiſſe Theophilo, quod multis contingere ſolet, vt, quae omnibus ſui temporis lectoribus nota eſſe ſciunt, ea negligant, ſeculorum, quae ventura ſunt, parum ſtudioſi. Idem Thalelaeus, idem Saluius Iulianus, Edicti Perpetui Auctor, feciſſe videntur. Obiiciunt II. quod Paraphraſtes Theophilum Iuſtinianeum elogiis ornet, *Illuſtrem* eum *Anteceſſorem*, *cuius ſolertiam et Legum ſcientiam ac in Principum iuſſis fidem perſpectam* habuerit Imperator, appellans, quibus nemo ſe ipſum, niſi pudoris vincula ruperit, ornare ſolet. Verum enimuero, quae ſibi cum aliis communia, omnibus nota, vera, et ab aliis data elogia erant, illa Paraphraſtes, alias etiam Autorem ſuum preſſe ſequi ſolitus, omittere non poterat. Et ſi laudi ſuae hic nihil detrahere voluit, genium ſeculi ſui, Triboniani, Iuſtiniani ipſius, ſine intempeſtiua modeſtiae affectatione, expreſſit. Imo, quod Ludewigius de Triboniano monet *in Iuſtin. c.* 8. §. 15. *n.* 104. illud et hic de Theophilo dici poteſt, quod elogia dignitati data ſine offenſa Principis omittere non liceat, ibi ſaltem, vbi quis de ſe, tanquam de alio, ſermonem facit. III. Errorum grauium et frequentium ingentem cumulum Paraphraſtae exprobrant, quos autor ipſe Inſtitutionum commiſſurus non fuiſſet. Huic vero dubio plura obſtant. Notum eſt, quod multa a libra-riis commiſſa ipſi Theophilo imputentur, quodque eius exemplaria miſere corrupta ad nos peruenerint, quod Fabrottus paſſim docet; quod defenſionis caput, licet reſpuat Mylius, alii tamen, vt Gundlingius *Gundlingian. P. II. Obſ.* 2. et Euer. Otto *de Nupt. Conſobr. c.* 4. §. 3. et *in Praef. ad Theſ. Iur. Ciu. T. II.* vtique agnoſcunt. Sed et multa Theophilo tanquam inſignia errorum exempla exprobrari, quae ab omni erroris macula libera, imo elogio digna ſint, aliquot exemplis oſtendit Mylius. Sint vero etiam aliqui Theophilo errores, aberret quandoque ab ipſis Inſtitutionibus. Illud commune habebit cum Triboniano, imo et Iuſtiniano, qui, licet in errores quandoque incidant, nihilominus Iuris Conditores ſunt. Hoc vero ſibi proprium habebit Theophilus. Verum cum Inſtitutiones aliorum ope et conſenſu, dicam etiam alterius ex nutu ſcripſerit, Paraphraſin vero ex ſui ſententia animi elaborauerit, potuit facile in hac ab illis hinc inde recedere, vt genio indulgeret, non tamen ob hanc ſolam cauſſam Autoris gloria priuandus. Denique vrgent alii IIII. quod multa ex Baſilicis in ſuos vſus traxerit Paraphraſtes Theophilus, atque ita a Iuſtiniani aetate remotus ſit. Verum haec plagii exempla non producuntur. Si ex primo titulo Inſtitutionum depromta ſunt, ea Theophilo minus bene adſcribuntur, cum primus titulus a Viglio Zuichemo exaratus, inque eum aliqua ex Baſilicis tranſlata ſint. Si aliunde, tunc videndum, annon potius Baſilicorum autores ea Theophilo debeant, quam Theophilus illis. Taceo, quod eorum, qui ex hoc capite contra Theophili aetatem pugnant, omnium acerrimus ſit is, qui Graeca omnia deſpicit, imo Iuris Cultoribus diſſuadet. Parum ergo in hac cauſſa audiendus. S.

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCCII.

(140) Versio Graeca Pandectarum.
(141) Codex Graecus.
(28) Thalelaeus.

(140) Thalelaeum Pandectas Graece reddidisse, fere omnes, Suaresium *in Not. Βασιλ.* secuti, sibi persuadent. Sed Suaresius, sola tantummodo fretus auctoritate doctissimorum virorum, Balduini, Suallembergi, Haloandri, Cuiacii, Antonii Augustini, hanc opinionem orbi literato obtrusit. Fateor, magna cum confidentia scripsisse Suallembergum, Balduinum et Haloandrum, ab hoc Antecessore Digesta κατὰ πόδας in Graecam linguam translata esse. At Cuiacium male ad partes suas vocauit Suaresius. Is enim *Obseruat. XIII.* 33. Thalelaeum quidem laudat; de Pandectis autem ab eo Graecitate donatis ne verbum quidem habet. Cum igitur nemo veterum hanc versionem Thalelaei laudarit; recentiores vero omnes ex traditione quadam, et ea quidem incertissima, loquantur: rectissime hanc opinionem explosit Hoffmannus *in Hist. Iuris p.* 630. Bene tamen laudauit Matthaeus Blastares *Stephanum.* Hunc enim Digesta conuertisse, testantur Scholia Βασιλικῶν. Imo ex iisdem Scholiis apparet, eandem operam praestitisse Codici Thalelaeum. R.

(141) Matthaeus monachus, siue Blastares, cuius supra iam meminimus, scripsit *Syntagma alphabeticum*, quod cum versione Latina primus edidit Beueregius *in Pandect. Canon. Tom. II. part. 2. init. Oxon.* 1672. *in f.* Hic Graeculus, *in fine praefationis*, quam operi praefixit, postquam narrasset, Iustinianum Pandectas atque Codicem redegisse in Epitomen, ita pergit: *Visum est nonnullis multa magni momenti in elaborando compendio praetermitti: quocirca constituta rursus et perfecta sunt παρέπιλα, quae in singulis titulis, rerum vtilium quae omissae sunt, supplementa continent.* Ἐξηγητὴς δὲ καὶ ὑπουργοῖς οὐκ ὀλίγοις ὁ βασιλεὺς (Ἰουστινιανὸς) εἰς πᾶν ἐχρήσατο. Στέφανος δέ τις εἰς πλάτος τὰ Δίγεστα ἐξηγήσατο. Θαλέλαιος Κέησαρ τὸς κώδικας εἰς πλάτος ἐκδέδωκε. Θεόδωρος Ἑρμουπολίτης συντετμημένως. ἔτι δὲ συντομώτερον Ἀνατόλιος· ὁ δὲ Ἰσίδωρος στενώτερον μὲν ἢ Θαλέλαιος, πλατύτερον δὲ τῶν λοιπῶν δύο. *Non paucis autem interpretibus et subministris ad haec vsus est Imperator* (Iustinianus). *Quidam autem Stephanus Digesta in latitudinem interpretatus est; Thalelaeus Censor Codices in latitudine edidit: Theodorus Hermupolita contracte; contractius autem et Anatolius; Isidorus vero arctius quidem quam Thalelaeus, latius autem quam reliqui duo.* Puto, Codicem Graecum Heidelbergensem Bibliothecam olim seruasse, quae Frehero patuit. Ita enim ille in epistola dedicatoria ad Rudolphum II. Imp. praefixa Iuri Graeco-Rom. scribit: *Codicem Graece conuersum quidam testantur, quem et ipsi vidimus, eiusque interpretem* Κοδικευτὴν *dictum legimus.* Suallembergus vero *in praefat. ad Harmenopul.* refert, Codicem Graecum in Creta insula ab aliquo visum esse. Matthaeus Blastares auctorem versionis facit Thalelaeum. Et supra iam monuimus, Scholia Βασιλικῶν, Interpretationis ab eo factae ostendere fragmenta. Idem Blastares, Theodorum Hermupolitam, qui contracte verterit Codicem, laudat, cuius *Synopsis et Ecloga Codicis Iustinianei in LXXXII. capita diuisa*, videri potest in Bibliotheca Vindobonensi, teste Lambecio *Lib. VI. Commentar. p.* 15. R.

(28) Duos Thalelaeos fuisse, alterum quidem inter Pandectarum autores laudatum; alterum vero Basilicarum Constitutionum Interpretem suspicatur Mylius *in Histor. Theophil. c.* 3. §. 7. ex ea ratione, quod

Source : BIU Cujas

quod Inscriptiones, quibus Scholia Basilicorum ornantur, nomen Thalelaei saepius ferant, quarum ingenuitati quid opponat, ipse nihil habet. Aliam tamen mox coniecturam sane elegantem suggerit Mylius *ibid.* forsan nomina, quae illis interpretum scholiis praefixa sint, Thalelaei Stephanique, non indicare, esse hos illorum scholiorum auctores, sed tantum monere, ex horum operibus sumta esse, quae in scholiis illis extent. S.

Ad §. CCCCIII.

(142) Iuliani Nouellarum epitome.
(29) Iulianus anteceſſor, &c.

(142) Magnam haec Epitome in Occidente auctoritatem nacta est. Sane Hincmarus Remensis Iustiniani leges probandae sententiae caussa afferens, ad eam provocat. Ita in *opusculo LV. capitulorum adversus Hincmarum Laudunens. cap.* 13. *pag.* 440. *Tom. II. Oper. Sirmond.* excitat *cap.* 437. *Nouellae* 115. vbi legimus: *Sed et leges Romanae a Iustiniano Imp. promulgatae, quas probat ecclesia, decernunt de Episcoporum, sine Metropolitani sui auctoritate, profectione. Cuius partem constitutionis hic subiunxi, hoc modo: Non liceat Episcopis suas quidem ecclesias relinquere,* &c. Ibidem *cap.* 30. *p.* 509. scribit: *Proponam tibi legalem sententiam Iustiniani catholici Imp. quam probat et seruat ecclesia catholica, qua constitutione CXVIII. capitulo CCCCXXXXI. decreuit, vt nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur,* &c. Quo loco emendandus est Hincmarus, et rescribendum, *constitutione CXV.* Similis error occurrit *ibid. cap.* 51. *pag.* 587. vbi reponendum, *in constitutione CXV. capitulo CCCCLII. constitutionis Iustiniani,* &c. Male enim expressum est, *in constit. CXVII. cap. CCCLII.* Nolo plura loca adducere, ne longior sim. Anton. Contius *in praefat. ad Nouell.* obseruat, Iuliani epitomen diligenter a veteribus Iuris interpretibus, Pileo, Rogerio, Azone, Accursio, lectitatam esse, et Nicolaus Boherius *in praefatiuncula ad Iulian. Nouell.* plurima glossae et glossatorum adducit loca, in quibus vestigia huius interpretationis occurrunt. Pithoeus vero bene longum texuit eorum indicem, quae in iure Pontificio ex Iuliano referuntur. Quoniam vero hic Iuliani liber κατ' ἐξοχήν nomine *Nouellarum* olim venit, factum est postea, vt ab ICtis, vitandae confusionis caussa, prolixior illa translatio Nouellarum, qua hodie vtimur, diceretur *Authentica*, quasi vera et minime detruncata versio constitutionum ipsius Iustiniani. R.

(29) Iulianum Anteceſſorem fuisse scimus; Patricium et Exconsulem fuisse; nullo idoneo argumento docemur. Iulianus enim Consul, cui Prisciani libri inscribuntur, alius a nostro quod fuerit, ex diuerso temporum charactere iam ostendit Anton. August. *in Praef. ad Iuliani Nouell.* S.

Ad §. CCCCIIII.

(143) Basilius Macedo.
(30) Tituli quadraginta.
(31) Leo σοφός.
(32) *Ad Heineccii notam.*

(143) Basilius Macedo anno demum 867. Imperator factus est. Aliud igitur est tempus τῷ προχείρῳ adsignandum. Cum vero Credenus in vita eius *pag.* 446. *Ed. Venet.*

Source : BIU Cujas

Venet. tradat, ſtatim, poſtquam imperium eſſet adeptus, operam ipſum dediſſe, vt leges vigerent, putem, hoc Manuale Iuris, primis regiminis ſui annis, eſſe ab ipſo euulgatum. Nec ſatis conſtat hodie, quid Baſilius praeſtiterit, cum legum illa ecloga, diuerſis ſub titulis, modo *Leonis*, modo *Leonis* et *Conſtantini*, modo *Baſilii*, *Leonis* et *Conſtantini*, in Bibliothecis extet, vt teſtatur Freherus *in Chronolog. praefixa Iuri Graeco-Rom.* Idem laudatus vir *Tom. II. Iur. Gr.* ἐκλογὴν τῶν νόμων e ſchedis Sambuci in lucem protraxit, ſed mutilam, et 28. titulis tantum conſtantem. Et hoc quoque fragmentum praefert nomina *Leonis* et *Conſtantini*. Eadem ſeruant ἐκλογαὶ νόμων MSS. Bibliothecae Senatus Lipſienſis, quae XXXX. capitibus abſoluuntur. *Leonis Sapientis* libros διατάξεων βασιλικῶν referunt viri docti ad *an.* 886. non aliam ob cauſſam, quam quod is eo anno Patri Baſilio ſucceſſit. De ipſo opere haec habet Matth. Blaſtares *in praefat.* Τελευτῶν δὲ πάντων ὁ ἐν βασιλεῦσιν ἀοίδιμος Λέων ὁ σοφὸς, μίαν τε πάντα ποιησάμενος πραγματείαν διά τινος Σαββατίου Πρωτοσπαθαρίου, καὶ τὰ διέχοντα τῇ θέσει συνάψας εἰς ἕν, τά τε Δίγεστα καὶ τὸν Κώδικα, καὶ πολλὰ τῶν Ἰνστιτούτων, καὶ αὖπαις τὰς ἔξ Ἰουστινιανοῦ νεαρὰς, ἐν βιβλίοις μὲν ἑξήκοντα, πίναξι δὲ ὠργάνωσεν ἓξ, πᾶν ἐναντίον καὶ τὴν χρῆσιν ἔξ παριχόμενον ἐν τοῖς πράγμασιν ἀποκρίνας τε καὶ ὑπεξελὼν, διά τὸ εἰκὸς πολλὰ τῶν ἀρχαίων νομοθετημάτων παρὰ δόκιμα θήναι τοῖς ὕστερον. *Vltimus vero omnium inclutus ille inter Imperatores, Leo Sapiens, cum vnum ex omnibus per quendam Sabbatium Protoſpatarium opus feciſſet, et quae loco diſtabant, in vnum coniunxiſſet, Digeſta et Codices, et multa etiam ex Inſtitutis, et ipſas Iuſtiniani Nouellas, in libris quidem ſexaginta, ſex autem voluminibus apte diſponebat, omne quod contrarium erat, et nullius in negotiis vſus, reiiciens et ſubducens, idcirco, quod multa veterum inſtitutorum poſteris improbata fore, veri non ſit diſſimile.* R.

(30) Tria hic notanda, nempe I. titulos vti Heineccius bene monet, tantum fuiſſe quadraginta; v. Harmenop. *Promt. in Praef.* male ergo a Cuiacio *Obſ. L. VI. c. 9.* et Iac. Gothofredo *in Man. Iur. p. 77.* imo et a Frehero *in Chronologia Iuris ad annum Chr.* 867. Titulos computari ſexaginta. II. Eam Eclogam, quam Ius Graeco Romanum Leunclauio-Freherianum exhibet, *Tom. II. p. 79.* a Frehero *in Chronol. l. c.* Lambecio *Bibl. Vindob. L. VI.* Hoffmanno *Hiſt. Iur. L. III. c. 3. §. 11. n. b.* pro Ecloga Baſilii haberi, ab aliis vero diuerſam ab hac et quidem hac paulo iuniorem reputari. v. Waechtleri *Lit. in Act. Erud. a.* 1715. et Brunquell. *Hiſt. Iur. P. III. M. I. c. 4. §. 5.* horum vero ſententiam inde ſatis probabilem reddi, quod ipſa inſcriptio non Baſilium, ſed Leonem et Conſtantinum loquatur. Cui argumento cum Hoffmannus nil niſi ſolitam *Graecorum confuſionem* opponat, non videri ea ſola confuſionis ſuſpicione fidem inſcriptionis non dubiae infringi. III. Illud tamen bene moneri ab Hoffmanno *l. c.* quod in Inſcriptione huius Eclogae annotatio anni 6347. qui in annum Chriſti 839. incideret, corrupta ſit, cum eo ſane Leo nondum, imo ne Baſilius quidem regnauerit. S.

(31) De Leone eiusque in condendo Iure opera praeſtita iuſto acrius eſt atque iniquius Claudii Chifletii iudicium *Diſquiſ. de ſecundo Cap. Legis Aquiliae in Theſ. Iur. Ciu. Tom. V.* vbi ita loquitur: *Baſilicorum autor Leo, non contentus Iuſtiniani Iuris Ciuilis editione, rapſodiam aliam Legum Romanarum Orienti inuexit, a priori illa vſque adeo degenerem, vt tantum Iuſtinianus a Leone diſtet, quantum qui, Parrhaſii aut Apellis tabula reperta, pictura iam vetuſtate ſemeſa et fugiente, delere tamen antiquae et nobilis picturae reliquias mauult, et nouam ſuperinducere, ab eo, qui corrupta picturae loca eo, quo poteſt, modo reſarcire ac reparare, et integras diuini operis partes conſeruare potius, quam perdere, ſtudet: videtur enim Leonis hoc ſtudium fuiſſe, vt Romani Iuris gloriam maieſtatemque deleret prorſus et extingueret.*

Imago

Source : BIU Cujas

Imago, quam finxit Chifletius, nec Iustinianum satis, nec Leonem referre videtur, illum nimis, hunc minus, quam deberet, ornans. S.

(32) Cuiacio suffragatur etiam Iacobus Gothofredus *Man. Iuris p.* 75. Prouocat Cuiacius ad Graecum interpretem, et ad Pragmaticam Attaliotae. At vero Bynkershoekius eas Nouellas quidem in Occidente non valuisse contendit, cum in Latinum sermonem translatae non fuerint, in Oriente vero sub ipso Leone legali eas grauisas esse auctoritate probat 1. quia Leo ipse eas animo condendi Leges edidit, *v. Prooem. Nouell. Leonis.* 2. sequentes Imperatores ad eas prouocant. 3. Basilicorum Scholiastae eas, tanquam Leges, allegant. Ad loca a Cuiacio producta respondet, ea non de Leonis, sed insequentium Imperatorum temporibus, quibus iam Basilicorum Opus aliarum Legum luminibus offecerat, intelligenda, nec ad eas Nouellas spectare, quae aliquid noui, nunquam antea decisum, constituerent, aut vetus ius corrigerent. Quod ad hodiernum vero Nouellarum Leonis vsum attinet, eum non omnino negarem, sed ab allegante tamen probandum esse dicerem, ita vt ad eum prouocans non habeat, vti loquuntur, *intentionem fundatam.* Bergerus *Oecon. Iur. L. I. T. III. §. 6.* Nouellam 18. et *ibidem p.* 104. Nou. 93. Eybenius *de Territione Tortulari* Nouellam 51. allegant. Totam hanc causam egregie discutit Casp. Achatius Beck *de Nouellis Leonis earumque vsu et autoritate. Ienae* 1726. S.

Ad §. CCCCV.

(144) Synopsis Basilicôn.
(33) C. A. Fabrottus.

(144) *Synopsin* Βασιλικῶν, quam Io. Sambucus Tarenti inuenerat, sexaginta quoque libris constantem, edidit Ioan. Leunclauius *Basileae* 1575. *in f.* Pertinent huc quoque *Glossae* Βασιλικῶν, a Carolo Labbaeo 1606. *Paris. in* 8. et deinde cum Glossarii Philoxeni et aliorum, editae *Paris.* 1679. *f.* et in Thesauro Iuris, cum obseruationibus Schultingii, ob insignem, quam praestant, vtilitatem recusae. R.

(33) Qui Regio iussu, rem curante summo literarum patrono Seguierio, Parisios euocatus, annuoque ad hoc opus perficiendum salario bis mille librarum ornatus, id summo studio perfecit, v. Terrasson *Histoire de la Jurisprudence Romaine P. IIII. §. 9. p.* 480. S.

Ad §. CCCCVI.

(145) Ataliotae πόνημα.

(145) En! errorem, quem omnes, quos vidi, Historiae Iuris Scriptores commiserunt. Laudant boni viri *Attaliatae* πόνημα, quia ita vitio typographico apud Suaresium *in not.* Βασιλ. et Fabricium *Bibl. Gr.* est editum, vt facile iudicare possis, ipsos Freherum nunquam inspexisse. Et si recte quoque edidissent ποίημα, haec tamen vox sola posita commodum sensum vix admitteret. Titulus operis est: Μιχαὴλ Ἀτταλειάτου πόνημα νομικὸν, ἤτοι πραγματικὴ, *Michaëlis Attaliatae opus de iure siue Pragmatica.* Somnia sunt Heineccii, hanc Pragmaticam a Leunclauio sub titulo, συνόψεως ἀσαφεῖ συνόψεων, esse editam. Hoc scimus, Michaëlis librum lucem vidisse *an. Chr.* 1073. Ipse enim in Epigrammate ad Michaëlem Ducam Imp. cuius iussu hoc opus elaboratum est, scribit, id se edidisse, *anno tertio imperii Michaëlis.* R.

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCCVII.

(34) Theodorus Balſamon.
(35) Photii Nomocanon.
(36) Conſtantinus Harmenopulus.

(34) Huius Autoris ſunt etiam Paratitlorum Libri III. a Leunclauio, autorem ipſorum, vt videtur, ignorante editi, quorum verus titulus eſt: *Collectio Conſtitutionum Eccleſiaſticarum.* Haec *Collectio* cum notis Fabrotti extat in Iuſtelli *Biblioth. Iur. Can. Vet. T. II. p.* 1217. S.

(35) Aetatem Nomocanonis Photiani contra ſententiam Cuiacii *Obſ. L. VI, 9.* eam Baſilicis aequalem ſtatuentis, melius definit Hoffmannus *Hiſt. Iur. L. III. c.* 3. §. 3. *n. b.* argumentis non contemnendis demonſtrans, eum Baſilicis eſſe antiquiorem, 1. quia annus, quo Photius opus ſe abſoluiſſe dicit in *calce praef.* indicatur 6391. incidens in annum Chriſti 883. cum Leo demum tribus poſtea annis ſolus imperare coeperit. 2. Photius Leges *non ſecundum Baſilica, ſed ſecundum Pandectas et Codicem annotat, vt Theodorus Balſamon demum has citationes Baſilicorum ordini adaptauerit, &c.* S.

(36) Aetatem huius Scriptoris ex teſtimonio Philothei Patriarchae Conſtantinopolitani anno Chr. 1345. affigit Lambecius *Biblioth. Vindob. Lib. VI.* cui ſuffragatur Nicolaus Comnenus *in Praenotionibus Myſtagogicis.* v. Fabric. *Bibl. Gr. L. V. c.* 42. Natus fuit an. 1320. librum edidit 1345. mortuus 1383. a Graeci Iuris Scriptoribus *ſapientiſſimus et peritiſſimus Legum, ICtus κατ' ἐξοχήν*, imo *Theſaurus Nomicus* dictus, v. Fabric. *l. c.* Opus, vt ipſe *in Praefatione* dicit, ſupplendae Eclogae Baſilii cauſſa conſcripſit, quae Ecloga cum ad nos mutila plane et manca peruenerit, dubium ſaepe relinquit, quid Harmenopulus ex illa, quidue ex proprio fonte petierit. v. Hoffmanni *Hiſt. Iur. L. III. c. 6. §. 5. not. a. b. c.*

Multa adhuc Graecorum opera laudari poſſent, quorum indicem bene longum ex Nicolao Comneno exhibent Fabricius et Hoffmannus *Hiſt. Iur. l. c. §. 8. in notis.* Aliqua ipſorum nobis ſeruarunt Leunclavius et Freherus *in Iure Graeco-Romano*, aliqua etiam Chriſtophorus et Henricus Iuſtelli, pater et filius, et Guil. Voellius *in Bibliotheca Iuris Canonici Veteris.* Praecipua tantum allegare Heineccius operae pretium eſſe exiſtimauit. Haec Graecorum opera multos iuris textus integros atque ſinceros ſiſtunt, qui in Iuſtinianeo Corpore truncati ſaepius aut interpolati exhibentur. Multum itaque lucis Iuſtinianeo Iuri affundunt. Cuiacius ſane, omnium conſenſu ſummis, qui vnquam fuerunt, ICtis merito accenſendus, magnam Iuridicae eruditionis partem ex his ipſis Graecis hauſiſſe omnium ore dicitur, et ipſis rerum argumentis probatur. Exemplum plane illuſtre! quod omnes, qui ſincero genuinae Iuriſprudentiae ſtudio tenentur, excitare poteſt, vt et ſibi dictum putent illud Horatii:

Vos exemplaria Graeca
Nocturna verſate manu, verſate diurna! S.

Ad §. CCCCVIIII.

(37) Non Iuſtinianei, ſed Theodoſiani &c.

(37) Ius Iuſtinianeum per Occidentem, proximis a Iuſtiniano ſeculis, exiguos et multo minores, quam vulgo creditur, progreſſus fecit, ita vt non ſine ratione *hyperbolen craſſiſſimam in Epigrammate Graeco Florentinis* Pandectis *praefixo* notet

Source : BIU Cujas

notet Seldenus *Diss. Hist. ad Fletam c. 5.* quod *homines Asiae, Africae, Europae, quasi genus vniuersum humanum, gentes vniuersas, Iustiniano suisque digestis paruisse* dicit Gentes, quas barbaras vocare vsu vulgari solemus, cum ante Iustinianum plerasque Imperii Romani prouincias iamiam inuasissent, aliae quidem forsan sine Legibus scriptis viuere maluerunt; nec enim de Legibus Vandalorum, Suevorum, Herulorum aliquid memoriae proditum reliquit antiquitas. v. Conring. *de Orig. Iur. Germ. c. 2.* aliae vero scriptas demum Leges agnouerunt, easque partim ex suo, partim ex Romano fonte petitas, ita vt apud alias plus, apud alias vero minus Legibus Romanis tributum fuerit. Romanas Leges, quas hae gentes agnouerant, non alias fuisse, quam vel Codicum Hermogeniani, et Gregoriani, vel maxime Theodosiani Constitutiones ipsa rerum et temporum ratio euincit. Quantaque Theodosiani Iuris apud Ostrogothos Italiae dominos fuerit veneratio, quantum etiam ex eo ad Visigothos aliasque gentes Imperii Occidentalis transierit, infra distinctius explicabitur. Cum Iustinianus tandem Legum suarum Corpus ederet, vulgaris opinio est, eas per magnam Occidentalis Imperii partem receptas statim fuisse, cum et Iustiniani ea mens fuerit, vt has Leges, vbicunque terrarum posset, obseruari praeciperet, et res praeclare per Belisarium et Narsetem aliosque strenuos belli duces, in Occidentalibus regionibus, praecipue in Italia contra Gothos, gestae videantur desiderium hoc Iustiniani egregie adiuuisse, ipsique facilem ad hanc metam pertingendi viam aperuisse. Hinc *pragmatica Sanctione* anno XIII. post Cons. Basilii, 28vus est Iustinianei imperii, promulgata, Capite eius XI. non tantum testatur, se *iura vel leges Codicibus* suis *insertas*, per quas non obscure Institutiones, Pandectas, et Codicem innuere videtur, IAM *sub Edictali programmate* DVDVM *mississe*, et nunc etiam, vt *obtineant*, *sancire*; *sed et eas quas* POSTEA *promulgauerit Constitutiones*, id est, Nouellas, *iubet sub Edictali propositione vulgari ex eo tempore, quo sub Edictali programmate euulgatae fuerint*, etiam *per partes Italiae obtinente*, vt hinc Nouellae non ex eo demum tempore, quo pragmatica haec Sanctio promulgabatur, sed ex ea iam die, ex qua suam quaeuis Nouella originem duxisset, vires etiam quaeque suas in Italia habuisse, ex Iustiniani saltem desiderio, censeri debeat; *vt*, ita pergit Iustinianus, *vna, Deo volente, facta Republica, Legum etiam nostrarum prolatetur auctoritas.* Misit ergo Leges suas in Italiam Iustinianus eo animo, vt obseruarentur a populis Italiae, licet hac de re dubitet Freherus *in Epistola ad Rudolphum II. Iuri Graeco-Rom. praefixa*, et Arth. Duck *de Vsu et Auctor. Iur. Ciu. L. 1. c. 5. n. 1.* idque plane neget Franc. Broeus *in Hist. Iur. Chron. Institutionibus praefixa.* At vero spem auguriis non adeo leuibus conceptam mire fefellit rerum euentus. Quo tempore Institutiones, Pandectae et Codex prodierunt, Italia ipsa (ne de aliis regionibus Occidentalis quondam Imperii loquar) Ostrogothorum ditioni subiecta, Legibus Iustinianeis introducendis patere non potuit. Horum vero Regibus Theodato et Vitige a Belisario victis, Ildibaldo et Erarico popularium factione interemtis, Iustinianei per Italiam Imperii restituta fuit veneratio. Et hoc quidem temporis interuallo Institutiones, Pandectas et Codicem Edicto, vti in hac pragmatica Sanctione innuit, per Italiam promulgasse videtur Iustinianus. Sed mox feliciora sub Totila fortissimo Rege Gothorum tempora, quibus Romanos e prouinciis occupatis ipse iterum expulit, non passae sunt, vt radices agerent in Italia Leges Iustiniani. Tandem vero etiam Totila et Teia, vltimis Ostrogothorum in Italia Regibus, Narsetis virtute plane extinctis, Iustinianus hanc, de qua loquimur, pragmaticam sanctionem edidit, et ea totum Iuris a se collecti Corpus in Italia promulgauit. Et nunc quidem Leges Iustinianeae plenum in Italia saltem obtinuissent vigorem,

mox

Source : BIU Cujas

mox in alias etiam prouincias propagandum, si modo, quam introducendis adhibuit, eam iis et contra constantem Theodosiani Codicis auctoritatem firmandis, ac ipso fori vsu et tritura quotidiana muniendis curam impendere potuisset Iustinianus. At vero mox post subactam Italiam nouis versus Orientem turbis immersus, et frequentibus Hunnorum inuasionibus lacessitus, senio tandem confectus, corporisque et animi viribus omnino destitutus non potuit satis vigoris addere nouis Legibus, quibus inueterata antiquiorum veneratio obstabat. Qui Iustiniano in imperio successit Iustinus Iunior, rebus, quas Iustinianus coeperat, perficiendis omnino impar, prouincias, quas Iustinianus sub vltima fere vitae tempora Gothis eripuerat, nequidem ab inuasionibus Longobardorum, qui Narsetis consiliis Italiam mox occuparunt, vindicare potuit; tantum abest, vt Iuris Iustinianei per Occidentem vsum publicum tueri valide potuerit, adeo, vt extra Romam et Exarchatum Rauennatensem Iustinianei Iuris in iudiciis et actibus publicis vsum vix vllum proximis a Iustiniano seculis deprehendamus; nisi quod id a viris Ecclesiasticis vel Romanos mores imitantibus, vel Iustinianeo iuri ob singularia eius in Ecclesiam merita apprime fauentibus passim allegari videamus. Nam quod de Longobardis dicitur, eos vt, qui vellent, *Lege Romana* in prouinciis a se occupatis vterentur, permisisse, id quidem sine dubio de Iure Iustinianum praecedente, cuius et ipsos aliqua notitia gauisos esse verosimillimum est, et cuius inueterato vsu imbutos prouinciarum Italicarum, quas occupauerant, incolas deprehenderunt, intelligendum est. Hinc vbi in Legibus et monumentis publicis ea tempestate *Romanae Legis* extra has, quas excepimus, causas occurrit memoria, sub ea tantum non semper Ius Theodosianum, non Iustinianeum, vti infra latius demonstrabitur, intelligi debet; quod non tantum Isidori, Iustiniano sexaginta, et quod excurrit, annis iunioris, qui *Originum Lib. V. c. 1.* in recensione autorum Iuris Codices Gregorianum, Hermogenianum et Theodosianum laudat, Iustinianeum autem Ius plane silentio premit, sed et aliis luculentis testimoniis et argumentis docuerunt Seldenus *Diss. Hist. ad Fletam c. 5. et 6.* et Giannone *Histoire de Naples Liv.* III. *chap. 3. et 4. Liv.* IIII. *chap. 6.* et alibi passim. S.

Ad §. CCCCX.

(146) Coleri citatio.

(146) Vide *praefationem ad Tom.* II. *Cod. Theodos.* vbi docui, anno demum 554. Ius Iustinianeum plenum in Italia accepisse robur. Tunc enim Gothicum regnum finem habuit, Iustinianusque Pragmaticam Sanctionem, *de statu Italiae*, euulgauit, et *Tricennalia* celebrauit imperii. R.

Ad §. CCCCXI.

(147) Gregorii M. citatio.
(38) Carolus M.

(147) Gregorius M. dicta *epist.* 54. ad *Nouellam* quoque 90. *de testibus*, (Vid. supra §. 397.) et varias leges Codicis Iustinianei prouocat. Ex his autem legibus apparet, Romanum hunc Pontificem consuluisse editionem Codicis integriorem plenioremque, quam eae sunt, quibus hodie vtimur. Adducit enim ibidem *l.* 10. *de episcop. et cleric.* ex Codicis *libro primo titulo sexto*, quae hodie *titulo* 3. legitur. Deinde

Source : BIU Cujas

Deinde profert in medium *l. 2. de his, qui ad Eccles. confug.* eamque *libro primo titulo XV.* inueniri, indicat, cum nostra exemplaria *titulum* praeferant *XII.* Imo *lex illa* 2. egregie emendari potest ex Gregorio, quod ad inscriptionem et subscriptionem eius attinet. Male enim in codice vulgato legimus, *Impp. Honor. et Theodos. AA. Iouino PP.* cum rescribendum sit, *Iouio PP.* vti expressit Pontifex. Est hic *Iouius* notus ex Zosimo, eique plures leges inscriptae sunt *an.* 409. vt videre est in *Prosopograph. Codicis Theodos.* Eam ob caussam etiam delendam censeo subscriptionem, quam lex citata praefert, *Dat. X. Cal. April. Constantin. et Constant.* 414. Sic enim ea emendanda, *Dat. Kal. April. Honorio VIII. et Theodosio III. Coss.* 409. Quam emendationem commendant et suadent tria potissimum momenta; quorum est primum, annus gestae a Iouio praefecturae; alterum menda in subscriptione Codicis Iust. in quo alter Consulum male *Constantinus* dicitur; et tertium denique quod apud Gregorium legamus, *Dat. Kal. April. Honorio septies et Theodosio tertio consulibus.* Neque hoc praetermittendum est, Romanum Pontificem in epistola laudata Pandectas etiam memorare his verbis: *Sicut libro Pandectarum XXXXVIII. ad legem Iuliam maiestatis scribit Modestinus, lege famosi, paulo post principium.* Hinc mari testimonia, a Cl. Heineccio adducta, eius sententiam non multum iuuant, sed id tantum, quod supra iam obseruatum est, probant, Iuliani Epitomen Nouellarum in eius manibus fuisse; ad quam *pag.* 440. 509. 587. *citat.* lectorem remittit. *Pagina* 737. Iustinianeae quidem legis mentionem iniicit, sed eam ex Gregorii decreto profert. *Pag.* 228. per *publicas Romanorum leges*, Codicem Theodosianum ab Alarico in compendium redactum, siue *legem Romanam*, intelligit, cuius libri erat apud Francos summa auctoritas; ad quam pagina quoque 672. 710. 780. 784. 786. et alibi *Tom. II. Opp.* provocat. R.

(38) Qui Marculphi *formulas*, Caroli et Ludouici Pii *Capit. L. VI. c.* 281. *et* 307. *Addit. Ludou.* 4. *c.* 102. aliaque eiusmodi loca diligenter euoluit atque cum iure Romano accuratius comparat, ille dubius non haerebit, ibi sub *Lege Romana* Ius Theodosianum intelligi. Vltimum, quod citauimus, testimonium prae aliis id, quod asserimus, demonstrat. Prouocatur ibi ad *Legem Romanam omnium humanarum matrem Legum*, quod illa iis, *qui venerem in aliam formam mutant*, ignis poenam statuat. Hoc vero manifeste Legem Valentiniani, Theodosii et Arcadii 6. *Cod. Theodos. ad Leg. Iul. de adult.* respicit, quae crimen illud nefandum *flammis vindicibus expiandum* dicit, atque a Codice Iustinianeo omnino abest, qui nonnisi Constitutionem Constantii et Constantis, nempe *L.* 31. *Cod. Iust. ad L. Iul. de adult.* in hoc crimen *armari iura gladio vltore* tantum iubentem exhibet.

Ad §. CCCCXII.

(39) Planè Nouellas intercidisse.

(39) Eximia sane produci possunt testimonia, quae aliquem Pandectarum vsum vulgari epocha, qua inuentio illarum Amalphitanae direptioni affingitur, antiquiorem loquuntur. Primus huius rei testis a Guidone Grandio *in Epistola de Pandectis edit. secundae not. b. p.* 49. sistitur Agobardus, *qui ab anno* 816. *Lugdunensis Archiepiscopus sedit*, et Libri *de dispensatione Eccle-*

siast. rerum c. 18. furtum de publico aerario inter maiores reatus enumerans ait: *Quod et Leges saeculi sacrilegium vocauerunt*, textum forte designans, qui occurrit *in L. 9. D. ad Leg. Iuliam Peculatus.* Verumenimuero, cum hic textus ex Pauli *libro singulari de iudiciis publicis* deriuetur, vt bene monet Baluzius *in not. ad d. l.* et ad eum iam respexisse videatur

Source : BIU Cujas

Augustinus *in Tractatu Quinquagesimo in Ioannem*, isque etiam laudetur *in L. VI. Capitularium c.* 302. dubium est, annon potius ex ipsius Pauli fragmentis, quam ex Pandectarum Iustinianearum libris eum hauserit Agobardus. Neminem moueant verba Agobardi: *Leges saeculi*, quae magis aliquam laciniam Legis, quam priuati alicuius ICti sententiam innuere videntur. Quis enim nescit, Pauli etiam fragmenta in codicem Alaricianum seu Breuiarium Aniani, vti loquuntur, transiisse, qui frequenter nomine *Legis Romanae* insignitur, vti prae aliis docet Cangeus *Gloss. mediae et inf. Latin. v. Lex Romana.* Vnde Agobardus huc forsan respiciens potuit facile sub vocibus: *Leges saeculi*, innuere sententiam Pauli in Codicem illum relatam. Atque ita ego quidem hoc testimonium satis dubium ad probandum antiquum Pandectarum vsum non multum vrgerem. Sed supersunt alia certiora. Robertus de Monte Beccensis Coenobii Prior, qui anno 1154. ad Abbatiam S. Michaëlis in periculo maris euectus est, de Lanfranco, eiusdem coenobii Beccensis Priore, mox Abbate Cadomensi et tandem Cantuariensi Archiepiscopo, cuius Nepotem et ipsum Lanfrancum, in eodem monasterio sub eodem regulari instituto militantem, mox Fontanellensem Abbatem noscere potuit, et ab eo de rebus patrui instrui, *in Accessionibus ad Chronicon Sigeberti Gemblacensis ad a.* 1032. verba faciens: *Lanfrancus, Papiensis*, ait, *et Garnerius socius eius, repertis apud Bononiam Legibus Romanis Iustiniani Imperatoris, operam dederunt eas legere et aliis exponere.*

Sub his *Legibus Romanis Iustiniani Imperatoris* Robertus et ipse Iurisconsultus anno 1154. quo Pandectae ex vulgari etiam sententia, iam satis notae fuerunt, non potuit non Pandectas etiam cum aliis Iustinianei Iuris partibus intelligere. Quod si iniquam, quam de hoc Roberto fert, sententiam Bernardus Tanuccius *in Epistola ad Socios Cortonenses etc. §.* 12. *p.* 67. adiutus aliquantum a Struuio, sequeretur, quod nimirum *sine iudicio multa maxime ex libris Anglicis in Auctarium suum congesserit, praeter res Anglicas et Gallicas alias omnes ignorauerit, paucasque in auctarium retulerit, res maximas subinde relinquens, caetera ineptiarum plenus, qui laudem instauratae Iurisprudentiae in suum corpus, cui Lanfrancus adscriptus erat, minus vere contulerit*, parum sane eius testimonium curaremus. At vero cum graues testes alia omnia de hoc Roberto loquantur, vti vberrime ostendit Guido Grandius *Vindiciarum P. III. c.* 2. *p.* 60. *et sqq.* cum porro res haec nemini magis, quam Roberto, potuerit esse nota, quod ex supra dictis euincitur, nollem ego sane hac in re Roberto fidem denegare. Sed et Iuo Carnotensis Legibus Pandectarum passim vtitur v. P. de Marca *de Concord. Sacerd. et Imp. L. III. c.* 6. §. 2. Conring. *de Orig. Iur. Germ. C.* 20. *p.* 115. Seldeni *Dissert. Hist. ad Fletam c.* 6. Guidonis Grandii *Epist. §.* 8. *p.* 11. *et not.* 6. *p.* 46. I. Vincent. Grauina *de Ortu et progressu Iur. Ciu. L. I. nu.* 140. Valseccius *de Veteribus Pisanae Ciuitatis Constitutis etc.* et maxime Bern. Tanuccius *in addendis ad p.* 21. *Epist. ad S. C.* qui longum indicem locorum exhibet, vbi Iuo Pandectis vsus videtur; quem quidem indicem licet maxima sui parte truncet Guido Grandius *Vindiciarum P. III. c.* 3. lubens tamen ipse antea *Epistolae suae §.* 8. *et* 13. *et nota* 6. in *Epistolis Iuonis* 99. *et* 134. praecipue *Leges* 7. 11. *et* 13. *ff. de Sponsalibus* allegari iam concesserat. Verum et ipse Gratianus non duas tantum Pandectarum Leges, nempe *Can.* 29. *et* 30. *C.* 2. *q.* 6. vti Valseccius existimat. *l. c.* sed plures, v. Selden. *l. c.* et quidem quinque, si G. Grandio *l. c.* fides est, imo, si Tanuccium *l. c.* sequimur, 56. allegat. Cum autem hic opus suum, si Trithemio et Arth. Duckio fides est, iam anno 1130. v. Tanucc. §. 5. *p.* 32. vel saltem sub ipsum direptionis Amalphitanae tempus consarcinare coeperit, atque etiamsi Pandectae Pisas ex ea calamitate Amalphitana translatae fuissent, non

Source : BIU Cujas

non ſtatim potuerint exemplaria deſcribi Bononiam transferenda, quibus ſat mature vti potuiſſet Gratianus, firmiſſime inde concluditur, eum Pandectis iam ante illam direptionem deſcriptis vſum fuiſſe. Tandem etiam *Piſana Conſtituta* ſuum inter teſtes antiquioris Pandectarum vſus locum ſuo ſibi merito vindicant. Collecta ea ſunt anno 1160. vel ſi mauis Piſanorum more loqui, 1161. cum illi computationem annorum Chriſti non a natiuitate, ſed a conceptione inchoantes communem computandi modum nouem menſibus praeuertant. Collectio autem haec non tum demum nata, ſed, vt Prologus ipſe indicat, ex antiquioribus deriuata; quae antiquiores non pro arbitrio excogitatae, ſed ex ipſo forenſi vſu deductae fuerunt. Ergo ſine dubio ea, quae in hac Collectione continentur, antiquiora plane ſunt inuentione Pandectarum vulgo aſſerta. Atqui in his *Conſtitutis* tam clara Pandectarum veſtigia inueniuntur, vt ea ad fragmenta Veterum ICtorum, quae in Codicem Alaricianum tranſierant, aut ad Codicem Theodoſianum reduci nullo modo poſſint. Accedunt Piſanorum *Leges Maris*, quae anno 1075. a Gregorio VII. P. R. approbatae, et anno 1115. vel 1116. Maioricae inſulae a Piſanis ſubactae incolis praeſcriptae; et anno 1118. Piſis iuramento confirmatae, tandem anno 1323. *in Breue Maris*, vti veroſimillimum eſt, relatae fuerunt. Licet enim vel ipſe Valſeccius, cui, quae de Piſanis Legibus hic ſcribimus, omnia debemus, nec negare, nec affirmare audeat, *Leges Maris* illas, cum omnibus ſuis punctis et numeris, in *Conſtituta* et ex his in *Breue Maris* tranſiiſſe, illud tamen ingenue fatetur, Piſanos eo, quo *Conſtituta* collegerunt, tempore, imo et, quo *Breue Maris* compoſuerunt, non aliis Legibus Maris, quam illis antiquis vſos fuiſſe. Vnde, quae de integris *Conſtitutis* diximus, quod ea nimirum ex antiquioribus Collectionibus a. 1160. conſarcinata fuerint, ea multo magis de ipſorum parte, quae Leges nauticas exhibet, intelligenda ſunt, atque ita haec praecipue pars, quae, vt Valſeccius docet, Titulum Pandectarum ad *Leg. Rhodiam de Iactu* omnino redolet, Pandectarum vſum in Legibus Piſanorum direptione Amalphitana antiquiorem oſtendit. Ex quibus omnibus nunc tandem colligimus, Pandectarum vſum etiam ante direptionis Amalphitanae tempora, tam in Italia quam extra eam, licet non obuium et quotidianum, non tamen fuiſſe, vt vulgo creditur, omnino nullum. S.

Ad §. CCCCXIII.

(39 *) Hiſtoria de repertis Pandectis ſuſpecta.

(39 *) Operae pretium facturus mihi videor, ſi vberiorem eorum, quae de inuentione Pandectarum vel bene vel male dicuntur, notitiam Cultoribus Iuris, non omnia ſane rerum ſubſidia in numerato habentibus, ſuggeram, non vt eos a meliorum lectione remoueam, ſed vt potius cupiditatem adeundi ipſos rerum fontes, quantum poſſim, accendam. Vulgarem de hac re ſententiam non melius expoſiturus ſum, quam verbis eius, qui illam ſua auctoritate maxime propagauit, id eſt, Franc. Taurellii, qui *in Dedicat. Pandect. Florent. a ſe a.* 1553. *Florentiae editarum* Coſmo Florentinorum Duci ita ſcribit: *Pandectarum id, ſeu Digeſtorum eſt antiquum volumen Florentiae nunc, olim Piſis, adſeruatum, cum Amalphi prius omnem ſupra memoriam fuiſſet. Inde acceptum Piſani, quod Innocentium II. Pontificem Maximum et Lotarium Caeſarem item II. claſſe aduerſus Normannum Rogerium iuuiſſent, egregie nauatae operae monumentum retulerunt, diuque penes ſe habuerunt; donec per Ginum Caponium, aeque nobilem ac ſtrenuum virum, Florentini anno Salutis* CIↃCCCCVI. *Piſis in poteſtatem redactis ſubiectionis ſymbolum tranſtulere. Li-*

Source : BIU Cujas

ber itaque illo ex tempore ſumma cum cura ac religione, tanquam de coelo delapſus, merito eſt cuſtoditus. Atque haec ex antiquis Piſanorum annalibus apud Plotium Gryphium eorum ciuem accepimus. Quibus et Raphaël Volaterranus per omnia fere adſtipulatur. Et illo multo antiquior Raynerius Grachia Piſanus his libris, quos ante ducentos ferme annos de bello Tuſco conſcripſit, quod opus inter cubiculares tuos libellos aliquando vidimus. Sed et Plotius idem affirmat, antiquum inſtrumentum domi ſe habuiſſe donationis eius in Piſanos per Lotarium collatae, quod poſtea contagioſae peſtis periculo vitando inter alia ſcripta igne conſumptum ſit. Hunc optimum librum iam quadringentos amplius annos in Etruria habitum nemo ſatis vnquam laudauerit, ſiue antiquitatem ſpectemus, ſiue ſinceritatem ac fidem. Quis vero dubitet, iam tum Lotarii ſaeculo permagni eundem fuiſſe pretii? neque enim maximus princeps grandi accepto beneficio leue quoddam ac vulgare munus in amicum atque potentem populum contuliſſet etc. Hanc quidem hiſtoriam vel fabulam ad vnum omnes poſtea auide exceperunt, et hodie adhuc plures tuentur. Addunt, quod maximi momenti eſt, Lotharium hunc II. Caeſarem Conſtitutione promulgata Ius Romanum in ſcholas et fora Italiae, aliis Iuribus omnibus abrogatis, et mox alia Conſtitutione in fora et ſcholas Germaniae introduxiſſe. Vltimae huius narrationis parti iam interceſſit Frid. Lindenbrogius *in Praefat. Codici LL. antiquarum praemiſſa.* Sed fortius hanc introducti a Lothario Iuris Romani fabulam laceſſiuit Calixtus, et vberrime confutauit Conringius *de Orig. Iur. Germ. Cap. 21. et ſqq.* ipſam tamen de Pandectis Amalphi inventis Piſanisque a Lothario dono datis traditionem intactam omnino relinquens. Hanc demum donationem aggreſſus eſt Henricus Brencmannus *Hiſtor. Pandect. L. 1. c. 6. et ſqq.* et *Diſſert. alt. de Amalphi a Piſ. direpta §. 27.* multis argumentis oſtendens, Pandectarum exemplar Piſanis non fuiſſe a Lothario donatum, inventum vero ibidem fuiſſe et a Piſanis inde ablatum in dubium non vocat. Totam vero fabulam Pandectarum in direptione Amalphitana inuentarum et Piſas translatarum, et donationis Lotharianae et introducti a Lothario Iuris Romani aperto tandem Marte impugnat D. Guido Grandius in Piſana Academia Matheſeos Profeſſor et S. Michaëlis in Burgo Abbas in *Epiſtola de Pandectis ad Cl. Virum Ioh. Aueranium in ead. Acad. Iur. interpr. celeb. Florent. 1726. edita et ib. 1727. cum notis variis et appendice veterum monum. recuſa*, qua quidem, occaſione cuiusdam iudicati de anno 1193. inter membranas ſui monaſterii inuenti, opinionem H. Brencmanni *de non recepto apud Piſanos ante Saec. XIII. finem Pandectarum iure*, ab illo *Hiſt. Pand. L. 1. c. 9.* defenſam, data opera refellit; hac autem occaſione, quicquid ad Pandectarum inuentionem et reſtitutionem facit, ſollicite excutit. Cum vero in hac Epiſtola Grandius videatur Petro Blaeſenſi antiquiorem Pandectarum mentionem adſcribere, hanc, quam eius eſſe credit, aſſertionem directe aggreditur, et arrepta occaſione ipſius de Pandectarum inuentione ſententiam euertere conatur Bernardus Tanuccius ICtus et Piſanus D. *ad Nobiles Socios Cortonenſes, qui Academici Etruſci dicuntur, Epiſtola, in qua nonnulla refutantur ex Epiſtola Guidonis Grandi etc. Lucae 1728. 12.* cui mox G. Grandius S. T. D. etc. *Vindicias pro ſua Epiſtola de Pandectis etc. aduerſus inanes querelas et oppugnationes Bernardi Tanuccii I. V. D. Stienſis, in eadem Academia Caeſ. Juris Interpretis etc. Piſis 1728. 4.* oppoſuit. Cum vero ſibi vtique deeſſe nollet Tanuccius, Vindicias has etiam aggreſſus eſt, edita *Difeſa Seconda dell' vſo antico delle Pandette e del ritrouamento del famoſo manoſcritto di eſſe in Amalphi etc. in Firenze 1729. 4.* Quibus quidem ſcriptis acrius, quam optandum fuerat, in ſe inuicem inuehuntur eruditiſſimi Viri, totam tamen de Pandectarum inuentione et introductione doctrinam diligenter euolvunt, hoc ſane nomine Hiſtoriae Iuris

Cuiq

Source : BIU Cujas

Cultoribus omnino commendandi. Posterioribus autem, quos belli huius continuandi gratia scribunt, libris parum noui, quod ad rem nostram faciat, in medium proferunt. Tandem arbitrium litis sibi sumsisse videtur Bartolus Luccabertius, cuius *Nuoua disamina della storia delle Pandette Pisane e di chi prima le rammentasse, come ancora d' altre incidenti questioni etc. in Faenza* 1730. 4. prodiit. Quorum quidem operam cum ex ditissimo librorum suorum thesauro copiam mihi humanissime, vti solet, fecerit Academiae nostrae, imo orbis literarii decus, celeberrimus Schoepflinus noster, ea quidem eo lubentius hic commemoraui, quo magis illa, licet in hac quidem historiae parte vtramque paginam faciant, ab iis tamen, qui historiam Iuris illustrant, plerumque, quod mireris, vel negliguntur, vel ignorantur. Vt autem rationes, quibus autores allegati totum vulgaris sententiae aedificium destruunt, in compendium contrahamus et vberiori luci exponamus, liceat totam causam in separatas propositiones scindere, iisque potiores, quibus singulae conuelluntur, rationes subnectere. I. erit: *Ius Romanum a Lothario non est introductum in scholas Germaniae.* Probat hanc propositionem 1. defectus Constitutionis, qua id Lotharius egisse dicitur. Qui omnes pluteos excusserunt, et ingentia Constitutionum Imperatoriarum volumina orbi obtulerunt, diligentissimi auctores, nullum huius Constitutionis vestigium inuenerunt, inuenturi sine dubio, si vnquam eiusmodi Constitutio de re tanti momenti extitisset. 2. Nulla eius rei in scriptoribus eius temporis, vel leuissima quaeque commemorantium, memoria. 3 Nullus ab eo tempore Iuris Romani per Germaniam commentator aut interpres. Ex quo tempore Ius Romanum in Germania doceri coeptum scimus, exercitus commentatorum orbem implevit. Qui fieri ergo potuit, vt, si a Lothario in scholas Germaniae introductum fuisset Ius Romanum, nullus vel sub eo, vel paulo post eum id ius peregrinum, et Germanis plane obscurum aliquot saltem notulis, aetatem sine dubio vel ob rei nouitatem laturis, illustrasset. Sed quod 4. rem omnem conficit, nullae tum temporis per Germaniam extiterunt scholae, quibus id opus commendari potuisset, cum vetustissimae, quibus Germania ornatur, Academiae vltra Seculi XV. epocham vix ascendant, et in scholis trivialibus eius temporis Iurisprudentia doceri non potuerit. II. *Ius Romanum a Lothario non est introductum in fora Germaniae.* Praeter Constitutionis defectum et scriptorum eius, vel proximi ab eo, temporis silentium probat hanc propositionem fides historicorum alia omnia loquentium. Abbas Vrspergensis ad annum 1171. de Friderico Imperatore et Henrico Leone Saxoniae duce scribens: *Imperator*, ait, *ipsum Ducem frequenter euocat ad Curiam, ad obiecta responsurum; vbi quidam Principes et fautores Ducis, more Teutonicorum*, QVI SINE LEGE ET RATIONE *voluntatem pro iure statuentes, contra Imperatorem hoc Ius tenere voluerunt.* Idem de Pace Publica ad annum 1187. loquens: *Eo anno*, inquit, *Fridericus Imperator, iam cruce signatus, conuentum Principum apud Nurnberg coadunauit, vbi de pace terrae disposuit et in litteras redigi iussit; quas litteras Alemanni vsque in praesens* Friede-Brieff, *litteras pacis appellant:* NEC ALIIS LEGIBVS VTVNTVR, *tanquam gens agrestis et indomita.* III. erit propositio: *Ius Romanum a Lothario non in scholas Italiae introductum.* Deficit Constitutio, silent scriptores eius temporis, imo scriptores alia omnia loquuntur. Henricus Cardinalis Ostiensis Heineccio §. *antec. in nota* laudatus introductionem Iuris Romani in scholam Bononiensem priuato studio et controuersiae cuidam grammaticae tribuit. Odofredus Azonis, cuius et erat Ostiensis, discipulus, adeoque ab Irnerio, quem Bulgarus Azonis praeceptor audiuit, non multum remotus, *ad L. quaerebatur* 82. *ff. ad L. Falcidiam* dicit, Legum studio Rauennae cadente Bononiam translatum

Source : BIU Cujas

fuisse cum corpore Legum, non vno eodemque tempore, sed primo Codicem, Digestum Nouum et Vetus atque Institutiones, *postea*, addens, *fuit inuentum Infortiatum sine tribus partibus: postea fuerunt portati tres libri, et vltimo Liber Authenticorum inuentus est.* Si, antequam Bononiam venit, Rauennae iam viguit studium Legum Romanarum, si Pandectae non integrae sed per partes, non vno tempore, sed pluribus interuallis Bononiae innotuerunt, quomodo dici potest, Ius Romanum vno actu in scholas a Lothario introductum? Vrspergensis vero Abbas sub finem eorum, quae de Lothario dicit, testatur eo, quo *Gratianus Canones et Decreta in vnum compilauit*, tempore *Dominum Wernerium* etiam *Libros legum ad petitionem Mathildae Comitissae renouasse.* Quod in vna Bononiensi schola priuato Mathildis rogatu receptum, id non in omnibus Italiae scholis publico Lotharii Imperatoris iussu introductum dici potest. Nec satis apparet, cur, si Pisanis donatus fuit Pandectarum Codex, illam eodem tempore docere iussi fuerint Bononienses. Aut Pisas non erat portandus, sed Bononiam, aut Pisani eum docere iubendi erant, non Bononienses. IV. *Ius Romanum a Lothario non in fora Italiae, abrogatis omnibus aliis iuribus, introductum.* Defectui Constitutionis et silentio scriptorum eius temporis addi potest vsus aliarum Legum praecipue Longobardicarum, post ea tempora in Italia superstes. Quorsum faciunt insignia Feudalis Iuris *Feud. L. 2. t. 1. 22. 58.* imo et Canonici *in Cap. Raynutius 16. X. de Testam.* de vsu Iuris Longobardici testimonia pluresque autores a Conringio citati, et multo magis ea, quae copiose de frequente Longobardicarum Legum per Italiam vsu ad Friderici II. vsque tempora dicuntur a Giannone *Hist. de Naples passim et maxime T. II. L. XI. Ch. 2.* qui plane adhuc tempore Caroli V. non nullum earum in Italia vsum fuisse ostendit, ibid. *T. II. L. X. ch. 11.* vid. etiam G. Grandii *Epist. de Pandect. §. 14. et in not. 18. p. 69. et seq.* V. *Pandectarum Exemplar non fuit Pisanis a Lothario Caesare in praemium praestitae in direptione Amalphitana operae donatum.* Nemo vnquam vel coniecturis assequi potuit, qui factum fuerit, vt Pisani mercaturae et lucro quaerendo vnice fere intenti in praemium maximorum et laborum et sumtuum vel petere vel saltem accipere voluerint vnius libri peregrini Codicem antiquum; cum, si Ius Romanum iam antea cognitum in Italia fuerat, vti supra probauimus, non tanti potuerit esse Pandectarum Codex, cuius iam plura debebant passim extare exemplaria; si vero nondum introductum fuit, vti vulgo quidem creditur, non nisi diuinando assequi potuerint Pisani, hunc quidem Codicem maximi aliquando vsus et pretii futurum esse. 2. Non parum auget difficultatem Falco Beneuentanus, qui Pisanos ab illa expeditione Amalphitana multis diuitiis locupletatos domum rediisse scribit; quorum tamen, si solum praemium fuit Liber ille Pandectarum, loculos non multum ditatos et rationes mercatorias vix aliquo capite auctas fuisse existimarem. 3. Magis adhuc vrget, quod Lotharius Imperator in prima expeditione Amalphitana absens, et Pisanis ob Ingelbertum Tusciae Ducem, cum quo ipsi de inuestitura lis erat, defensum subiratus, nec in secunda expeditione satis ipsis placatus, ne leuia quidem cum ipsis liberalitatis commercia habuisse videatur. 4. Incendium autem illud instrumenti Donationis, quod Plotius, referente Taurellio, iactat, vti Brencmanno et Grandio, ita sane et nobis merito suspectum videtur. VI. *Pandectae nec in direptione Amalphitana inuentae, nec a Pisanis inde domum perlatae fuerunt.* 1. Altum sane scriptorum omnium eius temporis, diligentissimorum etiam, de hac inventione et ablatione silentium deprehendimus. Chronica Pisana ab Vghellio edita, alia ab anno 688. ad 1136. alia ab anno 971. ad an. 1178. alia denique ab anno 1104. ad an. 1188. deducta, vtramque expeditionem Pisanorum contra Rogerium

Source : BIU Cujas

rium Siciliae Regem, priorem an. 1135. posteriorem an. 1137. susceptam, et ipsam direptionem Amalphitanam commemorant, nullam tamen Pandectarum mentionem faciunt. Falco Beneuentanus S. Palatii Apostolici eo tempore Notarius, Innocentii II. partibus adhaerens, atque ita Pisanorum causae fauens, expeditionemque et depopulationem Amalphitanam sollicite describens, nihil de Pandectarum libris loquitur. Alexander Abbas Telesinus Amalphitanam direptionem narrat, Pandectas silet. Romualdus Guarna ab an. 1153. Salernitanus Archiepiscopus nullam in *Chronico suo* Pandectarum, sed tamen Amalphitanae direptionis mentionem facit. Qui omnes aut id, quod commemorare debebant, quasi conspiratione facta celarunt, aut, quod sub oculis ipsorum gestum est, ignorarunt, aut, nisi me omnia fallunt, id, quod omittunt, figmentum esse, vnanimi silentio probant. Nequicquam Tanuccius minima haec esse et litteraria tantum, ab historicis praetereunda, dicit. Si minora commemorant historici illorum temporum, si leuissima quaeque exponunt, cur hanc solummodo rem tanto contemtu omnes exceperint, vt ne vni quidem illorum vel verbulum eius rei exciderit, equidem non video. Sed quomodo potuit viris, pro genio quidem saeculi sat doctis, adeo leue videri id, quod, si verum est, non potuit non Iurisprudentiae eius temporis, saltem Pisanae, faciem aliquantum mutare. Vnde vero tandem recentioribus, quos Taurellius et nunc Tanuccius laudant, autoribus fides erit, si nullus antiquiorum eius, quod hi commemorant, auctor est? Ex altera autem parte producuntur testes, illis quidem aliquot plane seculis recentiores. Primus est seculi XIIII. scriptor, Taurellio Raynerius Grachia, Muratorio autem *Scriptor. Ital. T. XI.* Raynerius de Grancis dictus, qui Poëmatis *de Praeliis Tusciae*, quod ob rudem et horridum sermonem *caliginosum* in ipso fronte a Muratorio appellari meruit, *Lib. III. versus finem* huius rei ambiguam et subobscuram mentionem facit. Iungendus est, qui ad idem seculum referendus, auctor Chronici Pisani, quem sub *antiquis Pisanorum Annalibus* Taurellius innuit, cuiusque verba Brencmannus inter Iudicia *de Pand. Florent. p.* 410. ex Ludouico Bolognino exhibet. Qui quidem, licet propius ad direptionis Amalphitanae tempora accederet, tamen ob multos errores, quorum ipsum reum facit Brencmannus *Diss. alt. de Amalphi a Pisanis directa* §. 27. quosque ipsi parum feliciter abstergere conatur Tanuccius *Epist. ad Cortonenses* §. 8. non multum ponderis vulgari sententiae adderet. Quicquid autem de illius quidem obscuritate, de huius vero leuitate dicendum, vterque tamen a re, de qua quaeritur, duobus seculis remotus in silentio antiquiorum parum fidei meretur. Reliqui, qui allegantur his, quos nominauimus, omnes recentiores sunt. Audiantur ergo et hic Baronii verba *Annal. Eccles. T. I. nu.* 12. *Quod a recentiori autore de rebus antiquis sine alicuius vetustioris autoritate profertur, contemnitur;* vel quae Conringii sunt *in Praef. ad Libri de O. I. G. editionem primam: Quicquid de rebus humanis antiquis, neque illius aetatis, qua sunt gestae, neque proximorum aliquot saeculorum fide dignis monumentis traditum est, illud fidem non meretur, vtut heri et nudius tertius vulgo credi coeperit.* S.

Ad

Ad §. CCCCXIIII.

(148) Vix quiſquam reperiebatur etc.
(40) Irnerius Germanus.
(41) Accurſius.

(148) Regnaſſe Seculo VII. barbariem, et in Occidente ſolos fere clericos ſtudia literarum excoluiſſe, neminem latere poteſt. At miſelli hi homines eruditionem omnem finibus coërcebant anguſtiſſimis, ita quidem, vt nefas ipſis videretur, ſi quis ex eorum numero, profanas vellet attingere litteras. Latine balbutire diſcebant, putabantque multum ſe profeciſſe, ſi Patres Eccleſiae, Canones, et vulgatam Scripturae S. verſionem legere poſſent. Ipſa Romana curia vetabat longius progredi, quod docet me Gregorii M. *Epiſt. 48. Lib. VIIII. Edit. Lugdunenſ.* qua Deſiderium, Galliae Epiſcopum, vehementer increpat, quod artem Grammaticam nonnullos docere auſus eſſet. *Peruenit ad nos*, inquit, *quod ſine verecundia memorare non poſſumus, fraternitatem tuam Grammaticam quibuſdam exponere. Quam rem ita moleſte ſuſcepimus, ac ſumus vehementius aſpernati, vt ea, quae prius (de veſtris ſtudiis) dicta fuerunt, in gemitum et triſtitiam verteremus, quia in vno ſe ore cum Iouis laudibus Chriſti laudes non capiunt. Vnde ſi poſt hoc, nec vos nugis et ſecularibus literis ſtudere contigerit, Deo noſtro gratias agimus.* Inde colligitur, quare factum ſit, vt paullo poſt, barbarie magis inualeſcente, nemo inuentus ſit, qui latiſſima Pandectarum ſcripta interpretari valeret. R.

(40) Quod hic Irnerius, qui et ipſe quandoque Guarnerius, Warnerius, Wernerus audit, idem ſit cum Guarnerio illo Lanfranci ſocio, cuius ad §. 412. mentionem fecimus, affirmat G. Grandius *Epiſt. de Pandect.* §. 12. negat *ibid. not.* 14. *p.* 64. ideo quidem, ſed, vt videtur, immerito reprehenſus a Tanuccio, cum rationibus omnibus probe ſubductis ſententiam mutaſſe, nemini vitio verti poſſit. Et hanc quidem poſteriorem ſententiam veriorem eſſe exiſtimamus ob multitudinem teſtium, qui Irnerium hunc ad tempora Lotharii Saxonis peruenisſe affirmant, nec non ob diſcipulorum, quos habuit, Bulgarum, Martinum, Hugonem et Iacobum, aetatem, qui a Friderico I. in conſilium in Roncalienſi conuentu 1158. adhibiti dicuntur. Quod vero ad aetatem huius Irnerii attinet, eum G. Pancirollus, I. Fichardus, Marcus Mantua, Valentinus Forſterus, Bartholdus Nihuſius aliique anno demum 1190. obiiſſe dicunt. Verum G. Grandius ſolide demonſtrauit *Epiſt. ad Pandect.* §. 12. *n.* 14. Irnerium ante annum 1150. deceſſiſſe, quod Vgo ſ. Vgutio Vercellenſis, circa annum 1196. in Epiſcopum electus in *Gloſſa ad C. poſt appell.* §. *forma C.* 2. *q.* 6. dicat, Librum Decreti *docente Iacobo Bononienſi in Legibus et Alexandro in Theologia*, qui fuerit poſtea Alexander III. anno 1150. editum eſſe. Cum vero conſtet, Irnerio in ſchola Bononienſi ſucceſſiſſe Iacobum, ipſius praeceptoris morientis ſuffragio commendatum, inde pleniſſime convincitur, Irnerium ante annum 1150. defunctum eſſe. Vlterius progreditur Grandius, Irneriumque plane ante annum 1145. fato functum docet, argumentum inde ducens, quod Alexander, qui eodem, quo Iacobus Irnerii ſucceſſor, tempore, teſte Vgone Bononiae docuit, a Ciacconio dicatur eo anno ad Cardinalitiam dignitatem promotus, quod quamuis ad extrema anni 1150. tempora argumentis indubiis Grandius referat, cum tamen is ex Codicis Vaticani autoritate apud Baronium aliquot annis antea Canonicus Piſanus fuerit, inde eum anno 1145. Bononia diſceſſiſſe, adeoque cum Iacobo Irnerii ſucceſſore docere deſiiſſe, et hinc ante illum ſane annum Irnerium

Source : BIU Cujas

Irnerium deceſſiſſe concludit. Imo ante annum 1140. Irnerium e viuis exceſſiſſe Grandius contendit, quod ex Bartholomaei Brixienſis ſupputatione Pancirollus *de claris LL. interpr. L. 2. c. 16.* dicat, hunc Iacobum anno 1161. obiiſſe, et ex *quadam Conſultatione* Iacobi Torti Papienſis conſtet, eum *plus quam quatuor luſtris iuris Cathedram moderaſſe*, atque ita Irnerio ante annum 1140. iam ſucceſſiſſe. Si anno demum 1190. defunctus eſſet Irnerius, mira quadam fati acerbitate quatuor ſuis diſcipulis, omnibus in aetate proiectiori defunctis, 20. aut 30. annorum interuallo ſuperfuiſſet; nec facile excogitari poſſet ratio, cur Fridericus Imperator an. 1158. non praeceptorem, ſed diſcipulos, et quidem quatuor, in conſilium adhibuiſſet. Cum autem ex eo, quod Irnerium ad an. 1190. peruenisſe fingant, multi Vrſpergenſem Abbatem erroris conuincere conentur, quod is Irnerium Mathildis Comitiſſae, iam an. 1115. defunctae, rogatu Ius Romanum in ſcholam Bononienſem introduxiſſe dicat, huius quidem argumenti vis ex iis, quae de Irnerii obitu modo dicta ſunt, omnino conuellitur, cum abſurdum vtique non ſit, eum qui ante annum 1140. mortuus eſt, iam ante ann. 1115. docuiſſe. S.

(41) Franciſcus Accurſius, non pater, ſed filius ab Eduardo I. Anglorum Rege Bononia in Angliam vocatus fuit, et Vicecomiti Oxonienſi literis Regiis imperatum, vt illi *liberet manerium* (aedes Regias ſ. Caſtrum) *Oxonienſe ad inhabitandum vna cum vxore ſua et familia.* Diſcedendi facultatem Bononienſes, ſub poena publicationis bonorum, ipſi negarunt. Ipſe iis illudens, bonis omnibus amico venditis, diſceſſit, atque per aliquod tempus Toloſae ſubſiſtens, ibi Ius Ciuile docuit, et cum audiret, bona tamen publicata eſſe, Anglia neglecta, Bononiam reuerſus, bonorum reſtitutionem impetrauit, ibique mortuus eſt. v. Panciroll. *de Clar. LL. Interpr. L. II. c. 29.* Selden. *Diſſert. Hiſtor. ad Fletam c. 8.* S.

Ad §. CCCCXV.

(42) Irnerii diſcipuli.

(42) Quae fuerit Irnerii de ſuis his quatuor diſcipulis ſententia, ipſe morti proximus oſtendit. Ita enim Morena *de rebus Laudenſ. apud Leibnit. Script. Brunſu. T. I. p. 818. Iſtorum autem quatuor Doctorum et quamplurimorum aliorum fuit Magiſter Dominus Guarnerius, Doctor antiquus. Ad quem, cum in extremis laboraret, acceſſerunt ſui ſcolares dicentes: Domine quem vultis poſt mortem veſtrum Doctorem nobis conſtituere? Quibus ipſe reſpondit per haec duo carmina:*

Bulgarus os aureum, Martinus copia Legum,
Mens Legum eſt Vgo, Iacobus id quod ego.

Et ſic dictus Iacobus fuit Doctor etc. S.

Ad §. CCCCXVI.

(43) Rogerius Vacarius.
(44) Otto Placentinus.
(45) Accurſii laudes.
(46) Accurſii aetas.

(43) Cum Theobaldus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, primus per Angliam Legati nati titulo ab Innocentio II. P. R. ornatus, ex itinere Romano, quod pallii petendi gratia ſuſceperat, rediret, ii, qui in comitatu eius erant, vel vt Sarisberienſis

Source : BIU Cujas

rienſis loquitur, *domus eius*, exemplaria Iuris Iuſtinianei tum in Italia maximopere reſloreſcentis, in Angliam attulerunt. Inde Rogerius, quem aliqui et *Frogerium*, male *Frigerium* dicunt, *gente Longobardus, vir honeſtus et Iurisperitus*, vti *Chron. Norm. ab ann.* 1139. *ad an.* 1238. teſtatur, tum quidem Prior, poſtea vero Abbas Beccenſis, mox Archiepiſcopus Cantuarienſis rite electus, conſentiente etiam Rege Henrico II. ſed, cum dignitatem hanc omnibus modis et viribus a ſe amoliretur, tandem, licet aegre, *ab electione abſolutus*, teſte Geruaſio Dorobernienſi *in Chron.* Vacarius a *vacando*, quod Iuris lectioni *vacaret*, vti *Accurſius* ab *accurrendo*, quia, vt ipſe explicat, *accurrit et ſuccurrit contra tenebras Iuris Ciuilis*, nomine appellatiuo ſecundum argutias eius ſeculi dictus, Ius Iuſtinianeum in Anglia publice et cum ſucceſſu an. 1149. docere coepit. Cum vero Stephanus Rex Theobaldo Cantuarienſi, quod iniuſſu ſuo ad Concilium Remenſe profectus eſſet, adeo infenſus, vt eum etiam proſcripſerit, et Henricus Epiſcopus tunc Wintonienſis, qui magna apud Regem gratia vtebatur, Theobaldo rebusque eius ſummo conamine aduerſari ſolitus fuerit, hoc odio Rex permotus fuiſſe videtur, vt Ius Iuſtinianeum auſpiciis Theobaldi in Angliam illatum et ibidem doceri coeptum proſcriberet, et Rogerio ſilentium indiceret. Poſtquam autem Theobaldus in gratiam cum Rege redierat, mox Edictum Regium vel reuocatum fuit vel contrario vſu euanuit. Et hinc lucem capiunt vltima Sarisberienſis verba: *Sed Deo faciente eo magis virtus Legis inualuit, quo eam amplius nitebatur impietas infirmare.* S.

(44) Acerrimus Rogerii aemulus, gloriae nimium cupidus, et laudis ab aliis acquiſitae maxime inuidus, nomini Rogerii tenebras ſe offuſurum ipſe arrogantius iactans, *Summam* compoſuit, qua Rogerii *Summam* omnino abolere ſtuduit, et finem ſibi propoſitum ita etiam obtinuit, vt Rogerii *Summa* iam diu fere ignoretur. Ipſe tamen aemulum etiam grauem expertus eſt Azonem, ita vt is aliquando in partem officii, quod Placentinus in ſchola Montispeſſulana exercebat, admiſſus fuerit, et quod Placentinus compoſuit trium extremorum Codicis librorum compendium, ſub nomine Azonis allegetur. vid. Panciroll. *de Clar. LL. interpr. L. II. c.* 20. et 25. Selden. *Diſſert. Hiſtor. ad Flet. cap.* 7. S.

(45) Laudes quibus hic ornatur Accurſius, caue ne vltra, quam vellet ipſe Heineccius et, quem ipſe ſequitur, Cuiacius, extendas. Magnus eſt Accurſius, ſi comparetur cum ſeculi, quo vixit, et eorum, qui proximis ante et poſt ipſum ſeculis Iura exponere aggreſſi ſunt, ruditate, quorum plerosque magno poſt ſe interuallo reliquit. Multo iudicii acumine nec minori diligentia aliorum Summas et Gloſſas collegit, et ita in ordinem redegit, vt cuiuis Iuris textui praedeceſſorum ſuorum et ſuas gloſſas ſubiungeret, adeo vt poſt ipſum nemo gloſſas ſcribere auſus ſit. Illam etiam non raro calamitatem expertus eſſe videtur, quod, ſi quid ab aliis perperam dictum, vel aliis, qui in ea gloſſarum ſerie iunguntur, minus bene reſpondens coniunxerit, et forſan, vt fieri ſolet, autoris nomen, quod litera initiali notare ſolebat, incuria librariorum exciderit, id quaſi ab ipſo dictum nunc cenſeatur, ipſique, tanquam eius mali autori, praeter meritum imputetur. Inique etiam cum ipſo agi facile crederem, quod tritum illud: *Graeca ſunt, legi non poſſunt*; ipſi nimis dure et contra mentem ipſius adſcribatur. Licet enim huic forſan accuſationi occaſionem dederit, cum *ad* §. 1. *de Emt. Vend.* verb. *verbis* addiderit: *ſcilicet Graecis, quae legi non poſſunt*, id tamen vtique non videtur intellexiſſe, quod Graeca omnia legenda non ſint, qui *ad L. 6. ff. de bon. poſſ.* diſertis verbis dicit: *Gaecae litterae poſſunt intelligi et legi*; ſed potius, vti acute ſuſpicatur Ill. Boehmerus *Diſſ. de Scripturis non legibilibus* §. 3. cum forte in exemplum male conſcriptum inciderit, in quo litterae Graecae negligenter pictae vel antiquitate exeſae vel

ob-

Source : BIU Cujas

obductae erant, respondisse videtur: haec quidem Graeca esse, sed legi non posse, non quod Graeca sint, sed quod litterarum ductus minus bene appareant. Quicquid vero horum sit, licet ipse vicerit collegas omnes, seculi tamen sui tenebris plus quam Cimmeriis immersi, omnibus plane purioris philosophiae, antiquitatum et historiarum subsidiis omnino denudati infelicitatem vincere vtique non potuit, atque ita in tanta optimarum litterarum, qua hodie fruimur, luce parcius a nobis consulendus. Nec alia sane mens videtur fuisse Cuiacio Accursium eo, quem Heineccius allegat, loco non aliter, quam comparatione cum Bartolo instituta laudanti, eiusque sententias huius *fictionibus vanis et aegri somniis* praeferenti, in *Obseru. L. IIII. c. 3.* tamen Accursium in eundem cum aliis Glossatoribus censum *semi-iurisconsultorum* referenti. Duarenum vero, si quid vsquam laudis tribuit Accursio, ego sane miror, cum vbiuis alias arrepta quacunque occasione, etiam vbi opus non erat, Accursii et Accursianorum *coecitatem, inconstantiam, nugas, somnia, sententias absurdas, ridiculas, perridiculas*, iusto forsan acrius exagitet, eum *vatem, non interpretem, et quidem vanum vatem*, ne quid durius dicam, appellans. v. *Opp. edit. Wechel.* 1598. *p.* 67. 85. 153. 154. 166. 319. 588. 589. Fortem quidem Accursius cum collegis suis defensorem nactus est Albericum Gentilem *in Dialogis de Iuris Interpretibus*; sed ratio, qua ipse motus videtur, nec Accursio nec sibi laudi cedit, quam Guil. Hieron. Brucknerus *in Progr. Inaug. de Accursianis et Alciateis* 1695. ita reddit: *Scilicet soli ferme Itali celebres fuerant, tanquam perfecti et consummati ICti. Hanc popularium suorum gloriam elegantiori litteratura inualescente, per extraneos, praesertim Gallos, inanem vel minimum dubiam reddi, non sine stomacho ferebat Gentilis. Vt igitur partam Italis conseruaret dignitatem, pro barbarie, in qua per aliquot secula vixerant, contra amoeniora studia operose disseruit et propterea vtrique parti Italos dedit Choragos Accursium et Alciatum, dum pro mucore et stribligine pugnantes Accursianos, pro politioribus litteris certantes Alciateos vocauit, vt vel hoc pacto, siue vincerent barbari, siue vincerentur, per Duces, quorum auspiciis dimicaretur, Italis suus constaret honos. v.* Brunq. *Hist. Iur. P. III. m. 2. c. 5. §. 5.* Qui cum Alciateis, vel, vt alii loquuntur, schola Cuiaciana versari dum possunt, ad Accursianos suos redire malunt, mea quidem pace quantocyus eant et aurum in stercore quaerant. Ego has ipsis delicias vtique non inuideo, nec in partes venire gestio. Similes quaerant labra lactucas, per me licebit. Bibat ex lacunis, plus quam satis est, qui clarum ex puro fonte liquorem haurire aspernatur.

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae. S.

(46) Alii eum an. aetatis 28. v. Panciroll. *de clar. LL. interpr. L. II. c. 29.* alii 37. v. Popeblount *Cens. aut. ad annum* 1223. *p.* 406. Forster. *Hist. Iur. L. III. C.* 12. ad Iurisprudentiam accessisse scribunt. Qui quadragesimum annum assignant, illi tantum dicunt, quod ad Azonem audiendum hoc aetatis anno accesserit, non negantes, quod Iuris studio iam ante sub aliis operam dederit, ita forsan cum prioribus conciliandi v. Mascou. *in Not. ad Grauin. de orig. et progr. Iur. Ciu. §.* 155. Aliud ex Volaterrano de anno mortis et natiuitatis dubium vide in Bayle *Dict. Hist. et Critique v. Accurse Not. F. S.*

Ad §. CCCCXVII.

(47) Glossa.

(47) Quod olim Glossa non minorem in foro, quam ipsae Leges Romanae, acceperit auctoritatem, certissimum est. Sed quaeritur, quid nunc obtineat? Quodsi

Source : BIU Cujas

quis hodie in foro Legem Iuris Romani allegaret, eiusque sententiam adhibitis bonae interpretationis regulis in claram lucem deduceret, huic vero sententiae obstaret Glossae auctoritas; an in hac pugna Legis cum Glossa haec illam vincere debebit? Mirandum sane, quod et hodie multi ICti, inter praestantiores etiam referendi, in hac causa pro Glossa, non pro Lege, victricem sententiam dicturi sint. Argumentum palmarium, imo vnicum, quo nituntur, ex principio auctoritatis, qua Ius Romanum in foris Germaniae gaudet, petitur. Nempe Ius Romanum auctoritatem in foris Germanicis accepit, non ex voluntate Legislatorum Romanorum, quibus Germania non paruit, sed ex libera voluntate Germanorum, qui illud non vno actu, sed quotidiano temporis et vsus progressu receperunt, introduxerunt, firmarunt. Acceperunt id autem ab iis ipsis, qui Glossarum autores, vel saltem Glossarum immodica veneratione imbuti fuerunt. Ergo cum Iure Romano simul Glossae sententia, imo Iuris Romani non alia sententia, quam quae et Glossae esset, transiit. Ergo, quam Glossa dicit esse Legis sententiam, ea siue cum Lege vere consentiat, siue non consentiat, recepta tamen est ab iis, quibus liberum erat, quoduis Ius, Romanae etiam Legi contrarium, recipere; atque ita Legi, quae, in quantum a Glossa recedit, non recepta videtur, praeferenda. Hanc argumentandi rationem eo plane extendunt, vt cum a Glossatoribus 98. tantum Nouellae agnoscantur, et numerus earum, quae in corpore Iuris Iustinianei exhibentur, ad 168. ascendat, non aliam ad decidendas causas forenses allegari posse contendant, quam quae a Glossatoribus agnita sit, secundum tritum illud: *quod non agnoscit Glossa, non agnoscit Curia.* v. Gottfr. Ludov. Menckenii *Diss. de Nouellarum Glossatarum et non Glossatarum auctoritate.* Ego vero, si quid hac in parte mei est iudicii, non diffiteor, hanc sententiam olim, primis scilicet recepti Iuris in Germania temporibus, in Germania et obtinuisse et obtinere debuisse, non quod Germani tum temporis privati Doctoris cuiusuis sententiam Legi praetulerint, sed quod in illa caligine seculi ex nimia veneratione Praeceptorum suorum nihil Legis Romanae esse crediderint, quod hi eius esse negassent. Ex eo vero tempore, quo plenior lux literis affulsit, atque quid Iuris Romani, quid Glossatorum sit, distinctius apparuit, quo Leges Imperii non errores et nugas Glossatorum, sed Ius Iustinianeum, nec huius tantum hanc vel illam partem, sed Ius Iustinianeum integrum, et, vti loquuntur, *in Corpore*, approbarunt et confirmarunt, menti sane Legislatorum Germanicorum Ius Iustinianeum ita approbantium et confirmantium contrarium omnino videtur, partem Corpore Iuris Iustinianei comprehensam, non aliam ob causam, quam quod illa quondam Glossatoribus vel displicuerit, vel ignota fuerit, protinus abiicere, aut Legem ipsam Iustinianei Iuris negligere, vt Accursio aut Accursianis, qualemcunque demum sententiam foventibus, litium omnium arbitrium et illimitatum fori regimen vnice permittatur. Liceat Constantini verba *in L. 2. Cod. quae sit longa consuet.* paulum immutata mea facere: Glossae aliqua *auctoritas est: verum non vsque adeo sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut Legem.* S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. CCCCXVIIII.

(48) Authenticae.
(49) Authenticarum auctor.
(50) Leges utriusq. Friderici Imp.
(51) Authenticarum errores.

(48) Non aliam esse Authenticarum ex Nouellis excerptarum naturam confirmat Ioannes Glossator *in Summa ad Collat. VI. Const.* 3. i. e. ad Nou. 72. *Illud in summa not. quod ex hac Constitutione duae Glossellae s. auth. in Cod. ponuntur etc.* S.

(49) De Authenticarum ex Nouellis Iustinianeis excerptarum autore tres maxime sunt eruditorum sententiae. Alii Irnerio omnes adscribunt, alii nullas, alii, quos sequitur Heineccius, nec omnes, nec nullas. Irnerio omnes tribuunt Authenticas ICti Carolo Molinaeo antiquiores tantum non omnes, pauci dubie loquuntur: *Irnerius vel quisquis Authenticarum autor fuerit*, nullo tamen haesitationis momento addito. v. Strauch. *Irner. non errant. c. 2. §. 3. et Bynckersh. de auctore auctoribusue Authent. in praef.* Sed non desunt etiam post Molinaeum, qui eandem, quae antiquiorum est, sententiam fouent, inter quos praecipue nominamus Guidonem Pancirollum *de Clar. LL. Interpr. L. II. c.* 13. et Ianum Vincentium Grauinam *de Or. et Progr. Iuris Ciu. L. I. §.* 143. Rationes suae sententiae habent I. famam diuturni temporis v. Strauch *l. c. c. 2. §. 1.* II. multitudinem autorum idem sentientium, quorum tot fuisse, *quot sufficere dixeris ad inducendam opinionem, vt aiunt, communem*, Bynkershoekius testatur *l. c. C. I.* III. Autoritatem Azonis, cuius *in Comm. ad Tit. Cod. de SS. Eccl. in Authent. hoc ius porrectum n.* 45. haec verba sunt: *Dominus Y* (sine dubio Irnerius) *tanquam vir subtilis posuit quaedam de Authentica illa in istam et ita ex praedictis duabus Authenticis hanc compilauit etc.* adde etiam eius *Summam ad Tit. de SS. Eccles. n.* 13. *prope finem*, et in *Comm. ad Tit. Cod. de L. C. n.* 5. vbi: *assignauit hic incidenter Dominus Yr. duas Authenticas etc.* IIII. Testimonium Odofredi *in Comm. ad Auth. Qui res etc. Cod. de SS. Eccles. nu.* 3. ita loquentis: *Or Signori, vos non debetis hic plus habere in ista authentica: tamen quidam hic habent plus. Sed ista verba non sunt Iusti*, (al. Iustiniani) *quia non sunt in corpore authenticarum, sed haec sunt verba Irnerii.* Corpori authenticarum, per quod intelligit ipsas Nouellarum Collationes, opponit *verba Irnerii*, siue authenticam ex Nouella excerptam. V. Accursii et aliorum Glossatorum Irnerium, tanquam authenticarum compilatorem laudantium, consensum, quorsum allegant Gloss. *ad Authent. multo magis C. de SS. Eccles. Auth. qui res C. eod. Auth. nunc autem Cod. de Episc. et Cler. Auth. quod fieri Cod. de Dilat. Auth. Si pater Cod. de fundo dot. Auth. in Succes. Cod. de suis et Leg. lib. Auth. Defuncto Cod. ad SCtum Tertull. Auth. item haereditas Cod. de bon. quae lib. Auth. hoc si debitor. C. de Pign. et Hyp.* VI. addunt, quod, cum Irnerius ob totum Ius Romanum in vsum, vt creditur, reuocatum *Restaurator Iuris*, *Lucerna Iuris* appelletur, et ab eius maxime temporibus authenticae innotuerint, ipse etiam earum autor dicendus videatur.

Secunda sententia nullas Irnerii partes in componendis authenticis fuisse asserit. Huius antesignanus est Carolus Molinaeus *Lect. Dolan. nu.* 20. *et sqq.* Accedit Iohannes Strauchius *in Irnerio non errante s. Dissert. ad Auth. quas actiones Cod. de SS. Eccl.* et tandem Alexander Arnoldus Pagenstecher *in Prolusione ad Irnerium iniuria vapulantem s. Comm. ad Auth.* vt et *Siciliment. ad Compend. Schuzio Lauterb. Manip. 4. p. 3. sq.* nec non *in muro aheneo*,

Source : BIU Cujas

aheneo, atque *in Corollario Respondentis ad Coit.* 50. quibus locis acerrime a Pagenstechero contra Bynkershoekium disputatur. Argumenta huius sententiae praecipua haec sunt: I. quod vnicum est, quo Molinaeus vtitur, petitur ex Gregorii M. *L. XI. Epist.* 54. Verba Gregorii, quae etiam exhibentur in *Can.* 38. *C. XI. q.* 1. haec sunt: *Ne vero obiiciatur, quia de Clerico hoc loquitur, non de Presbytero, sciendum est, quia superius in eadem constitutione L. Cod.* 1. *legitur, appellatione Clericorum etiam Presbyteros et Diaconos contineri. Verba autem legis ista sunt. Presbyteros autem et Diaconos et Subdiaconos, Cantores et Lectores, quos omnes Clericos appellamus etc.* Quibus verbis credunt *Authent. Presbyteros etc. Cod. de Episc. et Cler.* innui; vnde Molinaeus rationes ita subducit: *Ergo liquet, quod iam tempore suo* (Gregorii M.) *paulo post Iustinianum, vix* 30. *annis ab eius obitu, authenticae illae e vulgatis nostris sumtae, quae sunt in Codice Iustinianeo, fuerunt et tunc eidem Codici insertae etc.* II. Strauchius atque Pagenstecherus addunt, quod *Auth. idem praedium* et *Auth. Sed et permutare etc. Cod. de SS. Eccles.* apud Burchardum et Iuonem, Decretorum ante Gratianum collectores, adeoque Irnerio antiquiores, *Auth. qui vero res etc. Cod. eod.* apud Iuonem solum extent. III. Quod Gratianus in Decreto, quod viuo Irnerio compositum, quoties authenticas alleget, Irnerii nusquam mentionem faciat, sed inscriptione tantum, *Noua Constitutio* vtatur. IIII. Quod et Ioannes vetus Glossator, in *Comment. sup. Nouell.* ad finem Nouellae cuiusque, quae inde Authentica desumta, et quo loco Codici inserta sit, indicans Irnerii nusquam meminerit. V. Quod Albericus Gentilis *de Libr. Iur. Ciu. c.* 6. dicat, quod post Accursium demum Irnerium autorem authenticarum fecerit communis Doctorum opinio.

Tertia sententia inter vtramque media a Bynkershoekio in Diatribe *de auctore auctoribusue Authenticarum Opusc. T. I.* fortissime asserta Irnerium nec omnium, nec nullarum authenticarum auctorem esse statuit. Euellenda itaque animis opinio, quae altas passim radices egit: *eum, qui vnius authenticae autor est, autorem esse omnium, et qui vnius non est, esse nullius.* Nec enim Pagenstecheri assertum, *ab Imperatore aliquo declinantis seculi sexti aut illius iussu Iustinianeas Authenticas in Codicem fuisse infartas,* vllo veterum testimonio fulcitur, imo Graeci ICti, qui huius rei vtique gnari eamque silentio non pressuri fuissent, ne verbulo quidem huius rei mentionem faciunt. Quod vero Arth. Duck. *de autorit. Iur. Ciu. L. I. c.* 4. §. 13. ex testimonio Odofredi asserit, iussu Friderici Imp. authenticas ad ICtos Papienses missas, ab Irnerio Codici fuisse insertas, illud quidem, si quae etiam illi loco fides est, nec de Irnerio dici, nec de his authenticis Iustinianeis intelligi potest, quod ipsa verba Odofredi *ad Authent. Cassa. Cod. de SS. Eccl.* ab Aluarotto *ad prooem. feud. nu.* 12. allegati satis euincunt: *Vt vnum sciatis, authenticum, quod fuit compositum a Iustiniano, habet nouem Collationes. Postea cum venit Imp. Fridericus Iunior, misit has Constitutiones ad ciuitatem istam Doctoribus LL. vt aptarent eam singulis LL. sub congruentibus Titulis. Et ita fecerunt Doctores, dum conuenerunt in S. Petro, qui istam* (Auth. Cassa) *aptauerunt ad Legem istam etc.* Hinc enim constat 1) haec ad Irnerium non spectare, qui ad Friderici II. tempora non peruenit, sed ad *Doctores Legum eius ciuitatis* referri. 2) Sermonem esse de authenticis Fridericorum, cum iam diu antea Authenticae Iustinianeae, tanquam Codici insertae, allegentur. Plures potius esse authenticarum autores I. euincunt varia Joannis loca, vbi QVIDAM *habent authenticam et ponunt, sumunt* QVIDAM *authenticam et ponunt*, identidem ingeminatur. Vti et apud Azonem occurrit v. g. *in Comm. ad L. quoniam Cod. de haeret. Habent hic* QVIDAM *auth. sed Curiales etc.* et apud Accursium *ad eandem L. sub finem: signant hic* QVIDAM *talem authenticam, sed hodie*, vt

plura

Source : BIU Cujas

plura alia loca a Bynkershoeckio allegata silentio praetereamus: II. Alia authentica Martino adscribitur *v. Gloss. ad L. Fratres 27. C. de Inofficioso Test.* alia Azoni ex fide Alexandri in *Commentariis Azonis ad Cod. L. I. de Const. pec. L. 10. C. de Haeret. L. 17.* (vulgo 18.) *Cod. de Fide Instrum.* Irnerio vero etiam aliquas deberi authenticas argumenta sententiae primae, non omnes vero deberi argumenta sententiae secundae satis declarant. A Iuliano autem antecessore *in Dictato de Consiliar. Collationi LL. Rom. et Iud. subiuncto* iam aliquam authenticam allegari, licet id Bynkershoeckius ipse asserat, ego non facile crederem, cum verosimile non sit, sub ipso Iustiniano, desertis ipsius legis verbis, iam allegatam esse hominis priuati commentationem; et quam mox dicturus est Bynkershoeckius Gregorii M. loco sententiam, quod is notatiuncula temere auctus sit, eam et huic Iuliano dicendam esse, non immerito suspicemur. Multo minus autem Gregorius M. iam, vti Molinaeo caeterisque placet, aliquam allegasse authenticam videtur. Verba sane ipsius bene perpensa ostendunt clarissime, ipsi de Nouella 123. ipsa, eiusque *c. 21.* non de authentica inde excerpta sermonem esse. Prouocat enim ad ea, quae *in eadem Constitutione*, et quidem *superius in eadem Constitutione* dicuntur, quae cum non occurrant in authentica *Presbyteros*, quae partem nullam verbis, quibus ipsa constat, superiorem habet, a vocabulo *Presbyteros* initium capiens, occurrant autem expressissima superius in Nouellae huius *c. 19.* Nouellam ipsam, non authenticam allegari ostendunt. Accedit, quod verba a Gregorio M. allegata sint: *Presbyteros* AVTEM *et Diaconos*, vocabulum *autem* vero se in Nouella quidem offerat legentibus, non in authentica; quod iterum allegati Gregoriani proximam originem non authenticam sed Nouellam esse fortissime demonstrat. Et hinc notulam *L. Cod. 1.* verbis Gregorii insertam esse a nasuti cuiusdam scriptoris, ad marginem annotantis, et oscitantis librarii, notam marginalem textui inserentis manibus, non coniectura tantum assequimur, sed certis argumentis cum Bynkershoekio conuincimur. Silentium vero auctorum, eo quo Irnerius vixit, tempore *nouam Constitutionem* tantum, aut Authenticas etiam, sed sine laudatione autoris allegantium, nihil aliud probat, quam in rebus praesentibus et omnia scientiae facile expositis non omnes adeo solertes esse et posteritatis amantes, vt in huius tantum gratiam omnia rerum momenta ad finem, quem sibi proponunt, parum facientia, nec in alia etiam, quantum coniicere possunt, causa aliquid momenti habitura operose commemorent. S.

(50) Sunt Leges in Conuentu Italorum *in campis Roncaliae* super Padum prope Placentiam congregato ab Imperatore a Germanis electo et nunc Romam ad coronam Imperatoriam obtinendam iter faciente, nonnunquam et alia ex causa ibi versante latae, in quo conuentu Vasalli Itali Imperatori praesto esse debebant, ni feudum amittere vellent. Conuocabantur autem, vt querelas, si quas haberent, vt controuersias feudales, si quae ortae essent, proponerent, vt iudicium subirent, vt Leges ibidem ferendas exciperent etc. Describunt hos Conuentus Otto Frisingensis *de Reb. Frid. I. Imp. L. II. c. 12.* Radeuicus *de Gestis Frid. I. Imp. L. II. c. 1.* Guntherus in *Ligurin. L. II.* et maxime *L. VIII.* vbi celeberrimum conuentum Roncaliensem a Friderico I. conuocatum recenset, nec non Sigonius *de Regno Italiae Lib. VII. ad an. 973.* Consule etiam Andreae Riuini *Diatriben de Maiumis, Maicampis et Roncaliis c. 8. §. 9. et sqq.* quae *in Syntagmate variarum Dissertationum rariorum a I. G. Graeuio Vltrai. 1702. edito*, octauum locum occupat. Constitutiones eiusmodi, quas Friderici I. et II. in his Conuentibus Italicis promulgarunt, vel in compendium redactas, vel integras, iussu Friderici II. a ICtis in Codicem Iustinianeum, suo quamque loco, relatas esse, verba Odofredi ex Alvarotto superius allata asserunt; et

hae

Source : BIU Cujas

hae quidem Fridericorum Constitutiones alterum Authenticarum genus constituunt.

De autoritate vtriusque generis Authenticarum vulgaris est sententia: *Authenticae Justinianeae, vbi cum Nouellis consentiunt, tantam, quantam hae; vbi vero ab illis discrepant, nullam habent in foro autoritatem. Nouellarum autoritas est ex receptione, ergo et Authenticarum. Authenticae Fridericorum non demum liberae Germanorum receptioni, sed ipsi autorum legislatoriae potestati autoritatem suam debent.* Quod ad Authenticas Iustinianeas attinet, ego quidem cum Strauchio *Irnerii non Errantis* §. 7. et Berlichio *P. 2. Decis.* 257. *n.* 44. nullus dubitarem iis, licet a Novellis discreparent, autoritatem in foro contra communem sententiam adscribere, si res vnice ex prima receptione Iuris Rom. in Germania aestimanda esset. Cum iuuentus Germanica ad audiendos Iuris interpretes in Italiam euolaret, et ibi a primis Iuris Romani restauratoribus vel illorum succesoribus, tam Iure Romano, quam erroribus a se in eius explicatione commissis imbueretur, sine dubio etiam Authenticas ab illis Doctoribus compositas, licet quandoque erroneas, accepit, in Germaniam attulit, forensibus negotiis applicuit, et ipsa tritura fori ita quotidie procedente et tacito Legislatoris consensu firmata, qualescunque accepit Authenticas, licet a fonte suo recedentes, posteritati commendavit. Cum vero sequentibus seculis Leges Imperii Ius Romanum eiusque genuinas partes, non errores primorum interpretum, tanquam ius commune commendent, arbitror vtique, vbi inter Nouellam et Authenticam inde decerptam dissensus est, illam in foro praeferendam esse, nisi quis probare audeat, aliquam authenticam a se allegatam, licet a Nouella discrepantem, vel Lege vel vsu approbatam esse. Consulatur hic etiam Er. Mauritius *de Libris Iur. Comm. horumque vsu* §. 15. Aliud dicendum esse arbitramur de Graeco textu Nouellarum, qui licet ad dubium cuiusuis Nouellae sensum eruendum omnibus commendari meretur, nec primis tamen recepti Iuris Romani in Germania temporibus cognitus fuit, nec vnquam sequentibus temporibus contra textum Latinum iam antea, quasi Iustinianei esset, receptum approbatus fuit.

De Authenticis Fridericianis ego quidem existimarem, eas Codici inserras, ex receptione libera tantum, non aliunde, suam habere in Germania autoritatem. Constitutiones enim Imperatorum in Italia et pro Italis latae non aliter obligare possunt Germanos, nisi vel vsu ipso vel expressa et Legislatoria voluntate in Germania agnitae. Probant hoc vtriusque regni Germanici et Italici diuersissima iura. Differunt 1) modo acquirendi imperii, cum Germanicum electione iam tum delatum fuerit. v. Otto Frising. *de reb. gestis Frider. I. L. II. c.* 1. Italicum vero ab electione illa Germanica pependerit v. Gunther. *Ligur. L. I. v.* 249. *et sqq.* cum Italorum in electione nullae partes fuerint. *ib. v.* 211. 2) modo imperandi, qui in Germania ad Leges imperii adstrictus, in Italia vero illimitatus fuit. v. Radeu. *L. II. c.* 4. et Gunth. *Ligur. L. III. v.* 570. 3) Comitiorum iure. In Germanorum Comitiis Proceres Germaniae iam tum suffragiorum et quidem decidentium iure gauisos esse nemo negat. Quem vero in finem Italiae Proceres ad Comitia Roncalienſia vocati fuerint, superius iam in hac ipsa nota docuimus. Si ad suffragia dicenda aliquando admissi, ea deliberationis et consilii tantum gratia data fuerunt. Ex his omnibus vero facile colligere possumus, Germanos aegre laturos fuisse, si sibi inuitis Constitutio in Campis Roncaliis, adeoque extra Comitia Imperii lata obtruderetur. Noli obiicere, quod Constitutio Friderici I. 2. *Feud. T.* 55. statuat, *tam in Italia, quam in Alemannia.* Horum enim verborum sensus non alius facile esse poterit, quam quod statuatur, vt hoc, quod ibi iubetur, in posterum obseruetur ita in Italia, vti id dudum obseruetur in Alemannia, praecipue cum ibi agatur de re,

in

Source : BIU Cujas

in cuius exercitio non minores Germanorum quam Italorum partes esse poterant, nempe de expeditione Romana. Quod vero Constitutiones Friderici vtriusque, ex quibus Authenticae excerptae sunt, sint in Italia et pro Italis latae, ipse conspectus illarum plerumque docet. Authentica *Sacramenta puberum Cod. si adu. vendit.* excerpta est ex Constitutione *de pace tenenda inter subditos et iuramento firmanda &c. 2. Feud. 53.* quae in Conuentu Roncalienſi an. 1158. a Friderico I. congregato lata, in quo ex Consilio quatuor Doctorum Bononienſium et binorum ex singulis Longobardiae Ciuitatibus Iudicum in iura Regalia inquisitum et Italia multis salutaribus Legibus aucta fuit. Iisdem Comitiis etiam debetur Auth. *Habita Cod. ne filius pro patre*, quae cum data sit *Sacrarum Legum Professoribus*, quos tunc adhuc Germania ignorabat, ad Italiam sane originarie solam spectauit. Friderici II. Authenticae ex Constitutione Romae an. 1220. ipso, quo coronatus est, die lata descendunt. In qua licet verba *per totum Imperium publicandas* videantur Legem et ipsi Germaniae latam ostendere, ex rationibus tamen antea productis id vtique admittere non possumus, et hic *Imperii* vocabulum forsan improprie de sola Italia acceptum, aut Constitutionem quidem ex ferentis animo vniuersalem futuram, aut hoc saltem indicat, se curaturum, vt ea, quae hic constituuntur, etiam in Germania, cum consensu scilicet eorum, quibus ius consentiendi sit, introducantur. Consuli hic etiam poterit *Dissertatio de Authenticarum Auctoribus et Auctoritate an. 1733. Argentorati publice defensa Cap. 2. S.*

(51) Authenticas multorum errorum reas faciunt Wissenbachius *in Sylloge errorum Irner.* et Rittershusius *in Promulſ. Error. Irner.* Patrocinium earum sibi sumserunt Strauchius et Pagenstecherus *ll. cc.* Media hic etiam via incedendum esse arbitramur. Sunt quidam Authenticarum errores, sed non tot tantique, quot vulgo iactantur. Peccatum in Authenticis deprehendimus, vel quod sententia Nouellae male intellecta in alienum a mente Legislatoris sensum detorqueatur, vel quod aliquid ad plenam decisionem faciens omittatur, vel quod aliquid ex cerebro autoris Nouellae addatur, vel quod Authentica loco parum opportuno inseratur. Exempla Authenticarum ex his quatuor Capitibus iuste accusatarum, aliarum vero ab imputatis erroribus merito absoluendarum vide *in Dissert. Argent. alleg. c. 3. S.*

Ad §. CCCCXX.

(52) Philibertus Episcopus.
(53) Consules Mediolanenses.
(54) Hugolinus Bononienſis.
(55) Capitula extraordinaria.

(52) Epistola Philiberti Episcopi ex Decreto Gratiani allegatur *L. 2. Feud. T. 6. de Forma Fidelitatis*, quem textum, cum sequente *T. 7.* a melioribus libris abesse et ex facili, qua titulus octauus quinto iungi posset, ratione, hos sextum et septimum a recentiore manu libris Feudorum insertos esse Cuiacius ad dictos Feudorum textus notat. Exhibetur locus, ad quem Feudorum textus prouocat, a Gratiano *Can. de forma. 18. C. 22. q. 5.* cuius canonis verba esse ex epistola Fulberti Episcopi idem Gratianus verbis illi textui praemissis indicat; nota autem huic textui mox subiuncta docet, missam esse eam Epistolam e Gallia, descriptam ex vetusto Codice Ecclesiae Belluacensis, cuius titulus, *Glorioso Duci Aquitanorum W. Fulbertus Carnotensis Episcopus orationis suffragium.* Hanc Epistolam etiam apud

Source : BIU Cujas

Iuonem *Part. 12. c. 76. Pan. L. 8. c. 122.* occurrere ibidem in margine notatur. Aliud ab ipso Philiberto vel Fulberto de rebus feudalibus opus compositum non occurrit. Quod Iuoni vno in loco *Silibertus*, in alio vero *Fulbertus* dicatur, Antonius Augustinus *de Emend. Gratiani libri Poster. Dial. 9. p. 436.* iam notauit. A Trithemio *de Scriptoribus Eccles. Fulpertus* dicitur, *Episcopus Carnotensis in scripturis diuinis eruditissimus et in secularium litterarum disciplinis omnium suo tempore Doctorum doctissimus, poëta clarus et dialecticus, multis annis scholae publicae praesidens, plurimos doctissimos auditores enutriuit &c. Claruit temporibus Henrici Regis primi Anno Domini 1010.* quem hac in re sequitur Antonius Augustinus *l. c.* Plura de eo habet Caue *Script. Eccles. Hist. Liter. ad annum 1007.* qui eum an. 1028. d. X. Aprilis obiisse testatur. Conf. etiam Hornii *Iurispr. Feud. c. 1. §. 21.* Senckenberg. *Iur. Feud. prim. lin. P. I. c. 3. §. 56. et c. 4. §. 72.* S.

(53) Gerardus Niger *Capagisti*, aliis *Gilardus Capias*, aliis *Girardus Capagisti*, aliis *Cagabisti*, aliis *Gherardus Cacapisti* dictus, vid. Schilteri *Praef. ad Ant. Mincucc. §. 2.* et Obertus ab Orto *f. Albertus ab Horto* Consules Mediolanenses, malo suo fato Friderico I. Imperatori innotuisse videntur. Cum enim Imperator in Comitiis Roncalienſibus versaretur, et hi duo Consules Mediolanenses forte eo etiam suarum rerum in illo Conuentu agendarum gratia venissent, Cumanorum *f.* Laudensium Consules *lacrymabilem super Mediolanensium superbia faciebant querimoniam. Princeps igitur his de causis superiores Italiae partes aditurus, per Mediolanensium fines transire volens, praedictos Consules, tanquam viae duces futuros, et de idoneis tabernaculorum locis disposituros, secum retinuit &c.* Inde *in territorio Mediolanensium castra posuit. Dumque a praenominatis Consulibus per arida, vbi nec stipendia inueniri, nec ex mercatu haberi possent, circumduceretur loca; indignatione motus, iussis primo, vt ad propria redirent, Consulibus in Mediolanenses arma conuertit &c.* Hi *non solum damno praesentium sed et metu futurorum stupefacti, Gerardi Consulis, tanquam huius mali auctoris, domum, Principis iram mitigaturi, dirimunt.* v. Otto Friſing. *de Gestis Frider. I. Imp. L. II. c. 12. in f. c. 13. et 14.* et Sigonius *de Regno Italiae L. XII.* Hi duo Consules Mediolanenses Res Iudicatas, Consuetudines et Constitutiones Feudales collegerunt quidem, sed priuata omnino autoritate, cum nulla publici hac de re iussus memoria vllibi superſit, et Obertus ab Orto, quaecunque hac in re scripserit, in gratiam Anselmi, filii sui, collegisse videatur. *L. II. Feud. Tit. I.* Nec sane quod de Frider. I. dicitur a Radeuico *L. II. c. 7.* et Gunthero *Ligur. L. 8. v. 509. sq.* atque a Sigonio *de regno Italiae Lib. XII.* ipsum Leges feudales promulgasse, intelligendum facile erit de laboribus horum Consulum Mediolanensium ab Imperatore publice approbatis, cum et iusta Imperatoris in eos indignatio id non pati videatur, et Legum Feudalium ab eo latarum enumeratio ab his ipsis auctoribus facta clare ostendat, sermonem his auctoribus tantum esse de Legibus quibusdam singularibus ab ipso Friderico latis, quod praecipue Radeuici verba declarant: *de Iure Feudorum Leges promulgauit, quarum capitula praesenti annotationi subiecimus &c.* non vero de multitudine legum alienarum ipsius iussu in vnum corpus collectarum, multo minus autem de opere quodam ab his ipsis Consulibus Mediolanensibus, sat male ipsi commendatis, composito. v. Bitsch. *Prooem. Comment. in Consuet. Feudorum p. 8.* Schilter. *Praef. ad Ant. Mincucc. §. 2.* Horn. *Iurispr. Feud. c. 1. §. 22. 23.* Senckenberg. *Iur. Feud. prim. lin. P. I. c. 4. §. 81.* Illa autem horum Consulum Mediolanensium opera ad nos quidem non peruenerunt integra, sed illorum tantum fragmenta et sententiae, quas autori huius collectionis, quae nunc Iuri Iustinianeo subiungitur, suo operi inserere placuit, eo plane modo, quo Collectores Pandectarum veterum Iurisconsultorum sententias ex plenioribus operibus excerptas, suae collectioni

Source : BIU Cujas

tioni inſeruerunt. Id quod duo praecipue argumenta oſtendunt. Primum eſt, quod Conſulum verba, quaſi antiquiorum autorum a Collectore allegentur ita, vt nunc ipſe Collector loquatur, nunc Mediolanenſes, nunc alii, vti videre eſt ex 2. *Feudor.* I. 25. 28. 30. 32. 34. §. 1. 36. 42. 51. §. 5. *et* 6. Alterum vero eſt, quod plane 1. *Feudor.* 13. vbi de alienatione feudi agitur, *Mediolanenſes irrationabiliter conſiderantes*, totum a Vaſallo feudum alienari permiſiſſe dicantur, quae Mediolanenſium Conſuetudinum paulo acrior cenſura non a Conſulibus Mediolanenſibus, minime autem ab his duobus profecta videtur, quos cauſae patriae nimis, et quidem cum iniuria aliorum, imo Principis, fauiſſe, ex iis, quae dicta ſunt, conſtat. v. Horn. *Iuriſpr. Feud. c.* 1. §. 22. *et ſq.* H. Cocceii *Iur. Feud. Hypomnem. Tit.* I. §. 10. S.

(54) Hugolinum Libros Feudorum, quibus nunc vtimur, concinnaſſe et ſub nomine *Collationis Decimae* Corpori Iuris Iuſtinianei ſubieciſſe communis eſt Doctorum ſententia. Quo tempore vero et qua auctoritate id egerit, diſceptatur. Alii enim id ſub Friderico I. priuata autoritate, alii ſub Friderico II. huius Imperatoris iuſſu factum eſſe contendunt. Huius ſententiae poſterioris praecipui aſſertores ſunt Schilterus *in Praef. ad Mincucc.* §. 4. et Struu. *Hiſt. Iur. c.* 8. §. 19. In quam partem etiam inclinat Conring. *de Orig. Iur. Germ. cap.* 33. *p.* 217. ſuppreſſo tamen Hugolini nomine. Praecipuum aſſerti ſui argumentum deducunt ex Odofredo *ad Auth. Caſſa Cod. de SS. Eccleſ.* qui verbis, quae ad §. 419. citauimus, haec ſubiungit: *Poſtea quid fecerunt? Dom. Hugolinus poſt nonam Collationem poſuit librum feudalem et omnes Conſtitutiones Federici antiqui et iunioris et aliquas leges Conradi Imp. et vocatur decima Collatio* &c. ex quibus verbis Baldus *in Procem. Feud. n.* 5. colligit pluribusque demonſtrare contendit, quod liber hic Feudorum ſit *authenticus, ſolennis et ſeruandus*, vnde tandem concludit: *ideo pertinaces deſinant latrare.* Vnde etiam Antonius Monachus *de recta feudi interpr. cap.* 3. 46. Odofredo ſubſcribit, *quia quaſi de viſu et de his, quae ſuis temporibus geſta ſunt, teſtatur.* Adiungunt teſtimonia Gobelini Perſonae *Coſmodromii aetate VI. c.* 64. dicentis: *Idem Fridericus* II. *fecit quendam librum de feudis.* Theod. Engelhuſii *in Chron. p.* 1115. qui, *ipſe*, ait, *leges optimas pro libertate Eccleſiae contra haereticos edidit, et librum feudorum.* Nec non Pand. Collenutii *Hiſtor. Neap. cap.* 4. *p.* 183. de Friderico II. ita loquentis: *Librum de vſu feudorum optimum et in ſcholis vſitatum conſcribi curauit.* Verumenimuero cum Hugolinus Friderico I. in conuentu Roncalienſi iamiam a conſiliis fuerit, vt teſtatur Radeuicus *de geſtis Friderici L.* 2. *c.* 5. cum iam an. 1168. fato functus ſit, vid. Panciroll. *de Clar. LL. Interpr. L.* 2. *c.* 17. et Grauina *de Ort. et Progr. Iur. Ciu. L. I.* §. 147. quod epitaphio eius apud S. Victorem Bononiae exiſtente luculenter probat Pancirollus, non potuit ſane Friderici II. demum temporibus Iuris Feudalis collectionem aggredi. Accedit, quod nequidem Odofredus (cuius teſtimonium omnino reiicit Molinaeus *ad Conſuet. Pariſ. Tit. I. pr.* §. 103. Vultei. *de Feud. L. I. c.* 1. *n.* 7. Bitſch. *Progem. comment. in Conſuet. Feud. p.* 10.) Hugolinum hanc operam Iuri Feudali iuſſu Imperatoris praeſtitiſſe aſſerat. Reliqui ſcriptores, qui Fridericum II. aliquem feudorum librum edidiſſe teſtantur, nihil certi ſane de collatione decima iuſſu Imperatoris facta loquuntur, et ab Hugolino nimis remoti ſunt, quam vt contra certa de eius aetate et obitu teſtimonia fidem facere poſſint. Vnicum ſupereſt, quod non leuiter pungit, nempe Iacobi de Ardizone *in Summ. Feud. c.* 1. teſtimonium, qui ſe Hugolini et Azonis auditorem fuiſſe aſſerit. Cum vero hic ſub annum 1300. vt Schilter. *in Praef. ad Mincucc.* §. 7. refert, capitula, quae vocantur, extraordinaria ediderit, praeceptor eius Hugolinus facile ſub Friderico II. minime vero ſub Friderico I. docere potuit. At vero, cum duos ſub

Source : BIU Cujas

Hugolini nomine claruisse sciamus ICtos, quod et testatur Pancirollus *l. c.* res ipsa nos sponte in eam sententiam ducit, vt Hugolinum Iacobi de Ardizone praeceptorem diuersum omnino esse a celebriori illo Hugolino statuamus, et hinc illum, quem communiter sub Hugolini nomine intelligimus, non sub Friderico II. demum Ius Feudale in Collationem decimam redegisse dicamus. Haec igitur, quae Hugolinus collegisse dicitur, *Capitula ordinaria* appellari solent, et Feudorum Libri II. Tit. 58. finiuntur, atque cum sub *Decimae Collationis* nomine Iuri Iustinianeo adhaereant, in foris Germaniae tanquam partes huius considerantur, et eadem fere, qua hoc ipsum Ius Iustinianeum, autoritate gaudent. Licet enim exiguum vsum huic Iuri concedere videatur Conring. *de Orig. Iur. Germ. c. 33. p.* 218. magis tamen vtique, ex ratione a nobis allegata, dicendum videtur id eo, quo Ius Iustinianeum, modo receptum esse. Atque ita Schilteri sententiae *in Praef. ad Mincucc. §. 5.* maxima ex parte subscribimus: *Ex his iam facile iudicari potest, qua autoritate vel Authentia gaudeat Ius Feudale Longobardicum. Videlicet primo habet autoritatem rerum iudicatarum partim, partim responsorum prudentum, partim, quatenus Constitutiones Principum continet, etiam iuris scripti seu promulgati;* iis scilicet in regionibus, in quibus id promulgatum fuit, adeo vt Constitutiones in Comitiis Roncalicis promulgatae tantum in Italia autoritatem Legalem ex promulgatione sua habuerint. v. Conring. *de O. I. G. c. 25. Denique postquam autoritate publica* (siue priuata, id enim hic perinde est) *Collatio decima facta fuit, etiam eandem communem autoritatem* in Germania *adepta, quam obtinuit totum Ius Iustinianeum in orbe Europaeo-, saluis scilicet Legibus et Consuetudinibus cuiusuis Regni atque Reipublicae* &c. conf. Bitsch. *Prooem. Comm. in Consuet. Feud. p.* 13. *et sq.* Horn. *Iurispr. Feud. c.* 1. *§. 26.* Thomas. *Select. Feud. §. 69.* Struu. *Hist. Iur. c.* 8. *§.* 21. Quo tempore vero vsus huius Iuris ad Germanos peruenerit, etiam disputari solet. Plerique Sec. XV. id demum factum esse existimant. Quam sententiam praecipue defendit Conring. *de Orig. Iur. Germ. c.* 32. *p.* 205. Cui subscribit Hertius *de Consult. LL. et Iud. in special. Romano Germ. Imperii Rebuspubl. §.* 14. et Struu. *Hist. Iur. c.* 8. *§.* 28. Licet enim Ludewigius *in Praef. Iur. Client. Germ. §.* 8. quod iam sub finem Sec. XII. ministeriales *se nouo libro tueri voluerint, appellato vsus feudorum, in vernaculo Das Leben-Recht*, ex testimonio Diplomatum plenae fidei asserat, et Glossatorem Iuris Saxonici ad illud prouocare ipse fateatur Struuius, mouentur tamen maxime, quod referente Browero *Annal. Treuir. L. 16. ad an. 1276.* cum Henricus Archiepiscopus Treuirensis quaedam de iure feudorum coram Rudolpho Imperatore referri decernique cuperet, relatione a Bernhardo de Hagiritia facta, *ad Legis ipsius et Principum decretum* ita prouocatum fuerit, vt manifeste Iuris Feudalis Alemannici *c.* 15. innueretur, nulla Longobardici Iuris mentione facta; imo, quod adhuc sub Sigismundo anno 1417. causa Ducum Bauariae Henrici et Ludouici v. Goldast. *Reichs-Satzungen P. II. p.* 99. ex Iure Germanico decisa fuerit: *Nachdem, und wir hie in teutschen Landen zum rechten sessen, als ein Römischer König und Herzog Ludwig und Hertzog Heinrich vorgenannt beyde Teutsche Fürsten wären und zum Reich gehörende und die sache teutsch und umb des Reichslehn were, die in teutschen Landen gelegen weren, und wir in beyderseits ein teutsch Recht mit teutschen Fürsten besezt hetten, und beyde Theil mit teutschen Fürsprechern fürgestanden, und ihr Sach nach teutschen Rechtens Gewohnheit fürgelegt hetten, so sprechen sie zum Rechten: was ieglicher theil fürlegen wollte, es were Briefe, Worte, oder andere redliche Kundschafften, dass er das in teutschen und nach teutschen Rechtens gewohnheit durch seinen Fürsprecher thun und fürtragen solle.* Nos vero non quidem vsum constantem et perpetuum Iuris Longobardici Feudalis Sec. XII. in Germania fuisse asse-

Source : BIU Cujas

asserimus, ex iis tamen, quae ministeriales apud Ludewigium dicunt, patere arbitramur, id ius iam tum Germaniae innotuisse. Eam vero notitiam nec Sec. XIII. cessasse ostenditur, cum Stero Altahensis *in Annalibus ad annum 1295. apud Freher. Scriptor. rerum Germ. T. I. p. 576.* ad privilegium antea a Friderico II. Clero Ratisbonensi concessum et nunc ab Adolpho Nassouio renouatum prouocet, idque *fere de verbo ad verbum in libro Vsus Pheodorum esse expressum* dicat. Seculo XIIII. sane ab ipso Carolo IIII. an. 1360. non tantum in Italia, sed et in Germania ad Ius feudale Longobardicum prouocatum fuisse ex Glafeii *Anecdot. T. I.* docet Senckenberg. *Iur. Feud. Prim. Lin. P. I. c. 4. §. 87.* His quidem seculis Ius Feudale Longobardicum cum Germanico non tam de primatu quam de societate certasse videtur. At vero statim sub initia Sec. XV. frequenter in publicis negotiis illud adhibitum deprehendimus. Literae Legitimationis Gerlaco Grans a Ruperto Imp. an. 1408. nec non aliae an. 1409. Rudolfo von Zeisenheim, ac iterum aliae an. 1410. Cuntzmanno de Ettendorff datae apud Schilter. *Iur. Feud. Alem. c. 40.* collationem decimam eiusque *Caput*, *Naturales*, *in Rubrica*: *Si de feudo controuersia fuerit*, disertis verbis allegant. Succedunt plura sub Sigismundo Imp. testimonia, eius Iuris nunc plane recepti et primum fere in rebus feudalibus locum occupantis vsum omnino confirmatum loquentia. Ita litem inter Regem Daniae Ericum VIII. et Holsatiae Duces de Ducatu Slesuicensi motam dirimit, vel potius sententiam Erici Regis confirmat Sigismundus anno 1415. Iuris Feudalis Longobardici textus presso pede secutus. v. Ioh. Isaci Pontani *Hist. Rer. Danic. L. VIIII.* Ad quos etiam in decidenda causa, quae inter Ludouicum et Ernestum, Bauariae Duces, vertebatur an. 1425. oculos intendit, cum commissi lege Imperatori apertas esse dicit prouincias, quas *Boici Duces Imperio beneficiariae clientelae nexu deuinctas inconsulto Imperatore, contra ac Iura volunt, essent partiti, atque insuper belli calamitatibus insigniter minuissent.* v. Io. Adlzreiteri *Annal. Boicae Gentis Part. II. Lib. 7. n. 68.* Imo an. 1434. in causa successionis in Electoratu Saxonico modum decidendi ad normam Iuris feudalis Longobardici definiens id iam *Ius Commune* appellat. v. Goldast. *Constit. Imper. P. III. p. 440.* Nec in contrarium quenquam moueat sententia a Sigismundo inter Henricum et Ludouicum, Bauariae Duces, anno 1417. ex Iure Germanico dicta, quae nostris partibus potius fauet. Quodsi enim extranei Iuris ea tempestate non iam satis confirmatus fuisset vsus, non opus fuisset sententia, vt aiunt, interlocutoria, qua multis rationibus operose conquisitis definiretur, quod nunc quidem in hac causa Iuri Germanico locus esse deberet. Res enim omni dubio caruisset. Accedit, quod vox *Teutsch* intra paucas eius sententiae lineas toties et tam anxie repetita, vltimos quasi Iuris feudalis Germanici, extremos spiritus aegre ducentis et cum quadam querimonia eructantis conatus non obscure ostendat.

Cum in hac Iuris Longobardici, qua vtimur, collectione saepius sententiae sibi inuicem contrariae seipsas ordine excipiant, nec a collectore addatur, quae alteram vincere debeat, multi ex eo, quod plerumque factum esse obseruarunt, argumentum ducentes existimant, sententiam primo loco relatam approbari, eam vero, quae sequitur, reprobari, adeo, vt si quandoque ea; quae secundo loco posita est, disertis verbis approbata deprehenderetur, id exceptionem a regula constitueret. v. Mauritius *de Libr. Iur. Comm. §. 26.* Alii meliori iure credunt, eam esse praeferendam, quae menti autoris, aut, si haec dubia esset, Analogiae Iuris magis respondet. Ita menti autoris magis priorem in *2. Feud. 28. in pr.* et §. *Si Vasallus &c.* nec non §. *his consequenter &c.* posteriorem vero *in 2. Feud. 30. et 36.* respondere dicit Coccei. *Iur. Feud. Hypomnem. Tit. I. §. 14.* Cum ratione Iuris vero magis consentire priorem *in 2. Feud. 51. §. Similiter quis &c.*

Source : BIU Cujas

et §. *pen. ibid.* posteriorem vero *in* 1. *Feud.* 27. *in f.* 2. *Feud.* 34. §. 1. et 2. *Feud.* 41. *in f.* idem existimat. Si inter diuersos textus pugna appareat, iique ambo sint ex Capitulis ordinariis, is qui Iuris Analogiam magis sequitur, praeferendus erit; si ordinarius ab extraordinario dissentiat, ille omnino vincet, nisi huius vsum prae altero receptum docere quis possit. v. Horn. *Iurispr. Feud. c.* 1. §. 51.

Capitula haec ordinaria idem, quo Ius Iustinianeum exceptum est, fatum experta fuerunt, vt *Paratitlis*, *Summis et Glossis* vel ornarentur vel potius onerarentur. Vti vero caeteris Iuris Iustinianei Glossatoribus palmam praeripuit Accursius, qui Glossas collegit et in ordinem redegit, ita inter Iuris Feudalis Glossatores eminet Iacobus Columbinus s. Iacobus Gusredi, vti a Glossa recentiore *in Rubrica I. Feud.* 7. dicitur, qui etiam Glossas in concinniorem ordinem redegit, de quo Iason *in Praelud. feudor. super hoc opere feudorum plerique antiquorum Glossas scripserunt, sed caeteris plenius Iacobus Columbinus de Regio glossas plenas et vtiles adiecit, quas nostris cordibus inscriptas vel hodie insculptas habemus, et illis vtimur.* S.

(55) Capitula quae L. II. Feud. Titulum 58. sequuntur, a Iacobo de Ardizone filio Domini de Ardizone de Broilo sub annum 1300. vel vt alii volunt, 1303. collecta ab ipso autore iam dicta sunt extraordinaria *Summae c.* 148. *et sqq.* Cum Decima Collatio iam ante ipsum composita fuerit, haec Capitula extra eam vagantia, non agnita fuerunt pro parte Iuris Iustinianei, nec Glossis aucta, nec ab iis, qui Glossatores exceperant, ICtis facile allegata, qui receptum iam allegandi vsum turbare religioni sibi duxerunt, vt testatur ipse Iason *in Praelud. Feud.* Quae ratio est, cur non cum ordinariis in vsum recepta, nec eandem, quae illis est, autoritatem nacta fuerint. Non tamen omni ea carere effectu dicerem, cum facere vtique possint ad illustranda capitula ordinaria, si quid in iis obscuri aut dubii occurrat; imo et ad ea, vbi deficiunt, supplenda. Ad corrigenda vero vtique allegari non poterunt, nisi probari pos[illegible], alicui extraordinario textui, cum ordinariis pugnanti, vsum fori suffragari. Ita, qui caput ordinarium allegat, habet, vti loquuntur, *fundatam intentionem*, qui extraordinarium producit, non habet. S.

Ad §. CCCCXXIII.

(56) Antonius Mincuccius.
(57) Barthol. Baraterius.
(58) Neuter libellus &c.

(56) Antonius Mincuccius de Prato Veteri, vti seipsum apud Schilterum aliquoties nominat, non *Meriputius*, vti Mauritius *de Libris Iuris Comm.* §. 24. eum seipsum in epistola ad Fridericum Imp. appellasse scribit, nec *Mericutius*, vti in annotatione Capitulorum paulo recentiori eum vocari idem Mauritius testatur, Doctor Bononiensis, an. 1428. Bononiae, vbi Ius Ciuile docuit, textum feudalem digessit, vti ex eius Praefatione ad Bononienses constat. Anno 1431. Florentiae ius docuit, et ibi editionem correctam edidit; postea Patauii ius interpretatus reuisam denuo editionem procurauit an. 1442. quae ex duobus eius epilogis discuntur. v. Schilter. *Praef. ad Mincucc.* §. 10. Textus ipsos feudales non mutauit, sed tantum ex melioribus Codicibus restituit, et in sex partes digessit, atque ideo *sexpartitam ordinationem* appellauit. Opus si non iussu et auspiciis Sigismundi Imp. suscepit, quod tamen innuere videtur inscriptio libri primi apud Schilter. *praef.* §. 9. collata cum epistolae ad Bononienses verbis vltimis, illud tamen com-

Source : BIU Cujas

compositum *Scholaribus vtriusque Vniuersitatis Iuristarum Bononiensium* misit, vt *si quid in his minus quam bene positum ac relatum inuenerint, ad Sacratissimum Principem Sigismundum, Romanorum Imperatorem, corrigendum et debito loco ponendum, eaque ita posita et correcta Imperiali autoritate et ordine confirmanda*, quo confirmata in scholis legi possent, *sedula prece vellent insistere.* v. *Epistolam ad Bononienses ſ. Praefationem ipsius Mincuccii in f.* An confirmationem impetrauerit Mincuccius non constat, quam, licet Schilterus *Praef.* §. 11. obtentam fuisse coniiciat, licebit tamen cum Mauritio *de Libr. Iur. Comm.* §. 25. et Rhetio *Comm. in Ius Feud. comm. Prooem. n.* 13. dubiam reddere, cum non sit verosimile Mincuccium, si iam a Sigismundo Imp. confirmationem sui operis impetrasset, eam demum a Friderico Imp. petiturum fuisse. Certe Mincuccius Epistola ad Fridericum III. Imp. scripta, cuius partem Mauritius exhibet *l. c.* §. 25. opus suum autoritate publica donari petiit, et obtinuit. Cuius rei, contra Rhetii et hanc confirmationem impugnantis rationes, fidem certissimam facit Iason *in Praelud. Feud.* vbi de Mincuccio sermonem faciens, *et ipse attestatur*, ait, *quod librum suum destinauit Serenissimo praesenti Imperatori Friderico, et ab eo fuit approbatum et mandatum, quod in publicis studiis legeretur.* Quod etiam affirmant Cuspinianus, Haloander, Hottomannus, Goldastus aliique. v. *Elogia Mincuccii apud Schilterum.* Nec tamen ille Mincuccii liber postea aut in scholis, extra Bononiam, aut in foris auctoritate publica gauisus est. Cuius rei non ea causa est, quam comminiscitur Goldastus, impedimentis, nescio quibus, a Summo Pontifice obmotis male eam tribuens, quam Goldasti opinionem iam reiecit Schilterus *Praef.* §. 15. sed haec duplex ratio esse videtur, quod non tantum vulgaris feudorum Collectio iam Iuri Iustinianeo iuncta atque autoritatem cum hoc nacta fuerit, sed et, quod Iurisconsulti vulgarem allegandi rationem, a Glossatoribus iam confirmatam, hac noua methodo turbare noluerint, quod disertis verbis docet Iason, qui *Praelud. Feud. Ego autem considero*, inquit, *quod renouare praesentem librum esset confundere glossam vtriusque iuris, quod vtriusque censurae Doctores, qui allegant istum librum secundum formam et ordinem, quem habemus, et illum sequendum duxi.* &c. vid. praeter Schilterum *l. c.* Struuius *Hist. Iur. c.* 8. §. 26. Diu latuit hic Mincuccii liber, a multis eruditis anxie expetitus. v. *Elogia Mincuccii apud Schilter.* Inde Haloander eius editionem meditatus est quidem, v. *Eius Epist. Nuncupat. Nou. et Feud.* sed res caruit euentu. Postea Ericus Mauritius, vt ipse testatur *de Libr. Iur. Comm.* §. 24. dum Tubingae feuda doceret, Codicem manuscriptum membranaceum optimae notae, ac inauratum a quodam auditorum suorum dono accepit et cum iam Chilonienſis Professoris munere fungeretur, eum edere secum constituit, mox tamen mutato consilio, vel quod negotiorum mole impediretur, vel quod, vt aliqui arbitrantur, tantae expectationi hunc auctorem non ex asse responsurum auguraretur, *nullis precibus rationibusque adduci potuit, vt eum publico donaret* v. Hertius *in Praef. ad Mauritii Dissert. et Opuscula.* Tandem Schilterus noster, conciliatore Illustri Obrechto obtinuit, vt, qui in Regia Parisina Bibliotheca latebat Codex MSCtus, Ioh. Philippo Schmidio nostrati traderetur, qui accuratissimum eius exemplar confecit, postea a Schiltero cum Codice Iur. Feud. Alemannici, editum et cum Venerandi Senis, Consultissimi Scherzii nostri praefatione an. 1728. in fol. hic recusum. Commendatur Mincuccius non tantum, quod meliorem, quam qui vulgari collectioni est, rerum ordinem seruauerit, sed quod textus feudales ex optimis Codicibus restituerit, ex quibus multi, qui etiam in Gothofrediana editione parum accurate exhibentur, et cum tribus antiquissimis Feudalium Librorum editionibus, vna sine loco et anno impressionis, alia Basileensi an. 1478. aliaque Veneta 1497. non raro pugnant,

Source : BIU Cujas

v. Mauritius et Rhetius *ll. cc.* feliciter emendari et illustrari possunt. S.

(57) Vel vti se ipsum *in Praef.* vocat, Bartholomaeus de Barateriis. Eodem anno, quo Mincuccius librum suum iterum recognitum edidit, 1442. et Baraterius suum publici iuris fecit. Non ille Epitomen Mincucciani operis sistit, quod nonnullis visum fuit, sed, vti ipse in Praef. loquitur, *nouum libellum consuetudinum et legum feudalium composuit, in quo ipsas diuersa quidem forma, eodem tamen sensu retento transformauit, et in eo nihil aliud, quam quod ad materiam, feudalem pertinet, inseruit.* Aemulatione Mincuccii accensum Baraterium fuisse non sine ratione suspicatur Schilterus *Praef. ad Mincucc.* §. 14. Praestat Baraterio Mincuccius, quod hic Glossam exhibeat, qua Baraterius caret, et hanc quidem, vti et ipsum textum, emendatiorem; quodque *regulas iuris feudalis et notabiles obseruationes ad finem* adiecerit. Obtulit Baraterius opus suum Philippo Mariae Duci Mediolani &c. cui praefatio inscribitur, qui illud approbauit atque Vniuersitati Papiensi misit *tertio Kal. Nou.* 1442. De Baraterio hoc est Iasonis testimonium *in Praelud. Feud. Consummatissimus vtriusque censurae, D. Baraterius de Placentia, qui in hac alma Vniuersitate* (Ticinensi) *et Ferrariensi vtriusque Principis Ducalis Senator multos annos in vtroque iure publice legit, et praesentem librum feudorum vtiliter reformauit, et reduxit in breuissimum opusculum, donatum Illustrissimo felicis recordationis Principi Duci Philippo Mariae et est in Bibliotheca Principis in arce Castri Ticinensis collocatum.* S.

(58) Rationem supra in nota (56) ex Iasone indicauimus. S.

Ad §. CCCCXXV.

(59) *Ad Heineccii notam.*

(59) Cum optimas quasque scholas haec labes diu inquinauerit, Argentinensi nostrae nemo facile succensere poterit, si et illa ab hac macula non plane immunis fuisset. Taborem hoc odio non leuiter imbutum fuisse affirmarunt quondam Salmasius atque Conringius, viri, si qui vnquam, literatissimi, cum quibus acres ipse lites aluit. Et nostra aetate eandem ipsi labem impingunt Gundlingius *Gundlingianorum P.* II. *c.* 2. §. 7. et Mylius *Hist. Theophili c.* 2. Quorum tamen iudicia iusto acriora videntur, si quae Boeclerus, testis sane in rebus ad puriores litteras spectantibus omni exceptione maior et illi σύγχρονος, in Elogio Gregorii Biccii scribit, considerentur, vbi Taborem Iurisconsultorum Papinianum appellat. Cum Boeclerus inter primarios litterarum elegantiorum patronos merito nominandus, operis Grotiani et eorum, qui in illo plena manu sparguntur, elegantiarum omnium flores, amoenitate captus illud commendare et interpretari auderet, et risus et rixas Collegarum, praecipue ordinis Iuridici expertus est, adeo vt singulari Programmate contra rem adeo nouam insurgeret Io. Rebhanius, Iuris D. et P. P. sane non incelebris, de qua re queritur ipse Boeclerus *in Praef. ad Comm. in H. Grotii I. B. et P.* v. etiam Barbeyrac. *Praef. Gall. ad Grotii I. B. et P.* et Thomas. *in paulo plen. hist. I. N.* Verum his contra opus Grotii et labores Boecleri conatibus non tam odium optimarum litterarum, quam Iuris Naturalis aliunde, quam ex Iure Iustinianeo petiti, cui id vnice deberi existimabant eius temporis Iurisconsulti, nouitas ansam praebuisse videtur. Bachouium ob furores belli tricennalis Heidelberga exulem, miseriarum lenimenta et necessaria contra famem praesidia Argentorati quaerentem, admissum quidem sed docere prohibitum fuisse, non tam odio erga bonas litteras, quas cum Iurisprudentia egregie coniunxit Bachovius, aut inuidiae docentium, cui id adscribit ipse *in Praef. ad Comment. Inst.* et Gund-

Source : BIU Cujas

Gundling. *Otior. P. I. c. 5. §. 7.* nec non Buderus *in not. ad eius vitam p. 346.* sed rationibus, vt ita loquar, politico-ecclesiasticis, ex conditione illorum temporum maxime aestimandis, maiori saltem ex parte imputandum videtur. S.

Ad §. CCCCXXV.

(60) Nihil suo loco stare permitterent.

(60) Quam necessarium sit ICto Critices studium, quam prudenter vero et modeste id exercendum, et quantum licentia Criticorum Iurisprudentiae damnum det, nemo maiori acumine docuit quam Bynkershoekius in *Praef. ad Obs. Libros IIII. priores.* Ex cuius verbis haec maxime huc facere videntur: *Vt verbo dicam, non est pronuntiandum de emendationibus, nisi sero demum et caute. Vbi par aut potior est causa receptae lectionis, ea semper vincet; vbi nulla eius tuendae ratio supereſt, etiam tunc abstinere velim Criticos, nisi sola modestia se commendent et de rebus grauissimis non decernant, nisi prudenter et pronis in errores vocibus. Qui aliter instituunt, certum est, Iurisprudentiae magis obesse, quam prodesse, et artem cum necessariam, tum vtilem exponere ludibrio publico.* S.

Ad §. I.

LIBRI SECVNDI.

(61) Scripturâ carerent &c.

(61) Si inuentio litterarum Gothicarum solo Philostorgii testimonio niteretur, de eius fide dubitari posset, cum ex communis sectae studio plura, quam par erat, Vlphilae suo, siue, vt ipsi perpetuo dicitur *Vrphilae*, adscribat Philostorgius, quod iam monuit ipse Photius sub finem capitis Excerptorum hic allegati et plenius id ostendit Iac. Godofredus *in Prolegom. p. 28. et in not. ad Philost. l. c.* multa de Vlphila a Philostorgio dicta, quae ab aliis omnibus ignorantur, recensens. Sed bene Heineccius ipsi socium addit Socratem, qui disertis verbis dicit; *Vlphilas Gothorum Episcopus Gothicas litteras excogitauit.* Cui subscribit etiam Sozomenus *Hist. Eccl. L. VI. c. 37.* de Vlphila distincte testatus, quod *apud Gothos is primus litterarum inuentor extiterit*, quibus duobus posterioribus testibus ea suspicionis ratio non obstat, quam Philostorgio obiici posse diximus. Si ne Gothis quidem literae fuerunt ante Vlphilam, multo minus reliquis Germanicae gentis populis earum vlla esse potuit notitia, cum Gothi sane soli inter gentes Germanicae originis iam olim aliquam eruditionis speciem sibi comparaverint, si fides est Iornandi *de Reb. Get. c. 11.* vbi Gothos a Diceneo philosopho, qui ad Sullae fere tempora ascendisse videtur, in Ethicis, Physicis, Logicis, Astronomicis institutos esse testatur, sub finem addens: *Qualis erat, rogo, voluntas, vt viri fortissimi, quando ab armis quatriduum vsque vacassent, doctrinis Philosophicis imbuebantur? Videres vnum coeli positionem, alium herbarum frugumque explorare naturas: istum lunae commoda incommodaque, illum solis laborem attendere* &c. Prudenter vero Heineccius in hac causa verba Taciti *de Mor. Germ. c. 19. litterarum secreta viri pariter ac foeminae* igno-

Source : BIU Cujas

ignorant, ad finem, quem sibi proponit, frequenter alias allegari solita et ab ipso Conringio de *Orig. Iur. Germ. C. I.* et Bernegg. *Quaest. ad Tacit. 99.* in hanc causam citata non adhibet. Iam satis enim alii ostenderunt, et tam ratio, quae Tacitum vel ad scribendum de moribus Germanorum libellum impulisse, vel quam saltem ipse perpetuo in illo seruasse videtur, nempe, vt corruptos Romanorum mores opposita puritate Germanorum tecte perstringeret, quam ipsi verborum Taciti nexus demonstrant, ibi non de vulgari quodam scribendi genere, sed de qualibuscunque notis clandestinis, quibus secreta animi absenti, fraudis conscio, panduntur, quorumque ministerio Romani in conciliandis praecipue et alendis furtiuis amoribus frequenter vsi videntur, sermonem esse. Laudat nimirum Tacitus pudicitiam Germanicarum vxorum, *septa pudicitia agunt*, inde, quae pudicitiam corrumpere possint, et Romanarum mulierum mores saepe iam corruperint, a Germanis abesse dicit, spectacula, conuiuia, litterarum secreta; *nullis spectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptae. Litterarum secreta viri pariter ac foeminae ignorant.* Inde statim, quae ex harum rerum ignorantia emergat vtilitas, nempe adulteriorum infrequentia, ostendit, *pauciſſima in tam numerosa gente adulteria*, quae, quia hae corruptorum morum causae Romanis frequentiori vsu adhiberentur, tanquam ipsis quotidiana tacite exprobrare videtur. Mirum fuisset, si huic elogio pudicitiae Germanicae inseruisset mentionem ignorantiae omnium litterarum, nisi dicas, Tacitum innuere, quod qui litteras pingere discunt, facilius corrumpantur, quam alii, eius artis ignari, quam sane labem Tacito, scriptori literatissimo, impingere nefas est. Et si tam rudi et agresti sententiae addictus fuisset, promiscuum sane scripturae vsum non per *litterarum* SECRETA indigitasset. Si necessitas, si vtilitas, si amoenioris vitae desiderium ita ingenia acuit, vt media noua ad finem eo facilius perueniendi invenire studeant, ipsa vitae, qua Germani veteres vtebantur, ratio ipsos a scribendi arte alienos fuisse docebit. Nulla iis, quae ad litteras inuitare solent, studia, sed potius ea, quae a litteris non raro arcere solent, fuerunt. Cultus diuinus simplex, nullis dissensibus expositus, nullis ceremoniis ornatus; *lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reuerentia vident.* Tacit. *de mor. Germ. c. 9.* Nullae iudiciorum formulae et ambages. Pleraque ante Varum *solita armis discerni.* Vellei. Paterc. *L. II. c. 118.* et quam fuerint a forensi strepitu alieni Germani, indicat saeuitia, qua post Varianam cladem erga Patronos causarum vsi sunt apud Florum *L. IIII. c. 12. §. 36.* Nullus studiorum cultus. De Sueuis praecipue testatur Caesar *de B. G. L. IIII. c. 1.* quod *a pueris nullo officio aut disciplina assuefacti* fuerint. Nulla rerum gestarum memoria nisi carminibus, quae *vnum apud ipsos memoriae et annalium genus sunt.* Tac. *l. c. c. 2.* Nulla coelestium siderum obseruatio, nisi quando *et luna inchoetur et impleatur.* Tacit. *l. c. 11.* Vestitus modicus nec longe quaesitus. *Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina conserium, caetera intecti.* Tac. *l. c. c. 17. Gerunt et ferarum pelles.* Tac. *ibid. pellibus aut paruis rhenonum tegumentis vtuntur, magna corporis parte nuda.* v. Caesar *de B. G. L. VI. c. 21. Vela texantiam quidem et transrhenani hostes, nec pulchriorem aliquam vestem eorum foeminae nouere.* Plin. *Hist. Nat. L. 19. c. 1. nec alius foeminis quam viris habitus, nisi quod foeminae saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant* &c. Tacit. *l. c. c. 17.* Cibus simplex et obuius. *Agrestia poma, recens fera aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem.* Tac. *l. c. c. 23. Maior pars victus eorum in lacte, caseo et carne consistit.* v. Caesar *de Bello Gall. L. VI. c. 22. Potui humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus.* Tacit. *ibid. Non multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore viuunt.* Caes. *de B. G.*

Source : BIU Cujas

G. L. III. c. 1. Nullum fere mercaturae ſtudium. *Interiores ſimplicius et antiquius permutatione mercium vtuntur.* Tac. *l. c. c.* 5. De Neruiis cisrhenano populo Caeſar *de B. G. L.* II. *c.* 15. dicit: *Nullum aditum ad eos eſſe mercatoribus, nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relangueſcere animos, eorumque virtutem remitti exiſtimarint.* Sueuis mercaturae vſum aliquem, ſed tantum, *vt, quae bello ceperint, cui vendant, habeant.* Vbiis paulo maiorem commerciorum vſum concedit, quia *propter propinquitatem Gallicis moribus ſunt aſſuefacti. ibid. c.* 3. Pecuniae non multus vſus. *Argenti et auri poſſeſſione haud perinde afficiuntur.* Tac. *ibid. Foenus agitare et in vſuras extendere ignotum, ideoque magis ſeruatur, quam ſi vetitum eſſet.* Tac. *l. c. c.* 26. Poſſent alia addi, quae oſtenderent, eam fuiſſe Germanis viuendi rationem, quae litterarum pingendarum vſum ſuperfluum reddiderit. Studia vero, quibus vnice vtebantur, belli fuerunt, et venationis. *Vita omnis in venationibus atque in ſtudiis rei militaris conſiſtit.* Caeſ. *de B. G. L. VI. c.* 21. *Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cuiusque ciuitatis fiunt, atque ea iuuentutis exercendae ac deſidiae minuendae cauſa fieri praedicant. ibid. c.* 23. adde Melam *de Situ orbis L.* 3. *c.* 3. Seneca ſane *de Ira c.* 11. *armorum vnicam Germanis curam eſſe, in alia negligentibus* dicit. Exigua agriculturae cura. *Agriculturae non ſtudent.* v. Caeſ. *l. c. c.* 22. *nec arare terram, aut expectare annum tam facile perſuaſeris, quam vincere hoſtes et vulnera mereri, pigrum quinimo et iners videtur, ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare.* Tac. *l. c. c.* 14. *Delegata domus et penatium et agrorum cura foeminis ſenibusque et infirmiſſimo cuique ex familia.* Tac. *ibid. c.* 15. Quid ipſos iuuiſſet ſollicita agrorum cura, quos ne proprios equidem ſinguli habebant, ſed a magiſtratu et principe in ſingulos annos, *quantum eis et quo loco viſum fuerit*, attributos. v. Caeſ. *l. c. c.* 22. Tac. *ib. c.* 26. Haec ſane vnica et perpetua Germanorum ſtudia ne aptos quidem ſatis ad figuras litterarum ducendas reddere videbantur. Hieronymo ſane mirum omnino viſum, quod Sunniae et Tretelae, virorum Gothicorum, *dudum calloſa tenendo capulum manus, et digiti tractandis ſagittis aptiores ad ſtilum calamumque molleſcant. Opp. Tom. III. p.* 53. Illud vero parum videtur probari, quod cryptographiae ſtudium, quo Graeci Romanique frequentius vtebantur, etiam priſcis Germanis cognitum fuerit, quod ex ſortibus virgarum certis notis diſtinctarum, quarum Tacitus meminit *de M. G. c.* 10. ingenioſe quidem, minus tamen veroſimiliter exſculpit Breithaupt. *de arte decifratoria Diſquiſ. I.* §. 7. Quae hic de moribus et ſtudiis priſcorum Germanorum congeſſi veterum autorum teſtimonia, ſi quis loco non ſatis opportuno operoſius, quam fas eſſet, collecta crederet, is duabus me motum rationibus, vt hoc facerem, cogitet. Prima, quam indicaui, et quae huius omnino loci eſt, eo tendit, vt his ipſis Germanorum moribus oſtendam, nullam fuiſſe ipſis ſcripturae vtilitatem, ac ita nullum ſtudium. Altera vero, vt loco, quo non opportunior in hac tractatione occurrit, qui Iuris Germanici origines et progreſſus diſcere vult, mores antiquos, ex quibus natae ſunt leges, in limine ſtatim ex fontibus indicatos intueatur, faciliorem inde Iuris ipſius notitiam ſibi comparaturus. Plura huc facientia qui legere cupit, euoluat Hertii *Not. Vet. Germ. pop. L. I.* S.

Source : BIU Cujas

Ad §. II.

(62) Mores ac consuetudines Germanorum.

(62) Quod Germani priscis temporibus nullas habuerint Leges literis commendatas, ipse literarum defectus praecedente §. satis probatus, euincit. Cum vero Ius scriptum non ex eo dicatur, quod in scripturam redactum, sed quod sit expressa Legislatoris voluntate promulgatum, siue per scripturam, siue per vocem praeconis, facile patet, quod Germani, licet literis carentes, potuerint vtique Iure scripto, Iuridica significatione ita dicto, gaudere. Nec quicquam argumento est, quo Leges expresse promulgatas eo iam tempore fuisse negare possimus. Licet Germanos adeo libertati quondam studuisse sciamus, vt Lucanus etiam libertatem, nunquam redituram, vltra Tigrim *Rhenum*que recessisse et *Germanum Scythicumque bonum* esse dixerit *Pharsal. L. VII. v.* 432. nemo tamen negabit, singulis Germaniae populis aliquam fuisse ciuitatis formam, aliis quidem magis popularem, aliis cum optimatium potestate mixtam, aliis denique regiam, multum tamen limitatam. Satis hoc loquitur Tacitus *de M. G. c.* 7. *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt. Nec Regibus libera ac infinita potestas, et Duces exemplo potius, quam imperio, si promti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt.* Idem *c.* 11. *Rex vel Princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, autoritate suadendi magis, quam iubendi potestate.* De Gothonibus vero dicit *c.* 43. quod *regnentur paulo iam addictius, quam caeterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.* Quid quod et de rebus ad ciuitatem spectantibus consilia ceperint? *De minoribus rebus Principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen vt ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur.* v. *Id. c.* 11. adeo, vt non tantum, si quid fortuiti acciderit, extra ordinem, sed et statis temporibus coierint. *Coëunt, nisi quid fortuitum aut subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut impletur. Nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. v. ibid.* Quis crederet, nullam vnquam in his conuentibus legem, declarato distertis verbis coeuntium consensu, perlatam esse, adeoque nullum plane Ius scriptum, sensu iuridico ita dictum, extitisse? Nollem tamen vtique huc referre, quod de Tuiscone *Annal. Boi. L. I.* Auentinus scribit: *Iura dedit, Leges tulit*, quod ad obscura et fabulosa Germanicae gentis initia merito referendum putamus. De Manni vero et Hermionis Legibus, quas ab Auentino commemorari dicit Christ. God. Hoffmannus *Spec. Coniect. Polit. &c. de orig. et nat. LL. Germ. Priu. Antiq. &c. c.* 2. *per.* 2. §. 4. nihil ibidem occurrit. Nec Bellagines Gothorum, quas aliqui huc trahunt, et Leges Ciuiles fuisse somniant, huc spectare videntur, quas non nisi regulas Diaeteticas esse, et hinc a vocabulo *wolbehagen* vel *welbehagen*, quo aliquid sanitati conducere dicimus, deriuandas alii iam obseruarunt, v. *Hein.* §. 11. quod ipsa Iornandis de Diceneo Philosopho, Gothorum praeceptore *v. not. ad* §. *praeced.* loquentis verba indicant. *de reb. Get. c.* 11. *Physicam tradens naturaliter propriis legibus viuere fecit, quas vsque nunc conscriptas Bellagines nuncupant.* Illud tamen et vitae simplicitas et summum libertatis studium et tenax moris patrii obseruatio *v. Hein. not. ad* §. *praeced.* omnino suadet, vt ex vsu et viuendi consuetudine, quam ex imperio Legislatoris, regulas viuendi accipere maluisse et hinc Iuris scripti, i. e. expresse promulgati rariorem, non scripti siue consuetudinarii frequentiorem vsum habuisse Germani videantur. Parum tamen huc faciunt verba Taciti *de mor. Germ. c.* 19. *plus apud Germanos valere bonos mores,*

Source : BIU Cujas

mores; quam alibi bonas Leges, dicentis, quae tamen a Conringio *de O. I. G. c. 1.* Hertio *Not. Vet. Germ. Pop. P. I. c. 4. §. 6.* aliisque passim huc trahi videas. Nec enim hic Tacito sermo est de regula quadam Ciuili et obligatoria, quae ex Iure Consuetudinario orta sit, et vel inuitum stringat, sed hic tantum videtur esse posse verus horum verborum sensus: Germani sponte sua et solo rationis vsu ducti melius viuunt et virtutem impensius colunt, quam Romani tot legibus scriptis ad eam inuitati. Plane vti de Scythis scribit Iustinus *L. II. c. 2. Iustitia gentis ingeniis culta, non Legibus*, et de priscis Romanis Sallustius *Bell. Cat. c. 9. Ius bonumque apud eos non Legibus magis, quam natura valebat.* Non inanis tamen est coniectura eorum, qui credunt, Germanos morum suorum, qui tandem in iuris cuiusdam consuetudinarii speciem emerserant, memoriam carminibus, quae *vnum apud ipsos memoriae et annalium genus* fuisse Tacitus dicit, conseruasse. Ita et Solon leges suas *carminibus illigasse* dicitur a Plutarcho in *Solone.* Ita a plerisque gentibus antiquis factum testatur Aristoteles *Problem. Sect. 19. c. 28. Cur leges pleraeque cantilenae appellentur? An quod homines prius, quam literas scirent, leges cantabant, ne eas oblivioni mandarent, quod etiam nostra aetate Agathyrsis in more est?* Quod apprime cum rebus Germanicis antiquis consentit. Quorsum et illud facit, quod adhuc nostra aetate, vsu forsan ab antiquis ad nos deriuato, cantilenarum versiculi aeque ac leges vernaculo sermone *Gesetze* dicantur; quod cum aliis iam obseruauit Hertius *Not. Vet. Germ. Pop. P. I. c. 4. §. 6.* Egregie huc etiam facit obseruatio Auentini *Annal. Boi. L. 1. Nos huiusmodi carmina adhuc hodie Leges vocare solemus, quemadmodum et Graeci (vt est apud Aristotelem Stagiritam) nomos. Etiam nunc leges, quas Moses a Deo immortali recepit, in templis patrio sermone canimus.* S.

Ad §. III.

(63) Sed vxori maritus offerret &c.
(64) Taciti verba.

(63) Hanc forte originem esse *Morgengabae*, ex eo coniicit Hertius *Not. Vet. Germ. Pop. P. I. c. 3. in not.* quod illa *dos* etiam dicta fuerit apud Francos, cum qua eam etiam coniungi a Gregorio Turon. *Hist. Franc. L. VIIII. c. 20.* monet Beyer. *Iur. Germ. L. II. c. 16. §. 4.* autor vero noster *Antiq. Germ. L. I. Tit. 10. §. 215.* optime ostendit, in eo pacto inter Gundehramnum et Childebertum Reges inito sollicite dotem a *Morgengaba* distingui, cum Guilesuinda, germana Brunechildis, *ciuitates Burdegalam, Lemouicum, Caducum, Beoarno et Begorram tam in* DOTE *quam in* MORGANEGIBA, *hoc est, matutinali dono acquisiuisse*, dicatur; adeo vt disertis verbis morgengaba doti opponatur, quod etiam fieri in *Lege Ripuar. Tit. 37. §. 2.* ibidem obseruat. S.

(64) Verba Taciti, quae huic disputationi ansam dederunt, ex eius *c. 20. de M. G.* integra haec sunt: *Heredes tamen successoresque sui cuique liberi, et* NVLLVM TI TAMENTVM. *Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione,* (al. successione) *fratres, patrui, auunculi. Quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus, nec vlla orbitatis pretia.* Ex his nunc non demum controuersia emergit, an scrupulosae illae Romani Iuris in condendis testamentis solennitates Germanis placuerint? Quam sane quaestionem odiosam plane esse ostendit summa priscorum Germanorum viuendi simplicitas, acerrimumque omnis formularii Iuris odium; quod saevitia erga causarum patronos post Varianam cladem exercita satis docet. Nec, an Germani in scriptis testati fuerint, quaeritur, cum litterarum ignorantia testamen-

Source : BIU Cujas

tum scriptum omnino excludat. Sed haec tantum quaestio mouetur, an Germani veteres nunquam sibi heredem vltima quavis voluntate fecerint, siue propinquos aliquos reliquerint, siue nullos: an vero tunc demum ab herede per vltimam voluntatem designando abstinuerint, cum propinquos relinquerent. Priorem sententiam praecipue defendunt Schilterus *Exerc. ad Pand. II. §. 14. VIIII. §. 9. XIIII. §. 37.* Beyerus *Posit. ad Pand. XXVIII. 1. Iur. Germ. L. II. c. 11.* Hertius *Not. Vet. Germ. Pop. P. I. c. 3. §. 16.* et Heinecc. *ll. cc.* Posteriorem Strykius *de Succ. ab intest. Diss. 8. c. I.* et cum eo exercitus eorum, qui nimia Romani Iuris reuerentia capti, quod huic placuisse vident, omnibus placuisse et placere debuisse statuunt. Prioris sententiae hae sunt praecipuae rationes: I. Clara sunt verba Taciti, nullam exceptionem admittentia: *Nullum Testamentum.* Heredes cuique liberi ex moribus assignantur. Si liberi non sint, ad proximos gradu *fratres, patruos, auunculos* hereditas deuoluitur, et quod his deficientibus ad propinquos quosuis succesſio transeat, propinquorum in sequentibus mentio disertis verbis facta docet. II. *Nec vlla orbitatis pretia.* Oculos hic intendit ad miserum genus hominum nempe heredipetarum, Romanis notissimum, qui alienas hereditates blandimentis et malis quibusuis artibus captantes, praecipue eos sectabantur, qui liberis et propinquis orbi ad hereditates in hos adulatores testamentis transferendas faciliori et proniori affectu inuitabantur. Hi ex blandimentis adulantium heredipetarum varia orbitatis solatia, imo pretia, accipiebant. Cum vero nulla fuerint Germanis testamenta, nulla etiam orbitatis pretia ipsis fuisse dicit Tacitus, et hinc solatia senectutis non aliunde, quam ex propinquorum ope speranda innuit. Imo quod ne sequentibus quidem seculis, quibus tamen Germanicae gentes in Romanorum prouincias irruentes satis iam Iuris Romani, adeoque et testamentariae succesſionis notitia imbutae erant, multus testamentorum vsus fuerit Germanis, ostendunt Iura Saxonica et Sueuica, ex antiquioribus legibus et moribus consarcinata, quibus non auitorum tantum, non immobilium, sed et mobilium bonorum quorumcunque translationes iis fere vnice permissae, qui valetudinis adhuc satis firmatae essent, et a mortis instantis cogitatione, quae tamen testamentariarum translationum necessarium fundamentum est, aliquanto longius remoti, limitata maxime illorum facultate, qui, lecto decumbentes, morti propiores aestimabantur. Hinc Ius Prou. Saxon. *L. I. art. 52. alle fahrende haabe kan der mann ohne der erben erlaubniſs aller orten vergeben, und guth verlaſſen und verleihen, ſolange er ſich dergeſtalt vermag, das er mit einem ſchwerdt umgürtet und mit einem Schilde von einem ſteine oder ſtocke, einer ellen hoch,* (textus antiquior tamen *eyner dum elnen ho*, quod *einer halben ellen hoch* interpretantur) *auf ein pferd ſteigen können, ohne eines menſchen beyhülffe, doch daſs man das Roſs und den Stegreiff halt. Wann er dieſes zu thun nicht vermag, ſo kan er auch nichts vergeben, laſſen noch leihen, daſs er es deme mit entferne, der es nach ſeinem tod erwartend iſt.* Ad quem textum Gloſſa haec notat: *Ein bürger aber mag nach billigem rechten, ſein eigen, welches ihm nicht angeſtorben iſt, vergeben, ſolang er ſo vermögend iſt, daſs er ohne hülf zu weg und ſtraſſe gehen, und ſolang ſtehen mag, bis er in gehegtem ding dieſelbige gab gethan hat. Die fahrende haab aber mag er alle vergeben, ſoviel er derſelbigen bey geſundem leib hinweg antwortet, oder in dem gerichtsding jemand vergiebet, daſs ſie ihm nach ſeinem tod folgen ſolle. Doch ſagen etliche, daſs er auch auf ſeinem Siegbette die ding vergeben mög, welche er über das bettbreth hinweg reichen könne* (Weichbild. *art. 65.* vero dicit, *was über 5. ſchilling werth.*) *Ein Bauer aber mag dieſer ding vergeben, alldieweil er einen umbgang verpflugen mag, eines morgens lang. Eine Fraw aber, wann ſie zu der kirchen gehen mag, von welcher ſie zwanzig ruten geſeſſen ſey. Wann ſie das nicht mehr vermag zu thun, ſo helt man*

Source : BIU Cujas

es darfür, daſs ſie ihren erben muthwilliglich entfremden wolle. Cui fere reſpondet Ius Prouinciale Sueuicum *cap.* 379. Opponit Strykius I. Germanos non adeo videri ſtupidos, vt teſtamentariam ſucceſſionem, qua omnes gentes vſae fuiſſent, omnino ignorauerint, et maluerint bona ſua liberae cuiuſuis occupationi exponere, quam per vltimam voluntatem in heredes certos transferre. II. Ex Paulo Aemilio, citante Lehmanno in *Chron. Spir. L. II. c.* 20. conſtare, quod Germanis deuictis ac in ſeruitutem redactis ſola inteſtati ſucceſſio relicta omneque Ius teſtandi ademtum, ſed a Ludouico Pio reſtitutum fuerit. III. Ex LL. Ripuariorum, Anglorum et Werinorum, Capitularibus Regum Francorum et Marculfi formulis innoteſcere, quod Germanis aliqua, ſua per vltimam voluntatem relinquendi, facultas fuerit. Regeritur vero I. quod non tanti ſtuporis argumentum ſit, carere teſtamentis, cum et alias gentes iis caruiſſe, autores allegati doceant, et ipſe Strykius *Cautel. Teſtam. c.* 1. §. 8. et *V. M. P. qui teſt. fac.* §. 1. fateatur, ſatis beatas fuiſſe reſpublicas, quae illam litium innumerarum materiam penitus ſublatam voluerint, nullosque ibi heredes eſſe permiſerint, quam legitimos; et Geldriae ſuae teſtamentorum vſum reiicienti gratuletur Pontanus *Hiſt. Geldr. L. I. p.* 47. quod *non alterantur ſubditorum bona litibus de teſtamentorum internis vel externis vitiis vel ſuorum heredum de inofficioſo teſtamento ac praeteritione liberorum, non emancipatorum, querelis, nec controverſiis de fideicommiſſis, vnde paſſim alibi patronis forenſibus ſit optima meſſis*, nec ſatis appareat, vti Pufendorff. *de I. N. et G. L. IIII. c. XI.* §. 18. iudicat, *quare tantopere teſtamenta deſiderare debuerit gens, theſauros tunc cumulare neſcia, et paupere ſupellectile contenta, cui ex ſegete, pecore et venatu vix amplius quaerebatur, quam quod victui quotidiano eique ſimplici ſufficeret.* II. Quod ea, quae ex Lehmanno et Paulo Aemilio producuntur, parum accurata ſint et antiquioribus non reſpondeant, cum Vetus autor vitae Ludouici Pii ad annum 814. tantum doceat, *quod Saxonibus atque Friſionibus ius patriae haereditatis, quod ſub patre ob perfidiam legaliter perdiderant, Imperatoria clementia reſtituerit Ludouicus Pius*, quodque mira illa benignitas Ludouici multorum reprehenſionem incurrerit exiſtimantium, gentibus illis rerum nouarum ſtudioſiſſimis ſubtrahi potius perfidiae inſtrumenta, quam vltro ſubminiſtrari oportere. Quae omnia oſtendunt non ius teſtandi, ſed ſuccedendi in hereditatem patris, non Germanis omnibus, ſed Saxonibus, a Carolo M. ademtum, a Ludouico Pio vero reſtitutum eſſe. III. Quod Leges allegatae non tam de teſtamentis, quam de pactis ſucceſſoriis loquantur, quod voces *tradere, dare &c.* ſatis clare oſtendunt. Ergo haec erit teſtamentorum per Germaniam hiſtoria. Germania teſtamenta tempore Taciti ignorauit. Seculo V. et ſequentibus gentes Germaniae prouincias Imperii Romani inuadentes teſtamentorum vſum in prouinciis occupatis ex Iure Romano iam introductum vel ipſae receperunt, vel ſaltem gentibus ſubactis reliquerunt. In Germaniam magnam is ne tunc quidem penetrauit. Tandem Principes quidem eum aliquantulum ſuo exemplo probarunt, quod ex Henrici Aucupis et Ottonis IIII. teſtamentis conſtat. Ad priuatos tamen is ne tunc quidem peruenit, niſi quod paulatim mos *pro animae iudicandi, pro remedio animae relinquendi* non vniuerſitatem bonorum, ſed ſingulas res, inualuerit, vnde legata ad pias cauſas *Seelengeräthe, Seelengeſchäffte* frequenter ſatis relicta fuerunt. Inde Iuris Saxonici illa capita, quibus teſtandi facultatem tantopere reſtringit, Gregorii VIIII. ſumm. Pontificis decreto reprobata fuerunt, *in quantum eleemoſynas, teſtamenta et alia pia opera reſpiciunt.* Speculi Sueuici auctor prudens hanc cenſuram euitauit, faciliorem teſtamentis viam aperiens. Mox Iure Decretalium plenius per Germaniam introducto teſtamenta minus ſolennia, adeoque vltimae voluntates de rerum vniuerſitate quidem, ſed ſine ſcrupuloſa formae externae ſolennitate diſponentes in Germania

Source : BIU Cujas

mania receptae fuerunt. Tandem vero cum Iure Ciuili Romano etiam solennia testamenta in vsum deducta fuerunt. Quae hic de testamentorum per Germaniam satis recensemus, docere possunt, quantum lucis historia Iuris etiam rebus in foro ventilandis affundere queat. S.

Ad §. IIII.

(65) Status libertinorum.
(66) Inter pocula susceptae.
(67) De Mulctâ.
(68) Caesaris Citatio.

(65) Seruorum, quorum longe melior, quam apud Romanos fuerat, conditio et libertinorum, qui non multum supra seruos erant, v. Tacit. *de M. G. c. 25.* iura apud Germanos eo magis obseruanda, quo grauiora et frequentiora Iurisprudentiae Germanicae capita inde illustrantur. Non tantum enim rusticorum per Germaniam iura inde lucem capiunt, quorum alii homines proprii sunt siue serui, alii vero non proprii siue liberti. Quod Hertius *de Hominibus propriis*, Thomasius *de Hominibus propriis et liberis Germanorum*, Boehmerus *de Iure et statu hominum propriorum &c.* et *de Imperfecta libertate rusticorum in Germania*, nec non Heineccius *de Orig. atque Indole Iurisd. Patrim.* &c. satis docuerunt. Sed et ipsa origo Iurisdictionis patrimonialis, satis alias obscura, ex Iure dominorum in seruos, imo et eo, quod ipsis adhuc in libertos competit, vberrime illustratur, quod Thomasius, Boehmerus atque Heineccius fortissime demonstrarunt. S.

(66) Quod non ad crapulam Germanorum, sed potius ad sinceritatem trahendum existimat Thomas. *de Hom. propr.* §. 12. his Taciti *de M. G. c. 22.* verbis maxime motus: *Gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia loci. Ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur. Deliberant, dum fingere nesciunt, constituunt, dum errare non possunt.* Ex eo tamen more prisco deliberandi inter pocula ad nostra vsque tempora videtur deriuata consuetudo, qua in pagis, vicis et vrbibus vix aliqua solennior deliberatio aut conuentus plurium, aut quoduis aliud negotium cum aliqua frequentia hominum celebrandum instituitur, quod non aliqua commessatio praecedat, comitetur aut sequatur. S.

(67) Quarum illa *freda*, *Friede*, dicebatur, quod paci publicae, qui peccaverat, per eam restitueretur; haec vero *widrigildum*, *wedrigeldum*, *wergildum*, *wergeldum*, *wergilda* appellatur; quam vocem alii a *werra*, quasi esset pecunia pro pugna soluenda, alii vero a *wider* et *gelt*, quasi pecunia pro retributione et satisfactione pendenda, deriuant. v. Hert. *Not. Vet. Germ. pop. P. I. c. 5. §. 4.* S.

(68) Huc commode etiam referas, quod Germanorum liberi etiam per nuptias a patria potestate liberari videantur. Hinc, quos Iul. Caes. *de B. G. L. VI. c. 21. impuberes* appellat, Graecus Interpres ἀγένειους vocat. Idemque fere innuere videtur vox Germanica *Freyen*, quae matrimonium inire, indicat. v. Hertius *Not. Vet. Germ. pop. P. I. c. 3. §. 3.* et ibid. *in not.* S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. V.

(69) Plerique obseruant &c.

(69) Antequam periodum antiquissimam Germanici Iuris deseramus, operae pretium est, rei iudiciariae, quae eo tempore fuit, faciem oculis subiicere. Notandum autem vtique cum Conringio *de Iudic. Imp. Germ. §. 5.* quod eo quidem tempore nullum fuerit totius Germaniae, nondum tum in vnam rempubl. compositae, commune iudicium; singulis autem populis sua vtique iudicia, ad statum libertatis, cuius desiderio maxime tenebantur, praecipue attemperata non defuerint. Haec iudicia autem aliam tempore belli, aliam in pace faciem habebant. Ita enim Caesar *de B. G. L. VI. c. 23. Cum bellum ciuitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, vt vitae necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus communis est magistratus &c.* Haec vitae necisque potestas, quam magistratibus militaribus fuisse Caesar dicit, pugnat et cum Taciti verbis et cum summo libertatis studio. Tacitus sane alia omnia dicit *de M. G. c. 7. Duces exemplo potius, quam imperio, si promti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Caeterum neque animaduertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec Ducis iussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.* Quae sane populi istius ingenium magis quam illa Caesaris verba sapiunt. De Iudiciis tempore pacis instituendis ita Caesar *l. c.* loquitur: *In pace nullus communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt, controuersiasque minuunt.* Nullum communem magistratum fuisse cum Caesar dicit, Conringius *l. c. §. 6.* optime obseruat, illud de vno homine, qui toti reipublicae solus praefuerit, intelligendum, cum totum concilium gentis merito etiam communis quidam magistratus dici possit. Non vero credendum est alios fuisse regionum, alios pagorum Principes, cum pagus etiam regionem denotet et Tacitus *de M. G. c. 12.* non alios agnoscat Principes, quam *qui ius per pagos vicosque reddunt.* Alii ergo Principes in pagis, alii in vicis iudicabant, in concilio populi electi. Tacitus *ibid. Eliguntur in iisdem conciliis et Principes,* ratione aetatis sine dubio habita, cui magnus apud Germanos honos habebatur. Certe aetati non minus momenti, quam nobilitati, decori bellorum aut facundiae etiam in publicis negotiis fuisse docet Tacitus *de M. G. c. II. Rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur.* Vnde *Germani frequentes omnibus Principibus maioribusque natu adhibitis ad Caesarem in castra venerunt.* v. Caesar *de B. G. L. IIII. c. 13.* et Dio Cass. *L. 39. p. 113.* Quanta seniorum in consultationibus publicis autoritas fuerit, apud Visigothos testatur Claudianus *de Bello Get. v. 481. sqq.*

Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
Curia &c.

Et Sidonius Apollin. *in Paneg. Auito Aug. socero dicto Carm. VII. v. 453.*

Luce noua veterum coetus de more Getarum
Contrahitur, stat prisca annis, viridisque senectus
Consiliis &c.

Quod et apud Ostrogothos obseruatum ex Procop. *de B. G. L. II. et III.* probatur. v. Hert. *Not. Vet. Germ. pop. P. I. c. 4. §. 7. P. III. c. 7. §. 7. et c. 8. §. 7.* Hinc etiam in legibus populorum Germanicae originis *Senior* Dominum significat, vnde postea *Seigneur, Signore*, apud alios ortum. Inde etiam a canitie his principibus postea *Gravionum* nomen sub Francis praecipue impositum existimamus, quod male Wendelinus *in Glossario Sal. vocum Auat. v. Graphio* a γράφω, *scribo*, Vulteius *Feud.*

Source : BIU Cujas

L. I. c. 4. nu. 14. a grauitate deriuant. Noſtrae ſententiae praecipue fauet Capitularium antiqua verſio, vbi quod in Capitulari dicitur *per Comitem* Germanico exhibetur *thuruch then Grauun.* v. Hert. *l. c. P. I. c. 4. §. 7.* qui hoc porro illuſtrat exemplo praefectorum regionum apud Friſios, multum ex priſcis moribus retinentes, qui *Grietmänner* ſ. cani viri dicuntur, ſuosque, vti hi Principes apud Tacitum, aſſeſſores habent. Quorſum etiam non immerito Anglorum *Aldermannos* trahit Brummerus *de Scabinis c. 3. §. 11.* Hi Principes poſtea, vti videtur, Grauiones dicti, vti Conringius *de O. I. G. c. 7. p. 29.* docet, non ſoli ſed cum aſſeſſoribus iudicabant. *Centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul et autoritas adſunt.* Tacit. *de M. G. c. 12.* Ubi res ipſa docet, pro *centeni* legendum eſſe *certi.* v. Conring. *l. c. §. 12.* Hertius *l. c.* Brummerus *l. c. c. 2.* Cuius erroris a librariis commiſſi originem Hertius ex *c. 13.* deducit, vbi *plurimorum comitum*, Brummerus autem veroſimilius ex *c. 6.* vbi centenorum ex ſingulis pagis iuuenum, ad alia tamen miniſteria electorum mentio fit. Aſſeſſores hi Principum vel Comitum ſine dubio ſunt, qui vocabulo Germanico in Latinum ſermonem inflexo *Scabini* a *Schaffen*, creare, quod eligantur, dicuntur, inde in diplomate Henrici V. ad annum 1112. monaſterio S. Maximini dato *Scauiones*, alibi *Scapiones* appellati. v. Hertius *l. c.* et *de Conſult. LL. et Iudiciis* etc. *§. 16. in not.* alias tamen vocis deriuationes v. apud Brummer. *l. c. c. 1.* Hi aſſeſſores ſine dubio ingenui fuerunt, cum *liberti non multum ſupra ſervos* fuerint, et *raro aliquod momentum in domo, nunquam in ciuitate* habuerint. Tac. *l. c. c. 25.* Adhibiti autem fuerunt ita, vt non tantum ſuadendi ſed et decidendi autoritate gauiſi fuerint. *Conſilium ſimul et auctoritas adſunt.* Tac. *c. 12.* Conueniebant autem ſub dio plerumque; quod luculentis teſtimoniis probat Hert. *de Conſult. LL. et Iudic. etc. §. 9.* Principis, qui ſolus toti pago in plures vicos diuiſo praeerat, et hinc forſan non omnibus iudiciis ipſe praeeſſe ſemper poterat, vices primus Scabinorum ſine dubio geſſit, ſequentibus temporibus *Scultetus, Sculdaſius, Sculdais, Sculdaſio, Sculdheizo, Schoutaet* dictus, v. Conring. *de Iud. §. 15.* Brummerus *de Scab. c. 4. §. 6.* Litium dirimendarum ratio ſimplex nullisque formulis adſtricta, quas acerrimo odio proſequebantur, Vellei. *L. II. c. 118.* adeo vt poſt Varianam cladem in neminem magis, quam in cauſarum patronos ſaeuitum fuerit. Florus *L. IIII. c. 12. §. 36. nihil illa caede per paludes, perque ſyluas cruentius, nihil inſultatione barbarorum intolerantius, praecipue tamen in cauſarum patronos. Aliis oculos, aliis manus amputabant. Vnius os ſutum, reciſa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, vipera ſibilare deſine.* Multae etiam lites armis finitae. Vnde *Germanos ius in viribus habuiſſe* ſcribit Mela *de ſitu orb. L. III. c. 3.* et cum iuriſdictionis formam a Varo introductam conſpicerent, miratos fuiſſe, *quod iniurias iuſtitia finirent, et ſolita armis diſcerni iure terminarentur*, narrat Vellei. *l. c.* Iudiciorum autem vſum Germanis rariorem tum fuiſſe perſuadent ſimplicitas morum, fides, ſinceritas, paupertas, matrimoniorum ſanctitas, teſtamentariae rei ignorantia, et inimicitiarum compoſitio facilis. v. Conring. *de Iudic. §. 18.* Hertius *not. vet. Germ. pop. P. I. c. 4. §. 7. S.*

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. VII.

(70) }
(71) } *Ad Heineccii Notam.*
(72) }

(70) De Patria Legis Salicae multae sunt eruditorum virorum disputationes. In Prologo Legis Salicae, quem Heroldina editio exhibet et Wendelinus, Lindenbrogius atque Eccardus Legi Salicae praefixam fistunt, et quidem Heroldus et Eccardus solam, Wendelinus vero et Lindenbrogius simul cum alia minore, quam ex Pithoeana Legis Salicae editione acceperant, loca, quae originem Legi Salicae dederunt, nominantur *Salagheve*, *Bodogheve* et *Windogheve*, quasi diceres Salagouiam, Bodogouiam atque Windogoviam, *gouiae* s. *gau*, *canton*, *pagi*, *regionis*, vocabulo ipsis nominibus locorum propriis iuncto. Sed vbi terrarum haec loca inueniantur, in disceptationem venit. Wendelinus *in Natali solo Legum Salicarum* totus in eo est, vt id Brabantiae vindicet. Conringius *de O. I. G. c. 7. p.* 28. nomina illa omnia circa Moguntiam et Oppenheimium inueniri scribit; ita vt editor huius operis Conringiani in notula textui Conringiano *p.* 27. inserta testetur, autorem non tantum disertis verbis margini exemplaris sui adscriptis, sed et in Epistola ad Reuerendiss. Episcopum et Principem Paderbornensem VIII. ingenue professum, quod autores, quos pro se laudauerit in disputatione contra Wendelinum, loquantur *de Germania secunda soli Gallici*; quae epistola etiam in *duobus Syntagmatibus Epistolarum Helmst.* 1694. *editis p.* 12. reperitur. Schilterus noster *Praef. ad Leg. Sal.* §. 4. *Thes. Antiq. Teut. T. I. P. II.* distinguit inter Legem Salicam primaeuam, quam in transrhenana Germania, et auctam, quam cisrhenana collocat, et quidem inferiore ad Isalam fluuium. §. 5. *et seq.* Leibnitius *de Orig. Francor.* §. 17. Francos Salios inter Albim et Visurgim et *Salageve* sitam *ad Salam fluuium non Thuringicum sed Franconicum, qui in dextrum Moeni latus prope Gemindam, hinc dictam, influat*, ponit *ib.* §. 26. *et sqq.* Gundlingius *Gundling. P. III. c.* 2. §. 19. *et sqq.* haec loca omnia, quae in Prologo Legis Salicae nominantur in Wormatiensi regione quaerit, atque vicos *Salheim*, vel hodie *Saulheim*, *Bodenheim*, *Windheim* atque *Wissenheim*, hodie *Wisheim* esse contendit. Cui Leibnitius respondit *Gundlingian. P. VI. c.* 4. Gundlingius vero et huic responsioni nouam dissertationem opposuit *Gundlingian. P. VIII. c.* 1. Eccardus vero in not. *Salagheve ad Prol. Legis Salicae* plane hoc Legis Salicae natale solum intra fines Thuringiae vel saltem intra Albim et Salam Franconiae collocat. Missa operosiore illorum pagorum inuestigatione, quae sine multo fructu forsan institueretur, illorum sententiae subscribere liceat, qui patriam Legis Salicae ex ipsius Legis verbis eruunt, quae *in Tit.* 49. *de Filtortis, hoc est, qualiter homo furatas res intertiare debet, Edit. Lindenbrog* aut *Tit.* 50. *de Filtortis, qui Salica lege viuunt, Edit. Wendel.* vt et *Eccardianae* occurrunt: *Si quis seruum aut ancillam, caballum aut bouem, aut iumentum, aut quamlibet rem sub alterius potestate agnouerit, mittat eam in tertiam manum, et ille, apud quem agnoscitur, debet adrhamire; et si intra* LIGERIM *aut* CARBONARIAM (*aut citra mare*; quae verba Heroldus, Wendelinus et Eccardus exhibent, Lindenbrogius vero atque Baluzius omittunt) *ambo manent, et qui cognoscitur et apud quem cognoscitur, in noctes* 40. *placitum faciant* etc. In fine tandem adiicitur: *Quod si trans* LIGERIM *aut* CARBONARIAM *ambo manent, ille, apud quem res agnoscitur, in*

Source : BIU Cujas

noctibus 80. *lex ista custodiatur.* Carbonariam Belgii syluam esse, partem Arduennae in Hannoniae atque Brabantiae confiniis sitam, probarunt H. Valesius *in Notitia Galliarum* et Wendelinus *in natali solo Legum Salicarum c.* 10. quibus subscribit Struuius *Hist. Iur. c. 6. §. 3. in not.* 2. Circa Carbonariam Francos habitasse docent Annales Metenses ad an. 687. *Pipinus filius Ansegisili, nobilissimi quondam Francorum Principis suscepit Principatum Orientalium Francorum: erat ei glorioſa genitrix, cunctis laudibus digna, nomine Begga, filia Pipini praecellentissimi quondam Principis, qui populum inter Carbonariam siluam et. Mosam fluvium et vsque ad Frisonum fines vastis limitibus habitantem iustis legibus gubernabat etc.* Quod ad Ligerim fluuium attinet, eum vtique non Ligerim Galliae, sed *Leſerem quatuor milliaribus ab Augusta Treuirorum* fluentem interpretatur Baluzius, quod eum *Ligerim* vocari in praecepto Dagoberti Regis pro Ecclesia Treuirensi deprehendat. Ergo Franci, Salica lege viuentes, intra Carbonariam et hanc Leſerem ſedes habuerunt iam tempore latae Legis. Quomodo autem haec, quae de ſitu terrae Salicae inter Carbonariam ſyluam et Ligerim amnem in ipſa lege dicuntur, ad Ripuarios reſtringi poſſint, quorſum ea tradit Eccardus *in not. ad d. l.* ego quidem non video, cum manifeſta diſtinctio inter eos, qui *intra Ligerim aut Carbonariam manent*, qui mitius habentur in Lege, et eos, qui *trans Ligerim aut Carbonariam manent*, in quos lex durior eſt, illos quidem indigenas ratione Legis Salicae, hos vero extraneos non obſcure deſignet, praeſertim ſi cum inſcriptione, quam ipſe Eccardus exhibet, *de Filtortis, qui* SALICA LEGE *viuunt*, conferatur. Quod vero haec verba a nobis allegata non primaeue illius Legis Salicae ſint, ſed ex augmentis, quae Francorum Reges poſtea addiderunt, illi Legi demum acceſſerint, Schilterus quidem *l. c.* ingenioſe aſſerit, nullo tamen ſatis firmo argumento probat. S.

(71) *Mallus* ſ. Mallum Wendelino eſt *Conuentus iuris dicundi cauſa* congregatus, *Berg* vero *receptaculum ac tutamen aduerſus tempeſtatum iniurias*, itaque *Mallobergum, Malbergum, Malbergium* ipſi eſt *amplus locus, in quo conuentus iuris dicundi celebratur* ſ. *diuerſorium, habendo Mallo, ſi illo tempore coelum ſit inclemens*, deſtinatum. v. Wendelini *Gloſſar. Salic. vocum Atuat. v. Mallus, Berg, Mallobergum*, et *Nat. ſol. LL. Salic. c.* 16. Schilterus vero *Praef. ad L. Sal. §* 8. *Mahlberg* non de certo loco, ſed de Iure eoque Prouinciali, quod et *Landeua*, hodie *Landrecht* vocatur, intelligit, eique *Burgoſitto*, id eſt, *Burgſitten* vel *Stattrecht* opponi docet. Per Gloſſas autem Malbergicas intelligimus voces antiquas Salicas textui Latino Legis Salicae paſſim et ducentis fere locis inſertas, praepoſita ſemper vocula *Malb. Malber. Malberg.* Heroldus, Wendelinus, Schilterus, Eccardus textum cum gloſſis Malbergicis exhibent, Lindenbrogius atque Baluzius Gloſſas has omittunt. Has itaque Wachterum habuiſſe pro reliquiis ipſius Legis Salicae patrio ſermone primum ſcriptae, tunc vero paulatim obliuioni mandatae, cum ipſa Lex in Latinum ſermonem verſa eſſet, ſcribit hic Heineccius, cui ſententiae iam fauet Schilterus *l. c. §.* 7. Optime vero omnium rem expoſuiſſe videtur Io. Guil. Hoffmannus; quod nimirum Gloſſator inſeruerit has gloſſas, tanquam *voces plebeias et communi vſu populi iactatas, quae Latini ſermonis rudibus, quid quaque Legis parte comprehendatur, quodammodo indicarent; Obſeru. Iur. Germ. L. I. c.* 1. vbi etiam merita eorum, qui Gloſſas Malbergicas attigerunt, magno acumine diſcernit, iisque ipſe per omnia Obſeruationum capita vberrimam lucem feliciſſime affundit. S.

(72) Qua lingua primum Lex Salica ſcripta ſit, Francica, an Latina, dubitatur. Dad. Alteſerra *Rer. Aquitan. L. III.* Schilterus *in Praef. ad Ius F. A. §.* 13. *et in Praef. ad L. Sal. §.* 7. *Theſ. T. I. P. II.* Leibnitius *de Orig. Franc. §.* 29.

Chriſt.

Source : BIU Cujas

Christ. God. Hoffmannus *Spec. Coni. Pol. etc. C. 2. Period. III. Sect. I. §. 2. not. b.* pro vernacula lingua pugnant, quia 1. Franci tum temporis Romana s. Prouinciali lingua nondum videntur vsi. 2. licet forsan characteribus et figuris literarum tum adhuc caruerint Franci, non tamen vero videtur simile, eos in illa rerum simplicitate Leges, omnibus scitu necessarias, alio quam patrio omnibusque vsitato sermone, notis literarum Latinarum forsan expresso, scripsisse. 3. Odium, quo Franci ferebantur erga Romanos, non videtur illos inuitasse, vt horum lingua etiam in publicis negotiis vterentur. 4. Licet viri Ecclesiastici, Latino sermoni maxime assueti, videantur eius vsum passim suis consiliis introduxisse ac promouisse, id tamen vsque ad tempora Legis Salicae non videtur ascendere. 5. Multitudo vocum Francicarum Latino textui insertarum videtur ostendere, hunc non esse authenticum ipsius Legis textum, sed ex altero antiquiore et vernaculo translatum et adiectis ex authentico patrii sermonis vocibus illustratum. Quod Lex Salica Latino sermone statim ab autoribus suis scripta sit, defendunt Hertius *Not. Regni Franc. c. 5. §. 31.* Conring. *de O. I. G. c. 2.* Thomas. *Delin. Hist. Iur. §. 82.* Beyer. *Pos. ad ff. Tit. de O. I. §. 344.* Brunquell. *Hist. Iur. P. IIII. c. 2. §. 3.* Struuius *Hist. Iur. c. 6. §. 3. n. 5.* Rationes praecipuae hae sunt: 1. Salii in Germania cisrhenana inferiore ante Clodoueum inter Francos eminuerunt peritia Latinae linguae et morum Romanorum, quod Hertius *ib. c. 1. §. 10.* probare conatur. 2. Franci tum non tantum propriis litterarum characteribus carebant, sed ne suae quidem linguae voces alienis literis exprimere poterant. Fatemur vltro, nos vocibus illis Francicis in Latino Legis Salicae textu frequenter occurrentibus praecipue motos iamiam in partes eorum transituros fuisse, qui Legem Salicam Francico sermone primum scriptam fuisse asserunt, nisi nos retinuisset vltima pro Latino sermone allegata ratio, grauissimo Otfridi testimonio suffulta. Hic sane qui Ludouico Germanico Ludouici Pii filio Quatuor Euangeliorum versionem rhytmicam inscripsit, in Praefatione ad Luitpertum, Archiepiscopum Moguntinum, non tantum queritur de defectu characterum Theotiscorum, ipse Latinis in illo opere vsus, sed quod eius linguae *barbaries* adeo *inculta et indisciplinabilis* sit, *vt etiam in multis dictis scriptu sit propter litterarum aut congeriem aut sonoritatem difficilis.* Ex his, vt et iis, quae in sequentibus per singula eundo vberius disserit, sane apparet, linguam Theotiscam circa media Saec. IX. tam parum adhuc cultam fuisse, vt nec propriis nec alienis litteris, nisi difficillime, exprimi potuerit, adeo, vt *linguam hanc tanquam agrestem habitam, a propriis nec scriptura, nec arte aliqua vllis temporibus expolitam*, dicat, mox addens: *nec historias suorum anteceſſorum, vt multae gentes ceterae, commendant memoriae, nec eorum gesta vel vitam ornant dignitatis amore. Quod si raro contigit, aliarum gentium lingua, id est, Latinorum vel Graecorum potius explanant; cauent aliarum et deformitatem non verecundant suarum.* Licet non negemus aliqua Theodiscae linguae monumenta aetatem Otfridi praecedere, ea tamen et rarissima sunt, et vltra Saec. VII. vix ascendunt. Quis ergo iam Saec. V. nondum longe progressi aetate crederet integrum corpus Legum eo sermone scribi potuisse? S.

Source : BIU Cujas

Ad §. VIII.

(73) Lex Salica.
(74) Diuersae legis Salicae editiones.
(75) *In Heineccii Notâ.*

(73) Inscribitur apud Lindenbrogium *Tractatus Legis Salicae*, apud Heroldum, Wendelinum, Baluzium, Eccardum *Pactus Legis Salicae*. Vocabulum *pactus* non tam Germanicae a *packen*, combinare, vti Hertius *Not. R. F. c. 5. §. 28.* existimauit, quam Latinae originis, ostendit eam Legem per modum conuentionis a populo in Comitiis initae latam esse. Quod etiam innuit Prologus Legis, satis quidem antiquus, cum Francorum gentem *nuper* ad Catholicam fidem conuersam dicat. Ex hoc itaque discimus, electos fuisse ex pluribus proceribus Gentis, *qui tunc temporis apud eandem erant, Rectores* hos quatuor ab Autore nominatos eosque trina deliberatione publica instituta tandem hoc opus perfeciſſe. Lata est, vti Prologus dicit, cum Francica gens *adhuc teneretur barbarie*, id est, paganismo, a cuius tamen reliquiis Legem postea purgarunt Reges Christiani. Lata, cum nullos adhuc Reges haberent Franci; Prologus enim, vbi de condenda Lege sermo est, *Procerum* quidem et *Rectorum*, nullam autem Regis mentionem facit. Nomen Legis *Salicae* alii cum Ottone Frisingensi *Chron. L. IIII. c. 32.* a Salegasto inter quatuor autores nominato, alii a verbis initialibus multorum eius Legis capitulorum *si aliquis, si aliqua*, praecipue cum etiam ipsa Lex saepius dicatur *Saliqua*, alii a *salibus* s. Sagacitate, alii a voce, *Gallica*, aliquot litterarum notis corrupta, alii a *Sala* s. *palatio* deriuant. Optime Conringius ab ipso nomine populi Francorum, quos omnes aliquando *Salios* dictos fuisse probat, nomen Legis deducit, et in ipso gentis nomine *Salico* eandem, quam in nomine Francico libertatis significationem deprehendit, cum bona immunia et libera *Saalfreye Güter*, male quandoque *Sattelfreye Güter*, appellari constet. S.

(74) Duae supersunt Editiones, altera antiquior Heroldina, quam sequitur Wendelinus, et Schilterus, numero tamen et ordine titulorum ab Heroldo diuersus, quae ex Codice MSCto Fuldensi excusa; altera, vt videtur, recentior et repetitae praelectionis, Tilii, Pithoei, Lindenbrogii, Baluzii, Eccardi, ita tamen, vt hic etiam glossas Malbergicas inserat, quibus haec tamen repetitae praelectionis editio caret. Differunt hae editiones etiam numero Titulorum, Lindenbrogius tantum 71. titulos exhibet, quibus 72. addidit Baluzius, Heroldus et Wendelinus 80. titulos sistunt, Eccardus totidem titulos etiam computat, ita tamen, vt, ex Codice Guelferbytano Pactum Legis Salicae in plurimis ab Heroldino exemplari diversum subiungens, in eo post numerum 80. adhuc 13. alios numeros tanquam Librum 3. exhibeat, atque ita in vniuersum 93. Schilterus vero plane centum Titulos sistit. Ita et Codex Gothanus, quem Ern. Sal. Cyprianus *in Catal. Cod. MSCtor. nu. 54.* recenset, alium ordinem seruat. Dissensus huius ratio partim in eo consistit, quod Lex haec saepius aucta atque emendata fuerit, partim, quod vel negligentia vel audacia librariorum multa vitia irrepserint. Quod vero hic dissensus iam antiquissimus sit, indicat ipse Legis Epilogus: *sciendum est, quod in quibusdam Legibus Salicis inueniuntur Capitula principalia 65. in aliis 70. in nonnullis 80. etiam paulo plus aut minus. Sunt, qui habeant compositiones 358. ac etiam plus minusue.* Plura de hoc dissensu vide apud Struu. *Hist. Iuris c. 6. §. 3. n. penult.* S.

(75) Lex Salica, quae non vna Lex est, sed corpus Legum in suos titulos et hos

Source : BIU Cujas

hos iterum in capita vel §§. subdiuisos distinctum, pauca capita si excipias, in poenis criminum statuendis praecipue occupatur. Quam non vltimam sane Legis Salicae curam fuisse indicat Prologus Pithoeanae editionis: *quia ceteris gentibus iuxta se positis fortitudinis brachio praeminebant, ita etiam Legum auctoritate praecellerent, vt iuxta qualitatem causarum sumeret actio Criminalis terminum.* Poenae etiam maiorum delictorum pecuniae tantum aliqua iactura luebantur, sat quidem aliquando graui, si paupertatem eius seculi spectes. Quae corpus affligunt poenae, illae quidem nonnisi in seruos statutae aut Romanos, qui illis non multo lenius habebantur a Francis. Quaestionis per tormenta, sed tantum contra seruos instituendae, vestigia deprehendimus *in Tit.* 42. *al.* 43. Decreto Childeberti vero homicidii poena tandem capitalis facta; raro tamen obseruata, quod etiam Schilterus notat *Exerc. ad ff.* 49. §. 114. *et sq.* Eodem Decreto et suspendii poena introducta, ita tamen vt ea tantum in *debiliores*, quo vocabulo peregrini fere notari videntur, statuta sit. v. Chr. God. Hoffmann. *Spec. Coni. Pol. c.* 2. *per.* 3. *sect. I.* §. 4. Aliqua etiam Iuris Romani vestigia in *Tit.* 14. *c.*16. deprehendimus, vbi pars Interpretationis *L.* 3. *Cod. Theod. de Incest. Nupt.* occurrit, vti Bignonius *ad L. Sal. h. l.* obseruauit. Egregie huc faciunt verba Agathiae *de Imp. et R. G. Iustin. L. I. p.* 7. dicentis: *Sunt enim Franci non campestres, vt fere plerique barbarorum, sed et politia vt plurimum vtuntur Romana et Legibus iisdem, eandem etiam contractuum et nuptiarum rationem et diuini Numinis cultum tenent.* Quae, licet paulo liberalius dicta, aliquam tamen Romani Iuris consuetudinem Francis fuisse ostendunt.

Communem Legis Salicae vsum diu superfuisse plura exempla docent. Et quidem Sec. XI. Sigonius *de R. I. L.* 8. *p.* 188. Mathildem Comitem *professam esse Legem Salicam* asserit. De Sec. XII. testatur Otto Frising. *Chron. L. IIII. c.* 32. Baluzius denique in probationibus Historiae Bressanae *p.* 5. *et* 215. eam non tantum an. 1185. sed et 1290. adhuc apud Lugdunenses et Friburgios in vsu fuisse docet. v. Struu. *Hist. Iur. c.* 6. §. 3. S.

Ad §. VIIII.

(76) Eginardi citatio.
(77) Lex Ripuaria.
(78) *Heineccii Nota.*

(76) En verba Eginhardi, diffidii causam suppeditantia: *Franci duas habent Leges plurimis in locis valde diuersas.* Horum verborum plerique hunc esse sensum existimant: Huius populi, qui communi Francorum nomine venit, illa pars, quae Salicam terram incolit, Saliorum nomine ornatur et Salica Lege vtitur; quae vero Ripuariam regionem colit, Ripuariorum nomine gaudet et Legem Ripuariam agnoscit, quae cum altera non in omnibus suis partibus consentit. Conringius alium plane horum verborum sensum eruit, nempe omnem Francorum populum vna tantum Lege, nimirum Salica, regi. Cumque Legis Salicae Codex MSCtus Fuldensis, quo vsus est Heroldus, non in omnibus consentiat cum eo, quo vsus est Tilius, Pithoeus, Lindenbrogius, verba Eginhardi de his diuersis eiusdem Legis Salicae exemplaribus intelligenda esse contendit. Huius sententiae Conringius has allegat rationes. 1. Cum Eginhardus non subiungat, Carolum voluisse omnia emendare et *discrepantia vnire*, pauca tamen capitula tantum addidisse, illa autem soli Legi Salicae, non alii, addita appareant, sequitur Eginhardum de Ripuaria Lege nequidem cogitasse. Cum 2. Ripuarii in Legibus Salicis

Source : BIU Cujas

licis semper a Francis distinguantur, 3. disertis verbis Franci inter Ripuarios advenae dicantur, *Tit. 36. L. 1. 4.* Franci in Ripuario pago suis Legibus iudicari iubeantur, *Tit. 31. L. 3.* non poterit Lex Ripuaria pro altera Francorum lege haberi. Sed ab hac sententia plerique merito diuortium faciunt, cum Eginhardus disertis verbis duas Francorum Leges, non tantum eiusdem Legis diuersa exemplaria dicat, et, quae extant, Heroldina atque Lindenbrogiana editiones non adeo dissentiant, vt duae plane diuersae Leges dici possint, e contrario vero collatio Legis Ripuariae cum Salica clarissime ostendat, duas esse Leges secum inuicem omnino non confundendas. Dubiis vero Conringii respondetur. 1. Vtique apud Baluzium extat Caroli Capitulare quartum anni 803. *de Lege Ripuariense.* 2. ex eo, quod duarum regionum incolae diuersis iuribus priuatis regantur, non sequitur, eos non eiusdem populi partes esse, et sub communi populi v. g. Francici nomine comprehendi; cum praecipue Legis Salicae *Tit. 49. al. 50.* Francos distinguat in eos, qui *intra Ligerim et Carbonariam manent*, et eos, *qui trans Ligerim et Carbonariam manent.* Ad 3. et 4. vero regeritur, inde sequi tantum, Ripuarios aliis Legibus vsos, quam caeteros Francos, minime tamen euinci, eos sub generali nomine Francorum non comprehendi. v. Struu. *Hist. Iur. c. 6. §. 3. n. 8.* Hoffmann. *Spec. Coni. Pol. c. 2. per. 3. sect. 2. §. 1. n. d. S.*

(77) Lex Ripuaria saepe non tantum mentem, sed et verba Legis Salicae refert, adeo vt Wendelinus *Nat. Sol. LL. Sal. c. 10.* fateatur, legem Ripuariam a Salica descendere ac plerisque in locis totidem verbis esse exscriptam. Lex Ripuaria paulo tamen asperiores quandoque, quam Salica poenas et quidem capitales statuit, si fides Regi non praestita fuerit *T. 29. c. 1. T. 60. c. 6.* ita et in furto *Tit. 79.* Iudicii duellici et probationum vulgarium vsus frequentior hac lege redditur. Illud maxime notandum, quod *Tit. 37.* praecipue inter dotem et Morgengabam diligentius distinguatur, et huius iura satis distincte definiantur. Nec hoc sane omittendum, quod Ripuaria Lex Romanis aequior, quam Salica fuerit, adeo vt argumentum inde non vanum deducat Eccardus *in Not. ad Inscript. Legis Ripuar. p. 208. multo plures Romanos in Ripuariis quam alibi superfuisse et suis Legibus vixisse.* S.

(78) De situ huius pagi Ripuariorum multa egregia congessit Eccardus *in notis ad inscript. Legis Rip. p. 207. et sq.* vbi ex verbis annalium Bertinianorum *ad an. 839. Comitatum Condorusto, inde per cursum Mosae vsque in mare Ducatum Ribuariorum, Wormatzfelda, Sperobgouni, Ducatum Helisatiae etc.* concludit, Ripuarios Wormatiensibus et Spirensibus Alsatiaeque vicinos videri. S.

Ad §. X.

(79) Lex Gundobadae.
(80) Sigismundus.
(81) *Heineccii Nota.*

(79) Gundebaldum Leges Burgundionibus dedisse disertis verbis scribit Gregor. Turon. *Hist. Franc. L. II. c. 30.* Ipsius Legis inscriptio Gundebaldum autorem facit: *Vir gloriosissimus Gundebaldus Rex Burgundionum*, et mox: *In Dei nomine anno secundo Regni Domini nostri Gloriosissimi Gundebaldi Regis.* Inde ipsi Legi nomen Gundebadae in Legibus Longob. *L. II. T. 55. §. 22.* et Gundobadae apud Agobardum *l. c.* Hinc Burgundiones ipsi, quando Legum ad eos spectantium mentio in Capitularibus fit, *Gunthbadingi in Cap. an. 704. c. 43. Gundebodingi*

Source : BIU Cujas

dingi in Cap. Aquisgr. an. 789. c. 62. appellantur. Hoc itaque Legis corpus, quod Legis Gundobadae nomine venit, vulgo *Les Gombettes*, Gundebaldum ipso anno Christi quingentesimo, certe non post hunc annum, promulgasse probabili coniectura assequimur. Constitutio, quae apud Lindenbrogium *Legis Burgund. Tit. 52.* occurrit, atque aliam eiusdem Regis, antea latam, corrigit, dicitur *data sub die IIII. Kalendas Aprilis Agapito consule.* Hic Agapitus a viris doctis et praecipue Conring. *de Orig. Iur. Germ. c. 6.* non sine ratione, cum alius huius vel affinis nominis circa ea tempora in Fastis non occurrat, creditur esse *Hippatius*, vel *Hypatius*, qui anno quingentesimo Consul in Oriente fuit, cum nullus esset in Occidente Consul, et hinc annus ille Orientalis Consulis nomine etiam apud Occidentales facile notari potuerit. Ipsa Legis Gundobadae Inscriptio eam etiam *IIII. Kal. Aprilis* promulgatam indicat. Ita vt Constitutio, quam Titulo 52. insertam videmus, eodem die, quo totum Corpus Legis Gundobadae promulgatum est, nempe IIII. Kal. Aprilis A. Ch. Io. et ipsa lata, illique corpori inserta fuisse videatur. Regeri quidem forsan posset, quod haec Constitutio aliam eiusdem Gundebaldi Legem antiquiorem emendet, adeoque corpore Legis Gundobadae, cuius partem illa Lex abrogata sine dubio iam fecerit, recentior, et hinc ipsum Iuris Burgundici Corpus ante quingentesimum annum necessario editum sit. Augetur haec difficultas eo, quod et *Tit. 42. et 45.* duae Constitutiones, quibus aliae antiquiores emendantur, occurrant, ambae ad ann. vel 501. vel 502. referendae, cum Auieno Consule datae sint, et an. 501. Auienus Senior, an. 502. vero Auienus Iunior in Fastis legatur. Ex quo sponte sua sequi videtur, quod hae Constitutiones, post corpus Legis Gundobadae compositae, et in locum aliarum antea ipsi insertarum surrogatae sint. Quod argumento est alteram etiam, quam iam an. 500. latam diximus, Corpore Iuris Burgundici etiam recentiorem ipsique antea iam composito demum per modum emendationis insertam, illudque ita Corpus ante annum Christi quingentesimum promulgatum esse. Huic quidem sententiae ego sane non multum refragarer, cum ea saltem id, quod praecipuum meae assertionis caput est, nempe Corpus Iuris Burgundici saltem non post annum 500. promulgatum esse, satis superque confirmetur. Verum ne his quidem argumentis euincitur, Legem Gundobadam quingentesimo anno esse antiquiorem. Quamuis enim Constitutio *Tit. 52.* de an. 500. aliam emendet antiquiorem, haec tamen antiquior sine dubio intelligenda erit de Lege quadam iam ante corpus Iuris Burgundici promulgatum in ea gente lata. Et sane ante hoc Corpus compositum iam aliquas inter Burgundiones Leges fuisse tam ab antecessoribus Gundebaldi, quam ab ipso latas, non tantum probat ipsa Inscriptio Legis Gundobadae; qua dicitur *Liber Constitutionum de* PRAETERITIS *et praesentibus atque in perpetuum conseruandis Legibus*, sed et ipsa Lex *Tit. I. c. 1. §. 1.* vbi ad praecedentes *dominantium Leges* prouocatur, vt et *Tit. 43. §. 1.* vbi Gundebaldus Legem suam *de superioribus temporibus* datam allegat. S.

(80) Legi Burgundionum s. Gundobadae subiiciuntur duo Additamenta, alterum quidem maius 20. titulorum, alterum vero minus 13. §§. quae viri docti a Sigismundo addita esse, et ideo in MSCto Codice ipsum Legis autorem dici coniiciunt. v. Hertius *Not. Vet. Germ. pop. P. II. c. 6. §. 7.* Conring. *de O. I. G. c. 6.* Struu. *Hist. Iur. c. 6. §. 4.* S.

(81) Lex Gundebada non in eo magis peccauit, quam Francorum Leges, quod vsum iudicii duellici aliquem admiserit, in quo sane consentientes habet Francorum Leges, vti iam praecedente §. de Ripuaria Lege notauimus, quod illa frequentiorem duellorum vsum reddiderit; adeoque in hoc quidem non magis illi, quam his succensere potuisset Agobardus. Verum Leges Francorum proba-

Source : BIU Cujas

tionem per duellum tantum in subsidium fere deficientium aliarum probationum, adeoque aliqua quasi ex necessitate admittunt, Lex Gundebada vero illam tanquam probationem ordinariam, imo aliis probationibus ordinariis v. g. iuramentorum praeferendam agnoscit. v. *Leg. Burgund. T. 45.* et hac quidem ratione, propter abusum nempe subsidiariae probationis, etiam Franco bilem mouere potuit.

Caeterum Lex Gundobada ideo maxime notanda; quod I. mitior sit in Romanos, quam Leges aliarum gentium eius temporis, cum eos aequali plane loco cum Burgundionibus habeat. Rationem indicat Gregor. Turonens. qui *Hist. Franc. L. II. c. 33.* de Gundobaldo loquens, sub finem: *Burgundionibus*, ait, *leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent*, quod non tam ex aequitatis studio, quam ex foederis lege, qua Romanis obstringebatur, eum fecisse bene coniicit Hoffm. *Spec. Coni. Pol. C. 2. per. 3. Sect. 5. §. 3.* sub Romanis autem hic non tantum illi, qui ipsa sua origine Romani dicuntur, sed et indigenae Galli, qui eas regiones, quas Burgundiones occupauerant, iam ante horum aduentum incolebant, intelliguntur, quippe qui iam per Constitutionem Antonini Caracallae, qua omnibus sub Imperio Romano viuentibus ius ciuitatis Romanae datum est, Romani ciues effecti, etiam labentibus Imperii Romani rebus nomen Romanorum conseruarunt, et in illis legibus iis, qui nomine honoris, non contumeliae, tum Barbari dicebantur, id est, ipsis populis victoribus opponuntur, quod obseruarunt iam Schurtzfleisch. *Lemm. Ant. Franc. §. 17.* Hertius *Not. Vet. Germ. Pop. P. III. c. 6. §. 5.* Christ. God. Hoffmann. *Spec. Coni. Pol. c. 2. per. 3. sect. I. §. 4. n. e.* et maxime Celeberrimus Schoepflinus noster *in Burgund. cis- et trans-Iurana. Comment. Hist. et Crit. p. 222.* II. Quod illa non tantum in Romanos sed et omnes in vniuersum hospites aequissima sit. v. *Tit. 38. c. 1. et 3.* Nec quenquam in contrarium sensum trahat *Tit. 39.* cuius *c. 1. quicunque hominem extraneum cuiuslibet nationis ad se venientem susceperit, discutiendum iudici praesentare* iubetur, *vt, cuius sit, tormentis adhibitis fateatur*, quod saeuitiam magis quam humanitatem in hospites probare videtur, quorsum haec etiam accepisse videtur Hoffm. *l. c. n. a. in f.* Hoc enim nonnisi de seruo fugitiuo et incerto intelligendum esse, ipsa verba allegata, *cuius sit*, satis probant et *c. 2.* vberrime ostendit, cum his ipsis verbis antea allegatis haec statim iungantur: *quod qui intra septem dies non fecerit, et a* DOMINO *agnitus fuerit, is apud quem* SERVVS *inuentus, ad triplam solutionem pretii ipsius teneatur* &c. conferantur etiam *c. 3. 4. et 5.* III. Quod multa ex Iure Rom. recepisse videatur, quod vel ipsae testamentorum solennitates *Tit. 43. c. 1.* admissae testantur. v. Brunquell. *Hist. Iur. P. IIII. c. 2. §. 14.* Hoffmann. *l. c.* et quae huc etiam de restitutione minorum *Tit. 87. c. 3.* de manumissione *T. 88. c. 2.* trahit Heinecc. *infra §. 14.* quae saltim vestigia quaedam Iuris Romani ostendunt. IIII. Quod seueriores, quam aliae eius temporis Leges, poenas statuat, et quidem capitales homicidis *T. 2. c. 1. 3. 4.* adulteris aut maritum malitiose deserentibus *Tit. 34. c. 1.* sollicitatoribus et furibus *Tit. 4.* iudicibus et militantibus, id est, aduocatis, *qui aliquid praemii vel commodi nomine a qualibet parte sperent aut praesumant accipere.* v. Constitut. Gundebaldi praefixam Legi Burgund. In eo tamen iusto sane durior, quod, *si ingenua puella voluntarie se seruo coniunxerit, vtrumque occidi* iubeat, *Tit. 35. c. 2.* quodque furum vxores vel filii 14. annis maiores, si mariti aut parentis crimen non detulerint, seruituti addicantur. S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. XI.

(82) Theodoricus.
(83) Leges Wisigothicae.

(82) Theodoricus Theodemiri Ostrogothorum Regis filius, firmandae pacis inter Marcianum Imperatorem et Ostrogothos pignus, Constantinopolin ideo ductus, ibi educatus a Leone, qui Marciano succesſerat, multis paterni plane affectus teſtimoniis ornatus, libertatique poſtea ſuisque reſtitutus, ſuſceptoque poſt Theodemiri mortem paterno regno a Zenone Leonis ſucceſſore, Conſtantinopolin vt veniret, inuitatus, ab ipſo maximis honoribus cumulatus, et plane per arma adoptatus, tandem etiam eo annuente Italiam ingreſſus, victoque Odoacro Herulorum Rege, regnum Ostrogothorum in Italia adeptus, et in eo ipſius autoritate firmatus non potuit non dignitatem Romani Imperii venerari, eiusque inſtitutis et Legibus, quibus a teneris imbutus et perpetuo vſu aſſuefactus erat, impenſius fauere. Quod ſane Theodoricus annuente, ſuadente, hortante Zenone Italiam petierit, Odoacrum vicerit, Regnum Italiae ſibi acquiſiuerit, praeter Iornandem et Ennodium, quos ſtudium in gentis ſuae principem ſuſpectos reddere poſſet, diſertis etiam verbis teſtantur Procop. *de B. G. L. I.* Agathias *L. I.* Inde ſuum erga Romanos Leges ſtudium paſſim impenſe teſtatur. *Delectamur Iure Romano viuere.* v. Caſſiodori *Var. L. 3. c. 43.* Plura teſtimonia dabunt Iac. Godofr. *Prol. ad Cod. Theodoſ. c. 3.* Giannone *Hiſt. de Naples L. 3. ch. 2.* Hinc plura ex Conſtitutionibus Theodoſiani Codicis et Nouellis Valentiniani in varia Edicta Theodorici, a Caſſiodoro conſeruata, tranſierunt, quorum indicem bene longum ibidem exhibet Godofredus. Vnde etiam Gelaſius P. R. apud Iuonem *Decr. P. 4. c. 180.* de Theodorico teſtatur, *quod Leges Romanorum Principum in negotiis hominum cuſtodiendas eſſe praeceperit.* Qui textus etiam apud Gratianum occurrit *Diſt. 10. can. Certum. 12.* Inde ipſum Edictum Theodorici, quod propter eminentiam prae aliis, nomen hoc quaſi proprium accepit, et 154. capitibus conſtans a Lindenbrogio exhibetur ac inter Caſſiodori opera extat, Leges Romanas, id eſt, Codicem Theodoſianum et Nouellas Theodoſii et Valentiniani omnibus fere capitibus loquitur, et ſi *c. 56. et 61.* et alia pauca ſeueritatis Gothicae argumenta excipias, totum fere Romanum eſt. Vnde ipſe tandem Edicti ſui *c. 154.* id fatetur: *Nec cuiuslibet dignitatis, aut ſubſtantiae aut potentiae, aut cinguli vel honoris perſona contra haec, quae ſalubriter ſtatuta ſunt, quolibet modo credat eſſe veniendum, quae ex Nouellis legibus ac veteris iuris ſanctimonia pro aliqua parte collegimus.* Sane, quod Theodoricus nihil omnino voluerit detrahere autoritati Iuris Romani, ipſe ſatis indicat *in Prooemio Edicti*, vbi ſe Edictum hoc promulgare dicit *ſalua Iuris publici reuerentia, et legibus omnibus cunctorum deuotione ſeruandis.* Et ne quis putet, hanc Romani Iuris obſeruandi neceſſitatem inculcari tantum Romanis ſub Theodorici imperio viuentibus, Gothis patrio Iuri relictis, nemo melius hoc dubium animis eximit, quam Theodoricus ipſe, qui apud Caſſiodorum *Var. Lib. 3. c. 13.* Sunhiuado (al. Ianuario) *ſublimi correctori cuiuſdam prouinciae ad iurgia finienda* miſſo, quem praeſidem Samnii fuiſſe contextus Reſcripti ſatis indicat, diſertis verbis hanc officii regulam praeſcribit: *Intra prouinciam Samnii, ſi quod negotium Romano cum Gothis eſt, aut Gotho emerſerit aliquid cum Romanis,* LEGVM *conſideratione definies, nec permittimus, in diſcreto iure viuere, quos vno voto volumus vindicare.* Illud tantum Gothis permittit Theodoricus, vt ſi quae lis oriatur Gothis cum

Source : BIU Cujas

Gothis, illa a iudicibus, quos ipsis per singulas vrbes constituerat, ad normam Edictorum suorum, parum tamen a Romano Iure, vti ostendimus, abeuntium definiretur; iudiciis omnibus, vbicunque Romanus vel actoris vel rei partes tueretur, Romanorum magistratui vnice fere relictis; quam limitationem officii Iudicum formulae Comitiuarum, a Cassiodoro *Var. Lib. 7.* exhibitarum passim loquuntur, maxime autem eiusdem *Libri c. 3.* probat, vbi in *formula Comitiuae Gothorum per singulas* (al. diuersas) *prouincias, de Comite instituto ad litem inter duos Gothos amputandam* dicit, *se Comitem destinare, qui secundum Edicta inter duos Gothos litem debeat amputare.* Quid quod tantum Theodorico fuerit conseruandorum Romanorum morum studium, vt eandem regiminis formam, eosdem fere magistratus, eandem prouinciarum diuisionem, eadem rerum personarumque iura, quae sub Romanis fuerant, studiose conseruauerit, quod luculentis testimoniis probauit Giannone *Hist. de Naples T. I. Liv. 3. chap. 2. p. 214-229.* qui in hac causa apprime consulendus. Studium suum imitandi Imperatores Romanos Anastasio Imperatori ipse Theodoricus luculenter probare conatur, ita Imperatorem allocutus: *Vos estis regnorum omnium pulcherrimum decus, vos totius orbis salutare praesidium, quod caeteri dominantes iure suspiciunt, quasi in vobis singulare aliquid inesse agnoscunt, nos maxime, qui diuino auxilio in republica curam didicimus, quemadmodum Romanis aequabiliter imperare possumus. Regnum vestrum, imitatio vestra forma est boni propositi, vnici exemplar imperii, qui, quoniam vos sequimur, tantum alias gentes anteimus. Hortamini me frequenter, vt diligam senatum,* LEGES PRINCIPVM *gratanter amplectar, vt cuncta Italiae membra componam. Quomodo potestis ab augusta pace diuidere, quem non optatis a vestris moribus recedere.* Idem studium ipsi ad extrema vsque permansit adeo, vt illud et post mortem inter superstites conseruaturus, iam morti vicinus Comitibus suis in mandatis dedisse a Iornande *de Reb. Get. c. 59.* dicatur: *vt Senatum populumque Romanum amarent, Principemque Orientalem placatum semper propitiumque haberent.* v. Ritterum *ad Iac. Godofredi Proleg. Cod. Theodos. c. 3.* Eadem cura, idem studium, eadem instituta Athalarico successori, quae fuerant Theodorico. Quod fuse probant, quae in Libro *Var. 8. et sqq.* a Cassiodoro plena manu exhibentur Athalarici R. acta, rescripta, edicta, egregie his studiis ab Amalesuenta matre et tutrice imbuti. Communionem sane Iuris inter Romanos Gothosque aperte docet Athalarici Regis ad Senatum Vrbis Romae epistola apud Cassiod. *Var. L. 8. c. 3.* in cuius medio haec leguntur: *Iustitiam nos et aequabilem clementiam, quae populos nutrit, iuuante Domino custodire, et Gothis Romanisque apud nos Ius esse commune, nec aliud inter vos esse diuisum, nisi quod illi labores bellicos pro communi vtilitate subeunt, vos ciuitatis Romanae habitatio quieta multiplicat.* Sequentes Ostrogothorum per Italiam Reges, perpetuis turbis et bellorum motibus immersi, de Legibus nouis ferendis et Iuris communis forma mutanda non videntur cogitasse, et quam lentos, imo nullos, in Regno Ostrogothico progressus Corpus Iustinianearum Legum facere potuerit, supra L. 1. §. 409. satis iam a nobis demonstratum est. Nec quenquam moueat, quod modo a nobis assertum est, Ostrogothicorum Regum in colenda cum Imperatoribus amicitia Legibusque Romanis recipiendis studium, quod et vltimos Ostrogothorum Reges ad leges Iustinianeas recipiendas inducere debuisset. Ad prima Ostrogothici Regni tempora, quibus mutua amicitia, et tranquilla pace se inuicem excipiebant Gothi Romanique, referendum, ab vltimis vero his temporibus, quibus perpetua cum Iustiniano inimicitia in turbas, bella et clades exarsit, omnino alienum est. S.

(83) Non idem Visigothis, quod Ostrogothis fuisse diximus, Romanarum, imo quarumcunque Legum, studium fuit. Ipse Athaulfus Visigothorum Rex apud Oro-

Source : BIU Cujas

Orosium L. *VII. c. 29.* testatur, *Gothos nullo modo parere legibus posse propter effrenatam barbariem*, vbi tamen quasi inuitis et reluctantibus Gothis leges Romanas obtrudere videtur, *sine quibus*, vt ait, *respublica non est respublica*, vnde dicit *se elegisse salutem, vt gloriam sibi de restituendo in integrum augendoque Romano nomine Gothorum viribus quaereret, haberetur que apud posteros Romanae restitutionis autor, postquam esse non poterat immutator.* Imo si Arthuro Duckio *de vsu et aut. Iur. Ciu. Rom. L. 2. c. 6. n. 14.* credimus, ipse Athaulfus circa annum 412. Edicto mandauit subditis suis, *vt Romanas Leges simul cum Gothicis seruarent.* Et si genuina est eiusdem apud Goldastum *Const. Imp. T. III. p. 586. Constitutio*, ipse dicit, *ob hoc abstinere a bello, ob hoc inhiari paci nitimur, praecipue vt religiosarum Legum, quas vel Romani principes sanciuerunt, vel Gothorum consuetudines habent, aut nostra Serenitas de nouo adinuenit, prudentiumque virorum ad omnia bonarum ordinationum opera persuasu et consilio vtrumque populum sub felicis pacis compositione temperaturi.* Nec tamen satis roboris apud Gothos hae Leges accepisse videntur, cum Claudianus satis acerbe queratur *ad Rufinum L. II. v. 85.*

Moerent captiuae pellito iudice Leges.

Vno tamen omnium ore Euarico s. Eurico Theodorici Iunioris fratri, occisori, eidemque successori primae apud Visigothos scriptae Leges acceptae feruntur ex testimonio Isidori Hispalensis *in Chron. ad a. 504.* qui *sub hoc Rege*, inquit, *Gothi Legum instituta scriptis habere coeperunt, nam antea tantum moribus et consuetudine tenebantur.* Vnde et Sidonius *L. 8. Ep. 3.* de hoc Rege ad Leonem, qui illi a consiliis erat, scribit: *modo per promotae limitem sortis vt populos sub armis, sic fraenat arma sub Legibus.* Quod, nescio an satis apte, Struuius *Hist. Iur. c. 5. §. 1.* cum superioribus ita conciliat, vt Euaricus Gothorum Leges sparsas in vnum Codicem coëgisse censeatur, eo nomine primus Leges scriptas Gothis dedisse, vt ipsi videtur, dicendus. Nulli tamen dubitamus huic Euarico adscribere Leges inter Visigothos celeberrimas Theodoricianas. Alii quidem eas Theodoricis duobus maiori et minori s. iuniori acceptas ferunt, vti *Baron. Annal. ad an. 468. n. 11.* de quorum tamen legibus vix vlla in monumentis eius temporis vestigia occurrunt. Alii Theodorico Ostrogothorum Regi deberi volunt, quem tamen totum in conseruandis Legibus Romanis fuisse in praecedente nota ostendimus. Huius etiam temporibus antiquiora sunt fata Sidonii, teste Gregorio Turonensi *Hist. Franc. L. 2. c. 23.* cum tamen ipse Theodoricianarum Legum mentionem faciat *L. 2. Ep. 1.* Alii eas ad aemulationem tantum Theodosianarum Legum Theodoricianas dictas esse existimarunt. Haec tamen satis longe petita videtur allusio. Verum Euarici nomen, qui et ipse Theodoricus dictus fuit, vt erudite probat Sauaro *ad Sidon. Apollin. Lib. II. Ep. 1.* causam optimam praebet, has Leges *Theodoricianas* appellandi, adeo vt, iudice Grotio, Theodoricus hic tunc demum Euarici elogio ornatus fuerit, cum has leges tulisset, quasi *Legibus pollens* ab Ewa, *Lex*, et rich, *diues* dictus. Hae vero Theodoricianae Leges Romanis inter Visigothos Legibus tenebras obduxerunt, quae magis adhuc auctae fuerunt artibus Seronati, tum quidem Praefecti Praetorio Galliarum, quem *Catilinam seculi sui* appellans Sidonius *l. c.* atris plane coloribus depingit; ex cuius verbis haec maxime huc facere videntur. *Exultans Gothis, insultansque Romanis, illudensque Praefectis, colludensque numerariis, Leges Theodosianas calcans, Theodoricianasque proponens, veteres culpas, noua tributa perquirit.* De quibus omnibus latius agit Giannone *Hist. de Naples T. I. L. 3. ch. 1.* Successit Eurico filius Alaricus, Theodorici Ostrogothorum Regis et insignis Legum Romanarum patroni, ducta in matrimonium eius filia Theodelusa, gener, qui eum ideo familiari plane et blando sermone alloquitur apud Cassiodorum *Var. L. III. Ep. 1.* et in litteris ad Gundebaldum

Source : BIU Cujas

Burgundionum Regem *ib. epist.* 2. nec non aliis ad Luduinum Regem Francorum datis *ib. epist.* 4. filium suum appellat. Hic soceri exemplo forsan motus, Leges Romanas impense coluit et inde Codicem suum Alaricianum componi curauit, de quo plura *infra* §. 15. Subsequentes tamen Reges studio Legum Gothicarum magis, quam Romanarum accensi videntur, et inter eos Leuuigildus Codicem Eurici correxit et auxit, testante id Isidoro *in Chron. an.* 608. *In Legibus quoque ea, quae ab Euarico incondite constituta videbantur, correxit, plurimas Leges praetermissas adiiciens, pleraſque superfluas auferens.* Successores huius, qui a. 686. decessit, non paucis Constitutionibus Codicem illum auxerunt, ita vt integrum Corpus Legum Visigothicarum compositum tandem fuerit, quod hodieque apud Lindenbrogium extat, tantaque autoritate donatum est, vt vnice ad causas in foro decidendas inter Visigothos admissum fuerit, Legibus aliis, maximeque Romanis omnimodo abrogatis. Chindesuindus sane Edicto in hanc rem promulgato *LL. Visigoth. L. II. T. I. c. 9.* satis acerbe dicit: *Alienae gentis legibus ad exercitium vtilitatis imbui et permittimus et optamus, ad negotiorum vero discussionem et resultamus et prohibemus. Quamuis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus haerent; adeo cum sufficiat ad Iustitiae plenitudinem et praesentatio rationum et competentium ordo verborum, quae Codicis huius series agnoscitur continere, nolumus, siue Romanis legibus, siue alienis institutionibus a modo amplius conuexari.* Qui patri an. 649. defuncto successit filius Recisuindus, patris vestigiis insistens, *LL. Visig. L. II. T. I. c.* 10. omnes alias Leges, quae hoc Codice non comprehenderentur, prohibuit. *Nullus prorsus ex omnibus regni nostri praeter hunc librum, qui nuper est editus atque secundum seriem huius omnimode translatum, alium librum quocunque negotio in iudicio offerre pertentet.* Hinc etiam ipsum Chindesuindum huius Codicis autorem agnoscere nulli dubitamus. Codex hic Visigothicus, licet in odium Legum Romanarum fere compositus, ex Codice tamen Theodosiano et eius compendio Alariciano non pauca in suos vsus traxisse videtur, quod vel ex *Cod. LL. Visigoth. L. 5. Tit. 5. Cap. 9.* cum *Lege 1. Cod. Theod. de vsuris*, et *LL. Visig. L. 3. Tit. 1. c. 1.* cum *L. vn. Cod. de Nupt.* collatis patebit. Alia vide *infra* §. 14. Ipsius Codicis Iustinianei imitationem verosimiliter deprehendimus in diuisione Codicis Visigothici in XII. Libros facta. Ex eodem Iure Iustinianeo etiam graduum consanguinitatis computatio tracta videtur. Quae Leges in hoc Codice Visigothico vocabulo *Antiqua* notantur, eas ex iure Romano petitas aliqui arbitrantur, quod tamen de paucis probari poterit, si ipsae decisiones cum iure Romano conferantur. Propius ad veritatem accedere videntur illi, qui Euarici vel Leuigildi Leges ita notari existimant. Illud etiam obseruarunt multi, quod sermo Latinus, quo conscriptus est hic Codex, comtior plerumque sit, ac purior, quam quo aliarum gentium eius temporis Leges scriptae sunt. Vnde et Cuiacius *ad Feud. L. 2. tit. 11.* Visigothorum gentem cultiorem caeteris eius aeui gentibus vel inde probari posse arbitratur. vid. de his etiam Giannone *Hist. de Napl. T. 1. L. 3. ch. 1. §. 3.* S.

Ad §. XII.

(84) Leges Angliorum et Werinorum.

(84) De his Angliorum et Werinorum Legibus, quae dici possent, omnia fere incerta sunt. Conring. de *O. I. G. c.* 13. Leibnitius *T. I. Script. Brunsu. in not. ad has LL.* Struu. *Hist. Iur. c. 6. §. 4.* Christ. God. Hoffmannus *Spec. Coni. Pol. C. II. per. 3. Sect. 7.* de loco originis et autore harum Legum aliqua dicunt, sed quae dubia

dubia augent magis, quam tollunt. Inscriptio harum Legum: *Lex Angliorum et Werinorum, hoc est, Thuringorum*, torquet eruditos. Angli et Varini iunguntur apud Tacitum *de M. G. c.* 10. Sed quid hi commune habeant cum Thuringis non satis liquet. Vnde Conringius Thuringis tantum hanc legem tribuendam esse, et Angliorum Werinorumque nomina ab imperita librarii manu forsan addita fuisse suspicatur, nihil tamen certi definit. Nec tanti est haec Lex, vt tricis his enodandis multum immorari debeamus. In ea pauca notari merentur. *Tit. VI. de Alodibus* modum succedendi illustrat aliquot gentibus hodieque familiarem. Hereditas defuncti filio non filiae destinatur, *ibid. c.* 1. si filius deest, filia pecuniam et mancipia, terram proximus paternae generationis consanguineus lucratur, et haec vsque ad quintam generationem obseruantur. Post hunc filia superstes ex asse succedit. Sequuntur alia, in quibus vtique rerum expeditoriarum v. *Heergewette*, et vtensilium v. *gerade* vestigia deprehendimus. Aliud etiam in immobilibus, aliud in mobilibus ibidem obtinere obseruamus. S.

Ad §. XIII.

(85) *Ad Heineccii Notam.*

(85) Quid sibi hic velit autor, de non expectata Zenonis iussione loquens, non satis assequor. Quod Theodoricus omnia in Italia egerit auctore et suasore Zenone supra iam *ad* §. 11. probauimus. Clara sunt ipsorum Gothorum verba apud Agathiam *L. I. Theodoricus non ipsis nolentibus, sed Zenonis quondam Imperatoris concessu venit in Italiam.* Imo Iornandes testatur Theodoricum *Zenonis Imperatoris consulto priuatum habitum suaeque gentis vestitum deposuisse, insigne Regii amictus, quasi iam Gothorum Romanorumque regnatorem, adsumsisse.* Illud quidem lubentes fatemur, quod post fata Zenonis Imperatoris Theodoricus victo et tandem occiso Odoacro Herulorum Rege iuris sibi in Italiam et virtute sua quaesiti et consensu Zenonis olim iam satis confirmati approbationem ab illius successore Anastasio non denuo petierit. Fidem huius rei facit autor Anonymus, Ammiano Marcellino ab H. Valesio additus, qui, quod Gothi *sibi confirmauerint Theodoricum Regem non expectantes iussionem noui Principis* testatur, quod a nemine antea obseruatum Ant. Pagi *Dissert. Hypat. p.* 300. *n.* 526. notauit. Sed haec ad Anastasium non ad Zenonem referri debent. His tamen Theodorici et Gothorum conatibus nulla ab Anastasio impedimenta obmota, sed potius assensum et authoritatem ab Anastasio additam loquuntur ipsae litterae Anastasio a Theodorico scriptae apud Cassiodor. *Var. L. I. Ep.* 1. quarum verba superius *ad* §. 11. exhibemus. Quid quod et ipse Iustinianus Pragmaticae sanctionis *pro petitione Vigilii &c. c.* 2. Totilae penultimi Ostrogothorum Regis facta infringens, Amalasuentae, quae Theodorici filia erat, et Atalarici, illius ex hac filia nepotis, imo et Theodati, qui huic successerat, gesta confirmans *ib. c.* 1. ipsius Theodorici iura tacite agnouisse videatur. S.

Ad §. XV.

(86) *Ad Heineccii notam.*

(86) Merentur legi ipsa verba, quae exemplar *Auctoritatis*, quam Alaricus R. compilationi Legum suarum praefixit, in fronte exhibent: *In hoc corpore continentur Leges s. species Iuris de Theodosiano et diversis libris electae, et sicut praeceptum est, expla-*

Source : BIU Cujas

explanatae, anno XXII. regnante Domino Alarico Rege, ORDINANTE VIRO ILLVSTRI GOIARICO COMITE *&c.* Quaeque in medio huius Auctoritatis occurrunt: *Et ideo subscriptum librum, qui in tabulis habetur collectus*, GOIARICO COMITI *pro distringendis negotiis nostra iussit clementia destinari, vt iuxta eius seriem vniuersa causarum sopiatur intentio: nec aliud cuilibet aut de legibus, aut de iure liceat in disceptationem proponere, nisi quod directi libri et* SVBSCRIPTI *viri spectabilis* ANIANI MANV, *sicut iussimus, ordo complectitur &c.* et quae sub finem adiiciuntur: ANIANVS, *vir spectabilis ex praeceptione D. N. Glorioss. Alarici Regis hunc Codicem de Theodosiani legibus atque sententiis iuris vel diuersis libris electum, Aduris anno XXII eo regnante* EDIDI ATQVE SVBSCRIPSI. *Recognouimus &c.* Imo subscriptio Aniani, verbis adhuc clarioribus expressa ex MSto Regio a Godofredo haec producitur: ANIANVS *V. S. hunc Codicem legum iuris secundum Authenticum subscriptum et in thesauris editum*, SVBSCRIPSI ET EDIDI *die 3. Nonas Februarii A. 22. regnante Domino nostro Alarico Rege; ex praeceptione domini nostri gloriosissimi Regis Alarici*, ORDINANTE *viro magnifico et illustri* GOIARICO COMITE. Ex verbis *edidi atque subscripsi*, et testimonio Sigeberti Gemblacensis *de Script. Eccles. c. 70. Anianus, Vir spectabilis, iubente Alarico Rege, volumen vnum de legibus Theodosii edidit*, Schultingius *in Praef. ad Iurispr. Ante-Iustin.* colligit, Anianum id praestitisse huic Codici, quod Tribonianus Iustinianeo, cuius sententiae etiam subscribit Struuius *Hist. Iur. Cap. 5. §. 2.* Verum cum *edere* dicatur, qui aliquid publici iuris facit, qui confirmat et commendat iudicibus, licet non ipse autor sit, et Sigeberti alio quidem forsan sensu, quam qui in subscriptione est, vocabulum *edere* ex errore adhibentis testimonium nimis ab Alarici temporibus remotum sit, quam vt errori inde aliqua possit accedere autoritas, Aniani non alias, quam Referendarii subscriptionem Regiis literis apponentis, partes in hoc negotio fuisse, Goiaricum vero, tanquam Comitem Palatii, totum opus ordinasse, cum Iac. Godofredo et Heineccio etiam Brunq. *Hist. Iur. P. I. c. 15. §. 12. et sq.* Ritterus *in Notis ad Godofredi Proleg. c. 3.* Giannone *Hist. de Naples T. I. Liu. 3. ch. 1. §. 1.* Terrasson *Hist. de la Iurispr. Rom. P. III. §. 9. p. 294.* aliique merito agnoscunt. S.

Ad §. XVII.

(87) Ex Codice Theodosiano, &c.
(88) *Ad Heineccii notam.*

(87) Multa tamen ab ipso allegari ex eo Codice, quae hodie in eo non reperiuntur, siue quod minus diligenter allegata, siue, quod verosimilius, quod iniuria temporum perierint, testantur Respons. *Tit. 3. 18. sub f. 30. 34. 36. 37. 44.* Consulantur ibidem Schultingii Notae. S.

(88) Si coniectura, qua cum Conringio, Hertio, Struuio *supra ad §. 10. n. β.* Sigismundo Gundebaldi filio additamenta duo Legis Burgundionum asseruimus, sustinetur, quam nec ipse Heineccius ibidem aspernari videtur, sane Papianus Responsa sua sub Gundebaldo non composuit, aut saltem non perfecit, quippe qui pleraque *Tituli 18.* ex additamento primo Legis Burgundionum hausisse videtur. S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. XVIII.

(89) Ante Euricum &c. (*Not. Hein.*)
(90) Sed Gothum &c. (*H. N.*)

(89) Ex eo, quod Legum Theodoricianarum auctor sit Theodoricus non Francus sed Gothus, non sequi, ante Euricum iam fuisse aliquas Visigothorum Leges, satis apparet ex iis, quae *ad §. 11. n. 3.* diximus de Eurico s. Euarico etiam Theodorici nomine insignito. S.

(90) Sidonius ibi inducit Theodoricum Iuniorem, Visigothorum Regem, cum Auito, tunc nondum Imperatore; colloquentem, fatentemque his verbis, Romana iura sibi non tantum innotuisse, sed et grata reddita fuisse consiliis Auiti, cuius hortatu Romana iura olim Tolosae didicerat. Nihil hic, quod Theodoricum Francum prodat, omnia Theodoricum Iun. Visigothum loquuntur. S.

Ad §. XVIIII.

(91) S. Remigius.
(92) Hadoindus.
(93) Aliud Testamentum.
(94) Ad finem aliae auctoritates.

(91) Quod Iure Praetorio conditum et codicillari clausula munitum indicat ipsum prooemium: *Ego Remigius, Episcopus Ciuitatis Remorum, Sacerdotii compos, Testamentum meum condidi Iure Praetorio, atque id* CODICILLORVM VICE *valere praecepi, si iuris aliquid videbitur defuisse* &c. Iuris Romani formulas etiam exhibent verba Testamenti: *Haec ita do, ita lego, ita testor. Ceteri omnes exheredes estote, suntote. Huic autem Testamento meo dolus malus abest, aberitque: in quo si qua litura vel caraxatura fuerit inuenta, facta est a me praesente, dum a me relegitur et emendatur* cet. Subscribunt *Vedastus, Genebaudus, Medardus, Lupus, Benedictus, Eulogius*, Episcopi, *Agricola, Theodoricus, Celsinus*, Presbyteri, hac singuli formula vsi: *Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, et cui benedixit, benedixi, interfui quoque atque subscripsi.* Hos sequuntur *Papolus, Eulodius, Eusebius*, qui nulla officii aut dignitatis nota addita formulam simplicem adhibent: *interfui atque subscripsi.* Hos alii tres excipiunt, *Rusticolus, Eutropius, Daweus*, hac formula scribentes; *interfui et signaui.* S.

(92) Quod etiam ad Iuris Romani normam conditum et clausula codicillari suffultum indicant testamenti ipsius verba: *Quod Testamentum meum si quo casu Iure Ciuili aut Praetorio, vel alicuius nouae Legis interuentu valere nequiuerit, ac si ab intestato* AD VICEM CODICILLORVM *valere id volo et valeat.* Exhibentur haec duo testamenta etiam a Brissonio *de Form. solenn. L. VII.* et Terrasson. *Hist. de la Iurispr. Rom.* in appendice monumentorum *p. 90. et sqq.* vbi et aliud testamentum Ermentrudis ex Mabillonii *Append. Suppl. de re Diplom.* fistit, vbi formula adhibetur: *Ita do, ita lego, ita testor, ita vos mihi Quiritis, testimonium perhibetote, citeri citeraeque, proximi, proximaeque exheredis mihi estote, proculque habetote. Si quae Liturae vel caraxaturae in hoc testamento meo sunt, ego feci fierique praecepi, dum mihi saepius volui recenseri* &c.

Source : BIU Cujas

(93) Adde et Caesarii Archiepiscopi Arelatensis testamentum apud Baronium *Annal. Eccleſiaſt. ad an.* 508. *n.* 23. vbi haec leguntur: *Et ideo iuxta hanc Epiſtolam, quam manus noſtrae ſubſcriptione roborauimus, cuique diem et conſulem ſubtus adiecimus, Deo diſpenſante hoc teſtamentum meum condidi, vel manu propria ſubſcripſi, atque Iure Praetorio vel Iure Ciuili et* AD VICEM ILLORVM CODICILLO FIRMAVI etc. Aliud etiam Arcadii Lemouiensis Episcopi testamentum, clausula Codicillari munitum, refert Dad. Alteserra *Rer. Aquitan. L. III. c.* 8. S.

(94) Addi his praecipue merentur, quae in formulis antiquis ab Hieronymo Bignonio, Sirmondo atque Baluzio editis occurrunt: *Lex Romana expoſcit, quod ſecundum Legem Romanam actum, vt nullatenus reuocetur.* Iis autem, quae a Gothofredo locis ab Autore citatis dicuntur, omnino iungi debent, quae in notis obſeruat eruditiſſimus Ritterus. S.

Ad §. XXI.

(95) Lindenbr. citatio.

(95) Non omittenda ſunt, quae ſtatim ſubiiciuntur, verba: *Hoc decretum eſt apud Regem et Principes eius, et apud cunctum populum Chriſtianum, qui infra Regnum Merwangorum pertinent.* S.

Ad §. XXIII.

(96) Theodoricus, Chlodouaei filius.

(96) Cum Theodorici, Childeberti, Chlotarii atque Dagoberti nomina non ſingulis tantum Regibus, ſed pluribus in hiſtoria illorum temporum tribuantur, et de harum legum autoribus nulla, niſi in hoc Prologo, apud veteres occurrat mentio, non facile definire poſſumus, cui inter plures eiuſdem nominis Reges, harum legum vel origo, vel emendatio adſcribenda ſit. Conringius, qui bene omnia perpendit, dubius tamen haeret, nec quicquam certi definire audet. Goldaſtus *Alem. Rer. T. II. p.* 1. Theodoricum I. Childebertum II. Chlotarium II. et Dagobertum Magnum intelligit. Nec argumenta ſatis grauia in contrarium proſtant. Qui ſint illi viri illuſtres *Claudius*, *Chadoindus*, *Magnus* et *Agilolfus*, vti apud Goldaſtum leguntur *l. c. p.* 25. vel *Claudius*, *Chadus*, *Indomagus* et *Agilulfus*, vti apud Lindenbrogium, vel *Claudio*, *Chadoin*, *Domagno* et *Agillofo*, vti apud Eccardum *in Prol. L. Sal. p.* 8. per quos Dagobertus leges renouaſſe dicitur, multa etiam eſt diſputatio. Eccardus tres tantum fuiſſe non ſine ratione ſuſpicatur, cum ſecundi et tertii nominis tam varia, vt videmus, lectio occurrat. Claudium Eccardus credit eſſe eum, qui Maior domus Burgundiae ſub Theodorico II. anno 606. factus, ad tranquilliorem poſtea vitam forſan rediit, Ducis titulo contentus, et ad Dagoberti vſque tempora non adeo difficulter peruenire potuit. Impellit eum in hanc ſententiam elogium, quod Claudio illi a Fredegario *c.* 28. datur, ratione ſatis probabili Claudio, legum autori, tribuendum. Verba haec ſunt: *Anno XI. regni Theuderici ſubrogatur Maior domus Claudius, genere Romanus* (id eſt, qui non ex Francis eſt, ſed ex veteribus Galliae incolis, olim per Conſtitutionem Caracallae ciuitate Romana donatis) *homo prudens, iucundus in fabulis, ſtrenuus in cunctis, patientiae dediius, plenitudine conſilii abundans, literarum ſtudiis eruditus, fide plenus, amicitiam cum omnibus ſectans. Priorum exempla metuens, lenem ſe et patientem*

Source : BIU Cujas

ientem huius gradus ascensu ostendit. Sed hoc tantum impedimentum habebat, quod sagina esset corporis adgrauatus. Nomina, quae sequuntur, secundo et tertio loco posita, ex vno in duo per errorem diuisa existimat Eccardus, adeo, vt legi potius debeat *Chaindomannus*, diminutiuo Chadoindi, blandientium in morem, substituto. Chadoindum autem eundem suspicatur, qui an. 613. quo Theodoricus II. obiit, ex proceribus Alemannorum legatus ad Chlotarium a Brunechilde Regina missus fuit, de quo Fredegarius *c.* 40. *Cumque* (Chlotarius) *Antonnacum accessisset, et Brunechildis cum filiis Theuderici Warmaciae residerent, legatos his nominibus, Chadoindum et Herponem ad Chlotarium direxit, contestans ei, vt se de regno Theuderici, quod filiis reliquerat, remoueret.* Distantia temporum tanta non est, vt Chadoindus, iam sub excessum Theodorici clarus, non potuerit ad Dagoberti tempora peruenire, et sub eo operam renouandis Alemannorum legibus impendere. Agilulfus Bauariae Dux fuisse Eccardo videtur, non leui tantum coniectura, sed legis Baiuuariorum suffragiis subnixo. Agilolfingi enim *de genere ducali* dicuntur *Leg. Baiuu. T. II. c.* 20. §. 1. *summi principes* inter Baiuuarios *ibid.* §. 2. ipseque dux *semper de genere Agilolfingorum* esse iubetur, *cum reges concesserint eis, vt qui de genere illorum fidelis Regi esset, et prudens, ipsum constituerit ducem ad regendum populum illum. ibid.* §. 3. Cum itaque *Agilulfus* vel Dux vel ex Ducali saltem genere Baiuuariorum fuisse certis argumentis probetur, eademque inter Alemannos dignitas *Claudio*, coniectura satis probabili, asseratur, et hi tres legis Alemanicae renouatores aequali honoris titulo, eoque tum temporis non nisi primae post Reges dignitatis viris competente, *viri illustres* dicantur, non sine ratione concludit Eccardus, et ipsum *Chadoindum* Ducali dignitate vel inter Alemanos, vel inter Baiuuarios, ornatum fuisse.

Quod autem ad ipsam legem attinet, in illa eadem, quae in aliis antiquis Germanicae gentis legibus, deprehenditur poenarum in delinquentes, praecipue homicidas, statutarum lenitas, quam multis quidem, non tamen satis stringentibus argumentis, excusare conatur Chr. God. Hoffmannus *Spec. Coni. Pol. c.* 2. *per.* 3. *sect.* 4. §. 2. *not. a.* De caetero magnus huius legis in res et personas Ecclesiasticas fauor, praecipue etiam in adiuuandis et conseruandis donationibus, quae ecclesiis factae, deprehenditur *c.* 1. *et* 2. Ius asyli iis, qui ad ecclesias confugiunt, fortissime assertum *c.* 3. *et* 4. sabbathi sanctitas seueris poenis munita *c.* 38. De rebus matrimonialibus, de hereditate, de seruorum conditione, multa, quorum adhuc hodie certa passim vestigia supersunt, eadem lege constituta cernimus. Ita in dissoluendis sponsalibus multa dissensui parentum non obscure tribuuntur *c.* 53. Consensus parentum ad nuptias liberorum necessarius asseritur *c.* 54. De hereditate materna a filio post matrem defuncto in patrem transferenda notari meretur *c.* 92. *Si qua mulier, quae hereditatem paternam habet, post nuptum praegnans peperit puerum, et in ipsa hora mortua fuerit, et infans viuus remanserit aliquanto spatio, vel vnius horae, vt possit aperire oculos, et videre culmen domus, et quatuor parietes, et postea defunctus fuerit, hereditas materna ad patrem eius pertineat. Et tamen, si testes habet pater eius, quod vidissent illum infantem oculos aperire, et potuisset culmen domus videre et quatuor parietes, tunc pater eius habeat licentiam cum lege ipsas res defendere. Si autem aliter, cuius est proprietas, ipse conquirat.* De seruis ecclesiae et quae ipsi ecclesiae pendere debeant, ita sancit *c.* 22. *Serui ecclesiae tributa sua legitime reddant, 15. siclas de ceruisa, porcum valentem tremisse vno, panem, modia duo, pullos 5. ova 20. Ancillae autem opera imposita sine neglecto faciant. Serui dimidium sibi et dimidium in dominico aratiuum reddant. Et si super haec est, sicut serui ecclesiastici, ita faciant, tres dies sibi et tres in dominico.* Quae sane conditionem hominum propriorum magis

Source : BIU Cujas

definiunt, quam quaecunque de seruis ex Iure Romano parum apte ad illam trahuntur. v. Hoffm. *Spec. coni. polit. c. 2. per. 3. sect. 3. §. 2. not. g.* S.

Ad §. XXIIII.

(97) Lex Baiuuariorum.
(98) Decretum Tassilonis.

(97) Vnde certior fiat huius, quam praecedentis Legis origo, equidem non video, cum de autoribus vtriusque Legis non alia nobis occurrat memoria, quam in Prologo Legis Baiuuariorum, qui communem originem huic et praecedenti Legi fuisse disertis verbis prodit, atque ita etiam nobis in excutiendis Legis originibus, de quibus §. praecedente actum est, otium facit. Dagobertum Legis Baiuuariorum autorem praecipue laudat Otto Frising. *Chron. L. V. c. 9.* his verbis: *Dagobertus ergo totius regni principatum tenens Boioariis legem dedit.* Ad eandem Legem sub Henrico II. Sec. VIIII. ineunte adhuc prouocatum fuisse ex testimonio Adelboldi, qui vitam eius conscripsit, apud Leibnit. *Script. Rer. Brunsu. T. I. p.* 423. colligunt, vbi cum Hezelo, Bertholdi filius per legatos ab Henrico Ducatum Bauariae peteret, legatis ita ab Henrico responsum esse scribit: *Quos semper praecipuos inter omnes gentes habui, quosque semper toto mentis affectu amaui, hos adepta benedictione Regali, in* LEGE *sua nec deteriorare volo, nec deteriorari patiar, dum vixero.* LEGEM *habent, et Ducem eligendi potestatem ex* LEGE *tenent. Hanc nedum ego frangam, quicunque frangere tentauerit, me inimicum habebit.* Verum cum Henricus hic ad Legem, quae Boioariis ius eligendi Ducem concedit, prouocet, nihil autem eiusmodi vel in Lege Baiuuariorum, de qua hic loquimur, quae potius Ducatum iam tum in gente Agilolfingica hereditarium aliquatenus fuisse ostendit, *Tit. II. C.* 20. §. 3. vel in decreto Thassilonis occurrat, eandem Henrico in animo fuisse, dubitari potest, praecipue, cum post Thassilonem victum et ducatu a Carolo M. mulctatum atque monasterio inclusum magna rerum Bauaricarum, praesertim publicarum, mutatio contigerit.

Lex ipsa satis cum aliis Germanicarum gentium Legibus consentit, maximopere autem cum Alemannica, quae communes cum hac autores agnoscit. Inde eadem in delinquentes, praecipue homicidas, huic, quae illi, lenitas. Idem in res, personasque Ecclesiasticas fauor. Asyli ius adhuc fortius, quam in illa, assertum, adeo vt *Tituli I. Cap. 7. §. 3.* dicat: *Nulla sit culpa tam grauis, vt vita non concedatur propter timorem Dei et reuerentiam sanctorum; quia Dominus dixit: qui dimiserit, dimittetur ei; qui non dimiserit, nec dimittetur ei.* Aliqua ex Codice Theodosiano in hanc Legem transisse docemur, si quae Legis Baiuuariorum *Tit. I. c. 13. §. 2.* occurrunt, conferantur cum *L. 44. Cod. Theod. de Episcop. Eccles. et Cler.* vbi eadem fere verba exhibentur. Et in genere notamus, Legem Baiuuariorum vnice fere Legibus scriptis inhaerere, et hinc *Librum Legis* in iudiciis semper praesto esse iubere. Ita enim *Tit. II. c. 15. §. 2. Comes vero secum habeat iudicem, qui ibi constitutus est iudicare, et librum legis, vt semper rectum iudicium iudicet.* Singularis etiam huius Legis in constituendis iudicibus aequitas laudari solet, quae ex *Tit. II. c. 7.* elucet: *Iudex autem talis ordinetur, qui veritatem secundum hoc edictum iudicet. Non sit personarum acceptor, neque cupidus pecuniae. Perit Lex cupiditatis amore. Premia et dona legibus vires tulerunt. Impunita manet male viuendi licentia. Propterea talis constituatur iudex, qui plus diligat iustitiam, quam pecuniam.* Vocis *Alode* veram significationem, qua hereditaria et ve-

re

re patrimonialis res, quaecunque sit, siue mobilis, siue immobilis, denotatur, ex Legis huius *Tit. XVII. c.* 2. eruimus. Vide plura apud Hoffm. *Spec. Coni. Pol. c.* 2. *per.* 3. *Sect.* 4. §. 2. S.

(98) Regiam fere Thassilonis dignitatem Conringius de *O. I. G. c.* 9. ex verbis Decreti, *in anno* 22. REGNI *religiosissimi ducis Thassilonis*, et similibus eruit. Struuius *Hist. Iur. c.* 6. §. 6. maiorem Boioariis, quam Alemannis, libertatem sub Francorum Regibus fuisse inde etiam euincere conatur, quod Baiuuariorum Duces Legislatoria potestate vsi fuerint, id quod Decreto Thassilonis demonstrat, Alemannis autem Leges datae fuerint a Francis. Quaecunque tandem eius fuerit vel dignitas, vel potestas, certe ipse Decreti Prologus ostendit, illud cum consensu Procerum et totius multitudinis conditum esse. Hoc ipsum, vt et alia plura ad Historiam Decreti facientia, verba Prologi docent: *Regnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo, in anno vero XXII. regni religiosissimi Ducis Tassilonis gentis Baioariorum, sub die consulum, quod erat II. Id. Octobr. atque anno ab incarnatione Dominica DCCLXXII. Indict. X. diuina perflatus inspiratione, vt omne regni sui praenotatus Princeps collegium procerum coadunaret, in villam publicam Dingoluingam nuncupatam, vt ibidem tam regulare ordinaret in sancto habitu coenobium virorum et puellarum, quam Episcopales moderaretur obsequias; insuper gentis suae institutiones legum per primates imperii, vniuersa consentiente multitudine, quae reperit diuturnitate vitiata et quae videbantur abstrahenda, euelleret, et quae decretis placerent componenda, instituere ret etc.* S.

Ad §. XXV.

(99) Lex Frisica, a quo lata?

(99) Sunt et, qui Haraldo Dano adscribant, moti testimonio duplici Alberti Stadensis et Helmoldi, quorum ille quidem de Heraldo Rege *ad annum* 984. *ipseque*, inquit, *Transalbianis et Fresonum genti leges et iura constituit, quae adhuc pro tanti autoritate viri seruare contendunt*, hic vero *Chron. Slau. L. I. c.* 15. de Haraldo loquens: *huius viri industria*, ait, *in Diuinis rebus fuit eximia, nihilominus tamen etiam in mundana sapientia, in his videlicet, quae ad regni gubernationem pertinere videntur, adeo claruit, vt Leges et iura statuerit, quae pro autoritate viri, non solum Dani sed et Saxones adhuc hodie seruare contendunt.* Vbi, licet Danorum et Saxonum tantum mentionem faciat, tamen cum eadem pene verba, quibus Albertus Stadensis vtitur, sub finem adhibeat, et Frisionum sane aliqui Saxonibus vicini fuerint; (vide, quae de Frisiorum situ *ad Addit. Sapientum Tit. III.* §. 28. optime omnium disserit Sib. Siccama *in not. edit. Gaertn. p.* 121. *et sequ.* et Menso Altingius *Not. Germ. Inf. P. II. p.* 62. Frisios certe non excluisse videtur. Eadem de Haraldo VI. refert Meursius *Hist. Dan. L. III. p.* 50. Verum cum Codicum antiquitas Legem Frisiorum Haraldi temporibus, ad finem Sec. X. vergentibus, vetustiorem ostendat, v. Lindenbrog. in *Proleg. ad Cod. LL. antiquar.* et Struu. *Hist. Iur. c.* 6. §. 4. cum Witichindus Corbeiensis Monachus *Annal. L. I.* apud Meibom. *Script. R. G. T. I. p.* 634. gentem Saxonicam *triformi genere ac lege diuidi, ipsamque legem diligenter descriptam inueniri* testetur; cum quaedam etiam in ipsa lege, nempe *Tit. V.* §. 1. *sub finem* et in additionibus Saxmundi *Tit. XII.* §. 1. quae tamen ipsa lege Fresonum recentiores sunt, paganismi vestigia occurrant, non negamus quidem Haraldum Saxonibus et Frisiis leges aliquas dedisse, illas autem, de quibus nobis sermo est, et quas Herol-

Source : BIU Cujas

dus, Lindenbrogius atque Siccama exhibent, his Haraldinis omnino antiquiores esse, merito existimamus. Ex verbis vero Eginhardi *in vita Caroli M. c. 29. Omnium nationum, quae sub eius ditione erant, iura, quae scripta non erant, describi ac literis mandari fecit*, etiam consensu veteris Poëtae v. *Heinecc. supra* §. 22. munitis, ego quidem nunquam cum Conringio concluderem, Carolum M. harum Legum Frisicarum, quas Heroldus, Lindenbrogius atque Siccama producunt, autorem esse. Quid enim aliud dicit Eginhardus, quam Carolum omnibus gentibus, suo imperio subiectis, et Iure scripto carentibus, Leges describi, et litteris mandari curasse? non dicit, Leges demum tulisse, sed leges memoria magis, quam scriptura conseruatas in scripturam redigi iussisse. Multo minus autem negat, iam ante Carolum M. Frisiorum leges literis mandatas fuisse. Et si ex his tantum verbis Carolum autorem harum Legum assereremus, necessario aliquid admittendum esset, quod vel ipse Conringius nollet concedere. Fatendum enim esset, Carolum, si harum Legum, horum tantum verborum fide, asseritur auctor, etiam Legum, quas hactenus recensuimus, auctorem esse; quod ne ipse quidem Conringius affirmare vellet, cum tamen ad eas non minus, quam ad Frisicas argumentum, ex verbis Eginhardi petitum, referri possit. Imo vitiosum argumentandi circulum iniremus, si, quando quaeritur, an Leges Frisicae ante Carolum scriptae sint? responderemus, eas ante ipsum scriptas non fuisse, quia ipse omnibus, quibus scriptae non erant leges, eas scribi curauerit. Ita enim in decisionem inferremus, quod in quaestione est. Ergo parum sane ex his verbis pro sententia Conringii, Carolum M. Legum Frisicarum primum autorem, asserentis concluditur. Verum si et sermonis, qui quandoque purior et comtior, praecipue in reliquiis paganismi, quandoque rudior ac durior est; et ipsius moris, nunc ad Paganismi superstitionem, nunc ad Christianismi puritatem accedentis, differentiam consideramus, firmissime inde concludimus, eas non eodem tempore, nec ab eodem auctore collectas esse; cumque in ipsis non tantum legibus, sed et additionibus sapientum superstitionis paganicae vestigia occurrant, et additiones ipsis legibus, omnium consensu, recentiores sint, porro inferimus, has Leges longo ante Carolum M. tempore extitisse. Quis enim crederet, Carolum M. si his Legibus manum admouisset, superstitiosa illa gentilium placita vel iis inserturum, vel in iis inuenta seruaturum fuisse? Cumque in confesso sit, Carolum Martellum iam Frisios subegisse, eosque ad Christiana sacra perduxisse, quis inde non concluderet, harum legum, si non omnes, saltem aliquas partes, etiam Carolo Martello antiquiores esse. Vnde non veremur accedere coniecturae Hoffmanni *Spec. Coniect. Pol. c. 2. per. 3. Sect. 6. §. 2.* legem antiquissimam successu temporis, forsan priuati cuiusdam opera collectam, et alterius priuati cura auctam fuisse, suspicantis, adeo vt tempus huius Legis nec vnum sit, nec omnino certum, Carolo M. tamen omnino antiquius. Quae in his Legibus dicuntur de sortibus, de poenis pecuniariis, maxime vero pecuariis, de inimicitia propinquorum, de duello, de litis, de mulctarum partitione, ea, vti iam Siccama obseruauit *in Praef. ad LL. Fris.* antiquitatem plane ad Romanorum tempora accedentem, non obscure loquuntur. Conferantur, quae superius ad §. 1. et 5. obseruauimus. Addita his antiquioribus alia Christianam fidem saltem virescentem, aliqua etiam satis confirmatam loquuntur. Forsan aliqua iam a Frisiis gentilibus collecta, alia non sub Theodorico quidem, cui cum Frisiis aliquid commune fuisse historia fere ignorat, sed tamen sub Chlotario vel potius Dagoberto, cum quo Frisii pro finibus et antiqua superstitione saepius certarunt, alia denique sub Carolo Martello addita fuerunt. Leges hae in duas, vt ita cum Siccama loquamur, Tabulas diuiduntur, quarum prior ipsas Frisiorum Leges, altera

Addi-

Source : BIU Cujas

Additiones sapientum Saxmundi et Vulemari, quae quasi veterum Legum interpretationes sunt, et ipsas incertae aetatis complectitur. Adiecit Siccama Statuta Obstalbomica, his omnibus multo recentiora, a loco Ostfrisiae prope Auricam (v. Conring. *de O. I. G. c.* 28.) nominata, ad an. 1323. referenda, quo *a Grietmannis, Iudicibus, Praelatis, et Clero terrarum Ostergoe et Westergoe, cum caeteris Zelandiis Frisiae ad concordiam et reformationem constitutionum Obstalbaem ordinata* fuerunt, v. *Praef. LL. Obstalb.* in quibus multa antiquissimi ritus vestigia, quae ad antiquarum Legum intellectum haud raro ducere possunt, deprehenduntur. De quibus illud tanquam in transitu monemus, quod licet furtum, rebus furtiuis etiam vero domino restitutis, suspendio puniatur, *v.* §. 2. simplex tamen homicidium et mutilatio membrorum Laici aequali, sed pecuniaria tantum septupli §. 11. clericorum vero homicidia, laesiones et aliae iniuriae iterum aequali pecuniae iactura, nempe decupli, coërceantur §. 12. Obiter notamus, quod in Legibus Germanicarum gentium antiquis pro fredo et werigildo leviorum delictorum certa summa, quasi ordinaria poena definiatur, quae in gravioribus ad duplum, triplum et sic deinceps ascendit; vnde intelligi potest, quid per *septupli, decupli* poenam intelligatur. v. etiam Siccama *not. b. ad Fris. LL. T. I. inscriptionem.* In Legibus Frisicis autem illud maxime notandum videtur, quod, licet in definienda homicidii poena eandem, quae reliquis Germanicarum gentium legibus est, lenitatem profiteantur, in eo tamen aliquid proprii habere videantur, quod poenam secundum conditionem hominum, *nobilium, liberorum, litorum, seruorum*, aestimare soleant, de quorum diuersa conditione sollicite agit Siccama *l. c. not. c.* Aliqui impune occidi his Frisiorum LL. possunt. v. *Tit. V.* §. 1. Ita *campio*, id est, qui vel pro sua vel pro aliena innocentia defendenda, vel alterius innocentia impugnanda pugnam cum altero suscipit, ab aduersario in duello impune occiditur. Ita *adulter*, qui a patre, fratre, curatore, marito, in cuius potestate fuerit mulier, in flagranti crimine comprehensus fuerit; ita *fur, si in fossa, qua domum alterius effodere conatur, fuerit repertus*; ita is, *qui domum alterius incendere volens, facem manu tenet, ita vt ignis tectum vel parietem domus tangat*, ita *qui fanum effregit*, ita *infans ab vtero sublatus* impune occiditur. Quae de infante dicuntur, ea de infante adhuc rubente et materna vbera nondum sugente, ex more gentis nondum Christi sacris addictae, forsan Diis immolando, intelligi debent, quod luculento exemplo ex S. Ludgeri vita probat Siccama, ex capite 6. haec verba producens: *Memorata* Liaffburg, *cum nata esset, habebat auiam gentilem, matrem videlicet patris sui, abrenunciantem omnino fidei catholicae, quae non nominanda in furorem conuersa, eo quod praenominata coniux filias tantum genuisset, et filium non haberet, misit lictores, qui raperent eandem filiam, tunc natam de sinu matris; quia sic mos erat paganorum, vt si filium aut filiam necare voluissent, absque cibo terreno necarentur.* Et ex capite 7. *In hac igitur colluctatione mirabili, iuxta misericordis domini dispositionem, superuenit vicina mulier, et misericordia mota eripuit puellam de manu praefati mancipii, cucurritque cum ea ad domum, et claudens post se ostium, peruenit ad cubiculum, in quo erat mel, et misit ex melle illo in os iuuenculae, quae statim sorbuit illud. Venerunt interea praedicti carnifices, iussa dominae suae expleturi: dominabatur enim illa furibunda in tota domo filii sui. Mulier autem, quae infantem rapuerat, occurrit lictoribus, dixitque, mel comedisse puellam, et simul ostendit eis illam adhuc labia sua lingentem, et propter hoc illicitum erat iuxta morem gentilium illam necare.* Homicidiorum vindicandorum cura, ex more iam Taciti temporibus familiari, propinquis vnice commissa, ita vt nihil iudex sponte sua et ex officio, vti loquuntur, hac in causa agere potuerit. De qua re notatu digna

sunt,

ſunt, quae refert Siccama ad *Tit. II. §. 2. not. 9. Haeredes et propinqui, id eſt, agnati proximi occiſi, inimicitias homicidae ſuſcipiebant, et primo vltionis et inimicitiae teſtandae cauſa, cum defunctus ſepeliretur, ad ipſum ſepulchrum praeſentibus, qui funus duxerant, vnus ex propinquis euaginato gladio ter tumulum feriebat, cum ſuperindicto:* wraeck, wraeck, wraeck, *id eſt, vltio, vltio, vltio. Nec ipſum corpus ſepelire ius erat, priuſquam iudici territorii vel Greetmanno eſſet praeſentatum, nec Greetmanno homicidam perſequi aut punire licebat, niſi haeredes proximi et propinqui,* van das ſwyrds ſyde, *id eſt, ex maſcula linea, iuſtitiam peterent.* Breuem Legis Friſiae conſpectum, et modum leges ferendi, ex antiquioribus temporibus ad Imperatorum tempora tranſmiſſum, ſiſtit Vbbo Emmius *Rer. Friſic. L. V. ad ann.* 810. *Legibus ferendis hic mos eſt habitus, vt prudentiſſimi duodecim ex populo lecti, qui conſuetudines et inſtituta maiorum noſſent, eas conciperent, Imperator vero ratas, ac in perpetuum ſanctas eſſe iuberet. Quapropter pleraeque electiones aut placita, aliae iura prouincialia, appellantur. Hiſce autem Legibus optimum ius Friſiorum libertaſque integra ſancitur: vt liber ſit populus ſuique iuris in perpetuum; vt rebus ſuis, vti velint, ſinguli vtantur, fruantur. Imperio tantum, in cuius clientela gens eſt, cenſum modicum ſoluant, nemini praeterea obnoxii, a vi mutua abſtineant, pacate ſecundum Leges ſua poſſideant, vindicentque: Iudices controuerſiis ſiniendis habeant liberis ſuffragiis lectos, atque Imperatori ſacramento obligatos, qui ex patriis legibus cauſas diſceptent et lites ſiniant: Sacerdotes ſacraque omnia ſancta ſint; Matronarum virginumque honos conſeruetur; omnium delictorum mulcta ſit, quam pecunia, pecore, reliquis fortunis ſoluant: Poena capitis, niſi parricidis, proditoribus, latronibus, incendiariis, nocturnis graſſatoribus, inceſtis, nemini irrogetur: Duello, ferro ignito, aqua feruente, ſanctiſſimo iureiurando, criminum purgatus habeatur: Suam cuique cauſam coram iudice voce ſua agere liceat. Tum de ſucceſſionibus familiaque herciſcunda, de dotibus, de criminibus plura decernuntur, quae priuati iuris ſunt. Quae licet ad Carolum M. Imperatorem omnia vulgo referunt, mihi tamen cuncta conſideranti haud dubium ſit, quin altius principium a Martello pleraque habeant. Hic enim conditor religionis in Friſia, victo Radbodo, populum rudem legibus excolere et propoſita libertate in Chriſti cultu et obſequio continere, quod legum autorem ſpectaſſe ex verbis ſatis liquet, neceſſe habuit. Sed coepta a Martello, atque a Danis penitus abolita, Carolus M. inſtaurauit, auctioraque fecit etc.* Leges has decem capitibus a Rudolpho Habspurgico auctas, et haec augmenta poſtea inepte rythmis incluſa et corrupta idem narrat *ibid. L. VI. in f. S.*

Ad §. XXVI.

(100) **Leges Longobardorum.**
(101) **In corpus redactae ſunt.**

(100) Gens Longobardorum naturae fauentis impulſu ad leges ferendas, colendas et augendas procliuis, earum ſtudio prae aliis gentibus eminuit. Hinc a Gunthero *Ligurini Lib. II. v.* 131. hoc nomine impenſe laudatur:

Gens aſtuta, ſagax, prudens, induſtria, ſollers,
Prouida conſilio, LEGVM IVRISQVE PERITA *etc.*

et mox *v.* 155.

Illa tamen LEGVM PRVDENS ET IVRIS AMORI
DEDITA GENS *etc.*

Moribus tamen magis, quam legibus ſcriptis tam ante inuaſionem Italiae, quam poſt

Source : BIU Cujas

post eam vsque ad Rotharim Regem vixisse eos testatur Paulus Diac. *de gestis Longobard. L. IIII. c. 44. Rotharis R. Longobardorum LL. quas sola memoria et vsu retinebant, scriptorum serie composuit* etc. Cuius rei fidem etiam facit Sigonius *de R. I. L. II. p. 39. ad an. 643.* qui Longobardos ita ad Rotharim vsque vixisse scribit, *vt Legibus nullis scriptis, verum veteribus scitis, vsu quotidiano et repetita memoria conseruatis obtemperarent.* Quodsi tamen prooemium edicto Rotharis praefixum, quod Sigonius *ibidem* exhibet, consideremus, vbi necessarium se perspexisse dicit, PRAESENTEM CORRIGERE *et componere legem, quae* PRIORES *omnes remoueat et emendet*, et Epilogum eiusdem, vbi: *antiquas leges patrum nostrorum, quae scriptae non erant, condidimus* etc. et paulo post: *per subtilem inquisitionem de antiquis legibus Longobardorum tam per nosmet ipsos, quam per antiquos homines memorare poterimus*, videri posset, non moribus tantum, sed legibus scriptis Longobardos iam ante Rotharim gauisos esse. Verum, quaeso, si bene perpendatur, nec Paulum Diaconum, nec Rotharim Regem, nec Sigonium voluisse sermonem suum ad artis vocabula, Iurisconsultis Romanis maxime vsitata, adeo religiose hic componere, vt non ausi fuerint sub *legibus* aliud intelligere, quam quod expresse promulgatum esset; aut id, quod *sola memoria et vsu retentum* dicerent, non modo de *moribus*, sed et de *legibus* expresse quidem promulgatis, non tamen in scripturam redactis, intelligendum praebere. Fuerint itaque mores diuturni in populo, fuerint ab antecessoribus Rotharis expresse quidem, voce tamen praeconis, non scriptis promulgatae, et memoriae mandatae leges. Illud certum, ante Rotharim nulli Longobardicorum Regum in mentem venisse, has Leges sub examen vocare, et ex his fontibus ad suas componendas aliqua forsan haurire, et ita vel ex antiquioribus petitas, vel ex suo ingenio inventas Leges in vnum Codicem colligere. Inuenerunt quidem, cum Italiam ingrederentur, Longobardi Leges Romanas, nec eas sane expulerunt, sed potius, etiam post Codicem suum compositum, adhuc conseruarunt; verum non ipsi tamen eas sibi latas existimarunt, sed potius moribus suis et antiquis Scitis, vti iam vidimus, vixerunt. Per Leges autem Romanas, quas Longobardi, Italiam ingressi, ibidem inuenerant, vtique non tam Iustinianeas, quam Theodosianas, quae altas in Italia, et extra eam, passim radices egerant, intelligimus, quod iam supra *ad L. I. c. 6. §. 9.* monuimus. Leges Theodosianas ab Ostrogothis agnitas fuisse etiam huius *Libri II. §. 11.* ostendimus. Ab horum exitio ad Longobardorum in Italiam ingressum, quod computatur, aliquot admodum annorum interuallum, nouis legibus contra inueteratas firmandis sufficere non poterat, praecipue cum turbae nouae alias Iustiniani curas exposcerent, cum ingenii corporisque vires quotidie decrescentes Iustiniano vigorem ad firmandas leges necessarium negarent, et qui successit, Iustinus Iunior et regionibus et legibus tuendis omnino impar esset. Longobardi vero, ex quo Italiam ingressi, perpetuis bellis Graecorum fatigati, acerrimum contra eos odium conceperunt, et licet aliorum mores lubentes tolerarent, non potuerunt tam facile leges hostium suorum venerari. Itaque leges Theodosianas, et vsu perpetuo confirmatas, et sibi non inimicas, supersse non inuiti patiebantur, Iustinianeas omnino aspernantes, aliarum etiam gentium, qui vel Romanas plane non venerabantur, vel Romanarum sub nomine Theodosianas tantum agnoscebant, exemplo contra Iustinianearum Legum obsequium fortissime muniti. v. Iac. Gothofr. *Proleg. Cod. Theod. c. 3. et 7.* Giannone *Hist. de Naples T. I. L. 4. chap. 6. S.*

(101) Modum, quo in condendis legibus suis vsi sunt Reges Longobardorum, impense laudat et Romanorum etiam Imperatorum Constitutionibus has Leges hac ex parte praefert Grotius *Proleg. Hist.*

Source : BIU Cujas

Goth. quem hic sequitur Giannone *l. c.* et *Liv. V. Ch. 5.* quod nempe maturo consilio et adhibito consensu procerum, qui totius populi studia, desideria, et commoda optime omnium nouerant, et quid e re futurum esset, longo vsu didicerant, in comitiis propositae et promulgatae fuerint. Testantur hoc ipsa edicta Regum. Ita Rotharis R. in Prologo Edicti sui apud Sigonium *de R. I. Libro II. ad annum 643. p. 39.* dicit: *Incipit Edictum, quod renovari cum primatibus meis iudicibus etc.* et in Epilogo *ibid. p. 40. cum primatibus, principibus, cunctoque felicissimo exercitu augentes constituimus.* Ita Grimoaldus R. in prooemio apud Sigonium *ibid. p. 46. per suggestionem iudicum, omniumque consensum etc.* Ita Luitprandus R. apud Sigonium *l. c. L. III. p. 58. vna cum omnibus iudicibus de Austriae et Neustriae partibus et de Tusciae finibus cum reliquis fidelibus meis Longobardis et cuncto populo assistente etc.* Eodem modo et Rachis R. apud Sigonium *l. c. Lib. III. p. 72. cum gentis nostrae, id est, Longobardorum iudicibus, tam de Austriae, quam de Tusciae vel Neustriae finibus etc.* Et tandem etiam Aistulfus R. *ibid. L. III. p. 77. conuocatis ex diuersis partibus regni nostri pertinentibus iudicibus, communi consilio etc.* Modestiam etiam horum regum, praecipue Rotharis, laudant, ad quam sequentes Reges, quicunque aliquid in emendandis vel augendis Longobardorum legibus tentarunt, vno ore omnes prouocant, et hoc argumento operam, quam ipsi praestant, vel excusant, vel commendant. Grimoaldus quidem in prologo Edicti sui aliquando obscurius loquitur: *Superiore pagina huius edicti legitur, quod adhuc, annuente Domino, memorare poterimus, de singulis causis, quae praesenti non essent affectae, in hoc Edicto adiungere debeamus.* Clarius id asserit Luitprandus in Prooemio: *Rothar Rex, sicut ipse est in scriptis effatus suis superius, in Longobardis edictum renouauit, atque instituit, vbi et prudenter inserere curauit, dicens, vt quisque Longobardorum Princeps eius successor, superfluum quid ibi reperiret, ex eo sapienter auferret, et quod minus inueniret, Deo adspirante, adiiceret.* Eadem de Rothari Rege Rachis R. loquitur: *et quidem statuit, vt cuncti successores eius, quae sibi, inspirante Deo, aspera et dura cognoscerent, illa ad mollitiem, et pietatis adducerent gratiam.* S.

Ad §. XXVII.

(102) Rotharis Rex.
(103) Petrus Diaconus.
(104) Carolus Cottus.

(102) Primus itaque Rotharis Rex ab introitu gentis in Italiam septimus, vel, vti se ipsum in prooemio Edicti appellat, *septimus decimus Rex gentis Longobardorum*, ab eo scilicet tempore, quo Longobardi Reges habuerunt, anno regni sui octauo, aetatis tricesimo octauo, *indictione secunda et post aduentum in provinciam Italiae Longobardorum, ex quo Alboinus tunc temporis Rex, procedente diuina clementia, aduenit, anno septuagesimo sexto, Ticini* corpus quoddam legum in scripturam redactum, promulgauit 386. vel 390. ex editione Muratorii *Script. Rer. Ital. T. I. P. II.* capitibus seu legibus, quae tamen non omnes in vulgarem editionem transierunt. Hermannus Contractus et cum eo autor noster id contigisse anno 637. affirmant, quibus accedit Struvius *Hist. Iur. c. 5. §. 5.* Sigonius *de R. I. Lib. II.* id refert ad annum 643. Giannone *Hist. de Napl. T. I. Liv. 4. ch. 6.* ad annum 644. cumque ingressus Longobardorum in Italiam communi fere omnium

Source : BIU Cujas

nium consensu ad annum 568. referatur, ex ipsa computatione Rotharis, qui ab hac epocha ad edictum suum promulgatum 76. annos numerat, Edicti promulgatio ad annum 644. referenda sine dubio erit. Merito tamen, monente Giannone *ibid. Liv. 4. ch. 1.* hic obseruamus, quod duae regni Longobardici Epochae confundendae non sint, altera nempe ab ingressu Longobardorum in Italiam, qui in 2. Aprilis anni 568. incidit, altera vero ab initio regni Alboini, quod ad 29. Decembris eiusdem anni referendum, quae obseruatio forsan conciliare poterit eos, qui Edictum Rotharis ad annum 643. referunt, cum iis, qui id demum anno 644. promulgatum scribunt, cum *indictio secunda*, qua se legem tuliſſe dicit Rotharis, a mense Septembre anni 643. initium capiat. Nec silentio praetereundum est, quod coniectura Pagii *Crit. Baron. ad annum 638.* qua pro VIII. Rotharis in Prologo Edicti ab eo promulgati restituendum credit annum XIII. merito reiiciatur a Muratorio *in Praef. ad LL. Longob. p. 8.* cum constans omnium codicum consensus annum VIII. exhibeat. Cum Rotharis leges non omnibus causis decidendis sufficerent, aliqua etiam in illis *dura et impia* viderentur, animis Longobardorum, coeli Italici clementia et quotidiana cum Romanis consuetudine, paulatim mitescentibus, aliqua mutauit, aliqua addidit Grimoaldus, Edictumque anno 668. Regni sui sexto promulgauit, in XI. Capita diuisum, quorum tamen non nisi septem Autor vulgaris Collectionis LL. Longobardicarum tribus, quos exhibet, earum Legum Libris inseruit; v. Giannone *l. c. chap. 10. §. 3.* Muratorii vero Editio nouem capita sistit. Mox Luitprandus anno Regni sui I. qui ex computatione Sigonii, Muratorii et Giannone in annum Chr. 713. incidit, etiam Edictum promulgauit, sed capitibus distinctum, cui singulis fere regiminis annis aliud atque aliud addidit, ita vt numerus Legum Luitprandi in vniuersum ad 152. excreuerit, additis adhuc Titulis singularibus septem *I. de Mercede Magistri. II. de Muro. III. de Annona. IIII. de Opera. V. de Caminata. VI. de Furno. VII. de Puteo.* v. Giannone *l. c. Liv. V. §. 1.* Ex quibus legibus omnibus nonnisi 137. vulgari collectioni insertas numeramus. Muratorius tamen sex Libris 157. plane Luitprandi Leges exhibet. Rachis tandem anno regni sui secundo, quem Sigonius et Giannone annum Chr. 745. Muratorius 746. putant, Edictum XI. capitibus constans proposuit, v. Giannone *l. c. ch. 1.* quorum nouem tantum Collectio vulgaris, nec non ipse Muratorius exhibent. Denique Aistulphus secundum Sigonium et Giannone anno Regni V. Christi 754. secundum Muratorium vero an. R. I. Chr. 750. ad Leges promulgandas etiam accessit. Primo vero regni anno id contigisse non immerito in dubium vocatur, cum primis regiminis annis adeo grauibus acerrimorum bellorum turbis immersus fuerit, vt regno Legibus firmando vix vacare potuisse videatur. Edictum eius 22. capitibus constat, v. *Id. l. c. ch. 2. §. 3.* quorum 19. inserta Collectioni vulgari, a Muratorio vero non nisi 14. exhibita videmus. His varia postea adiecerunt capita, Carolus M. Ludouicus Pius, Lotharius, Pipinus, Ludouicus II. Guido, Henricus I. Conradus I. Henricus II. Lotharius II. vel Imperatores et simul Reges Italiae, vel Reges Italiae tantum, quo maxime nomine haec Capitularia LL. Longobardicis iunxisse videntur. Vbi illud monendum occurrit, quod Baluzius et post eum Hoffmannus tres species Capitularium, ad LL. Longobardicas spectantium, sollicite distinguendas doceant, nempe Capitula Legibus Longobardicis mixta, Capitula iis addita et subiuncta, et alia ex Legibus Longobardicis excerpta. Caroli IV. vero Constitutio, quae ad Italiam plane non spectat, quomodo in Collectionem hanc irrepserit, non satis constat. Quae hic ex Giannonio de numero et ordine Edictorum Longobardicorum aliquoties notauimus, ea non ingenio illius, aut vanis diuinationibus,

Source : BIU Cujas

sed diligentiae et curae debentur, qui vetustum Codicem MSCtum, quem Cavense SS. Trinitatis Monasterium, Regulae Sti Benedicti, in suis tabulariis servat, suis oculis vidit et diligenter excussit, et ex eius Codicis fide haec omnia narrat; quem Codicem non consuluisse videtur Muratorius, ad Mutinenses et Ambrosianae Bibliothecae Codices vnice provocans, huius autem Codicis Cauensis mentionem nullam plane faciens. S.

(103) Aliam antiquiorem Collectionem harum LL. ad initia Seculi XI. ideo, quod Principum Beneuentanorum et Capuanorum Comitum vsque ad finem Sec. X. nec vltra, mentionem faciat, referendam, ab incerto quodam Capuano in charta membranacea, literis Longobardicis conscriptam, nondum editam, seruari in Tabulariis monasterii Cauensis, scribit Giannone *Hist. de Napl. T. II. Liv. X. chap.* 211. quae in eo a vulgari recedit, quod non, vti haec, per titulos varios, ad modum Codicum Theodosiani et Iustinianei, Leges singulorum Regum disiiciat atque dispergat, sed vniuscuiusque Regis Leges, perpetua serie iunctas, exhibeat, quod etiam Muratoriana Editio facit. Exhibet praeter Leges Regum Longobardicorum etiam Capitularia Imperatorum et Regum Italiae, imo et quorundam Principum Beneuentanorum. Iungit eius Autor etiam explicationem quarundam Legum Beneuentanarum et Capuanarum; nec non alia quaedam Opuscula a se composita, ex quorum titulis, tanquam ex ungue leonem, noscere possumus. En tibi aliquos: *Quantas causas debet esse iudicata sine sacramentum. Item, quantas causas fieri debet per pugna iudicata. Memoratorium pro quibus causis filii ab hereditate patris exheredati fieri debet.*

Quod ad vulgarem Collectionem attinet, eam non adeo recentem esse iam Lindenbrogius in *Prolegom. ad Cod. LL. antiq.* duplici argumento ostendit; nempe quod iam Libri Feudorum Leges Longobardicas, secundum distributionem et seriem earum, in collectione vulgari seruatam, allegent. v. *I. Feud.* 10. *II. Feud.* 22. *II. Feud.* 28. II. quod iam Carolus Cottus Siculus, qui Placentinum ICtum, de quo *ad L. I. c. 6. §. 416.* egimus, ipse praeceptorem suum appellat, hanc Collectionem commentariis illustrauerit. An vero Petrus Cassinensis eius autor sit, in vtramque partem disputatur. En tibi vtriusque sententiae rationes: Pro affirmantibus militant 1. Dignitas *Logothetae, Exceptoris et Chartularii* Petro Cassinensi a Lothario Saxone tributa, huic operi suscipiendo maxime conueniens. 2. Nullae Principum, Lothario recentiorum, Constitutiones huic Collectioni insertae. 3. Nomen Petri Cassinensis aliquibus huius Collectionis Codicibus praefixum. Negantium causae fauet. 1. Quod Petrus, famae suae non parum studiosus, in indice operum suorum, quem Chronico Cassinensi inseruit, minima quaeque opuscula, praefationes, hymnos, sermones, aliaque sollicite commemorans, huius tamen collectionis nullo verbo mentionem faciat; facturus sine dubio, si suam esse dicere potuisset. 2. Quod Carolus Toccanus, a Lotharii temporibus parum remotus, in praefatione Glossarum, quas huic Collectioni adiecit, neget, potuisse autoris nomen inueniri propter antiquitatem. Quae negantium argumenta affirmantibus grauiora omnino videntur. S.

(104) De Caroli Cotti aetate locuti sumus *in not. β.* An hic, quod suspicor, idem sit cum Carolo Toccano s. *de Tocco*, a loco originis, qui in Beneuentanis est, ita dicto, qui et ipse Placentinum praeceptorem agnoscit, nec non Ioannem, Ottonem Papiensem et Bagarottum, ego quidem affirmare non audeo. Hic sub Guilielmo I. Siculo an. fere 1162. Maioris Curiae Iudex creatus, cum Ius Romanum paulatim maiores vires capere cerneret, Longobardici Iuris decrementa metuens, atque id ab interitu vindicaturus, primus Glossas, easque vberiores, in id conscripsit. v. Giannone *Hist. de Naples T. II. Liv. X. chap.* 11. §. 1. Qui hic Autori dicitur *Andreas de Baruto*, ille me-

Source : BIU Cujas

melius aliis *de Barulo*, *de Barlette*, vel plenius *Andreas Bonellus de Barulo* appellatur, non sec. XVI. vti Heineccius hic scribit, Iurisconsultus, sed sub Friderico II. Aduocatus Fisci Neapolitani constitutus, cum videret Leges Longobardicas a Doctoribus, studio Romanorum maxime captis, negligi, Commentarios ampliores composuit, quibus praecipue vtriusque Iuris dissensum monstrauit, opere eo maioris tum vtilitatis futuro, quo magis in schola regnare inciperet Ius Romanum, ita vt eo vnice fere imbuti causarum Patroni, et Iuris Longobardici, quod tamen forensi auctoritate gaudebat, minus periti, cum magno eruditionis peregrinae apparatu, et non minori iuris patrii contemtu, in forum procedentes, ab indoctioribus saepius, qui tamen patrii iuris copiam haberent, vincerentur, quod exemplis ipse illustrat. Nominandus etiam fuisset *Blasius de Morcona*, Roberto Siculo a consiliis, qui et ipse differentias Iuris Romani et Longobardici conscripsit. Iohannes Baptista Nenna vero, cuius aetatem incertam Heineccius dicit, tempore Caroli V. scripsit, cuius Commentarius LL. Longob. ideo maxime notandus, quod ordine alphabetico vocabula Iuris Longobardici obscuriora explicet; Venetiis an. 1537. prodiit. v. Giannone *Hist. de Naples*, *Tom. II. Liu. X. chap.* 11. §. 1. S.

Ad §. XXVIII.

(105) Suisque prooemiis cet.
(106) De collectione legum Longobardorum.

(105) Et quidem integris et castigatioribus, cum ea quidem a Sigonio exhibeantur, sed per particulas tantum, hasque saepe corruptas. Sunt autem eo magis notanda haec prooemia, quo plura non tantum ad Iuris, sed totius regni Longobardici Historiam facientia continent. Ita v. g. Prooemium R. Rotharis successionem et nomina Regum sedecim, qui ab ipsis Longobardici Regni initiis ipsum praecesserant, perpetua serie sistit. S.

(106) De collectione vulgari, et ipsarum Legum vel dotibus vel vitiis aliqua adhuc monenda sunt. In illa multi temporis et rerum ordinem magis concinnum desiderant. Eam multis additionibus successu temporis interpolatam aliqui suspicantur ex eo, quod connexio hinc inde interrupta sit et consequentia praecedentibus, licet connectendi particulis iuncta, minus respondeant. Ita *Lib. I. Tit. VIIII. c.* 23. per particulam *enim* iunctum quidem est capiti praecedenti, et *caput* 24. per voculam *item* huic *c.* 23. iungitur, causarum autem ibi expositarum nullus est nexus interior. Aliena etiam a rebus Longobardorum huic Collectioni inserta queruntur. Ita mirantur *L. III. Tit.* 31. insertam Caroli M. Legem, qua, vt *capitula, quae praeterito anno Legi Salicae addenda censuerat, iam non vlterius capitula, sed tantum Leges dicantur, et pro lege Salica teneantur* statuit. Quid enim Legi Salicae cum Longobardis commercii est? Sigonius quidem tres ea aetate in Italia Leges obtinuisse, *Romanam*, *Longobardicam*, *Salicam* asserit, alii Salicam ex Italia proscribunt. Ego, cum post subactam a Carolo M. Italiam multi Franci, vel belli vel pacis artibus operam dantes, in Italia sine dubio versarentur, non pauci etiam sedem perpetuam ibi figerent, quod quidem hos Legis Salicae vsu Carolus priuare noluerit, sed potius ipsis libertatem ea fruendi, licet solum verterint, omnino concedere voluerit, arbitror. Inde, quod generaliter de Capitulis Legi Salicae additis Carolus statuerat, id in horum praecipue Francorum, in Italia commorantium, gratiam Collector Legi Longobardicae, tanquam in Italia magis vsitatae, inserere non dubitauit, v.

Source : BIU Cujas

Hoffmanni *Spec. Coni. Pol. c. 2. per. 4. sect. 4. §. 2. n. a.* Ipsarum vero Legum Longobardicarum aequitas et prudentia impense laudatur a Grotio *Proleg. Hist. Goth.* et Giannone *Hist. de Naples T. I. Liv. V. chap. 5.* aliisque; praecipue autem matrimoniorum non nisi inter eiusdem ordinis personas contrahendorum, et in certis propinquitatis gradibus prohibitorum, nec non doni matutinalis s. *Morgengabae*, intra certos limites coërciti, poenarumque adulterii seueriorum, aequitas maximopere ab iisdem autoribus commendatur. Iustitiam Legislatorum Longobardicorum etiam in eo deprehendimus, quod homicidii grauiorem, quam quae alibi statuitur, poenam sanxerint, nempe bonorum omnium iacturam, v. *L. I. T. 9. c. 21.* quae tamen in LL. sequentibus varia ratione mitigatur. Quod vero inter laudes Legis Longobardicae Hoffmannus *l. c.* etiam referat concubinatus prohibitionem, in eo quidem Legis sensum non satis assecutus videtur. Ipsa, quam allegat, Lex septima *L. II. Tit. 13.* nihil aliud prohibet, quam polygamiam, siue ea cum duabus vxoribus, solenni matrimonio iunctis, siue cum vxore solenni et concubina exerceatur. At ne Legibus quidem Romanis licebat, vxorem et concubinam simul sibi iungere. Licebat autem vel vxorem, solennibus nuptiis acceptam, vel, si quis hanc non haberet, concubinam, vero quidem matrimonio, legibus etiam permisso, v. *L. Si qua illustr. 5. Cod. ad Sctum Orfit.* at solennibus ritibus carente, atque ita et aliquibus solennis matrimonii effectibus destituto, iunctam habere. Id quidem hac Lege Longobardica tantum abest, vt prohibeatur, vt potius non obscure permittatur, et hinc a multis inter Iuris Longobardici vitia connumeretur. Cum vero idem Iure Romano statuatur, cum eius rei vsus diu durauerit, adeo vt eiusmodi aliquid suo adhuc tempore inter Vascones et Pyreneos superstisse Cuiacius *in Parat. Pandect. de Concub.* disertis verbis scribat; cur hoc, quod cum aliis commune fuit, praecipue Legi Longobardicae vitio versum fuerit, ego quidem non video. Ita in Tutelis, Contractibus, Successionibus ab intestato, Iudiciorum ambagibus et impensis imminutis, aliisque aequitatem harum Legum multis elogiis extollunt autores. Iniquitatem tamen maximam deprehendit Hoffmannus *ibid. not. e.* in calamitate leprosi per *Lib. II. T. 18. c. 1.* vti quidem ipse arbitratur, grauissime aucta, qua non tantum casa, imo ciuitate expellitur, vt solus habitet, sed et *res suas alienare aut thingare cuilibet personae* prohibetur, addita ratione: *quia in eodem die, quando a domo expulsus est, tanquam mortuus habetur.* Verum nescio, an non hoc potius aequitati et prudentiae Legislatoris debeatur, qui hominem a caeterorum commerciis remotum, et ita viribus et occasione acquirendi carentem, prohibere voluisse videtur, ne, qui sibi supereſſent, perpetuorum alimentorum fontes, mali forsan impatiens, temeraria alienatione exhauriret. In hanc sententiam me fere trahunt vltima Legis verba: *tamen, dum vixerit, de rebus, quas dereliquerit, pro mercedis intuitu nutriatur.* Duelli porro vsum, hac Lege conseruatum, ipsi acerbius multi exprobrant. Sed fuit haec communis huic cum aliis Germanicarum gentium Legibus labes, eo magis Longobardorum Legislatoribus condonanda, quod iniquitatem rei senserint, sed nimis alte infixam mentibus euellere non potuerint. Ita enim Luitprandus *L. I. T. 9. c. 23. Incerti sumus de Iudicio Dei, et multos audiuimus per pugnam, sine iusta causa, causam suam perdere. Sed, propter consuetudinem gentis nostrae Longobardorum Legem impiam vetare non possumus.* Imo, quod fide Cuiacii *ad I. Feud. I. §. Si autem controuersiae cet.* asserimus, eiusmodi probationum vulgarium vsus primum in Longobardia exoleuit. Plura vide apud Hoffmannum et Giannone *ll. cc.* S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. XXXII.

(107) Formularum collectiones.

(107) Per *formulas* hic vtique non intelliguntur ſolennes illae et quadam neceſſitate legali munitae conceptiones verborum, quibus non tantum in forenſibus, ſed et in aliis, quaecunque alicuius momenti erant, negotiis ita vtebantur veteres Romani, vt negotii celebrandi robur et virtus ex formulae ſolennis vſu vnice fere penderet; quales opere inſigni et eruditiſſimo *de formulis et ſolennibus Popul Romani verbis* collegit Barnabas Briſſonius, quarumque vſus, qui iam maxima ex parte aeuo Iuſtiniani exoleuerat, ab eo poſtea penitus proſcriptus eſt; ac a gentibus Germanicis, ſimpliciori vitae aſſuetis, odio potius quam imitatione exceptus. Intelligimus vero hic exempla rerum agendarum et negotiorum in ſcriptis perficiendorum a viris rerum peritis eum in finem propoſita vel collecta, vt, qui negotium eiuſmodi celebrare vellet, haberet normam prae oculis poſitam, quam cum ſpe felicis ſucceſſus, ſiue in iudicio ſiue extra illud ſequi ſecure poſſet. Non tamen ſunt eiuſdem generis omnes formulae, quae hodie proſtant. Aliae enim videntur publica auctoritate compoſitae, vt non tantum laborem eorum, qui in ſcriniis militabant, ſubleuarent, ſed et contra errores facile alias inſtrumentis, ſi norma perpetua abeſſet, obrepturos, eos munire poſſent. Ita formulae, quae a Caſſiodoro *Var. Lib. VII.* exhibentur, ſunt exempla literarum Imperatoris nomine iis, quibus officia et dignitates maiores, ſiue togatae, ſiue militares conferebantur, mittendarum, quibus officiorum iura et obligationes continebantur, quae caſu contingente deſcribenda, et nominum propriorum ac temporum notis implenda erant. Aliae vero formulae priuata auctoritate compoſitae et collectae in duas iterum claſſes diſtingui poſſunt; quorum illa quidem continet inſtrumenta negotiorum non imaginarie, ſed vere, celebratorum, ab hominibus, poſteritatis inſtruendae curam habentibus, ideo collecta, vt vel memoriam rei geſtae conſeruarent, vel genium ſeculi et mores, ipſis rerum geſtarum documentis propoſitis, docerent. Haec vero complectitur exempla negotiorum non vere geſtorum, ſed tantum ex ingenio fictorum, a peritis rerum propoſita iis, qui rerum agendarum formam non tantum ex regulis, ſed et ex ipſis negotiorum imaginibus felicius addiſcere cuperent. S.

Ad §. XXXIIII.

(108) De lege Saxonum.

(108) Tres ergo ſunt ſententiae de origine Legis Saxonum. Lindenbrogius *Proleg. ad Cod. LL. antiq.* Struuius *Hiſt. Iur. cap. 6. §. 7.* Brunquell. *Hiſt. Iur. P. IIII. c. 2. §. 17.* aliique Legem Saxonum antiquiorem Carolo M. ſtatuunt. Conring. *de O. I. G. cap. 13.* Hachenbergius *Germ. Med. Diſſ. 3. §. 8.* Gaertnerus *Not. ad L. Sax. inſcript.* Hoffmannus *Spec. Coni. Polit. §. 2. per. 3. ſect. 8. §. 2.* et alii ipſi Carolo M. eam tribuunt. Alii, e quibus praecipue nominandus Speelmannus *Gloſſar. v. Lex Saxonum* eam Carolo M. recentiorem eſſe dicunt, Haraldo Daniae Regi tribuentes *v. ſupra ad §. 25. not. (99)* quam opinionem nunc amplius non moramur, ibidem iam excuſſam et ad Saxones Tranſalbinos cum Meibomio *in Introd. ad Saxoniae inſer. hiſtoriam p. 79. et ſeq.* atque Hoffmanno *l. c.* merito reſtringendam.

Pro

Source : BIU Cujas

Pro prima vero sententia militat 1) antiquitas Codicum et sermonis, antiquius Carolo M. tempus, vt videtur, redolens. 2) Testimonia Poëtae Anonymi, *v.* §. 33. qui Saxones *patriis Legibus vti permissos* a Carolo M. dicit. 3) Capitularia Caroli ad ipsam Legem Saxonum, tanquam ad antiquiorem, prouocantia: *v.* §. 33. *in n.* Secundae sententiae fauent 1) Linguae Latinae, Saxonibus ante Carolum M. parum notae, vsus in hac lege adhibitus. 2) Veneratio Regum et quidem Francorum, Saxonibus inculcata *c.* 3. §. 1. *c.* 14. §. 2. 3) Ecclesiarum fauor et cultus Christianus grauiter et frequenter assertus *c.* 2. §. 8. *et* 9. *c.* 14. §. 2. *Quis autem*, vt cum Conringio loquamur *c.* 13. *p.* 55. *vsus Latinae vel linguae vel scripturae saltem apud Saxones fuit ante Carolum? Quis Christianae religionis? Quae auctoritas Regni Francorum?* Quae quidem rationes Conringianae, licet ad Frisiorum Leges, ad quos tamen illas non minus, quam ad Saxonicas, refert Conringius, parum vel nihil faciant *v. supra* §. 25. *n.* (99) in definienda tamen Saxonicarum Legum aetate multum omnino ponderis habent. Ad praecipuas autem primae sententiae rationes respondet Heineccius §. 33. *in n.* adde quod ea, quae de periuriis *secundum Legem Saxonum* puniendis in *Capitulari de partibus Saxoniae c.* 33. dicuntur, in ipsa hac Lege, de qua loquimur, inueniantur; v. Heinecc. §. 35. *in not.* adeoque a Carolo M. ibidem non ad aliam, sed ad hanc tantum, de qua quaeritur, legem prouocetur. Quod vero Saxones, adhuc gentilium superstitionibus inhaerentes, adeoque conuersione cultus a Carolo M. instituta antiquiores, moribus et consuetudinibus salutaribus gauisi fuerint, satis superque probat Adamus Bremensis *Hist. Eccles. L. I. c.* 5. *Legibus* (latiori nimirum sensu, qui et ius non scriptum complectitur, ita dictis) *etiam ad vindictam malefactorum optimis vtebantur. Et multa vtilia atque secundum Legem Naturae honesta, in MORVM probitate studuerunt habere, quae eis ad veram beatitudinem promouendam proficere potuissent, si ignorantiam Creatoris sui non haberent, et a veritate culturae illius non essent alieni.* Quorsum omnino etiam faciunt verba Bothonis *in Chron. Brunsuic. p.* 281. apud Leibnitium *Rer. Brunsu. T. III. De Sassen de leveden so redelicken na der er in der Natur, hedden se Christen Wesen, se weren salich geworden ohne schelde, wann dat se oeren Schöpper nicht erkändten.* S.

Ad §. XXXV.

(109) Adam. Brem. citatio.
(110) Lamb. Schaffnab. Chron. cet.
(111) Wipponis citatio.
(112) Fragmenta legis Saxonum.

(109) Merentur verba, vt hic exhibeantur: *Quatuor igitur differentiis gens illa constitit, nobilium scilicet et liberorum, libertorumque atque seruorum. Et id Legibus*, (forsan moribus potius, quam Legibus, strictiori sensu ita dictis) *firmatum, vt nulla pars in copulandis coniugiis propriae sortis terminos transferat; sed nobilis nobilem ducat vxorem, et liber liberam, liberus coniungatur libertae, et seruus ancillae. Si vero quispiam horum sibi non congruentem et genere praestantiorem duxerit vxorem, cum vitae suae damno componat.* S.

(110) Potuissent merito huc etiam referri, quae ex Bonifacii Moguntinensis Archiepiscopi et Romanae sedis per Germaniam Legati Epistola ad Aetebaldum passim allegantur: *In antiqua Saxonia, si virgo paternam domum cum adulterio macula-*

Source : BIU Cujas

maculauerit, vel si mulier maritata perdito foedere matrimonii adulterium perpetrauerit, aliquando cogunt eam propria manu per laqueum suspensam vitam finire, et super bustum illius incensae et concrematae, corruptorem eius suspendunt: aliquando congregato exercitu foemineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt, virgis caedentes et vestimenta eius abscindentes iuxta cingulum, et cultellis suis totum corpus secantes et purgantes, minutis vulneribus cruentatam et laceratam de villa in villam mittunt. Quae verba sane, cum duas sistant poenarum species, electioni priuatae permissas, ad mores magis quam Legem scriptam referenda erunt. Altera vero poena morem priscum, Taciti iam aeuo familiarem, v. Tacit. *de M. G. c. 19.* iisdem fere verbis sistit. S.

(111) En verba Wipponis de Conradi Salici *itinere per regna* loquentis: *Reuersus Rex de Ribuariis ad Saxoniam venit; ibi Legem crudelissimam Saxonum, secundum voluntatem eorum, constanti autoritate roborauit.* Quae haec sit, *Lex crudelissima Saxonum*, quaeritur. Quidam, vti v. g. Autor noster, eam hac Lege Saxonum, de qua nos hic loquimur, antiquiorem faciunt. Plerique eam eandem cum hac nostra esse existimant. Sunt, qui eam aliquanto recentiorem, ab ipso tamen Carolo etiam latam, et quidem illam esse arbitrantur, quae sub nomine *Capitulationis de partibus Saxoniae* extat; quam sententiam tuentur Dattius *de Pace Publ. L. IIII. c. 2. §. 53.* et Mullerus *Reichs-Tags-Theatr. P. I. c. 9. §. 4.* Prima sententia itaque hac ratione nititur, quod Lex Saxonum nihil habeat, quod ipsi *crudelissimae* nomen inurere possit, nisi mortis poenam in furta hac Lege statutam aliquis huc trahat, ob quam talem solam illa *crudelissimae* nomen meritura non videretur, cum nec Constitutio Criminalis Caroli V. crudelitatis ideo accusetur, quod et ipsa mortis poenam furibus dictauerit. Cui tamen rationi secundae sententiae patroni facile respondere possunt; quod, si fures vita mulctare crudele non

sit, et hinc Constitutio Carolina mortis poenam furibus eo tempore irrogans, quo capitales poenae iam frequentiores et ne in furti quidem reos ignotae erant, a crudelitatis nota immunis merito habeatur, facilius tamen *Lex Saxonum* ad ea tempora ascendens, quibus capitis poenae in vniuersum rariores, maxime autem contra fures fuerunt, comparatione cum aliis eiusdem temporis Legibus instituta, quarum pleraeque hac in parte mitiores fuerunt, potuerit vel ob solam hanc causam, crudelitatis conuitio, ab hominibus huius seueritatis impatientibus, conspurcari. Quod autem ad tertiam sententiam attinet, illam ideo *Capitulationem de partibus Saxoniae* a Wippone indicari dicit, quod haec durior atque seuerior videatur, quam ipsa *Lex Saxonum*, adeoque facilius, quam haec, *crudelissimae* macula conspergi potuerit. Nec sane diffitendum est, capitalem poenam satis frequenter hac *Capitulatione* irrogari, ita vt inter alia hoc maxime durum, et non nisi necessitate continendae in officio gentis contumacis, et ad pristinos errores, nisi seuerius coërceretur, protinus reuersurae excusandum videatur Stephano Baluzio *T. II. in notis ad Capit. p. 1039.* quod Capitulationis illius *Cap. 3.* statuitur, vt qui *sanctum quadragesimale ieiunium, pro despectu Christianitatis, contempserit, et carnem comederit, morte moriatur.* Ex qua ratione etiam aeuo Ditmari, Episcopi Merseburgensis, seruatam fuisse inter Polonos consuetudinem ait, vt, qui carnem post septuagesimam manducasset, dentium euulsione puniretur, quod ipsis Ditmari *L. VIII. ab init.* verbis, rationem eandem diserte exprimentibus, probat: *Quicunque post septuagesimam carnem manducasse inuenitur, abscissis dentibus grauiter puniretur. Lex namque diuina, in his regionibus nouiter exorta, potestate tali melius, quam ieiunio ab Episcopis instituto, corroboratur.* Verum, cum *Capitulatio de partibus Saxoniae* ad extirpandum in Saxonia paganismum a Carolo M. vnice composita videatur, quod vel ipsa eius inspectio probat, et

Source : BIU Cujas

Christianismi sacra tempore Conradi Salici in Saxonia iam satis fuerint firmata, non apparet facile ratio, qua moti Saxones, eam a Conrado renouari, petere debuerint. v. Struuii *Hist. Iur. c. 6. §. 8. in notis.* Atque ita Wipponem nomine *Legis durissimae Saxonum* magis ad ipsam *Legem Saxonum*, etiam causas quasuis seculares definientem, quam ad *Capitulationem* illam, Christianismo tuendo vnice destinatam, digitum intendisse merito asseritur. S.

(112) De *Lege Saxonum* notandum maxime videtur, quod et illa primario ad Saxones in fide Christiana, paulo ante agnita, continendos lata videatur, quod ex iis, quae Poëta Saxo *ad annum DCCCIII. Indict. X.* apud Leibnit. *Rerum Brunsu. T. I. p. 153.* de ea tum in conventu Salzensi, vt videtur, renouata dicit, fere eluceſcit:

Augustus Pius ad sedem Salz nomine dictam
Venerat. Huc omni Saxonum nobilitate
Collecta, simul has pacis leges inierunt:
Vt toto penitus cultu rituque relicto
Gentili, quem Daemonica prius arte colebant
Decepti, posthaec fidei se subdere vellent
Catholicae, Christoque Deo seruire per aeuum.
At vero censum Francorum Regibus vllum
Soluere nec penitus deberent, atque tributum,
Cunctorum pariter statuit sententia concors.
Sed tantum decimas diuina lege statutas
Offerrent, ac Praesulibus parere studerent,
Ipsorumque simul Clero, qui dogmata sacra
Quique fidem Domino placitam vitamque docerent.

Caeterum, quae in lege hac breuissima, et XVIII. Capitulis tantum absoluta, Viri eruditi tanquam singularia et eidem quasi propria notant, ea quidem ego tantum non omnia, cum aliis Germanicae gentis legibus communia, deprehendo. Tutela perpetua foeminarum Longobardicis etiam legibus constituta. v. Giannone *Hist. de Naples T. I. L. V. ch. 5.* Potiores in hereditate filiorum quam filiarum partes esse Lex etiam Werinorum iubet. Differentiam dignitatis in aestimatione homicidii obseruari Lex Frisiorum etiam praecipit. Dotem vxori non marito constitui, mores Germanorum Taciti iam aeuo v. *de M. G. c. 18.* voluerunt, idemque Ripuariorum Baiuuariorumque Legibus obseruatur. v. Gaertner. *ad L. Sax. Tit. VIII. §. 1. n. X.* Homicidii reatum pecunia luendum, et *Weregildi compositionem*, omnes fere Germanorum Leges antiquae loquuntur. Id vero vnice proprium huic Legi fuisse videtur, quod frequentiores in ea, quam in vlla alia, statuantur capitis poenae, maxime in fures rerum etiam leuissimarum. Vnde sane improbanda non videtur Leibnitii annotatio *ad L. Sax. c. 4. §. 1. Quid incongruum magis, quam caballi* (adde aluearii apum, imo rei cuiuscunque trium solidorum) *furtum capite puniri, nobilissimi viri caedem pecunia lui? Eant nunc et veteres Germanorum Leges reuocent, explosis Romanis, hoc est, a fruge ad glandes reuertantur* &c. Cui quidem iudicio licet multa obiiciat Hoffmannus, ea tamen tanti non videntur, vt aliquem facile a Leibnitii partibus dimotura sint. Non opus est, prolixam instituere disputationem; an homicidio capitis poena Iure Naturali irrogetur. Quicquid horum sit, illud certe semper cum ratione maxime pugnabit, quod vita hominis, etiam nobilissimi, occisi, auro sane omni contra carior, vnica *Werigildi compositione* aestimetur; rei vero cuiusuis facili negotio aestimandae, imo vel ab ipsa Lege aestimatae, furtum, capite, nulla certe pecunia aestimando, vnice luatur. Nec porro Legibus Romanis capitalem furti poenam debere dicit Leibnitius, id tantum innuens, si qua pecuniaria aestimatione lui deberent delicta grauiora, aequiores fore Leges Romanas, vitae humanae iacturam, nullo pretio aestimandam, capite puniri iubentes; rerum vero furto ablatarum aestimationem admittentes; quam Saxonicas, vitam hominis, rem inaestimabilem, pretio aestimantes, rerum vero iacturam, aestimatu facillimam, vitae, rei inaestimabilis, amissione punientes. Multo minus Leibnitius

nitio nimius erga leges Romanas fauor iure exprobrari poterit, qui, quam alienus ab hac multorum labe fuerit, passim in operibus suis docet. Illud vero minime omnium est verosimile, adeo infrequentia fuisse inter Saxones homicidia, vt poenae exasperationem, quam frequentia furtorum prouocasset, non meruisse viderentur. Quis enim vnquam crederet, in gente, in qua ex vetusto Germanorum omnium more *inimicitias et patris et propinqui sus-sipere necesse erat*, in qua *crebrae rixae saepius caede et vulneribus transigebantur*, v. Tac. *de M. G. c.* 21. *et* 22. quamque frequentia bella, et ad cuiusuis rei probationem suscipienda duella, sanguini humano fundendo sponte assuefecerant, tam raras et adeo a gentis genio alienas fuisse hominum caedes, vt lenioribus etiam poenis propositis facile potuerint vel euitari vel coërceri? Non omne tamen homicidium, hac etiam Lege, a poena capitis immune esse, indicat Legis huius *c.* 3. §. 1. 2. 3. 4. vel *Tit.* III. *c.* 1. 2. 3. 4. Capitis poenam in fures, non aliis omnibus antiquorum Legibus incognitam, licet non adeo, vti huic, frequentem fuisse docet Lex Frisiorum. vide *supra* §. 25. S.

Ad §. XXXVI.

(113) Capitulatio de partibus Saxoniae.
(114) Nouissime edita sunt.

(113) Capitulationis huius aetatem, autoritate Ditmari et duorum praeceptorum, quorum alterum est *pro Trutmanno Comite*, alterum vero *de Institutione Episcopatuum per Saxoniam*, motus Baluzius, probabili coniectura, ad annum 788. refert. v. *notas ipsius ad Capitularium T. I. p.* 250. *Capitulationis* nomine inscribitur haec Lex, quod nulli alii eius temporis constitutioni tributum inuenitur, *Capitularis* nomine tantum in vsum tracto. Eadem tamen huius vocis, quae *Capitularis*, significatio videtur fuisse, nec quicquam vel ratione formae, vel ratione eorum, quae in *Capitularibus* decidi solent, ab aliorum *Capitularium* natura alienum hic deprehendimus. Numerus capitulorum in Baluziana huius *Capitulationis* editione vno maior est, quam in reliquis editionibus, cum Baluzius Prooemium *Primum de maioribus* &c. tanquam primum capitulum sistat, quod alibi extra capitulorum numerum est. In Praefatione ad *Diploma Caroli M. Imp. Osnabrugensi Ecclesiae datum* &c. *v. Monument. Paderborn. p.* 316. de hac Capitulatione tanquam notatu maxime dignum obseruatur, quod in ea triplex Saxoniae diuisio in Westfaliam, Angariam et Ostfaliam occurrat, interfuerintque a Carolo euocati ex his prouinciis proceres. Quarum rerum tamen in ipsa *Capitulatione de partibus Saxoniae* nulla omnino mentio fit, sed tantum in Prooemio *Capitularis Saxonum*, quod *congregatis Saxonibus de diuersis pagis, tam de Westphalis et Angariis, quam et de Ostfalahis* factum ibidem asseritur. Quae distinctio tamen iam ante hanc *Capitulationem* in ipsa *Lege Saxonum* deprehenditur *Tit. VIII.* §. 1. *et* 4. *Tit. VIII.* Qua occasione Gaertnerus *ad L. Sax. l. c. not. n.* obseruat, quod vel ex ipsa *Lege certum reddi videatur, Ostphalos et Angarios communes seruasse consuetudines*, diuerso *autem iure in quibusdam morum apicibus Westphaliae incolas vsos fuisse*, eiusque *antinomiae exempla circa dotem et bonorum communionem his Titulis* suggeri. Prodiit haec *Capitul.* etiam Argent. a. 1664. inter *Miscella ant. Lection.* &c. a Sim. Paulli edita. S.

(114) Commemorandum hic adhuc fuisset *Diploma de fundatione Episcopatus Verdensis*, quod Maderus *in Sylloge veterum aliquot diplomatum* &c. exhibet, sed, vti Baluzius *Capitul. T. I. p.* 246. iudicat,

Source : BIU Cujas

corruptum et interpolatum in aliquot locis. Ipsa eius subscriptio id *ad annum Dominicae incarnationis 786. Indict. XII.* refert; vt et *Praeceptum de Institutione Episcopatuum per Saxoniam*, nec non *Praeceptum pro Trutmanno Comite*, quae a Baluzio *Capitul. l. c. p. 246. et 250.* exhibentur, et auctoritate subscriptionum ad annum 789. referuntur, et eundem plane, quem sibi leges, hoc §. recensitae, proponunt, nempe Christianismi per Saxoniam firmandi, finem, et ipsa disertis verbis vbique loquuntur. Forsan Heineccius ea omisit, quod fides eorum a multis v. g. Gryphiandro, Winckelmanno, Crusio atque Meinderfio, imo et Cointio, Mabillonio aliisque in dubium vocetur, et ab aliis mitioribus in medio relinquatur. Causa suspicionis est epocha horum instrumentorum *ab Incarnatione Dominica* deducta, cum tamen alia Caroli M. diplomata sincerae et indubiae fidei nonnisi annis regni et imperii Carolini signata conspiciantur, et Carolo Crasso imperante demum mos, vti credunt, inualuerit, Annis Christi tabulas signandi. Nunc quidem ego meam hanc causam non faciam, nec repetam, quae operose Schatenius *Histor. Westphal. L. 9.* pro defendendis his diplomatibus producit, ad Testamentum Caroli apud Eginhardum, ad diploma Werthinense, nec non ad aliud ex tabulario Alutinensi apud Sigonium prouocans, quae omnia annos *ab Incarnatione Dominica* computant. Multa enim et his regeri posse, alii ostenderunt. Duo tantum notare sufficiat. Primum est, quod si vnico argumento ab hac annorum computandorum ratione deducto, omnium instrumentorum Carolingicorum, ita signatorum, fides conuelleretur, ea etiam Capitulari Saxonum vtique deneganda foret, eandem computandi formulam exhibenti, cui tamen status controuersiam hucusque motam esse ignoramus. Alterum est, quod Capitularium quidem, non eadem omnium, multo minus autem cum aliis semper diplomatibus conspirans forma sit; cuius rei rationem Mabillonius *de Re Diplom. L. II. C. 3. §. 11.* hanc reddit: *Cur vero tantopere discrepent Capitularium formulae tum a se ipsis tum a formulis Diplomatum, hae vero magis fixae sint ac vniformes, illud in causa esse puto, quod Capitularium scriptores erant Episcopi vel Abbates, qui praesentes aderant conuentui, in quo haec Capitularia condebantur, Diplomata autem et praecepta, ab iisdem Cancellariis et Notariis edita, vulgarem sequerentur stilum Cancellariae, sub vnoquoque principe ab exordio institutum.* Consulantur hic etiam, quae Gaertnerus notat ad *Capitulare Saxonum not. c.* S.

Ad §. XXXVII.

(115) Noua quaedam additamenta &c.

(115) Maxime huc faciunt verba Poëtae Anonymi *Libr. V. ad ann. DCCCXIIII. Indict. VI.* apud Leibnit. *Rer. Brunsuic. T. I. p. 168.*

Ipse decem posthaec et ternos circiter annos
Augusto laetus vixit in Imperio.
In quibus antiquas leges correxit, in ipsis
Vniri mandans, dissona quae fuerant.
Addidit his etiam nouiter quae congrua duxit
Pauca quidem numero, valde sed vtilia.
Cunctorumque sui regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens. S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. XXXVIII.

(116) Capitularia.

(116) Capitulare dicitur omne scriptum in varia capita diuisum. v. Cangeus *Gloss. med. et inf. Lat.* voce *Capitulare.* Mastricht *Histor. Iur. Eccles. n.* 214. Baluzius *Praef. ad Capit. Regum Franc. §.* 2. qui ad tria praecipue testimonia prouocat, nempe ad S. Gregorii *L. I. Epist.* 40. ad *Anthemium Subdiaconum*, ad Hadriani I. *Epistolam ad Carolum M.* quae *Capitulare de non adorandis imaginibus* impugnat, et tandem ad Codicem Lectionum et Euangeliorum, quae in Ecclesiis olim cantabantur, cuius inscriptio est: *Capitulare Euangeliorum de circulo anni.* Maxime autem decretis et constitutionibus, in capita diuisis, hoc nomen datum obseruatur, ita vt hoc sensu secundum Sirmondum et Baluzium *ibidem §.* 3. Capitulare sit *Decretum Capitulis digestum atque distinctum.* Non tamen hoc ita accipiendum est, ac si ab eo tempore, quo *Capitularis* nomen innotuit, omne Decretum, omnisque Constitutio, si pluribus capitulis constabat, semper *Capitularis* nomen acceperit; si quae vero constitutio vno capite absoluebatur, ea *Capitularis* nomine insigniri non potuerit. Imo contrarium exemplis luculentis docemur. Leges Gentium Germanicarum antiquae, quae supersunt, pluribus capitibus constare nemo nescit, et tamen eas *Leges*, non *Capitularia*, vocari omnibus notum est, licet eo, quo pleraeque ferebantur, tempore *Capitularis* nomen iam innotuerit, quod Capitularia Regum Francorum primae stirpis, Childeberti, Chlotarii, Dagoberti, Carolomanni, Pipini abunde docent. *Leges* vero, vno capite absolutas, quandoque *Capitularium* nomine insignitas fuisse, exemplis *Decretalis precum*, quod an. 779. constitutum, *Capitularis* nomen accepit, Legum quarundam Constantini et Valentiniani, Codici Theodosiano insertarum, *ex Capitularibus Constantini, ex Capitulo Valentiniani, Theodosii et Arcadii* allegatarum in vetustissimo Codice MSC. S. Arnulfi Metensis, nec non plurium Legum Luitprandi, *Capitularium* nomine passim citatarum, satis superque notat Baluzius *ibidem §.* 3. Quod si tamen ex eo, quod plerumque fiebat, argumentum ducamus, Decreta, capitulis distincta, plerumque *Capitularia* appellata fuisse docebimur. Ecclesiasticis etiam sanctionibus, siue illae generales, siue speciales fuerint, *Capitulorum* nomen imponi solitum fuisse, pluribus exemplis ostendit Baluzius §. 4. quod hodierno adhuc vsu seruari notissimum est. Ex his omnibus optime colligit Baluzius §. 5. *Capitularium* nomen generale esse, et Capitulorum vocabulo *Leges* intelligi. Occurrunt tamen aliquot ex antiquitate testimonia, quae discrimen inter *Leges* et *Capitula* maximum fuisse, imo *Leges Capitulorum* nomine insigniri plane non potuisse, facile persuasura videntur. Sic *Leges* a *Capitulis* non obscure distinguit Ludouicus Pius *in Prologo Capitularis de an.* 816. apud Baluz. *T. I. p.* 563. *Quid etiam in mundanis* LEGIBVS, *quid quoque in* CAPITVLIS *inserendum foret*, annotauerimus. Idem *in Capitulis datis apud Theodonis villam an.* 820. *in generali populi conuentu §.* 5. apud Baluz. *T. I. p.* 622. *generaliter omnes admonemus, vt Capitula, quae praeterito anno Legi Salicae per omnium consensum addenda esse censuimus, iam non vlterius* CAPITVLA, *sed tantum* LEX *dicantur, imo pro* LEGE *teneantur.* Quae verba Legi Longobardicae *L. III. T.* 31. a Collectore vulgari inserta fuisse, et Carolo M. adscripta, iam *supra ad §.* 28. monuimus. Hoc autem inter *Leges* et *Capitularia* discrimen vlterius probari videtur multis Hincmari Remensis sententiis, quas Struuius *Hist. Iur. Cap. 6. §. 9.* in *notis* hunc in finem producit, e quibus tamen illa, qui praecipue Baluzius *praef.*

Source : BIU Cujas

§. 5. insistit, quaeque ex Hincmari epistola ad Episcopos Regni petita est, omnium maxime notatu digna videtur, vbi de iudicibus male agentibus ita loquitur: *Quando sperant aliquid lucrari, ad* LEGEM *se conuertunt. Quando vero per* LEGEM *non aestimant acquirere, ad* CAPITVLA *confugiunt. Sicque interdum fit, vt nec* CAPITVLA *pleniter conseruentur, sed pro nihilo habeantur, nec* LEX. Vnde et auctores multi sollicite disquirunt, qua nota characteristica *Legem* a *Capitulari* distinguere possint. v. Brunquell. *Hist. Iur.* P. IIII. *c.* 3. §. 4. Struu. *Hist. Iur. c. 6. §. 9. in not.* Gaertnerus *ad Caroli M. Capitulationem de partibus Saxoniae, nota a.* aliique. Quorum illi quidem in eo discrimen vnice ponunt, quod *Leges* sint primaria iuris, quod cuiuis genti est, pars, Capitularia autem sint, quasi eius partes accessoriae, appendices et supplementa; hic vero, praeter hanc differentiae rationem, aliam in eo quaerit, quod Leges de rebus saecularibus, Capitularia vero de rebus ecclesiasticis agant, quam rationem praecipue ex verbis Ludouici Pii de an. 816. paulo superius productis et exemplo quorundam Capitularium, Ecclesiasticas res vnice definientium, eruit. Verum, cum alia quidem Capitularia Legibus huius vel illius gentis, iussu Legislatorum, illarum nempe supplendarum causa, addita et subiuncta sint, alia vero cum Legibus singularibus cuiusuis gentis nihil commune habentia, vniuerso potius regno data, nec vnquam aut Legislatoris iussu, aut priuati cuiusuis autoris ausu, Legibus alicuius gentis, per modum appendicis iuncta sint, sed sine illis subsistant, non video, quomodo Capitularia in vniuersum dici possint appendices *Legum*, singulis Germaniae gentibus latarum. Quod ad alteram differentiae rationem attinet, non negamus, multa quidem Ecclesiastica *Capitularibus* definiri, imo vltro concedimus, quod tamen Conringius *de O. I. G. c.* 14. in dubium vocat, multa, quae in Conciliis et Synodis Episcopalibus constituta erant, postea in *Capitularia* ipsorum Principum iussu transiisse, vti exemplis et argumentis probant Anton. Augustinus *de Emend. Gratiani L. II. Dial.* 10. Petrus de Marca *de Concord. Sacerd. et Imp. L. VI. c.* 25. Baluzius *Praef.* §. 9. et *in not. ad Ant. August. l. c. p.* 708. et Struu. *Hist. Iur. c. 6. nota vlt.* adeo vt etiam *Capitularia* in Concilio Trosleiano *c.* 3 vti iam Ant. August. *l. c.* obseruauit, dicantur *Conciliorum pedissequa*. Verum et res seculares ecclesiasticis mixtas exhibent saepe *Capitularia*, imo quaedam plane rebus saecularibus definiendis destinata fuerunt. Ita ipse Ansegisus in Praefatione suae Capitularium Collectioni praefixa testatur se, *quae Domnus Karolus in diuersis fecit temporibus* AD MVNDANAM PERTINENTIA LEGEM *in tertio* libro *adunasse; ipsa vero, quae Domnus Hludouicus, praeclarus Imperator, fecit* AD AVGMENTVM MVNDANAE PERTINENTIA LEGIS *in quarto congessisse*. Quis porro nescit, in ipsis *Legibus* Germanicarum gentium antiquis, multa etiam ad rei Ecclesiasticae incrementum spectantia constitui? Et quis tandem, his ita bene pensitatis, res Ecclesiasticas vnice, vel saltem primario, *Capitularibus*, res saeculares vero vnice *Legibus* definitas assereret, et in hoc maxime notam characteristicam discriminis inter *Leges* et *Capitularia* statueret? Quae cum ita sint, Baluzius plane *Praef.* §. 6. omne verum, et in natura rei quaerendum, discrimen inter *Leges* et *Capitularia* absuisse asserit, pluribus testimoniis praecipue ex Hincmari *Epist.* 14. *c.* 8. vt et ex Capitulorum e Lege Longobardica excerptorum *cap.* 22. collato cum *Capitular. L. III. c.* 11. ex Capitulor. illorum *c.* 23. collato cum Capitular. *L. III. c.* 10. *et* 52. aliisque pluribus prolatis, quibus ipsa *Capitularia* Legum nomine insigniuntur. Quod si tamen mei quid esset in hac causa iudicii, putarem, *Legem* quidem, sensu generaliori acceptam, a *Capitulari* non differre, significatione vero strictiori tum temporis, *Legem* dici consueuisse integrum Corpus consuetudinum antiquarum, iussu Principis collectarum, ab eodem aliquot

forte

Source : BIU Cujas

forte constitutionibus, ex suo tamen arbitrio, auctum, et confirmatum; ita vt, si quando etiam aliquae Leges in Conventibus populi propositae fuerint, id magis promulgandae quam condendae *legis* causa factum videatur. Aliam plane formam vero in condendis *Capitularibus* obseruatam fuisse deprehendimus. Haec proponebantur in generali conuentu et placito Regio. v. *Capitular.* Caroli M. *L. VI. c.* 371. Ludouici Pii an. 823. *L. II. c.* 22. et *L. V. c.* 272. Caroli Calui an. 873. *Baluz. Tom. II. p.* 231. *c.* 8. et an. 877. *Baluz. T. II. p.* 269. *c.* 2. aliaque loca a Baluzio *Praef.* §. 7. et Struuio *Hist. Iur. c.* 6. §. 10. vbertim congesta. Requirebatur consensus *omnium fidelium*, imo *populi.* Quo nomine quidem Baluzius et Struuius *ll. cc.* proceres tantum et optimates, Episcopos nempe, Abbates, Duces, Comites, intelligi existimant, cum horum mentio in multis Capitularibus, v. g. Capit. de an. 779. Capit. secundo an. 813. disertis verbis fiat. Verum ipsa haec, quae allegantur, testimonia, ostendunt, praeter Episcopos, Abbates, Duces, Comites, aliorum etiam consensum requisitum fuisse. Capitulare sec. de an. 813. sane clarissimis verbis enumeratis his proceribus omnes fideles adiungit, quod sane factum non fuisset, si hi proceres soli totam *fidelium omnium* nomenclaturam implerent. En verba: *Cum Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Ducibus* OMNIBVSQVE FIDELIBVS *Christianae Ecclesiae.* Adde Capitulare Caroli Calui *Tit.* 34. *Karolus gratia Dei Rex, et Episcopi, Abbates quoque et Comites ac* CETERI IN CHRISTO RENATI FIDELES. Capit. 3. anni 803. *c.* 19. vero vult: VT POPVLVS *interrogetur de Capitulis.* Consensus autem hic adhibitus videtur tantum per modum consilii, et vt populus, si consenserit, promtius atque lubentius huic constitutioni morem gereret. Sane consilium consensui iungitur in Capitul. sec. de an. 813. *cum consensu consilioque.* Adde Cap. Caroli Calui an. 877. *consilio et consensu.* In Capit. Ludouici Pii de an. 816. nec non eiusdem de an. 823. *Capit. Lib. II. c.* 22. *et ibid. L. V. c.* 272. et alibi dicitur *consultu fidelium.* Omnia potius arbitrio fere Principis acta fuisse luculentis testimoniis docet Struvius *Hist. Iur. c.* 6. §. 10. *in not.* et *Syntagm. Hist. Germ. Dissert.* 6. §. 13. Capitula ita in conuentu proposita, a Principe constituta populo praelegebantur, consensu eius agnoscebantur, ac inde omnium subscriptione confirmabantur. Vnde Capitulare III. anni 803. c. 19. disertis verbis vult: *vt populus interrogetur de Capitulis, quae in lege nouiter addita sunt. Et postquam omnes consenserint, subscriptiones et manufirmationes suas in ipsis Capitulis faciant.* Capitulare II. anni 813. *vt omnes fideles manu roborare studuissent.* Alia testimonia vide apud Baluz. *Praef.* §. 8. Capitularia ita ad vlteriorem promulgationem mittebantur Episcopis, Comitibus ac Missis Dominicis. Et vt mora omnis euitaretur, Ludouicus an. 823. constituit, vt Archiepiscopi et Comites (maiores intelligit Baluzius *Praef.* §. 15.) ea a Cancellario Palatii acciperent, et eorum postea copiam facerent Episcopis, Comitibus (minoribus nempe) aliisque magistratibus, quod et Missis Dominicis ibidem iniungit. Maxime haec cura commendata fuit Missis his Dominicis s. Regiis, qui et ipsi Capitularia a Cancellario Palatii accepta, in suo quisque Missatico, id est, tractu et regione suae curae commissa, promulgare et executioni mandare iubebantur, quod pluribus Capitularium testimoniis probat Baluzius *ibid.* §. 16. et praecipue Franciscus de Roye, Antecessor olim Andegauensis in opusculo Lipsiae an. 1744. recuso, *de Missis Dominicis, eorum officio et potestate*, vbi Titulo *de Missis Dominicis ad disciplinam publicam c.* 14. hanc rem latius persequitur. De Missis Dominicis vide etiam quae in compendio dicunt Cangeus *in Gloss. Med. et inf. Latin. v. Missus*, et Hertius *Notit. Regni Franc. veter. L. V.* §. 27. vt et Brummerus *de Scabinis c.* 6. Inde plura etiam Capitularium exemplaria fieri curauerunt Principes, vt ita melius conseruari et in publi-

Source : BIU Cujas

publicum emitti possent. v. Baluz. §. 17. Hac solenni forma vestitae Constitutiones iis temporibus Capitularium nomine insigniri solebant, et haec fere vnica inter *Leges* et *Capitularia* eo tempore differentia fuisse videtur. S.

Ad §. XXXVIIII.

(117) Sigebertus Gemblacensis. (*H. N.*)
(118) Odorannus tribuit Ansegiso &c. (*H. N.*)
(119) Baluzius Abbati Fontanellensi tribuit &c. (*H. N.*)

(117) Sigeberti Gemblacensis, cuius autoritate haec assertio nititur, verba huc facientia haec sunt: *Ansegisus, Abbas Lobiensis, dicta Imperatoris Caroli M. et Ludouici, filii eius, ad Ecclesiasticam Legem pertinentia in duobus digessit. Idem edicta eorundem, ad mundanam Legem pertinentia, in duobus aeque libellis digessit.* Nemo autem Sigeberto antiquior Lobiensi hoc opus tribuit, et ne quidem rerum Lobiensium scriptores, Fulcuinus et Aegidius Waulde huius rei mentionem faciunt. v. Baluzii *Praef. ad Capit.* §. 39. Sequitur Sigebertum Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ita tamen, vt eam Ansegiso dignitatem tribuat, quae alios deinde in similem errorem induxit. En verba ipsius: *Ansegisus Abbas Lobiensis Coenobii, ordinis S. Benedicti, et* POSTEA SENONENSIS ARCHIEPISCOPVS, *vir in diuinis scripturis eruditus, et in secularibus literis nobiliter doctus, sermone et ingenio clarus, distinxit et comportauit ad vtilitatem ecclesiae Catholicae Imperatorum Caroli M. et Ludouici Leges, quas vidi* &c. S.

(118) Non Odorannus hoc tribuit Ansegiso suo, sed illi id demum ausi sunt, qui ex ipso, sine vlla eius culpa, fontem erroris deriuarunt. Nihil omnino de Collectione Capitularium inter ea, quae de Ansegiso Senonensi commemorat, loquitur Odorannus. En verba ipsius: *Anno ab incarnatione Christi 882. obiit Ansegisus, venerabilis Senonum Archiepiscopus totius Galliae et Germaniae Papa secundus feliciter, VII. Kalend. Decembr. et sepultus est in monasterio S. Petri. Hic Karolum Caluum vnxit in Regem, et postquam primatum totius Galliae obtinuit, et superna moderatione secundus Papa appellari meruit, in synodo habita in loco, qui dicitur Pontigonis XVI. Kal. August. ann. DCCCLXXVI. Indict. VIIII. Iudaeos certi causa et moniales ab vrbe Senonica expulit, et ne vlterius in ea habitaculum manendi haberent, sub anathematis iugulo interdixit. Mortuo Epitaphium hoc scriptum est:*

Antistes Senonum, reuerentia magna potentum,
Ansegisus in hoc conditus est tumulo.
Vt primus fieret Gallorum Papa Ioannes
Instituit, meritis hoc tribuendo suis.
Karli Romana cinxit caput iste corona,
Et dedit in cunctos imperium populos.
Gregorii Papae secum caput abstulit inde,
Hic locus ossa fouet, spiritus astra tenet.

Altum in his omnibus de Capitularium Collectione silentium. Cum vero ad idem seculum relatos viderint Ansegisum Abbatem Lobiensem et Ansegisum Archiepiscopum Senonensem, vtrumque eruditionis praestantia clarum, et Senonensis, antequam ad Archiepiscopatum peruenisset, abbatis etiam dignitate functus perhibeatur, sequentium seculorum scriptores non dubitarunt, ex duobus vnum componere, et Abbatem Lobiensem postea Archiepiscopum Senonensem factum asserere, huicque Senonensi adeo et Capitularium Collectionem affingere. Ita sane Trithemius, vt vidimus *ad §. praeced.* ita postea Antonius Augustinus, qui *L. II. de emend. Gratiani Dial. X.* scribit: *Ansegisus Abbas Lobiensis, qui postea Senonensis Archiepis-*

Source : BIU Cujas

chiepiscopus fuit, quem alii secuti sunt. Sed Collectionem Capitularium Senonensi Archiepiscopo non deberi, optime omnium docent verba Iacobi Sirmondi in epistola eius ad Domnum Constantinum Caietanum, Abbatem Sancti Baronti, apud Labbeum *de scriptoribus Eccles. T. II. p. 692. Par fuit in Ansegiso, qui Caroli et Ludouici Regum capitula collegit, quorundam hallucinatio. Cum enim Ansegisum hunc Lobiensem in Cameracensium dioeceſi Abbatem fuisse ex Sigeberto constet, longeque diuersum ab Ansegiso Senonum Archiepiscopo, quanquam is etiam Abbas ante Episcopatum fuerat, sed alterius in Bellouacis monasterii, cui a S. Michaële nomen, non defuerunt tamen, qui vtrumque Ansegisum confunderent, et digestorum in libros capitulorum laudem Archiepiscopo perperam tribuerent.* Quibus verbis etiam subscribit Baluzius *Praef. §. 39.* vide etiam Mastricht. *in not. ad Ant. Aug. de emend. Grat. p. 444. lin. 7. et in addend. ad Histor. Iur. Eccl. p. 207. et 211.* nec non Conring. *de O. I. G. cap. 15. p. 71. S.*

(119) Ratione maxime probabili inductus Baluzius fuit, vt Ansegisum Fontanellensem Collectionis Capitularium autorem assereret. Cum enim de Ansegiso Lobiensi vix quicquam ipsi in antiquitate occurreret, nec ante Sigebertum quisquam Collectorem Capitularium fere *Lobiensem* dixisset, ipse autem in Chronico Fontanellensi reperiret, Ansegisum, Abbatem Fontanellensem constitutum a Ludouico Pio, virum fuisse doctum ac librorum amatorem, quorum magnam copiam reliquerit in monasterio Fontanellensi, et in Flauiacensi, cuius etiam Abbatem fuisse doceret autor eiusdem Chronici, facili via deductus fuit in sententiam, vt Ansegisum, Capitularium Collectorem, non Lobiensem, sed Fontanellensem Abbatem diceret, iam anno 834. mortuum, qui annus mortis melius etiam Collectori huic, nulla Capitularia anno 827. recentiora producenti, conuenit, quam annus 882. qui Senonensi Episcopo vltimus fuit. v. Baluz. *Praef. §. 40.* Ansegisianam vero hanc Collectionem, magna statim auctoritate gauisam, et ab ipso Ludouico Pio agnitam esse, ostendunt frequentia testimonia Ludouici Pii in suis post annum 827. editis Capitularibus ad Capitularia antiquiora, secundum Libros et Capita, Ansegisianae Collectioni respondentia, prouocantis. Ita enim ille in Capitulari Wormatiensi anni 829. *Tit. I. c. 5. Ita enim continetur in Capitulari bonae memoriae genitoris nostri in Libro I. c. 157.* Et paulo post: *Item in Capitulare nostro in Libro 2. cap. 21. de eadem re.* In eiusdem Capitularis *cap. 9. Quicunque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, iuxta Capitularem anteriorem, in quo de operibus ac nonis et decimis constitutum est, sic de illis adimpleatur, id est, in Libro 4. Capitulo 38. De opere et restauratione Ecclesiarum cet.* De hoc numero 38. autem, qui in aliis editionibus aliter quandoque legitur, omnino videndus est Baluzius *in not. ad Capit. T. II. p. 1190.* Ex eodem Capitulari Wormatiensi huc spectant *Tit. 2. c. 1. et 8. Tit. 3. c. 1. 5. et 8.* Imo et a Carolo Caluo ad hanc Collectionem provocatur *Tit. 36. c. 1. 4. 8. 18. 19. 20. 22. 25. 27. 28. 34. Tit. 40. c. 9. Tit. 45. c. 1. et 3.* vid. Baluzii *Praef. §. 41. et 42.* Illud autem porro de Ansegisiana Collectione notandum, quod, licet Ansegisus tantum Caroli M. Capitula se Libro primo exhibere in Praefatione, quam suae Collectioni praemisit, profiteatur, ipse tamen ex Capitulari Ludouici an. 816. sua capitula depromserit a Capitulo 79. vsque ad capit. 104. et post hoc iterum Caroli M. capitula exhibeat. Fontem erroris in eo deprehendisse sibi videtur Baluzius *Praef. §. 43. et notis ad Cap. T. II. p. 1059.* quod in fronte Capitularis Ludouiciani de an. 816. duo capitula Caroli M. se offerant, et hinc Ansegisus forte reliqua eiusdem Capitularis capita Carolo etiam deberi existimauerit. Nec illud silentio praetereundum, quod vulgares Capitularium editiones in Ansegisiana Collectione non tantum Caroli M. et Ludouici Pii, sed et

Source : BIU Cujas

Lotharii capitula contineri, in fronte loquantur, cum tamen in quatuor Anſegiſi libris nihil occurrat, quod Lothario tribui poſſit. Errorem iam notauit, eiuſque fontem probabili ratione detexit Petrus Pithoeus *in Praefatione ad Capitularia* his verbis: *Sane quod in Anſegiſi praefationibus Lotharii nomen adiectum eſt, datum ad ſcias exemplarium quorundam antiquitati, quae ſub eius ditione, vt veroſimile eſt, primum deſcripta, non hoc ſolum ipſius honori tribuerant, ſed et ex verſibus cet.* vide hac de re Baluz. *Praef.* §. 43. *not. ad Capitul. T. II. p.* 1171. *et not. ad Ant. Auguſt. de Emend. Gratiani p.* 444. *lin.* 5. Hanc porro Collectionem Anſegiſi paulo poſt in ſermonem Germanicum translatam fuiſſe Conringius *de O. I. G. c.* 15. *p.* 72. optime probat ex veteri illa verſione *Libri* 4. *c.* 19. quam inter ſpecimina linguae priſcae in ſuis *annalibus Treuirenſibus* exhibet Browerus, et inter *Miſcella antiquae lectionis nu.* 3. ſiſtit Simon Paulli *Argent.* 1664. S.

Ad §. XXXX.

(120) Auctarium eſſe voluit. cet.
(121) Conſtat tribus libris. cet.
(122) Non ordine vſus eſt Leuita.
(123) Incogniti additionum libri IIII.
(124) Vtraque collectio maximi vſus fuit.
(125) *H. N.* Altera citatio.

(120) Ratio, qua motus Benedictus ad hoc opus ſuſcipiendum acceſſit, id, quod autor noſter de hac Collectione dicit, omnino confirmat. Nempe quod, quae Anſegiſus *aut inuenire nequiuit, aut inſerere fortaſſe noluit, et illa, quae poſtmodum a fidelibus ſanctae eccleſiae et Pippini ac Karoli atque Hludouici didicit in iam dictis libellis minime eſſe inſerta*, ea hic ſupplere voluerit, ipſe indicat in Praefatione, quam ſuis libris praefigit. v. Baluz. *Cap. T. I. p.* 802. S.

(121) Tres hi libri ita plerumque iunguntur Anſegiſianis quatuor, vt *quintum*, *ſextum*, *ſeptimum* Collectionis ita ex duabus compoſitae Librum conſtituant, et his numeris etiam plerumque allegentur. Quod tamen perpetuum non eſſe, ſed Collectionem Benedicti ſaepius a veteribus ſeparatim allegari numeris Librorum *primo*, *ſecundo*, *tertio*, pluribus teſtimoniis ex Hincmaro et Concilio Troſleiano ac aliunde petitis oſtendit Baluzius *Praef.* §. 47. S.

(122) Ordinem in eo meliorem iam deſiderauit Antonius Auguſtinus *de Emend. Gratiani L. II. Dial.* 10. qui ipſi etiam inſcriptionum defectum obiicit. Vtrumque et ordinem et delectum abeſſe queritur Pithoeus *in Praef. ad Capit.* Addatur Conring. *de O. I. G. c.* 15. Struuius *Hiſt. Iur. c.* 6. §. 12. Brunquell. *Hiſt. Iur. P.* IIII. *c.* 3. §. 14. Hoffman. *Spec. Coni. Polit. c.* 2. *per.* 4. §. 7. Immiſcet enim his Capitularium libris Zachariae Papae epiſtolam, et alia multa ex Canonibus Conciliorum, ex Synodalibus Epiſcoporum Conſtitutionibus, ex Codice Theodoſiano, imo ex aliis veterum Legibus excerpta. Malae tamen fidei ſuſpicionem, qua ipſum onerant Blondellus *Proleg. ad Pſeudo-Iſid. c.* 19. *p.* 108. et Conring. *de O. I. G. c.* 15. *p.* 75. ab ipſo erudite amouet Baluzius *Praef. ad Capit.* §. 45. S.

(123) Autorem nec Conringius, nec Baluzius, nec Struuius nominare audet. Illud tamen faretur Conringius, eum eiuſdem, cuius et Benedictus fuerat, ingenii fuiſſe. Sirmondi tamen ſententiam, editiones has ipſi Benedicto tribuentis, omnino refellit Baluzius *Praef.* §. 48. I. quod nullam harum additionum mentionem

Source : BIU Cujas

tionem faciat Benedictus in Praefatione suae Collectionis, in qua tamen omnium, quae in hac causa praestiterat, rationes reddit. II. Quod in vetustissimis Petri Pithoei et Iacobi Sirmondi exemplaribus, in quibus nihil est, quod Benedicto Leuitae adscribendum sit, hae quatuor additiones statim subiungantur Ansegisi quatuor Libris, adeoque exhibeantur tanquam opera a Benedicti Libris plane aliena. III. Quod in Codicibus MSCtis Capitularium Bellouacensi et Palatino Additio prima partem faciat Libri Capitularium Septimi, atque ita, cum Libri VII. capita sint 478. adiectis his primae additionis capitibus 80. computentur Libri illius VII. capita 558. Ita Ivo allegans caput 16. Additionis primae id hac nota indicat: *ex Capitularium Libro VII. c.* 494. Ita et Patres Concilii Trosleiani de an. 909. referentes primum caput Capitularis de an. 817. quod Additionem primam constituit, illud *ex Capitularibus* allegant, quo nomine alias ipsi septem Ansegisi et Benedicti Libri indicari solent. Quae omnia probabili ratione ostendunt, Additiones has non esse ipsius Benedicti, qui ordinem earum alias certiori regula definiturus fuisset, sed esse Benedicti temporibus recentiores, forsan non eiusdem temporis, sed primam ante secundam et tertiam prodiisse, adeoque ita solam existentem, et vnius Conuentus Aquisgranensis decreta exhibentem, potuisse, facili errore, pro parte Libri Capitularium Septimi computari. S.

(124) Existimat Autor noster, quod Ansegisiana Collectio in foris Galliae, Benedictina in foris Germaniae maxime obtinuerit. Ansegisianam non Galliae tantum, sed et Germaniae foris vsitatam fuisse, vel inde colligitur, quod Ludouicus Pius, et Germaniae et Galliae imperans, eam sua auctoritate firmauerit. Accedit, quod Capitularia, illa Collectione comprehensa, in Conciliis Germanicis Moguntino *c.* 16. sub Rabano Mauro, Archiepiscopo, et Colonienſi sub Carolo Crasso *c.* 3. alioque Moguntino *c.* 21. *et* 23. sub Arnulpho *de an.* 888. allegentur. v. Conring. *de O. I. G. c.* 17. *p.* 94. Struu. *Hist. Iur. c.* 6. §. 11. *in notis.* Quod autem et Benedicti collectio, licet in Germania consarcinata, tamen in Gallia autoritatem obtinuerit, et quidem iam ante annum 858. ex eo maxime demonstrat Baluzius, §. 46. quod Herardus Archiepiscopus Turonensis ea aetate sua *capitula* edens, et multa ex iis, quae in Benedicti Collectione sunt, in compendium contrahens, ea vsus fuisse manifeste probetur. Continuata fuit haec Benedictinae Collectionis per Galliam auctoritas sequentibus etiam temporibus, ita vt et Isaac, Episcopus Lingonensis, sua *Capitula* vnice ex tribus Benedicti Libris collegerit, huiusque Collectionis Capitula frequenter tam in Conciliis apud sanctam Macram, et Trosleiano, quam a celeberrimis Galliae viris Hincmaro, Fulberto, Iuone laudentur. S.

(125) Addatur etiam Conringius *de O. I. G. c.* 15. *p.* 74. et *c.* 17. *p.* 91. 92. 93. et Struuius *Hist. Iur. c.* 6. §. 12. quod eam collectionem non alio, quam Autcarii vel Otgarii, Archiepiscopi Moguntini, iussu fecerit Benedictus, indicant versiculi, qui in fronte huius Collectionis conspiciuntur:

Quattuor explicitis, lector venerande, libellis,
Qui Canonum recitant Iura tenenda satis,
Quosque pater quondam collegit nobilis apte
Ansegisus ouans, ductus amore Dei;
AVTCARIO *demum, quem tunc Moguntia summum*
Pontificem tenuit, PRAECIPIENTE *pio,*
Post BENEDICTVS EGO, TERNOS LEVITA LIBELLOS
ADNEXI, *legis quis recitatur opus.*
Quos patet inuentos, praefatio pandit vt ipsa,
Distinctim titulis sub positisque suis.
Hos igitur relegens deuoto pectore biblos;
Gratanter studeas fundere, posco, preces:

Source : BIU Cujas

Quatinus aeterno donentur munere coelo,
Haec pia sanxerunt, qui quoque iura pie.

Indicat porro Benedictus in Praefatione sua, vnde haec maxime ceperit, nempe *in sanctae Moguntiacensis metropolis Ecclesiae scrinio a Riculfo eiusdem sanctae sedis Metropolitano recondita et demum ab Autcario secundo eius successore atque consanguineo inuenta.* De his Riculfo et Autcario, vel potius Otgario, eorumque in colligendis et scrutandis canonibus, studio et curis aliqua, lectu dignissima, suggerit Conring. *l. c. p.* 37. S.

Ad §. XXXXII.

(126) Capitularium auctoritas.

(126) Capitularium autoritas etiam extra Germaniam Galliamque sat magna quod fuerit, luculenta testimonia probant. Lotharius Imperator sane Longobardicarum Legum *Lib. III. Tit.* 37. ita edixerat: *Placuit nobis, vt capitula, quae excerpsimus de Capitulari bonae memoriae aui nostri Karoli ac genitoris nostri Hludouici Imperatoris, ab omnibus sanctae Dei Ecclesiae seu fidelibus nostris, in regno Italiae consistentibus, pro lege teneantur et seruentur. Et quicunque horum Capitulorum contemptor extiterit, LX. solid. componat.* Non hic quidem ad Benedicti Collectionem prouocari, sed, cum de excerptis capitulis Lotharius loquatur, potius innui *Epitomen Capitularium*, quam cum Hincmari epistolis Ioannes Busaeus sub titulo: *Constitutionum Caroli M. Epitome a Lothario eius nepote euulgata*, edidit, quamque Goldastus sub titulo: *Capitulare Lotharii Imperatoris*, suae Collectioni *Consuetudinum et Legum Imperialium* inseruit, docet Conringius *de O. I. G. c.* 17. *p.* 92. Hanc Lotharii Legem non satis aequo ab omnibus per Italiam animo exceptam esse, ex iis, quae sequuntur, facile intelligitur. Plerique forsan Legibus Longobardicis et Romanis vnice et constanter inhaesuri, sibi etiam Capitularia obtrudi aegre ferebant. Leo IIII. P. R. certe rem tanti esse existimauit, vt nihil impedimenti a se quidem huic Legi, vel obmotum esse, vel obmotum iri, literis ad Imperatorem datis testatus fuerit. Ita sane rem explicat Bartholomaeus Brixiensis *in Glossa in cap. de Capitulis 9. distinct.* 10. Ex quo hanc rem illustrat Baluzius *in Praef. ad Capitularia* §. 23. Verba literarum ab Iuone, Carnotensi Episcopo, in Decretorum Collectione *Part.* 4. *c.* 176. *in Panorm. L.* 2. *c.* 149. a Gratiano vero *Distinct.* 10. *C. de Capitulis* 9. conseruata sunt. In ipsis autem literarum verbis, prout vulgariter exhibentur, mendum esse, et Correctores Romani et Baluzius et alii agnouerunt, in correctionis modo autem a se inuicem dissenserunt. Baluzius *l. c.* §. 21. ita legenda verba existimat: *De Capitulis vel praeceptis Imperialibus vestris vestrorumque praedecessorum irrefragabiliter custodiendis et conseruandis, quantum valuimus et valemus, Christo propitio et nunc et in aeuum nos conseruaturos, modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.* Quicquid sit de hac lectione, illud sane, quod modo asseruimus, nempe ad hanc Legem Lotharii digitum intendi a Leone IIII. Correctores Romani ingenue fatentur: *Omnino haec, quae a Leone scribuntur, spectare videntur ad Capitula Caroli et Ludouici, quae Lotharius in vniuersa Italia seruari mandauerat.* Addunt etiam, quod Lex Lotharii populo Romano, qui iure antiquo Romanorum vti prohibererur, valde displicuerit, quodque disseminatus fuerit rumor, eandem esse Pontificis ac Populi sententiam, quodque Leo hac epistola se purgare voluisse videatur. His vtique non contradicit, quod idem Leo IIII. P. R. apud Iuonem *P.* 4. *c.* 181. et Gratianum *Distinct.* 10. *c. vestram* 13. Legem

Source : BIU Cujas

gem Romanam seruari a Lothario petierit: *Vestram flagitamus clementiam, vt sicut hactenus Romana Lex viguit absque vniuersis procellis, et pro nullius persona hominis reminiscitur esse corrupta, ita nunc suum robur, propriumque vigorem obtineat.* Nec enim Legis Romanae, cuius praecipuam apud Romanos auctoritatem fuisse supra ostendimus, vigor, omne Capitularibus robur adimere potuit, cum ipse Lotharius ius eligendi, quo quisque iure viuere vellet, Italis concesserit *Leg. Longob. Lib. II. Tit. 57.* adeoque apud eos saltem, qui professionem Iuris Francorum fecerant, Capitularium sancta debuerit esse auctoritas, imo ne a reliquis quidem negligenda; quum si Legem, quam de Capitularium obseruatione tulerat Lotharius, cum hac, qua iuris electionem concedit, conferamus, non aliam possimus Lothario esse sententiam augurari, quam, quod iuris quidem pristini vsum cuilibet, qui eum profiteretur, liberum velit concedere, in quantum scilicet illi iuri prisco per nouas Capitularium Constitutiones non fuerit derogatum. Verba huius Legis haec sunt: *Volumus, vt cunctus populus Romanus interrogetur, quali lege vult viuere: vt tali lege, quali professi sunt, viuant cet.* Hanc Legem elicitam esse precibus Leonis IIII. quarum mentionem modo fecimus, Correctores Romani, Baronius, Conringius, multique alii existimant, et naturalis rei vtriusque nexus videtur aliquem inter illas preces et hanc Legem consensum innuere. Sed et huic sententiae grauiter iterum intercedit Baluzius *Praef.* §. 24. ex fide Codicis MSCti Thuanaei et Collectionis Canonum Cardinalis Deusdedit, ex qua Capitulare, quod hanc Legem continet, Holstenius Romae edidit, asserens, hanc Legem iam ante Leonis IIII. tempora, et quidem Eugenii II. P. R. aetate latam esse. Sed vt ad Capitularia reuertamur, eorum per Italiam auctoritas multum iterum confirmatur Concilii Rauennatensis post initia Sec. X. sub Iohanne IX. P. R. celebrati verbis in *Can. 1. et 5. Si quis Sanctorum Patrum regulas et glorioſissimorum Imperatorum, Karoli videlicet Magni Imperatoris et Ludouici atque Lotharii, nec non et filii eius Ludouici, quae de Ecclesiasticis decimis in eorum Capitularibus statuta atque sancita sunt, non obseruauerit, et qui dat, et qui recipit, autoritate sanctae sedis Apostolicae et sanctione Synodi excommunicationi subiaceat.* Licet enim canon hic tantum de capitularibus, decimarum necessitatem imponentibus, adeoque non de omnibus loquatur, quod iam obseruauit Muratorius *Praef. ad T. I. P. II. Script. Rer. Ital.* nihilominus inde tamen Capitularium autoritas ea aetate etiam extra Germaniam Galliamque satis elucescit. Quae vlterius vel inde asseritur, quod veteres Canonum Collectores Regino, Burchardus, Iuo et Gratianus plura eorum capita suis collectionibus inseruerint. De Burchardo quidem Wormatiensi Baluzius *in Praefat.* §. 20. *et in not. ad Cap. passim*, vt et *in Praefat. ad Reginon.* §. 22. aliique grauiter queruntur, quod multa ex Capitularibus quidem hauserit, fontem autem ipsum non nisi vnico in loco, nempe *L. I. c.* 218. laudauerit, ne tunc quidem id forsan facturus, vti suspicatur Baluzius, nisi in margine addere potuisset, *de Episcopis Aquisgrani collaudatum.* Quae ex Capitularibus a Gratiano adoptata fuerint, optime euoluit Ant. Augustinus *de Emend. Gratiani L. II. Dial. 10. et 11.* Paucis adhuc notandum erit, quod, licet Capitularium per Germaniam autoritas Carolingorum tempore maxima atque firmissima fuerit, iudicia tamen in causis priuatis, praecipue secundum leges scriptas singularum prouinciarum, imo secundum mores singulorum pagorum, a Grauionibus atque Scabinis instituta fuerint, adeo vt iam tum magna iurium multitudo, et varietas deprehensa fuerit; quod iam, tanquam graue malum illorum temporum, obseruauit Agobardus *aduersus Legem Gundob. c. 4.* cuius verba notatu digna sunt: *Si non huic tantae diuinae operationis vnitati aliquid obsistat tanta diuersitas Legum,*

Source : BIU Cujas

quanta non solum in singulis Regionibus, aut Ciuitatibus, sed etiam in multis domibus habetur. Nam plerumque contingit, vt simul eant aut sedeant quinque homines, et nullus eorum communem Legem habeat cum altero. De Iudiciorum eius temporis forma optime agit Conringius *de German. Imper. Iudiciis §. 25. et seqq.* Imaginem Iudiciorum antiquorum fistit *Cent. Chartar. et Instrum. vet. Alam. Tit. 99.* vid. etiam *Tradit. Fuldens. L. I. nu. 100.* et *L. II. num. 152.* vbi praecipue notentur verba: *secundum legem eorum*, quae singularem eius comitatus vel pagi legem aut morem innuere videntur. Adde *ibid. L. II. nu. 158.* S.

Ad §. XXXXIII.

(127) Goldasti Constitutiones.

(127) Caute itaque legendae sunt Goldastinae illae Constitutiones, cum multae ex ingenio Goldasti prodiisse videantur, quod etiam obseruauit Conringius *de O. I. G. c. 17. p. 90.* Vide etiam Brunquell. *Hist. Iur. P. IIII. c. 4. §. 3. not. a.* S.

Ad §. XXXXV.

(128) Ad finem Citatio altera.

(128) De Henrico II. refert Ditmarus Merseburgensis *Chron. L. V.* apud Leibnit. *Rer. Brunsu. T. I. p. 368.* quod is Bernhardo Duci aliisque proceribus Saxoniae responderit: LEGEM *igitur* VESTRAM *non in aliquo corrumpere, sed vita comite malo clementer in omnibus adimplere, et vestrae rationabili, in quantum valeo, vbique animum adhibere.* Quae verba ego quidem de Lege Saxonum, de qua *ad §. 34.* actum est, vtique intelligenda esse arbitror, quorsum ea etiam refert Leibnitius *ibid. in notis;* nec est, cur cum Koppio *Hist. Iur. P. V. Th. 3. not. g.* de moribus potius, quam Lege scripta ea explicanda iudicem. S.

Ad §. XXXXVII.

(129) Baluzii citatio.
(130) (*Ad Heineccii Notam.*)

(129) Qui omnia mala, omnes calamitates, quae postea Germaniam pressere, huic Capitularium neglectui imputare non dubitauit *l. c.* Quae vera sit ratio, ob quam Capitularium per Germaniam vigor post Carolingorum tempora paulatim euanuerit, disquirunt viri docti; quam plerique optimo iure tribuunt, ab vna quidem parte studiis Procerum ad liberiorem potestatem, eamque hereditariam, et plane Legislatoriam tum aspirantium, et Capitularium vincula, quibus hi conatus comprimebantur, rumpere omnibus viribus tentantium; ab altera vero parte populi nisibus, qui ex his Procerum studiis opportunam occasionem auidus captabat, antiquata Capitularium autoritate, vsum Legum et morum antiquorum, plus licentiae et ferociae, quam illa, spirantium, aliquantum saltem per illa restrictum, plenius reducendi. Ad has res vberius illustrandas apprime faciunt Hertius *de Superiorit. Territor. Opusc. T. II.* Thomasius *de Statuum Imperii potestate Legislatoria contra Ius Commune.* Ludewigii *Germania Princeps Post Carolingica sub Conrado I. Opusc. Miscell. T. II.* et Gundlingius *de statu Reipubl. German. sub Conrado I.*

Source : BIU Cujas

rado I. Qui duo posteriores, non eadem quidem omnino via incedentes, ad eundem tamen finem tendunt. S.

(130) Cum in Concilio Triburiensi an. 896. vel 895. secundum Reginonem *Chron. L. II.* celebrato inter ea, quae tanquam vitae regulae proponuntur, longo ordine ibi commemorata, Capitularium nulla amplius mentio fiat, et verborum hic ex *Cap.* 21. Additionum, quae ex Codice MSCto Moguntino Libris Reginonis de disciplina ecclesiastica subiunguntur, exhibitorum autor vtique non sit ipse Regino, ad prima Sec. X. vel saltem, vti quidem Conringius credit *de O. I. G. c.* 18. *in f.* ad Conradi I. tempora potius referendus, qui nec Chronici Libros vltra annum 906. perduxit, vnde et *in Libro II. Chronici* eiusdem ante annum 907. dicitur: *Huc vsque Regino. Haec vero quae sequuntur addita fortasse sunt, ab alio quodam monacho*, atque ita verba haec potius sint incerti alicuius Continuatoris, fidem aliqui omnem iis prorsus denegant. vid. Struuii *Hist. Iur. c.* 6. §. 4. *in n.* Verum hoc Heineccii argumento fides Continuatori fere asseritur. Quae vero ex Concilio Triburiensi producuntur, ea quidem senescentem paulatim Capitularium autoritatem loquuntur, studia vero Imperatorum, Capitularia, vtpote suae potestati fauentia, conseruare nitentium vtique non excludunt. S.

Ad §. XXXXVIII.

(131) Legis interpretatio ab Ottone M.
(132) Ottonum leges.

(131) Rudis et crassae, si quae vnquam fuit, Iurisprudentiae, vel plane Legislatoriae artis specimen, obscurius a Sigeberto, clarius a Witichindo et Autore Magni Chron. Belgici ad annum Ottonis M. quartum refertur. Factorum veritatem duello decidi, seculi ferociam sapit atque superstitionem, sed moris recepti autoritate vtcunque excusatur. Controversias Iuris vero armis decidendas ab ipso Legislatore exponi, et ita nodum gordium non solui, sed gladio disrumpi, portentum rei est, et monstro simile, cuius vix aliud exemplum in tota antiquitate occurrit. Verba Witichindi ipsa de hac re legi merentur: *De legum quoque varietate facta est contentio, fuereque, qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemque legitime cum filiis sortiri, si forte patres eorum obiissent auis superstitibus. Vnde exiit edictum a Rege, vt vniuersalis populi conventio fieret apud villam, quae dicitur Stela, factumque est, vt causa inter arbitros iudicaretur debere examinari. Rex autem meliori consilio vsus, noluit viros nobiles et senes populi inhoneste tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni iussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios: et firmatum est, vt aequaliter cum patruis hereditatem diuiderent pacto sempiterno.* Vbi cum dicat, Ottonem noluisse *viros nobiles et senes populi*, forsan antiquo mori, quo nepotes inter filios in hereditate non computabantur, pertinacius inhaerentes, *inhoneste tractari*, vel ruborem ipsis, si disceptatione iuridice instituta et rationum pondere vtrinque bene supputato a contrariae sententiae patronis aeque iudicio vincerentur, suffundi, rationem iudicii duellici de quaestione iuris dirimenda instituti reddit, et Ottonem aliquantulum, si fieri potest, excusat. S.

(132) Earundem Additionum Moguntinarum, ex quibus Francofurtana Constitutio Ottonis M. §. praecedente allegatur, caput 22. aliam Ottonis M. Legem exhibet his verbis: *Inuentum est etiam coram praefato Rege, vt nulla Abbatia, quae per se electionem habet, ad monasterium, nec alicui in priuatum possit donari.*

Source : BIU Cujas

donari. Illae vero, quae electione carent, Regis donatione et priuilegio ad illud monasterium, quod sub eius mundiburdio conſtitit, ſurrogari poſſint. Ottonis II. Lex *de duobus reis ſtipulandi vel promittendi*, et Ottonis III. *de mancipiorum proprietate* a Goldaſto quidem exhibentur, pleriſque autem dubiae et ſuſpectae videntur. S.

Ad §. L.

(133) Regino Prumienſis.
(134) Burchardus Wormatienſis Ep.

(133) Gente Teutonicus, Abbas Prumienſis electus fuit anno 892. in locum Faraberti, *qui curam paſtoralem ſua ſponte per conceſſum Regis depoſuit*, vti ipſe Regino refert *Chron. Lib. II. ad ann.* 892. vbi ſimul fatetur, ſe ea dignitate non diu gauiſum eſſe, cum *aemulis agentibus Richarium, fratrem Gerhardi et Matfridi, inuidioſum* ſui *negotii ſucceſſorem ſuſtinuerit.* Promittit ibidem pleniorem rei narrationem, quae tamen non reperitur, ſiue quod citiore, quam ſperauerat, fato abreptus eam abſoluere non potuerit, ſiue quod eam ſuis quidem numeris abſolutam inde forſan abſtulerint illi, quorum intererat, famam eius rei non diuulgari, nec ad poſteros tranſmitti. Prolixiorem tamen eam fuiſſe colligimus ex eo, quod ipſe tam anxie veniam a lectore petat, *quod verboſus in hac relatione, vltra quam decuit, extiterit.* Abbatis officio deceſſit an. 899. vti ipſe teſtatur *in Chron. L. II. ad eundem annum*; addatur Trithemius *Chron. Hirſaug. ad ann.* 899. Chronicorum libros duos, non, vti *in praefatione ad Adalberonem Epiſcopum Treuerenſem* dicit, ad annum 908. ſed tantum ad annum 906. perduxit, v. *ſupra ad §. 47. n.* (130) ita et *Libros de diſciplina Eccleſiaſtica* eodem anno edidiſſe ab omnibus perhibetur. Qua autoritate freti huic anno maxime huius operis natales adſcribant viri docti, ego quidem non ſatis perſpectum habeo. Videntur vno ore omnes ſecuti Hildebrandum, primum huius operis editorem, vel Ioh. Morinum *in append. Libri de poenit. p.* 39. qui Epiſtola Formata Ratbodi, ad Rotbertum Metenſis Eccleſiae antiſtitem, qua huic Giſſemarum Presbyterum commendat, et altera Dadonis Virdunenſis Epiſcopi ad Ratbodum, qua huic Adruinum Presbyterum commendat, vtraque de an. 906. quae ab ipſo Reginone *de diſciplina Eccl. L. I. nu.* 426. *edit. Hildebrandinae, et* 437. *edit. Baluzianae* exhibentur, vnice moti videntur, vt ipſam huius operis editionem huic anno adſcriberent. Verum ipſa Hildebrandina editio eius epiſtolae Ratbodi annum 904. (ex errore tamen typographico forſan) exhibet; et ſi vel ipſum annum 906. Epiſtola illa Formata oſtenderet, ego tamen vim argumenti non caperem: Ratbodus alicui Clerico dedit Epiſtolam Formatam an. 906. et eodem anno aliam Dado ad Ratbodum. Ratbodi iuſſu editum eſt opus Reginonis. Ergo hoc opus prodiit an. 906. Haec ſane nihil probant, niſi quis ſimul oſtendat, Ratbodum non niſi vnico illo anno Eccleſiae Treuirenſi praefuiſſe, quod tamen fidei hiſtoricae omni contradicit, quae Ratbodum diu ante et poſt hunc annum Eccleſiam Treuirenſem gubernaſſe teſtatur. Annus mortis Reginonis etiam incertus. Hildebrandus eius mortem refert ad annum 909. Trithemius tamen eum adhuc anno 910. claruiſſe tam in *Libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, quam *in Catalogo Viror. Illuſtr.* affirmat. Conringius plane eum ad Conradi I. tempora perueniſſe ſcribit, quod etiam aſſerit Voſſius *de Hiſtor. Lat. L. II.* Illud certum eſt, eum depoſito Abbatis Prumienſis officio per plures adhuc annos in Treuirenſi monaſterio S. Maximini ſuperfuiſſe. Scripſit Libros hos *de diſciplinis Eccleſiaſticis*, vti inſcriptio antiqua titulum prae ſe fert, in vſum praecipue Eccleſiae Treuirenſis, quod

Source : BIU Cujas

quod *Lib. II. c.* 3. ostendit, vbi praecipitur, vt causae Synodales celari non debeant *Episcopo de Treueris aut eius misso*; nam cum editio Hildebrandina de Episcopo simpliciter loquatur, Baluziana ex veteri MSCto Parisiensi Patrum Oratorii addit *de Treueris*. Fontes, ex quibus sua hausit Regino, sunt Canones Conciliorum, Decreta Pontificum Romanorum, dicta SS. Patrum, Leges quaedam ex Codice Theodosiano, vel potius, ex Codice Alariciano, Capitularia Regum Francorum, Leges Burgundionum et Ripuariorum. v. Baluzii *Praef. ad Regin.* §. 8. Cuius etiam verba in *Praef. ad Ant. August. de Emend. Gratiani* §. 17. praecipue huc faciunt. *Regino Abbas monasterii Prumiensis, cum hinc pulsus se recepisset in monasterium S. Maximini Treuirensis, illic priuatam vitam agens libros duos de Ecclesiasticis disciplinis et religione Christiana scripsit circa annum 906. iussu Ratbodi Archiepiscopi Treuirensis, in quibus condendis vsus est praecipue canonibus antiquis et sinceris, Romanorum Pontificum Decretis, tum etiam, quanquam non admodum frequenter, pseudepigraphis epistolis ab Isidoro collectis, Capitularibus Regum Francorum, et dictis Sanctorum Patrum cet.* De Epistolis Pontificum Romanorum quae hic dicit Baluzius, ea is etiam in *Praef. ad Regin. l. c.* obseruauit. Primus fere videtur Regino fuisse eorum, qui Canones Conciliorum et Epistolas Pontificum non integras, sed in titulos et capita distributas ediderunt. De Reginone et eius libris praeter ipsum Reginonem *ll. cc.* agunt praecipue Sigebertus Gemblacensis *de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 112. Trithemius *in Chron. Hirsaug. ad ann.* 892. *et* 899. nec non *Libro de Scriptoribus Eccles.* vt et *Catalogo Virorum Illustrium*, Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, qui tamen eius Libros *de disciplinis Ecclesiasticis* non extare putauit, Vossius *l. c.* Morinus *l. c.* Hildebrandus *in Praef. ad Regin.* Baluzius etiam *in Praef. ad eundem*, nec non *in Praef. ad Anton. Augustinum de emend. Gratiani* §. 17. Strauchius *Amoen. Iuris Canon. Ecl. I. c.* 6. Conringius *de O. I. G. c.* 17. *et* 18. *in f.* Mastricht. *addend. ad Hist. Iur. Eccles. p.* 280. *l.* 12. Boehmerus *Iur. Eccl. L. I. T. II.* §. 11. Espenius *Operum P. V. Scoliorum in omnes Can. Concil. P. V. cap.* 1. §. 1. *et* 2. Vtilitatem librorum *de disciplinis ecclesiasticis* impense laudant Hildebrandus, Baluzius, Espenius, *ll. cc.* Hildebrandinae editioni de an. 1659. in 4. praestat Baluzii editio Parisina in 8vo non tantum chartae nitore et literarum elegantia, sed multis aliis maioris momenti commodis. I. enim collata est cum Codice MSCto vetustissimo, quem Morinus et Baluzius ipsi Reginoni supparem iudicarunt, cuiusque ab illo iam laudati Carolus Cointius, Congregationis Oratorii, vt ille, eruditissimus Presbyter, ex bibliotheca eius congregationis copiam fecit Baluzio. II. in margine sollicite annotatur, non tantum ex quo fonte singula capita hausta sint, sed et quid ex quouis capite in suos vsos retulerint, Burchardus, Iuo, Gratianus. III. subiunguntur notae Baluzii eruditissimae. IIII. additur Appendix Actorum veterum, quorum in notis mentio facta est. S.

(134) Burchardus, Hassus, parentibus non infimae dignitatis prognatus, prima educationis elementa ad Confluentes accepit, inde variis in locis literarum studiis vacauit, tandem Willigoso s. Willigiso, Archiepiscopo Moguntino se adiunxit, ab ipso morum sanctitate imbutus, atque per singulos ordinum gradus ad Diaconatum vsque euectus, *loco cuidam pauperrimo* ab ipso praepositus, hunc illo adiuuante maximopere auxit atque ornavit, ita vt Willigisus, perspecta eius diligentia atque probitate, eum *sibi familiarissimum eligeret*, et *camerae suae magistrum ac ciuitatis primatem* constitueret. Tandem crescente nominis fama in Ottonis III. Imperatoris notitiam peruenit, ab eo et successore Henrico Sancto non tantum multis beneficiis ornatus, sed et ab hoc maxime consiliis frequenter adhibitus et negotiis maximi momenti peragendis saepius admotus, adeo, vt ea etiam

Source : BIU Cujas

etiam inter rationes, quae festinationi operis sui obicem posuerunt, ipse alleget *in Prol. operis.* Tandem Franconi fratri suo, Episcopo Wormatiensi defuncto, post Erphonem et Raizonem, breuissimo dierum interuallo extinctos, successor datus, dignitatem oblatam, quamuis renitens, ex consilio Archiepiscopi Moguntini accepit, Conradi Salici Imperatoris gratiam postea etiam expertus, quem antea iuuenem *quasi adoptiuum nutriuit, et, quia stabilitatem animi in eo intellexit, multum dilexit.* vid. *Vita Beati Burchardi Ep. Worm.* ab Anonymo, qui ipsum *beatum patrem et charissimum seniorem suum* appellat, v. *Prologus in vitam B. Burchardi Ep. Worm.* ab initio, *et inter milites eius atque clientes nec non alios, qui aderant* vid. *Vita B. Burchardi* vers. fin. eius graviter aegrotantis et diei vltimae vicini suprema iussa excepit, conscripta. Decessit, vti post vitam eius ab alia, quam Biographi, manu notatur *Anno Domini* MXXIIII. vel V. A Baronio vero mors Burchardi ad annum 1026. refertur, quod cum Biographo melius conspirat, *qui post biennium, quam Rex* Conradus *in regni solium est sublimatus*, morbum et mortem Burchardi recenset. Cum autem mors Henrici et electio Conradi ad annum 1024. ab omnibus referatur, mors Burchardi necessario in annum 1026. incidit. Scripsit *Decretorum Libros XX.* qui titulus fronti operis praefixus est. *Collectarium Canonum* id opus vocat Autor *Vitae Burchardi.* Sigebertus Gemblacensis *de Script. Eccles. c.* 141. *et* 142. nec non in *Chron. ad an.* 1008. illud *magnum Canonum Volumen* appellat, quo nomine id etiam ornat Autor *Gestorum Gemblac.* in D'Acherii *Spicil. T. II. p. 763. edit. nou.* Trithemius *in Catal. Viror. Illustr.* illud *magnum volumen et insigne opus* vocat. A nomine Autoris id Decretorum opus etiam *Burchardus* quandoque nominatum fuit, quod testatur Sigebertus *de Script. Eccles. c.* 141. Cum autem, qui extra Germaniam id allegabant, autores nomen Burchardi saepius corrumperent, adeo vt vel ipse Raymundus in Codicibus MSctis *caput* 2. *X. de sponsa duorum* sub hac inscriptione: *ex Brochardo L.* 30. citet, quod ex *Burchardo L.* 19. *c.* 5. restituendum esse nota illi capiti subiuncta bene monet, hinc non tantum regulae Iuris, vti Damasi exemplo Strauchius et Heineccius docent, *Brocardica*, quasi *Burchardica*, appellantur, sed et ipsum Burchardi opus *Brocardici* nomine passim allegatur, vti cum Boetio Epone, apud Duacenses quondam Canonum antecessore primario *L.* 2. *de Iure Sacro* obseruat Espenius *Scol. in omnes Can. Conc. P. V. c.* 2. §. 3. *in f.* Sane *cap.* 1. *X. de frigidis et maleficiatis* allegatur *ex Brocardico Lib.* 18. atque *cap.* 8. *X. de Accus.* plane *ex Brocardico Lib.* 43. citatur, vbi nota iterum *ex Burchardo Lib.* 19. legendum contendit. Per abusum hodie hoc opus, ad exemplum forsitan Decreti Gratiani, etiam *Decretum* dici scribit Espenius *l. c. c.* 2. §. 1. Suscepit hoc opus Burchardus hortante Brunichone Praeposito Ecclesiae Wormatiensis, quod ipse *in Prologo* Operis, quem huic Brunichoni inscribit, disertis verbis fatetur, et Biographus ipsius confirmat. Rationes componendi operis allegat, *quod Canonum iura atque poenitentium formae in* sua *quidem dioeceſi adeo confusa sint atque inter se discrepantia, vt aut ex toto neglecta, aut omni pene autoritate destituta fuerint.* Adiutorem in hoc opere habuisse *Walterium Episcopum Spirensem* Burchardus dicitur a Biographo. Alii, vt Sigebertus, et Autor *Gestorum Gemblacensium*, Olberti s. Alberti, quondam Monachi Lobiensis, postea Abbatis Gemblacensis, operam, quam Burchardo in hoc opere perficiendo praestitit, tamquam adeo grauem et vtilem describunt, vt Autorum recentiorum aliqui, praecipue autem Baluzius *in Praef. ad Ant. August. de Emend. Gratiani* §. 18. atque Strauchius *Amoenit. Iur. Can. Ecl. 1. c. 6.* eorum verbis inducti maluerint Olberto potius, quam Burchardo, gloriam compositi operis vindicare. Verum, licet ipse vtique non exiguas in hoc opere partes Alberti fuisse existimem, non tantas tamen

Source : BIU Cujas

men eas merito dicerem, quae Burchardo plane autoris nomen denegare deberent. Autor *Gestorum Gemblacensium*, cuius praecipue verbis mouentur Baluzius atque Strauchius, licet laudibus Olberti, Abbatis Gemblacensis, canendis vnice ibidem intentus, quippe qui gesta Gemblacensia scribens, pro more eiusmodi Scriptorum, omnia suorum gesta maximis elogiis extollit, nihil grauius tamen dicit, quam quod *Olberto dictante et magistrante magnum illud canonum volumen centonisaverit* Burchardus. Sigebertus vero de *Script. Eccl. c.* 142. vbi et ipse Olberti laudes congerit, Burchardum vtique *Olberti magisterio ad hoc proiectum* dicit, *vt eius studio, ore, manu illud magnum canonum volumen ederet*; quod tamen modestius efferre et ad veritatis mensuram redigere videtur *in Chron. ad an.* 1008. dicens, quod *Burchardus magnum illud Canonum volumen ediderit, collaborante sibi in hoc magistro suo Olberto Abbate.* Omnia sane haec verba compositionis et editionis gloriam Burchardo tribuunt. Trithemius vero *l. c.* plane eundem insignis Operis Decretorum autorem laudat, nulla opis ipsi in eo latae mentione facta, antea saltem ipsum Olberti auditorem et discipulum quondam fuisse commemorans. Accedit *Vitae Burchardi* testimonium, Olbertum silentio plane praetereuntis, Burchardum vero tamquam autorem huius operis impense laudantis. Suffragantur Decretalium Collectores subsequentes, illam Decretorum Collectionem, expresso semper Burchardi, tanquam autoris, nomine allegantes; adeo vt, si horum argumentorum computus bene ineatur, opus illud Decretorum Burchardo iure meritoque vindicetur. Quae vero de opera ab Olberto in erudiendo adiuuandoque Burchardo praestita a veteribus dicuntur, ea recentiorum aliquos, magni etiam nominis viros, in eam forte opinionem deduxerunt, vt, quasi fide illorum, Burchardum Lobiensem monachum fuisse, et tunc quidem Olberto etiam Lobiensi tum monacho praeceptore et magistro vsum esse, minus caute assererent. Ita sane Bartholomaeus Fisen in *Floribus Eccles. Leod. p.* 328. scribit, Burchardum, cum Lobii hoc tempore monachus Olbertique auditor esset, *tantam literarum cognitionem attigisse, vt incredibili Christianae reipublicae bono descriptum in viginti libros decretorum volumen luci dederit.* Huius verba allegat ipsisque subscribit Baluzius *in Praef. ad not. in Ant. August. et Grat. §.* 18. Hunc sequitur Gerhardus von Mastricht, qui *in Hist. Iur. Eccles. p.* 280. *n.* 248. Burchardum *primum Lobii monachum et discipulum Olberti, monachi Lobiensis, et postea Abbatis Gemblacensis* distertis verbis appellat. Accedit Espenius *l.* 2. *c.* 2. *§.* 1. qui, quasi ex fide Trithemii, Burchardum *ex Monacho Lobiensis Monasterii, Ordinis Sti Benedicti, Episcopum Wormatiensem in Germania, Alberti, Gemblacensis Abbatis, apud Lobias quondam auditorem atque discipulum* vocat. Verum Burchardum vnquam Lobiensi monasterio adscriptum fuisse, nullus veterum, etiam eorum, qui eum ab Olberto institutum dicunt, asserit. Sigebertus sane tribus illis locis, quae allegauimus, Burchardum eiusque opus, et in horum duobus etiam Olberti opem laudans, nusquam tamen Burchardum Lobiensem monachum et in Lobiensi monasterio ab Olberto institutum fuisse commemorat. Nihil horum omnino Autor *Gestorum Gemblacensium.* Trithemius vero *in Catalogo Vir. Illustr.* Burchardum quidem monachum ordinis S. Benedicti et Alberti quondam auditorem et discipulum fuisse scribit, sed de Lobiensi monasterio ne verbulum quidem addit. Autor vero *Vitae B. Burchardi*, qui tamen hunc per omnes vitae epochas presso pede sequitur, eum Lobiensem monachum vnquam fuisse alto silentio premit, imo de ipso alia omnia dicit, quod *apud Confluentiam canonice primum nutritus, deinde per loca diuersa causa studii directus, postea vero Willigoso Moguntinensis sedis venerabili Archiepiscopo se adiunxerit, illiusque salutari sapientia repletus et secundum suos nobiles mores imbutus, per singulas graduum scan-*

Source : BIU Cujas

siones ad diaconatus ordinem ab Archiepiscopo sublatus et loco cuidam pauperrimo praepositus fuerit; quod *Willigosus* eum *sibi familiarissimum* elegerit *et suae camerae magistrum ac ciuitatis primatem constituerit*, a quo tempore ipse, vti et antea, lateri Archiepiscopi perpetuus fere comes adhaesit, quae omnia Lobiensem eum monachum fuisse non obscure negant. Nec ex eo, quod Lobiensis monachi discipulus fuerit, probatur, et ipsum Lobiensem monachum fuisse et in Lobiensi monasterio studiis incubuisse literarum. Rem enim totam satis distincte explicat Autor *Gestorum Gemblacensium* his verbis: *Ea tempestate Burchardus quidam in Wormacensi ciuitate datus erat Episcopus, vir cum Episcopali honore non indignus, tum pro iuuenilis aetatis feruore literarum studiis opportune intentus. Is Baldrico iuniori Tungrensium Episcopo fiducialiter mandat (eius nempe contubernalis et amicus in palatio Regis fuerat) vt sibi aliquem literali scientia praeditum dirigat, cuius ope et doctrina ipse in eruditione Scripturarum proficere valeat. Quis tanto viro mitti dignus esset, diligenter quaeritur, et tandem ad hoc nullus Olberto magis idoneus inuenitur, et bona omnium de eo aestimatione ad vrbem Vangionum dirigitur: honorifice ab Episcopo susceptus, magnam cum eo familiaritatis gratiam est adeptus. Episcopus nobilis et potens non dedignatur se submittere ad formam discipuli: monachus humilis et peregrinus non timet tanto viro operam exhibere magistri: et reuera necessarium illi erat, vt politus esset ad vnguem multiplicis doctrinae artificio, cuius laus et aestimatio pendebat a tam sapientis discipuli subtili iudicio. Quantum autem vir tantae autoritatis ex Olberti doctrina profecerit ex actibus eius aestimandus erit, de quo satis constabit, quod illa aetate in Scripturarum eruditione vnice claruerit, quod vel in hoc satis probari poterit, quod opus sanctae Ecclesiae nimis vtile elaborauit, dum Olberto dictante et magistrante magnum illud canonum volumen centonisauit, et quasi collectis floribus omniformis generis de prato scripturarum coronam pretiosiorem auro et topasio in edito Ecclesiae collocauit.* Ex his omnibus colligimus 1) Burchardum non fuisse Monachum Lobiensem, 2) ab Olberto Lobiensi monacho quidem, non tamen in Lobiensi monasterio, sed, cum ipse iam Episcopus esset, in suo Wormatiensi Episcopatu eruditum fuisse, 3) ipsum ab Olberto quidem adiutum, operis tamen Decretorum autorem esse, 4) id ipsum, cum iam Episcopus esset, conscripsisse; quod vltimum disertis etiam verbis testatur Autor *Vitae B. Burchardi*, qui eum in sylua, (quam ipse *Foreſtum ſyluam* nominat, quaeque in priuilegio Conradi Regis huic Vitae subiuncto *Foreſtus in Foreheh* dicitur) duobus miliaribus a Wormacia distante, vbi cellam sibi exstrui curauerat, *post Concilia Regiaque colloquia, et post curam Synodalem diuersosque mundi strepitus, negociis secularibus post tergum proiectis, totis viribus in obsequio Dei studuisse* et *eodem tempore in Collectario Canonum non modicum laborasse* obseruat. Opus suum Burchardus libris viginti distinxit, quorum quilibet in sua iterum Capita seu Canones distinguitur, ita tamen, vt singula Capita seu Canones singularibus suis titulis ornentur. v. Gerh. von Mastricht *Hist. Iur. Eccles. p.* 282. *n.* 250. Ex quibus autem fontibus omnia petita sint, ipse Burchardus nos docere vult in syllabo, quem Prologo sui Operis subiecit: *Ex Canonibus, qui Corpus Canonum vocantur. Ex Apostolorum Canone. Ex transmarinis Conciliis. Ex Conciliis in Germania, Gallia, Hispania celebratis. Ex Romanorum Pontificum Decretis. Ex Euangelicis Apostolicisque scripturis. Ex Veteri Testamento. Ex libris Sancti Gregorii. Ex Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Benedicto, Basilio Magno, Isidoro. Ex Poenitentiali Romano. Ex Poenitentiali Theodori. Ex Poenitentiali Bedae.* Non tamen omnes omnino fontes, ex quibus aliquid in opus suum deriuauit Burchardus, ipse indicasse videtur. Ex Capitularibus enim quod multa hauserit Burchardus, eorum autem mentionem nonnisi vno in loco fecerit, sed potius ea,

quae

Source : BIU Cujas

quae inde hausit, aliis fontibus adscripserit, passim notarunt viri docti. Ipsi id obseruant Correctores Romani. Maximopere autem de hac re queritur Baluzius *in Praef. ad Capitularia* §. 20. *et in notis ad ea passim; in Praef. ad Reginonem* §. 22. ibique iterum *passim in notis*; nec non *in notis ad Gratianum* pluribus etiam locis, praecipue *p.* 825. *in f.* 826. 837. 839. *et sqq.* 844. v. etiam, quae supra notauimus *ad* §. 42. *nota* (126) *p.* 517. Rationem, qua motus Burchardus Capitularium nullam fere mentionem fecerit, licet ea frequenter in suos vsus verterit, hanc fere fuisse suspicatur Espenius *l. c. c.* 2. §. 3. quod *in Germania versatus sit eo tempore, quo Francorum nomen parum ibi gratum* erat, quam iam indicauerat fere Baluzius *in Praef. ad Cap.* §. 20. *et ad Reginonem* §. 22. Ea etiam, quae ad fontes a Burchardo indicatos originarie referri possunt, plerumque ipsum non ex ipsis fontibus hausisse, sed aliis iam Collectionibus, a se tamen non laudatis, inserta in suos vsus traxisse passim notatur. Sane hoc ipsi iam exprobrauit Antonius Augustinus *de Collect. Canonum c.* 27. Addatur Baluzius *ll. cc.* Strauchius *Amoenitat. Iur. Can. Ecl.* 1. *c.* 6. Gerhard. von Mastricht *l. c.* Espenius *l. c.* Boehmerus *Iur. Eccl. L.* 1. *T.* 2. §. 12. Reginonis praecipue opera, eius tamen nomine non laudato, ita vsus est frequenter, vt et errata ipsius imitatus sit, quod praecipue luculentis exemplis ostendunt Baluzius *Praef. ad Regin. l. c.* et Espenius *l. c.* §. 2. Ex Pseudo-Isidori Epistolis suppositiciis multa eum in suos vsus transtulisse notant Autores allegati, cuius rei exempla bene multa producunt Blondellus *Pseudo-Isid. Prol. c.* 18. et Gerh. von Mastricht *l. c. p.* 287. *et sqq. num.* 254. Nec tamen ego malam Burchardi fidem cum Baluzio *ll. cc.* accusarem. Omnia sane Veterum de Burchardo testimonia pietatem singularem morumque puritatem in eo impense laudant, et quaecunque ipse posteritati reliquit monumenta, *eam* etiam non obscuris indiciis loquuntur. Eum adhuc aetatis robore florentem insigni hoc elogio ornat Biographus: *Post primaeuum iuuentutis florem omni bonitate refulsit praeclarus, in iusto stabilis, in commisso fidelis, in consilio prouidus, in prosperis non elatus, in aduersis non turbatus, sublimioribus obediens, egenis compatiens, miseris affabilis, misericors subditis, multum largus, moribus honestissimus, atque in omni opere strenuus.* Quanto pietatis studio, cum huic ipsi operi colligendo incumberet, in sylvam secesserit, ex iis, quae supra ex Biographo allegata sunt, verbis abunde constat. Hinc errores, quos in sua Collectione commisit Burchardus, seculi magis infelicitati, quam ipsius fraudi, imputarem, lubens Espenii iudicio hac in parte subscripturus, qui *l. c.* §. 1. *in f. et* §. 2. *ab init. Hoc vnum dolendum*, inquit, *Burchardum pro seculi sui obscuritate et incuria, nullum pene habuisse scriptorum delectum, sed omnia, quae suo scopo videbat congruere, in vnum congessisse; opusque suum multis apocryphis et falsis inscriptionibus impleuisse. Ea erat seculi, quo floruit Burchardus, miseria, vt authenticum crederetur fere, quicquid in Canonum, aut aliorum monumentorum Collectionibus inueniebatur. Hinc in more positum erat, non ad ipsos fontes recurrere, sed solas Canonum Collectiones reuoluere; et quidquid in iis pro materia, quam tractare volebant, opportunum videbant, tanquam authenticum arripiebant: vti recte notauit Antonius Augustinus.* Cum Burchardus opus suum in Dioeceseos suae tantum vsum consarciuaverit, vti ipse in sua ad Brunichonem epistola testatur, adeo vt *si* suae *prouinciae limites non exiturum sit, nihil omnino aegre se* laturum dicat, *modo suorum ministrorum manibus teratur*, nec constet, illud vnquam vim Legum publicarum siue per Papam siue per Caesarem accepisse, hinc id inter libros Legum Germanicarum vniuersalium computari posse merito negat Conringius *de Orig. Iur. Germ. c.* 19. *p.* 193. alios tamen *sine dubio lecto hoc libro propter auctoritatem eorum, vnde haec Burchardus collegit, res Ecclesiasticas secundum hanc normam instituisse, adeoque hactenus*

Source : BIU Cujas

opus hoc ad Ius Germaniae eius aeui pertinere, non sine ratione existimans. Ea sane autoritate id Sigeberti iam aeuo ex eadem ratione gauisum esse ipse *de script. Eccles. c.* 141. non obscure his verbis indicat, de Burchardo dicens, quod is opus suum *testimoniis omnium authenticorum conciliorum et decretis Romanorum Pontificum, et sententiis omnium pene Patrum Catholicorum auctorizauerit*, atque ex hoc *adhuc omnium conciliorum decreta autorizentur*. S.

Ad §. LX.

(135) Ius Romanum sensim in Germaniam viam sibi muniuit.

(135) Prudenter sane A. N. dicit, quod Ius Romanum hoc tempore (Sec. XII.) *sensim viam sibi in Germaniam muniuerit*, non vero, quod integrum vno actu iam tum a Germanis receptum atque legali per Germaniam autoritate donatum fuerit. Quae enim de Lothario II. Imperatore, Ius Romanum in scholas et fora Germaniae introducente, vulgo iactari solent, ea iam supra *L. I. §.* 413. a nobis discussa sunt. Ipsa vero Iuris Romani in foris Germaniae receptio his fere mediis et gradibus processisse videtur. Cum Ius Romanum ante medium saeculi XII. in Italia cum magna sui et docentium fama explicari coepisset, atque Germanorum studiosa iuuentus, rei nouitate excitata, certatim in Italiam ad audiendos Iuris Antecessores conuolasset, illa Iuris Romani placitis tandem probe imbuta, reduxque in patriam, ob eruditionis Iuridicae, qua nunc pollebat, praestantiam, antea inter Germanorum iuuenes plane inauditam, negotiis iudicialibus (quod olim iuuentuti Germanicae negatum fuerat) admota, litibus in foro decidendis, prout ex penuria et ambiguitate Iuris patrii opportuna adsciscendi peregrini occasio nascebatur, nunc has, nunc illas Iuris Romani regulas sparsim, nec tam sub legis iubentis cogentisque, quam aequitatis et *Rationis scriptae*, suadentis tantum et aliquando conuincentis, specie adhibuit, indoctorumque Iudicum, quibus tum Germania adhuc vbique vtebatur, nequicquam obnitentium conatus facile repressit. Primis hisce Iuris Romani studiosis Germanis ex Italia discedentibus cum alii semper atque alii succederent, hi quidem ad patrios lares tandem etiam reuersi, officiisque publicis et ipsi admoti, in tribunalibus Germaniae, Iuri peregrino iam satis assuetis, integram nunc Iuris Romani compagem liberius sane atque frequentius allegare coeperunt, nondum tamen autoritate legali munitam. Tandem vero Ius Romanum ab ipsis Imperatoribus, eius receptioni apprime fauentibus, tanquam Ius commune Germaniae agnitum, et hoc nomine in decidendis causis adhibitum et adhiberi praeceptum est; cuius tamen rei publica testimonia, Ludouico Bauaro antiquiora, inuenire nobis, quod fatemur, nondum licuit. Vt vero haec omnia clariori luci exponantur, operae pretium est, in causas, quae Iuri Romano, in Germaniae fora sensim irrepenti, faciliorem viam aperuerunt, altius inquirere.

Prima earum fuisse videtur ipsa rei nouitas, non tantum quod sua virtute animos hominum in sui contemplationem et vsum facile rapiat, sed et quod rei iudiciariae Germanorum, quae ea tempestate fuerat, mutandae opportunam plane occasionem praebuerit. Laborabat eo tempore Germania penuria Legum. Capitularia Regum et Imperatorum ex gente Francorum iam pridem ex foris Germaniae discesserant. v. *supra L. II. §.* 47. Leges antiquae Germanorum post Capitularium e foris discessum, quasi postliminio in liberiorem vsum reuocatae, vel iam consenuerant, vel saltem hac tempestate consenescere incipiebant, et, quod maxime notandum est, nunquam Le-

Source : BIU Cujas

Legum vniuerſalium autoritatem aſſecutae erant. Rariora ſane illarum in monumentis ſaeculi XII. vltra ſui medium progreſſi veſtigia deprehenduntur, facie rerum tam publicarum, quam priuatarum in Germania multum omnino iam tum mutata ab ea, quae fuerat, cum Leges illae conderentur. Quid multa? Germanos anno 1175. SINE LEGE *voluntatem* PRO IVRE *ſtatuere* ſolitos fuiſſe, et 1187. Pacem Publicam in Conuentu Norimbergenſi a Friderico I. ſancitam atque in literis redactam, *Friede-Brief*, *literas pacis appellaſſe*, NEC ALIIS LEGIBVS VTI, *tanquam gentem agreſtem et indomitam* Conradus a Lichtenau, Abbas Vrſpergenſis diſertis verbis teſtatur. Neque tamen ego omnem Legum antiquarum virtutem iam ſaeculo XII. plane exaruiſſe dicerem. Contrarium docent vel ea, quae de Lege Salica diximus. v. *ſupra L. II. §. 8. in f. add. A. N. L. II. §. 51.* Et quae in Specula Saxonicum et Sueuicum poſtea tranſierunt, Legum antiquarum capita, ſane illarum non nullum in Germania vſum ad tempora vſque, quibus haec ſpecula nata ſunt, fuiſſe loquuntur. Verum, licet non negemus aliquem Legis Salicae vſum pluribus gentibus communem his temporibus ſuperfuiſſe, probe tamen conſiderandum vtique videtur, quod ex iis, quae ſupra producuntur, exemplis, vix vnum ad Germaniam, de qua nos tamen hic vnice loquimur, ſpectet, et quod reliquiae quaedam Legum vſu adhuc ſeruatae plenum earundem Legum vigorem in foris non doceant. Quis neſcit, et hodie in re maximi momenti ad aliquod Legis Salicae caput prouocari ſolere, cum tamen totam eius Legis compagem hodierno fori vſu gaudere nemo ſanus aſſerat. Ita nec ex eo, quod aliquae Legum antiquarum reliquiae in Speculis Saxonico et Sueuico deprehendantur, facile probari poterit, eo, quo hae Collectiones condebantur, tempore adhuc plenum Legum illarum antiquarum vſum viguiſſe, cum illa, quae in Speculis iſtis occurrunt, Legum illarum capita non tam ſub *Legis ſcriptae*, quam *moris antiqui* ſpecie ad horum Speculorum aetatem peruenerint, et hoc potius, quam illo nomine, iis ſine dubio inſerta fuerint. Quid quaeſo profeciſſent priuatae Iuris Saxonici et Sueuici Collectiones, ſi integri Legum ſcriptarum Codices expreſſa Legiſlatoris autoritate muniti in tribunalibus Germaniae promiſcue ſuperfuiſſent. Expertae fere videntur Leges Germanorum antiquae fatum non multum diſſimile illi, quod Legibus Regiis Romanorum poſt Reges exactos incubuit, quarum aliquae reliquiae in illo Legum ſilentio ſub nomine moris antiqui conſervatae vſum interea in foro obtinuerunt, donec Legibus XII. Tabularum ſub eodem nomine inſererentur. Hanc Legum penuriam cum minori moleſtia forſan ferre potuiſſet Germania, ſi priſtina ſimplicitate adhuc vixiſſet. Verum illa, acceſſione aliarum gentium aucta, aliarum commerciis mixta, peregrini moris iam tum ſatis appetens, ab antiqua morum ſanctimonia iam non parum defecerat. Internecina, quae naſcebantur, Guelphorum Gibellinorumque odia, frequentes in terram ſanctam expeditiones, rebus domeſticis ſemper graues, frequentiam litium, et ita maiorem iudiciorum neceſſitatem producebant. Accedebat, quod Iuris manuarii, quo omnium litium nodi gladio dirimebantur, licentia per Pacis Publicae Conſtitutiones aliquantum repreſſa plus negotii, quam antea, Iudicibus nunc permitteret. Fortiorem horum incommodorum ſenſum Germania incuſſit ſumma Iuris patrii, ſi quod fuit, et arbitrarii, quod fori regimen tum maxime obtinuiſſe videtur, addiſcendi difficultas, ſcholis Iuris per Germaniam nullis, ante erectas ibidem ſaeculo XIIII. Academias, inſtitutis, ita vt non niſi longo rerum vſu et experientia ad Iuris ſcientiam, ſenioribus vnice ſeruatam, adſcendere datum eſſet. In tanta igitur negotiorum forenſium multitudine, Legumque inopia, cum ne Iuris quidem patrii addiſcendi copia iunioribus fieret, ad peregrini vero Iuris ſcientiam

ſibi

Source : BIU Cujas

sibi comparandam facilis omnibus in vicinia aditus panderetur, quis non sponte sua crederet, Germanos praecipue iuuenes opportunam ad ea peruenienti, quae sibi in patria negata erant, occasionem auide arripuisse, viamque ad Iurisprudentiam et coniungendas mox cum illa, vt sperabant, dignitates togatas sibi nunc vbique patentem propere incessisse, suaeque ita ignorantiae et ignominiae patriarumque Legum paupertati studio et exercitio peregrini Iuris commode consuluisse.

Altera, quae Romani Iuris in Germania progressus vehementer adiuuit, causa quaerenda est in insigni Imperatorum studio, huic Iuri, rebus suis augendis apprime idoneo, impense fauentium, quos fere omnes a Friderico I. in fouendo pleniusque introducendo Iuris Romani vsu multum desudasse deprehendimus. Fridericus I. sane acutissimi princeps ingenii, rebusque suis augendis studiose intentus, et altiores omnino spiritus agens, cum insignem ex huius Iuris principiis, pro absoluto Imperio Imperatoribus asserendo fortissime pugnantibus, Iurisconsultorumque consiliis, iidem vnice addictis, vtilitatem se capturum probe perspiceret, in id operose incubuit, vt non tantum Iuri Romano plenum in Italia vigorem restitueret, omniaque ibi ad huius Iuris normam et Iurisconsultorum consilia componeret, sed et Germanorum ingenia ad frequentiorem Iuris Romani vsum adhibendum omnino inflecteret, aut, vti Ludewigius *Sing. Iur. Publ. Praef. §. 5. p. 36.* loquitur, *vt optima allicerentur ingenia ad implendum animos* LEGIBVS ROMANIS, MAIESTATIS CAESAREAE SVSTENTACVLIS. Cuius quidem Ludewigii *§. 6. ibid.* et maxime *Praef. ad Consil. Hallens. §. 25. et sqq.* ad ea, quae hic dicuntur, illustranda multum faciunt. Quantas res ope Iuris Romani et Iurisconsultorum in Italia gesserit Fridericus I. testatur historia *Curiae generalis*, a Radeuico *de Gest. Frid. I. Imp. L. II. c. 1. et sqq.* diligentissime conscripta, cui fere in omnibus subscribit Guntherus *Ligur. L. VIII. v. 380. et sqq.* Addatur Otto de S. Blasio *Append. c. 14.* et Otho Morena *de Rebus Laudensibus* apud Leibnit. *Script. Rer. Brunsuic. T. 1. p. 818.* Quam curiam generalem Imperator *omnibus Italis Ciuitatibus, et primoribus apud Roncalias in festo beati Martini* (an. 1158.) *indixit*, eo nimirum animo, vt ibi *Leges pacis promulgaret, et de iustitia regni, quae multo iam tempore apud illos obumbrata in desuetudinem abierat*, PERNECESSARIA SAPIENTVM COLLATIONE (Iurisconsultos suos quatuor sibi, vt mox videbimus, deuotissimos hoc nomine designans) *dissereret, diuque obsoletam elucubraret.* v. Radeuic. *ib. L. I. c. 46.* In his comitiis praeter Italiae *Duces, Marchiones, Comites et Proceres, Consules et Ciuitatum Iudices*, nec non plures Italiae Praelatos, v. Radeu. *L. II. C. 1. et 3.* aderant etiam Proceres Germaniae plurimi, et quidem ex Ecclesiasticis *Fridericus Archiepiscopus Colonienſis, Eberhardus Babenbergenſis Episcopus, Conradus Eistetenſis, Daniel Pragenſis, Gebehardus Herbipolenſis, Hermannus Verdenſis* v. Radeu. *L. II. C. 3.* et ex saecularibus non pauci. Licet enim Imperator, antequam haec comitia initium caperent, *magnam partem exercitus cum suis Optimatibus ad propria redire permiserit*, v. Radeu *L. I. C. 44.* tamen horum, quibus in patriam redire permissum fuit, nomina conferantur cum iis, qui ipsum in Italiam euntem comitati dicuntur a Radeu. *L. I. C. 25.* multos adhuc in eius comitatu superfuisse facile deprehendimus. Antequam Imperator solenni oratione Comitia auspicaretur, de rebus ibi agendis deliberationem cum *Episcopis et paucis admodum Principibus* instituit, cui deliberationi etiam Iuris Romani celeberrimos eo tempore Doctores, Bulgarum, Martinum, Iacobum et Hugonem adfuisse docemur ex iis, quae commemorantur ab Othone Morena *de Rebus Laudens. p. 818.* Ottone de S. Blasio *Append. c. 14.* et Gunthero *Ligur. L. VIII. v. 456. et sqq.* cuius praecipue verba id clarissime docent:

Ergo

Source : BIU Cujas

Ergo sacros tantum Patres, IVRISQVE PERITOS,
Et de Principibus paucos, quibus ipse timorem
Norat inesse Dei, taciiis Fridericus adaptans
Colloquiis, triduo secreta negotia toto
Rimatur, IVRISQVE VICES, LEGVMQVE TENOREM
Consulit cet.

Licet itaque Radeuicus huius deliberationis, Comitialia negotia praeparantis, mentionem faciens hos Iuris Doctores illi adhibitos fuisse disertis quidem verbis non doceat, ex iis tamen, quae ipse *L. I. c. 46. II. c. 5.* dicit, facile omnino colligitur, nihil in illis Comitiis, quod alicuius momenti esset, sine illorum vel opera vel consilio gestum fuisse. Agebatur autem praecipue in illa deliberatione de tribus capitibus, quae in ipsis Comitiis mox agitanda erant, nempe I. *de antiquis Legibus renouandis nouisque promulgandis*, v. Otto de S. Blasio *c.* 14. quarum illae quidem eo tempore in Italia vix alias, quam Romanas, denotare poterant, hae vero Feudalem alteram, alteram de pace seruanda, in iisdem Comitiis mox ferendas sine dubio indigitabant; II. de Pace publica constituenda, siue, *vt Ecclesiae Dei pacis tranquillitate gaudeant* v. Radeu. *L. II. c.* 3. et III. de Iure Imperatoris in Italiam plenius asserendo atque Regalibus omnibus Imperatori vindicandis; siue *vt ius regale decusque Imperii debito prouehatur honore* v. Radeu. *ib. c.* 3. vel, *quo iuris genere Ciuitates Italicae subiacerent Imperio*, v. Otto de S. Blasio *c.* 14. vel tandem, *vt indicarent sibi omnia Iura Regalia, quae ratione Imperii in Lombardia ad ipsum spectarent, et sua esse deberent*, v. Otto Morena *de Rebus Laud. p.* 818. Consiliis itaque per triduum integrum sollicite captis, cum omnia nunc ad desiderium Imperatoris, ope praecipue Iurisconsultorum, probe dispositа essent, quarta tandem die Imperator in publicum procedens, oratione ex verbis et mente Legum Romanarum, ab ipsis forsan Iurisconsultis composita, et ad vniuersum coetum per Interpretem habita, animi sui sensa aperuit, eaque aures auditorum sub insigni, quam spirabat, aequitatis specie demulcere, atque, vt moderationem animi sui admirarentur, hoc maxime argumento inducere voluit, quod cum ipse *Legibus solutus* esset, v. Günther. *Ligur. L. VIII. v.* 475. Legibus tamen viuere, (vbi sine dubio ad *L.* 31. *D. de LL. et SCtis*, *L.* 23. *D. de Legat.* 3. *L.* 4. *Cod. de LL. et Constit. L.* 3. *Cod. de Testam.* digitum intendit) et non tam ad arbitrium, quam ad Legum normam omnia componere secum constituerit. Inde, cum eos, quos consiliis adhibuerat, Leges, quas rogare vel renouare volebat, aliis etiam suasuros, hosque vel rationum pondere victos, vel reuerentia erga Principem motos, sua sponte in assensum ruituros esse confideret, tum vero se ex totius coetus consilio Leges et restituturum et laturum esse, promisit, ac, vt de his rebus omnes consilia inirent, imperauit, apud Güntherum *Ligur. L. VIII. v.* 485. ita loquens:

Consulite in medium, quas me vel ferre recentes
Vel senium passas Leges renouare velitis.

Inter singularia autem beneficia, quae a se Italiae iam praestita dicit, maxime refert ea, quae ad promouendum Iuris Romani in Italia vsum iam ipse molitus esset, inde *Nostis*, inquit, *quod* IVRA CIVILIA *nostris beneficiis in summum prouecta, firmata ac moribus vtentium approbata satis habent roboris.* De aliis vero Legibus, quas nunc in Comitiis renouare meditabatur, ipsa Iustiniani verba in *Prooem. Instit. §.* 5. sua faciens, dicit, id *quod* in iis *antea obtinebat et postea desuetudine inumbratum est, imperiali remedio, ipsorumque* (quod modeste addit) *prouidentia necesse habere illuminari* v. Radeu. *L. II. c.* 3. De Iuribus Imperii autem restituendis quae meditabatur, sat clare innuit his verbis: *sed nec per nostram desidiam quenquam eius gloriam et excellentiam imminuere patiemur.* Cum Imperatoris prudentia

Source : BIU Cujas

dentia atque facundia omnes in admirationem et ſtuporem raperet, eamque omnes immenſis laudibus certatim extollerent, praecipue Archiepiſcopus Mediolanenſis, quem Vbertum nominat Morena, expectationi et voto Imperatoris ex aſſe reſponſurus, eum impenſe laudat, quod de rebus non ex arbitrio, ſed ſecundum Leges, gerendis ſalutaria conſilia iniiſſet; et, vt Imperatoris gratiam eo certius ſibi conciliaret, orationem ſuam ipſis Iuris Romani floſculis diligenter exornans ex eiuſdem Iuris principiis abſolutiſſimum ipſi Imperium in Italiam verbis Vlpiani in *L. 1. pr. et §. 1. D. de Conſtit. Princ.* et Iuſtiniani *Inſtit. de I. N. G. et C. §. 6.* vindicat, Legumque ferendarum omnes partes vni Imperatori aſſerit. *Scias itaque omne ius populi in condendis Legibus tibi conceſſum. Tua voluntas Ius eſt, ſicuti dicitur: quod Principi placuit, Legis habet vigorem, cum populus ei et in eum omne ſuum imperium et poteſtatem conceſſerit. Quodcunque enim Imperator per epiſtolam conſtituerit, vel cognoſcens decreuerit, vel edicto praeceperit, legem eſſe conſtat.* Vtque etiam ad Regalia reddenda, de quibus vindicandis Imperatorem iam conſilia iniiſſe ſciebat, animos reliquorum praepararet, rem totam ex regula Iuris Romani, adhibitis ipſis Pauli verbis in L. 10. *D. de Reg. Iur.* decidit: *Secundum naturam eſt, commoda cuiuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda.* v. Radeu. *L. II. c. 4.* Cum autem nunc de Regalibus definiendis et vindicandis ageretur, quatuor illi Bononienſes Iuriſconſulti, accitis, vt inuidiam huius rei ex parte a ſe amolirentur, duobus ex quauis Lombardiae Ciuitate Iudicibus, numerum 28. complentibus, v. Otho Morena *l. c. p. 818. et ſqq.* ipſis etiam Mediolanenſibus conſentientibus et exemplo praeeuntibus, Imperatori *adiudicarunt Ducatus, Marchias, Comitatus, Conſulatus, monetas, telonia, fodrum, vectigalia, portus, pedatica, molendina, piſcarias, omnemque vtilitatem ex decurſu fluminum prouenientem, nec de terra tantum, verum etiam de ſuis propriis capitibus cenſus annui redditionem.* v. Radeu. *ibid. c. 5.* Quantum ex hac ſententia Iuriſconſultorum rebus fiſcalibus Imperatoris incrementum acceſſerit, res ipſa docet. *Ex his* enim, *qui nullo Iure, ſed ſola praeſumptione* (praeſcriptione) *de Regalibus ſe intromiſerant, XXX. millia talentorum plus minuſue reditibus publicis per ſingulos annos acceſſere.* v. Radev. *ibid.* Acceſſerunt et alia Iura, tanquam neceſſariae abſoluti Imperii ſequelae, Ius conſtituendi *in ſingulis* Italiae *Ciuitatibus, poteſtates, Conſules, caeteroſque magiſtratus.* v. Radeu. *ibid. c. 6.* Imo omnem omnium Iuriſdictionem omneſque magiſtratus Principe in Italiam veniente ceſſare, et ex iis, quae vnuſquiſque haberet, bonis, quicquid vſui eſſe poſſet exercitui, id praeſtandum eſſe Imperatori, iam ad annum 1154. docet Otto Friſingenſis *de Geſtis Frider. I. Imp. L. II. c. 12. p. 454. edit. Wechel.* Verba ſunt notatu digniſſima: *Alia itidem ex antiqua conſuetudine* (potius ex Iure Romano) *manaſſe traditur iuſtitia, vt Principe Italiam intrante, cunctae vacare debeant dignitates et magiſtratus, ac ad ipſius nutum* SECVNDVM SCITA LEGVM, IVRISQVE PERITORVM IVDICIVM *vniuerſa tractari. Tantam etiam iudices terrae ei recognoſcere dicuntur iuriſdictionem, vt ex omnibus, quae terra producere ſolet, vſui neceſſariis, exceptis vix bubus et ſeminibus ad excolendam terram idoneis, de caeteris, quantum neceſſe fuerit, militi profuturis, ad Regios vſus ſuppeditare aequum arbitrentur.* Inde ad Leges ferendas Imperator acceſſit, atque vna quidem Conſtitutione, quae *Feudorum L. II. T. 55.* occurrit, omnem Feudi alienationem ſine Domini conſenſu fieri prohibuit, ita vt, cum Lotharius Imperator eam, ſi poſt Legem a ſe latam fieret, nullam declarauerit, ipſe Fridericus etiam eas alienationes feudi, quae ante hanc Legem, nunc in his Comitiis promulgatam, factae eſſent, irritas fecerit, *nulla temporis praeſcriptione impediente.* Altera vero Conſtitutione, quam Radeuicus *L. II. c. 7.* cum praeceden-

ta

Source : BIU Cujas

dente exhibet, pacem inter omnes suo subiectos imperio seruari praecepit. Haec omnia ope et consilio Iurisconsultorum suorum, et autoritate Iuris Romani gesta et illis et huic maximum Imperatoris favorem sine dubio conciliarunt. Sed accedebant maiora adhuc merita. Imperator suae semper dignitati potestatique tuendae et augendae intentus, omnes Iuris Romani sententias, huic fini obtinendo apprime idoneas, in suos vsus conuertit. Inde quaestionem, *an Imperator sit Dominus mundi*, vel, *an rerum omnium dominium Caesar haberet, quae eius indulgentia, velut precario Iure a possessoribus tenerentur*, a Iurisconsultis suis agitari praecepit. Hanc Martinus affirmando, forsan *L. 9. D. de Lege Rhodia de iactu* auctoritate motus, Bulgarus negando, reliqui nutando excepisse ex testimonio Glossae et Odofredi *ad L. 3. Cod. de Quadr. Praescr.* dicuntur a Panzirolo *de Clar. LL. Interpr. L. II. c.* 14. Rem paulo aliter narrat Otho Morena *de Reb. Laud. p.* 818. his verbis: *Post ista cum Dominus Imperator semel equitaret super quodam suo palafreno in medio DD. Bulgari et Martini, exquisiuit ab eis: vtrum de Iure esset Dominus mundi? et dictus Dominus Bulgarus respondit, quod non erat Dominus quantum ad proprietatem; Dominus vero Martinus dixit, quod erat Dominus, et tunc Imperator, cum descendisset de palafreno, super quo sedebat, fecit eum praesentari dicto Martino. Bulgarus autem hoc audiens dixit haec elegantia verba: Amisi equum, qui dixi aequum, quod non fuit aequum.* Obiter tantum notare lubet, quod alia, huic fere similis, de Azone et Lothario sub Henrico VI. historia ex auctoritate ipsius Azonis et Odofredi referatur a Panzirolo *de Clar. LL. Interpr. L. II. c.* 25. En verba ipsius: *Semel autem cum* (Imperator) *inter eos* (Azonem et Lotharium) *medius per vrbem equo veheretur, ab illis quaesiuit: cuinam merum imperium competeret? Tum Azo ad Lotharium conuersus annuit, vt prior ille responderet, ibi Lotharius: quandoquidem, inquit, Azo me primum iubet dicere, te solum, Caesar, Ius gladii habere arbitror. Tum Henricus Azonem interpellauit, vt suam sententiam proferret. Et ille etiam prouinciarum praesidibus iure animaduertendi potestatem tributam, sed non minus Augustum, velut omnium supremum Principem, eandem autoritatem retinuisse asserit. Ad palatium deducto Caesare cum discessissent, Henricus Azone dimisso, Lothario velut rectius sentienti equum dono misit. Quare Azo Leges de hoc loquentes postea interpretatus et in pristina, verioreque sententia permanens, se aequum quidem dixisse, sed Lotharium equum duxisse querebatur.* Tot et tanta Iuris Romani et Iurisconsultorum in se merita Fridericus non intra Italiae fines coërcere, sed ad Germanos etiam propagare consultum duxit. Inde vt huius doctrinae contagio facilius ad eos serperet, haec omnia sub oculis Procerum Germaniae, quos in comitatu suo habebat, tractari, imo eos etiam consiliis adhiberi, vt iis eo promptius assuesceret, studuit. Verum his maiora etiam ausus aliqua, quae in his Comitiis acta, et ex iisdem, quibus caetera, fontibus hausta erant, duas nimirum Constitutiones in his Comitiis promulgatas, Germanis palam obtrudere conatus est. Vnde in priore quidem Constitutione se ea, quae ibi iubentur, statuere *tam in Italia, quam Alemannia* disertis verbis dicit. In posteriore vero non tantum *omnes suo subiectos imperio* salutat, sed et vt *omnes suo subiecti imperio* pacem *hac lege edictali* sancitam obseruent, seuere iubet. Licet enim Constitutiones in Italia latae vtique Germanos non obligauerint, nec eas sibi obtrudi Germani facile passi sint, v. *supra L. I. §. 419. not.* (50) *p. 456. et sqq.* tamen haec, quae dicta sunt, Imperatoris desideria et conatus, Iurisconsultorum labores etiam Germaniae maximopere commendare studentis, satis clare ostendunt. Nec tamen hi Imperatoris conatus adeo inanes et irriti fuerunt, vt non aliquem etiam inter Germanos effectum produxerint. Sane Germani secum mitius

Source : BIU Cujas

quam cum Italis agi, nec ipsos *Ducatus*, *Marchias*, *Comitatusque* in Germania, vti in Italia factum esse vidimus, Caesari adiudicari gaudentes, in eam tamen opinionem paulatim inducti sunt, vt Regalia sua ab Imperatore in feudum se accipere debere tandem putauerint. Vnde mox in Germania inualuit opinio, frequenter a scriptoribus postea defensa: *Principum Germaniae ipsa territoria illorum quidem esse, verum Regalia Caesaris, quae acceperint, teneantque ab eo, nexu beneficiario.* vid. hac de re Ludewigius *Praef. ad Sing. Iur. Publ. §. 6. p. 42.* qui etiam *ibidem p. 44. in nota* producit diploma de an 1329. quo Ludouicus Bauarus Henricum de Reusze Voigtlandiae territorio inaugurans, Regalia ipsi per modum Feudi, imo Regalia et Feuda eodem sensu accepta, his verbis confert: *Vobis conferimus vestra Iura* REGALIA SEV FEVDA, *quae a nobis et Imperio habere consueuistis, siue sint bona Feudalia seu vasallatus hominum, iudicia et Iurisdictiones, thelonea, monetae, conductus stratarum, ferarum venationes, piscariae, minerae. Quae omnia in Feudum vobis concedimus cet.* Imo alte adeo haec mentibus infixa haesit opinio, vt et post renatam literarum lucem Regalium scriptores Sixtinus, Pruckmannus, Bocerus, Finckelthausius, Arumaeus, Einsiedelius, Carpzouius, aliique plures passim eam lectoribus inculcare non dubitauerint.

Cum Fridericus I. omnia, non ad priuatum tantum, sed et ad publicum Italiae statum definiendum facientia ex Iure Iustinianeo et maxime vltimis Codicis Iustinianei libris, nec non ex consuetudinibus et Legibus, quibus tum res Feudales per Italiam regebantur, ope Iurisconsultorum suorum, alia omnia pro ea, quae fuit saeculi labes, ignorantium vnice hauriret, nemo sane facile mirabitur, quod liberrimam sibi in Italia regnandi potestatem fortiter vindicauerit, quod Iura fisci omnia sibi soli asseruerit, quod Duces, Marchiones, Comites, Capitaneos, Valvasores, Ciuitatum Rectores in classem magistratuum, suorumque, vti loquuntur, *Officialium* protinus coniecerit; praecipue cum laxiorem in Italia, quam Germania, regnandi potestatem suo sibi iure competere non ignorauerit. Haec vero Iura suis rebus augendis adeo idonea suisque desideriis tam blande fauentia ipse vlterius in vsus suos conuersurus, vt ea Germanis etiam magis familiaria magisque grata redderet, omni studio et arte annisus est. Non alio magis opportuno medio id assecuturus sibi videbatur, quam si Germanos ad audiendos Iuris Romani Professores in Italiam alliceret; vbi eos huius Iuris doctrinae ita profunde immersum iri sperabat, vt, quales iis maxime saeculis esse solebant, principiorum semel hausorum tenaciissimi acerrimique defensores, et Praeceptorum suorum admiratores plane superstitiosi, huic doctrinae pertinaciter inhaesuri, eamque, in quascunque deferrentur oras, in quibuscunque vnquam possent causis, adhibituri, iisdemque tribunalia, aulas Procerum et curias impleturi viderentur. Inde in Germanicorum praecipue Iuris cultorum gratiam celeberrimam illam Constitutionem, quam Authenticam *Habita cet.* appellare solemus, promulgauit, Codicisque Iustinianei Titulo: *Ne filius pro patre cet.* ideo inseri iussit, vt illa hoc modo facilius innotesceret, fideliusque custodiretur. Qua quidem Constitutione ipse praecipue Legum Professoribus atque Cultoribus, et his quidem studiorum causa peregrinantibus impense laudatis, immunitates concedit, iisque singulari et seueriissima erga omnes violatores sanctione munitis proprium magistratum et iudicem constituit. Quo medio ita etiam finem suum assecutus est, vt certatim omnium nationum iuuenes, praecipue autem Germani, Germaniaeque vicini in Italiam confluerent, ita vt mox in Patauina Academia Ioh. Baptista Pasquatus *Tr. de Archigymnasio Patauino* viginti duas nationes, *Landsmannschafften*, suis syndicis et tribunis distinctas, earumque primas *Alemannam*, *Boëmam Vngaram*, *Polonam* numerauerit. Germanos prae-

Source : BIU Cujas

praesertim singularibus plane in Academia Bononiensi, iisque maximis, gauisos esse priuilegiis, Iacobus Middendorpius *de priuil. Acad. L. IIII. p.* 11. testatur. vid. etiam Brunquel. *Hist. Iur. P. III. membr. II. c.* 10. §. 9. et qui ibi copiose allegantur. Quam, dum in Italia versaretur, Fridericus Iuris Iustinianei Iurisconsultorumque auctoritati dignitatique augendae et extra Italiam etiam promouendae impendit curam, eam in Germaniam reuersus adeo non deposuit, vt potius Iurisconsultorum copiam lateri suo semper adhaerere voluerit, eorum consiliis et opera, quandocunque occasio daretur, in rebus Germanorum etiam vsurus. Luculentum huius rei exemplum nobis sistit historia litis inter *Volcmarum* et *Rhudolfum* de Archiepiscopatu Treuirensi sub Friderico decertantes agitatae; quorum ille quidem summi Pontificis, hic Imperatoris patrocinio victoriam obtenturus sibi videbatur. *Rhudolfus* autem, dum apud Imperatorem versaretur, a Pontifice Romam, vt *Volcmari* querelis ibi responderet, citatus, ab Imperatore, id aegre quidem ferente, Romam ire iubetur, ne contumaciae nota et poenis obruatur. Imperator tamen, vt Rhudolfum, quantum posset, adiuuaret, Iurisconsultos non quidem e longinquo accitos, nec fortuito sibi casu oblatos, sed e praesentibus secumque, horum ministeriorum obeundorum gratia, versantibus lectos *Rhudolfo* adiunxisse videtur, *mittens secum* DVOS DECRETISTAS, ET DVOS LEGISTAS: *Decretistas quidem, vt pro Rhudolfo esset iustitia Canonum, Legistas vero, vt pro parte sua starent iura Legum.* v. Arnold. Ludec. *Chron. Slauorum L. III. c.* 10. §. 6. Non pauca adhuc in promtu essent, quae Friderici I. summum, Iuris Romani Iurisconsultorumque auctoritatem, etiam inter Germanos, promouendi studium docerent, nisi haec, quae dicta sunt, abunde sufficerent.

Qui ipsi successit filius Henricus VI. quanti aestimauerit Ius Romanum non alio magis docemur argumento, quam quod inter ipsius laudes non vltimo loco referatur, quod eruditus fuerit *Legibus Imperatoriae Maiestatis.* v. *A. N. hoc §. in nota.* Quanto is Iurisconsultos honore prosecutus, quamque frequenter eorum consiliis vsus sit, vel solum Azonis exemplum satis probat, qui *Henrico Caesari admodum familiaris, et saepius de iure ab eo interrogatus omni adulatione posthabita libere, vt sentiebat, respondisse* dicitur a Panzirolo *de Clar. LL. Interpr. L. II. c.* 25. Quibus addi possunt, quae de Azonis et Lotharii familiaribus cum Imperatore sermonibus, huiusque erga Lotharium liberalitate ex eodem Panzirolo paulo superius retulimus. His Iuris Iustinianei principiis probe imbutus, Iurisconsultorumque consiliis in rebus maximi momenti, et iura imperii laxioris spirantibus, studio potestatis liberioris sibi asserendae, frequenter vsus, animum facile appulisse videtur non tantum ad fortius Ius Imperii sibi vindicandum, sed et ad successores ex sua gente, hereditario plane iure, deuoluendum. Res ipsa multis antiquorum testimoniis munita constantem adeo omnium consensum meruit, vt, qui ab aliquot saeculis res Imperii illustrarunt scriptores, ab eius rei fide recedere religioni sibi duxerint, vno omnes ore hos Henrici VI. conatus ad nostra vsque tempora transmittentes. Exercitum plane auctorum celeberrimorum, eadem asserentium, producere facile possemus, si res non omnibus notissima esset. Interceſſit tamen huic sententiae nouissime demum elegantissimus auctor dissertationis hac de re conscriptae et Commentariis nouis Academiae Regiae Berolinensis insertae, Illustrissimus Comes Keyserlingius. v. *Histoire de l'Academie Royale des sciences et belles lettres, année* 1748. *à Berlin* 1750. *p.* 465. *et sqq.* vbi magna ingenii sagacitate et singulari eruditionis praestantia totus in eo est, vt sententiam hanc, tantum non omnium calculo firmatam, conquisitis summo studio et non minori acumine argumentis omnino conuellat, Meibomium praecipue et Gundlingium reprehendens, quod ille in *Apol. pro Ot-*

Source : BIU Cujas

tone IIII. Imp. Rer. Germ. T. III. p.115. hic vero *Gundlingian. P. 17. art. 2. §. 20.* huic rei asserendae confidentius, quam par esset, insistat. Licet ego egregiam plane, quam Illustrissimus Autor in argumento tam graui praestitit, operam et vim persuadendi felicissimam summo, quod iure optimo meretur, elogio venerer, a me tamen impetrare nondum potui, vt a recepta sententia protinus recederem. Operae pretium erit huic rei, a nostro scopo non plane alienae, paululum immorari. Testimonia veterum, quae sententiam receptam confirmant, haec maxime sunt. Geruasius Tilberiensis *Otiorum Imperial. ad Otton. IIII. Imp. Decis. II. c. 19. in Leibn. Script. Rer. Brunsu. T. I. p. 943.* de Henrico VI. ita loquitur: *Hic Legem instituit apud Teutones, vt militiae, more Gallorum et Anglorum, successionis Iure deuoluerentur ad proximiores cognationis gradus; cum antea magis penderent ex principis gratia. Ideoque ad suum refundens commodum, quod aliis impertitus est beneficium, impetrauit a subditis, vt* CESSANTE PRISTINA PALATINORVM ELECTIONE, *imperium in ipsius posteritatem, distincta proximiorum successione transiret, et sic* IN IPSO TERMINVS ESSET ELECTIONIS, PRINCIPIVMQVE SVCCESSIVAE DIGNITATIS. Huic proxime iungo Chronicon Halberstadiense *in Leibn. Script. Rer. Brunsu. T. II. p.15.* quod rem his verbis refert: *Conradus Moguntinus Archiepiscopus cum Principibus Saxoniae conspirauerat aduersus Imperatorem Henricum VI. quia idem petierat ab eisdem,* VT SVCCESSIO IMPERII AD HEREDES SVOS *transiret. Erat tum Episcopus Haluerstadensis electus Gardolfus, cuius ordinatio hanc ob causam est aliquandiu dilata, sed idem Gardolfus nuncium, qui conspirationis litteras inter Principes tulit, cum iisdem litteris captiuauit. Quibus Imperatori ostensis, ipse, sicut vir sapiens et discretus, petitionem Principibus porrectam relaxauit.* Addo Innocentium III. *Registr. super negotio Imperii Epist. 29. Epistolar. T. I. p. 697.* de Friderico II. verba facientem, cuius electionem dicit primo intuitu videri validam, cum iuramento sit confirmata, quod, licet metu extortum sit, tamen non statim infringi possit. His addit: *Praeterea etsi a principio sic fuerit extortum, postmodum tamen pater eius intelligens, se perperam processisse, iuramentum relaxauit Principibus, et literas super ipsius electione remisit; qui postmodum puerum ipsum, patre absente, sponte ac concorditer elegerunt, fidelitatem ei pene penitus omnes et quidam hominium exhibentes.* Haec sunt, quae ex antiquioribus scriptoribus, ad ipsa Henrici VI. tempora accedentibus, produci possunt, huius rei, de qua agimus, testimonia. His nunc subiicimus alia, ab illa Henrici VI. aetate aliquot saeculis remota, quorum primum est ex Magno Chronico Belgico, ad Saec. XV. referendo, *inter Pistorii Scriptores VI. seu Rer. Germ. T. III.* vbi Auctor Chronici *p. 224.* verbis cuiusdam Iohannis Monachi ibidem relatis dicit: Henricus VI. *ordinauit, vt amplius* ELECTIO NON FIERET, *sed* PER *solam sanguinis* SVCCESSIONEM IMPERIVM CONFERRETVR, *ita vt, qui propinquior Imperatori esset,* HEREDITARIE FIERET IMPERATOR. Quod vt a Friderico filio initium caperet, tres conditiones, quae Principes ad id, quod obtabat, inducerent, Henricus adieciſſe dicitur, nempe 1) *Regnum Siciliae et Calabriae, et Ducatum Apuliae, et Principatum Capuae, quae filius eius ab auis haeres acceperat, Romano Imperio vniuit* cet. 2) *Ordinauit, vt mulieres, masculis deficientibus, succederent in haereditatem;* et tandem 3) *ne Imperator mortuas manus Ecclesiasticarum personarum vltra expostularet.* Addit, quod maximopere notandum, quod huic Constitutioni Curia Romana assensum praebuerit. Secundum est Gobelini Personae, eiusdem Saec. XV. scriptoris *in Cosmodr. aet. VI. c. 61. apud Meibom. Rer. Germ. T. I. p. 275.* cuius haec verba sunt: *Hic Henricus Imperator concordauit cum Principibus Regni, quod liberi sui post eum* HAEREDI-

Source : BIU Cujas

REDITARIO IVRE *Regnum obtinerent: ſed contradictum eſt a Principibus Saxoniae. Quare ipſe Imperator Principes illos a promiſſo abſoluit, et iuramenta ea occaſione praeſtita relaxauit.* Tertium eſt Chronici Monaſterii Reinersbrunnenſis, Caroli IIII. vel Sigiſmundi Impp. aetate conſcripti, cuius verba a Goettingenſibus eruditis, qui *Delineationem nuperrimi ſtatus eruditionis* ediderunt, eius *P. II.* primum vulgata ipſe Illuſtriſſimus Auctor Diſſertationis antea allegatae producit §. 25. iiſque ſententiam vulgarem de Henrici VI. conatibus omnino adſtrui ſincere fatetur §. 26. Auctor enim huius Chronici totum huius negotii, ab Henrico VI. tentati nexum diligenter exponens dicit: » quod Impe» rator in Comitiis Moguntinis voluerit » Principibus expeditioni ſanctae ſe accin» gentibus ius dare, vt, quibus filii ex » iuſtis nuptiis non eſſent, ii poſſent he» reditatem omnem relinquere filiabus, » aut heredi cuique ſui ſanguinis proxi» mo. Quod pauci, qui iis Comitiis ad» fuerint, imperatori promiſerint, ſe fidem » ipſius poſteris ſeruaturos, vt IVRE HE» REDITARIO ipſi in Imperio ſuccede» rent. Quod metu carceris aliorumque » malorum ad hoc inducti fidem dede» rint, ſe in Comitiis Herbipoli proxime » congregandis eo adniſuros eſſe, vt reli» quos Proceres ad conſenſum huic ne» gotio dandum inducant. Quod in his » alii metu maioris mali, alii vi adacti » conſenſerint, multi vero conſenſum ne» gauerint. Quod poſtea Imperator in » Italiam negotiorum cauſa vocatus inde » Burchardum Burgrauium Querfurtenſem » ad hoc negotium Principibus commen» dandum miſerit, datis ipſi literis, qui» bus ipſe ſucceſſionem ad Imperium ſuae » genti hereditariam, Conſtitutione Im» perii perpetua decernendam, petierit. » Quod odio horum conatuum Principes » multum a ſtudio ſuo erga Imperatorem » remiſerint. Quod poſtea Imperator tot » impedimentis, quae Principes huic ne» gotio obiecerint, motus, conſiliumque » ſuum animo premens, et illud tempori» bus magis opportunis ſeruaturus, iuri » ſuo ſibi iam ab aliquibus conceſſo re» nunciauerit, et ita Principes ad ſua er» ga Imperatorem ſtudia reuocati in Co» mitiis Francofurtanis filium ipſius Con» ſtantinum (Fridericum) eius in Impe» rio ſucceſſorem ſua ſponte elegerint, » atque ita diſſidium, quod Imperatorem » et Principes eo vſque diuiſerit, feliciſ» ſimo euentu compoſitum fuerit.« His teſtimoniis nititur aſſertio vulgaris, quod Henricus VI. Imperium ex Electiuo ſucceſſiuum reddere voluerit. Quae his opponit Illuſtriſſimus Auctor *Diſſert. alleg.* ad ſequentia fere capita reduci poſſunt, quorum ſingulis ea, quae nobis in ſeria rationum, quibus noua ſententia fulcitur, meditatione contra eas ſubnata ſunt, dubia, non alio quam veritatis eruendae ſtudio ducti, modeſte iungemus. I. vrget, quod pleraque teſtimonia ſint adeo ab Henrici VI. temporibus remota, vt parum fidei mereantur. In hanc claſſem coniicit Chronica Belgicum et Reinersbrunnenſe atque Gobelinum Perſonam. Liceat his regerere, quod ſcriptores recentiores, ſi cum antiquioribus conſentiant, fidem facile, ſi non ex ſua, ſaltem ex horum autoritate, conſequantur. Cum itaque hi conatus Henrici non ab his tantum recentioribus, ſed et a ſcriptoribus illi aetati vel paribus vel proximis commemorentur, non licebit ſcriptorum vtriuſque generis in negotio principali conſenſum facile contemnere. Potuerunt ſcriptoribus Sec. XIIII. et XV. cognita eſſe plura antiquioris aeui monumenta, vel iniuria temporum interea extincta, vel adhuc in tenebris latentia, quae forſan melior aliquando dies in lucem ex iis protractura eſt, ex quibus, quae ipſi hauſerunt, non facile ſine aliqua antiquitatis veneratione ad nos tranſmittuntur. Prouocat ſane Chronicon Belgicum ad quendam Iohannem Monachum, teſtem antiquiorem, eiuſque plane verba exhibet. Hic, ſi nobis ignotus eſt, ideo tamen pro conficto haberi non debet. Forſan iam periit, forſan aliquando, cum minus ſperatur, proditurus eſt.

Source : BIU Cujas

est. Quis probabit, quod Saeculi XII. Scriptor Iohannes, nec is, cuius aliqua a d'Acherio seruari ipse fatetur Illustrissimus Auctor, nec alter, quem Muratorius exhibet, plura, quam quae exstant, scripserit, hodie ignota, in iisque huius rei mentionem fecerit. Quicquid horum sit, scriptor, cuius ipsa verba ante aliquot saecula tanquam satis nota exhibentur, eo solo argumento, quod nobis nunc ignotus sit, non probatur, omnibus et olim ignotus fuisse, imo nunquam inter viuos extitisse. II. obiicit silentium celeberrimorum eius aetatis vel proximae scriptorum, v. g. Conradi Vrsperpensis, Arnoldi Lubecensis, Ottonis de S. Blasio cet. Respondemus, quod, ex regula ab Illustrissimo Auctore ipso §. 14. agnita, silentium aliquorum auctorum fidem facti, ab aliis asserti, non infringat, sed ad hunc effectum vniuersale omnium eiusdem vel proximi temporis auctorum silentium requiratur. Cum autem haec assertio, quam nos defendimus, auctoritate plurium eius aetatis scriptorum nitatur, silentium caeterorum ipsi non nocebit. Si omnia facta omnium auctorum, eadem aetate viuentium, narratione asserenda essent, ingens factorum numerus, de quibus nemo amplius dubitat, fide historica carituros esset. Nec mirum hoc, de quo agimus, negotium non ab omnibus commemorari. Cum illud ad effectum deductum non fuerit, sed intra inanes Imperatoris et aliquorum Principum conatus substiterit, facile vtique potuit aliquorum scientiam et curam effugere; immo multi, quibus non vacat omnia consilia, quantumuis irrita, referre, sed ea, quae in ipsis rerum obtinent argumentis, tantum commemorare satius videtur, potuerunt id, quamuis sibi non ignotum, prorsus negligere. Quidam etiam hoc negotium prudenti silentio et obliuioni inuoluere forsan maluerunt, quam eius exemplo alios, quibus opportunior arrideret occasio, ad idem audendum excitare. III. Illorum praecipue silentium allegatur, qui rem ita gestam nec ignorare, nec eam, in negotio affini versantes, quod commemoratione illius multum adiuuaretur, supina plane negligentia obliuisci poterant. Vnde Innocentius III. *Regist. super negotio Imperii Epist. 29. T. I. p. 698.* ostensurus, *quod non expediat* Fridericum II. *Imperium obtinere*; rationemque huius exclusionis allegans, *quod per hoc regnum Siciliae vniretur Imperio* cet. non solum metum vniendae Siciliae obiecturus, sed ab Henrico VI. Siciliam eo fine, vt Friderico filio suo hereditarium acquireret Imperium, antea iam vnitam, maiori argumentorum pondere, allegaturus fuisset, si reuera Henricus id, quod dicitur, vnquam ausus esset. Sic idem *Epist. 21. p. 695.* quae contra Philippi electionem ab aliis allegabantur, commemorans, et *Epist. 29. p. 699.* ea, quibus ipse illam impugnabat, exponens non tantum ipsi obiecturus fuisset: *quod, si, prout olim patri* (Friderico I.) *filius* (Henricus VI.) *sic nunc immediate succederet frater* (Philippus) *fratri* (Henrico VI.), *videretur Imperium ei non ex electione conferri, sed ex successione deberi, et sic efficeretur hereditarium, quod deberet esse gratuitum* cet. nec metum tantum formae Imperii, si electio ita saepius in eadem gente repeteretur, aliquando mutandae, sed ipsam potius mutationem, iam olim ab Henrico decretam, tanquam fortius periculi, quod allegabatur, argumentum, in memoriam reuocaturus fuisset, si, quae de Henrici conatibus dicuntur, veritate niterentur. Sic Auctor *Gestorum Innocentii III. §. 19.* partibus Henrici VI. et Hohenstauffiorum parum fauens, non tantum Henrico exprobraturus fuisset, quod *effecerit apud Principes, vt filium suum Federicum, infantem nondum duorum annorum, necdum etiam baptizatum, in Regem Romanorum eligerent* cet. sed potius ipsi vitio versurus fuisset, quod suis artibus eligendi ius Principibus extorquere, et suam gentem Germaniae, iure hereditario imperaturam, obtrudere conatus fuerit, si modo haec veritatis vmbram habuissent. Sic, si vnquam huius rei vestigia extitissent, Archiepiscopus Colonienſis *in Regist. Innoc.*

Source : BIU Cujas

Innoc. III. de negotio Imp. Epist. 9. et Principes ac Barones Alamanniae Clerici et Laici *ibid. Epist. 10. p. 689.* Ottonem IIII. laudantes, quod iuribus spolii renunciauerit, Henrici VI. etiam, hac renunciatione hereditarium olim Imperium suae genti inferentis, mentionem omnino facturi fuissent. Fatemur vltro grauia plane videri deducta ex hoc silentio argumenta. Verum, si res propius consideretur, rationem huius silentii facillima coniectura assequemur. Translationem Imperii hereditariam in totam Henrici VI. gentem, sub conditione Siciliae &c. cum Imperio perpetuo nexu vniendae, ab Henrico VI. et aliquot Principibus Germaniae decretam, suo assensu approbauit curia Romana, teste Iohanne Monacho, cuius verba exhibet M. Chronicon Belgicum. Nunc eadem non successionem, sed tantum electionem, aliquoties in eadem gente repetitam, impugnat ideo, quod illa imaginem Imperii hereditarii habitura et forsan aliquando vniendae cum Imperio Siciliae occasionem suggestura sit. An igitur Curia Romana, cum hanc electionem ex his rationibus impugnaret, potuit memoriam renouare facti, idque plane in argumentum suae impugnationis trahere, quod simul in memoriam reuocaret iuris hereditarii introductionem et vnionem Siciliae cum Imperio a Curia Romana iam olim approbatam? Prudenter itaque Innocentius III. eiusque Gestorum Auctor, cum electionem impugnat, facti, suae nunc causae parum fauentis, memoriam supprimit. Tunc vero demum eius mentionem, breui sermone, ne diutius, quam vellet, in eius meditatione lectores haereant, facit *Epist. 29. p. 697. in f.* cum expediret inculcare, quod Henricus VI. intellexerit, *se perperam processisse*, atque ita iuri suo renunciauerit, et libertatem eligendi Principibus restituerit. Quod ad Archiepiscopum Colonienſem et Principes Germaniae, Ottonis IIII. electionem defendentes, attinet, illi vero negotii ab Henrico VI. celebrati mentionem facere commode non poterant, cum eius commemoratio ad causam Ottonis nec deprimendam, nec adiuuandam, aliquid conferre potuerit. IIII. Opponit Auctorem de negotio Henrici VI. loquentium in causis et conditionibus eius definiendis dissensum. Huic tamen argumento facile respondemus, quod Auctorum in rebus, quae negotio principali accedunt, dissensus negotii ipsius fidei nihil detrahat, dummodo in ipso negotio principali recensendo secum, vti in hac causa contigisse testimonia allegata docent, consentiant. Causae verae et praecipuae saepe ab auctoribus negotii non exprimuntur, accessoriae plerumque tantum allegantur, illae coniecturis aliorum saepe supplentur, non raro etiam ex ingenio confinguntur. Conditiones negotii, quod effectu, vti hoc Henrici negotium, caruit, saepius ignorantur, nonnunquam etiam cum variae sint, huic vna, alteri alia innotescit, adeoque diuersa illarum allegatio pro dissensu vero haberi nequit. V. Ipsas negotii ab Henrico gesti conditiones, prout illae a scriptoribus, vulgari sententiae faventibus, referuntur, aliquando secum inuicem, imo et cum aliis eius temporis testimoniis pugnare, adeoque suspectas, imo falsas esse, arbitratur. Ita 1.) cum Iohannes Monachus verbis a Chronico Magno Belgico relatis dicat, quod Henricus VI. *ordinauerit, vt amplius electio non fieret, sed per solam sanguinis successionem Imperium conferretur* &c. id quidem Illustrissimus Auctor omnino contrarium esse asserit iis, quae ab aliis scriptoribus ad Henrici VI. tempora accedentibus dicuntur, quod nempe is operam tantum dederit, vt Principes filium suum Fridericum se viuente sibi successorem in Imperio eligerent. Verum salua res est. Duo fuerunt negotia et rei natura et temporis interuallo a se inuicem separata. Henricus VI. Imperium suae genti hereditarium acquirere conatus est, consensumque Principum certis conditionibus obtinuit. Hoc Geruasius Tilberiensis, Chronicon Halberstadiense, Innocentius III. Iohannes Monachus referente Magno Chronico Belgico,

Source : BIU Cujas

gico, Gobelinus Persona, Chronicon Reinersbrunnense afferunt. Cum tamen Principes non pauci his conatibus resisterent et graues turbas excitarent, Imperator iuri suo, per Principum consensum quaesito, renunciauit, Principesque, qui consenserunt, ab obligatione sua liberauit. Hoc Chronicon Halberstadiense, Innocentius III. Gobelinus Persona, Chronicon Reinersbrunnense diſertis verbis docent, reliqui non negant; sed tantum, tanquam a suo instituto alienum, omittunt. Inde Imperator operam tamen dedit, vt Principes filium suum, se superstite, successorem Imperii libera electione designarent, quod etiam obtinuit. Hoc Innocentius III. et Chronicon Reinersbrunnense testantur, et cum iis multi saeculorum XII. et XIII. Scriptores, prius negotium, tanquam irritum et effectu omni destitutum, aut suis, quas tunc agebant, rebus non satis opportunum, silentio praetereuntes, non tamen negantes, cum, vt Philosophorum sermone vtamur, *vnius positio non sit alterius negatio.* 2.) Cum Iohannes Monachus et ex eo Magnum Chronicon Belgicum dicat, quod Henricus VI. *Regnum Siciliae et Calabriae, et Ducatum Apuliae et Principatum Capuae, quae filius eius ab auis haeres acceperat, Romano Imperio vniuerit, vt perpetuo terrarum istarum vnus Dominus esset*, id cum iis, quae in ipsis rerum argumentis postea obtinuerunt, pugnare asserit Illustrissimus Auctor, cum nulla huius rei vestigia sequentibus temporibus inueniantur, nec Innocentius III. *Regist. p. 698.* eius rei mentionem vllam faciat. Ad id vero, quod ex silentio Innocentii III. eo in loco deducitur, argumentum iam supra respondimus. Quod vero nulla eius rei supersint vestigia, rationem habet satis manifestam, nempe quod totum illud negotium in cassum abierit, et ab ipso Imperatore irritum redditum fuerit. Cadente itaque toto negotio, conditiones illi appositae necessario etiam conciderunt, nullumque sui vestigium reliquerunt. Cum Henricus VI. in eam Siciliae cum Imperio vniendae conditionem consenserit, eum tantum in finem, vt hereditaria gentis suae in Imperium successio *a filio suo Friderico sumeret exordium*, et *vt perpetuo terrarum istarum* (id est, Imperii et Siciliae &c.) *vnus Dominus esset*, facile patet, quod corruente hereditaria gentis Henricianae in Imperium successione etiam vnio Siciliae &c. cum Imperio simul corruere, et nulla postea huius vnionis vestigia inueniri debuerint. Quis crederet, Henricum VI. quamuis votis suis, hereditariae successionis suae genti acquirendae, exciderit, conditionem tamen suae genti, post restitutam Principibus eligendi Imperatoris potestatem, maximo oneri futuram nihilominus superesse passum esse, quippe qua superstite, si aliquando suffragia in Principem, qui non ex gente Henrici esset, conspirarent, gens Henriciana maxima et pulcherrima patrimonii sui parte mulctaretur. Ipsa igitur conuentionis natura vtique non patiebatur, vt toto negotio euanescente conditiones tamen, eius tantum obtinendi gratia additae, conseruarentur. 3.) Cum inter conditiones conuentionis cum Principibus initae etiam referatur, *ne Imperator mortuas manus Ecclesiasticarum personarum vltra exposcularet*, id quidem aperte contrarium esse iis arbitratur Illustrissimus Auctor, quae Archiepiscopus Colonienſis *in Regist. Innoc. III. de neg. Imp. Epist. 9. p. 689.* dicit, quod Otto IIII. sibi *aliisque Episcopis prauam illam consuetudinem aliorum Imperatorum, qui decedentibus Episcopis et Abbatibus Principibus in mobilibus rebus sese-que mouentibus succedebant*, LIBERALITER *remiserit*; et quae Principes et Barones Alamanniae, Clerici et Laici, *Epist. 10. ib.* repetunt, quod Otto IIII. *prauam illam consuetudinem, quam* IMPERATORES *anteceſſores sui in occupandis rebus mobilibus vel sese mouentibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum* HVCVSQVE SERVAVERANT, *penitus extirpans, Ecclesiasticos Principes ab hac indebita vexatione* REGALI BENEVOLENTIA *liberos dimiserit et decedentium bona suis successoribus seruanda* LIBERA-

LI-

LITER *statuerit*. Quomodo Otto IIII. primus consuetudinem ab Imperatoribus, suis antecessoribus, *hucusque* seruatam sustuliſſe dici, quomodo id ipsi in *liberalitatis* et *Regalis beneuolentiae* laudem computari potuisset, si Henricus VI. illi iuri iam renunciasset. Verum ad hoc caput idem, quod ad proxime praecedens, respondemus; quod conuentione, quam Henricus VI. cum Principibus inierat, rescissa et omnino collapsa, cum reliquis conditionibus, illi inhaerentibus, etiam haec renunciatio manus mortuae vel spolii corruerit, suoque iure Imperator postea iterum vsus, atque ita ea consuetudo ad Ottonem vsque conseruata fuerit, isque adeo primus eam cum effectu abrogasse merito dici potuerit. Tandem 4.) etiam hoc cum aliis eorum temporum monumentis pugnare Illustrissimus Auctor contendit, quod Iohannes Monachus et Gervasius Tilberiensis de Henrico VI. dicunt, ipsum ordinasse, *vt mulieres, masculis deficientibus, succederent in hereditatem*, aut, *vt militiae more Gallorum et Anglorum successionis iure deuoluerentur ad proximiores cognationis gradus*, cum id iam antea obtinuisse luculentis, quae §. 21. *et* 22. producuntur, testimoniis probetur, adeoque tanquam nouum, et ad captandam Principum beneuolentiam et eliciendum ipsorum de hereditaria Imperii successione consensum efficax et satis idoneum argumentum allegari non possit. Probe autem hic obseruari velim, quod ea, quae allegantur, testimonia vel singulare tantum priuilegium, a communi regula exemtum, et ad alios non extendendum, exhibeant, cuiusmodi illud est, quod ex Continuatore Reginonis producitur de Vtone Comite, beneficio Ottonis M. suas res inter filios diuidente; vel, si etiam ex iure communi proficiscuntur, eo tamen non progrediantur, quo vsque haec Henrici VI. Constitutio, si euentum obtinuisset, successionem in Feuda Imperii extensura fuisset, nempe *vt mulieres, masculis deficientibus, succederent*, aut, vt Gervasius loquitur, *militiae more Gallorum et Anglorum deuoluerentur*: adeo, vt inter eruditos hodieque tantum quaeratur: an feuda Imperii foeminea reddere, an vero, quod alii malunt, plane in allodia convertere voluerit Henricus VI. v. Struu. *ad Chron. Magn. Belg. l. c. in Pistorii Script. VI. vel Rerum Germ. T. III. p. 224. not. a.* Hinc nouum vtique est hoc Henrici consilium et ad finem, quem sibi proposuit, nempe ius hereditariae successionis in Imperium suae genti asserendum, apprime idoneum. Denique VI. Illustrissimus Auctor ostendere vult, quod testimoniorum, quae pro sententia vulgari produci solent, aliqua quidem nihil, quod ipsi faueat, aliqua vero nonnihil, quod ipsi noceat, loquantur, vtriusque vero generis testimonia in sensum plane innoxium sponte sua inclinent. Ita, cum Chronici Halberstadiensis verba Electionis in Germania abolitae mentionem non faciant, et vocabulum *heredes*, quod ibidem occurrit, ad suspicionem abolitae Electionis suggerendam solum non sufficiat, et non raro, sensu non tam iuridico, quam vulgari, liberos, imo quoscunque proximo sanguinis gradu alicui iunctos denotet, hinc non aliam huius Chronici mentem esse arbitratur, quam quod Henricus VI. id, quod multos antecessorum suorum prospero successu ausos esse sciuisset, et ipse tentauerit, Principes Imperii inducturus, vt vel se adhuc superstite filium, quem haberet vel habiturus esset, vel proximum, qui ipsi tum futurus esset, consanguineum, sibi successorem in Imperio, libera tamen electione, designarent, vel saltem fidem suam nunc adstringerent, se eundem, cum sedes Imperatoria vacatura esset, Imperatorem electuros esse. Ita porro asserit, nec ex verbis Innocentii III. *Reg. Ep. 29. p. 698.* nec Gestorum Innocentii III. *c. 19.* Friderici II. electionem impugnantibus, nec ex verbis Innocentii III. *ibid. Ep. 21. p. 695.* et *Ep. 29. p. 699.* electionem Philippi dissuadentibus, quicquam, quod receptam, de iure Imperii hereditario Henrici VI. familiae acquisito, opinionem fulciat, erui posse; ex verbis

Source : BIU Cujas

vero Innocentii III. *Ep. 29. p. 697.* plane contrarium illucescere contendit, cum iuramentum, quod ibi Henricus *Principibus relaxasse* dicitur, Friderici electionem tantum spectasse, ipseque Henricus disertis verbis *literas super ipsius* (Friderici) ELECTIONE *remisisse* dicatur, adeo vt, quem et Chronico Halberstadiensi adscripserat, eum et horum, quae vltimo loco allegauimus, Innocentii III. verborum verum omnino sensum esse, Illustrissimus Auctor serio affirmet. Nos quidem lubentes concedimus, Innocentii III. *p. 695. 698. 699.* et Gestorum Innocentii *c. 19.* verba nihil, quod vulgarem de introducto iure hereditario Imperii sententiam muniat, exhibere; vnde et rationem, cur nulla in his locis iuris hereditarii introducti mentio fiat, paulo superius indicauimus, eaque inter testimonia pro asserenda vulgari opinione producta studiose omisimus. Nec vocabulo *heredes*, cuius significationem quandoque laxiorem esse ipsi agnoscimus, operose inhaerebimus. Quod tamen ea sit vera Chronici Halberstadiensis et Innocentii *p. 697.* sententia, quam modo ipsis adscribi diximus, id quidem nobis persuadere nondum possumus. Quod ad Chronicon Halberstadiense attinet, illud sane, cum Henricum VI. a Principibus petiisse dicat, *vt* SVCCESSIO IMPERII *ad heredes suos transiret*, aliquid fortius innuere videtur, quam solum suffragiorum in Friderico ELIGENDO consensum, praecipue, si haec verba cum aliis eorum temporum testimoniis conferantur. Si quis ea comparet cum verbis Geruasii Tilberiensis de Henrico VI. dicentis: *impetrauit a subditis, vt* CESSANTE *pristina Palatinorum* ELECTIONE, IMPERIVM *in ipsius posteritatem, distincta proximiorum* SVCCESSIONE TRANSIRET, *et sic in ipso terminus esset electionis, principiumque successiuae dignitatis*, haec illis commentarii loco esse existimabit, de vero illorum sensu non amplius haesitaturus. Accedit, quod Chronicon Halberstadiense sollicite obseruet, quod *Conradus Archiepiscopus Moguntinus conspirauerit cum Principibus Saxoniae contra Imperatorem Henricum VI.* propter id, *quod ipse petierat ab eisdem.* Si non aliud petiisset ab eisdem, quam vt suffragiis suis Fridericum *eligerent*, mirum sane videretur, eos ideo contra ipsum conspirasse, et ita pertinaciter huic conspirationi promouendae incubuisse, vt literis et nunciis missis etiam alios ad idem audendum excitare studuissent. Potuissent suffragia negare, potuissent dissuadere aliis, alios dehortari, terrorem illis, his odium rei incutere, sed in perniciem Principis ideo conspirare cum aliqua aequitatis specie, quam omnes coniuratores affectare solent, vtique non potuissent. Propter rem nec adeo reprehendendam, nec grauem satis, aut nouam, sed ab anteceſſoribus, imo ab ipsis Saxoniae Principibus, frequenter plane et feliciter tentatam, coniurationem cum Moguntino Archiepiscopo a Principibus Saxoniae iniri, nouum est et adeo inauditum, vt Auctori veteri, si quid horum serio et de industria et disertis ac perspicuis verbis diceret, fides vix haberetur. Nec illud silentio praeterire possumus, quod Chronicon Halberstadiense dicit, quod Imperator, *sicut vir sapiens et discretus petitionem Principibus porrectam relaxauerit.* Quam itaque *Principibus* Henricus *relaxauit*, petitio non vtique nudum promouendae electionis Friderici negotium denotat, quod nunquam deseruit, sed in eo perficiendo potius, quicquid potuit, studii et operae pertinaciter collocauit, donec id ad finem perduceret, cuius rei, praeter alios eius aetatis scriptores, luculentus testis est Auctor *Gest. Innoc. III. c. 19.* Nec, si id deseruisset Henricus, innoxium plane et nullis periculis expositum, *viri sapientis et discreti* elogio a Chronico Halberstadiensi ornandus fuisse videretur, tum demum illud meriturus, cum ab introducendae successionis hereditariae negotio, sibi licet gratissimo, suaeque genti maxime vtili, sed aspero tamen, multisque impedimentis inuoluto, turbasque graues excitaturo, imo iam experto, desisteret. Vt vero tandem progrediamur ad Innocentii verba

Reg.

Source : BIU Cujas

Reg. Ep. 29. p. 697. in iis sane etiam non pauca deprehendimus, quae aliquid gravius, quam solum procurandae electionis Friderici negotium spirant. Innocentius dicit, *iuramentum, quod* Henricus *Principibus relaxauit*, antea ab ipsis EXTORTVM fuisse. Electionem Friderici persuasionibus, artibus, largitionibus obtentam fuisse, sunt qui dicant, et inter hos maxime Auctor *Gestorum Innoc. III. c. 19.* Eam vero vi *extortam* esse, qui dicat, nullus est, quod sciam, nec hic Gestorum Auctor, nec Innoc. III. ipse *pag. 698.* cum tamen hoc ex iis vtique sit, quae neuter horum, dum Friderici electionem impugnaret, alia licet prudenter suppressurus, omittere sine graui causae suae iactura potuisset. Constitutionem vero hereditariae in Imperio successionis Principibus *extortam* fuisse, sunt vtique, qui dicant. Ergo de hac potius, quam de illa Innocentius III. intelligendus erit, quod cuiuis non difficulter illucescet, qui eius verba cum aliis, quae produximus, testimoniis sollicite comparaturus est. Vnicum superest, quod grauiter obstare videtur, argumentum. Negotium, de quo ibi Innocentius III. loquitur, non aliud, quam ELECTIONIS negotium fuisse videtur, quia ipse disertis verbis dicit, quod Henricus VI. *literas super* ELECTIONE *remiserit.* Verum *Electionis* vocabulum non adeo certae et perpetuae significationis est, vt communi semper sensu accipiatur, nec aliquando et tunc quidem adhibeatur, cum ius succedendi extra omnem dubitationis aleam positum est, vti luculentis exemplis demonstrarunt Baluzius *Capit. T. II. p.* 1081. et Gundlingius *Gundlingian. T. IIII. P. 17. c. 2. §. 5.* Et qui hoc vocabulum ab Innoc. III. *l. c.* proprio etiam sensu adhibitum dixerit, is vtique non errauerit. Quandocunque Imperium aliquod ex Electiuo, voluntate eorum, quibus hac de re constituendi ius est, in Successiuum mutatur, ex pluribus familiis eo fastigio dignis illa eligitur, quae iis, quorum est de hac re statuere, maxime omnium placeat. Primus itaque eius familiae, in quam ius succedendi ita transfertur, vere *eligitur*, reliqui eius familiae, vel qui iam viuunt, vel per annorum decursum victuri sunt, iure sibi ex prima illa translatione acquisito, secundum ordinem in ea definitum, *succedunt.* Fridericus II. itaque vere *electus* fuit, reliqui Hohenstauffiae gentis Principes, si haec Constitutio effectum obtinuisset, suo quisque ordine *successuri* fuissent. Itaque cum Henricus authentica huius Constitutionis, qua ius succedendi ipsius familiae concedebatur, instrumenta Principibus Imperii, qui consenserant, restitueret, *literas super electione* Friderici *remisisse* vere dici poterat, vt tamen inde veritati introductae et mox iterum abolitae successionis hereditariae nihil omnino decederet. Haec sunt, quae nobis in perlectione Dissertationis ab Illustrissimo Auctore elegantissime conscriptae subnata sunt dubia, quibus illud saltem euicisse nobis videmur, vulgarem de Henrici VI. conatibus sententiam, magno quidem studio et ingenio impugnatam, nondum tamen euersam esse. Plura adderemus, si mensura huius Annotationis, quae iam vltra modum excreuit, ea omnia caperet. Ex omnibus autem, quae de Friderico I. et Henrico VI. diximus, abunde constat, quantos illi ex Iuris Iustinianei principiis fructus collegerint, quantoque studio ea Germanis etiam commendare tentauerint.

Non minorem huic rei curam impendisse videtur Fridericus II. et ipse eruditionis laude apprime clarus, quam sine Iuris Iustinianei cognitione, quae ea tempestate praecipuas eruditionis partes absoluebat, assequi vix poterat. Quantum ipse Iurisconsultos coluerit, ex eo maxime colligimus, quod, Collenutio *Hist. Neapol. L. IIII. p. 346.* teste, Roffredi consiliis frequenter, et Petri de Vineis, Cancellarii, opera tantum non in omnibus negotiis vsus sit, quo praecipue adiuuante, si Suffrido Presb. *Chron. L. II.* fides est, Constitutiones Siculas, multum ex Iure Romano trahentes, collegisse et promulgasse dicitur.

Source : BIU Cujas

Tertia denique progressuum Iuris Iustinianei in Germania causa merito censetur, quam etiam Heineccius noster *h. §. in f.* indicat, Odium, quo Iuris Canonici vsum, tum temporis in Germania increbescentem, excipiebant Imperatores. Cum circa medium Sec. XII. Decretum Gratiani in lucem prodiret, illud mox a Germanis, ad eius vsum per Collectiones Isidori, Reginonis et Burchardi iamiam praeparatis, auide exceptum fuisse videtur. Omnia ad illud Germaniae commendandum concurrere videbantur, Pontificum Romanorum auctoritas, Guelphorum studia, ipsa fontium, ex quibus Gratianus opus suum hauserat, locorum Scripturae Sacrae, dictorum Patrum Ecclesiae, Ecclesiasticorum Canonum, Decretorum Pontificiorum, veneratio, aequitatisque, qua omnes illud Gratiani Decretum ornabant, laus insignis. Imperatores, qui illud suis rebus non aeque ac Ius Iustinianeum fauere existimabant, et Iuris, quod non ex sua voluntate penderet, introductionem aegre ferebant, ipsi Ius Iustinianeum opponere omni studio annisi sunt, nec tamen obtinere potuerunt, vt non Iuris Canonici studium, ob rationes modo indicatas, velociores in Germania progressus, quam Ius Iustinianeum, faceret; quod ex iis, quae paulo post dicentur, vberius innotescet. S.

Ad §. LXI.

(136) Ex Iuone, Burchardoque &c.
(137) Gratianus patriâ Clusinus.
(138) Non Romanae Ecclesiae Cardinalis.
(139) Sed Monachus Benedictinus Clastensis.
(140) Additiones Canonum, Paleae dictae.
(141) *Ad Heineccii Notam.*

(136) Iuonem et Burchardum Gratiano ne visos quidem, multo minus in vsum ab ipso tractos esse, Panzirolus *de Clar. LL. Interpr. L. III. c. 2.* nescio, qua ratione motus, contendit. Contrarium fere suadere videtur saeculi, quo Gratianus scripsit, vel ignorantia, vel negligentia, quae aditum ad primos fontes vel negabat, vel dissuadebat, ita vt, qui ea aetate ad aliquid scribendum accedebant, neglectis illis fontibus, circa proximos quosque collectores, qui sua ex illis vel bene vel male hausta successoribus propinauerant, haerere, quam ex limpidis fontibus derivare maluerint. Quod etiam a Gratiano factum esse, ipsa operis ab ipso compositi cum antiquioribus eius generis scriptoribus, atque ita etiam Iuone et Burchardo, collatio pluribus in locis docet, et viri eruditi, opus Gratiani illustrantes, luculentis exemplis demonstrarunt, praecipue Antonius Augustinus, et post ipsum Espenius atque Boehmerus. S.

(137) Quae ad Gratiani et Operis ab ipso compositi historiam spectant, ea omnia hic commemorare, nec vacat, nec iuuat, cum omnia satis prolixe referant non tantum Auctores hic allegati, sed praeter hos multi, qui vel Iuris generatim, vel saltem Canonici historiam suis lucubrationibus illustrarunt. Quae non tam ad vitam Gratiani, quam ad opus ab ipso compositum illustrandum faciunt, post eruditos Gallos Antonium Democharem et Antonium Contium diligentissime excussit Antonius Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis eruditissimus, duobus Dialogorum *de emendatione Gratiani* Libris, quos Stephanus Baluzius et Gerhardus von Mastricht notis exquisitissimis exornarunt. Multa huc etiam egregie facientia sistit Espenius *Scholior. in omnes Canones Conci-*

Source : BIU Cujas

liorum P. V. c. 3. §. 3. et praecipue *P. VI. c. 1. 2. 3.* siue *Operum P. V. p. 158. sqq.* Non parum etiam lucis operi huic affundit Diomedis Brauae *Dissertatio Critica de interpolatione Gratiani*, quam Bononiae an. 1694. editam, Corpori Iuris Canonici a se edito praefixit Boehmerus; qui et ipse non tantum Gratiani Opus sed et vitam optime illustrauit singulari Dissertatione *de varia Decreti Gratiani fortuna* s. *Introductione ad nouam Editionem Corporis Iuris Canonici de an. 1747.* qua multa ab aliis vel omissa vel minus accurate exposita ita supplet et corrigit, vt aliis otium hac in re omnino fecisse videatur. Ex his Boehmerianis obseruationibus, quae, vti omnia celeberrimi Viri opera, omnes lectu dignissimae sunt, aliquas tantum, quae finem, quem nobis hic proponimus, prae aliis adiuuant, praecipue indicabimus. Causam suscepti a Gratiano Operis Correctores Romani in *Admonitione ad Lectorem*, et qui ipsorum sententiam amplectuntur, Gerh. von Mastricht *Histor. Iur. Eccl. n.* 307. atque Zieglerus *Dissert. de Origine et Incrementis Iuris Canonici §. 36.* inuenisse se arbitrantur in Iuonis *Praefatione Decreti*, vbi *aliquas regulas praescribit, secundum quas conciliari possunt canones discordantes.* v. Ziegler. *l. c.* Poterant forsan hae Iuonis regulae Gratiano occasionem praebere Titulum praefigendi Operi suo: *Concordia discordantium Canonum.* Verum quod hac sola, vel saltem primaria causa, motus ad hoc opus, suo quidem tempore arduum plane et difficillimum, suscipiendum accesserit, id quidem non satis videtur verosimile. Gratianus potius, cum Ius Ciuile Romanum tanto ardore Bononiae doceri, Iuris Canonici studia vero negligentius tractari obseruaret, non tantum, quod illius recenter in scholas reducti fama omnium animos in se conuerteret, sed et, quod huic in scholis cum fructu docendo liber idonea methodo conscriptus deesset, ne illius increbescens vsus huius luminibus officeret, animum ad huius studia appulisse videtur. Maxime vero Gratiani studia excitata fuisse monitis et consiliis S. Bernhardi, Abbatis Claraeuallensis, cum Manriquio *Annal. Cisterc. T. II. ad ann. 1151. c. 5. n. 6.* contendit Boehmerus *Dissert. alleg. §. 10.* et ibid. *not. (p).* Quod quidem eo magis redditur verosimile, quo certius est, Bernhardum, Iuri Ciuili parum fauentem, eius progressus, rei Ecclesiasticae perniciem, vti credebat, allaturos, aegerrime tulisse, et hinc ad eos deprimendos Eugenii III. summi Pontificis diligentiam prouocasse, ita vt familiari prorsus sermone, quo erga discipulum quondam et alumnum, quem, vt ipse loquitur, per Euangelium *quondam modo* genuerat, vtebatur, *Lib. II. ad Eugenium* scripserit: *Quotidie perstrepunt in tuo palatio Leges: sed Iustiniani, non Domini. Rectius etiam? Istud tu videris. Nam Lex Domini immaculata, conuertens animas: eae autem non tam Leges, quam lites sunt et cauillationes.* Quapropter etiam ipse grauibus plane iam tum querelis monachos, qui Iurisprudentiae Ciuili operam darent, exagitauit, *in Lib. de Considerat. ad Eugen. Papam.* Quod ipsum virorum Ecclesiasticorum et maxime Monachorum excolendae Iurisprudentiae Ciuilis studium Bernhardi feruorem adeo excitasse videtur, vt suasu, hortatu, ope et consiliis et Eugenii III. P. R. diligentiam in fouendo Iure Canonico incenderet, et Gratiani conatus ad scribendum Opus huic Iuri promouendo idoneum protinus impelleret. Licet vero non paucae iam tum extarent Canonum et Decretorum Collectiones, nulla tamen erat, quae methodum Praelectionibus Academicis aptam sequeretur. Inde Gratianus, ne progressibus Iuris Canonici vel ex hoc vitio mora iniiceretur, veterum, quas collegerat, sententias ordine, vt loquuntur, systematico disposuit, suisque dictis opportuno, vt sibi videbatur, loco insertis ita secum inuicem ligare studuit, vt perpetuo filo iunctae vna quasi oratione procederent, nec tantum Distinctiones et Causae cum sequentibus, sed et ipsae cum suis quaeque partibus optime, ex Auctoris saltem iudicio, cohaererent,

Source : BIU Cujas

rerent, totumque ita opus methodo Praelectionibus Academicis adaptata, et ad genium maxime saeculi, quo edebatur, attemperata docentium discentiumque operam egregie leuaret, eorumque ita studia fortius excitaret. Hoc Gratiano consilium, hanc disponendi operis regulam fuisse, scita Distinctionis I. et II. analysi probat Boehmerus *Dissert. alleg.* §. 11. et ibidem *in notis*, praecipue *not.* (*d*). Cum quo conueniunt pleraque, quae de hoc Gratiani labore dicit Caesar Egassius Bulaeus in *Hist. Vniuersit. Paris. T. II. Sec. IIII. p.* 255. Omnibus ita numeris, vt sibi persuadebat, absolutum Opus Gratianus examini Academiae Bononiensis subiecit, vt ea illud, si ita visum fuerit, ita diligenter examinatum, Eugenio III. Pontificia auctoritate confirmandum offerret, quibus votis quomodo felix euentus responderit, mox dicemus ad §. *seq.* S.

(138) Fontem erroris iam indicauit Chiffletius *l. c.* et post ipsum Gerh. von Mastricht *Hist. Iuris Eccl. n.* 332. ac Struu. *Hist. Iur. c.* 7. §. 17. atque Boehmerus *Diss. alleg.* §. 9. *not.* (*l*) et §. 10. *not.* (*s*) *in f.* Nempe *Alexander III. Pisanum quendam, cui Gratiano nomen fuit, ex Subdiacono et Scriptore Apostolico Cardinalem creauit, et suorum omnium consiliorum participem atque adiutorem esse voluit Anno salutis* 1177. *Vnde forte orta Alberici opinio in eam historiae speciem coaluit, quam bona fide literis consignauit.* Miratur Boehmerus, *Gratianum, licet suo tempore nominis celebritate meritisque in rem Ecclesiasticam aliis praestiterit, ad altiorem gradum in Ecclesia haud esse euectum.* Nec tamen eum nulla plane dignitate conspicuum historica monumenta sistunt. *Magistri Decretorum*, et *sacrorum Canonum publici Professoris* titulo, non leuis ea aetate honoris et auctoritatis nomine, ipsum ornat Kalendarium Archigymnasii Bononiensis vetustissimum *ad diem* 21. *Martii*, quem titulum repetit *ad diem* 4. *Nou.* Cui iungenda Glossa in *c.* 2. *Distinct.* 68. Imo ipsum ab Eugenio III. Ecclesiae Clusinae in praemium operae in colligendo Decreto egregie praestitae, praefectum fuisse ex fide Martini *in Chron.* et Alberici *in Diction.* refert Mastricht *Hist. Iur. Eccles. n.* 301. quibus auctoribus idem iam antea testatus erat Panzirollus *de Clar. LL. Interpr. L. III. c.* 2. S.

(139) An Clastensis, vel, vt alii, Classensis monachus fuerit, incertum plane est, ita vt de eo merito dubitauerit Baronius *Annal. Eccles. ad ann.* 1151. *n.* 6. et cum ipso Mastricht *Hist. Iur. Eccl. n.* 295. aliique plures. Vetustissima monumenta, nempe Inscriptio Codicis Vaticani, quam Baronius allegat, lapidis etiam ad ostium cubiculi, quod olim Gratiani in Monasterio S. Felicis Bononiensis fuit, positi et inde in sacrarium translati ligatae orationis inscriptio, nec non ipsum Gratiani Epitaphium eum monasterio S. Felicis adscribunt, nulla Classensis monasterii mentione facta. S.

(140) Quae huius nominis, quo quidam Decreti textus notantur, origo sit atque significatio, eorum, qui Iuris Canonici historiam vel leuiter tangunt, nemo est, qui non disquirat, variasque aliorum de hoc nomine coniecturas recenseat, vel suas etiam suggerat. Quatuor opiniones sistunt Correctores Romani *in Admonit. ad Lect.* vel 1.) quod capita, in quibus res inanes ac leues continerentur, hoc nomine appellarentur, vel 2.) quasi πὶ παλαιὰ s. antiqua, vel 3.) quasi additiones quaedam, deriuata et deprauata voce ab aduerbio πάλιν, vel denique 4) a quodam Protopalea vel Procopalea, quem Iason Cardinalem dixerit, quique haec capita Gratiani Collectioni adiunxerit. Alii alias coniecturas addunt v. g. 5.) quod, cum quidam Cardinalis, cui Opus suum ad Eugenium III. P. R. deferendum Gratianus obtulerat, gloriam ex alieno labore captaturus, ii quaedam a Gratiano omissa adiecissent, idque ita auctum pro suo venditasset, Gratianus ipse fraude hominis intellecta eas additiones *paleas* per contemtum dixerit, vel 6.) quod capita quaedam a Gratiani discipulo, *Palea* dicto, qui diuersas eius libri inscriptiones, quan-

Source : BIU Cujas

quandoque etiam improbatas, fecerit, vel 7.) quod Decreta nouissime adiecta, velut suspecta ac fide carentia ita appellata fuerint, vel tandem 8.) quod Eugenius III. capita quaedam, nulla auctoritate valitura, asteriſco notauerit, et hinc ea paleis, pondere carentibus, exaequata fuerint. Quas opiniones omnes refert et suis quasque auctoribus vindicat Mastricht *Hist. Iur. Eccles. n.* 314. Quae verior sit harum opinionum omnium, operose disquirere operae pretium non est. Illud tantum notamus, eos maximopere falli, qui vel ab vno homine, vel ab vno actu, hoc, quicquid est nominis, deriuandum esse statuunt, cum vetustissimi Codices MSCti alii quidem nullos horum textuum, qui *Paleae* nomine nunc signantur, exhibeant, alii aliquos, sed margini adscriptos, vel in fine cuiusuis distinctionis aut quaestionis annotatos, hosque iterum vel *Paleae* nomine signatos, vel hoc nomine carentes, sistant, et *in Ioannis Teutonici scholiis raro ad verba eorum capitum aliquid adscribi* obseruet Ant. Augustinus *de Emend. Grat. L. I. Dial. 2. p.* 24. manifesto argumento, nec Gratiani, nec vnius, quicunque demum ille fuerit, auctoris esse hos textus, sed esse Gratiano nunc hos, nunc illos diuersis temporibus, non vnius tantum auctoris manu additos. Quae sententia etiam est Pithoeorum fratrum in Praefatione Corpori Iuris Canonici a se edito praefixa. Codices MSCti Bibliothecae Regiae Berolinensis Imus et IIItius eorum, quibus Boehmerus se vsum esse scribit *Dissert. allegat. §.* 23. vterque saeculi XIII. nec non Codex MSCtus Bibliothecae Monasterii Sti Blasii apud Vesontionem, quem Diomedes Braua in diiudicandis Gratiani interpolationibus vnice secutum se testatur in *Disquis. Critica de Interpol. Gratiani*, vel plane textus, *Palearum* nomine nunc insignitos, ignorant, vel si quos eorum exhibent, a *Palearum* momine tamen omnino abstinent. Tempus autem, quo haec additamenta Gratiano accesserunt, ex historia Codicum MSCtorum Operis Gratianei felicissima coniectura erui potest. Diomedes Braua inter viginti, quibus vsus est, Codices MSCtos aliquem iam anno 1256. adeoque vno, et quod paulisper excurrit, saeculo a Gratianei Operis editione exaratum, et *Bibliothecae Barchionensis cuiusdam coenobii quondam addictum*, praecipue laudat, *iisdem tamen additamentis*, quae *Paleae* appellari solent, *infartum*; certo inde argumento futurum, additamenta illa Gratiano ante hunc annum iam inserta fuisse. Vnde Boehmerus in *Admonitione Editoris Prima* optima ratione suspicatur, ex Bernardi Circae, Papiensis, Collectione, quam ante annum 1191. prodiisse optime coniicit Mastricht *Hist. Iur. Eccl. nu.* 338. quaeque *ab iis, quae Gratianus collegerat, sedulo abstinuit, quaedam autem ab hoc neglecta* exhibet, aliqua a quopiam excerpta et bono consilio ad marginem Gratianei Operis notata esse; ita et Iuris Ciuilis capita a Gratiano vel plane omissa, vel tantum ex Codice, vt Braua docet, Theodosiano, vel potius Alariciano deriuata, ab Interpretum aliquibus, Gratianeo textui forte ex Iustinianeo Corpore addita fuisse; vtriusque vero generis additamenta a librariis postea in ipsam textuum seriem, vel errore, vel opera male sedula, coniecta, ab aliquibus postea minorem his, quam Gratiano, auctoritatem tribuentibus *Palearum*, tanquam minoris momenti capitum, nomine indicata fuisse. Quod enim eo tempore ea, quae non omnibus probarentur, vel minoris, quam alia, auctoritatis essent, *Paleae* dici consueuerint, insignis locus Humberti de Romanis, eiusdem, quo Barchionensis Codex exaratus est, saeculi, id est, XIII. scriptoris, a Boehmero *Dissert. alleg. §.* 18. *not.* (*n*) productus, peropportune ostendit, vbi Auctor *de eruditione praedicatorum L. II. Tit. 69. ad studentes in Iure Canonico* de insigni huius vtilitate locutus sic pergit: *Notandum iterum, quod in huiusmodi scientia Iuris sunt multa, quae pertinent ad animarum salutem. Alia vero, quae pertinent ad causas litigiosas. Sed sunt quidam infelices, qui primum vocant pa-*

Source : BIU Cujas

leam, *et non curant de illo, tanquam de* palea; *cum e contrario ſecundum ſit* palea. *Quicquid enim temporale eſt*, palea *eſt, cum ſit tranſitorium, ſicut dicitur ſuper illo verbo Exodi quinto: Diſperſus eſt populus in omnem terram Aegypti ad colligendas paleas: imo etiam illi, qui iſta ſequuntur, fiunt* palea *ſecundum Auguſtinum, dicentem: Dum paleam ſequeris, palea efficeris. Et ideo tales comburentur igne inextinguibili. Haec igitur, quae ad cauſas temporalium pertinent, reputanda ſunt* palea: *quae vero ad ſalutem animarum, granum, quod melius eſt. Ita et in iſta ſcientia iſtud, quod ad ſalutem animarum pertinet, diligentius eſt colligendum, ſicut granum diligentius colligitur, quam* palea cet. His *paleis* alii multam, alii nullam, nonnulli aliquam, non tantam tamen, quantam Gratianeis textibus, auctoritatem tribuunt. Tertia ſententia temporibus Gratiano proximis non male conuenire videtur, quibus differentiae inter textus a Gratiano agnitos et alios, ipſi ab aliena manu aſſutos, memoria adhuc recens hos cum illis paris auctoritatis eſſe, nec pati potuit, nec paſſa eſt. Non pati potuit, quia Conſtitutio Eugenii III. ſummi Pontificis, qua Gratiani textus ipſos, non alios ipſi clandeſtino auſu mox addendos, approbauerat, obſtabat. Non paſſa eſt, quod datum his *Palearum* nomen, cuius ſignificationem ex eiuſdem temporis vſu iam oſtendimus, non obſcure docet, adeo, vt textus *Palearum* nomine inſcripti, non aliam eo tempore auctoritatem habuiſſe videantur, quam qua ſuo quiſque merito gauiſurus fuiſſet, ſi extra omnem Canonum Collectionem perpetuo vagatus fuiſſet. Temporibus vero a Gratiano remotioribus, quibus memoria illius differentiae non tantum ob lapſum annorum, ſed et ſaeculorum infelicitatem, paulatim animis exciderat, et Gratiani Decretum acceſſionibus alienis auctum, e ſcholis in forum progreſſum fecerat, et iam tantum non vbique receptum erat, *Paleae* non multo minorem, quam Gratiani Decretum ipſum, auctoritatem ex receptione conſecutae ſunt, donec literis melioribus reſtitutis et aditu ad hiſtoriarum monumenta patefacto, memoria illius differentiae etiam reſtituta fuerit, et ita de *Palearum* auctoritate denuo dubitari coeperit, ita, vt ad Gratiani textus ſuo conſenſu firmandos, non vero, vbi ab iis diſſentiunt, infringendos; vbi vero aliquid iis non deciſum continent, plena auctoritate ex receptionis Iure allegari poſſint, niſi recentioribus Conſtitutionibus iis derogatum fuerit. S.

(141) Verba haec partem faciunt monumenti, quod integrum, ſed mendis inquinatum, exhibent Panzirol. *de Claris LL. Interpret. L. III. c. 2.* Forſterus *l. c.* et Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Iur. Eccl. n. 329.* Potuiſſet huic etiam iungi altera ſermonis ligati inſcriptio, quam iidem Auctores, et ipſam nonnihil corruptam ſiſtunt, cuius mentionem iam fecimus *hoc §. not. (139)* quae in Monaſterio S. Felicis Bononienſis reperitur, atque docet, locum eum veneratione dignum eſſe, quod Gratianus ibi Decretorum opus perfecerit, quodque lapis ipſius memoriae ibi antea poſitus, vbi operi perficiendo incubuerat, propter vetuſtatem illuc, nempe in ſacrarium, translatus ſit auſpiciis Abbatis Bartholomaei an. 1321. Vtramque Mabillonius praeſens ipſe inſpexit, atque vitiis purgatam fideliſſime exhibuit *Itin. Ital. p. 197. et ſq.* ex quo vtramque ſiſtit Boehmerus *Diſſert. alleg.* illam quidem *§. 9. n. (k)* hanc vero *§. 10. n. (q)*. S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. LXII.

(142) Gratianus iudicio caruit.
(143) A Pontifice aliquo vmquam iuris robur acceperit, cet.
(144) Nihil tamen reliqui fecerunt Pontifices.
(145) Eo opere desudasse; (*H. N.*)

(142) Multum de erroribus a Gratiano commissis queruntur passim viri eruditi, adeo, vt illis antea probe pensitatis Espenius tandem *Scholior. in omnes Canon. Part. VI. c. 3. §. 2. ab init.* in haec verba prorumpat: *Mirandum alicui non immerito videri posset, quomodo opus priuati monachi, qualis fuit Gratianus, tanta confusione compactum, tot erratorum congerie refertum, ad eam auctoritatem et veneration*em*, de qua in §. praecedenti, peruenire potuerit, tantoque Doctorum, tam Theologorum, quam Iurisperitorum, consensu et applausu suscipi et laudari meruerit.* Antonius Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, vir summae eruditionis et iudicii acutissimi, qui insignem in emendando Gratiano operam praestitit, antequam ipsos errores euoluendos speciatim aggrediatur, summa eorum capita *de Emend. Gratiani L. I. Dial. I. p. 8. edit. Gerh. v. Mastricht* his verbis indicat: *Ita multa sunt, vt non facile omnia vno die explicari possint. Sed genera tibi errorum quorundam proponam, vt postea, de quibus magis placebit, agamus. Saepe errarum esse video in nominibus hominum, vrbium, prouinciarum, Conciliorum, et aliarum rerum, quae postea exemplis apertiora fient. Saepe falsae sunt inscriptiones, et quae Conciliorum sunt, Pontificum Maximorum esse dicuntur; et quae sunt vnius Episcopi inferioris, Romano Pontifici, aut Concilio generali, vel prouinciali tribuuntur. Ex hoc genere sunt illa, quae ex Concilio Martini Papae, aut Hadriani Papae sumta esse feruntur, quae vel Martino Bracarensi, et Graecis Conciliis, vel Engelramo Episcopo, vel Hadriano ad Engelramum inscribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba esse dicuntur, quae aut nusquam exstant, aut aliena sunt. Illa quoque, quae inscriptiones habent veras, non recte referuntur. Saepe enim contrarias sententias referri scimus, saepe valde praecisas. Iam vero, quae ex Graecis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferuntur, quasi sint aliorum scriptorum: ac saepe aliud Graece, quam Latine significant.* His mox Interlocutor Dialogorum Libri I. secundus paucis interiectis *ibid. p. 9.* haec subiungit: *non is sum, qui operae pretium esse existimem, tam multa de solo Gratiano dici. Hic enim, vt nosti, et vt facile omnes concedunt, compilator insignis, nihil fere habet valde vtile, quod proprium dicere possis: sed corniculae illi similis, vt est in fabulis, risum scientibus, admirationem ignorantibus mouet. Si verba consideres, nihil illo tritius; si artem requiras, et ordinem dicendi, frustra laborabis. Ita multa refert alieno loco ponenda, ita pro certis incerta constituit, vt malis illa eadem in ipsis libris non solum Conciliorum, sed etiam Burchardi et Iuonis, et aliorum Collectorum requirere. Itaque, dum tu, quid apud Gratianum mutandum sit, dices, in veteri me confirmabis opinione, qui frustra hunc scriptorem mendis purgari putem* cet. Quicquid horum sit, multa, quae Gratiano exprobrantur, infelicitati saeculi magis, quam ipsi imputanda esse existimarem, eumque laude, quam meretur, Auctoris in illa caligine temporum plane egregii non priuarem. S.

(143) Cum Auctor Vitae Eugenii III. nec non Trithemius atque Sigonius, et alii horum auctoritate ducti, asserant, Decretum Gratiani ab Eugenio III. summo

Source : BIU Cujas

Pontifice approbatum fuisse, nec tamen vel ipsum diploma approbationis, vel testem saltem aliquem eius saeculi in suae assertionis argumentum producant, multi hanc approbationem vel plane negant, vel saltem multis dubiis inuoluunt. His etiam accesserat Boehmerus *I. E. L. I. T.* 2. §. 18. qui tamen postea, meliora doctus, non tantum Decretum ab Eugenio III. approbatum asserit, sed luculento etiam testimonio probat *Dissert. alleg.* §. 12. ibique *in notis*. Alius nimirum est Decreti vsus *doctrinalis*, vti loquuntur, et Academicus, alius *legalis* atque forensis. Illum Decreto disertis verbis concessit Eugenius III. hunc vero Pontificum nullus, nisi tacite. Scilicet postquam vltimam manum suo tandem Operi addidisset Gratianus, illud mox censurae Academiae Bononiensis obtulit, precibus additis, vt ea id postea Eugenio III. Papae mitteret, Pontificia auctoritate confirmandum, et vsibus Academicis ab ipso commendandum. Annuit his precibus, nomine Academiae, Archidiaconus Bononiensis, eius Cancellarius, atque Gratiani Opus summo Pontifici obtulit, et quam petiit ab eo confirmationem, mox etiam obtinuit. Testimonium huius rei insigne praebet Kalendarium Archigymnasii Bononiensis vetustissimum, cuius verba ab Alexandro Machiauello *in notis ad Sigonii Hist. Bononiens. L. III. ad ann.* 1151. *p.* 128. producta Boehmerus *Diss. alleg.* §. 12. *not.* (*g*) sistit, quae *ad d.* 21. *Martii* haec sunt: *Hac die Gratianus monachus celeberr. S. Felicis, cognomento magister decretorum, et a plur. annis sac. canon. in hoc lyceo pub. prof. obtulit de a.* 1151. *vniu. I. consultis pub. nostris interp. et scolar. dantibus hic operam legibus, insigne opus suum a plur. annis retro sub magno labore congestum et modo absolutum, concordiae discord. canonum, quod appell. est decretum, rogans eos dimisse, vt sibi compatiendo dignarentur illud examinare et corrigere et postea offerre D. Apostolico Eugenio III. vt de sua venia posset publice legi et explicari, prout laudato solertiss. Authore, R. D. Archid. nomine Academiae spopondit facere, et onus assumsit, ac porro etiam obtinuit cum magna satisfactione d. D. Papae de A.* 1152. Quod Gratianus iam a. 1151. dicatur *sacrorum canonum in hoc lyceo publicus professor*, id quasi per prolepsin dictum vtique videtur Boehmero, cum licet iam antea ibidem fuerit publicus professor, forsan liberalium artium et philosophiae, anno demum 1152. publicus Iuris Canonici Professor creatus fuerit; quod, vt alia quaedam notatu dignissima, quae promulgationem Bullae confirmatoriae comitabantur, idem Kalendarium *ad d.* 4. *Nou.* refert: *hac die de anno* 1152. *R. D. archid. Bonon. tamquam maior huius stud. gen. cancell. conuocatis, omn. pub. iur. interp. et cap. nat. scholarium legist. in S. Petri, promulgauit literas apost. D. Eugenii Papae III. ad ipsum dat. Romae* 21. *Oct. praeteriti, per quas dabat suum* PLACET *super hoc, quod compilat. magistri Gratiani superiori A. per eum huic lycaeo oblata, et a d. D. archid. Romam missa, vt sana et canonica pub. posset legi et explicari, commendans insuper summopere, et maxime clericis, hoc studium sacrorum canonum, spem denique dando, fore se magnis honor. atque dignit. cumulaturum eos, qui proficiscent in hac facultate. Et proinde hac eadem die fuerunt assumti duo pub. iur. interp. qui d. decretum legere incoeperunt, et fuerunt idem mag. Gratianus mon. S. Bened. et mag. Raynerius Bellapecora ex canon. regular. vsque ad exitum vitae suae cet.* Hae itaque primae sunt Iuris Canonici cathedrae Academicae, quae eius Iuris studia promtissimo successu promouerunt. Vt vero nihil omitteret Eugenius III. quo progressus Iuris Canonici adiuuarentur, mox anno 1153. alia Constitutione promulgata, noua media inuenit, quibus animi ad Iuris Canonici studia magno ardore prosequenda protinus incenderentur. Gradus quippe Academicos Baccalaureatus, Licentiae, et Doctoratus, antea iam in Iure Ciuili et Artibus conferri solitos,

Iuri

Source : BIU Cujas

Iuri Canonico etiam, et quidem cum aliqua honoris praerogatiua, indulsit, et quinquennium, quod Iuri Ciuili addiscendo olim Iustinianus destinaverat, et hic obseruari praecepit, idque ita diuisit, vt non nisi triennio absoluto ad baccalaureatum, et si huic annus adderetur, ad Licentiam, atque tandem absoluto plane quinquennio demum ad Doctoris honores aditus pateret, ita vt etiam diuisio Decreti in tres partes his tribus honorum gradibus, per interualla temporum demum acquirendis, accurate respondere, et a Gratiano in eum finem facta esse, non immerito videatur Boehmero *Dissert. Alleg.* §. 13. *not.* (*n*). Haec, si excipias, quae de ratione diuisi in tres partes Decreti modo dicta sunt, Kalendarium Bononiense *ad d. 7. Martii* sollicite omnia commemorat: *Hac die*, ait, *de A.* 1153. *in gen. conuentu pub. iur. interp. et scholar. dantium operam legibus in vtroque iure habito de ordine R. D. archid. tanquam mai. cancell. huius stud. gen. in Sancti Petri edita est constitutio D. apostolici Eugenii Papae III. dat. Laterani 14. Febr. huius anni, et per eum transmiss. ad d. R. archid. super facultate ipsi collata constituendi baccalaureos et licentiatos, atque eosdem creandi distinctim a gradu vel censura in iure ciuili, doctores siue magistros in iure canonico, cum iisdem honor. dignitat. praerogatiuis cet. quibus fruuntur baccal. et licentiati et creati doctores Bonon. in iure caesar. et artibus per d. D. archid. ita quod in omnibus et per omnia, qui creati erunt doctores siue magistri in iure canon. posthac Bononiae per d. D. archidiacon. sint, habeantur ad instar et aequiparentur, sine vllo discrimine doct. ita creatis, vel in iure caes. vel in artibus, immo hi tanquam digniores propter diuinum ius, quod pertractant, praeferri debeant, et praecedant in quacunque alia facultate doctoratos. Baccalaureus vero constitui nullus poterit, nisi postquam bene studuerit per tres annos, et pub. disputaverit cum schol. in iure hoc; item neque postea poterit quispiam baccalau. licentiari, nisi bene studuerit altero anno a baccalaureatu et pub. disput. cum aliis baccalaureis in hoc iure, et demum doctor nullus creari in iure canonico poterit, nisi qui altero rursus anno, postquam fuit licentiatus in d. hoc iure, optime in eo se habuerit, atque rigorosum subierit sub aliis doctoribus examen sub poena nullitatis actus.* Ex quibus verbis praeter alia et hoc maxime discimus, gradus Academicos non nunc demum in gratiam Iuris Canonici inuentos et institutos esse, vti Caesar Egassius Bulaeus *Hist. Uniu. Paris. Sec. IIII. T. V. p.* 255. existimauit, sed in Iure Ciuili et artibus iam antea conferri solitos, nunc etiam Iuris Canonici cultoribus concedi coepisse, quod aliis etiam eiusdem Kalendarii verbis, quibus mors et funus Gratiani recensetur, iterum inculcatur: *Septembris 19. funus cl. Gratiani, cognomento magistri decretorum, monachi S. Benedicti ad S. Felicem Bononiae, vbi per plurimos annos fuit pub. fac. canon. interpres et congessit suam concordant. discord. canonum vulgo appellat. decretum, quod opus huic Archigymnasio obtulit, vt supra ad diem 21. Martii et de venia B. Eugenii III. coepit publice legi et exponi, delectis eodem mag. Gratiano et mag. Raynerio Bellapecora, vt pariter supra sub die 4. Nouembris, cum incomparab. decore et honorif. stud. gen. Bonon. in quo ob id quoque instituti sunt baccalaurei, licentiati et doctores, siue magistri etiam in iure canonico, vt fiebat in iure ciuili et artibus, quare memoria tanti viri erit apud nos in laude perpetua et sancta benedictione. Obiit autem ipse hac die A. S.* 1158. *et sepultus est in S. Felice.* Verba haec omnia Kalendarii Bononiensis, licet satis prolixa et iam ab Alexandro Machiauello *l. c.* et Boehmero *Dissert. alleg.* §. 12. *nott.* (*g. i. l.*) edita, hic omittenda non videbantur, cum iis et multa, antea satis ambigua multisque litibus ansam praebentia, certa et perspicua reddantur, et praecipuae causae promtorum, quos Decretum vix natum fecit, progressuum indicentur, adeoque ea om-

Source : BIU Cujas

nibus, qui historiam Iuris sibi cognitam reddere gestiunt, iterum iterumque inculcari mereantur. Nec fidem horum verborum aliquis facile in dubium vocare poterit, cum illud Kalendarium, cuius authenticum vidit, vetustissimum appellet Machiauellus, et ipsae narrationis huius Kalendarii omnibus dierum, annorum, personarum, aliarumque circumstantiarum notis ita sollicite sint circumscriptae, vt auctorem, qui vel ipse rebus, quas commemorat, praesens adfuit, vel saltem eas ex monumentis eius temporis fidelissimis hausit et diligentissime literis consignauit, certis indiciis prodant. Nec fidei huius Kalendarii ideo aliquid decedit, quod Constitutiones quasdam laudet, quae nusquam inueniuntur, cum grauis, quae Academiam Bononiensem anno 1313. affiixit calamitas, ferale nimirum incendium, quo secretior pars Archiui absumta est, harum Constitutionum authentica sine dubio etiam consumserit. Rem ex fide Baldi *in prima constit. D. §. haec autem tria* refert Alexander Machiauellus *in Augustalis Theodosiani diplomatis apologia pro archigymnasio §. 9.* et ex eo Boehmerus *Diss. alleg. §. 10. not. (a).* S.

(144) Quod Eugenius III. summus Pontifex multum operae impenderit, vt Decretum Gratiani omnibus commendaret, ex iis, quae dicta sunt, facile innotescit. Quod successores ipsius illud non neglexerint, paulo inferius docebitur. Cum vero haec Canonum Collectio fuerit earum, quae tum maxime cognitae erant, omnium absolutissima, et ad vsum Academicum, pro ratione illorum temporum, maximopere attemperata, mirum non est, quod vsum eius multo studio adiuverit Eugenius III. Nec satis perspicio, quid causae sit, vt id ipsi eiusque successoribus vitio vertat A. N. Si Imperatores potuerunt Iuris Iustinianei studia non tantum per Italiam promouere, sed et in Germaniam transferre, a qua tamen illud tanto locorum et temporum interuallo remotum erat, ius certe Germanis plane peregrinum, et ab ipsorum moribus immane quantum abhorrens; multo minus sane dubitandum est, Pontifices Romanos, quorum quod esset de rebus ecclesiasticis statuere, nemo tum facile dubitabat, potuisse omnibus, maxime autem Clericis, commendare vsum Iuris, cuius fontes tum omnium veneratione excipiebantur, cuius capita nihil spirabant, quod tum quidem nouum et inauditum, et a principiis et moribus populorum, qui tum temporis orbem Christianum implebant, alienum videri poterat, sed quae potius in negotiis Ecclesiasticis quotidie agnoscebantur, adeoque in Orbe Christiano tum plane domestica erant. Nec inane fuit studium, quod in promouendo Decreti vsu posuerunt Pontifices. Hinc is non in Italia tantum haesit, sed mox etiam in alias terras diffusus est. Ita mox eum in Galliam transiisse et in Parisiensi Vniversitate sedem sibi quaesiuisse Bulaeus *Hist. Vniu. Paris. T. II. ad Sec. IIII. p.* 580. obseruat. Ita postquam Arnoldus Lubecensis *Chron. Slau. L. III. c. 5. §. 2.* Danos laudasset, quod nobiliores iuuenes Parisios mittere soliti essent, vt ibi linguae et literarum studiis imbuerentur, mox addit: *Siquidem propter naturalem linguae celeritatem, non solum in argumentis Dialecticis subtiles inueniuntur, sed etiam in negotiis Ecclesiasticis tractandis boni Decretistae sive Legistae comprobantur.* In Germania vero quod mox etiam increbuerit Decreti vsus, illud maxime argumento est, quod vel ipse Fridericus I. Imp. licet Iuris Ciuilis magis, quam Canonici studiis fauens, adeo tamen Decretistarum necessitatem agnouerit, vt ipsos non minus, quam Legistas, quos solos tamen sine dubio sibi adiungere maluisset, in suo plane comitatu habuerit, eorumque opera in grauissimis negotiis vsus sit. v. *supra ad §. 60. n.* (135) *p.* 533. imo plane filium Henricum his studiis imbui curauerit, quod ex Alberici verbis *supra* ab A. N. §. 60. *in not.* relatis colligitur; quodque eius tempore inter merita Bertholdi, quibus sibi ad Archiepiscopatum Bremensem aditum

Source : BIU Cujas

tum quaesiuerat, *Decretorum* etiam *peritia* relata fuerit. *v. ibid.* S.

(145) Quia Gratianus ad Decretum colligendum tum demum accessit, cum Iuris Ciuilis studium iamiam Bononiae increbuisset v. *supra* §. 61. *n.* (137) *p.* 543. non poterit facile initium laboris a Gratiano suscepti ad hunc annum iam referri, multo minus Innocentius II. illud opus, quod demum anno 1151. prodiit, et de quo, quale quantumque futurum esset, tunc nondum constare potuit, iam 1139. praesenti vsui, de quo Ordericus Vitalis disertis verbis loquitur, commendasse censeri. S.

Ad §. LXIII.

(146) Aliquis locus esset cet.
(147) Exigui vsus haberetur cet.

(146) Imo multus. Duas praecipue causas, quae Decreti auctoritatem vbique promouerint, allegat Franc. de Roye *Instit. Iur. Can. Prooem. §. 6.* et Espenius *Scol. in omnes Can. Concil. P. VI. c. 3. §. 2.* quarum prima est methodus, qua Gratianus in Decreto vsus est, discentibus facilior et iis maxime temporibus grata. Scilicet methodo quadam systematica vsum esse Gratianum ostendimus *supra §. 61. n.* (137) *p.* 543. Haec praelectionibus Academicis aptior merito videbatur, quam qua aliae Collectiones Canonum antiquiores, nullo rerum ordine et interno nexu seruato, consarcinatae erant. Accedebat, quod ea methodus ad normam scholasticam, quae tum Petro Lombardo vel auctore vel promotore passim regnare coeperat, attemperata erat. Auide itaque eam iuuenes excipiebant et ita etiam Decreti ipsius capita et eorum sensum facilius addiscebant. Iura, quae studiosae iuuentuti in scholis, et quidem per modum alicuius systematis, inculcantur, altius omnino haerent animis et fortiores radices agunt, ac certiora incrementa capiunt felicioresque omnino progressus faciunt, quam quae solo vsu addiscuntur. Iustinianus certe nouum, quod promulgauerat, Legum Corpus, non credidit, certius et promtius in vsum deduci posse, quam si Institutionum libello in vsum scholasticum composito, eius saltem principia methodo quodammodo systematica in Academiis commode praelegi et explicari curaret: Gratianus totam Canonum doctrinam hac methodo proponens et Academicis praelectionibus eam offerens, feliciores, quam quiuis ante ipsum Canonum et Decretorum Collector progressus fecit, adeo vt Franciscus de Roye *l. c.* merito dicat: *Cum studiosi a suis Canonici Iuris Professoribus nihil aliud domum suam exportarent, quam Glossas et Commentarios in Decretum Gratiani, hoc ei magnam existimationem apud omnes peraeque gentes conciliare potuit.* In eo sane Ius Canonicum eius temporis ipso Iure Ciuili felicius fuit, quod, cum huius partes pleraeque nullo rerum interno nexu cohaererent, si breuissimum Iuris compendium, quod aliquam methodi speciem prae se fert, excipias, e contrario Iuris Canonici, quod tum fuit, integrum Corpus methodo Academica et ea quidem, quae illi saeculo maxime placebat, compositum esset. Vnde etiam Decretum, licet Iure Ciuili iam fere adulto natum, mox aequo cum illo pede processit, et cum vix lucem vidisset, vbique penetrauit, ita vt statim, vbi Ciuilis, ibi et Canonici Iuris, non raro vero huius, sed nulla illius, vestigia se proderent. Secunda, quae allegatur causa, est fama, quae tum Academiae Bononiensis erat, maxima, ad quam tunc ex omnibus Europae partibus iuuenes certatim conuolabant, adeo vt illa iam ipsis Decreti nascentis temporibus in multas nationes, suis capitibus et magistratibus distinctas, diuisa fuerit, quod vel ipsum Bononiense Kalen-

Source : BIU Cujas

Kalendarium supra allegatum, *ad d. 4. Nou.* iam de *capitibus nationum scholarium* loquens ostendit. De qua Academiae Bononiensis fama et iuuentutis ad eam confluxu iam supra *ad §. 60. n.* (135) *p.* 534. *et* 825. aliqua diximus. Tertia causa a Boehmero *I. E. L. I. T. II. §. 19.* additur, cuius tamen mentionem iam facit Espenius *l. c. in f.* nempe *ruditas seculi, ob quam sine delectu quaeuis inculta et horrida in pretio habebantur, modo speciem quandam eruditionis saperent.* Haec methodum a Gratiano obseruatam, licet multis incommodis laborantem, tanquam egregiam et elegantissimam agnosci suasit, reliquosque, quos passim eruditi carpunt, Gratiani errores densis tenebris inuoluit, Decretique Doctores, tanquam eruditionis et sapientiae quaedam oracula, omnibus commendauit. Accedit IIII. approbatio Eugenii III. summi Pontificis, qua multum auctoritatis Decreto accessit. Licet enim illa non ita sint intelligenda, vt singula Decreti capita singulatim sub examen vocata et per eam approbata dici possent, quod, vt bene monet Boehmerus *Diss. alleg. §. 12. n.* (*g*) genius eius saeculi praestare non poterat, tota tamen compages huius operis vsui Academico ea Constitutione commendata ita est, *vt compilatio magistri Gratiani*, VT SANA ET CANONICA, *publice posset legi et explicari*, vti Kalendarium Bononiense *ad d. 4. Nou.* loquitur, adeo vt non potuerit non inde magna Decreto dignitas accedere. V. huc multum facit seria commonitio, qua Eugenius III. vti iterum Kalendarium Bononiense *ibidem* testatur, *maxime Clericis hoc studium sacrorum Canonum*, et quidem ex hac Gratiani Collectione addiscendum, commendat, quae sane non potuit non vsum huius Collectionis in ipsa tribunalia Ecclesiastica transferre. Iura, quae addisci iubentur, sane non nudae contemplationis gratia commendari videntur, sed vt in ipsis rerum argumentis eo facilius adhiberi possint; adeo vt, nisi me omnia fallunt, haec fere mens fuerit Eugenii III. Audite, legite, discite Iura in Decreto congesta, vt ea aliquando in ipsis negotiis occurrentibus in vsum eo promtius, eo certius, eo facilius, eo vberius, eo felicius deducere possitis. VI. addita spes acquirendarum per haec studia dignitatum. Disertis enim verbis Kalendarium *l. c.* testatur, Eugenium III. ea Constitutione, qua Decretum approbauit, spem fecisse, *fore se magnis honoribus atque dignitatibus cumulaturum eos, qui proficiscent in hac facultate*; quod etiam postea vsu obseruatum esse, exemplum Bertholdi Bremensis, supra *ad §. 62. n.* (138) relatum, docet. VII. Multum etiam Decreti fortunam auxerunt honores strenuis ipsius cultoribus in ipsis Academiis ex praecepto Eugenii III. iam conferendi; et quidem, quod VIII. est, cum praerogatiua dignitatis prae iis, qui vel in Iure Ciuili vel in artibus eosdem honores acquirerent, tribuendi. Imo VIIII. ratio huius praerogatiuae concessae, quod *hi tanquam digniores propter diuinum Ius, quod pertractant, praeferri debeant*, v. Kalend. Bon. *ad d. 7. Martii*, multum sine dubio huius Iuris progressus adiuuit. Accedit X. quod praecipue Germaniam tangit, quod Decretum Gratiani, ex Isidori Mercatoris, Reginonis et Burchardi Collectionibus, quae in Germania ius domicilii habebant, magna ex parte conflatum, viam in Germania sibi iam per illas praeparatam inuenerit. Ex quibus omnibus facile colligitur, in curiis Episcoporum non aliquem tantum Decreto locum, quem ipsi A. N. concedit, sed magnum vtique et eximium fuisse. S.

(147) Quod si quis ea, quae superius *ad §. 60.* de causis, quae Iuris Canonici vsum commendare poterant, nec non ea, quae in notis hanc proxime praecedentibus de Decreto eiusque progressibus dicta sunt, omnia colligat et accuratius perpendat, non poterit non inde concludere, Iuris Canonici vsum saeculis his XII. et XIII. adeo non fuisse exiguum, vt potius e scholis in fora pedem statim promouerit, et a iuuentute Academica eo

proba

Source : BIU Cujas

probe imbuta et post reditum in patriam officiis publicis admota non potuerit non ad decidendas causas adhiberi. Qua in sententia eo magis quisque confirmabitur, qui praecipue considerabit, quo loco Ius Canonicum his etiam saeculis habitum et quanta illud prae Iure Ciuili dignitatis existimatione gauisum fuerit. Testimonium luculentum dignitatis, qua Decretum, cum vix natum esset, exceptum est, iam ex Kalendario Bononiensi *ad d. 7. Martii* supra *ad §. 62. n.* (143) produximus, quo de his, qui honores Academicos in Decreto adepturi sunt, dicitur, quod *tanquam* DIGNIORES PROPTER DIVINVM IVS, QVOD PERTRACTANT, PRAEFERRI DEBEANT, ET PRAECEDANT *in quacunque alia facultate doctorator.* Aliud saeculi XIII. testimonium ex verbis Humberti de Romanis ea, quae a nobis *ad §. 61. n.* (140) producta sunt, sine interuallo praecedentibus, producimus, quod quidem sub Iuribus Canonicis iamiam etiam Decretalium Collectionem, iussu Gregorii IX. S. P. editam, complecti potuit, Decretum tamen vtique non excludit, ad quod elogia Iuribus Canonicis ibidem concessa non minus referri possunt, quam ad illam, cum in eo minorem partem capiant negotia *temporalia*, quam in ipsa Decretalium Collectione. Imo ipsa enumeratio eorum, ex quibus Iura Canonica desumta esse Humbertus scribit, fere innuere videtur, eum primario ad Decretum Gratiani digitum intendere. *Notandum autem*, ait, *quod ista iura Canonica commendabilia sunt a tribus, scilicet materia, et hoc scilicet, quia* VERSANTVR CIRCA SPIRITVALIA, *et ideo* TANTO EXCEDIT, QVANTO SPIRITVALIA EXCELLANT OMNIA TEMPORALIA. *Item ab auctoritate: sunt enim educta partim a iure naturali, partim a iure diuino, partim a dictis sanctorum, partim a sententiis Romanorum Pontificum, partim a conciliis, partim a legibus,* QVAE OMNIA SVNT MAGNAE AVCTORITATIS. *Item ab vtilitate. Haec enim sunt, quasi sepes circa vineam Domini, de qua habetur Matthaei 20. Nisi enim haec essent, multa et varia vitia irruerent in Ecclesiam Dei, quae ipsam omnimode dissiparent. Sunt iterum superaedificatio super fundamentum Apostolorum et prophetarum, quia super doctrinam ab eis traditam haec superaddita sunt ad completionem aedificationis Ecclesiae. Item sunt quasi quaedam colligatio totius boni christianitatis, quod effunderetur, nisi per ista restringeretur, sicut vinum dolii sine colligatione effunditur. Patet igitur, quod triplex est vtilitas huius iuris canonici, scilicet defensio a vitiis multis, consummatio aedificii ecclesiastici, conseruatio bonorum spiritualium. Notandum iterum, quod in huiusmodi scientia Iuris sunt multa, quae pertinent ad animarum salutem. Alia vero, quae pertinent ad causas litigiosas.* Haec, quibus Decretum vel solum, vel Decretalibus iunctum, ornatur, *dignitatis* et *auctoritatis* elogia, eiusdem vsum non scholasticum tantum, nec contemplationi vnice seruientem, sed negotiis discutiendis omnino destinatum et forensem plane, non obscure ostendunt. Imo tandem, quicunque eorum, quae hic et in Notis allegatis dicuntur, calculum bene inierit, ille non difficili negotio inde deducet: I. Quod Eugenius III. S. P. Decretum Gratiani disertis verbis approbauerit, vt in scholis publica auctoritate doceretur, ea tamen mente, vt docendo non omnis eius vsus absolueretur, sed potius, vt per hunc vsum Academicum vsus eius forensis eo felicius promoueretur. Studia, quae sua natura *practica* dicere solemus, cuiusmodi est sine dubio Iurisprudentia quaeuis, si a superiore approbantur, non sane ad vsum tantum *theoreticum* destinari, sed ad eum, quem sua natura sibi proponunt, finem, nempe *practicum* approbari merito censentur. *v. supra ad h. §. not.* (146) *n. V.* II. Quod *Compilatio Magistri Gratiani, sana et canonica* a Summo Pontifice iudicata, atque *summopere* omnibus, *et maxime clericis commendata* non potuerit non eo tempore iudicis Ecclesiastici con-

Source : BIU Cujas

scientiam ita adstringere, vt in causis ecclesiasticis diiudicandis eius rationem serio habere debuerit. Collectio capitum ad vitae regulas et actionum ac iudiciorum normam tendentium ex iis fontibus profecta, qui sua virtute *magnae auctoritatis* aestimantur, si ab eo, qui iubendi potestatem habet, iis, qui eius imperio subesse censentur, et in negotiorum eius generis discutiendorum et regulae alicuius quaerendae et obseruandae necessitate versantur, operose commendatur, non potest non eos, quibus commendatur, necessitate quadam, eius in negotiis a se diiudicandis studiose obseruandae, afficere. III. Quod Decretum Gratiani non longo, postquam editum erat, tempore, ad causas etiam saeculares decidendas a Germanis recipi coeperit. Rationes fere eaedem, quae receptionem Iuris Romani Germanis eo tempore commendabant, Decreti etiam vsum suasisse videntur. Ex confluxu Germanorum in Academia Bononiensi Iurisprudentiae operam dantium, quae pro receptione Iuris Ciuilis Romani *supra ad* §. 60. *n.* (135) *p.* 526. colliguntur argumenta, ea non minus pro recipiendo a Germanis Decreti vsu militant. Quae ex rei nouitate et Legum Germanicarum penuria deducuntur *ibid. p.* 526. *et sqq.* ea fere omnia pro Decreto Germanis commendando non minus pugnant. Si Imperatores, et qui ipsorum partibus adhaerebant, Iuri Ciuili Romano introducendo studebant, *v. ibid. p.* 528. *seqq.* sane Iuri Canonico promouendo fauebant Pontifices, Viri Ecclesiastici, et quicunque fere a Guelphorum partibus stabant: quod patrocinium, quanti eo tempore fuerit, quilibet rerum eius temporis gnarus, vel me tacente, facile intellecturus est. Sed sunt quaedam, eaque non leuia, quae huius prae illo receptionem Germanis suasisse videntur. Illud, si loca, si tempora originis, si auctores, mores et decidendi rationes perpendas, in Germania omnino peregrinum; hoc omnibus, qui tunc orbem Christianum incolebant, fere domesticum, *v. supra* §. 62. *not.* (144) maxime autem Germaniae *v. supra* §. 63. *n.* (146) *num. X.* Illud dignitate, quae multos mouet, inferius, hoc superius habitum, vti iam ex Kalendario Bononiensi et Humberto de Romanis ostendimus. Illud non tam suo merito, quod in iis tenebris vix satis agnosci poterat, nisi in quantum id Imperatoribus fauebat, quam rei nouitate et patriarum Legum penuria se Germanis commendabat, atque ita liberrima voluntate vel recipi vel reiici poterat; hoc his rationibus adiungebat merita, quae ipsi accedebant ex dignitate fontium, ex quibus petitum erat, quique, si etiam in Decretum collecti non fuissent, tamen *magnae auctoritatis* aestimati fuissent, ita vt non plane ex arbitrio, sed quadam necessitate et fere ex conscientiae motu tum receptum fuisse videatur. Cum omnia itaque auctoritatem Decreti loquantur, facile nunc intelligi poterit Albericus Monachus *in Chron. ad an.* 1156. qui post Collectionem, quam a Magistro Omnibono consarcinatam dicit, non sine suspicione erroris v. Boehm. *Diss. alleg.* §. 10. et ibid. *n.* (s) laudatam, Gratiani etiam mentionem faciens, tandem subiungit: *per* ipsum (Gratianum) *ista doctrina magis facta est* AVTHENTICA. Quae verba satis apte explicat I. Chifletius *de Iur. Vir. Architectis c.* 5. §. 5. *et* 6. Plura non addo, nec superius dicta repeto. Vnum silentio praeterire non possum, nempe Ioannem Semecam Teutonicum iam Saec. XIII. ineunte, vel saltem parum adulto, in Germania Glossas quorundam extra Germaniam ante se editas reformasse, et paucis additis suas fecisse, atque ita inter Germanos primum Decreti Glossatorem, quantum scimus, fuisse; non vtique, vt eius vsum tantum in scholis promoueret, quod tum non ita commode in Germania, Academiis nondum constitutis, fieri poterat, sed, quod viri est Germaniae commoda sollicite promouentis, qualem ipsum fuisse perhibent, vt regulae in ipsis rerum argumentis iam obseruari solitae lucem, quam posset, affunderet. Ex hoc tamen Semecae labore et illud discimus,

Gra-

Source : BIU Cujas

Gratiani Decretum iam ita in Germania ea tempestate notum fuisse, vt et Germani illud iustis iam Commentariis illustrare e re sua esse duxerint, longissimo annorum interuallo, antequam de Iure Ciuili vel vnica notula ornando in Germania quisquam cogitasset; non leui argumento, vsum Iuris Canonici citius in Germania, quam Iuris Ciuilis increbuisse. De Decreti enim, quae hoc et sequentibus saeculis non alibi tantum, sed et in Germania fuerit, auctoritate paulo inferius, vbi de Decretalium Collectione agendum erit, aliqua dicentur.

Cum vero rerum ordo nos ad Iohannem Semecam Teutonicum deduxerit, eiusque memoria multis dubiorum nubibus obducta sit, operae pretium facturi nobis videmur, si eas, quantum fieri possit, discutere tentemus. Statim tamen in limine monemus, non vnum tantum eo tempore inter Germanos fuisse Iohannem, cui meritorum suorum in patria inclarescentium fama *Teutonici* nomen pepererit. Videntur potius ea, quae vni Semecae tribuuntur, inter duos ad minimum viros *Iohannis Teutonici* nomine claros diuidenda. Nos *Iohanni Semecae Teutonico* tribuemus, quae ipsi propria esse suspicamur, relaturi ad alterum *Iohannem Teutonicum*, Semecae nomine non insignitum, quae in *Semecam* cadere non posse videntur; addituri singulis vitae vtriusque momentis auctorum, quibus relatio nititur, consensum. Ioannes Semeca Teutonicus, in agro Halberstadiensi patre sutore natus esse dicitur a Meibomio *Chron. Marienthal Rer. Germ. T. III. p. 261.* et Ioh. Mich. Heineccio *Antiq. Goslarienf. L. III. ad ann. 1237. et 1238. Script. Rer. Germ. p. 253.* Qua fide is hac patria, hoc patre, ortus dicatur, nec hi auctores indicant, nec ego vsquam inuenio. Certe Semeca Friburgensis non fuit, quam patriam tamen Iohanni Teutonico, *Glossae in Decretum* et *Summae Confessionis* Auctori, tribuit Possevinus *Apparat. T. II. p. 254.* cum tamen ea, quae Iohanni Teutonico Friburgensi propria sunt, in *Semecam* et *Glossae* et *Summae* auctorem non cadere, ea, quae inferius dicentur, probare possint. Semecam etiam obscuris natalibus ortum fuisse probat inuidia, qua ipse a quibusdam Canonicis Halberstadiensibus, omne meritum in splendore natalium quaerentibus, exceptus fuisse passim commemoratur. Diu Iuri vtrique operam dedit, Azone praeceptore vsus, quod fide *Glossae in c. quando cet. 4. D. 86.* asserit Panzirolus *de Clar. LL. Interpr. L. III. c. 6.* Caueus *Hist. Lit. Eccles. ad ann. 1250. p. 633.* Mastricht *H. I. E. n. 334.* In Canonum vero scientia parum vtique profecisset, si solo Azone praeceptore vsus fuisset, quem non satis in ea versatum fuisse, indicat infelix disceptationis, quae ipsi cum Boatino Mantuano fuit, euentus, quem ex Ioh. Andreae *Comm. ad C. Relatum cet. 19. X. de off. et pot. Iud. deleg.* refert Panzir. *de Clar. LL. Interpr. L. II. c. 25.* Siue itaque alii adhuc Praeceptori se adiunxerit, siue proprio studio Iuris Canonici praecepta didicerit, adeo felices in eo tamen progressus fecit, vt mox ad dignitatem *Magistri et Doctoris Decretorum* peruenerit, qua ipsum Monachus Hamerslebiensis *de Basil. Goslarienfi in Leibn. Script. Rer. Brunsuic. T. II.* ornat, cum Krantzius *Saxon. L. VIII. c. 27.* et Auctor *Paralipom. ad Abb. Vrsperg. Chron. ante ann. 1254.* ipsum *Iuris Doctorem* breui sermone appellent. In Goslarienfium Praepositorum Ecclesiae SS. Simonis et Iudae numerum eum refert Heineccius *l. c.* non tantum Monachi Hamerslebiensis et Emseri testimonio fretus, sed et in hac sententia fide membranae vetustae, quae circa eadem tempora testem negotii cuiusdam exhibet Iohannem Praepositum Goslariensem, confirmatus. A Praepositura Goslarienfi ad dignitatem Praepositi Ecclesiae S. Stephani Cathedralis Halberstadiensis transiit; qua dignitate quidem ipsum vno fere ore omnes scriptores ornarunt Krantzius *l. c.* Auctor *Paralip. ad Abb. Vrsperg. Chron. l. c.* Hamerslebiensis Monachus *l. c.* Langius *Chron. Citiz. nu.*

Source : BIU Cujas

812. *in Pist. Script. R. Germ. T. I. p.* 1185. Wolffius *Lect. Mem. T. I. Cent.* 13. *ad annum* 1269. Panzirolus *l. c.* Conring. *de O. I. G. c.* 26. *p.* 156. Mastricht *l. c.* Adamus *Vit. Ictor. nu.* 1. Struuius *Hist. Iur. c.* 7. §. 21. Meibomius atque Heineccius *ll. cc.* Transitum hunc contigisse anno demum 1240. ex eo probat Heineccius, quod hoc anno iam mentio in membranis Goslarienſibus fiat Ludolphi Praepositi. Parum ergo accurate versantur illi, qui iam sub initio saec. XIII. eum ad hoc fastigium peruenisse scribunt Panzirolus, Mastricht aliique, quorum error eo minus verosimilitudinis habet, quod eum, qui non ex commendatione natalium, sed proprio merito, adeoque per gradus et quidem tardius ad honores illos ascendit, demum anno 1269. decessisse scribant, adeo, vt ipsum humanae vitae mensuram fere excessisse necessario fateri cogantur. Qui ipsius dignitatem magna inuidia prosecuti sunt, inter Canonicos Halberstadienses praecipue nominantur Cono Depholdius, Volradus Kirchbergius, Conradus Cranichfeldius, Wiggerus Bilstenius, Henricus Reinsteinius, Bartholdus Klettenbergius, Christianus Stolbergius, viri generis nobilitate illustres, sed nobilitatem omnem ex sanguine aestimantes. Ipse virtutis suae conscientia et eruditionis fiducia confirmatus, arrogantiam illorum, sua sibi ignorantia et socordia vnice placentium, fortiter repressit. A Meinhardo Transfeldio, Episcopo Halberstadienſi, cui a Praepositi dignitate ad Episcopalem elato in illa successor datus fuerat, anno 1242. cum Burchardo Vice-Domino et aliis quibusdam Canonicis negotiorum quorundam causa in vallem Diuae Mariae ablegatus esse dicitur a Meibomio *ibid.* Obiit anno 1245. quem annum iam Conringius Semecae vltimum fuisse asserit, Meibomius autem atque Heineccius hoc maxime argumento probant, quod in Catalogo Praepositorum Halberstadienſium mox anno 1246. occurrat Hermannus Anhaltinus; Meibomius huic argumento adhuc addit testimonium Chronici MSCti Iohannis Winnistedii. Plerique eum a Clemente IIII. S. P. Praepositura exutum et vel a. 1267. vel 1269. defunctum esse scribunt. Verum cuius successor statim post annum 1245. inter Praepositos Halberstadienses legitur, ille non potuit a Clemente IIII. ad cathedram Summorum Pontificum viginti annis postea demum euecto, Praepositura priuari; praecipue cum in multis tabulis et instrumentis tempore Clementis IIII. non Semeca, sed Hermannus Anhaltinus eius successor, teste Meibomio, inueniatur. Tota itaque illa litis cum Clemente IIII. historia, et quaecunque inde pendent rerum momenta, quae Krantzius, Auctor Paralipomenorum, aliique cum ipsis certatim commemorant, protinus concidunt. Multo magis etiam corruunt eorum commenta, qui de ipso tanquam anno 1271. adhuc superstite loquuntur, vti Bodinus *Daemonom. L. II. c.* 4. *in f.* cuius dicta, etiamsi hoc errore non conuellerentur, parum tamen fidei inter viros emunctioris naris inuentura essent. Corruit Freheri assertio, qui Semecae mortem ad annum 1272. plane refert *in Chronologia Iuri Graeco-Romano praefixa.* Sepultus est Halberstadii in Ecclesia Cathedrali *prope chorum ad Austrum sub alto caelatoque mausoleo ac epitaphio glorioso*, quod se anno 1516. *dum eandem antiquitatum amore lustraret vrbem*, vidisse testatur Langius *Chron. Citiz. l. c.* Cum quo consentit descriptio, quam Meibomius exhibet: *Mausoleum eius adhuc visitur ad latus meridionale presbyterii siue chori, in quo imago eius habitu Canonici incisa inspicitur.* Cum quibus fere conspirant, quae habet Heineccius. Vterque versus huic Mausoleo inscriptos sequentes exhibet:

Est, erit, atque fuit, qui desiit esse Iohannes.
Dogma viget, viguit, florebit in omnibus annis.
Lux Decretorum, Dux Doctorum, via morum,
Hic iacet, et placet, vt vacet a poenis miserorum.

Eosdem

Source : BIU Cujas

Eosdem etiam sistit Adamus *l. c.* qui et alios iidem adscribi testatur; quos tamen, cum lapidi sepulchrali incisi non sint, vti praecedentes, nec quidquam cum his commune, nec quod Semecae proprium esset, et non in plurimos caderet, habeant, ad ipsum referendos non existimamus. Splendor ipse monumenti sepulchralis in loco Ecclesiae, in qua eminentiori dignitate gauisus erat, plane honorifico, Iohanni Semecae Teutonico positi, nec non elogia prorsus eximia illi ibidem adscripta satis iam sua sponte indicarent, eum dignitate sua adhuc ornatum decessisse, si vel ipse temporum ordo, vt paulo ante monuimus, ea omnia, quae de dissidio inter Clementem IIII. S. P. et Semecam agitato sparguntur, non omnino conuelleret. Vnde et Langius *l. c.* traditioni illi confictae adhuc insistens, haec elogia cum illa aliter conciliare non potuit, quam vt ipsum Semecam *reconciliatum* fuisse diceret; qua reconciliatione tamen opus non fuit illi, qui, vt temporum ordo satis indicat, a Clemente IIII. viginti demum annis postea ad Summi Pontificis cathedram elato nihil sinistri experiri potuit. Eadem monumenti decora et elogia, vti bene Meibomius atque Heineccius ostendunt, refellunt etiam ea, quae de Semecae occasu violento spargebantur figmenta. Opera, quibus Semecae fama inolaruit, duo sunt. Primum est Collectio Glossarum, quibus alii, quos Panzirolus *l. c. c.* 3. 4. 5. recenset, ante ipsum Decretum illustrauerant, suis Glossis aucta, quam postea Bartholomaeus Brixiensis emendavit et denuo auxit. v. Panzir. *l. c. c.* 7. et Meibomius *l. c.* Ex quo etiam erroris conuincuntur illi, qui eum primum omnium Decreti Glossatorem fuisse asserunt Kranzius, Auctor Paralipomenorum, Langius, h. Pantaleon, Freherus, Conringius, Adamus; cum primus quidem Germanorum, non vero omnium vbique, qui Glossas in Decretum scripserant, dici possit. Alterum eius opus *Summa Confessionis* laudatur ab Alberico de Rosata *in Prooem. Dictionarii Iuris in f.* quod compendium primum inter epitomes locum obtinere, adeo vt, vbi *Summa* alio non adiecto allegetur, haec *Summa* Semecae intelligatur, cum hoc Alberico asserunt Panzirolus et Mastricht *ll. cc.* Iudicia de eo varia fuerunt eruditorum. Laurentius Cremensis, Glossator Decreti, id, quod Caius Caligula in Senecam olim coniecisse dicitur a Suetonio *in vita Caii Cal. c.* 53. huic Semecae leuibus argumentis suas opiniones quandoque firmanti, etiam obiecisse conuitium, eum *arenam sine caemento ligare*, dicitur a Glossa *in c. facientis cet.* 3. *Dist.* 86. et Barth. Caepolla *de Seruit. Praed. Vrb. c.* 40. §. 1. atque Panzirolo *l. c. c.* 3. *et* 6. aliisque. Langius *l. c.* licet ipsum *in sua facultate id est, Iuris scientia peritissimum et Iuristarum antesignanum* vocet, tamen eum *ob Graecanicarum literarum inscitiam complures in suis Glossis commisisse ineptias, maxime in Dist. 9. c. Vt veterum librorum cet.* 6. monet, et Erasmi, Prologum Hieronymi in Pentateuchum explicantis, acre in Semecam, suppresso tamen eius nomine, iudicium allegat. Alii impense eum laudant, et Herculeam eius in Decreto illustrando audaciam extollunt. Media via incedit Panzirolus, cuius haec de ipso sententia est: *Etsi quandoque ineptis, vt illa aetas ferebat, vocibus vtitur, non modicam tamen Gratiani operi lucem affert cet.*

Vrstisius *Chron. Basil. L. II. c.* 17. inter Generales Ordinis Praedicatorum Magistros quartum sistit *Iohannem Friburgensem*, in Capitulo Generali Parisiensi a. 1242. electum, mortuum in Monasterio Praedicatorum Argentoratensi a. 1253. Volaterranus *Comment. Vrban. Lib. XXI. f.* 240. *Edit. Basil. de a.* 1530. etiam quartum inter Generales Praedicatorum refert *Iohannem, Germanum natione*, quodque *officium aegre ac Gregorio VIII. impulsore vix subierit, cum paulo ante Praesul Bosnensis fuisset, ac vt sanctius ageret et quietus, Praesulatu se abdicauerit*, recenset. Posseuinus *Apparat. T. II.* quendam *Iohannem Teutonicum, Friburgensem, Episcopum Bessinensem*, auctorem *commentariorum MSCto-*

Source : BIU Cujas

rum super quatuor libros Magistri sententiarum, aliorumque operum laudat, ex quibus aliqua *Iohanni Semecae Teutonico* merito restituimus. Consentiunt hi omnes in nomine *Iohannis*, consentiunt in patria, ita vt Vrstisius et Posseuinus nomen ciuitatis, Volaterranus tantum nationis exprimat, cuius verba *Germanus natione* ab agnomine *Teutonici*, quod Posseuinus tribuit, non multum abludunt. Consentit Volaterranus cum Posseuino in dignitate Episcopali *Iohanni* suo adscribenda, consentit etiam cum Vrstisio in Magisterio Generali Ordinis Praedicatorum assignando; imo viam Volaterranus indicat, qua *Iohannes*, antea Episcopus, potuerit ad regimen Ordinis sui peruenire, cum eum desiderio sanctioris et quietioris vitae Episcopatu se abdicasse, ad Magisterium Ordinis vero suscipiendum a summo Pontifice compulsum fuisse dicat. Huc igitur mallem referre, quod Albericus de Rosata *Prooem. Diction. Iuris in f.* et cum eo Panzirolus et Mastricht *ll. cc. Semecae* ex errore forsan tribuunt, quod *Ordinis Praedicatorum* fuerit. Haec itaque, quae ex Vrstisio, Volaterrano, Posseuino, de *Iohanne Friburgensi*, Episcopo et post abdicationem Generali Ordinis Praedicatorum Magistro produximus, alium plane nobis *Iohannem*, forsan etiam aliquibus ob nominis inter Germanos celebritatem *Teutonicum*, vti Posseuino, dictum, cum illo *Iohanne Semeca Teutonico*, *Glossae* et *Summae* auctore non confundendum sistunt. Nec sane alienum ab istis temporibus videtur, non vnum tantum *Iohannem* Teutonici nomine insignitum dicere, cum quoscunque viros in suo populo claros, nomine illius ornare tum frequentius soliti fuerint, adeo vt et tertium Iohannem Teutonicum, Cameracensis Monasterii Canonicum Regularem, multorum ad vitae religiosae incrementa spectantium librorum auctorem ibidem producat Posseuinus. *Iohannis Friburgensis* autem (non illius *Semecae*) arbitramur esse Epitaphium, quod apud nos in extremo versus Orientem angulo Brabeuterii, olim Chori Praedicatorum, hodieque supereſt; cuius imaginem et inscriptionem accurate depictam, notisque eruditis illustratam, et cum authentico suo in omnibus punctulis (vti ipsa lapidis inspectio sollicite a me instituta docuit) mire consentientem mihi pro ea, qua solet, humanitate liberaliter concessit Celeberrimus Schertzius noster, Vir non annis magis et dignitatibus, quam meritis vere venerandus. Lapis ipse oblongus sepulchro, duorum forte pedum altitudine super terram elato, incumbens hanc Inscriptionem, per quatuor laterum margines diuisam, et antiquioribus literarum ductibus exaratam, saluam tamen, et plane incorruptam, ostendit:

✠ FRATER· IOHANNES· DEI· GRACIA· EPS.
ET· MAGR· ORDINIS· FRM· PDICATOR.
℔· ANNO· DNI· M°· CC°· LII°. III°. NONAS.
NOVEMBRIS· REQVIESCAT· IN· PACE· AMEN.

Mediae lapidis parti incisa est pedi pastoralis figura. Ipsa Inscriptio cum iis, quae modo laudati Auctores produnt, satis amice conspirat. Sistit enim Iohannem Episcopum, nomine Dioeceseos non addito, vt indicet, eum dignitate quidem, non vero officio Episcopi tum quidem gauisum esse, adeoque eo se antea abdicasse, qua in parte Volaterrani dicta confirmat. Addit alteram dignitatem Magistri Ordinis Praedicatorum, atque ita Vrstisii et Volaterrani narrationi fidem facit. Vnica huic lapidi lis est cum Vrstisio in anno mortis signando, quem lapis 1252. Vrstisius 1253. indicat. Verum, vbi pugna inter monumentum publicum, ad conseruandam viri in

Source : BIU Cujas

in eminentiori loco constituti memoriam, ab iis, qui illam recentem adhuc, imo plane praesentem impense colunt, fideliter et cum cura erectum, ex vna parte, et scriptorem priuatum, aliquot ab illo saeculis remotum, ex altera versatur, ego sane nullus vnquam dubitarem, monumenti causam tueri, et scriptoris narrata, illi contraria, erroris damnare. Quod eo magis hic obtinere debet, quo leuior, et hinc obreptu facilior est error Vrstisii, aliquot saltem mensium adiectione peccantis. Antequam autem causam hanc omnino deseramus, age, colligamus etiam ex Vrstisio, Volaterrano, Posseuino, Epitaphio Argentinensi potiora capita, quibus vlterius demonstremus, *Iohannem* hunc, his testibus laudatum, diuersum plane esse ab illo *Iohanne Semeca*, *Glossae* et *Summae* Auctore. *Iohannes* noster Vrstisio et Posseuino Friburgensis dicitur; ille *Iohannes Semeca*, in agro Halberstadiensi natus perhibetur; quod eo probabilius redditur, quo minus ea, quae de Friburgensi dicuntur, in illum *Semecam* cadere possunt. *Iohannes Friburgensis* anno 1242. in Magistrum Ordinis Praedicatorum electus est, *Iohannes Semeca* et ante et post illum annum Praepositus Halberstadiensis fuit, eoque ipso anno ab Episcopo Halberstadiensi negotiorum causa in vallem Mariae missus. *Iohannes Friburgensis* Episcopalem dignitatem obtinuit; *Ioannes Semeca* ab anno 1240. ad annum 1245. Praepositura Halberstadiensi functus, nec ante nec post hoc quinquennium ad Episcopalem dignitatem euectus facile dici poterit. Non ante illud; siquidem antequam ad Praeposituram Halberstadiensem peruenirent, Goslariensi Praepositura functus est. Diceres, eum, antequam Goslariensem Praeposituram susciperet, Episcopum electum fuisse, et hac dignitate se mox iterum abdicasse. At vero is abdicatione sua quietem quaesiuit, et desiderio vitae monasticae, vti Volaterranus innuit, Episcopatum deposuit, vt non rursus negotiis immergeretur, et ad alias dignitates transiret, atque Praeposituram Goslariensem susciperet, mox per eam ad Halberstadiensem ascenderet, atque ita sibi viam proximam ad alium Episcopatum sterneret. Nec post illud quinquennium ad Episcopalem dignitatem evehi potuit. Nam aut anno 1245. decessit, vt supra euicimus, et tunc sane cessat omnis de Episcopali dignitate postea acquisita disputatio. At eo anno depositus est, et tunc mirum videretur, eum, qui Praepositura indignus a Summo Pontifice iudicatus esset, mox plane sublimi Episcopatus honore ornatum fuisse. Cum vero omnia, quae de eius depositione dicuntur, ex iis, quae inter Clementem IIII. et ipsum exarsisse finguntur, odiis pendeant, haec autem temporum ratione refellantur, vt supra ostendimus, hinc haec Episcopalis dignitatis post annum 1245. acquisitio, quae non nisi commentitia illa depositione niti posset, protinus corruit. *Iohannes Friburgensis* itaque his Episcopi et Magistri Ordinis Praedicatorum dignitatibus gauisus est, illaeque ipsi etiam in Monumento Argentinensi tribuuntur. Si illae ad *Iohannem Semecam* referendae essent, cur inter elogia et ornamenta Monumenti Halberstadiensis nulla harum dignitatum insignia, nulla vestigia occurrunt? Si quis forsan haec quouis modo conciliaturus crederet, Halberstadiense monumentum viuo adhuc Semecae, ad nomen eius, cum inde discederet, celebrandum positum esse, illi grauiter obloquerentur verba eius monumenti, quae id tum positum esse dicunt, cum *fuit*, ac *desiit esse Iohannes*. Si hae dignitates *Semecae* fuissent, cur Monachus Hamerslebiensis, qui alias sollicite notat, ad quas quisque Praepositorum Goslariensium dignitates postea peruenerit, *Semecae* nullam, quam Praepositi Halberstadiensis adscribit; cur Langius, Kranzius, Auctor Paralipomenorum, omnia, quae *Semecam* ornare possunt, studiose congerentes, has dignitates alto silentio premunt? Denique *Iohannes Friburgensis* obiit et sepultus est Argentorati. Lapidis situs et figura, Inscriptio nominis et dignitatum, Anni et diei obitus, cum voto: *Requiescat in Pace. Amen.*

monu-

Source : BIU Cujas

monumentum non nisi sepulchrale loquuntur. *Iohannes Semeca* sepultus est Halberstadii. Nec enim monumentum Halberstadiense coenotaphium tantum est, sed verum sepulchrum, quod verba vltimi versus satis indicant: *Hic iacet.* Plures in Iohannis Semecae rebus referendis non satis accurate versatos esse obseruauimus, vel quod temporum ordinem minus bene secuti sint, vel quod *Iohanni Friburgensi* debita parum caute ad *Iohannem Semecam* retulerint. Vtroque modo errasse etiam videtur Mornaeus *Hist. Pap. p.* 370. *edit. Gorich.* 1662. qui primo in eo fallitur, quod *Semecam* primum omnium Decreti Glossatorem scribat; secundo, quod vulgarem de Clementis IIII. S. P. in *Semecam* iris fabulam adoptauerit, quam temporum tamen distantia refellit; et demum tertio, quod *Semecam*, citato etiam Volaterrani testimonio, *in Sanctorum Canonem relatum* scribat; cum tamen Volaterranus de *Iohanne*, Episcopo et mox Magistro Ordinis Praedicatorum, adeoque non de *Semeca*, loquens subiungat: *relatus et ipse inter beatos.* Ipsum tamen sanctis adscriptum esse non inuenio in Iusti Fontanini *Codice Constitutionum de Canonizatione Sanctorum Romae* 1729. S.

Ad §. LXV.

(148) Iurisperitorum Consilium.

(148) Ita in charta anni 1243. apud Reverendiss. Koppium *Vindic. Actor. Murens. P. II. c. 9. p.* 299. Albertus Comes de Habspurg, IVRISPERITORVM VSVS CONSILIO, *omni actioni, quae ipsi competere posset, renunciat; et praeterea omni* IVRIS CIVILIS *subsidio, vel* ECCLESIASTICI, *omni etiam Instrumento, seu beneficio in integrum restitutionis, iuri minoris, siue cuiuslibet aliae occasionis vel industriae, quae renunciationem ante dictam rescindere possent.* S.

Ad §. LXVI.

(149) Meminit in charta VI. cet.

(149) Idem instrumentum venditionis praediorum in Dietigkon et Slieron, quae inter Comitem de Habisburch et Monasterium de Wettingen interceffit, etiam apud Herrgott. *Orig. Habsp. T. II. n.* 431. occurrit et multa alia Iuris Ciuilis vsum probantia continet. Praecipue autem notari merentur verba: *promittentes, quod vniuersos et singulos defectus, si qui praesenti instrumento a Iurisperitis de cetero notari poterunt inesse, emendari, corrigi et suppleri promptissime faciemus: attendentes, quod in contractibus plena; in testamentis plenior; in beneficiis plenissima interpretatio et fides debeat adhiberi.* S.

Ad §. LXVIII.

(150) Actionum personalium, realium et mixtarum.
(151) Iuris Romani formulae.

(150) Vix alia mihi renunciationis formula vsquam occurrit, quae tot capita Iuris Ciuilis et Canonici exhibeat, atque tam vberem Iuris vtriusque vsum iis temporibus fuisse ostendat, quam charta venditionis nondum edita, quae Conradi Abbatis Murbacensis est de an. 1313. atque in chartulario Murbacensi seruatur: *Renunciantes*

Source : BIU Cujas

Renunciantes nihilominus expresse et de certa scientia pro nobis et nostris successoribus exceptioni doli mali non solute non tradite non numerate pecunie non ponderati argenti deceptionis vltra dimidium iusti pretii beneficio restitutionis in integrum Constitutioni hoc ius porrectum literis et priuilegiis et quibuscunque libertatibus a sede Apostolica aut aliunde vbilibet concessis aut concedendis ac omni iure et iuris auxilio et beneficio Canonici Ciuilis consuetudinarii et municipalis scripti et non scripti vniuersisque exceptionibus actionibus tam iuris quam facti et specialiter iuri dicenti generalem renunciationem non valere quibus vel quorum ope dictus contractus in toto vel in parte cassari posset aut quomodolibet in irritum reuocari. S.

(151) Formulae beneficiis e Iure Romano deriuatis renunciantes huius Iuris vsum forensem abunde probant, inanes plane et ridiculae futurae, si iuribus inusitatis renunciarent. Nec quis obiiciat, quod et hodie nihil frequentius sit, quam contractuum aut aliorum negotiorum instrumentis inseri clausulas vel renunciationum vel alias, inutiles plane et alienas, imo saepe absonas, idque scribentium vel oscitantia vel insciția, vel cupiditate lucri, vt paginarum numerus, atque ita mercedis quantitas crescat, fieri, nec tamen inde doceri, harum clausularum aliquem in negotiis, quibus adiiciuntur, vsum esse. Verum ne nos quidem probare volumus, renunciationes illas antiquas, de quibus loquimur, iis negotiis, quibus adiectae fuerunt, semper aptas fuisse; sed hoc tamen inde merito deducimus, mentionem beneficiorum ex Iure Romano deriuatorum ostendere, illud Ius familiariter plane cognitum tunc fuisse, imo renunciantes credidisse, se his beneficiis Iuris Romani, nisi iis renunciarent, in iudiciis adiuuari posse; quo ipso vsum Iuris Romani quotidianum satis ostenderunt. Renunciatio, quam *not.* (150) produximus, per varios Pandectarum et Codicis titulos diffusa, horum, nec non eorum, qui cum his arcto vinculo iungun-

tur, aliae, quarum copia hic et alibi prostat, aliorum titulorum vsum perspicue probant, ita vt inde non temere inferamus, totam Iuris Romani compagem quotidiano iudiciorum vsu iam tum receptam et inueteratam fuisse. Nondum tamen extabat Constitutio Imperatoris, vsum huius Iuris disertis verbis aut confirmans, aut iam introductum agnoscens. Tandem Ludouicus Bauarus singulari Constitutione in hunc finem vnice promulgata an. 1342. cum consensu Statuum, de quo fidem faciunt Electoris Moguntini literae, Constitutioni ipsi insertae, edixit: *Daz man an unserm Hofgericht fürbas allermenniklich richten sol nach unser Vorvarn Kunigen und Keisern Gesezen, und geschriben rechten cet. v. Rec. Imp. edit. nouiss. P. I. p. 44. et sq.* Sub his Regum et Imperatorum, suorum antecessorum, Legibus, et Iuribus scriptis quod non solas Imperatorum Germanicorum, qui praecesserant, Constitutiones, sed, si non solum, saltem cum illis, etiam intellexerit Ius Iustinianeum, multa perspicue probant. I. Quod Ius Iustinianeum iam antea in negotiis perpetuam et constantem auctoritatem, vti ex praecedentibus vberrime apparet, consecutum fuerit. II. Quod ipse Ludouicus Bauarus magna reuerentia Ius Iustinianeum prosecutus sit, adeo vt inter *coelestis thesauri testimonia* id quadriennio ante hanc Constitutionem retulerit. v. A. N. *h.* §. III. Quod eo quidem tempore nondum tot promulgatae fuerint Imperatorum Germanicorum de controuersiis priuatorum ciuilibus Constitutiones, quae solae sufficere potuissent regulae communi constituendae, quae omnibus negotiis a Iudicio Aulico decidendis par esse posset, cuius rei gratia tamen Constitutio illa vnice promulgata fuit. IIII. Quod ex opinione, quae diu mentibus Imperatorum Germanicorum inhaesit: Imperium nempe illud Romanum antiquum adhuc supereſſe et a se continuari, atque Imperatores Romanos, etiam eos, qui Constantinopoli sedem Imperii fixissent, esse suos in eodem Imperio anteceſſores; facile potuerit et debuerit iis

Source : BIU Cujas

etiam nasci opinio, imo et nata sit, quod Imperatorum illorum, tanquam suorum Anteceſſorum, Leges non ex libera voluntate tantum recipiendae, sed tanquam ab Imperatoribus latae Imperii ciuibus ex neceſſitate quadam legali eſſent obſervandae. Primi, qui Ius Iuſtinianeum Germaniae commendarunt et in vſum eius deduxerunt Iuris Cultores, Iudices, Imperatores, ſine dubio rationibus illis ſuaſoriis, quas *ad §. 60. n.* (135) recenſuimus, vſi fuerunt: alii, qui proximis ab eo tempore ſaeculis Iuris illius vſum iam introductum inuenerunt, bona fide id Ius tanquam ab Imperatoribus datum, ex opinione illis temporibus familiari, Imperio proprium et quaſi domeſticum reputarunt. Huius opinionis etiam fuiſſe videtur Ludouicus Bauarus. Si ea tempeſtate, qua renaſcentem literarum lucem iam ſalutare licuit, Maximilianus I. eadem adhuc opinione imbutus, potuit Iuris Iuſtinianei ſeruandi neceſſitatem ex hac ratione aſſerere, quod Iuſtinianus ex ſuis in Imperio anteceſſoribus fuerit, vt ipſe diſertis verbis in *Conſtit. Wormat. contra blaſphemos Rec. Imp. P. II. p.* 28. dicit: *demnach, zu mehrer Nachfolg und Ehr Gottes, und der Menſchen Heyl, weyland Kayſer* Iuſtinianus, *unſer Vorfahr am Reich, löblicher Gedechtnüs, männiglich zu halten, ernſtlich ermahnet, und ſtrenglich gebotten hat cet.* et expoſita magna Nouellae 77. parte, pergens his verbis adhuc vberius declarat: *dazu alle &c. in des Reichs Ungnad und Straff gefallen ſeyn ſollen, wie dann ſolches des gemelten unſers Vorfahren Satzung klärlich ausweiſet &c. Und aber dieſelbe Gottes Gebott, und des ehgenannten Unſers Vorfahrn Satzung, Ermahnung und Gebott und Peen, jetzt leider in vergeſſen und Verachtung von vielen Menſchen überfahren worden cet.* quis non vltro crederet, Ludouicum Bauarum, cuius aetate adhuc ſpiſſae ignorantiae tenebrae orbem inuolvebant, potuiſſe ſub Legibus Anteceſſorum ſuorum Romanas etiam intelligere, et reuera intellexiſſe? Quod vero is ſub hoc Iure de quo loquitur, non intellexerit antiquas Germaniae conſuetudines, ſatis ipſe oſtendit, cum in eadem Conſtitutione illud his e diametro opponat: *So haben wir cet. geheizzen und geſprochen, daz die geſchrieben recht und geſetzt cet. nicht ſchaden ſullen an irn rechten, freiheiten, und gut Gewohnheiten cet.* Hac de re praeter alios legi merentur *Vindiciae Hiſtorico-Iuridicae Iuris Romani et Ictorum in Germania contra Reformationem de an.* 1441. *Friderico III. Imperatori adſcribi ſolitam Argent. d.* 17. *Iunii* 1748. *ſolenniter aſſertae a Ioh. Reinh. Kugler, Argent.* viro iuuene, eximiae plane eruditionis, nunc I. V. Lto. digniſſimo, *Sect. I. c. 2. §. 3. not.* (*x*) et *Sect. II. c. 1. §. 1. not.* (*m*) §. 4. et 6. S.

Ad §. LXVIIII.

(152) Iſidorus Mercator.
(153) Iarlandus.
(154) Raymundus de Peñafort.
(155) Decretalium libri V.
(156) Anno 1298. librum VI. adiecit.
(157) Auctoritatem in Gallia minime obtinuerit.
(158) Duareni citatio.
(159) Clementinae.
(160) Extrauagantes et communes.

(152) Aliqui Iſidoro Hiſpalenſi eam collectionem acceptam ferunt, quos refellit Baronius, eruditione non minus quam dignitate Eminentiſſimus, Eccleſiae Ro-

Source : BIU Cujas

Romanae Cardinalis, *Martyrol. ad d. 4. April. in n. Isidori episc.* his verbis: *Id quidem in primis refellitur, quod Braulius et Ildefonsus, qui illis vixere temporibus, catalogum texentes scriptorum ipsius, nullam prorsus mentionem de eo opere habuerunt. Insuper omnis de ea re dubitatio tollitur, dum autor operis, ibidem agens de ordine celebrandi concilii, recitat verba primi canonis vndecimi Concilii Toletani, atque etiam in Praefatione meminit Agathonis Papae: porro longe ante eius Synodi ac Papae Agathonis tempora Isidorus Hispalensis ex humanis decesserat.* Consentiunt alii, ex quibus duos instar omnium allegasse sufficiat Petrum de Marca *de Conc. Sac. et Imp. L. III. c. 5. §. 2.* et Espenium *Scol. ad omnes Can. P. IIII. c. 1. §. 1.* Multi *Peccatoris* nomen huic compilatori tribuunt. De qua re iterum audiendus Baronius *ibid.* cuius haec sunt verba iam allegatis mox subiuncta: *In antiquis manuscript. codic. hunc Isidorum collectorem Conciliorum* MERCATOREM *cognomento dictum invenimus, vt in his, quos in nostra bibliotheca habemus: at in nuper impressis non* MERCATOR, *sed* PECCATOR *inscriptus reperitur; secundum morem nonnullorum antiquorum Patrum, qui humilitatis ergo se sic inscribere et subscribere consueverunt, irrepsit puto error, vt* MERCATOR, *pro* PECCATOR, *sit scriptus.* Exempla eorum, qui sibi *Peccatoris* nomen adscripserunt, allegat Mastricht *Hist. Iur. Eccles. n. 225. Sic in Concilio sexto Toletano Silua; in septimo Basconius, Gotomarus, Farus, Sona; duodecimo Iulianus et Liuba, alii in aliis subscripserunt, quos forte imitari voluit.* Quibus alia exempla addi possunt, quae ex Conciliis Turonensi primo, Parisiensi tertio, Turonensi secundo, Matisconensi primo allegat Petrus de Marca *de Concord. Sacerd. et Imp. L. III. c. 5. §. 2.* De nomine hoc Correctores Romani *in admon. ad Lect.* haec notant: *In Codice autem Dominicanae Bibliothecae initio Praefationis ita legitur: Isidorus mercator seruus Christi lectori conseruo suo &c. nec multo secus in Vaticanis, quo loco in impressis est: Isidorus Peccator, seruus Christi &c.* Petrus de Marca tamen nomen *Peccatoxis* mauult eligere. *Etenim*, ait, *etsi fateamur in quibusdam Codicibus eam lectionem extare, in plerisque tamen et melioris notae libris compilator iste Isidorus* PECCATOR *dicitur, vnde manauit vitio amanuensium* MERCATORIS *dictio.* Alii alios auctores huius Collectionis fuisse suspicantur. Praecipue Blondellus *Pseudo-Isid. Proleg. c. 5. p. 23. sqq.* Benedictum Leuitam in suspicionem trahit, quem tamen alii ab ea accusatione absoluunt, praecipue Baluzius *Praef. ad Capit. §. 12.* et Boehmerus *Dissert. de Decretalium Pontif. Roman. variis Collectionibus et fortuna §. 9. n. 59.* Quisquis demum huius Collectionis auctor sit, illud tamen certum est, quod Hincmarus, Rhemensium Archiepiscopus, post annum 870. *in Opusc. adu. Hincmarum Laudunensem Episcopum c. 24.* eam per Riculfum Moguntinum Episcopum (qui Synodo Moguntinensi an. 813. adhuc adfuit) in iis Germaniae regionibus primum innotuisse scribat: *Si vero talia, quae tibi visa sunt de praefatis sententiis* (nimirum Ingelramni Metensis) *ac saepe memoratis epistolis, detruncando et praeposterando atque disordinando collegisti, quin forte putasti, neminem alium easdem sententias vel ipsas epistolas praeter te habere, idcirco talia libere existimasti posse colligere, res mira est, cum de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut et de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus, Moguntinus episcopus, in huiusmodi, sicut et in capitulis regiis studiosius* (*studiosus* melius legunt Blondellus, Petrus de Marca, Espenius, aliique,) *obtinuit, et istas regiones ex illo repleri fecit.* Ostendit tamen Blondellus *ibid. p. 22. et sq.* quod in hac Collectione occurrant Capitula Riculfo quatuordecim, et quod excurrit, annis recentiora, atque ita eam vel per Riculfum plane non innotuisse, vel saltem post Riculfi mortem aliquot capitulis demum auctam fuisse, probat. Vix haec a Riculfo per illas Germaniae oras sparsa erat Collectio, De-

Source : BIU Cujas

creta Pontificum Siricio antiquiorum et ad Apostolica tempora propius accedentium exhibens, cum passim auide exciperetur, ita vt prima, quantum scimus, eius Collectionis vestigia deprehendantur in Concilio Aquisgranensi de anno 836. v. Conring. *de Orig. Iur. Germ. c. 16. p. 80. in f.* Dubitarunt tamen postea de illarum Epistolarum Decretalium auctoritate Episcopi Gallicani et maxime Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, quorum tamen quod mentibus haerebat dubium eximere voluit Nicolaus I. Summus Pontifex, edita Epistola, cuius partem sistit Gratianus *C. Si Romanorum &c. 1. Distinct. 19.* quam integram autem exhibet Baronius *Annal. Eccles. T. X. ad ann. 865. §. 8.* Non tamen tunc quaerebatur, an hae Decretales genuini essent eorum partus, quibus adscriberentur, quam disquisitionem saeculi illius ruditas vix admittebat, sed illud tantum in controuersiam deducebatur, an Decretales Epistolae, Codice Canonum Ecclesiasticorum non comprehensae, multa tamen cum illis pugnantia exhibentes, auctoritate legali gauderent? quod Episcopi Gallicani in dubium vocabant, Nicolaus autem grauiter affirmabat, ea maxime ratione motus, quia *ita nec sancti Gregorii, nec vllius alterius, qui ante vel post illum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum, eo quod in Codice Canonum non habeatur adscriptum.* Imo ex eodem argumento sequi iudicabat, nec Sacras Scripturas, recipiendas esse, mox antea dictis subiungens: *Sed quare multum immoramur, cum nec ipsas diuinas scripturas veteris et noui testamenti recipiemus, si istos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in Codice Canonum Ecclesiasticorum habetur insertum.* Cum nulla itaque tunc de legitimis harum Decretalium natalibus verteretur quaestio, in alias mox Collectiones impetum fecerunt hae Decretales; a Capitularium Auctoribus et Decretorum Collectoribus, Regione, ab hoc tamen parcius, a Burchardo vero, Iuone et Gratiano liberalissime receptae, et post hos etiam diuturna auctoritatis possessione gauisae. Tranquillitatem huius possessionis primus iterum turbasse dicitur, qui circa annum 1324. scriptis suis inclaruit, Marsilius Patauinus *Defens. pacis, de re Imper. et Pontif. P. 2. c. 27.* Mox etiam Gobelinus Persona *Cosmodr. aet. 6. c. 7.* dubia contra aliquot illarum Epistolarum mouet. Successit, qui circa annum 1432. scripsisse videtur, Nicolaus de Cusa, Cardinalis, *Concord. Cathol. L. 2. c. 34. et Lib. 3. c. 2.* Iungendus huic proxime est eiusdem saeculi scriptor, qui anno eius 65. decessisse dicitur, Henricus Kaltheysen in *Tr. An Imperium sit vnquam a Romanis in Graecos translatum?* qui primum *S. Palatii Magister, deinde Nidrosiensi et Caesariensi Archiepiscopatu auctus, Inquisitor haereticae prauitatis, Professor Sacrae Theologiae in celeberrima Colonienſi Academia* dicitur. v. Mastricht *Hist. Iur. Eccl. n. 236. p. 267.* Eodem etiam saeculo Iohannes de Turrecremata *Summ. de Eccl. L. 2. c. 101.* praecipue Clementis Epistolam primam suspectam reddit. Et licet saeculo XVI. Franciscus Turrianus Collectionem Isidori Mercatoris contra Centuriatores Magdeburgenses singulari opere defendendam suscepserit, non impedire tamen potuit, quo minus postea multi in Ecclesia Romana viri, omnes eruditione, multi etiam sublimiori dignitate illustres omnes, quae Siricio Papa antiquiores essent, Decretales vel plane reiecerint, vel saltem fidem ipsarum dubiam esse fassi sint. Certe Robertus Bellarminus, Cardinalis, *de Pont. f. Rom. L. II. c. 14.* suam de illis sententiam his verbis declarat: *Aliquos errores in has Epistolas irrepsisse non negauerim, nec indubitatas esse affirmare audeam.* Caesar Baronius, Cardinalis, *Annal. Eccl. T. II.* passim Epistolas Pontificum eius saeculi suspicione onerat, maxime autem *T. X. ad an. 865. §. 5 et sqq.* de integra Isidori Mercatoris Collectione ita loquitur, vt eam plane suspectam sibi fuisse non obscure ostendat. Eodem loco eam habuisse videtur Antonius Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, qui, licet *de Emendatione Gratiani Lib. I. dial. 6. et*

L. II.

Source : BIU Cujas

L. II. dial. 14. integram Collectionem non omnino et vno actu reiiciat, *in notis ad Capitula Adriani* tamen *c.* 7. 8. 16. 22. 23. 31. 34. 36. 47. 53. 63. grauissima contra plures Epistolas dubia mouet. Clementis Epistolas praecipue in dubium etiam vocat Ioh. Carolus Bouius, Ostunensis Episcopus, *in Praef. ad Constit. Apostol.* Integram vero Collectionem stylo satis acri persequuntur, Antonius Contius *in Praef. ad Corp. Iur. Can.* quam suppressserunt Censores Belgae, relictis tamen notis ad Decretum, in quibus hanc Collectionem reiicit, et ad *Praefationem* prouocat, praecipue *in Not. ad C. septuaginta etc.* 12. *Dist.* 16. *C. Prouinciae etc.* 1. *Dist.* 99. *C. Aliter etc.* 1. *Cauſ.* 30. *Quaeſt.* 5. Gregorius Cassander *in Defens. libelli de offic. viri pii §. Quod autem cet.* Franciscus Florens *de Orig. arte et Aut. Iur. Can.* Papenbrochius *in Propylaeo Maii ſ. conatu Chron. Hist. ad Catal. Pontif. Rom. P. I. p.* 4. *n.* 15. Natalis Alexander *Hist. Eccl. T.* 3. *p.* 213. Petrus de Marca, Archiepiscopus Parisinus, *de Concord. Sac. et Imp. L. III. c.* 5. *L. VII. c.* 20. *et de Primat. §.* 8. Iohannes Bona, Cardinalis, *Rer. Liturg. L. I. c.* 3. §. 1. Emundus Richerius *de Eccles. et Pol. Pot. T. I. c.* 8. *p.* 36. *et ibid. Demonstrat. §.* 4. *p.* 40. et alibi passim. Philippus Labbeus *T. I. Concil. p.* 78. et passim *in notis marginalibus* ad singulas epistolas. Carolus Cointius *in Ann. Eccl. Franc. T. VI. ad ann.* 785. Emanuel Schelstrate *in Antiq. Illustr. Diss.* 3. *c.* 5. Stephanus Baluzius *Praef. ad Ant. August. de Emend. Gratiani §.* 1. *et ſqq.* et *Praef. ad Reginon. §.* 3. *et ſqq.* Iohannes Launoius *Epist. pagg.* 9. 439. 485. 522. 526. 531. 539. 708. *Edit. Cantabr. de an.* 1689. Christianus Lupus *P. IIII. Schol. p.* 362. *et* 479. Ludouicus Ellies du Pin *de Ant. Eccl. Discipl. Dissert. II. p.* 154. *et ſqq.* Espenius *Scol. in omnes Can. Conc. P. IIII. c.* 1. Petrus Constantius *in Praef. ad T. I. Epist. Rom. Pontificum.* Iustus Fontaninus, Archiepiscopus Ancyranus, *in Praef. ad Decretum Gratiani noua methodo concinnatum a Ioh. a Turrecremata §.* 3. Claudius Fleuryus *T. XIII. Hist. Eccl. Diss. Praelim. et Instit. au Droit Eccles. T. I. ch.* 1. *p.* 8. Auctor *de l'Histoire du Droit Canonique chap.* 6. Hunoldus Plettenbergius *Introd. ad Ius Canon. §.* 7. *et ſq.* Plures alii facile allegari possent, qui vel in totam illam Collectionem Isidori Mercatoris, vel in aliquot saltem eius epistolas calamum stringunt, adeo vt communi fere sententia nunc illa Collectio reiiciatur, et hinc natus sit iocus eruditissimi Sirmondi, quem refert Auctor libri, qui sub titulo: *Histoire du Droit Canonique & du Gouvernement de l'Egliſe* Parisiis prodiit, *c.* 6. *p.* 31. vbi de Collectione Isidori communi consensu reiecta loquens tandem hanc epicrisin addit: *Présentement on en doute ſi peu, que le Pére Sirmond dit du gros volume, que Blondel a fait, pour en faire voir l'impoſture, qu'il a fait de terribles efforts pour enfoncer une porte ouverte.* Cum vero Turriani, quod pro defendenda illa Collectione scripsit, opus non adeo omni specie destitutum esset, vt non meruerit data opera refutari, eamque refutationem Blondellus omni eruditionis apparatu muniuerit atque ornauerit, potuisset eius Opus non adeo superfluum et inutile iudicari. Rationes praecipuas, quibus illa Collectio impugnatur, in Compendio allegat Plettenbergius *l. c. §.* 8. *Quod attinet ad autoritatem Epiſtolarum illarum Decretalium, quae in hac Collectione proferuntur, defendunt nonnulli, quos inter praecipue ſunt Franciſcus Turrianus et Seuerinus Binnius, genuinas eſſe illorum Pontificum, quorum nomina praeferunt. Alii eruditiſſimi ſcriptores Catholici, vt Baronius, Bellarminus, Peronius, Sirmondus, Petauius, Philippus Labbe rectius eas, velut indubitatas, non admittunt, vel vt confictas plane reiiciunt. Ad hoc mouentur variis inducti rationibus. I. Quod elegantiam et nitorem ſecundi ſaeculi, quo datae dicuntur, non referant. II. Quod in omnibus epiſtolis idem ſtylus eademque ſcribendi norma ſeruetur, vt non a pluribus, ſed ab vno conſcriptae eſſe videantur. III. Quod ex vſu vulgatae Scripturarum verſionis frequentiſſimo arguatur,*

Source : BIU Cujas

post S. Hieronymi aetatem exaratas esse. IIII. Quod S. Hieronymus earum non meminerit in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, adeoque ipsi incognitae fuerint. V. Quod Dionysius Exiguus, qui veterum Pontificum Epistolas summa diligentia collegit, illas tamen in sua compilatione omiserit. VI. Demum, vt primus obseruauit Antonius Augustinus in Notis ad Capitula Hadriani, quod in epistolis illis reperiantur ipsa Legum Imperatorum verba et scholia quaedam, quae sub Aniani nomine extant ad Codicem Theodosianum, cum tamen Pontifices, quibus adscribuntur epistolae, duobus et tribus etiam seculis editionem Codicis illius praecesserint. Alii prolixius has causas recensent, vt Centuriatores Magdeburgenses *Cent. II. c. 7.* Mastricht *Hist. Iur. Eccl. n. 220. et sqq.* Elspenius *Scol. in omnes Can. Conc. P. V. c. 1. §. 5.* Eorum, qui ab Ecclesia Romana secedunt, Auctorum magnus etiam numerus in illas Decretales inuehitur, ex quibus praeter Centuriatores Magdeburgenses et Mastrichtium, mox allegatos, praecipue indicasse sufficiat Blondellum *in Pseudo-Isidoro et Turriano vapulantibus*, Conringium *de Orig. Iur. Germ. c. 16. p. 79. et sqq.* Struuium *Hist. Iur. c. 7. §. 15.* Boehmerum *Dissert. de varia Decreti Gratiani fortuna §. 14. n. (g) et §. 15. n. (h) et sqq.* et *Dissert. de Decretal. Pontif. Roman. variis Collection. et fortuna §. 9. ibique in notis.* S.

(153) Chrysopolitani, *cuius opus tamen, quod inscribitur, Candela, in MSCto adhuc latet.* v. Struu. *Hist. Iur. c. 7. §. 16.* Plura ergo de ipso dicere non iuuat. S.

(154) Raymundus Catalano-Barcinonensis, *ex nobili familia de Pennafort originem ducit*, vti Clemens VIII. S. P. in Constitutione Canonizationis eiusdem, quam Iustus Fontaninus *in Codice Canonizationum p. 260.* integram exhibet, loquitur; quod ideo notandum maxime arbitramur, quia Boehmerus *in Dissert. de Decretalium Pontif. Rom. variis Collection. et fortuna §. 15.* et *ibid. n. gg.* hoc nomen potius *Penia fort* legendum esse dicit, atque ad Bullam Clementis VIII. (non VII. vti ibidem ex errore typographi citatur) *qua catalogo Sanctorum inscriptus est Raymundus*, prouocat. Andreas Schottus *Bibl. Hispan. T. II. p. 186.* ipsum vocat *Penna fuerte, quasi dicas a Rupe forti.* Originem Raymundus retulisse dicitur *ad Arragonum Reges*, si fides est iis, quae ex Leandro Alberto *in vita Raymundi* refert Chifletius *de Iuris vtriusque Architectis c. 6. §. 3.* quem secutus videtur Mastricht *Hist. Iur. Eccl. num. 355.* cuius tamen originis Regiae non meminit Clemens VIII. *in Constit. alleg.* nihil tamen facile omittens, quod ad commendandam Raymundi dignitatem faciat. Humanioribus literis in patria operam dedit, in iisque ita mox profecit, vt eas *summa cum laude plurimos Barcinone gratis docuerit.* Inde Bononiam profectus *Pontificio Ciuilique Iuri toto pectore incubuit, ac tandem Doctoris laurea, ceterisque doctrinae insignibus decoratus, sacros Canones publice, magna cum hominum admiratione, absque vllo stipendio est* interpretatus, ita vt ipsi *postea Senatus Bononiensis honorarium ex aere publico decreuerit.* Post aliquot annos *Berengarius, Barcinonensis Episcopus, Roma ad suam Ecclesiam rediens, Bononiam iter instituit, vbi Raymundum, multis vltro citroque* cum ipso *sermonibus habitis, admiratus, vehementer institit, vt secum ad Ecclesiam Barcinonensem reuerteretur;* cumque hoc *tandem magnis ab ipso precibus obtinuisset, eum aliquanto post eiusdem Ecclesiae Canonicatu et quadam Praepositura ornauit.* Cum postea *Fratres Ordinis Praedicatorum* Barcinonem venissent, Raymundus *annum circiter quintum supra quadragesimum agens, abdicatis honoribus,* illorum consortio se addixit. Postea *Iohannes Cardinalis Episcopus Sabinensis a Gregorio VIIII. S. P. in Hispaniam ad crucem aduersus Saracenos praedicandam, aliaque negotia pertractanda legatus de latere missus, eum sibi legationis cepit adiutorem;* atque *perfunctus legatione ad Vrbem rediens, cum Raymundum vna secum adducere decreuisset, nunquam id tamen ab eo potuit impetrare.* Tandem huius Iohannis Car-

Source : BIU Cujas

Cardinalis consiliis a Gregorio VIIII. S. P. Romam euocatus, *Capellani sui officio, quod tunc temporis idem erat, quod nunc est causarum Palatii Apostolici Auditorum, et Poenitentiarii dignitate ornatus, sibique a sacris confessionibus* esse iussus est. Ibi, *cum Decreta Romanorum Pontificum, quo quaeque tempore condita erant, diuersis in Epistolis et Conciliis sparsa, quae obscuritatem et incertitudinem inducere videbantur, ad communem omnium et maxime studentium vtilitatem in ordinem et compendium redigi iamdiu omnibus fere placuisset, Gregorius VIIII. S. P. Raymundum huic muneri aptissimum esse ratus, id oneris ei imposuit, quod is trium annorum spatio absoluit.* Archiepiscopatum Tarraconensem sibi a Gregorio VIIII. decretum non nisi *adhibitis multorum precibus et quorundam Cardinalium auctoritate*, a se amoliri potuit. Tandem *in tam grauem morbum incidens, vt illi certam mortem medici denunciarent, nisi patrium solum repeteret, dimisso Confessarii munere et obtenta abeundi facultate Barcinonem rediit.* Poenitentiarii tamen potestatem et absens adhuc, volente ita Summo Pontifice, exercuit, qua postea se etiam abdicauit, otiumque nactus *Summam Casuum Conscientiae, qui solent in foro conscientiae frequenter occurrere, conscripsit.* Tandem post mortem Iordani, secundi Praedicatorum Magistri Generalis, Raymundus in Capitulo Generali Ordinis, Bononiae congregato, absens in eius locum suffectus est, quod munus aegre susceptum post biennium iterum deposuit. Jacobo Arragoniae Regi, eius nominis primo, tamen et postea a confessionibus fuit. Denique annos fere centum natus in lethalem morbum incidit, et ipso Epiphaniae die decessit an. 1275. Inter Sanctos relatus est a Clemente VIII. S. P. anno 1601. cuius ea de re Constitutio III. Kal. Maii eius anni promulgata extat in Iusti Fontanini *Codice Canonizationum p.* 260-279. ex qua pleraque excerpsimus, multaque ipsis Clementis verbis, alio literarum charactere notatis, exhibemus, cum aliis, quos consuluimus, auctoribus consentientia. Vitam Raymundi Hispanico sermone scripsit Saluator Pons, quae in Germanicum ab Aegidio Albertino translata Monachii an. 1602. prodiit. Eam etiam a Ioh. Baptista Spatio, de Frenzuola, Placentino, Ordinis Praedicatorum, scriptam esse, fidem faciunt Leo Allatius in *Apibus Vrbanis p.* 152. et Struuius *Hist. Iur. c.* 7. §. 24. *in not.* a quo, vt et a Mastricht, qui ipse *Hist. Iur. Eccles. n.* 353-365. prolixe de Raymundo agit, praecipue *n.* 355. plures allegantur scriptores Raymundi vitam illustrantes. Quem supra allegauimus, Leander Albertinus, Bononiensis, Ordinis Praedicatorum, *de Viris Illustribus Ordinis Praedicatorum Libros VI.* partim a se, partim ab aliis compositos collegit, qui cum Praefatione Ludouici Rhodigini *Bononiae an.* 1517. *in fol.* prodierunt, in quibus vita Raymundi, superius allegata occurrit. S.

(155) Decretalium Collectio anno 1230. decreta, anno vero 1234. demum absoluta fuisse videtur. Si illud ad finem anni, hoc ad initium referatur, interuallum temporis, quod interceſſit inter finem anni 1230. et initium anni 1234. satis respondebit triennio, quod Clemens VIII. huic operi perficiendo, a Raymundo impensum esse dicit *l. c.* Ab operis consummatione ad ipsius promulgationem iterum aliquod temporis spatium, examini eius impendendum, sine dubio effluxit. Vnde id opus demum *Nonis Septembris* anni 1234. promulgatum fuisse docet *Epistola* 218. *Lib.* 8. *Registri* ad Parisienses Ecclesiae Doctores eo die *Spoleti* scripta. v. Boehmer. *Dissert. de Decret. Pontif. Rom. var. Coll. et fort.* §. 15. Non tamen eodem, sed demum 1235. anno hanc Gregorii VIIII. Collectionem Bononiae promulgatam, atque Constitutionem *Rex Pacificus* &c. quae Decretalibus praefigi solet, *Doctoribus et Scholaribus vniuersis, Bononiae commorantibus* missam esse, probatur ex eo, quod Alexander Machiauellus *ad Sigon. Histor. Bonon Lib. V. T. III. Oper. n.* 104. *p.* 257. postquam Decretalium Collectionem Raymundo anno 1230. commendatam,

Source : BIU Cujas

tam, anno 1234. absolutam dixerat, mox addit: *ad hoc receptus liber duntaxat est anno 1235. Octauiano Vbaldini, nomine Archigymnasii recipiente, qui in locum Tancredi interea vita functi, fuerat Archidiaconus suffectus, et porro, anno 1241. tantum, decreta peculiaris cathedra, ad illum scholaribus exponendum, vt aperte constat ex vetustissimo Kalendario Archigymnasii in Maio d. 21.* Cum enim Archidiaconus Bononiensis, vti *supra ad §. 62. n.* (143) in historia Decreti obseruauimus, eiusdem Archigymnasii Cancellarius fuerit, et hic missas ad illud Constitutiones acceptare et promulgare debuerit, feliciter coniicit Boehmerus *Dissert. de Decret. P. R. var. Coll. et fort. §. 15. n. 100. obitum Tancredi impediisse, quo minus praecedente anno potuerit rescriptum recipi nomine Archigymnasii*, hocque *demum ab eius successore Vbaldini anno 1235. factum esse*; vnde et prudenter et candide monet, quod non aliae Decretales, quam quae ante annum 1234. vel saltem paulo post huius anni initium exaratae fuerint, huic Collectioni inseri potuerint, atque ita anni 1235. et 1236. quos ipse in sua editione Iuris Canonici aliquot capitulis eadem nota allegatis, adscripserit, corrigendi sint. Licet itaque Romae et alibi, vti ex Epistola ad Parisienses Doctores scripta constat, iam anno 1234. haec Collectio Decretalium extaret, ea tamen demum anno 1235. post missam ad Bononienses Epistolam *Rex Pacificus* &c. plenius innotuisse videtur; qua ex causa forsan etiam Matthaeus Parisiensis *in Hist. Angl. ad annum 1235.* demum eius mentionem fecit. Optime Gregorius VIIII. hanc spartam Collectionis nouae Decretalium curandae sibi sumsisse videtur, quod ipse Iuris Canonici peritissimus esset, vtpote Bononiae in Archigymnasio publicus aliquando Decreti interpres; quod officium ipsi vindicat Alexander Machiauellus *ad Sigonii Hist. Bonon. L. V. p. 233. Tom. III. Oper. n. 46.* vbi ex peruetusto *Kalendario Bononiensi* haec refert: *20. Mart. vacat propter electionem in summum pontificem* CLXXX. *D. Hugolini Anicii ex comm. Anagniae* QVONDAM ARCHIGYM. PVBL. DECRET. INTERPRET. *Libri decretalium eidem Archigymnasio per eum inscripti et Angelicae ter per diem recitandae orationis piissimi auctoris*, ASSVMTO NOMINE GREGORII VIIII. quae *inauguratio contigit hac die A. MCCXXVII.* quibus deinde *not. 105. p. 258.* ex Kalendario addit diem obitus Pontificis: *22.* (*in Sextili*) *anniu. fun. sanctissimi* GREGORII VIIII. *papae ciu. Bonon. et qui* HVIVS LYCEI PVBL. PROF. *ad quod etiam misit suam insignem compilationem decretalium, de qua supra, ac quod accidit Romae A. S. MCCXXXXI.* Rationes, quae necessitatem nouae collectionis faciendae imponere videbantur, ipse Pontifex allegat in Epistola *Rex Pacificus* &c. Decretalium Collectioni praefigi solita, nempe, quod *Decretales Epistolae praedecessorum* suorum *in diuersa dispersae volumina* fuerint, quod quaedam *propter nimiam similitudinem*, quaedam *propter contrarietatem*, quaedam *propter sui prolixitatem confusionem inducere viderentur*, quaedam *vagarentur extra volumina supra dicta*. His rationibus motus *illas se in vnum volumen* (*resecatis superfluis*) *prouidisse redigendas*, et adiecisse *Constitutiones et Decretales Epistolas* suas dicit. Cum verbis Gregorii VIIII. *resecatis superfluis* notulam adiecisset Contius, quae in editionibus sequentibus seruata fuit, et adhuc dum huic Constitutioni subiici solet: *Interdum et* VTILIBVS, *quod et de Triboniano dicitur, qui fuit Raymundo isto doctior*; ea stomachum grauiter mouit Iohanni Chifletio, qui *de Iur. vtriusque Archit. c. 6. §. 2.* id iudicium *ineptum et puerile* dicit. Grauius tamen aliquid ausus est Contius, qui in sua Decretalium editione Antwerpiensi de anno 1570. *primus adiunxit ea, quae a Raymundo resecta erant*, et *quandoque pauca verba, a Raymundo omissa, ipsi textui, sed diuersis typis, inseruit, vt capitulorum verba in pleniorem lucem restitueret, saepe turbata ex paucorum verborum mutilatione.* v. Boehmer. *Diss. de Decretal. P. R. var. Coll. et fort. §. 15. n. 98.*

Source : BIU Cujas

nu. 98. Instituti sui rationem Contius reddit *in Praef. ad Decretales*, et se consiliis aliorum, maxime autem Iohannis Quintini, vsum esse, huncque sibi *non solum totius laboris suscipiendi auctorem*, *sed in plerisque obseruandis et fidelem monitorem et benignum adiutorem* fuisse docet. Antonius Augustinus *in Praef. ad antiq. Decret.* laudat horum virorum ingenium, eiusque fructus non aspernatur, eos etiam, *praeclare notas addidisse*, *quibus sua ab alienis distinguantur*, fatetur, sed tamen *audacius* eos egisse, idque *malo exemplo* factum, *remque esse pleni periculi* existimat, *si quod publica auctoritate accepimus*, *liceat nobis priuata voluntate interpolare.* Idem tamen, quod Contius ausus est, facere non dubitauit Franciscus Pegna, qui ipse ex Correctoribus Romanis fuit, quique, vti obseruat Franciscus Florens *in Praefatione de meth. et auct. Coll. Gratiani*, quod Contius inchoauerat, *praestitit accuratius et annotauit* initio cuiusque Decretalis. Male tamen et hic, sine dubio ob hanc tantum rationem, audit Antonio Augustino, qui sub finem *Libri I. de Emend. Gratiani* seriem Correctorum Romanorum, mancam tamen, exhibens, vltimum eorum sistit Franciscum Pegnam, Hispanum, ipsiusque nomini haec addit: *cuius sunt additiones Decretalium sine nomine*, *quia templum Dianae incendisse visus est.* Hanc censuram aegre fert Baluzius *in notis ad Ant. August. l. c. p. 695.* eo praecipue argumento eam refellens, quod Pegna, et suo et sequentibus saeculis ob eruditionem satis laudatus, non opus habuerit, vt facto quodam illicito, vti Herostratus incendio templi, famam sibi quaereret; nec hoc modo vnquam quaesiuerit, cum plane ne nomen quidem suum iis addiderit, adeo, vt illas notas marginales Decretalium *Francisci Pegnae esse nullus ferme sciat*, quod vltimum etiam Mastrichtio ob ea, quae *Hist. Iur. Eccl. nu. 364.* dicit, exprobrat Boehmer. *Dissert. all. l. c.* qui de Contii et Pegnae labore et hic et *in Dissert. de varia Decr. Grat. fort. §. 17. nu. (i)* omnino consulendus. Grauis haec censura impedire tamen non potuit Gonzalezium Tellezium, quo minus Decretales, quantum fieri poterat, integras ex Collectionibus Gregoriana antiquioribus restitueret, et tam Gregorianae editionis, quam antiquiorum Collectionum verba, perpetuo sermonis filo sibi iuncta, iisdemque literarum figuris vbique adhibitis ederet. Illud certe viri eruditi saepius obseruarunt, Decretalium Collectionem Raymundianam ita esse comparatam, vt, qui verum alicuius capitis sensum eruere vult, non facile eum assecuturus sit, nisi eum ex fontibus, ex quibus suam Collectionem Raymundus deriuauit, hauriat. Vnde ipse Ant. August. *in Praef. ad antiq. Collect.* dicit: *Multa sunt a Raymundo detracta*, *quae nisi legantur*, *vix relictorum sententiam deprehendimus*; et Franciscus Florens *de recta Iuris Canonici discendi ratione* auditores suos serio monet, vt in Gregorii Collectione legenda antiquas Collectiones semper adhibeant, quod in iis Constitutiones Pontificum integriores reperturi sint, *quas*, ait, *Raymundus a Penna forti Barcinonensis*, *Gregorii VIIII. Tribonianus*, *passim interpolauit*, *rescidit et immutauit.* Eandem consulendi antiquas Decretalium Collectiones necessitatem data opera demonstrat Espenius *Scol. ad omnes Can. Conc. P. VIII. c. 1. §. 4. et 5.* Ostendit enim 1.) *ob rescissa aut omissa a Raymundo verba*, *alium vel obscurum Decretalis sensum reddi*, *ex ipsius integrae Decretalis lectione* eruendum; cuius rei exempla allegat *Cap. 9. X. de Consuet.* et *Cap. 3. X. de Appell. 2.*) quandoque vnicam voculam a Raymundo omissam aut immutatam dubium sensum facere, vt *in c. 2. X. de Iudic.* et *c. 6. X. de Probat. 3.*) saepe aliquam Decretalem integram quidem a Raymundo exhiberi, sed tenebris tamen inuolutam ideo, quod quae in antiquis Collectionibus hanc praecedebant vel sequebantur Epistolae Decretales et huic lucem affundere poterant, in Collectione Raymundiana omissae sint; quod exemplo *Cap. 3. X. de Constit.* probat. 4.) Saepe vnam Decretalem a Raymundo

Source : BIU Cujas

mundo in plures partes scissam et per varios titulos disiectam esse, adeo vt nisi integra colligatur, ea intelligi nequeat; ita C. 10. *X. de Constit. C. 3. et 4. X. vt lite pend. nihil innou.* partes vnius Constitutionis et difficilis explicationis esse, nisi coniungantur. 5.) nonnunquam aliquas Decretales, aliquot laciniis ex ingenio Raymundi auctas, vel alienum a suo authentico vel saltem incertum sensum habere, eiusque rei exempla reperiri *in Cap. 2. X. de Elect. et Electi Pot.* et *Cap. 1. X. de Iudiciis.* Sed vlterius progreditur Espenius et *ibid. §. 6.* ostendit pluribus exemplis, non semper sufficere ad explicationem Decretalium, vt ad antiquas Collectiones confugiamus, sed non raro et harum fontes adeundos esse, vt verus Decretalis Epistolae sensus eruatur. Caeterum Gregorius VIIII. non tantum anteceſſorum Constitutiones colligi curavit, sed et suas addidit, et has quidem vel precibus supplicum et consulentium respondentes, quas strictiori significatione Decretales Epistolas appellare solemus, vel proprio motu, nullo rogante, promulgatas. Ad hanc classem referas Capita plurima per varios Collectionis Gregorianae titulos sparsa, quae solum constituentis Gregorii VIIII. nomen, nullum supplicantis et consulentis, in fronte gerunt, vti iam obseruauit Cuiacius *ad Capp. penult. et vlt. X. de Sent. et Re Iud.* vbi et illud notat, quod haec capita praecipue ex Iure Ciuili petita sint. Scilicet cum Ius Canonicum Collectione Gregoriana antiquius non omnium causarum in foro ventilandarum decisioni sufficeret, et hinc saepius necessitas confugiendi ad Ius Iustinianeum subnasceretur, atque hoc inde pleniorem vsum et auctoritatem indies sibi acquireret, arbitrantur Viri eruditi, Gregorium VIIII. S. P. penuriae huic Iuris Canonici succurrere voluisse, et hoc animo multas Constitutiones nouas, etiam non rogatum, suae Collectioni inserendas promulgasse, vt Iuris Canonici vsum veberiorem redderet, eamque necessitatem, decisiones causarum multarum ex alio Iure petendi, vel tolleret vel saltem minueret. Illud sane Viri docti subinde obseruant, Gregorium VIII. Iustiniani operam, in suo opere componendo adhibitam, studiose imitatum esse. Ita, vti Iustinianus ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, et Theodosiano, ac Constitutionibus Imperatorum Theodosio recentiorum vnum, opera praecipue Triboniani vsus, colligi curauit, suisque Constitutionibus auxit, ita et Gregorius VIIII. ex praecedentibus Decretalium Collectionibus atque Epistolis Pontificum *extra haec volumina vagantibus*, opera Raymundi, quem ideo Gregorii VIIII. Tribonianum appellauit Franciscus Florens *l. c.* vnum corpus componi iussit, suisque Constitutionibus additis locupletius reddidit. Ita et, si vltimos Codicis Iustinianei Libros, ad publica iura maxime spectantes, exceperis, Gregorius VIIII. eundem fere rerum ordinem sequi visus est, quem in suo Codice seruauit Iustinianus, quod institutu Collectionis Gregorianae cum illo Codice comparatione, ostendere conantur Franciscus Florens *de Meth. et Auct. Coll. Gratiani*, et Espenius *l. c. §. 3.* Quod ad auctoritatem Collectionis Gregorianae attinet, ipse Gregorius VIIII. S. P. in Epistola *Rex Pacificus cet.* vult, *vt hac tantum compilatione vniuersi vtantur* IN IVDICIIS ET IN SCHOLIS. Sane quod haec Collectio postea, magnam in foris auctoritatem obtinuerit, sequentium saeculorum historia vberrime docet.

Nec tamen ideo Decreti vsus sublatus est, sed potius ex Gregoriana Collectione fortissimum argumentum ducimus, magnam Decreto et ante illam Collectionem in foro auctoritatem fuisse, et per eam non debuisse reddi minorem. Ab ipsis enim Pontificibus non raro id in vsum deductum fuisse, ex Epistolis Decretalibus Gregorianae Collectionis discimus, cuius rei aliqua tantum exempla allegasse sufficiat. In *Cap. 19. X. de Elect. et El. pot.* verba Apostoli 1. *Tim. c. 5. v. 22. Nemini cito manum imponas cet.* ita allegantur, vt ad eorum explicationem a Leone

Source : BIU Cujas

ne factam in C. 5. *Dist.* 61. et C. 3. *Dist.* 78. digitus intendi videatur. In C. 20. *X. de Elect. et El. pot.* si integrum legatur, ad *Canones* 1. 2. 3. 5. 6. 8. 11. 12. 13. *Distinct.* 56. prouocari apparebit. In C. 13. *X. de Restitut. Spol.* ad B. Gregorii dispensationem prouocatur, quae in *c.* 20. C. 35. *q.* 2. *et* 3. occurrit. In C. 7. *X. de his, quae fiunt a Prael.* controuersia agitatur, in cuius ventilatione ex vna parte allegatur Epistola Hieronymi ad Damasum, incerta quidem, quae seruatur in *c.* 68. C. 16. *q.* 1. ex altera vero parte Leonis P. R. epistola, quam exhibet *c.* 52. C. 12. *q.* 2. Decisionem autem ex *c.* 39. C. 16. *q.* 7. petitam esse docet Boehmerus *ad C. alleg. n.* 69. *et* 81. In C. 6. *X. de Desponsi. Impub.* disertis verbis ad Decretum Gratiani prouocatur: *cum in Decretis habeatur expressum* cet. Iam autem ostendit Ant. August. *de Emend. Gratiani L. I. Dial. I. p.* 3. quod opus Gratiani male *Decretum*, melius *Decreta* inscribatur, quod pluribus etiam probat Baluzius *in notis ad Ant. August. l. c. p.* 655. *et sq.* Quod vero illud opus propter eminentiam *Decretorum* nomine insigniatur, et quod *in C. alleg.* sine dubio *ad c.* 3. C. 33. *q.* 1. prouocetur, docet Boehmerus *in n.* 25. *ad C.* 6. *alleg.* In C. 5. *X. de eo, qui duxit in matr.* allegatur Leonis Papae decisio, quae iisdem verbis occurrit *in c.* 1. C. 31. *q.* 1. qui canon, licet magis videatur Concilii Triburiensis fuisse, quam Leonis, huic tamen a Gratiano ibidem adscribitur. In C. 1. *X. de Cognat. Spirit.* Alexander III. allegat duos Canones, quorum *primo natos post compaternitatem ad inuicem copulari* prohibitos, altero, *posterius edito, primum corrigi* dicit. Per hos Canones generali nomine allegatos Decretum Gratiani indigitari eo facilius demonstrari potest, quo clarius digitum intendit *ad c.* 4. *et* 5. C. 30. *q.* 3. licet ordinem eorum inuerterit, sine dubio ex vitio Codicis, quo vsus est, v. Boehmer. *not.* 53. *ad Cap.* 1. *alleg.* In C. 30. *et* 31. *X. de Sent. Excomm.* citatur *Gregorii Papae Capitulum: Quoniam multos cet.* pro more illorum temporum, quibus textus Gratianei per verba initialia allegari solebant. Idem autem *Capitulum: Quoniam multos cet.* iisdem verbis occurrit in *c.* 130. C. 11. *q.* 3. v. iterum Boehmerus *n.* 20. *ad C.* 30. *alleg.* In C. 40. *X. de Sent. Excomm.* Sardicensis Concilii decisio refertur, quam ex eius *c.* 17. sistit *c.* 4. C. 11. *q.* 3. Imo, vbi et Gratianus aliquid humani passus est, id tamen aliquando receptum esse in Decretalibus exemplo C. 11. *X. de Renunc.* et C. 13. *X. de Iudic.* probare tentarunt Espenius *Scol. ad omn. can. Conc. P. VI. c.* 3. §. 1. et Boehmerus *I. E. Tit. de Constit.* §. 24. vbi pro *translat.* legendum *Renunc.* quod ipse Boehmerus indicat *Diss. de varia Decreti Grat. fort.* §. 18. *n.* (*q*) quem de his allegationibus Decreti vide *ibid.* §. 14. *not. c. et d.* et *in Dissert. de Decret. P. R. variis Collect. et fort.* §. 15. *n.* 95. *in f.* Hic tam certus, tamque frequens Decreti Gratianei vsus, ab ipsis Summis Pontificibus in suis Constitutionibus ad causarum iudicialium decisionem argumentorum pondere firmandam adhibitus, clare ostendit, Auctores harum Decretalium ipsum Decretum vsu forensi iamiam comprobatum inuenisse, et agnouisse, imo illud in vsum suum deducentes posteris exemplo fuisse, vt illud, tanquam Iuris Canonici partem, et iudiciorum regulam, et ipsi agnoscerent. Sane, quod ad Germaniam maxime attinet, Fridericus II. in sua Constitutione Moguntina de anno 1235. vel, vt aliis placet, 1236. *c.* 15. Schilterianae Editionis, vti illa cum MSCto Senckenbergiano collata nouissimae Rec. Imp. editionis *P. I. p.* 19. exhibetur, dicit: *Wir gepieten auch vestiglich das man in allem Römischen reich an gaistlichen Dingen* (iudiciis Ecclesiasticis) *nach gepot und nach ratt der Ertzbischoff sich halt, und der Bischoff und der Ertzpriester nach gaistlichem recht und wer dawider ist den sol man haben fur unglawbig.* Quo tempore sane Fridericus sub voce, *gaistlichem recht*, vix aliud, quam Decretum Gratiani intelligere potuit, quod Germanis

Source : BIU Cujas

iamdiu per Bononienſes Profeſſores innotuerat, cum Collectio Gregoriana ad Bononienſes hoc demum anno 1235. et anno 1234. ad Pariſienſes miſſa Germaniae nondum ita cognita fuiſſe videatur, vt inter conſtantes iudiciorum regulas recipi potuerit. Hanc ſanctionem repetit Rudolphus I. in Confirmatione Fridericianae Conſtitutionis, Moguntiae anno 1281. promulgata. v. *R. I. P.* 1. *p.* 31. *Wir gebeten veſtlincliche, daſs man in allem romeſchen riche an g iſtlichen Dingen nach gebote und nach rate der ertzebiſcofe ſich halde, und der Biſſchofe, und der ertzepreſter nach geiſtlicheme rechte. Vnd ſwer darwider iſt, den ſol man haben vor einen ungeloubigen.* Haec verba fere eadem ſunt, quae Friderici II. ſed hic ſub iis non niſi Decretum intelligere potuit, Rudolphus autem ſimul cum Decreto Decretales forſan intellexit, quae eo tempore Germanis iam ſatis notae eſſe potuerunt. Sic etiam Speculi Sueuici Auctor dicit: *und als die Bápſt und die Kayſer zu Concilien und zu hofe haben geſetzt und gebotten aus dem* Decret *und* Decretal, *dann aus den zweyen Buchern nimbt man alle die Recht, der geiſtlichen und weltlichen Gericht bedarff.* v. *Cap.* 5. *Ed. Meichſn.* vel, vti in Schilteri *Theſ. T. II.* legitur, *Introitus* §. 31. *et* 32. Haec vero Decreti auctoritas, vſu et receptione firmata maiores indies vires cepit. Nollem tamen ego affirmare, omnia eius capita aequalibus in foro viribus gaudere. Quaedam enim, facie rerum per temporum ſeriem mutata, ab vſu paulatim receſſerunt; quaedam per Conſtitutionem recentiorem, et maxime per Collectionem Gregorianam vel tota vel ex aliqua ſui parte abrogata fuerunt; ita vt de Decreto fere idem dicendum videatur, quod de Iure Iuſtinianeo et Feudali Longobardico dici ſolet, illud non per ſingula capita auctoritatem habere, ſed in genere vel, vti Icti loquuntur, *per auerſionem.* Saeculo XVI. tanti et tam certi vſus aeſtimatum fuit Decretum, vt, quo hic vſus felicior eſſet, illud a mendis, quibus ſcatebat, publica auctoritate purgandum videretur. Mandauit hanc ſpartam Pius IIII. S. P. viris ſelectis, pluribus eminentiori dignitate, omnibus eruditionis praeſtantia illuſtribus. Continuatum eſt hoc opus ſub Pio V. S. P. et tandem perfectum ſub Gregorio XIII. S. P. ita vt, ſi omnes, qui tribus vicibus, huic *Correctorum Romanorum* conſortio additi fuerunt, coniunctim computentur, ad triginta quinque ſocios numerus illorum excreſcat, quorum nomina exhibet Iuſtus Fontaninus, Archiepiſcopus Ancyranus, *in Praefatione* ad *Gratiani Decretorum Libros quinque, ſecundum Gregorianos Decretalium libros tituloſque diſtinctos per Iohannem a Turrecremata Ordinis Praedicatorum S. R. E. Epiſcopum Cardinalem Sabinum*, a ſe Romae 1727. editos, et ex eo Boehmerus *Diſſert. de varia Decreti Gratiani fortuna* §. 17. *n.* (*e*). Hinc quam mancus ſit catalogus horum Correctorum, quem Antonius Auguſtinus ſub finem *L. I. Dial. de Emend. Gratiani* et ex eo Maſtricht *Hiſt. Iur. Eccl. n.* 393. et Struuius *Hiſt. Iur. c.* 7. §. 32. ſiſtit, quique 24. Correctores tantum exhibet, ſatis intelligitur. Ex hoc conſortio Correctorum Romanorum prodierunt duo Summi Pontifices, nempe ipſe Gregorius XIII. et Sixtus V. eruditione et rerum Eccleſiaſticarum peritia praeſtantiſſimi. Quid hi Correctores in Decreto emendando praeſtiterint, ſatis ipſi docent *in Admonitione ad Lectorem* editionibus Decreti vel praefigi vel ſubiungi ſolita. Decretum ita a multis mendis purgatum Gregorius XIII. partem facere Iuris Canonici cum Decretalibus Gregorii VIIII. Libro ſexto Bonifacii VIII. Clementinis et Extrauagantibus agnouit edita Conſtitutione a. 1580. d. 1. Iulii, et quod in hac Conſtitutione de integro Iure Canonico ſtatuerat, id poſtea nempe d. 2. Iun. 1582. in Decreto emendato ſpeciatim fieri iuſſit, nempe *vt, quae emendata et repoſita ſunt, omnia quam diligentiſſime retineantur, ita vt nihil addatur, mutetur aut imminuatur.* Inde colligo, Gregorium XIII. non quidem tum demum huic Decreto auctoritatem

Source : BIU Cujas

tem legalem dediſſe, ſed eam ex vſu et receptione ipſi iam dudum inhaerentem agnouiſſe, et, vt id eo felicius in poſterum ad vſum vtrumque, ſcholaſticum nimirum atque forenſem, adhiberi poſſet, id emendari curaſſe. Vnde Boehmerus (qui hanc ſententiam *I. E. L. I. T. II. §. 25.* contra Eſpenium, et *in Diſſert. de var. Decr. Grat. fort. §. 18. n. (o)* et *ſqq.* contra Ottonem Scharzium, Prof. Salisb. qui *in Diſſ. prooem. ad Comm. in Decretal. nu. 28. et ſqq.* eam aggreſſus erat, defendit) rationes *l. c. n. (p)* ita ſubducit: *Qui perſpectum cognitumque vſum Iuris cuiuſdam in foro habet; qui tantos labores eiuſdem emendationi impendit; qui Corpori authentico Iuris illud addendum eſſe decernit; qui denique ſeuere prohibet, ne quid in poſterum ei addatur et detrahatur, ſed vt ſemper et perpetuo integrum et incorruptum in eo ſtatu, in quo poſt correctionem conſtitutum eſt, conſeruetur, ita vt coniunctim haec omnia concurrant, ille auctoritatem eius authenticam agnoſcere debuit, ad minimum per auerſionem. Atqui Gregorius XIII. vt optimus Iuris Canonici Interpres, et in rebus Eccleſiaſticis verſatiſſimus, vſum Decreti ſuo tempore cognitum perſpectumque habuit, et in eo innutritus fuit, praeterea vero reliqua, quae dixi, praeſtitit. Non ergo neceſſe fuit, expreſſe et explicite auctoritatem de nouo Decreto tribuere, quam iam longe ante eius tempora habuit in foris, cuiuſque intuitu correctionem perficiendam curauit Pontifex. Infantiſſimus foret, qui ſibi aliiſque perſuadere vellet, ob ſolum theoreticum, et non potius ob genuinum vſum practicum, tot eruditiſſimis viris hunc Herculeum laborem demandatum, totque vigiliis tandem ad exitum perductum fuiſſe.* S.

(156) Qui hiſtoriam Iuris Canonici ſcribunt, tantum non omnes inter Gregorianam et Bonifacianam Collectiones prodiiſſe aliam negant, cum Gregorius VIIII. aliam fieri omnino prohibuerit *in Conſt. Rex Pacificus cet.* Quem errorem etiam a Struuio *Hiſt. Iur. c. 7. §. 26.* et Maſtrichtio *Hiſt. I. E. n. 366.* commiſſum monet Boehmerus *Diſſ. de Decr. P. R. var. Coll. et fort. §. 16. ibique in notis*, docetque, Collectiones tantum priuatas a Gregorio VIIII. prohiberi, et poſt ipſum ceſſaſſe, duas autem in interuallo illo prodiiſſe, alteram quidem Innocentii IIII. ex Canonibus Concilii generalis Lugdunenſis, anno 1245. celebrati, compoſitam ad methodum Decretalium Gregorii VIIII. et ad Bononienſes miſſam, vt in Iudiciis et Scholis vſum praeſtaret; quam ipſe nondum editam ex Codice MSCto Berolinenſi primus exhibet in Corporis Iuris Canonici, a ſe editi, *Appendice ſub N. III. p. 348.* Alteram vero Gregorii X. in Concilio generali Lugdunenſi II. compoſitam, et ipſam ad Bononienſes miſſam, ex qua, iam in Collectionibus Conciliorum edita, variantes ipſe collegit lectiones *in Append. ſub N. IIII.* Debebant illae inſeri Gregorianae Collectioni ita, vt earum capita ſub ſuis quaeque titulis exhiberentur. *Hoc tamen factum fuiſſe non liquet, ſed ſeparatim* hae *compilationes gloſſis illuſtratae fuerunt.* v. Boehmerus *l. c.* Poſtea in Librum VI. translatae ſunt. S.

(157) Ratio huius rei eſt diſſidium graviſſimum inter Philippum Pulchrum Franciae Regem, et Bonifacium VIII. S. P. acerrime agitatum; cuius Acta publica exhibentur in Libro, qui tertia vice multis acceſſionibus auctus prodiit Pariſiis anno 1655. in f. ſub titulo: *Hiſtoire du differend d'entre le Pape Boniface VIII. et Philippe le Bel Roy de France;* in quo quae Gallico et Latino ſermone ſcripta reperitur eius litis hiſtoria, Simoni Vigorio adſcribitur, collectio autem Actorum Petro Puteano, collectio proceſſus contra Epiſcopatum Apameenſem vero Iacobo Puteano vindicatur. v. *Ioh. Chriſtoph. Mylii Bibliotheca Anon. Gall. num. 506. et ibid. n. (a).* Eandem litem recenſet Bailletus ſingulari libro in forma duodecima Pariſiis 1718. edito, cui titulus: *Hiſtoire des Démélés du Pape Boniface VIII. avec Philippe le Bel, Roi de France.* Aliqua de hac re, certe non vulgaria, occurrunt apud Petrum de Marca *de Conc. Sacerd. et Imp.*

Source : BIU Cujas

cet. passim, maxime autem *L. II. c. 3. §. 8.* et *ibidem* apud Baluzium, qui etiam Orationem Bonifacii VIII. *pro confirmando Rege Romanorum Alberto*, duram sane et certissimis regni Francici iuribus vehementer inimicam, ex Codice Colbertino exhibet; et apud eundem P. de Marca *L. IIII. c. 16.* Succincte historiam eius litis etiam sistit Mastricht *Hist. I. E. n. 369.* et alii passim. Videantur etiam Bochelli *Decreta Ecclesiae Gall. L. II. Tit. 16. c. 2. p. 321. et sqq.* S.

(158) Auctoritatem Libro VI. in Gallia etiam denegant Fleury *Introd. au Droit Eccl. T. I. ch. 1. p. 14.* et auctor *de l'histoire du Droit Canonique et du Gouvernement de l'Eglise chap. 10. p. 50.* Maxime notatu digna sunt, quae dicit *Historia Latina Magni dissidii cet.* quae in libro nota (157) allegato: *Histoire du differend cet.* occurrit, vbi *p. 37.* haec leguntur verba: *Regi tamen placuit per totum regnum ipsius memoriam extingui et aboleri, sextumque Decretalium librum a Bonifacio collectum allegari vetitum: adeoque hocce Regium iussum viguit, vt ne nunc quidem vllus apud Iudices rationem, ex illo libro petitam, allegare audeat. Quod etiam ad Cap.* Generali constitutione *de Electionibus in sexto glossae auctor his verbis in Editione Romana deletis adnotauit.* » Ideo secun» dum aliquos Constitutiones istius Com» pilationis (*scilicet 6. libri*) non fuerunt » receptae in hoc regno propter istam, *de* » *iure nempe regaliae*, controuersiam.« S.

(159) Clemens V. anno 1313. *in castro de Montiliis prope Carpentoratem ciuitatem, in qua tunc Curia morabatur, fecit coram se in Consistorio publicari Constitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex quibus decreuerat fieri librum vnum, quae dicuntur Constitutiones Clementinae.* v. vita Clementis V. scripta *Auctore Bernardo Guidonis Episcopo Lodouensi* in Baluzii *Vitis Pap. Auenion. T. I. p. 60. et 80.* eiusdemque vita scripta *Auctore Amalrico Augerii de Biterris cet. ibid. p. 110.* Ad studia generalia autem eam Collectionem non ipse Clemens V. sed demum Iohannes XXII. an. 1317. non vero, vti apud A. N. *h. l. in nota* legitur, 1313. misit, quod Ioannes Canonicus S. Victoris, Bernardus Guidonis, Ptolemaeus Lucensis, Amalricus, in vita Ioannis XXII. apud Baluzium *l. c. p. 119. 137. 174. 190.* testantur. Rationem, quae promulgationem Clementinae Collectionis differri iusserit, Iohannes XXII. in Constitutione, qua hanc Collectionem *Doctoribus et Scholaribus vniuersis Bononiae commorantibus* commendat, ita reddit: *adsidua tamen occupatio circa magna, ac sortis humanae conditio, quae ipsum de medio sustulit, in causa fuerunt, quare suum in hac parte propositum non impleuit.* Consentiunt Vitae Clementis V. scriptores allegati et ipse *Venetus coaetaneus*, qui inter scriptores vitae Clementis V. apud Baluzium *ibid. pag. 86.* reperitur. Omnes vno ore morbum et mortem Clementis V. S. P. quibus ipsum paulo post oppressum esse dicunt, tanquam impedimenta, quae promulgationi obstiterint, accusant. Contradicit his omnibus Aventinus *Annal. Boic. L. VII. c. 15.* qui Clementem V. huius Collectionis poenituisse, adeo, vt eam non promulgari curauerit, sed potius morti vicinus aboleri iusserit, seque id a Wilhelmo Occamensi didicisse asserit. Illis omnibus consentientibus, quorum aliqui tamen ad ipsa Clementis tempora accedunt, vnicum Auentini, qui XVI. saeculo demum scripsit, testimonium, quo ad Guilielmum Occamensem, eius quidem saeculi scriptorem, sed memoriae Clementis V. quantum poterat, lubenter detrahentem, sermone sat vago et incerto prouocatur, opponere ego quidem non audeo. Ne tamen quid dissimulem, sunt quaedam, quibus Auentini dicta aliquantum adiuuari possent. 1.) Ioannes Canonicus S. Victoris *l. c.* rationem moras promulgationi Clementinarum iniectae non in casu praeter spem contingente, sed in consilio cum seria deliberatione capto quaerit; nempe quod Clemens in promulgatione capitum a se collectorum moram fecerit, *sperans, quod ad limam iterum deuenirent.* 2.) Clemens V. Col-

Source : BIU Cujas

Collectioni suae in Consistorio publicatae per anni, et quod excurrit, spatium superfuit, licet aliter computet Bernardus Guidonis *l. c.* qui tamen hic aliorum testimoniis, suisque ipsis verbis refellitur. 3.) Ipse Clemens V. satis temporis in eo, quod a publicatione Collectionis Consistoriali ad mortem eius intercesserat, intervallo inuenit, quo eam ad *studium generale Aurelianense* mitteret, cui initia et ornamenta dederat, et Regiam confirmationem impetrauerat, cuique, tanquam suo, impense fauebat. Epistolam Clementis V. ad Aurelianenses hac de re scriptam ex Codice Clementinarum membranaceo Hasso-Cassellano producit dignissimus magno patre filius, Georgius Ludovicus Boehmerus *in Diatr. de Clementinis* §. 9. Verba Epistolae haec sunt: *Clemens Episcopus, seruus seruorum Dei, magistris et scholaribus, Aurelianis commorantibus, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum nuper in generali Concilio Viennensi et ante et post quasdam Constitutiones super certis articulis duxerimus promulgandas; vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus eis, quas sub bulla nostra vobis transmittimus, vtamini a modo tam in iudiciis, quam in scholis.* Vid. etiam Boehmerus pater, meritis et filiis illustris, *in Dissert. de Decretal. P. R. var. Coll. et fort.* §. 17. *n.* 105. *et sqq.* Clementinas aliquando nomine *Libri Septimi* allegari solitas fuisse, probat vita Clementis *Auctore quodam Veneto coaetaneo* scripta apud Baluzium *l. c. p.* 86. et Vita Ioannis XXII. *ex appendice* Ptolemaei Lucensis *ibid. p.* 174. Alia exempla allegat Baluzius *ibid. in notis ad Vitas Pap. Auenionens. p.* 682. S.

(160) Vtraque Collectio priuata auctoritate prodiit, auctoribus incertis. Nouissima inter Extrauagantes Communes Constitutio est ea, quam A. N. *h. l. in n.* allegat, vt inde argumentum ducat, integram Collectionem post annum 1483. demum prodiisse, cum Constitutio allegata sit a Sixto IIII. eo anno promulgata. Extrauagantes Iohannis et Communes partem Corporis Iuris esse agnoscit et vult Gregorius XIII. in Constitutione de a. 1580. vnde eas et ante ipsum auctoritate per vsum et receptionem gauisas esse, et post ipsum ex ipsius voluntate gaudere debere, concludimus. S.

Ad §. LXXI.

(161) Vetustissimum, linguâ patria monimentum. cet.

(161) Vbi sub hoc titulo occurrit, *Keyser Friedrichs des andern Recht, gesetzt und bestätiget mit der Fürsten Rade, und mit andern grossen Herrn, und Wysen zu dem grossen Hoff zu Maugantze, und geschahe nach unsers Herrn Christi gepurd, zwelff-hundert und sechs und dryssig iare, zu Sand Marien im dritten Augste.* Quam Constitutionem tamen scriptores tantum non omnes ad annum 1235. referunt. Eadem confirmata a Rudolpho I. in Comitiis Moguntinis de a. 1281. Constitutione, Germanico etiam sermone, exarata, quae extat in *Rec. Imp. ed. nou. P. I. p.* 31. nec non in Comitiis Herbipolensibus de an. 1287. quae Constitutio et ipsa Germanico idiomate conscripta exhibetur a Lehmanno *Chron. Spir. L. V. c.* 108. et *Rec. Imp. ed. nou. P. I. p.* 34. Quando vero Conringius *de O. I. G. c.* 27. *p.* 163. quandam Constitutionem Rudolphi Germanicam Spirae anno 1291. latam a Lehmanno *l. c.* produci asserit, id ita intelligendum est: Rudolphus Constitutionem Friderici II. iam antea anno 1281. repetitam, nunc denuo anno 1287. in Comitiis Herbipolensibus Germanico sermone renouat, quae Constitutio renouata a Lehmanno *ibid.* exhibetur, et tantum in Rubrica eius capitis simul indicatur, eam postea denuo an. 1291. Spirae renouatam esse, ita tamen vt ipsa Constitutio Spirensis *ibidem* non producatur, quae ne in Rec. Imp. editione nouissima quidem, etsi

Source : BIU Cujas

etsi magno studio curata, occurrit. Quod autem Auentinus *Annal. Boic. L. VII. c. 9.* et Mart. Crusius *Annal. Sueuic. L. III. P. III. c. 1.* asserunt, quod Rudolphus I. Constitutione edita iusserit, vt *Principum et Pontificum Edicta, priuilegia cet. Teutonum lingua ederentur*, vel, *ne amplius literas contractuum Notarii Latine scriberent, sed Germanice*, id defectu Constitutionis, quae nusquam extat; (eam enim, quam Goldastus sistit, oppido falsam esse iam docuit Schurtzfl. *Epist. P. I. p. 29.*) silentio scriptorum eius temporis, et actuum publicorum priuatorumque, Latino sermone post ea adhuc tempora conscriptorum, frequentibus exemplis fere in dubium vocatur. v. Lehmanni *Chron. Spir. L. V. c.* 107. Conring. *de O. I. G. c. 27. p. 162.* Struu. *Hist. Iur. c. 6. §. 19. Einleitung in die Geschichte der T. R. A.* Rec. Imp. editioni nouissimae praefixa *c. 7. §. 2. S.*

Ad §. LXXII.

(162) Saecul. XV.

(162) Nonnullas tamen praecedentium saeculorum Constitutiones sistit nouissima Recessuum Imperii editio Francof. 1747. S.

Ad §. LXXIII.

(163) Speculum Saxonicum.

(163) Speculi Saxonici nomen, quod aliquando laxiori significatione Ius Prouinciale Saxonicum, Ius Feudale Saxonicum et Ius Weichbildicum Magdeburgense comprehendit, nos hic strictiori et magis proprio sensu accipimus, et cum A. N. soli Iuri Prouinciali Saxonico vindicamus. Eius originem olim communis opinio Carolo M. adscripsit. Ipse Auctor Prooemii Speculi Saxonici, eiusdemque Glossator hanc opinionem introduxisse; imo Constantinum Carolo in condendo hoc Iure socium dedisse videntur. Ita enim ille quidem in *Prooemio solutae orationis* loquitur: *Nun wir aber bekert sind, und Gott uns wieder eingeladen hatt; so halten wir sein Gesetze und Geboth, welche uns seine Weissagungen und gute geistliche Leute gelehret, auch die Christliche Kœnige Constantin und Carl gesetzt haben, woran sich auch Sachsenland noch seines Rechtes halber hælt.* Hic vero statim ad initium huius Prooemii ita commentatur: *Hie hebet der Eck von Rebkaw an, in Teutsch zu bringen das Lateinische Priuilegium, das Constantinus und Carolus beyde Rœmische Keyser, auf eine Zeit gaben den Sachssen vor Recht, auff dass sie sich zum Christen glauben bekærten cet.* Hic porro *ad Iur. Prou. L. I. Art.* 14. de Carolo M. praecipue idem affirmat: *darum auch aus diesem wol zu schliessen were, dass das Landrecht diesesfals billich nichts mehr gelten solt, weil es elter ist, als das Lehnrecht. Dann der edle Kœnig Carol der Grosse hat es uns geben.* Adde *L. III. Art. 82. gloss. n. 5. Dieses der Sachsen Priuilegium ist gegeben worden auf der Sachsenburg von Kœnig Carolo, nach Christi geburt im achthunderten und zehenden jahr, und seines Reichs im siebenden, den zehenden tag des Hornungs.* Quorsum etiam facit Glossa *ad Weichbl. Art. 7.* Quod vero Glossator per *Priuilegium* designet totum *Speculum* et haec ipsa loca, quae produximus, interque ea maxime omnium primus, satis innuunt, et alia luculenter confirmant, vti *ad L. I. Art. 19. Dieses alles aber, so in diesem Artickel stehet, gehœrt nicht zu dem Privilegio der Sachsen, sondern ist allein zu einer gleichnis eingefurt, und sind Eickens worte des rechtfertigen Mannes.* Ita *ad*

L. I.

Source : BIU Cujas

L. I. Art. 30. zum erſten darumb, daſs das Privilegium dem Lande gegeben iſt, und nicht den Leuten oder den Perſonen. Sententia Gloſſatoris itaque, ſi omnia colligimus, haec eſt: Conſtantinus et Carolus M. hoc Ius, quod ego gloſſis illuſtro, eodem tempore Latino ſermone Saxonibus dederunt, Epko Repkouius autem poſtea id in Germanicum ſermonem tranſtulit et aliqua hinc inde addidit. At vero nullus Conſtantinorum eſt, qui ſimul cum Carolo Leges Saxonibus ferre potuerit, nec vlla huius Iuris Saxonici pars eſt, quae ad Conſtantinum referri poſſit, niſi illi tribuere velis, quod extat Iur. Prou. Saxon. *L. III. Art. 63.* Quod autem ad Carolum M. attinet, ipſi poſt Gloſſam plures originem Iuris, hoc Speculo comprehenſi, acceptam ferunt. Primus tamen huic ſententiae ſe oppoſuit Krantzius *Saxon. L. II. c. 21.* quem ſecutus Heigius *L. I. Quaeſt. 8. n. 20. et ſqq.* Gryphiander *de Weichbild. Saxon. c. 37.* Conringius *de O. I. G. c. 13. c. 25. 30.* et ex eo tempore plurimi. Rationes, quae opinionem olim receptam deſtruunt, praecipue hae ſunt. 1.) nulla proſtant Carolingici temporis teſtimonia, quae huius Speculi mentionem faciant. 2.) Epko et Gloſſator nimis a Carolo M. remoti, quam vt de eius rebus fidem facere poſſint. 3.) Vterque in rerum hiſtoricarum cognitione omnino coecus, ita vt relationes illorum fabulis craſſioribus mixtae et omnino ſuſpectae ſint: 4.) Communis eorum temporum mos, omnia, auctoritatis conciliandae gratia, Conſtantino et Carolo, tanquam auctoribus (ficte an vere nil intereſt) facile tribuit. 5.) multa ad ſtatum vel publicum vel priuatum ſpectantia, Caroli aetate omnino recentiora, hoc Speculo exhibentur, quae eius aetatem Carolo poſteriorem oſtendunt. 6.) Ottonum Magni et Ruffi ſiue IIdi Conſtitutiones occurrunt in ipſo Speculo, ſi Gloſſae fides eſt, et quidem illius *Libro III. c. 83. v. ibid. Gloſſ. n. 4.* huius vero *ibidem c. 85. v.* etiam Gloſſ. *ibid. n. 2. 7.*) Ipſe Speculator provocat ad tempora Wichmanni, Epiſcopi Magdeburgenſis *Lib. III. c. 73.* quem tamen ab Epiſcopatu Citizenſi ad Magdeburgicum anno 1153. tranſiiſſe teſtis eſt Otto Friſingenſis *de Geſt. Frider. L. II. c. 6. et ſqq.* cui cum per vicennium praefuerit, et Speculator de eius temporibus, tanquam praeteritis loquatur, non facile ante annum 1180. prodiiſſe Speculum dici poterit. Alia ad ſequentem §. vbi de Epkone agetur, commemorabuntur. Eſt vero etiam, qui ad ſaeculum X. originem huius ſpeculi referat, Auctor *Schreibens von dem Alterthume des Sachſenſpiegels.* vid. *Ergetzungen der verniünfftigen Seele. T. IIII. P. 3. p. 232. et ſqq.* Is enim fidem ſequitur eorum, quae Gloſſator Iur. Weichbild. *Artic. 10.* dicit: » Ottonem M. Magde» burgum Iure Municipali dotaſſe, filium » eius Ottonem Ruffum id confirmaſſe, » et aliqua ex Iure Prouinciali, quod » Speculum Saxonicum vocaretur, ex» trahendo addidiſſe, et quae in Speculo » Saxonum obſcure haberentur, clarius » enodaſſe, praefeciſſe huic operi ſeque» ſtratorem ſacri ſui Palatii Burchardum » de Manphelt (al. Mangelfeld) Pro» feſſorem Sacrae Theologiae, ac vtriuſ» que Iuris Doctorem. Hunc etiam ex » mandato Imperatoris in Ius Prouincia» le, ſeu Speculum Saxonum Commenta» rium feciſſe, legibusque id et canonibus » adornaſſe, praeſens etiam Priuilegium » (nempe Ius Municipale Magdeburgi» cum) Gloſſis et interpretationibus de» claraſſe, Proceſſum Iuris (*Richtſteig*) » compilaſſe. « Inde Auctor modo laudatus coniicit, Epkonem Repkouium ſub Ottone I. opus inchoaſſe, Mangelfeldium ſub Ottone II. idem emendaſſe, et demum Repkouium ſub finem ſaeculi X. Latini textus, iamiam aucti, verſionem Germanicam curaſſe. Hinc duobus dubiis reſpondere conatur. Primum eſt, quod Comes Hoyerus Falkenſteinius, cuius precibus motus Repkouius verſionem Speculi Germanicam elaborauit, ſaeculo XIII. adſcribatur. Hoc dubium tollere ſtudet recenſendo Falkenſteinios, quos Munſterus e temporibus ſaeculo XIII. antiquioribus

Source : BIU Cujas

praecipue ex indicibus eorum, qui ludos equestres, vulgo torneamenta dictos, frequentarunt, producit, v. g. an. 948. *Friedrich Freyherr zu Falkenstein*, an. 1080. *Rudolph Grav zu Falkenstein*, an. 1165. *Freyherr Hugo, Herr zu Falkenstein* etc. Et licet inter hos nemo Hoyeri nomine insignitus occurrat, sufficere arbitratur ostendisse, Falkensteiniorum gentem iam ea aetate fuisse celeberrimam, et facile aliquem eo tempore, Hoyeri nomine insignem, viuere potuisse, qui tamen in ludis equestribus iis, quorum catalogi sibi visi sint, non notatus sit, cum nec is, qui saeculi XIII. initio celebratur Hoyerus Falkensteinius in vllo ludorum equestrium indice sibi visus sit. Alterum dubium, sibi ex linguae, qua Speculum Saxonicum scriptum prostat, genio, male sermoni saeculi X. respondenti, natum ita soluere credit, quod sermo, quo vtitur Speculum, non sit authenticus, sed ad genium sui saeculi a Glossatoribus inflexus. Verum haec assertio sola Glossae auctoritate nixa facile corruit, si consideretur 1.) quod huius Glossae in rebus historicis antiquioribus leuis vel nulla sit auctoritas; 2.) quod eam fabulis scatere a multis iam obseruatum sit; 3.) quod ipsa haec Glossae narratio, de qua hic sermo est, multa a vero aliena, multa absona fistat, iam ab aliis satis profligata; 4.) quod Mangelfeldius, quisquis demum ille sit, si Glossator Iuris Saxonici est, Epkone multo sit recentior, quippe qui de eius temporibus, quasi de antiquis et iam dudum praeteritis loquitur: *Zu Herr Ecken Zeit cet.* v. *Spec. Sax. Gloss. ad L. III. Art. 75.* quod iam obseruauit Gryphiander *de Weichb. Sax. c. 53. n. 2. 5.*) Quod inter Cancellarios, quorum dignitati comparari solet Sequestratoris sacri Palatii munus, Mangelfeldio a Glossa tributum, Ottonum tempore nullus vsquam occurrat Mangelfeldius, v. iterum Gryphiander *l. c. c. 52. 6.*) quod Doctoris Iuris vtriusque titulus, Mangelfeldio a Glossa adscriptus, tempore Ottonum sit inauditus. 7.) quod, quae hic ex Glossa allegantur, sint Zobelii saec. XVI. scriptoris potius, quam Glossae verba, cum notam addi- tio, qua omnia Zobeliana distingui Praefatio editionis de anno 1560. docet, adscriptam habeant, atque ita a saeculo X. tanto interuallo remota sint, vt parum fidei in rebus eius saeculi habitura sint, nisi antiquiori auctoritate firmentur. Alia, quae vel hanc Glossae de Mangelfeldio narrationem erroris conuincunt, vel Speculi Saxonici aetatem multo Ottonibus recentiorem ostendunt, paulo inferius adhuc producturi sumus. Praecipue etiam Speculi huius natales Ottonibus longe posteriores pluribus, ex ipso eius textu petitis, argumentis demonstrat Auctor *der Untersuchung des Alterthums des Sachsenspiegels.* v. *Ergetzungen der verninfft. Seele. T. IIII. P. 3. p. 239. et sqq.* S.

Ad §. LXXIIII.

(164) Vtriusque auctoris aetas.
(165) Hoyerus Comes a Valkenstein.
(166) Inter annum 1215. et 1235. etc. (*H. N.*)

(164) Non otiosa est quaestio, sed vtique examine digna, cui tempori origo huius Speculi adscribenda sit. Multa enim id continet, ad publicum Imperii statum facientia. Licet itaque in his saepius nugetur eius Speculi Auctor, et hinc parum auctoritatis mereatur, tamen, si quae ibi tanquam eo iam tempore nota allegantur; aetas illorum Iuris publici capitum auctoritate huius Speculi, in rebus saltem sui temporis fidem merentis, certius definiri poterit. vid. *Untersuchungen des Alterthums des Sachsenspiegels.* in *Ergetz. der vern. S. T. IIII. P. 3. p. 239. et sqq.* S.

(165) Hu-

Source : BIU Cujas

(165) Huius enim precibus Epko de Repkow Speculum hoc non tam conscripsit, vti A. N. §. 73. innuere videtur, quam antea a se Latino sermone conscriptum in linguam Germanicam transtulit, vti ipse fatetur, sub finem Praefationis rythmicae, ex antiquissimi Codicis Lipsiensis stylo ita locutus:

Nu dancket algemeyne,
Deme von Valkensteine
Der greve Hoyer ist genant:
Daz an dusch ist gewant
Diz buch durch sine bete.
Eyke von Repgowe iz tete.
Ungerne erz aber an quam.
Da her aber vernam,
So groz darzu des Herren gere,
Da en hatte he nich eine gewere.
Des Herren libe in gar verwan
Daz he des buches began.
Des ime was vil ungedacht,
Daz ers an Latin hatte bracht,
Ane helfe und ane lere.
Da duchte in daz zu swere,
Daz erz an dusch wante.
Zu lest her doch genante
Des arbeytes und tete
Greven Hoyeres bete.

Repkouium Imperialis Camerae Magdeburgensis, assessorem, nescio qua auctoritate ductus, Goldastus *in Rubr. Spec. Sax.* vocat, et *in Praefatione der Reichssatzungen* obseruat, eum aliquando Latine *Eccardum* nominari, atque inde opinionem quibusdam natam esse, prouerbium Germanicum, *der treue Eckart warnt jedermann*, ab ipso originem ducere, cum tamen D. Iohannes Eisleben id de Eckardo Landgrauio Alsatiae interpretatus sit, de quo adhuc vetus cantilena rythmica, *Herr Ecken ausfahrt*, in vulgo celebretur; haec omnia tamen Conringio merito non videntur verosimilia. v. *de O. I. G. c.* 30. *p.* 181. Forsan opinio, hoc prouerbium ad Repkouium referens, occasionem cepit ex eo, quod Glossa *ad L. I. art.* 19. Repkouium nostrum, quasi per eminentiam, nominet *den rechtfertigen Männ.* S.

(166) Spangenbergius quidem *Chron. Saxon. c.* 247. et *Querfurt. Lib. IIII. c.* 4. asserit, Fridericum II. in Comitiis Merseburgensibus anno 1213. Saxonum Ius Feudale et Speculum Saxonicum confirmasse. Verum qua fide id asseratur, non constat. Ex iis, quae hic ab A. N. ex Conringio dicuntur, certa fide colligitur, hoc Speculum saltem post annum 1215. conditum esse, quomodo ergo id iam a. 1213. a Friderico II. confirmari potuit. Auctor *der Untersuchung des Alterthums des Sachsenspiegels in Erg. der vern. S. T. IIII. P.* 3. *p.* 239. *et sqq.* vt et idem *in Abhandlung von Ursprung und erblichen Alterthume der Churfürstlichen Ertzæmter v. Ergetzungen etc. T. III. P.* 3. *p.* 213. *et sqq.* multis quidem argumentis, magna cura et eruditione ex ipso Speculo conquisitis, ostendere conatur, hoc Speculum anno 1180. proximum esse. Verum luculento Conringii argumento, quod et A. N. hic producit, quoque id Speculum saltem anno 1215. recentius esse vberrime probatur, nusquam satisfecit, adeo vt eius ne mentionem quidem vllam fecerit. Cum vero Speculator loco, quem A. N. citat, vexillarium feudorum mentionem faciens Ducatum Brunsuicensem et Luneburgicum omittat, a Friderico II. anno 1235. demum institutum, in prima vero Praefatione solutae orationis, quae incipit: *Nu vernemet umme der herren geburt von dem Lande zu Sachsen etc.* disertis verbis Luneburgici Ducis mentionem faciat: *Der Herzoge von Lineburch und sin geslechte. Die sin geborne Sachsen etc.* inter Francos vero referat *die lantgreven von Duringen*, atque ita eo tempore scripsisse videatur, quo Thuringia adhuc suos sibi proprios Landgravios habuit, anno 1247. cum Henrico Raspone extinctos, inde Gaertnerus *in Praefatione* suae Speculi Saxonici editioni praefixa §. 4. scite coniicit, Speculatorem iam ante annum 1235. suo operi incubuisse, illud autem demum post illum annum perfecisse, hancque ipsi tum Praefationem addidisse, adeoque Speculum suum Germanico idiomate conscriptum in eo, quod inter annos 1235. et 1247. medium est, interuallo tandem edidisse. S.

Source : BIU Cujas

Ad §. LXXV.

(167) Huius speculi etc.
(168) Multi naeui etc.
(169) Nugae ac naeniae.
(170) Gaertneri citatio : (*H. N.*)

(167) Nomen Speculi se huic Collectioni dedisse ipse indicat et rationem huius denominationis addit Repkouius *in Praef. rythmica* :

Spiegel der Sachsen ;
Sal diz buch sin genant ;
Wen Sachsen recht ist hie anbekant.
Als in eyme spiegele sich die vrowen
Beginnen schowen.

Obseruant tamen Viri eruditi, quod ex more illorum temporum multa opera, quae farraginem rerum plurimarum continerent, Speculorum nomine insignita fuerint, vt Speculum Vincentii Bellouacensis, Speculum Durandi, et alia. Vnde et huius Collectionis, quae consuetudines et leges varias Saxonum complectitur, denominatio fluxisse videtur. S.

(168) Felicius forsan et praestantius hoc Opus prodiisset, si pluribus auctoritate publica selectis viris hoc negotium datum fuisset ; sed id priuata et quidem solius Repkouii opera compositum esse, ipse indicat, cum de Latino eius textu dicat *in Praef. rythmica vers. fin.* quod eum composuerit :

Ane helfe und ane lere.

Vti et Germanicam versionem a se ad preces Comitis Falkensteinii elaboratam esse fatetur versibus *ad §. praeced.* citatis. Ita sibi et quidem soli hoc opus vindicat versibus allegatos proxime praecedentibus :

Vor Gote her si vervluchet
Swer unrecht gerne sterke,
Oder misse tu zu diesem verke ;
Dar umme ich lange han gedacht
Und durch Got zusamme bracht.

Vnde et ipse auctor est iis, qui hoc libro vsuri sunt, vt si dubium ipsis subnascatur, alios consulant :

Wer in diseme buche
Vrage rede suche,
Ab ime daran icht misse hage ;
Des tu her zu hant keine clage.
Und wege die sache in sime sinne ;
Nach deme ende und deme beginne.
Und ervrage sich mit wisen luten,
Die di wahrheit kunnen beduten.
Und auch habe die site,
Daz sie recht sin da mete.
Und ab her dan
Ein rechter ervragen kan,
Ich rate om balde
Daz er sich daran halde.
Wanne wise lute leren,
Ist bezzer den myn eyner sie.

Grauiter tamen imprecatur iis, qui aliquid addere ausi fuerint, vti non tantum versus mox citati, sed et alii eiusdem Praefationis ostendunt :

Alle die unrechte varen,
Und werben an diseme buche,
Deme sende ich diese vluche.
Und die valsch hiezu schriben,
Die miselsucht muze on beclieben ;
Alsi jezi tete,
Von Elizens bete.

Eadem imprecandi licentia et in alios, qui huic operi manus ministras attulerunt, contagione quadam transiisse videtur. Ita Ludewigio *de Iure Suffragii Regis Bohemiae c. 3. §. 1. in n.* (*c*). stomachum mouit librarius Codicis MSCti Spec. Sax. quem eius bibliotheca seruauit, quippe qui Codici hanc addidit imprecationem :

Wer das buch schende ;
Der blybe ein hurenson an sein ende
Und wer dem schriber iibil spricht :
Der habe mit dem tiifel pflicht. S.

(169) Errores aliquot historicos exagitat

Source : BIU Cujas

gitat Krantzius *Saxon. L. II. c.* 21. praecipue ex *Lib. III. art.* 44. vbi originem regnorum et Saxonum operose quidem, sed et miserrime euoluit Speculator. Plures errores notat Ludewigius *Diss. alleg.* passim, et praecipue *l. c. in notis*, adeo, vt et singularem *de naeniis Speculi Saxonici, Codicis LL. nugacissimi*, commentarium meditatus sit. v. *Dissert. alleg. c.* 2. §. 13. *n.* (*uu*). Varios etiam naeuos indicat Aug. Leyserus in *Collat. prisci Iur. Saxon. cum Iure Rom. et moribus hod.* praecipue *Dissert. I.* Omnium fere Articulorum nugaciſſimum esse *L. I. Art.* 3. optime iudicat Christian. Godofr. Hoffmannus *Specim. Coniect. Polit. de Or. et Nat. LL. German. etc. Per. V. Sect. I.* §. 4. qui omnia vitia huius Speculi breuiter ita colligit: *Certe Codex iste Speculi Saxonici continet multa obsoleta, durissima saepius et iniquitati vicina, multae occurrunt geminationes, nulla obseruata fuit methodus nullusque ordo, saepius ad allotria dilabitur, aliquando Ius Romanum cum Iure Saxonico confundit, et vtplurimum ad nimis speciales casus descendit, ita etiam aliquando nimia angustia laborat, et adeo parum prudentiae continet, et superfluis solennitatibus abundat, in historicis autem aeque, vt inepti Glossatores, fabulas et figmenta immiscet, saepeque inep-tissimis deriuationibus vtitur etc.* Quae omnia in notis abunde probat. S.

(170) Goldastus *in Praefat. der Reichs-Satzungen* plane Speculatorem sua ex ipsis fontibus, atque ita ipsis antiquarum Legum Codicibus hausisse arbitratur. Verum id Gaertnero *in Praef. ad Spec. Sax.* §. 5. merito non videtur verosimile, cum nec ea aetate facile Repkouius harum Legum omnium Codices antiquos in sua librorum supellectile collectos habere potuerit, nec, si iis gauisus fuisset, nullam eorum mentionem feciſſet, praecipue cum eos allegando metum, quem ipsi nouitas rei incutiebat, depellere facile potuisset. Poterant Legum illarum, iamdiu obliuioni mandatarum, aliqua vestigia supersse in moribus Saxonum, ita vt hos diligenter colligens facile potuerit aliquam cum illis Legibus antiquis similitudinem illorum oculis subiicere, quibus hae Leges hodie sine dubio magis, quam ipsi olim erant, nunc cognitae sunt. Ita et Gaertnerus ibidem Heigium refellit, qui *Quaest.* 8. *n.* 49. Repkouio nihil tribuit, quam quod Ius Prouinciale Saxonicum, iam tum antiqua Saxonum lingua conscriptum, inuenerit, et ex ea in Latinum sermonem transtulerit: quod sine omni auctoritate asseritur. S.

Ad §. LXXVI.

(171) Hoc opus Latine scripsisse etc.
(172) Exstat exemplar Latinum, non a Repkouio scriptum.
(173) Inferiori Saxonia etc.
(174) Repetere breuitas vetat etc.

(171) Multorum animis haeret sententia, Repkouium quidem Speculum suum Latino sermone scribere coepisse, sed difficultate operis deterritum a labore coepto manum abstinuisse, atque integrum mox Speculum Germanico tantum sermone edidisse. Sententiae huic subscribunt Schilterus *Exerc. ad ff. XXIII.* §. 63. 64. Conradus Sincerus vel potius Kulpisius *Dissert. Epistol.* §. 16. Thomasius *in Select. Cap. Hist. Iur. Feud.* §. 58. *p.* 62. qui tamen Repkouio Latinum Speculum nulla limitatione addita, tribuit *in Delin. Hist. Iur.* §. 101. Struuius *Hist. Iur. c.* 6. §. 22. *et ib. in n.* 8. Chr. God. Hoffmannus *Specim. Coni. Polit. etc. Per. V. Sect. I.* §. 2. *n.* 5. Integrum vero Speculum Latino sermone compositum esse a Repkouio defendunt Conringius *de O. I. G. C.* 30. *p.* 181. Brunnquell. *Hist. Iur. P. IIII. c.* 6. §. 6. et Gaert-

Source : BIU Cujas

nerus *Praef. ad Spec. Sax.* §. 8. Rationes horum maioris, quam illorum, ponderis nobis videntur. Primo enim Latino sermone id opus se composuisse ipse dicit Repkouius. Quid enim aliud volunt eius verba?

Des ime was vil ungedacht
Da erz an latin hatte bracht;
Ane helfe und ane lere.

Nonne turpissimae iactantiae praecipue a Comite Falkensteinio, omnium, quae Repkouius hac in parte egerat, apprime gnaro, accusari potuisset, si hoc opus, quod nunc Germanice ederet, olim Latino sermone se consarcinasse publice gloriaretur, cuius tamen periculum tantum ab ipso factum esse Falkensteinio optime constare debuisset? Porro Repkouius *in Praefatione rythmica*, cum nunc demum opus suum Germanice ederet, grauissime passim queritur de nasutulis censoribus, a quibus se acerrime vndique petitum scribit: Praecipue huc faciunt verba:

Ich ste zu rame sam ein wilt,
Daz die Hunde bellen an.

Speculum Germanicum, quod nunc, cum hoc scriberet, editurus erat, inuidiae et iniquis censuris nondum ipsum exponere potuit, antequam ederetur. Ergo de alio iam edito Speculo sermo ipsi est. Ergo Speculum Latinum non tentauit tantum antea scribere, sed scripsit et edidit et mordaces aliorum censuras eo excitauit. Egregium vero est, quod hic in transitu obseruat Gaertnerus, verba *ich ste zu rame etc.* ridiculo multorum errori ansam dedisse, atque a Zobelio inepte efferri, *ich stehe zu Rom etc.* quasi a Repkouio fata, quae librum suum Romae aliquando expectarent, praesentiente prolata essent; quorsum ea etiam a multis tracta sunt, ex quibus Gryphiandrum *de Weichb. Saxon. c.* 47. et Struuium *Hist. Iur. c. 6. §. 23. in nota p.* 473. et Ludouici *Praef. Spec. Sax. §.* 13. allegasse sufficiat. Cum tamen *ramen* significet *collineare*, *aspici*, *videri*, et Codex Lipsiensis secundus saeculi XIII. ideo exhibeat: *Ich ste czu czele sam ein wilt.* i. *ich stehe zum Ziele, wie ein Wild:* aut, vt ipse Gaertnerus reddit: *Ich bin anzusehen, wie ein wild, etc.* manifestum inde redditur, verba haec de inuidis et mordacibus inimicorum calumniis, de quibus ibi iam satis questus erat, in genere intelligenda esse, ipsique de fatis libri sui Romanis ne per somnium quidem quidquam visum fuisse; adeo, vt spiritus ille, quem Repkouio hic multi affingunt, propheticus facile ita euanescat. S.

(172) Qui Speculum Saxonicum Latino idiomate a Repkouio integrum vnquam scriptum esse negant, illi necessario in eam sententiam propelluntur, vt, quod extat, Speculum Latinum, Repkouii esse negent. Qui vero a Repkouio Speculum aliquod Latino idiomate scriptum esse concedunt, illi tamen, si de eo, quod nunc extat, Latino Speculo quaestio mouetur, in duas iterum partes scinduntur. Alii id Repkouii esse negant, alii affirmant. Horum ego sententiae subscribere nullus dubito. En paucis rationes, quibus ea fulcitur. Repkouium scripsisse Speculum Latinum certum est ex iis, quae dixi. Extat aliquod Speculum Latinum, sermonem Seculi Repkouiani tantum non vbique referens, antiquis literarum ductibus elaboratum, antiquis Codicibus inscriptum, iam diu etiam typis expressum. Repkouiani Speculi authenticum Latinum, ab ipso auctore in Germanicum sermonem translatum quis vnquam iterum in Latinum verterit, et an quis verterit, aequaliter ab omnibus ignoratur. Cur ego mallem hoc, quod extat, illi tribuere, de quo an fuerit, et quis fuerit, et vbi scripserit et quando, aequaliter incerta sunt omnia, quam illi, quem scripsisse, et hoc sermone, quo hodieque prostat, scripsisse certa scientia affirmare possum? Cur ego in tanta Germanicorum exemplarium copia calamitatem solis Latinis Repkouii Codicibus pertinaciter incubuisse, et omnes vna strage sustuliisse dicerem? Cur ego Latinum Repkouii, quod extitisse certus scio, periisse penitus affirmarem, tantum vt hoc, quod extat, illi adscribere possem, quem vnquam inter homi-

Source : BIU Cujas

homines fuisse, confirmato animo asserere nemo vnquam ausus est. At vero (obiiciunt negantis sententiae patroni) Speculi Latini stilus adeo impeditus est et hians, vt magis versionem quandam ineptam, quam sincerum veri Auctoris opus referat. Respondent vero alii simili accusatione contra Germanicam versionem instituta, et eam saepius obscuram et incertam esse asserunt. Vtrumque verum est, vtrumque opus defectibus non paucis laborat, sed inde non sequitur, Latinum ex Germanico manasse. Manifeste iniquus esset, qui in spissis illis obscuri eius saeculi tenebris claram lucem, in barbarie elegantiam, inter syrtes et scopulos aequo semper et placido alueo fluentem orationem quaereret. At (pergunt priores) Latini tamen Codices Germanicis rariores, imo et recentiores sunt. Regerunt alii: rariores et recentiores esse Latinos Codices negari nequit; inde vero hoc tantum docetur, quod, postquam Repkouius Germanicam versionem ediderat, minus necessarium, minusque gratum coeperit fieri Latinum exemplar, praecipue in ea temporum ruditate, quibus fere, si Clericos exceperis, Latini sermonis vsus e Germania exulabat. Inde Latini Codices Repkouiani neglecti penitus cum blattis et tineis pugnarunt, memoriam sui vix relicturi, nisi ab vno aut altero librario, Latini sermonis vltra saeculi genium cupido, hinc inde aliquis Codex descriptus esset. Extat tamen in bibliotheca Lipsiensis Vniuersitatis Codex Latinus non adeo recens, quippe iam anno 1431. exaratus. Addunt tamen, qui Latinum, quod extat, Speculum Repkouio denegant; Latinum exemplar, si Repkouii esset, cuius et est Germanicum, huic in omnibus respondere, aequalem vbique stilum, genioque saeculi XIII. vbique respondentem ostenderet. At vero textus Latinus *L.* 2. *Art.* 43. non respondet Germanico. Ibi enim ex stilo antiquissimi Codicis Lipsiensis haec verba occurrunt: *sprechen sie ez mit glicher gewere an* etc. quod vertendum fuisset: *si aequalibus probationibus vtantur* etc. cum tamen Latinum exemplar inepte dicat: *si aequaliter possideant* etc. atque ita non sententiam eius, qui Latini et Germanici auctor est, sed putidum, quem non nisi interpres imperitus committere potuit, errorem sistere videatur. Aliquando etiam Latinus textus aliquot, minus aliquanto incultas, quam saeculi XIII. ruditas ferret, orationis formulas ostentat, quae operis eius longe recentiorem Repkouio auctorem subindicare videntur. At haec vero aliud non docent, quam Latinum Repkouii opus non sincerum et incorruptum ad nos quidem peruenisse, sed a librariis non vno in loco mutatum vel interpolatum. Ipsa sermonis inaequalitas interpolationem satis docet. Quae rudiora sunt, vti sunt pleraque, ea sine dubio Repkouii sunt, quae vero minus horrida sunt, ea forsan recentiorum librariorum manibus debentur, quae, vt multa veterum opera inquinarunt, facile etiam Repkouium, cum corrigere et ornare vellent, corruperunt, cum sanare cuperent, vulnerarunt. Non vanas coniecturas in chartam proiicimus, sed quae ipsis rerum argumentis probari possunt, loquimur. Ostendit enim variantium Lectionum collatio, quae ex Codice Paulinae Lipsiensium Bibliothecae Latino antiquissimo, ex prima omnium editione, quae an. 1474. Basileae prodiit, atque ex Samoscienſi editione copiose a Gaertnero collectae sunt, vel iam a Zobelio productae, quod, quo antiquiores sint Codices atque editiones Latini textus, eo magis sibi vbique similes, eoque rudiores quidem sint, sed et ideo saeculo Repkouii, imo et menti eiusdem magis vbique respondeant. Quod vel sola exempli, antea in contrariae sententiae argumentum prolati, inspectio probat, vbi recentiora quidem exemplaria lectionem a mente auctoris alienam exhibent, *si aequaliter possideant*, antiquiora vero, teste Zobelio, verba cum authentico magis consentientia, *si eorum probationes fuerint aequipollentes*, sistunt. Consulendus hic maxime Gaertnerus *in Praef. ad Spec. Sax. §. 8.*

cui

Source : BIU Cujas

cui plurima eorum, quae hic dicta sunt, debemus. S.

(173) Sententia A. N. quod Repkovius sermone inferioris Saxoniae vsus sit, multorum assensu fulcitur. Ita Editor Zobelianus de anno 1614. textum idiomate inferioris Saxoniae exaratum pro norma habet, et sententiam, cui A. N. subscribit, in *Notitia*, quam suae editioni praefigit, defendit. Eandem Gryphiander *de Weichb. Saxon. c. 39. n. 3. et sqq.* fouet; cui et Ludouici *in Praef. ad Spec. Saxon. §. 26.* adhaeret. Schilterus vero *Exerc. ad ff. XXIII. §. 64.* textum sermone superioris Saxoniae conscriptum pro authentico habet, quem alii sequuntur, cuius sententiae et nos subscribimus, his maxime rationibus ducti: 1.) monumenta antiqua, quae Repkouii mentionem faciunt, eum vel in finibus Principatus Anhaltini, vel in Electoratu Saxonico, atque ita in Saxonia superiori collocant. 2.) MSCti Codices vetustissimi sermonem Saxoniae superioris, non hodiernum quidem, multum ex eo tempore mutatum, sed antiquum exhibent, vti recensio Codicum sedula et sincera, quam Gaertnerus *Praef. ad Spec. Sax. §. 10.* instituit, abunde docet. 3.) Editiones antiquissimae, quas Gaertnerus *ibid. §. 11.* sollicite recensет, vt prima omnium, quae Basileae an. 1474. typis Bernardi Richelii (non Rietzelii, vti nomen id Hertius, Burgermeisterus et Ludouici corrumpunt) prodiit, prima Augustana anni 1482. prima Lipsiensis anni 1490. secunda et tertia Augustana, illa de anno 1495. haec de anno 1501. omnes sermonem Saxoniae superioris loquuntur; ita vt prima omnium, quae Saxoniae inferioris idiomate vtuntur, sit Augustana demum an. 1516. exarata editio. S.

(174) Duo tantum notamus. 1.) Quedlinburgensis Codex, ad annum vel 1260. vel 1270. iudice Gaertnero referendus, alio plane, quam qui in reliquis Codicibus et Editionibus seruatur, ordine procedit, non Ius Prouinciale a Feudali separans, nec illud in tres libros, horumque articulos, diuidens, sed vtrumque vna serie 287. articulis coniungens; ita vt priores 168. articuli Ius Prouinciale Saxonicum, reliqui Ius Feudale amplectantur. 2.) Prima Zobeliana editio non ea demum est, quam pro prima tantum non omnes venditant, quae post mortem demum Zobelii, quam ad annum 1559. omnes referunt, curante Georgio Menio, illius quondam famulo Lipsiae an. 1560. coepta, anno vero 1561. demum perfecta est, cuius alia quidem exemplaria annum 1560. alia vero annum 1561. in fronte ostentant. Prodiit vero prima Zobelii editio Lipsiae anno 1535. suppresso tamen editoris nomine, in cuius Praefatione editor anonymus proxime proditurum Ius Feudale et Weichbildicum promittit. Anno 1537. haec Iura typis expressa prodierant, in cuius Operis Dedicatione, Alberto Electori Moguntino inscripta, Editor Editionem Iuris Prouincialis anni 1535. tanquam suam disertis verbis agnoscens, Dedicationi nomen suum *Christoph Zobell* subscribit. v. Gaertnerus *ibid. §. 11. n. 10.*

Glossa Speculi Saxonici alia Germanica, alia Latina est, illa satis inepta, haec multo ineptior, et post editiones saeculi XV. demum exarata. Glossa Germanica non vnius hominis opus esse videtur, cum in aliquot Codicibus hinc inde articuli sine glossa occurrant, addita ratione, quod hic Articulus iam superius expositus sit, cui tamen Articulo aliqua Glossa in aliis Codicibus adiungitur. Adde, quod Glossa antiquiorum exemplarium parcior, recentiorum plenior occurrat. Goldastus *in Praefat. der Reichs-Satzungen* Glossatores laudat Burchardum Archiepiscopum Magdeburgensem, Ottonem Comitem de Falkenstein, Volradum a Dreyenleben, Conradum a Roslau, Henricum a Bottesleben *al. Bertesleben*, *Thiedericum* a Lemwender, Gerckonem *a Kertaw*. Alii addunt Nicolaum *von Back*, cuius nomen quandoque Nicolaus *von Bock*, nonnunquam et *Claus Buck* scribitur. Tammoni *von Bocksdorff* plerumque historica Glossae capita asseruntur. Illorum, quos Goldastus laudat, mentionem ipsa Glossa facit *ad Lib. I. Art.*

Source : BIU Cujas

Art. 9. L. III. Art. 6. 65. 76. sed historice tantum commemorans, quod alius huic, alius alii opinioni in explicando Speculo addictus fuerit, ita vt veri Glossae, quae extat, auctores fuisse non videantur, sed qui Glossam editam consarcinarunt, illis iuniores Conringio *de O. I. G. c. 30. p. 184.* merito dicantur; non tamen ad saec. XV. demum, vti cum illo plures contendunt, referendi, cum Codex Lipsiensis III. ad confinia saeculorum XIII. et XIIII. referendus Glossam iam exhibeat, certoque ita argumento euincat, quod aetas Glossae vera vulgarem, cui affigi solet, epocham integri, vel quod excurrit, saeculi spatio praecedat. v. Gaertnerus *Praef. all. §. 10. nu. 3. et §. 13. S.*

Ad §. LXXVII.

(175) Quominus Epkoni tribuatur. cet.

(175) Glossatores Saxonici auctorem huius Iuris Feudalis Saxonici laudant Fridericum *Stauffensem* Imperatorem. Ita Glossa *Speculi Saxonici L. I. Art. 14. Keyser Friederich von Stauffen hat das Lehenrecht gesetzt cet.* et *Prooemium Iuris Feud. Saxon. Darumb so hat der Hochgelobt und Hochgebohren (des Gott ewiglich gedenck) dieses gegenwærtigen Buchs ausgeber, Keyser Friederich von Stauffen (das da Lehnrecht genandt ist) Kohl erkant cet.* Hinc Goldastus id nunc Friderico I. nunc Friderico II. Imperatoribus, parum sibi constans, tribuit. Spangenbergius *Chron. Saxon. c. 247.* id Friderico II. adscribit, eandemque Saxonicorum Glossatorum sententiam esse inde probatur, quod illi, vbi de Friderico Stauffensi loquuntur, tantum non semper Fridericum II. intelligant. Ita *Chronicon Iuri Weichbildico praefixum* cum dicit: *Nachdem war Keyser Friderich von Stauffen zum Keyser gekoren* an. 1213. et Glossa *Spec. Sax. Lib. III. Art. 57.* quae scribit: *Hierumb ist Keyser Friderich von Stauffen abgesetzt worden cet.* non alium, quam Fridericum II. intelligere possunt. Hinc etiam Gryphiander *de Weichb. Saxon. c. 50. §. 5.* hunc Iuris Feudalis Saxonici auctorem, sine haesitatione, agnoscit. Conringius *de O. I. G. c. 30. p. 184. et sqq.* omnia in incerto relinquit, in eam tamen sententiam inclinat, quod id priuati hominis opus sit, ad saec. XIII. referendi. Cum vero de integro Iuris Feudalis Saxonici corpore iussu Friderici II. collecto nihil in fide dignis historiarum monumentis inueniatur, nec Friderici II. Constitutio illud approbans vsquam occurrat, Glossatorum vero istorum exigua in rebus historicis fides sit, inde sententiam eorum, integrum Iuris Feudalis Saxonici corpus Friderico II. vindicantem inanibus illorum nugis passim adscribunt viri eruditi. In eo tamen omnes fere consentiunt, id non diu post Speculum Saxonicum, et quidem priuata auctoritate, cum docentis non iubentis sermone scriptum sit, prodiisse. Hinc ob rationes ab A. N. allegatas, quibus accedit sermonis cum Speculi illius stilo consensus, verosimillimum redditur, Ius illud Feudale ipsius etiam Repkouii curis deberi. Stili quidem in Speculo et Iure Feudali similitudinem negat, et huius sermonem magis esse perspicuum, quam illius, asserit Leuberus *in Gründlichem und Historienmæssigem* Discurs *über etzlichen der Stadt Magdeburg in Sachsen gerühmten Alten* Priuilegiis cet. *Cap. 2. n. 30.* Verum hoc dubium facile euanescet, si quis serio consideret, stilum authenticum operis, vti est Germanicus Iuris Feudalis Saxonici stilus, faciliorem plerumque esse et magis perspicuum, quam sermonem Operis e Latino in Germanicum translati, cuiusmodi est Germanicum Speculi Saxonici exemplar. Ab eodem vero Leubero *l. c. Cap. 5. n. 6-19.* priuati hominis id opus esse operose probatur. Quod vero, vti Thomasius contendit *Select. Cap. Hist. Iur. Feud.*

Source : BIU Cujas

Feud. §. 59. hoc Ius Feudale Saxonicum non aliter considerari debeat, quam vt versio quaedam Germanica Veteris Auctoris *de Beneficiis*, de quo v. A. N. *Praefatio primae editioni* huius historiae praemissa, id quidem ego certus affirmare non audeo; illud tamen ex collatione vnius cum altero, quam diligenter instituit Thomasius, singulis illius Auctoris paragraphis articulos Iuris Saxonici illis respondentes praefigens, abunde patet, illum in hoc, si non integrum, saltem ex maxima sui parte transiisse. Goldasti vero Latinum opus, quod sub titulo: *Libri Iuris Feudalis Saxonum* edidit, quicquid ipse glorietur, non est Liber Veteris illius Auctoris *de Beneficiis*, quod iterum docet collatio vnius cum altero instituenda, et praecipue vocis *feudum* vsus, qui apud Goldastum, non vero apud Veterem Auctorem, *beneficii* vocabulo semper vtentem, inuenitur. Quod vero edidit Goldastus, opus feudale a plerisque habetur pro Iuris Feudalis Saxonici versione Cracouiensi. Vid. Schilterus *in Praef. ad Mincucc.* §. 1. Thomasius *l. c.* §. 41. *et sqq.* et *in Dissert. de Auctore, fato, vetust. et rarit. Lib. Vet. de Benef.* §. 12. S.

Ad §. LXXVIII.

(176) Ius Weichbildicum.

(176) Ad Nimrodi vsque tempora in inquirenda Iuris Weichbildici Magdeburgensis origine ineptissime ascendit Auctor *Weichb. Saxon. Art. 9. in f. Denn Weichbildrecht (von alter Zeit her lang gestanden und geweret hat) von Kœnig Nemroths zeiten, biss sich die Stadt Rom des Reichs unterwand, und stehet noch biss daher heut an diesen tag (unverwandelt)*. Ad Caroli M. tempora id refert Aeneas Syluius *Europ. c.* 31. cui etiam primam originem huius Iuris adscribit Auctor *Chronici Iuri Weichbildico praemissi*. Glossa *ad Iuris Weichb. Art.* 10. Ottoni M. originem, Ottoni II. f. Rubeo confirmationem huius Iuris tribuit: *Keyser* Otto *stiffiet die Stadt Magdeburg, und bestættigt da den Stætten, die aus Magdeburg gestiffiet wurden, Weichbildsrecht. Nach diesem ward zum Koning gekoren der Rote Koning* Otto, *der bestættiget zu Magdeburg das Weichbilds Recht mit der Weisseste, rath, nach ihrer selbst wilkühr, und hiess dasselb Recht, aus dem Sachsen Spiegel nehmen und ausziehen, und setzte dazu das in dem Sachsenspiegel so lauterlich nit gesetzt was.* Ottoni II. hoc Ius etiam tribuit ipse Auctor *Iuris Weichb. Art.* 42. non satis sibi constans. Ipsi etiam Magdeburgenses anno 1636. exhibito libello supplice, qui apud Londorpium *T. 6. c.* 51. extat, ad priuilegium sibi ab Ottone M. 7. Iunii 940. concessum, cuius authenticum iniuria temporum periisse dicebant, prouocarunt, idque sibi conseruari petierunt, et in Pace Osnabrugensi *Art. XI.* §. 8. obtinuerunt, adeo, vt et in Comitiis an. 1654. ea de re actum fuerit, v. Pfannerus *Hist. Com. Lib. VII.* §. 15. Quod priuilegium tamen effictum esse multis, iisque grauibus, rationibus demonstrauit Leuberus, non tantum *in Tr. de Stapula Saxonica*, sed et singulari Opere, quod ad Augustum, Saxoniae Ducem et Administratorem Magdeburgicum an. 1648. scriptum sub titulo: *Grundlicher und Historien-mæssiger* Discurs *über ezlichen der Stadt Magdeburg in Sachsen gerühmten alten* Priuilegiis cet. insertum inuenitur *Johann Gottfried von Meiern Actis Pacis Westphalicae Publicis cet. Tom. III. zum Vorbericht Beyl. z.* vbi de Iuribus Saxonicis Prouinciali et Feudali, Weichbildico et huius Chronico multa egregia dicuntur, et praecipue *Cap. IIII.* ab initio vsque ad *nu.* 69. operose demonstratur, Weichbildicum Ius Ottonibus esse posterius; errores vero huius, et Glossae et Chronici longo ordine multoque apparatu *ibid. a n.* 69-138. notantur et refelluntur. Quod vero ad originem Iuris

Source : BIU Cujas

Iuris huius Weichbildici singulatim attinet, luculentis argumentis iam Gryphiander *de Weichbildis Saxonicis c.* 51. et Conringius *de O. I. G. c.* 18. *et* 29. atque post hos plures alii demonstrarunt, illud Speculo Saxonico multo recentius esse, 1.) quo Glossator Iuris Weichb. *l. c.* ipse fateatur, id ex Speculo Saxonico haustum esse, vt 2.) vel ipsa inspectio probat, cum passim Auctor Iuris Weichbildici ea, quae a Speculo Saxonico etiam fabulose dicta sunt, sollicite repetat, vti praecipue ea, quae Speculum Saxon. *L. III. Art.* 44. de origine regnorum et iurium nugatur, iterum sistuntur Weichbild. *Art. 6. et 7.* quod 3.) ita Auctor huius Iuris videatur de Ottonibus loqui, vt eos sub nomine *der Alten fürsten* tanquam dudum defunctos commemoret *Weichb. Art.* 3. atque *Art.* 12. disertis verbis Ottonem iam a longo tempore contituisse referat: *Keyser* Otto *vor langer Zeit cet.* in allegato vero *Art.* 3. plane post Ottones adhuc Friderici I. et Henrici VI. illius vero etiam *Art.* 28. mentionem faciat, imo et Ottonis IIII. constitutionem exhibeat *Art.* 55. quod quidem argumentum, licet Ius Weichbildicum non disertis verbis Repkouio recentius ostendat, fidem tamen omnem iis, qui nimiam eius antiquitatem iactant, penitus adimit. 4.) quod Iura, quibus Magdeburgenses ante Collectionem Weichbildicam vtebantur, ipso Auctore huius Collectionis fatente, cum ipse hanc editionem ederet, iam late diffusa fuerint per Misniam, Lusatiam, Bohemiam, imo Poloniam, in hac autem ante annum 1287. nihil Magdeburgici Iuris receptum ex communi sententia inueniatur, atque ita haec quidem Collectio non possit vltra saeculi XIII. et XIIII. confinia facile ascendere. Alia argumenta, quae ex Weichbildici Iuris et Chronici similitudine, ex Consulum Proconsulumque Magdeburgensium, Scabinis, vt Gryphiander arbitratur, recentiorum allegatione et aliunde deducuntur, breuitatis causa omitto. De Burchardo Mangelfeldio supra iam egimus. Vnum nunc addimus, nempe diligentissimum in indaganda Cancellariorum historia Bernardum a Mallinckrot *de Archi-Cancellariis S. R. I. ac Cancellariis Imperialis Aulae* cet. *Part. alt. p.* 300. *et sqq. edit. Wenck.* dum Ottonis II. Cancellarios euoluit, Willigisum quidem, Folgmarum, Egbertum, Hugonem, Hildebaldum commemorare, Burchardum de Mangelfeld autem inter eos vsquam reperire non potuisse, atque ita, cum videret, eum tamen primum *Saxonici Iuris Glossatorem, et Ottonis II. Imperatoris Cancellarium* a multis laudari, et in eam sententiam etiam prolapsum esse Kirchner. *de Offic. et dignit. Cancell. L. I. c.* 2. *n.* 63. haec tantum modeste addere: *Fuisse hunc Burchardum Othonis Consiliarium non negauerim; de Cancellariatu eius amplius deliberandum censeo: maxime, cum praedictus Auctor et alios in istum ordinem adoptet, citra aliorum mentem et tradita. S.*

Ad §. LXXVIIII.

(177) A. 1371. cet.
(178) Genuina huius iuris patria. cet.
(179) Vt veluti ius commune. cet.
(180) Ad Scabinatum Magdeburgicum. cet.

(177) Annus hic nec Gregorio VIIII. qui ab anno 1227. ad annum 1241. cathedrae Romanae praefuit, nec Gregorio XI. qui quidem ab anno 1370. ad annum 1378. adeoque et eo, quem A. N. designat, anno Pontificis summi dignitate gauisus est, satis conuenit, cum si, qui Speculum Saxonicum damnauit, Gregorius sit ille XImus, is tamen Bullam condemnationis anno Pontificatus vel 3. vel 4.

Source : BIU Cujas

adeoque non 1271. dediſſe dicatur. Bulla Gregorii, quae Speculo Saxonico ſubiungi ſolet, ſine die et conſule exhibetur, adeoque Auctorem ſuum non ſub certa deſignatione indicat. Gregorio VIIII. hanc Bullam acceptam refert Gryphiander *de Weichb. Saxon. c. 47. n. 6.* Hanc opinionem firmare videtur, 1.) quod eo tempore, quo Gregorius VIIII. ſedi Romanae praefuit, Speculum Saxonicum editum fuiſſe videatur. 2.) Quod Gregorius VIIII. Friderico II. Imp. grauis omnino extiterit, adeoque Corpus Legum, huius tempore in Germania natum, tanquam opus ab ipſo Imperatore vel conditum, vel approbatum exiſtimaſſe, et ob hanc forte cauſam odio excepiſſe facile videatur. 3.) Quod Gregorius VIIII. cum Decretalium Collectionem ea mente edi curaverit, vt non in ſcholarum tantum, ſed et iudiciorum vſum vbique reciperetur, aequo animo non videatur tuliſſe opus, quod ſuae Collectionis progreſſibus facile obicem in Germania poſiturum videbatur. Pro Gregorio XI. vero pugnat Conringius *de O. I. G. c. 31. p. 189. et ſqq.* et pro huius ſententia rationes non contemnendae militant. 1.) Eandem Bullam, quae Speculo Saxonico addita conſpicitur, exhibet etiam Goldaſtus, Collectioni *Conſuetudinum et Legum Imperialium* praemiſſam, hoc tamen epilogo auctam: *Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam noſtrae damnationis, prohibitionis, conſtitutionis, mandati, voluntatis et requiſitionis infringere, vel eo auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli, Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.* DATVM AVINIONE VI. IDVS APRILIS, PONTIFICATVS NOSTRI ANNO TERTIO. 2.) Idem Goldaſtus Bullae huic ſubiungit alteram, ab eodem Gregorio ad Carolum, Romanorum Imperatorem, miſſam, qui non poteſt non eſſe Carolus IIII. cum Gregorii VIIII. tempore nullus fuerit Carolus, Romanorum Imperator, Gregorii XI. aetate vero Carolus IIII. imperauerit, ita vt haec Gregorii Pontificis cum Carolo Imperatore, in cauſa Speculi Saxonici, coniunctio non alios, quam Gregorium XI. et Carolum IIII. deſignare poſſit. In hac Bulla Gregorius S. P. refert, ſe Speculum Saxonicum *per nonnullos tam fratres* ſuos *ſanctae Romanae Eccleſiae Cardinales, quam per alios in ſacra Theologia ſolennes magiſtros ac vtriuſque Iuris Doctores examinari feciſſe diligenter, et illa ex iis, quae falſa, temeraria, ſchiſmatica, contra bonos mores exiſtentia et periculoſa nimium animabus fore repererit, authoritate Apoſtolica reprobare, condemnare, et decernere irrita et inania, et carere omni robore firmitatis* cet. teſtatur, ſe ea de re literas mittere *Moguntinenſi, Colonienſi, Bremenſi, Magdeburgenſi, Pragenſi et Rigenſi Archiepiſcopis, et eorum ſuffraganeis*, earumque *tenorem praeſentibus incluſum* eſſe. Imperatorem *requirit et rogat attentius, quatenus in publicatione dictarum literarum cet. dignetur cet. Imperialis et Regalis poteſtatis fauorem efficaciter impartiri.* Addit DATVM AVINIONE, IDVS OCTOBRIS, PONTIFICATVS NOSTRI ANNO TERTIO. 3.) Gaertnerus *in Praefat. ad Specul. Saxon. §. 14.* Conringio ſubiratus, quod non monuerit, vnde ea, quae de Bulla Gregorii XI. dicit, petierit, in Goldaſtum quidem, ex quo haec hauſiſſe videtur Conringius, forte non incidit, ſed tamen ex Bulla Gregorii XI. ad Archiepiſcopum Rigenſem excerpta quaedam antiquiſſimae Baſileenſis de an. 1474. editionis exemplari Bibliothecae Paulinae Lipſienſis, et eiuſdem quidem vltimae paginae, literis ſaeculi XVI. initia redolentibus, inſcripta exhibet, quae ab his verbis ordiuntur: *Hec ſunt excerpta Bulle dni Gregorii XI. reprobant Speculum Saxonicum quatuordecim concluſionibus inibi contentis et condempnatis vt clare intuentur.* Ipſa Bulla ab his verbis incipit: *Gregorius epc. ſeruus ſeruorum dei cet. venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Rigenſi eiuſque ſuffraganeis ſalutem* cet. Recenſionem 14. Articulorum

Source : BIU Cujas

culorum damnatorum haec subscriptio excipit: DATVM AVINIONIS XI. YDVS APRIL. PONTIFICATVS NRI ANNO QVARTO. 4.) Fidem his, quae de suscepto a Gregorio XI. Legum examine dicuntur, non exiguam addunt ea, quae de Gregorii XI. studiis et vitae ratione, Iurisprudentiae excolendae magna ex parte destinata, passim commemorantur. Prima Vita Gregorii XI. apud Baluzium *in Vit. Pap. Auen. T. I. p. 425. et sqq.* ita de eo loquitur: *Hic, quanquam esset satis iuuenis, quando fuit factus Cardinalis, cum nondum attingeret octauum decimum annum suae aetatis, tamen erat totus ingeniosus et aptus ac studio literarum valde intentus; volensque in eis proficere amplius, post promotionem suam ad statum huiusmodi, accersitis sibi notabilibus clericis, quos secum continuo habuit, audiendo et legendo circa legalem scientiam diutius insudauit, et adeo in ea profecit, quod vnus de profundioribus et sufficientioribus totius orbis in ea fuit effectus cet. Cum hoc etiam circa causarum decisionem diligenter institit, habuitque in ipsa tam iuris quam facti experientiam tantam, quantam quicunque alius status sui cet.* Tertia Vita Gregorii XI. *ex appendice Ptolemaei Lucensis ibid. p. 478.* dicit, quod Clemens VI. eius patruus *eum excellentissimis Doctoribus Iuris vtriusque et aliarum scientiarum non vulgaribus Praeceptoribus tradiderit erudiendum.* Quod *ita in multis scientiarum generibus profecerit, vt non modo mediocris, sed eminentissimae scientiae Doctor a cunctis haberetur, in tantumque culmen et famam euaserit, vt a famosissimis Italiae Doctoribus, a Baldo praecipue de Perusio, in cathedra legente Ius Ciuile, eius opiniones et dicta adducerentur in medium, saepiusque eius dicta allegaret dicens,* DOMINVS NOSTER IN HAC LEGE SIC DICIT, *intelligens de Domino Gregorio XI. cuius scripta non ad mediocres solum, sed ad eruditissimos iam peruenerant.* Aegidius Bellamera *Decis. 752.* Gregorium XI. vocat *Lucernam Iuris Ciuilis*, Theodoricus a Niem *in Tr. Sexto Nem. Vn. c. 39. Licentiatum in Legibus, acutum, studiosum in libris et libenter cum intelligentibus disputantem* cet. vid. Baluzius *in Not. ad vit. Pap. Auen. p. 1060. et 1233.* Sunt autem articuli a Gregorio XI. reprobati 14. a Concilio Basileensi vero 22. Nec tamen hos articulos tantum, sed integrum Speculum Saxonicum damnat Gregorius, si Bulla eius propius inspiciatur, vbi, *quaedam*, ait, *execrabilia scripta, Leges seu Speculum Saxonum appellata* cet. *reprobamus, damnamus cet.* et iterum: *ad nostrum perduxit auditum, quod in Saxonia, ac nonnullis aliis partibus quaedam detestabilia scripta Legum, Speculum Saxonicum vulgariter appellata, et inferius annotata, apud nonnullos tam nobiles, quam plebeios reperiantur* cet. *ipsa scripta vel Leges* cet. *tanquam falsa, temeraria, iniqua, et in quibusdam partibus eorum haeretica et schismatica, et contra bonos mores existentia, periculosaque nimium animabus cet. reprobamus, damnamus* cet. Articulos a Basileensi Concilio damnatos cum et ipse reiiceret D. Tammo Bocksdorfius, aliis Buxtorfius, inter Glossatores iam nominatus, et hanc censuram rationibus allegatis fulciret, aduersarium expertus est D. Rudolphum Block, Professorem S. Theologiae Parisiensem, qui eos edito libro defendit. v. Gryphiander *de Weichb. Saxon. c. 47. S.*

(178) Repkouius itaque non est in viciniam Helmstadiensem, eiusque pagum *Repke* transferendus, vti ex sola nominis vicinia auguratus est Conringius *de O. I. G. c. 30. p. 181.* quod ideo monemus, vt inde ea, quae de authentico Speculi Saxonici idiomate differuimus, melius confirmentur; vnde non video, quomodo haec genuina Iuris Saxonici in terris Anhaltinis patria facile stare possit cum sermone Inferioris Saxoniae, quem A. N. §. 76. Speculo Saxonico tanquam authenticum adscripsit. S.

(179) Quousque vsus Iuris Saxonici olim se extenderit, sollicite et vberrime ostendit Chr. God. Hoffmannus *Specim. Coniect. Polit. de O. et N. LL. Germ. Per. V. Sect. 1. §. 3. S.*

Source : BIU Cujas

(180) Vnde hoc Scabinorum Iudicium dicebatur, *des Weichbilds hœchſter Dingeſtuhl*, et Scabini cum adhuc Burggraviorum ſubeſſent dignitati, *Reichs-Schœppen*, *Reichs-Dienſtmœnner*, ipſique Burggratii *œberſte Vœgte von dem Gotteshauſe zu Magdeburg* appellabantur. v. Ockel. *de Palat. Regio §. 65. et 150.* Hoffmannus *ibid. Sect. II. §. 1. n. d.* inde argumentum ducit pro antiquitate huius Scabinatus contra Conringium *de O. I. G. c. 31. p. 194.* qui eum vltra ſaeculum XIIII. non aſcendere arbitratur, aſſerenda. Quae vlterius inde confirmatur, quod Poloni, cum diu ad eum Scabinatum appellaſſent, iam an. *1356.* ad eum in poſterum prouocare prohibiti fuerint; quodque in catalogo Scabinorum, qui in ſcriniis Scabinatus Hallenſis ſeruabatur, iam ſaec. XII. nomina Scabinorum Hallenſium reperiantur, manifeſto indicio, nec Magdeburgenſes eo ſaeculo recentiores eſſe. v. Ockelius *de Palatio Regio §. 149.* Ita Magdeburgenſes Scabini de Vratislauienſibus iam an. *1369.* teſtantur, *a longaeuo tempore, cuius memoria apud nunc viuentes non extaret*, prouocationes Vratislauia ad ſe emitti ſolitas fuiſſe. v. *infra in f.* Optime etiam Hoffmannus rationes reddere videtur magnae, qua hoc Iudicium gauiſum eſt, auctoritatis. Ita enim *ibidem §. 1.* loquitur: *Tanta vrbis celebritas, Archiepiſcopi et Primatis dignitas et poteſtas, nec non Burggrauiorum potentia augere potuit et euehere auctoritatem horum tribunalium, vt etiam ex remotiſſimis locis illorum ſententias expeterent.* Accedit, quod Ius Weichbildicum Magdeburgenſe ſingulari opinione aequitatis, quae *ibidem Art. 18. 73. 100.* etiam contra ipſos Scabinos obſeruari iubetur, multis exteris ſe commendauerit. Multae etiam Ciuitates ad Ius Weichbildicum Magdeburgenſe ſibi, quaſi per modum priuilegii, expetendum, ideo inuitabantur, quia multa in eo ad ſtatum ciuitatis publicum ordinandum non male conſtituta videbant, vt ex *Art. 19.* et aliis apparet. Praeſertim vero Iurium certorum, quae paſſim fuit, penuria, cum multis in locis pleraque adhuc arbitrio iudicum, vel ſaltem incertis conſuetudinibus, agerentur; nec non odium peregrinorum Iurium, quae nec in Germania nata, nec ad mores et genium populi, aliarumque cum eodem quaſi ſanguinis neceſſitudine iunctarum gentium, adaptata erant, huius Iuris Magdeburgici vſum multis gentibus quaſi domeſticum, perſuadebant. Nec tamen prouocationes ad hoc Scabinorum Magdeburgenſium Collegium aliquam ipſis Iuriſdictionem in exteras, quae his prouocationibus vtebantur, gentes, nec poteſtatem aliquam cogendi tribuere videbantur, ſed tantum conſilii, ex libera voluntate expetendi, rationem habebant; quod videtur innuere Gloſſa *ad Artic. 11.* v. Struu. *Hiſt. Iur. c. 6. §. 24. in not. p. 483.* Hoffmannus *l. c.* Vnde etiam multae gentes, quae diu ad hos Scabinatus prouocare ſolitae erant, poſtea, ne forſan ex actu, diu ſponte celebrato, aliquando neceſſitatis cuiuſdam ſpecies introduceretur, ab illis prouocationibus abſtinere coeperunt. In Polonia ſane illae prouocationes iam anno *1356.* Caſimiri II. Conſtitutione penitus prohibitae fuerunt. v. Cromerus *de Orig. et Reb. geſt. Polon. L. XII. p. 311. edit. Baſil. de ann. 1555.* et Matth. de Michouia *Chron. L. IIII. c. 19.* ac alii. Ita Sileſiorum prouocationes ad Scabinatum Magdeburgicum ſublatas a Ferdinando I. an. 1548. Schifordegherus *ad Anton. Fabrum L. I. tr. 30.* et S. Strykius *Diſſert. de Iure Sileſiorum Saxonico c. 2. §. 11.* referunt. Ita Leuberus *de Stapula Saxonica §. 650.* appellationes Luſatorum ad Scabinatum Magdeburgicum ex hac ipſa ratione, quod Magdeburgenſes iis ſpontaneis quidem, ſed tamen frequentibus appellationibus paulatim quandam Iuris neceſſitatem affingere tentarent, a Regibus Bohemiae prohibitas teſtatur. En verba ipſius: *So haben die Kœnige zu Bœhmen, da ſie innen worden, daſs die Magdeburger ſich vor eine Reichs-Gerichts-Stadt halten wollen, vor etzlich hundert iahren denen Lauſsnitzern bey hoher Straff verboten, ſich keines Rechtes bey denen*

denen Magdeburgern zu erhohlen cet. Certe Schikfusius *Chron. Silef. L. II. p.* 251. protestationem Magdeburgensium Scabinorum de an. 1360. producit, qua ex longo Vratislauiensium ad se prouocandi vsu necessitatem aliquam iuris, imo subiectionem quandam inducere tentarunt. Verba protestationis haec sunt: *Coram Celsitudine Imperialis Maiestatis et gloria protestamur: ciuitatem Vratislauiensem longaeuo tempore, cuius memoria apud nunc viuentes non extat, Iuri oppidano seu ciuili Magdeburgensi fuisse* SVBIECTAM: *ita videlicet, quandocunque ambiguitatis quid super Iure ciuili Magdeburgensi vel inter ciues Vratislauiensis Ciuitatis exortum fuerat, recurrendo ad nostram Ciuitatem, diffinitiuam sententiam ab antecessoribus nostris et a nobis hucvsque obtinebant, atque inter varias nostri sententias, ipsis olim datas et transscriptas dedimus etiam ipsiisdem Ius nostrae Ciuitatis cet.* vid. Stryk. *l. c.* Hoffmann. *l. c. §. 2. n. a.* S.

Ad §. LXXX.

(181) Speculi Sueuici aetas. cet.

(181) Quamuis omnia fere, quae pro antiquitate Speculi Sueuici vel extollenda vel deprimenda, vel ad iustum modum redigenda a viris eruditis vltro citroque producuntur, argumenta sparsim tangat A. N. cum tamen haec disputatio grauis omnino sit, et multis nodis inuoluta, non iniucundum Lectori officium praestituri nobis videmur, si cuiusuis sententiae antesignanos, et quibus quisque armis suam sententiam defenderit, vna serie conspectui ipsius offeramus. Alii antiquitati eius multum tribuunt, eamque Speculo Saxonico anteriorem esse contendunt, adeo vt hoc ex illo descriptum, sed ab hoc mutilatum et corruptum, asserant. Alii Speculum Sueuicum Saxonico recentius non tantum, sed plane saeculo XIIII. et quidem temporibus Ludouicum Bauarum proxime praecedentibus, adscribendum esse censent. Alii vero media inter hos via incedentes, illud nec adeo antiquum, nec adeo nouum, aestimant; suis quisque rationibus, iisque sat grauibus, pugnantes. Primus assertor antiquitatis huius Speculi est Lambecius, qui *Comment. Bibliothecae Vindebonensis L. II. c. 8. p.* 825. Speculi Sueuici aetatem ad Friderici II. tempora refert. I. Prouocat ad antiquissimum huius Speculi Codicem, duobus libris, quarum prior *das Landrecht-Buch*, posterior *das Lehenbuch* inscribitur, distinctum, quem olim ex Tyrolensi arce *Ambras* allatum, et hinc eruditis passim *Ambrasianum*, non *Ambrosianum*, vti ab aliquibus per errorem scribi solet, dictum, ditissima Bibliotheca Vindobona Imperialis custodit. Hunc optimae notae esse, et non vulgaris pretii dicit, quippe quem ad tempora Friderici II. referre nullus fere dubitat, nec antiquiorem eius generis vllum, nec magis authenticum reperiri vsquam existimat, cum eo a Rudolphi I. temporibus ad Maximiliani I. vsque aetatem plerique omnes Principes Austriaci *propriis manibus atque oculis vsi sint.* II. Ex collatione Iuris Sueuici *in Cap. Wer den Chunig chisen soll*, (cuius capitis, quod obiter noto, et inscriptio et numerus in editionibus, quae prostant, maximopere differt) quod in Meichsneriana 30. est; et Saxonici *L. III. Art.* 57. epocham compositi Iuris Sueuici erui posse arbitratur. In huius enim Capite allegato, secundum Codicem Ambrasianum, haec leguntur: *Der Hertzoge von Paiern hat die vierte Stimme an der Chur, und ist des Reichs Schenche, und soll dem Chunige den ersten Becher tragen. Diese vier sullen tutsche Man sin von Vater und von Mueter, oder von eintwederinn.* In Spec. Sax. *l. c.* secundum Codicem vetustissimum Lipsiensem vero legitur: *der Schencke des riches der Kung von Behemen en hat nichei-*

Source : BIU Cujas

nicheine kure umbedaz. Daz her nicht duſch en iſt. Inde nunc concludit Lambecius, Iuris Sueuici Corpus compoſitum, imo Ambraſianum Codicem iam exaratum eſſe eo tempore, quo Electoratus et Archipincernatus ad Ducem Bauariae ſpectaret. Cum vero Ius Saxonicum hoc Archiofficium Regi Bohemiae adſcribat, ipſi autem ius eligendi deneget, ex ratione, quod non ſit Germanus, id Lambecius non de Bohemia ipſa, quaſi illa non eſſet prouincia Germaniae, intelligendum eſſe arbitratur, cum Goldaſtus *de Regno Bohemiae L. I.* contrarium aſſeruerit. Verba igitur Speculi Saxonici de ipſo Rege Bohemiae accipienda eſſe exiſtimat; eumque ab electione arcendum eſſe tunc quidem, ſi nec ex linea paterna nec ex materna Germanicae originis ſit; ſenſumque eorum non per vocem *quod*, ſed per vocem *niſi* explicandum eſſe, *niſi ſit Germanus*; huncque ſenſum etiam ſecutam eſſe Speculi Sueuici editionem primam, nempe Hupfuffio-Argentoratenſem, nihil de Bauaro dicentem, ſed potius eadem, quae Speculum Saxonicum de Rege Bohemiae diceret, in Sueuico, ſed per modum conditionis, efferentem: *der vierte iſt der Künig von Bœhem des Reichs Schenck, und ſoll dem Kunig den erſten Becher bieten. Doch iſt zu wiſſen, daſs der Künig von Bœhem kein Kur hat, wann er nit ein teutſcher Mann iſt cet.* Contigiſſe autem huius exemplum, cum Primislao Bohemiae Regi, ex Slauica gente oriundo, Wenceslaus, dictus Monoculus, eius ex Conſtantia, Belae Regis Pannoniae filia, vt Dubrauius *Hiſt. Bohem. L. XV.* teſtatur, filius, adeoque nec ex patre, nec ex matre Germanus, ſuccederet. In huius itaque locum Bauariae Ducem pro Electore et Archipincerna agnitum fuiſſe. Eius rei mentionem etiam facere Albertum Stadenſem *in Chron.* his verbis: *Anno Domini 1240. Papa Gregorius (VIIII.) inſolentias Imperatoris* (Friderici II.) *contra Eccleſiam metuens, Principes ſuper electione alterius ſollicitauit, ſed nihil profecit, quia quidam Principum ei reſcripſerunt, non eſſe ſui iuris Imperatorem ſubſtituere, ſed tantum electum a Principibus coronare. Electio enim ad iſtos dignoſcitur pertinere. Ex praetaxatione Principum et conſenſu eligunt Imperatorem Treuirenſis, Moguntinus et Colonienſis, Palatinus eligit, quia Dapifer eſt, Dux Saxoniae, quia Mareſchallus, et Marggravius de Brandenburg, quia Camerarius, Rex Bohemiae, qui eſt Pincerna, non eligit, quia non eſt Teutonicus.* Haec vltima verba Stadenſis etiam de Rege Bohemiae non in genere, ſed ſpeciatim de eo, qui tum fuerit, Wenceslao Monoculo, intelligenda eſſe cenſet Lambecius, atque ita et duo diplomata Rudolphi I. conciliari ſecum inuicem poſſe exiſtimat, quorum priore apud Goldaſtum *Conſtitutionum T. I. ad annum 1275.* pro Henrico, Duce Bauariae, poſteriore vero apud Limnaeum *Iur. Publ. L. III. c. 8. nu. 3.* Goldaſtumque *Reichs Satzungen T. I. ad ann. 1290. fol. 31. et Conſtitut. Imper. Tom. II. ad eundem annum f. 85.* pro Wenceslao, Ottocari filio, Bohemiae Rege, lis decidatur. Ex his omnibus concludit Lambecius, Speculum Sueuicum, cum ſingulare hoc exemplum, temporibus Friderici II. natum, ſuis verbis indigitet, ea etiam aetate compoſitum, Codicemque Ambraſianum eodem tempore exaratum eſſe. Haec ſunt, quibus Lambecius pro ſua opinione fulcienda vtitur, argumenta. Schilterus eandem ſententiam *Praefat. ad Ius Alem. Feud. §. 15. 16. 17. Comment. ad Ius Alem. Feud. c. 8. §. 3. et 6. Praef. ad Mincucc. §. 1. Exercit. ad ff. XVI. §. 33. XVII. §. 12.* aliis tamen ex rationibus defendit, quas ſeruata, quam incepimus, numerorum ſerie recenſebimus. Eſto ergo argumentum pro defendenda Speculi Sueuici antiquitate III. *ex Praef. ad I. A. F. §. 15.* quod in calce Codicis MSCti Argentinenſis annus, quo Codex ille Iuris Sueuici exaratus ſit, notatus conſpiciatur, errore quidem librarii corruptus, qui tamen facile, vt Schilterus credit, coniectura reſtitui poſſit. Nempe annus Chriſti 1008. ibi exprimitur. Hic autem annus non poteſt originem dediſſe videri huic Iuri Sueuico promulgando,

Source : BIU Cujas

promulgando, cum ille incidat, in Henrici II. annum septimum, *quo ille occupatus fuit bello aduersus Boleslaum Regem Bohemiae, itemque contra Adelberonem, fratrem Imperatricis minorennem, postulatum Archiepiscopum Treuirensem, vt de hoc Iure promulgando vix vacauerit.* Errorem itaque Schilterus esse arbitratur, quod librarius saeculi post millenarium secundi designationem omiserit, vel (quod in nota subiicitur) non esse errorem, sed ex more illorum temporum, *quo expressio saeculi tum praesentis et noti omitti solita*, v. Mabillon. *de Re Diplom. L. II. c. 23. §. 17.* annum 1208. designari. Esse autem hunc annum primum Imperii Ottonis IIII. Schilterus dicit, quo prima Comitia ex more antiquo Norimbergae habuerit, antequam expeditionem Romanam susciperet, in quibus ab omnibus Principibus Germaniae de Legibus et Consuetudinibus suis etiam in posterum obseruandis iusiurandum Otto receperit. Quorsum allegat Schilterus verba Gotfridi Monachi S. Pantaleonis *Chron. ad an.* 1208. vbi Regem primo, deinde caeteros Principes dicit iurasse etc. *omnia iura a Carolo M. instituta obseruanda et tenenda.* Ita et ex Meibomio *Apolog. pro Ottone IIII.* probat, actum esse ab Ottone IIII. adhuc Francofurti, antequam Norimbergam iret, *de institutis Legibus et Constitutionibus a temporibus Caroli M. in praesens vsque vsurpatis, sed bellorum tumultibus non parum labefactatis, auctoritate publica reuocandis roborandisque.* Quibus omnibus eo, quo dictum est, anno Speculum Sueuicum publica auctoritate promulgatum probari Schilterus existimat. IIII. Cum in Iure hoc Sueuico s. Alemannico mentio fiat summi Iudicii Regii, quod Regem sequitur, nulli loco affixi; et iudiciorum Prouincialium, *Landgerichte*, nec ibi alicuius Iudicii inter haec medii memoria in eo occurrat, Iudicium autem Rotwilense, a Conrado anno 1146. institutum, medio inter haec loco ponatur, arbitratur Schilterus *l. c. §. 16.* Speculum hoc Sueuicum ante huius Iudicii Rotwilensis originem plane compositum esse. V. Quod vero praecipue Iure Saxonico antiquius sit Sueuicum, id quidem Schilterus *ibid. §. 17.* inde probare conatur, quod *Saxonicum quoad stylum deductius ac recentius* sit, *atque cum exemplaribus Alemannici Iuris recentioribus magis conueniat.* VI. denique et inde argumentum petit, pro antiquitate Sueuico prae Saxonico asserenda, quod Sueuicum magis sit perspicuum, quam Saxonicum, cuius exemplum arbitratur se inuenisse. v. *Exercit. ad ff. XVI. §. 33.* Sententiam Lambecii quod amplexus sit Hertius *in Coll. MSCto Iur. Publ. P. III. c. 6. §. 3.* testatur Thomasius *in Select. Cap. Hist. Iur. Feud. Germ. §. 49. n. y.* Schilteri vero maxime rationibus subscribit Leyserus *in Collat. prisci Iuris Saxonici cum Romano §. 18.* Altera sententia est Conringii *de O. I. G. c. 30. p. 185.* qui paulo ante Ludouici Bauari tempora Speculum Sueuicum compositum esse existimat, aliquot rationibus vsus, quae inter mediae sententiae argumenta exhibebuntur; vnicam addit, qua eius aetatem ad Ludouici Bauari fere tempora deprimere tentat, nempe quod *de Papae in Caesarem auctoritate passim ita auctor loquatur, vt mos non tulit Ludouico Bauaro imperante.* Eum fere sequi videtur Brunquellus *Hist. Iur. P. IIII. c. 6. §. 23.* Beyerus *ad ff. L. I. T. II. §. 373.* Thomasius *Delin. Histor. Iur. §. 111. et 112.* ita tamen, vt hi tres non disertis verbis huius Speculi originem vsque ad tempora Ludouico Bauaro proxima deprimant. Omnes tamen, qui post initia saeculi XIIII. aliquid contigisse scribunt, tempora sane Ludouico Bauaro proxima indicare videntur. Aliis, media via incedentibus, sufficit probasse, Speculum Sueuicum Saxonico, imo et Friderici II. aetate esse recentius, nihil certius de eius aetate definientibus. Refero huc Christ. God. Hoffmannum *in Spec. Coniect. Polit. de Orig. et Nat. LL. Germ. Per. V. Sect. III.* et Struvium *Hist. Iur. c. 6. §. 30.* Pro hac sententia autem firmanda sequentes militant rationes. I. quod Repkouius Speculi Saxonici

Source : BIU Cujas

xonici Auctor, disertis verbis dicat *in Praef. rythmica*, se illud composuisse nullo auxilio adiutum, nulla alterius doctrina institutum:

Ane helfe und ane lere.

Quapropter etiam multis difficultatum nodis se implicitum passim, vt supra ostendimus, querulo sermone indicat, quod vtique dicere non potuisset, si post Suevicum demum ipse scripsisset, et, quod ipsi exprobrant contrariae sententiae patroni, illius vitulo vbique arasset. Risui vel indignationi omnium eum exposuisset facilis Operis ab ipso conscripti collatio cum vetustiore, quod omnibus notum debuisset esse, instituenda II. Quod ipse Repkouius fateatur se Opus suum ex ipsis consuetudinibus veterum, nulla opera alicuius intercedente, hausisse:

Diz recht han ich selbe nicht irdacht,
Ez haben von altere an uns bracht
Unse gute Vorvaren.

Quod sane dicturus non fuisset, si ante ipsum aliud Opus, publica auctoritate confirmatum, quo ipse vbique vsus esset, extitisset. III. Quod Speculum Sueuicum rerum inter Innocentium III. et Ottonem IIII. gestarum, tanquam antiquiorum, nec in memoriam, nisi monumentorum historicorum lectione reuocandarum, mentionem faciat. Ita enim Auctor Iur. Provinc. Sueuici *c.* 346. *edit. Burgerm.* postquam de rebus, quas ante Pipinum Caroli patrem gestas arbitratur, locutus esset, statim etiam tanquam rem antiquam commemoraturus, pergit: *Wir lesen auch*, Innocentius *der Pabst entsatzt Kayser Otten von dem Rœmischen Reich, durch ander sein unrecht etc.* IIII. Quod vel ipsius Friderici II. tanquam iam defuncti Constitutiones cum antiquiorum Imperatorum Legibus vna serie commemoret. Ita Iuris Sueuici Feudalis Epilogus, qui in Meichsneriana editione apud Burgermeisterum *T. I. p.* 558. exhibetur, dicit: *Wie aber die heiligen Kayser mit ihrem weltlichen schwerdt, als der heilig* Constantinus *und der Gross Kayser Carl, und Kayser Friderich der Ander etc.* V. Quod Iuris Iustinianei multo frequentior in Iure Sueuico, quam in Saxonico, vsus occurrat, qui illud eo demum tempore conditum esse docet, quo Ius Iustinianeum iam sedem sibi in Germania fixam quaesiuisse videtur. Ita in Speculi Sueuici *c.* 6. ad Tit. Inst. *de I. N. et G.* prouocatur. In *Cap.* 61. dicitur: *ein Meister von dem Landrecht, der hiess Marcellus*, et digitus intenditur ad Marcianum Ictum *in L. 5. §. 2. ff. de statu hom.* In *Capite* 64. allegatur Lex Actia Sentia, alibi Essentia, et ad L. Aeliam Sentiam in §. 2. *Instit. de his, qui sui vel al. iur. sunt* disertis verbis prouocatur. In *c.* 252. quatuordecim causae exhaeredationis ex *Nouellae* 115. *c.* 3. recensentur. In *Cap.* 263. de Vsucapione, in *Cap.* 313. de Tutelis vbique ex principiis Iuris Romani agitur. In *Cap.* 325. vbi de fideiussione ex iisdem principiis sermo instituitur, laudatur *ein Meister, heisset Adrianus, der des Landrecht viel gemacht hat etc.* et sine dubio respicitur ad *L. 26. et 27. ff. de Fideiuss.* vbi D. Hadriani Imperatoris Constitutiones allegantur. VI. Quod in *Cap.* 5. §. 2. Decreti atque Decretalium mentio fiat, et quidem ita, vt disertis verbis de iis dicatur: *auss den zweyen büchern nimbt man all die recht, der Geistlichen und weltlichen Gericht bedarff.* Si Speculum Sueuicum demum compositum fuit, postquam Decretum et Decretales iamiam omnia Germaniae iudicia occuparunt, sane id nec Ottonis IIII. nec Friderici II. temporibus facile adscribi potest, cum has quidem demum an. 1235. in Italia promulgatas dixerimus, et non exiguum ab hac promulgatione Italica temporis interuallum elabi vtique debuerit, donec potuerit de Decretalibus dici, eas plenam omnium iudiciorum regulam constituere; praesertim cum ex Friderici II. historia non leuis nascatur suspicio, eum progressus Decretalium in Germania non multum adiuuisse. VII. Si Speculum Sueuicum vel inchoante vel ad medium vsque progresso saeculo XIII. iam natum fuisset, eius etiam fama illo saeculo percrebuisset, vti Speculi Saxonici auctoritas statim,

Source : BIU Cujas

ſtatim, poſtquam natum eſt, in plures prouincias diffuſa eſt ita, vt eius in monumentis eius temporis frequens occurrat memoria. Atqui de Speculo Sueuico altum ſaeculo XIII. vbique ſilentium, certo argumento, id eo ſaeculo vel iam elapſo, vel ſaltem ad finem vergente, et eo quidem tempore demum prodiiſſe, quo Iurium peregrinorum vbique iam confirmata auctoritas famae huius naſcenti grauem moram iniecisse videtur. Nunc ita allegatis, quae antiquitatem Iuris Sueuici aliquantum deprimunt, rationibus, diſpellenda etiam erunt argumenta, quae pro eius antiquitate aſſerenda a Lambecio atque Schiltero producta ſunt, quibus praecipue Thomaſius *in Selectis Capit. Hiſt. Iur. Feud. Germanici §. 46. et ſqq.* Chriſt. God. Hoffmannus *Spec. Coni. Polit. de O. et Nat. LL. Germ. Per. V. Sect. III. §. 1.* et Struuius *Hiſt. Iur. c. 6. §. 30.* ampliſſime ſatisfecerunt. Ad argumentum I. itaque reſpondetur, quod nec Lambecius, qui antiquitatem Codicis Ambraſiani maximopere extollit, nec Schilterus, qui eo ex conceſſione Lambecii vſus eſt, *vid. Praef. ad Ius Feud. Alem. §. 19.* eius antiquitatem vllo argumento probauerint, nec ſpecimen quoddam eius ediderint, quo eruditi ad eius aetatem diiudicandam vti poſſent, adeo vt Thomaſio *l. c. §. 48.* non videatur *ea res maiorem fidem mereri, quam cum Gloſſa Iuris Feudalis Saxonici ad eius cap. vlt. dicit, Fridericum II. dediſſe Saxonibus Ius Feudale.* Quod ſi etiam de eius Codicis antiquitate omnino conſtaret, non multum tamen Lambecius eo argumento pro aſſerenda Iuris Sueuici prae Saxonico antiquitate proficeret, quippe qui *Comm. Biblioth. Vindob. L. II. P. 2. c. 8. p. 831.* et Codicem Iuris Prouincialis Saxonici, in eadem Bibliotheca ſeruatum laudat, quem ipſe eo, quo eum Commentarium ſcripſit, tempore, nempe paulo poſt medium ſaeculi ſuperioris, iam quadringentorum annorum, adeoque paulo poſt ſaeculi XIII. medium ſcriptum exiſtimauit. Inde et ea, quae de perpetuo Codicis Ambraſiani vſu a Principibus Auſtriacis, qui a Rudolphi I. temporibus ad Maximiliani I. aetatem vſque vixerunt, adhibito Lambecius dicit, incerta ſunt omnia, cum vnde ea, quae dicit, hauſerit, nullo argumento, vel leuiſſimo probet, imo ne quidem indicet. Ad argumentum II. (§. 1.) Non poſſe hanc lectionem Iuris Sueuici, Bauaro Electoratum tribuentis, multum ponderis addere ſententiae Lambecii atque Schilteri, cum ea non tam ſit lectio Sueuici, quam aliquot eius Codicum, adeoque non tam Auctori eius Iuris, quam aliquot eius librariis tribuenda. Magnus eſt Codicum hac in parte diſſenſus. Quem A. N. ſincero eoque iuſtiſſimo elogio ornat, quod *maiore*, quam quiuis alius, *apparatu inſtructus animum adpulerit ad Speculum* Sueuicum *ſuo nitori reſtituendum*, Venerandus Scherzius noſter, ad citatum a Lambecio locum Iuris Sueuici *Capitis* 113. §. 8. in *not. 6.* multos quidem Codices magno ſtudio recenſet, qui Bauarum inter Electores admittunt, omiſſo Rege Bohemiae, nonnullos vero etiam ſiſtit, qui Regem Bohemiae nominant, omiſſo Bauaro, cum quibus ſex, quas vidit, editiones impreſſae conſentiunt. Imo ipſe Codex, quem Vir Venerandus in ſua editione ſecutus eſt, quamuis inter vetuſtiſſimos numerandus, et ad initium ſaeculi XIIII. referendus, Regem Bohemiae inter Electores computat, nulla Bavari mentione facta: *der vierde der Kunig von Behaim dez Richez Schenke der ſol dem Kunige den erſten becher tragen, die vier Man ſuln tiutſche Mann ſin von Vater und von Muter oder von ir aim.* Atque ita id, quod iam diximus, ſatis probatur, nempe non facile aſſeri poſſe, id, quod de Duce Bauariae in aliquot Codicibus dicitur, eſſe conſtantem ipſius Speculatoris ſententiam, ſed tantum illud forſan inde erui poſſe, non ſatis certum eſſe, vtra lectio genuinam Speculatoris ſententiam exprimat. Imo, ſi probe conſiderentur rationes, pro Speculi Saxonici antiquitate ſupra productae, et cum his illae, quas modo pro Speculi Sueuici aetate deprimenda recenſuimus, coniungantur, fa-

Source : BIU Cujas

cile apparebit, sententiam de Rege Bohemiae inter Electores computando ex Speculo Saxonico in Speculum Sueuicum migrasse, et a librariis Bauaricis, ad fauorem Bauaricae causae tuendum, studio mutatam esse, a qua sane opinione ipse Schilterus *in Comm. ad Ius Feud. Alem. C. 8. §. 3. et 6.* non videtur alienus esse. 2.) Quod de Hupfuffiano-Argentoratensi editione dicitur, quod ea Regem Bohemiae excludat, *nisi* sit Germanus, cum verba eius, *wann er nicht ein teutscher Mann ist*; id quidem locum suum non facile tuebitur, cum vocabulum *wann* saepissime non pro *quando*, sed pro *quia* accipiatur. Vnde et in Meichsneriana editione legitur: *dann er nicht ein teutscher Mann ist*, vti sensum horum verborum etiam assecutus est ipse Goldastus *de Regn. Bohem. L. III. c. 5. §. 3. p. 283.* Sed, quaecunque demum sit horum Speculi Sueuici verborum vera explicatio, nihil tamen illa quidquid Lambecius existimet, ad corrigendam vel illustrandam Speculi Saxonici hac de re sententiam proficeret, quippe quae constans omnino et certa est. In Lipsiensi enim Codice vetustissimo a *Spec. Saxon. L. III. Art. 57.* non conditio, sed ratio allegatur, ob quam Rex Bohemiae non eligat: *umbedaz, daz her nicht dusch en ist.* Ita Quedlinburgensis Codex *Art. 147.* etiam rationem, non conditionem exprimit: *durch daz her nich dudisch nis.* Latinum exemplar ita haec verba effert: *quia nostrae non est nationis.* Et Zobeliana editio: *darumb das er nicht deuisch ist.* Vnde Gaertnerus vertit: *hat um deswillen keine wahl, weil er nicht deutsch ist.* Quae speculatoris Saxonici verba sane Regem Bohemiae non hunc vel illum, sed omnem, addita ratione, excludunt. Vnde nec Speculi Sueuici codices aut editiones, quae Regis Bohemiae, hac obseruatione addita, mentionem faciunt, de certo Rege Bohemiae, sed de omni generatim intelligi poterunt. 3.) Sic nec in Alberti Stadensis verbis allegatis, si tota verborum et praecedentium et subsequentium series cum ipsis coniungatur, vllum, vel leuissimum, momentum deprehenditur, quod vel coniecturam aliquam suggerat, verba eius de Rege Bohemiae non eligente ad certum tantum Principem, quem in animo habuisset, restringenda esse. Optime de his Cocceius *in I. P. P. c. 12. §. 15.* iudicat: *Nec potest hoc intelligi de solius personae statu: quia non quaeritur de iuribus priuatis personae, sed publicis Imperii; non quid Rex Boëmiae, vt priuatus, sed vt Rex Boëmiae in regno Teutonico vel iuris habeat, vel oneris sustineat.* 4.) Non negamus quidem Regi Bohemiae quandoque a Bauaro controuersiam motam esse, et nunc hunc, nunc illum actus possessionis exercuisse; imo ab Innocentio IIII. S. P. etiam, cum anno 1245. alium pro Friderico II. Imperatorem eligi cuperet, Ducem Bauariae, non Regem Bohemiae inter Electores computatum fuisse. v. Matth. Paris. *Hist. Angl. ad ann. 1245. p. 676.* sed quod praecipue sub Friderico II. contra Wenceslaum Monoculum insurrexerit Bauarus, eiusque causam contra Wenceslaum iudiciali quadam discussione adiuuerit Fridericus II. id quidem nec Dubrauius, qui a Lambecio allegatur, nec alius quispiam veterum, quantum nobis visum est, dicit. Idque eo minus videtur verosimile, cum Fridericus II. in diplomate, quod integrum producit Ludewigius *de Iure suffragii Regis Bohemiae c. 2. §. 8. n. ii.* ipse testetur, quod *Illustris Rex* Bohemorum *Ottogarus a primo inter alios Principes specialiter prae ceteris in Imperatorem* ipsum *elegerit, et* suae *electionis perseuerantiae diligenter et vtiliter astiterit.* Quam parum sane haec Lambecii assertio cum rebus eius temporis conueniat, vberius ostendit Ludewigius *ibid. c. 3. §. 1. n. 6. et sqq.* Illud vero vtique certum est, sub Richardo, et mox sub Rudolpho I. litem hac de causa agitatam, et ab hoc in Comitiis Augustanis pro Bauaro decisam fuisse anno 1275. cuius rei testimonium luculentum praebet diploma eiusdem Imperatoris apud Goldastum *Constit. T. I. ad ann. 1275.* quod ex Gewoldo *de S. R. I. Septemuiratu c. 10.*

pro-

Source : BIU Cujas

producit Hertius *de Renouato Rom. Germ. Imp. et Reg. Bohem. nexu. Sect. II. §. 9.* v. etiam Tolneri *Cod. Diplom. n.* 107. Hoc tamen non obstante ipse Rudolphus I. in Comitiis Erfurtensibus anno 1290. Regi Bohemiae et Electoratum et Archipincernatum perpetuo iure decreuit. De qua re consule, praeter allegatos, Schilterum *de Libert. Eccles. Germ. L. III. c. 8. §. 18. et sqq.* Tolnerum *Hist. Palat. c. 4. p. 118. et sq.* Ipsum diploma exhibet Goldastus *Reichs-Satz. ad ann. 1290. f. 31. et Constit. Imp. T. II. f. 85.* Bohuslaus Balbinus *Miscell. Hist. R. Bohem. Decad. I. L. 8. p. 1. Epist. 22.* Tolnerus *in Cod. Diplom. Pal. n. 109.* Limnaeus *I. P. L. III. c. 8. n. 3.* Ius hoc postea Regibus Bohemiae iteratis vicibus confirmatum est, qua de re Gerlaci Electoris Moguntini literae attestatoriae cum subscriptione reliquorum Electorum de an. 1356. nec non Ruperti Elect. Palat. Vicarii Imperii eiusdem anni confirmatoriae exhibentur a B. Balbino *l. c. n.* 57. *et* 58. Ex quibus omnibus patet, quod, si quid ex verbis Iuris Sueuici, huic disputationi ansam praebentibus, pro definienda eius aetate tuto colligendum esset, ea sane non ad Friderici II. tempora, sed ad hoc, quod inter Rudolphi I. vtrumque diploma intercedit, interuallum referenda esset. Denique 5.) his omnibus bene pensitatis, facile apparebit, ea, quae a Lambecio de aetate Speculi Sueuici disseruntur, conciliandis duobus Rudolphi I. diplomatibus parum vel nihil adiumenti afferre. Ipsa vero illorum accuratior inspectio conciliationis medium aliud prorsus, sane non adeo difficile, subministrat; in priori enim de an. 1275. Rudolphus ait, agi inter Bohemum et Bauarum *de suborta inter eos quaestione super quasi possessionem iuris eligendi Romanum Regem*, atque ita ipse *in possessorio* pro Bauaro iudicauit. In posteriori vero, quo pro Bohemiae Rege sententiam dicit, satis perspicue indicat, se nunc *in petitorio* versari. Ita enim loquitur: *Inquisitionis circumspectae praehabita indagine, scrutinioque solerti scire desideraumus, quid quantumue iuris in Romano competat Imperio, et in electione Romanorum Regis futuri Imperatoris, inclyto Regi Bohemiae etc.* et mox: *comperimus* etc. *et* IVS *ac officium Pincernatus apud eum, nec non eius heredes iure hereditario residere* etc. ac tandem: *Haec vero iura Pincernatus et Electoratus nedum dicto Regi et suis heredibus didicimus competere, sed etiam suis Progenitoribus, Atauis, Abauis, Proauis, Auis, pure plenissime competebant* etc. Veram autem si quis forte rationem, quae vtraque vice Imperatorem mouerit, altius rimari velit, eam coniectura non vana in ipso affectu et propensione animi, qua Imperator erga Ludouicum Palatinum, qui ex compromisso reliquorum Electorum electionis arbiter constitutus suo suffragio ipsum elegerat, et Henricum eius fratrem, inferioris Bauariae Ducem, cuius filio Ottoni postea filiam suam Catharinam desponsavit, ferebatur, Ottocaro vero Bohemiae Regi, saepe sibi obnitenti, satis infensus erat, sitam fuisse inuenturus est. Haec forte ratio, cur pro Bauaro *in possessorio* iudicauerit. Wenceslaus vero, Ottocari filius, Imperatoris per Iuditham filiam gener erat, socero apprime gratus. Inde *in petitorio* sententia pro ipso dicta, ita quidem, vt ne quis hoc ius, Wenceslao nunc confirmatum, in dubium vnquam vocare posset, aut *si quid diminutionis aut calumniae, cauillose, malitiose aut subdole possit opponi*, Imperator id se suppleuisse dicat *plenitudine potestatis*. Argumento IIItio quod primum est Schilteri, p. Quod, cum librarius, qui annum suo Codici subscribit, nomen Imperatoris, sub quo scripturam suam absoluerit, prorsus omittat, audax omnino sit, nullisque argumentis probata coniectura, quae annum 1208. substituendum asserat, cum aeque facile, et forsan verosimilius aliquis errorem vel ipsius librarii, qui Codicem scripsit, vel alterius cuiusdam recentioris, qui Codice vsus est, aut plane figmentum alterutrius, ea annotatione venerationem antiquitatis, nefario consilio, suo Codici conciliaturi, deprehensurus sit. Sane haec

Source : BIU Cujas

Schilteri coniectura adeo parum verosimilis videtur, vt nec Venerandus Scherzius noster, alias Schilteri sententiae lubenter subscribens (si causae merita et veritatis amor, cuius maior ipsi omnino, quam auctoritatis ratio esse solet, patiantur) illam agnoscere possit. v. *Praef. ad Ius Prou. Alem.* Addit Vir venerandus, quem iterum iterumque allegare dulce mihi est, rationes sui a Schilteriana opinione secessus: *tum quod in nullo MSCto dicatur An. 1208. hoc ab Ottone IIII. fuisse factum, tum quod circa festum Martini eiusdem anni nulla Norimbergae fuerunt habita Comitia, ceu solide ostendit magni nominis Ictus Werlhosius in Specim. II. Iuris quo Germani vtimur*, p. 171. Addit quoque Werlhosius *ibid. pag. seq.* quod annus 1208. non tam annus Imperii Ottonis IIII. primus, quam regni vndecimus, et sequens demum annus, 1209. Imperii eius primus ipsi nimirum Ottoni IIII. in diplomatibus numeratus fuerit. IIIIto argumento opponitur 1.) quod plus probet, quam Schilterus probare debebat, qui, cum asseruerit, Speculum Suevicum anno 1208. ab Ottone IIII. publica auctoritate in Comitiis Norimbergensibus promulgatum esse, nunc suam sententiam et publicam eius Speculi auctoritatem iterum destruit, illud Iudicio Rotwilensi, quod anno 1146. institutum est, antiquius esse asserens. 2.) Quod ex Speculi istius silentio de Iudicio Rotwilensi plane non sequatur, id eo Iudicio esse antiquius, cum nec Speculum Saxonicum, quod tamen illo Iudicio, vel ipso Schiltero fatente, multo est recentius, eius mentionem faciat. Vto argumento 2. quod antiquitas Speculi Saxonici vtique aestimanda non sit ex sermone, quo editio Zobeliana vtitur, cum eum ad sui temporis genium inflectendum Zobelius existimaverit, ita vt Zobelii sermo tantum recentioribus Iuris Sueuici exemplaribus respondere videatur. Si vero ex antiquissimis Lipsiensibus et Quedlinburgensi Codicibus Speculi Saxonici sermo aestimetur, ille plane vetustissimis Iuris Sueuici Codicibus antiquitatis palmam praerepturus videtur. VItae demum rationi obiicitur, quod insignis illa, quae asseritur, Speculi Sueuici perspicuitas exemplis, quae producuntur, nondum satis probata sit; et si probata esset, antiquitatis tamen argumentum idoneum non esset, cum quo antiquiora sint monumenta, eo obscuriora saepius hodiernis lectoribus appareant, et facile quaedam recentioribus addi possint formulae, quae nubes, quibus antiquiora obducta sunt, dispellere, iisque vberiorem lucem affundere possint. S.

Ad §. LXXXII.

(182) Sunt diplomata quae prouocant.

(182) Goldastus adhuc de suo tempore *in Praefatione der Reichs-Satzungen* testatur: *So ist der Schwabenspiegel so wol, als der Saxenspiegel in Saxischen landen, bey den Schwaben in Schwæbischen Gebieten, als* Algœwern, *Schweitzern, Pündtnern, und Burgundern, noch zu guten theil im Schwanck und in ihre* Statuta *gezogen.* Hertius *de Consult. Leg. et Iudic. in Spec. Rom. Germ. Imp. Rebusp. §. 15. p. 432.* dicit: Giessensis Academiae, quae anno 1607. instituta est, Statuta T. 31. Ius Francorum (siue Sueuicum) et Saxonicum Iuris Antecessoribus commendare, addita ratione: *quod illis vniuersa propemodum Europa in multis partibus hodie vtatur.* Non ita pridem, cum inter Lichtensteinios Principes et Comites Kaunitzios de Comitatu Rittbergensi lis ageretur, et Kaunitziae causae patroni Iure Feudali Suevico potius, quam Iure Longobardico, sibi non aeque fauente, vterentur, huic vsui acerrime se opposuit, qui Lichtensteiniorum iura defendit, *Stephan Christoph Harpprecht von Harpprechtstein zu Kaltenthal*, iusto hac de re Commentario Kie-

lae

lae 1723. 4. edito, cui titulus: *Speculi Sueuici et praesertim Iuris Feudalis Alamannici in foris vicariatus Sueuo-Franconico-Palatini Non-Vsus modernus*, quo omnem Speculo Sueuico in Iudiciis auctoritatem prorsus adimere multo studio conatur. Ego vero, licet huius Speculi, tanquam Legis, vsum in causis decidendis forensem supereſſe non arbitrer, multum tamen eum adhuc adiuuare explicationem Consuetudinum et Legum Prouincialium vtique existimo, et hinc iudicio Scherziano, quod A. N. *h. l.* produxit, lubens subscribo. S.

Ad §. LXXXIII.

(183) Ab eodem auctore, etc.

(183) Auctorem nominare ausus est Goldastus, quamuis rem ex alterius ore acceptam, memoria parum fida custoditam, dubius ipse referat *in Praef. der Reichs-Satzungen* his verbis: *der* Autor *iſt ungewiſs. Allein weiſs ich mich zu erinnern, das Herr Gotfried von Rammingen, weiland Vogt des fürſtlichen Stiffts Reichenaw, mir für eine wahrheit fürgegeben, das wie Eck von Repkow den Sachſenſpiegel, alſo habe auch Berthold Freyherr von Grimmenſtain ein Schwabenſpiegel gemacht, den er mit ſeinen Augen auf Pergament geſchrieben, in einem Cloſter geſehen, des Namen mir ausgefallen. Ob es aber eben dieſer Schwabenſpiegel ſey, iſt nicht wol zu errathen. Dann weder im getruckten Exemplar, noch im* Manuſcript, *ſo ich von dem Ehrwürdigen Herrn Iohann von Müntzenberg, Priorn des Carmeliter Cloſters zu Franckfurt am Meyn zu conferiren empfangen, einige anzeigung nicht vorhanden etc.* S.

Ad §. LXXXIIII.

(184) Prouinciae ſuas leges in ſcripturam redegerunt, etc.
(185) Ius prouinciale Auſtriacum.
(186) In Biblioth. Hoffmanniana Francofurti vidi, etc.

(184) Cum nondum ita certa ac definita eſſent, ſuisque numeris omnibus abſoluta Superioritatis Iura, Principes aliique Imperii Status vel Legum ferendarum ius ſibi ab Imperatoribus concedi, vel Leges iam a ſe latas ab iis confirmari curarunt. Imo et iis iam temporibus, quibus de Statuum Superioritate Territoriali amplius dubitare nefas erat, tamen eas confirmationes non tam neceſſitatis lege, quam ex prudentiae regulis expetendas eſſe, quidam Principes exiſtimarunt, vti exemplum *Ordinationis Iudiciariae* Electoris Moguntini a Carolo V. Ducum Brunſvicenſium vero a Ferdinando confirmatae docent. v. Hertius *de Superior. Territ. §. 25.* Quod eo minoris hodie vſus eſſe poteſt, quo magis certa et confirmata nunc eſt Poteſtas Statuum Legiſlatoria per *Art. VIII. Pac. Weſtph.* et ſubſequentes Capitulationes Imperatorum Leopoldi et Ioſephi *Art.* 3. Caroli VI. Caroli VII. et Franciſci *Art.* 1. Iurium Prouincialium alia ſola Domini Territorialis voluntate condebantur, alia vero accedente Statuum Prouincialium conſenſu, qui ex antiquo more ſub dio in certo campo, ad hoc antiquitus deſtinato, conuenire ſolebant. Ita Miſniae Statuum conuentus in campo *Culm* vel *Culmitz* dicto, ſ. *Colmen bey Oſchatz* in media Miſnia congregari ſolitos obſeruat Weckius *in der Beſchreibung und Vorſtellung von Dreſſden P. 4. T. 6. p. 437.* Ita Haſſorum conuentus in loco Comitatus Ziegenheimenſis *Spieſs* dicto, prope monaſterium *Spieſs-Capell* inſtitutos eſſe, ibique

Source : BIU Cujas

que adhuc Philippum Magnanimum cum Ordinibus suis deliberasse, Brunsuico-Luneburgensium vero *in einem Gehæltz, der Schotz bey Hassering genannt, in dem Amt Bodenteich, vier Meilen von Zell*, refert Hertius *Dissert. de Consult. Leg. et Iudic. in spec. Rom. Germ. Imp. Rebusp.* §. 9. S.

(185) Iura illa antiqua Austriae, dicta *Landesbrauch*, debentur Leopoldo, Duci Austriae, vti Praefatio indicat: *das sind die Rechte nach Gewohnheit des Lands, bey Hertzog Leopold von Oesterreich.* Cum Marchionatus Austriae anno 1156. in Ducatum euectus sit, Leopoldo VI. qui anno 1185. vel Leopoldo VII. qui anno 1230. decessit, eruditi haec tribuunt. v. Ludewigius *ibid. in Praef.* et Hellfeld. *Hist. Iur. Germ. c. 5. S. 2. §. 31.* Obseruant passim eruditi, Austriae populos moris antiqui tenaciores Leges cum Boicis maxime consentientes, a peregrinis vero Iuribus maximopere alienas, agnouisse. In quibus illud praecipue notatu dignum occurrit, quod ascendentes omnes a successione ab intestato descendentium omnino excluserint, et hereditates, si descendentes et collaterales deficerent, excluso ascendentibus fisco protinus addixerint. v. Weingarten *Fascic. diuers. Iurium L. I. P. 3. p. 65.* Recentiora Iura Austriaca exhibentur a Weingarten *ibid. Norimb. anno 1690. in f.* et in Codice Austriaco, qui Viennae 1704. f. prodiit, a quibus illa de ascendentibus a successione ab intestato excludendis capita exulant. v. Brunquell. *Hist. Iur. P. IIII. c. 8. §. 10.* Hoffmann. *Spec. Coni. Pol. etc. Per. V. Sect. V. §. 1. n. d. S.*

(186) Post Reformationem huius Iuris iam saec. XVI. susceptam, denuo Maximilianus I. Dux Bauariae illud multis auctum sub Tit. *der Fürstenthümer Ober-und Nieder-Bayern Landrecht, Policey-Gerichts-Malefitz-und andere Ordnungen. München 1616.* edi iussit.

Cum de Saxonico Iure antiquo et medio multa dicta sint, et Saxoniae Iurisconsulti saepius allegari soleant, aliqua saltem de Iure Saxonico nouo dicenda videntur. Diuiditur illud in Electorale et Ducale. Illud praecipue Augusto Electori originem suam acceptam fert, qui Collegiis Iuridicis, suae ditioni subiectis, imperauit, vt controuersias Saxonici Iuris colligerent, et suis obseruationibus illustratas sibi mitterent. Hinc natae Consultationes illae, quarum T. I. et II. demum anno 1600. III. 1608. *in f.* prodiit. Inde per Iohannem Schneidewinum, Matthaeum Wesenbecium et Iacobum Thommingium ipsum Corpus Constitutionum compositum fuit, et mox auctoritate Electorali confirmatum anno 1572. ad quod Carpzouius decantatissimas suas *Definitiones* conscripsit. Cui Corpori Legum diuersorum postea Electorum Constitutiones, Decisiones, Ordinationes, Resolutiones accesserunt, inter quas maxime eminet Iohannis Georgii I. Electoris Ordinatio Iudiciaria anno 1621. promulgata. Totum Corpus huius Iuris post editionem Dresdensem superioris saeculi denuo sub *Tit. Codex Augusteus* etc. Lunigius Lipsiae anno 1725. T. II. in f. edidit. Ducale, praeter Consuetudines aliquas in scripturam nondum redactas, variis Constitutionibus constat. Quorsum referuntur: *Iohann Friederichs des Mittlern, Iohann Wilhelms und Iohann Friederichs Policey-Ordnung*, Ienae 1580. *H. Iohann Ernsts und Iohann Casimir Hoffgerichts-Ordnung Coburg 1598. H. Ernsts Gothaische Landgericht und Policey-Ordnung, Gotha 1633.* et 67. *Fürstl. Altenburgische Landgerichts-und Process-Ordnung. Altenb. 1704.* et 5. *H. Iohann Wilhelms Eysenachisch-und Ienaische Gerichts-und* Executions-*Ordnung*, Ienae 1702. *des Fürstl. Sächs. gemeinen Hoff-Gerichts zu Iena erneuerte und verbesserte Ordnung* de an. 1653. v. Brunq. *Hist. Iur. P. IIII. c. 8. §. 13. et sqq.* Hellfeld. *Hist. Iur. Germ. c. 5. S. 2. §. 35. et sqq. S.*

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. LXXXVI.

(187) Statuta vrbium.
(188) A Sententiis domi latis, ad illas vrbes prouocatum esse.

(187) Statutorum vsum, eorumque vel secum inuicem, vel cum Iure Romano consensum aut ab eo dissensum, operose docet Henricus Gisebertus, institutа Statutorum cum Iure Romano collatione in *Iustiniano Harmonico*, et cum Iure Ditmarsico in *Periculo Statutorum*. Sed qui propius nos tangit, et historiam plerorumque per Germaniam Statutorum magno studio iustoque opere conscripsit, et in causa, quae hic agitur, vtramque paginam facit, est Christianus Gottlieb Riccius in *zuverlæssigem Entwurff von Stadt-Gesetzen oder* Statutis cet. *Franc. et Lipſ.* 1740. *in* 4. Rationem solidam, cur extantibus licet Iuribus Prouincialibus, tamen tot vndique Ciuitatum Statuta conscripta fuerint, indicant Riccius *de Statutis p. 4. et ſqq.* et maxime Emminghausius *Memorab. Susatenſ.* qui *ibid. in Praef. p. VII.* dicit, quod *Leges Prouinciales haud ſuffecerint, vt controuerſiae in vrbibus obvenientes exinde deciderentur. Multa enim in vrbibus celebrantur negotia, vix nomine et fama antiquis Germanis accepta. Sic mercatura, Germaniae incolis ſeculis remotioribus vix nota, praecipuum erat civium negotium, cuius naturae atque indolis ignari Principes de eadem ſtatuere haud potuerunt. Vnde harum rerum cognitionem ipſis ciuibus relinquere maluerunt, iiſque conceſſerunt, vt ipſi de rebus Ciuitatum pro lubitu ſtatuerent cet.* S.

(188) Huc merito referas Ius olim frequente vsu passim receptum, *zug, zugrecht, gezog*, dictum, quo extranei ad Iudicium alterius, vel per modum Consultationis, vel per modum Appellationis prouocabant, eodem fere modo, quo olim a multis gentibus ad Scabinatus Magdeburgensem et Hallensem prouocatum fuisse supra diximus; quas quidem appellationes non necessitate iuris, sed libera appellantium voluntate, prorogando Iurisdictionem alterius, interpositas esse, et ipsi supra asseruimus, et pluribus demonstrat Meuius *Proleg. ad Ius Lubec. Quaeſt. II. §. 12. et ſqq.* Habet tamen illud Ius, *Zugrecht* dictum, aliquid ab hac prouocatione plerumque diuersi. Haec sane non nisi Consultationis voluntariae, licet saepius repetitae, naturam, vti docuimus, habuit. Illud vero nonnunquam quidem etiam Consultationis, saepe tamen et verae Appellationis speciem habebat, vnde *Reichs-Ordnung zu Blinnsweiller* de anno 1495. sollicite distinguit: *So die Richter den Zug nemen, habe es die geſtalt einer Remiſſion, ſo es aber die Parthey thue, ſeye es eine Appellation cet.* Sane, quo Inclytus huius Ciuitatis Magistratus olim gaudebat, *zugrecht*, id ita comparatum fuisse, vt multum a natura consultationis recesserit, et verae appellationis, a multis extraneis ad ipsum institutae, faciem induerit, luculenter docent literae, quibus Magistratus Argentinensis Appiacensibus, consilium petentibus, anno 1491. respondit: *der froge halb um Rat, do iſt nit unſer Stadt gewohnheit zu roten. Wann aber in Gezoges wiſe harbroht, ſo tetent wir, wie von Alter herkommen were cet.* Imo, hanc prouocationem plane necessariam fuisse, non voluntariam, ostendit pactum, ab Henrico a Gerolzeck, Episcopo Argentinensi, et Clero, cum ciuitate Argentinensi initum an. 1263. quod sub Titulo: *dis iſt die Abeſchrift des Sune Brieffes von Worte zu Worte, damitte wir und die Pfaffheit verſunet wurdent, und iſt beſigelt mit unſerre Stette Ingeſigele*, Iac. Wenckerus *Collect. Iur. Publ. in Diſquiſ. II. de Uſsburgeris No. V. p. 23.* et Schilterus *Annot. ad Koenigshovii Chron. p. 729.* exhibent, cuius §. 8. haec leguntur: *So iſt auch ir Reht, ſwenne der Stette, oder*

Source : BIU Cujas

oder der Dœrfer deheinz, die das Biſtum anhœrent, an einer Urteil zwivelnt, daz ſie das Urteile vur ſie ziehent, unde ſtete habent, alſe die Burgere von Straſsburg ſprechent. Vti a ſubditis Epiſcopi a Magiſtratum Ciuitatis Argentinenſis, ita a Spirenſis Epiſcopi ſubditis ad Senatum Spirenſem prouocabatur, quod ius tamen ſaepius à Spirenſibus Epiſcopis in dubium vocatum fuit, et quidem a Friderico anno 1291. et Rabano anno 1411. de qua re v. Lehmanni *Chron. Spirenſe L. IIII. c. 13. V. 121. VII. 83. et 85.* Ita ab Hanoicis ad Francofurtenſes, ab Vberlinga ad Rotwilam, a Stochachio ad Zellam, a Neomago ad Aquiſgranum, a Berna ad Friburgum Briſgouiae cauſas olim delatas fuiſſe teſtatur Wehner. *Obſ. Pract. V. Zugrecht*, cui merito iungendus Iac. Wenckerus, Iac. filius, *in Diſſert. de Iuſtitia Indilata p. 77.* S.

Ad §. LXXXVII.

(188*) Ius Suſatenſe.

(188*) Suſatum, aliis Soſacium, *Soeſt, Suiſt, Soiſt, Zoſt, Zozaz, Socas*, antiquiſſima Weſtphaliae vrbs, et metropolis Ducatus Angariae, cuius territorium, vulgo *die Soeſtiſche Boerde* appellari ſolitum, praeter diſperſos hinc inde viculos et villas, decem potiſſimum parochias, *Kirchſpiele*, nempe *Borgelen, Dincker, Lohne, Meininghauſen, Neuengeſecke, Oſtünen, Satrop* ſ. *Saſſendorff, Schweve, Welver*, et *Weslar* comprehendit, poſt Henricum Leonem, cui paruit, a Friderico I. proſcriptum anno fere 1180. in Philippi Archiepiſcopi Colonienſis, ex Heinsbergia familia oriundi, manus peruenit, vel donationis, vel, vt aliis placet, emtionis titulo, cum Archiepiſcopus pro Ducatibus Angariae, et Weſtphaliae 50000. marcas puri argenti Imperatori ſoluiſſe dicatur. Sub Archiepiſcoporum Colonienſium Protectione, non Territoriali iure, per 260. annos, atque ita ad annum vſque 1440. ſtetit. Eo vero anno, cum Theodoricus Archiepiſcopus Ciuitatem ſibi penitus ſubiicere, grauibus oneribus premere, et priuilegiis ac immunitatibus priuare tentaret, ea Adolphi I. Clivenſium Ducis auxilium implorans, eius filium Ioannem I. cum copiis auxiliariis aduolantem dominum ac defenſorem ſuum ſalutauit, ac poſtea *ei ac ipſius poſteris anno 1444. ſaluis ſuis iuribus, ac immunitatibus, ſpeciali pacto, quod vulgo* DVCALE *vocatur, reſeruatis, ac iuramento confirmatis vnanimi conſenſu* ſe addixit, *op den Donnerſtag Sti Georgii Martiris;* quod pactum Adolphus, Ioannis pater, ratum habuit, ipſe vero Ioannes eodem anno, *die Martis poſt feſtum Albani Martiris*, denuo confirmauit, paceque cum Archiepiſcopo Colonienſi tandem anno 1449. inita, iure ſibi in Suſatenſes acquiſito quiete gauiſus eſt; quod ius demum alio pacto cum Archiepiſcopo Colonienſi inito anno 1464. Clivenſibus Ducibus confirmatum fuit. Succeſſores Ioannis, nempe Ioannes II. anno 1481. *feria quarta proxima poſt beati Severini Epiſcopi*, et Ioannes III. anno 1522. *up Gudeſtage na Sünt Matheus Dage des Apoſtels und Euangeliſten*, pactum *Ducale* repetierunt, quod et ipſe Ioannes III. poſtea, et eius ſucceſſores ſinguli Reuerſalibus literis confirmarunt. Quae monumenta immunitatis et libertatis ex authenticis chartis exhibet Emminghauſius *Memor. Suſat. in Document. Suſatenſium P. II.* Poſt mortem Ioannis Wilhelmi, Ducis Cliuenſis vltimi, quae an. 1609. contigit, Suſatum in iura Ioannis Sigiſmundi, Electoris Brandenburgici tranſiit, et ſub eius ſucceſſoribus ad hanc vſque diem perſtitit. v. de his omnibus modo allegatus Emminghauſ. *Memor. Suſat. c. 1.* Celeberrimum autem eſt Ius Suſatenſe, quod eruditiſſimo Hellfeldio *Hiſt. Iur. Germ. c. 5. S. I. §. 5. fons Legum, quibus celebriores*

Source : BIU Cujas

lyriores Germaniae vrbes vſae ſunt non immerito dicitur. Diſtinguitur illud in Ius *antiquum*, *medium* et *nouum*. Illud conſtat Legibus quibuſdam, ad Iudiciorum formam definiendam, ad aliquot cauſas ciuiles et criminales decidendas, ad poenas aliquot delictis vel pecuniarias vel capitales infligendas facientibus, quae membranis duabus in forma patente Latinoque ſermone inſcriptae hodieque in Tabulario Suſatenſi cuſtodiuntur; nec tamen diuerſae Legum Collectiones ſunt, ſed potius duo eiuſdem Collectionis exemplaria, ita tamen, vt non omnino ſibi inuicem reſpondeant, ſed potius hinc inde differant, nec eodem tempore conſcripta videantur. Cum diem et conſulem non oſtendant, incerta eſt harum membranarum aetas, et licet antiquiſſimae videantur, vltra ſaeculum XII. tamen, imo, vltra tempus, quo Suſatum in manus Archiepiſcopi Colonienſis peruenit, aſcendere non videntur, cum ambae Archiepiſcopi Colonienſis mentionem faciant, quae ex authentico deſcriptae occurrunt apud Emmingh. *l. c. Docum. P. III. No. I. et II.* Atque ita videtur, Ius, quod antea Henricus Leo Ciuitati dederat, poſt hanc ſtatus publici mutationem, in hanc, quam hae membranae oſtendunt, formam redactum eſſe. Accedit huic Schraa antiqua, quam cum Dno de Weſtphalen *in Praef. Tom. IIII. Monum. ined. p.* 132. ad ſaeculum XIII. refert Emminghauſius, quaeque Germanico ſermone exarata, 178. Articulis conſtans, ſub titulo: *dey Aude Schrae der Stat van Soiſt*, ab Emminghauſio ſiſtitur *Docum. P. III. No. III.* ex ipſo authentico Suſatenſi fideliter expreſſa, adeoque et ineditae Heineccianae, quae illius tantum exemplum, rudioribus temporibus ſcriptum, eſſe poteſt, et illi, quam Dn. de Weſtphalen *Monum. ined. P. IIII. p.* 3063. ex aliis exemplis deſcriptam edidit, omnino praeferenda. Quo loco aliqua monenda ſunt. 1.) quod A. N. vnam tantum Schraam ſibi cognitam habeat, et, quae noua eſt, eam pro parte alterius agnoſcat, cum tamen duae ſint Schraae, a ſe inuicem omnino diſtinctae, et trium fere ſaeculorum interuallo remotae, altera antiqua, altera noua, quarum haec, cum ea, quam A. N. pro ſecunda alterius parte habet, eadem eſt, cum idem, quod ſecundae partis initium eſſe dicit A. N. ſit etiam initium Schraae nouae. 2.) quod Schraam ad Ius nouum referat, cum tamen Schraa antiqua et noua, non niſi ex parte exigua, et quidem non niſi in quantum recentiori iure confirmata eſt, hodieque in foro obtineat, atque ita Schraa, quaecunque demum illa ſit, Ius nouum vtique dici nequeat. 3.) quod Articulorum numerus, quem Authenticum Suſatenſe exhibet, aliquantum ab exemplari Heineccciano differat, cum Schraa antiqua apud Heineccium tantum 176. in authentico 178. Articulos ſiſtat, atque ita annorum notae, quae aliquot Articulis ſubiunctae ſunt, non iidem vtrinque numero articulorum adſcriptae ſint, Schraa autem noua in authentico tantum 129. articulos oſtendat. Hac Schraa antiqua itaque Suſatenſes vſi ſunt vſque ad ſaeculum XVI. quo *Iaſper van der Burg*, ciuis Suſatenſis, et Ciuitati a Secretis, librum maioris voluminis membranaceum, cui Schraa inſcripta erat, clam amouiſſe dicitur, vti rythmi, vulgo *der Daniel von Soeſt*, ab auctoris nomine ita dicti, anno 1539. typis expreſſi, quorum rariſſimum exemplar in Bibliotheca Dominicanorum Suſatenſium cuſtoditur, quoſque ex eo editurum ſe eſſe Emminghauſius promittit, teſtantur:

De Schrae well wy wetten, der Borger Recht
Vorklagen Meſter Iaſpar der Stadt Diener und Knecht
Dat he uns hafft vor entholden manche tyt
Der Borger Priuilegia *und* Plebiscyt cet.

Seditio ea de re in populo coorta, mox reſtitutione librorum ſedata eſt, ſed tamen occaſionem dedit, ob faciem rerum per trium fere ſaeculorum lapſum non leuiter mutatam, nouam Schraam condendi, quam 129. Articulis abſolutam

Source : BIU Cujas

ſub titulo: *dey niyhe Schrae der Stat von Soiſt*, etiam exhibet Emminghauſius *Docum. P. III. No. IIII.* Vbi in tranſitu tantum monemus, Iura Suſatenſia, quae Henricus Leo Lubecenſibus dedit, non eſſe *die Neue Schrae*, vti credit Schoepffius *in Praef. ad Meuii Ius Lubec.* quod ex iis, quae dicta ſunt, ſatis innoteſcit. Additae poſtea ſunt acceſſiones quaedam, non tam typis promulgatae, quam moribus ſeruatae, quas ſub *Titulorum Additionalium* nomine ſiſtit Emmingh. *Docum. P. III. No. V.* Haec Schraa noua cum Articulis modo nominatis *medium* Ius Suſatenſe conſtituere videtur. *Nouum* Ius illud dicimus, quod nunc obtinet, quod ex *medio* non niſi duodecim Articulos de ſucceſſione ab inteſtato, de communione bonorum inter coniuges, et ſeparatione liberorum ſtatuentes, et d. *26.* Martii 1714. a Magiſtratu confirmatos conſeruauit, quos *ibidem No. VI.* deprehendes; caeteris nullas vires habituris, niſi, qui ad eos prouocauerit, vſum eorum in foro ſuperſtitem docere poſſit, quod iam ante hanc expreſſam Legem docet Atteſtatum Iudiciale Suſatenſe de d. 21. Sept. 1691. quod producit Emminghauſius *ibid. No. VII.* his verbis: *Wegen Krafft und Wirkung vorbeſchriebener Schrae*, et an vim legis habeat, *oder wie weit darauf reflectiret werde*: Ex actis paſſim et Protocollo huius Iudicii Electoralis: *wird hierauf* atteſtirt, *daſs* partium aduocati patrocinando *ſich immer auf das gemeine beſchriebene Recht*, autoritatem Doctorum *und ſonſten, wo nicht demſelben* per contrariam obſeruantiam et conſuetudinem *hieſelbſten* derogirt *wird*, fundirt *und bezogen, deme man denn auch* in iudicando *nachgegangen und ſich darnach* accommodirt. *Es wird aber auf hieſige Schrae, wenn ſie gleich* allegirt *werden mœgte, deſſen man ſich aber nicht zu erinnern weis, keine* Reflexion *genommen, es ſey denn, das ein oder anderer Articul mit der* Obſeruantz *übereinſtimmet, und ſelbige* a parte allegante *erwieſen werden kœnnte cet.* Antiquum vero Ius Suſatenſe mox ad Lubecenſes, poſtea etiam ad Hamburgenſes, Mindenſes, Lippienſes, Corbacum, Attendornam, illud Waldeccenſe, hoc Weſtphalicum oppidum tranſiit, et ab aliis etiam receptum fuit. Res hae Suſatenſes olim plane obſcurae fuerant, adeo, vt ne quidem Conringio *de O. I. G. c. 28. p. 170.* aut Gryphiandro *de Weichb. Saxon. C. 80. §. 15. et ſqq.* doctiſſimis tamen viris, de Iure Suſatenſi quidquam innotuerit. Mox aliquid lucis, licet dubiae adhuc, et ex hac parte orbi erudito affulſit, tandem ea aucta eſt virorum eruditorum laboribus, ita tamen, vt plenior adhuc lux ſubinde deſideraretur. De rebus Suſatenſibus, deque Schraa edenda et illuſtranda egregie meriti ſunt de Weſtphalen *Monum. ined. T. IIII. p. 3063. et ſqq.* de Ludolff *Obſeru. Cameral. P. III. Obſ. 292. p. 427. ſqq. Supplem. Append. II. N. 2. p. 17. ſqq. et Collect. Statutor. p. 791.* et Eſtor, *kleiner Schrifften P. VI. p. 338. ſqq.* viri omnium conſenſu celeberrimi; multa etiam eleganter euoluit doctiſſimus Riccius *de Statutis C. 5. §. 1. p. 80. et ſqq.* et *Cap. 10. §. 2. p. 180. et ſqq.* ſed partim ipſis non licuit adire Codices authenticos, partim antiquiſſimi Iuris Suſatenſis incerta tantum cognitione gauiſi ſunt, pleniorem ſollicite expetentes. His deſideriis abunde ſatisfecit eruditiſſimus Emminghauſius editis *Memorabilibus Suſatenſibus*, cui et nos eorum, quae hic ſcripſimus, magnam partem debere, lubentes et grati fatemur. S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. LXXXVIII.

(188**) Vt actum agere nolimus. cet.
(189) Ab hodierno diuersissimum cet.

(188**) Tres sunt quaestiones distinctae I. *an Lubeca ab Henrico Leone Leges acceperit?* II. *an apud Arnoldum pro* IVRA SOSATIAE *legendum sit* IVRA HOLSATIAE *?* III. *an per Iura s. Sosatiae s. Holsatiae indigitentur Statuta et Leges, quibus Ciuitas regenda sit, an iura quaedam in pascuis et syluis concessa?* Hae a multis discussae quidem sunt, sed cum in gratiam Cultorum Iuris scribamus, quibus saepe non est magna librorum copia, liceat potiora harum rerum argumenta hic breuiter addere. Ad I. Quaestionem quod attinet, originem Iuris Lubecensis Gisebertus *in Praef. ad Per. Statut. v. Lubec.* ad Ducem Albertum de Bardewich an. 1294. refert. Ericus Mauritius *Introd. ad Praxin for. §. 22.* ex MSCto quodam Codice fidem facere vult, id demum rogatu Equitum Ordinis Teutonici Liuonicorum anno 1258. natum esse, aliquosque annum 1236. subsistituere. Conringius *de O. I. G. c. 28. p. 169. et sqq.* dubitat, an id Friderici I. Imp. temporibus, an paulo post ea ortum sit. Meuius *Proleg. ad Ius Lubec. Q. 1. §. 41.* in Friderici I. temporibus subsistit. Hic confirmationem Iuris, Ericus Mauritius eius, ex Codice authentico descripti, transmissionem ad alios cum Legislatione confundit. Giseberti vero Ducem Albertum de Bardewick nemo vnquam, praesertim sub finem saeculi XIII. nouit, nec, quid ipsi cum Legibus Lubecensium commune sit, perspexit. Albertum vero de Bardewick, priuatum quendam hominem, cuius cura emendatio Iuris Lubecensis circa ea tempora suscepta est, plures vtique norunt. v. Riccius *de Statutis L. I. c. 5. §. 3. p. 88.* Schoepffius *in Praef. ad Meuii Ius Lub. editioni de an. 1744. praefixa*, adeo, vt facile, cum alicubi vel *D.* vel *Dns* Albertus de Bardewick legeretur, apud Gisebertum vel ipsius, vel typographi aut correctoris culpa enasci potuerit *Dux* ille Albertus, vti acute coniicit Richey *Hist. Stat. Hamburg. C. 2. §. 14. n. pp.* Plerique autem originem Iuris Lubecensis Henrico Leoni tribuunt, vti Gryphiander *de Weichb. Saxon. C. 80. §. 15. et sq.* Mollerus *in Isag. ad Hist. Cherson. Cimbr. P. I. c. 15.* Leibnitius *in notis ad Arnoldi Lubec. L. II. c. 35.* Meibomius *in Introduct. ad Histor. Saxon. Infer. p. 85. et sqq.* Steinius *in der gründlichen Abhandlung des Lübschen Rechts, Vorbericht §. 1.* Hoffmannus *in Spec. Coniect. Polit. Per. V. Sect. 4. §. 1.* Schoepffius *Praef. ad Meuii Ius Lub.* Richey *Hist. Statut. Hamburg. C. 2. §. 14.* Riccius *de Statutis C. 5. §. 1.* Emminghausius *Memorab. Susat. C. 3. §. 7.* vt taceam Historiae Iuris scriptores Struuium, Brunquellum, Hellfeldium, Koppium. Frmant hanc sententiam 1.) Vexatissimus Arnoldi Lubecensis locus *Chron. Slau. L. II. c. 35. §. 8. Post aliquot autem dies burgenses reuersi cum Guncelino Comite, ex praecepto Ducis* (Henrici Leonis) *Ciuitatem in manu eius* (Friderici I. Imp.) *tradiderunt. Verum priusquam ei Ciuitatem aperuissent, exierunt ad eum, rogantes, vt libertatem Ciuitatis, quam a Duce prius traditam habuerant, obtinerent,* ET IVSTITIAS, *quas in priuilegiis scriptis habebant, secundum* IVRA SOSATIAE, et titulos (al. terminos) *quos in* PASCVIS, SYLVIS, FLVVIIS *possederant, ipsius auctoritate et munificentia possiderent. Imperator vero annuit petitioni eorum, et non solum ista confirmavit, verum etiam quicquid a Duce de telonio ad stipendia Canonicorum in Lubeca vel in Raceburg donatum fuerat, ratum iudicauit* cet. 2.) Friderici I. Priuilegium an. 1188. Lubecensibus concessum, quod Lunigius *in Reichs-Archiu. Parte Spec.*

Source : BIU Cujas

Cont. IIII. p. 1330. seruauit, vbi haec verba notatu digna et huc apprime facientia occurrunt: *Insuper opportunitatibus eorum acquiescentes omnia* IVRA, QVAE *primus loci fundator* HENRICVS, *quondam Dux Saxoniae*, EIS CONCESSIT, *et priuilegio suo firmauit, nos etiam ipsis concessimus cet.* Et ne quis dubitet, de Iure Priuato ciuium ibidem etiam agi, addit statim: *Et quicunque ipsorum supra causa quacunque conueniatur per omnes Imperii nostri fines et per Ducatum, coram loci illius Iudice se expurgabit, absque cautione*, SECVNDVM IVRA IAM DICTAE CIVITATIS cet. Quibus tandem addit Ius Statuta augendi et condendi: *singulari quadam gratia ipsis adhuc concedimus, vt quicquid intra Ciuitatem sui Iuris postea emendare voluerint cet. emendare non obmittant cet.* Quae omnia Ius Priuatum, quo ciues in Ciuitate vtuntur, diuersis verbis loquuntur, quaeque omnia Fridericus II. in confirmatione sua de anno 1226. apud Lunigium *ibid. p.* 1333. breui sermone indicat per *eorum* IVRA ET OMNES BONOS VSVS ET BONAS CONSVETVDINES, *quibus tempore Imperatoris Friederici, aui nostri, felicis memoriae, vsque nunc vsi fuisse noscuntur cet.* 3.) Concessio Iuris sui a Lubecensibus in gratiam Ciuitatis Tonderensis anno 1243. facta, in qua testantur se conscribi feciſſe IVSTITIAM, *Ciuitati Lubecensi a glorioso fundatore dictae Ciuitatis cet.* DOMINO HEINRICO, *nobili Duce Sueuiae, Bauariae, Saxoniae, Angariae et Nordalbingae indultam et priuilegiatam* v. Danckwerth *Beschreibung der Hertzogthümer Schlesswich und Hollstein p.* 85. 4.) Concessio eiusdem anno 1254. facta Equitibus Ordinis Teutonici Liuonicis, in qua dicunt Lubecenses, se in horum gratiam conscribi Iura curasse, *welckere* Iura *bestediget unde denen van Lübeck gegeven synt, van dem Irluchtigsten Vœrsten und Buvere der Stadt Lübeck, alse* Henrico, *Hertogen van der Suevie, Bavarie, Saxonie, Angarie unde Nordawyngie cet.* v. Ioh. Sibrandi, *Vrbis Lubecae et Anseaticarum, nec non Imperialium Ciuitatum Iura Publica L. I, Sect.* 10. §. 30. quam etiam, mutato tamen stilo, exhibet Ericus Mauritius *Introd. in Praxin forens.* §. 22. 5. Chronicon Holsatiae vetus *Cap.* 15. quo incipit Continuatio Helmoldi, *in f.* apud Leibnitium *Access. Hist. P. I.* his verbis: *Henricus Leo, Dux Saxoniae et Brunsuicensis Cathedralem Ecclesiam de Oldenborch transtulit in Lubecensem Ciuitatem cet. dictae Ciuitatis incolis* IVS MVNICIPALE *a Speculo Saxonum extractum, quod etiam adhuc habent, et libertatem nauigantibus dedit copiose.* Licet in eo vtique errauerit, quod Ius illud Municipale *a Speculo Saxonum extractum* dixerit, quod Henrici Leonis tempore nondum compositum fuisse scimus, luculentus tamen testis est, Ius Lubecensibus Municipale ab eo datum esse, nec in eo forte a veritatis tramite discesſit, quod aliquid Saxonici Iuris in Ius Lubecense transiisse dixerit, cum de Nordalbingis omnibus dicat Helmoldus *Chron. Slau. c.* 47. quod *teneant Saxonum Iura*, si modo illud Ius Saxonum hic intelligas, quod Speculo Saxonico antiquius est. Hoc Speculum quidem inter fontes Iuris Lubecensis etiam alicubi referri videbis. Verum illud semper ita capiendum erit: In Ius Lubecense antiquissimum aliqua forsan ex Iure Saxonum, quod Speculum Saxonicum praecedit, transierunt, in Ius Lubecense illo recentius, etiam aliqua ex ipso Saxonum Speculo. 6.) Denique ipsa, quae Henrici virtutibus passim tribuuntur elogia a scriptoribus, maxime autem a Radeuico *L. II. c.* 38. qui eum plane suorum temporum *Catonem* appellat, eum legislatoriae prudentiae specimina frequenter dedisse, non obscure testari videntur. Vix tamen est, vt huc trahere audeam verba Helmoldi, qui *Chron. Slauor. L. I. c.* 85. al. 86. dicit, quod Henricus Leo in Lubecensi Ciuitate statuerit *monetam et teloneum*, et IVRA CIVITATIS HONESTISSIMA. Quae verba Leibnitius ad Ius Priuatum trahens, ita explicat: *Publicauit nempe* IVRA, *qualia erant* SOSATIAE, *clare illis*

Source : BIU Cujas

illis temporibus vrbis. Quibus verbis etiam inductus Riccius *de Statutis C. 5. §. 1. ab in.* ea de Iuris Statutarii Lubecensis origine intelligit, cum tamen haec verba, si in serie rerum, quae ibi commemorantur, leguntur, ac cum iure commerciorum, monetae, telonii, de quo ibi sermo est, coniunguntur, magis de statu Ciuitatis publico intelligenda, et ita fere explicanda videantur: Henricus Leo Lubecam tot priuilegiis ornauit, totque iuribus ad statum eius publicum spectantibus instruxit, quot vix alia Ciuitas, honestissimo etiam loco posita, habebat. Quod vero obiici posset, quodque reuera etiam obiicit Richey *in Hist. Stat. Hamb. C. I. §. 15. in f.* ex verbis Adolphi III. Comitis Holsatiae, dubium, nempe quod is per *antiquam iustitiam Lubecensium*, de qua apud Lambecium *L. I. Rer. Hamb. p. 78.* loquitur anno 1232. vix intelligere possit Leges ab Henrico Leone demum Lubecensibus datas, sed antiquiores indigitare videatur, id quidem optime remouit Riccius *ibidem*, ostendens, quod *antiqua iustitia* etiam commode de Legibus ab Henrico ante sexaginta annos latis intelligi possit. Ad IIdam Quaestionem affirmando respondet Conringius *de O. I. G. C. 28. p. 170.* dubius tamen, et subtimide asserens, legendum esse Holsatiae, pro Sosatiae, sine dubio aliter responsurus, si quid ipsi de Iure Susatensi innotuisset. Certus autem et plane confirmatus id affirmat Lambecius *Orig. Rer. Hamburg. L. II. p. 29.* quem sequuntur Bangertus *ad Arnoldi l. c.* et Sagittarius *in Hist. ant. vrbis Bardeu. C. 6. §. 55.* Plures hanc correctionem merito reiiciunt, quibus etiam Richey *in Hist. Stat. Hamburg. C. 2. §. 18.* accessit, licet illa correctio suae, quam ibi asserit, causae multum faueat. Obstat enim huic correctioni 1.) constans Codicum MSCtorum consensus, *Sosatiae*, non *Holsatiae*, exhibentium; 2.) Priuilegium ab Adolpho IIII. Comite Holsatiae Hamburgensibus concessum apud Lambec. *l. c. L. I. p. 101.* vbi dicit: *et in reliquis* IVRE *fruantur* SVSATENSIVM *et Lubecensium*; 3.) aliquid ex Iure Susatensium Lubecenses accepisse probabile inde redditur, quod paulo ante in eas regiones magna Westphalorum colonia deducta Lubecensem viciniam ita impleuerit, vt inter primos Lubecensium Senatores non tantum aliqui ex aliis Westphaliae locis oriundi, sed et iam an. 1161. duo Susatenses occurrant, nempe Volckwinus *de Susato* et Hermannus *de Susato*. v. Meibom. *Introd. ad Hist. Inf. Saxon. p. 88.* qui quidem Susatenses cum illis Westphalis (inter quos Susatum iam celebratissimum fuisse Rotgerus testatur, qui *in vita S. Brunonis Ottonis M. fratris*, apud Leibnit. *Script. Rer. Brunsu. T. I.* id appellat *rebus seculi opulentum, populo plenum, longe lateque circumpositis Saxonum gentibus, nihilominus prouinciarum populis notissimum*) Lubecensi Ciuitati, Legibus adhuc carenti, Iuris Susatensis, sibi communis, reuerentiam operose commendantes, ad id ab Henrico Susati famam lubenter promouente, et in studia Legum ferendarum prono, (quod etiam agnoscit Richey *Hist. Stat. Hamb. C. 2. §. 14.*) expetendum, eam excitasse videntur. 4.) Consensus Iuris Susatensis et Lubecensis antiqui, quem deprehendit Meibomius *in Introd. ad Hist. Infer. Sax. p. 88.* Langius *in Introd. in notit. LL. nautic. §. 64.* et Hoffmannus *in Programm. de Iuris Lubec. antiquo quodam Codice*, vberius eum inuenturi, si ipsis iam antiquissimi Iuris Susatensis membranae cognitae atque inspectae fuissent. Alias rationes pro Iure Lubecensi ex Legibus Susatensibus deriuando addit Riccius *de Statut. C. 5. §. 1. in not.* IIIiam Quaestionem Conringius *l. c.* ita decidit, vt in citatis Arnoldi verbis non de Legibus priuatis, sed de facultate et iure fruendi *pascuis, syluis, fluuiis*, sermonem esse asserat, quem sequuntur supra allegati. Eandem fere causam, quod nempe sub vocabulis *Iuris* et *Iustitiae*, quae in Arnoldi *l. c.* et Adolphi IIII. diplomate leguntur, non Ius Priuatum et Statutum oppidanum intelligi debeat, sed potius legitima facultas fruendi rebus quibusdam et

Source : BIU Cujas

et emolumentis, sibi à Principe concessis, contra A. N. maxime tuetur Richey *Hist. Stat. Hamb. C. 2. §. 17. et sqq.* Verum ipse ingentem numerum eorum allegat, qui de Iure Priuato et Statutario sermonem ibi esse asserunt, nempe Meibomium, seniorem, *in Not. ad Witichindum. T. I. Rer. Germ. p. 670.* Gryphiandrum *de Weichb. Saxon. c. 80. §. 15. 16.* Casp. Danckwerthium *in der Holst. Landsb. p. 216.* Auctorem *des Braunschw. und Lüneb. Stamm- und Regentenb. p. 65.* Forstmannum *in Dissert. de Fascium Susatens. vicissit. §. 10.* Meibomium iun. *Introd. ad Hist. Sax. Inf. p. 88.* Mollerum *Isag. ad Hist. Cherss. Cimbr. p. 255. et 494.* Iac. a Melle *in der Gründl. Nachricht von Lübeck p. 249.* Leibnitium *in not. ad Script. Rer. Brunsu. T. I. p. 292. T. II. p. 651.* Westphalium *in Tr. de Consuet. ex sacco et libro. pag. 64.* Hoffmannum *in Spec. Coni. Pol. p. 137.* et alios. Addi merentur Schoepfius *Praef. ad Meuii Ius Lubec.* Riccius *de Statutis C. 5. §. 1. et sqq. C. 7. §. 1. et sqq. C. 10. §. 2.* Emminghausius *Memorab. Susat. C. 3. §. 7.* Horum autem eruditissimorum virorum sententia ita certis nititur argumentis, vt nostrum ipsi calculum addere nulli dubitemus. Rationes hae sunt: I. Ex ipsis precibus Lubecensium aestimandum est, quid Fridericus I. iis apud Arnoldum concesserit. Petierunt autem 1.) vt libertatem a Duce traditam, obtinerent, 2.) vt *iustitias*, quas in priuilegiis scriptis habebant, retinerent, 3.) vt titulos, siue vt alii exhibent, terminos, quas in pascuis, syluis, fluuiis possederant, etiam Imperatoris auctoritate possiderent. v. Hoffmannus *Spec. Coni. Polit. P. V. Sect. 4. §. 1.* His precibus annuit Fridericus, et singula precum capita rata habuit, atque ita 1.) libertatem 2.) iustitias et 3.) titulos vel terminos pascuorum cet. concessit. Nihil negauit, dedit, quod petierunt, atque ita cum singula separatim petierint, pascuorum cet. concessio cum iustitiarum concessione non est confundenda. Accedit II. quod Gerhardus, Comes Holsatiae in Priuilegio Hamburgensibus concesso anno 1264. apud Lambecium *L. II. n. 165.* distertis verbis dicat: *insuper omnem iustitiam, qua Lubecenses in Ciuitate eorum frui solent, praefatis nostris ciuibus conferimus et donauimus;* vbi sane omnia verba videntur Ius quoddam Priuatum Lubecensium, Hamburgensibus etiam concessum, quod non raro fieri solet, loqui. Quis ea de pascuorum, lignorum, fluuiorum emolumentis intellecturus est, quorum iura pro situ et conditione locorum varia sunt, et ita non possunt ab vno ad alium locum *in solle*, vti loquuntur, transferri, aut alii adaptari, vti integra Legum Priuatarum Corpora, aliunde *per auersionem* recipi posse notissimum est. III. Lubecenses ipsi, cum Ius suum Priuatum anno 1243. describi curarent, et Tonderensi Ciuitati, id petenti, concederent, dicunt se concedere IVSTITIAM *Ciuitati Lubecensi a glorioso fundatore Heinrico cet. indultam cet. ab Imperatore Friderico I. cet. adprobatam et roboratam.* Quis igitur ex hac *Iustitia* ab Henrico indulta, a Friderico approbata, a Lubecensi Ciuitate Tonderensibus concessa, aliud quidquam exsculpere poterit, quam Iuris Priuati Statutarii copiam Tonderensibus a Lubecensi Ciuitate factam? An Lubecenses Tonderensibus, sibi non subiectis, potuerunt priuilegia pascuorum, syluarum, fluminum concedere? et an haec priuilegia pascuorum, lignorum, fluuiorum poterunt facilius omnibus Ciuitatibus Susatensi, Lubecensi, Hamburgensi et Tonderensi adaptari, quam idem calceus omnibus pedibus? v. de hac re vberius disserens Riccius *de Statutis C. 7. §. 1.* IIII. Fridericus ipse in Priuilegio de an. 1188. Lubecensibus Iuris Priuati, quo antea vtebantur, vsum confirmauit, nec tamen Iura pascuorum neglexit, sed separatim singula, ne vnum forte quis cum altero confunderet, satis clare, perspicue, distincte, vti paulo superius vidimus, concessit. Nulli quidem inficias ibimus *Iura* et *Iustitias* saepe pro emolumentis ad statum Ciuitatis publicum spectantibus accipi, sed eandem horum vocabulo-

Source : BIU Cujas

vocabulorum significationem et hic esse, iis, quae dicta sunt, refellitur. Ad singula vero, quae Richey dubia mouet, mox responsuri sumus. S.

(189) Reuisiones, emendationes, mutationes, additiones frequentes Ius Lubecense expertum est. Reuisio prima in gratiam Tonderensium anno 1243. mox alia in gratiam Ordinis Teutonici facta anno 1254. successit alia an. 1292. cura Alberti de Bardewick. anno 1328. iterum alia curante Tidermanno Gustrouio, Consule, quarum Codices MSCti adhuc Lubecae *in der Wettstuben* seruari asserit Langius *Introd. ad Notit. LL. Naut. c. 9.* et cum eo Riccius *de Statutis C. 7. §. 3.* Schoepffius *Praef. ad Meuii Ius Lub.* Tandem haec Collectio, cuius A. N. meminit, facta est. Cum enim multa illi Iuri successu temporis nunc demta, nunc addita fuissent, atque ita Codicum frequens dissensus, et hinc Iuris incerta sententia esse inciperet, rogantibus Ciuitatibus Stralsundensi, Rostochiensi, quae an. 1579. et 1582. ideo legatos Lubecam misit, et Wismariensi hoc opus susceptum est. Ex eo autem tempore plures prodierunt editiones tam Lubecae, quam alibi. Eodem anno 1586. Stetini, ibidem etiam 1594. Lubecae 1595. nec non 1608. 1614. 1616. 1644. 1655. 1657. 1680. 1705. 1728. et 1739. Gluckstadii etiam anno 1708. Burgermeisterus etiam *P. I. Corporis Iuris Publ. et Priu.* Ius Lubecense inseruit. v. Riccius *l. c. §. 5.* Schoepff. *l. c.* In Ius hoc Lubecense nouum multa etiam Iuris Iustinianei et Canonici capita transierunt. v. Nettelbladt *l. c. C. 1. §. 9.* Meuius *Comm. Iur. Lubec. Proleg. Q. I. nu. 55.* Multis male audit Ius Lubecense, qui id conuitiis onerant. v. Meuius *ibid. §. 49.* Multis durum nimis videtur praecipue in separatione liberorum, castigatione decoctorum, obligatione vxoris pro marito, aliisque. Contra quas accusationes id defendit Meuius *ibid. §. 56. et sqq.* Hoffmannus *Spec. Coni. Polit. Per. V. S. 4. §. 2.* Goetzius *Dissertat. de Aequitate Iuris Lubecensis*, Amselius *Diss. de Rationabilitate Canonis Iuris* Lubecensis: *Hand muss Hand wahren*, Boehmerus *Diss. de Prudentia Legisl. Iuris Lubecensis in materia testamentaria.* Riccius *de Statutis C. 5. §. 9. S.*

Ad §. LXXXVIIII.

(190) Ius Hamburgense.

(190) In alias omnino partes abit diligentissimus originum Statuti Hamburgensis indagator Richey, qui *in Hist. Stat. Hamburg.* non tantum *C. 1. §. 15.* et *C. 2. §. 2. Iura* et *Iustitiam* Lubecensium (quae vocabula in hac causa aliquoties occurrunt) semper pro eo, quod Germanice dicere solemus *eine Gerechtigkeit*, id est, pro facultate fruendi certis emolumentis praecipue in re aliena, atque ita pro parte Iuris ad statum publicum Ciuitatis referendi accipit, sed et in *C. 2. §. 12. 13. 14.* totus in eo est, vt Iuris Priuati Lubecensis parum ad Hamburgenses, *ibidem* vero *§. 17. 18. 19.* vt Susatensis Priuati Iuris nihil omnino ad Lubecenses et Hamburgenses transiisse demonstret. Quod ad vocabula *Iuris* et *Iustitiae* attinet, ea quandoque pro priuilegiis et iuribus ad statum publicum spectantibus accipi, fassi ipsi sumus, sed in hac, de qua agitur, causa primario de Iure Priuato intelligi debere, iam *in nota* (188**) *ad §. proxime praecedentem* ostendimus, ex quibus argumentis, omnibus huc quidem optime facientibus, praecipue tamen Iuri Hamburgensi ex Lubecensibus Statutis deriuando, fauere videntur Gerhardi Comitis Holsatiae verba *ibidem* producta. Reliquis nunc argumentis, quae obiiciuntur, respondendum erit, et primo de Iure Lubecensi videndum. Fatetur quidem Richeius, quod hodierni Iuris Hamburgensis cum Lubecensi is sit consensus, *vt quaedam a maioribus*

Source : BIU Cujas

ioribus succeſſu temporis ex hoc ſaltem delibata, nonnulla etiam forte ad exemplum Lubecenſe compoſita credi poſſint; atque hoc tantum ſenſu Statutis Lubecenſibus locum inter fontes Iuris Hamburgenſis concedit. *Quod vero ad exemplar plane tranſcriptum attinet*, ex ipſis dubitandi argumentis agnoſci poſſe arbitratur, Hamburgum non eſſe eam Romam, quae ab Athenis Wagricis Leges repetierit. Scilicet 1.) ex conſenſu Iuris Statutarii Hamburgenſis cum aliorum Legibus probari non poſſe arbitratur, illud ex his hauſtum eſſe, ſed tantum communem occaſionem et neceſſitatem vtrinque affinia et conſonantia Iura produxiſſe. Verumenimuero, qui de conſenſu Hamburgenſis Iuris cum Lubecenſi loquuntur, ii vtique non de principiis quibuſdam vniuerſalibus, quae vbique obtinere poſſunt, ſed de capitibus quibuſdam arbitrariis et certo loco ac genio populi propriis loquuntur, et, ſi in eiuſmodi cauſis aliquem inter Statuta Lubecenſia et Hamburgenſia deprehendunt conſenſum, vnum ex altero, ſaltem ex parte, deriuandum eſſe, non ſine ratione concludunt. Obiicit Richey 2.) Lubecenſes Statutorum ſuorum natales in ſaeculo XII. exeunte ſtatuere, ante ea vero tempora iam Iure Weichbildi gauiſos eſſe Hamburgenſes, et hinc non credi poſſe, Hamburgenſes reiectis, quae antea ſtatuerint, omnibus alienas Leges mutuo ſumſiſſe. At vero 1.) Lubecenſes originem Statutorum ſuorum ab Henrico Leone, confirmationem eorum a Friderico I. Lubecam occupante, repetentes, ſane natales Iuris ſui ſaeculo XII. exeunti affingere, non ſatis accurate dicuntur. Praeterea 2.) recentiſſima communicati cum Hamburgenſibus Lubecenſis Iuris epocha de anno 1264. antiquiſſimum Hamburgenſis Statuti Codicem Bremerianum de anno 1270. (de quo vid. Richey *Hiſt. St. H. C.* 1. §. 19.) aliquot ſaltem annis praecedit, vt non adeo videretur omnem veriſimilitudinem euertere, qui primam Iuris Hamburgenſis ſcripti Collectionem ex Iure Lubecenſi multa accepiſſe affirmaret. Peropportune enim videtur Gerhardus, Comes Holſatiae, Iuris Lubecenſis vſum pleniorem Hamburgenſibus ſuggeſſiſſe eo tempore, quo ipſi de Ciuitate cum conſenſu Comitum Statutis melius firmanda, hisque in Codicem colligendis, conſilia caperent; cuius etiam conſilii ab Hamburgenſibus capti, et beneficii a Comite illis conceſſi, felicem euentum docere videtur ipſe Codex Iuris Hamburgenſis, omnium, quos Hamburgenſes norunt, antiquiſſimus. Denique 3.) qui Hamburgenſes Iure Lubecenſi vſos dicunt, vtique non eo vſque progrediuntur, vt Hamburgenſes nihil proprii Iuris, ſed omnia alieni, habuiſſe dicant; non vt eos abieciſſe protinus omnia, quaecunque proprii moris antea coluiſſent, aſſerant; ſed vti, qui Reipublicae Romanae Leges e Graecia accerſitas dicunt, facile admittunt, aliquid Romani moris, imo aliquid Iuris plane Regii, in mores transfuſi, admixtum fuiſſe; vti qui Germanos Ius Romanum recepiſſe agnoſcunt, non vtique illico omnes Leges patrias abiectas fuiſſe contendunt; ita, qui Hamburgenſes Iure Lubecenſi donatos fuiſſe perhibent, illi mores patrios, vel ſi quid iam antea Iuris ſcripti habuiſſent, non omnino exulare iubent. Sed obiicit vlterius, nullum dari exemplum prouocationis a Iudicio Hamburgenſi ad Lubecenſe interpoſitae, cum tamen moris fuerit in caſibus dubiis, ad eam Ciuitatem, a qua Leges acceptae eſſent, prouocare. Fatemur, multis aliunde Leges adeptis eas prouocationes in vſu fuiſſe, non ex neceſſitate quidem, ſed ex libera voluntate; ſed inde ſane non ſequitur, nulla prouocatione Lubecam verſus ab Hamburgenſibus inſtituta, nullas etiam inde Leges acceptas fuiſſe. Plures populos olim Magdeburgum prouocare prohibitos tandem fuiſſe ſupra obſeruauimus, quibus tamen vſu Weichbildi Magdeburgici interdictum eſſe non legimus. Poſt prouocationes illas prohibitas ſi quis originem Iuris, quo illi populi vterentur, ex Magdeburgo petendam eſſe ob eam tantum rationem negaſſet,

Source : BIU Cujas

Ad §. LXXXXI.

(191) Ius Colonienſe.
(192) Ius Aquiſgranenſe.

(191) Accedit his allegatis de Iure Colonienſium teſtimoniis confirmatio omnium priuilegiorum, qua Carolus IIII. Ciuitatem Colonienſem beauit apud Lunigium *ibid. p.* 345. vbi ipſis ſimul conceditur, vt *iam facta ſtatuta et ordinationes mutare et de nouo ſtatuere et ordinare, totiens quotiens voluerint*, liceat. Inde prodierunt poſtea Statuta *und* Concordata *der Heil. freyen Reichs-Stadt Cœlln durch Burgermeiſter und Rath, mit Recht aller Rœthen und* 44. *ſampt Græf und Scheffen des hohen gerichts nach dero wohlhergebrachten alten Stadt-Rechten mittelſt eydes aufgerichtet* An. Domini 1437. *und durch die Rœmiſche Kœnigliche Maieſtæt und den Ertzbiſchoffen zu Cœlln um dero huldigungen mittels Eyd beſtættiget.* Videantur plura apud Riccium *de Statutis L. I. C.* 2. §. 14. S.

(192) De Aquiſgranenſi Statuto agit Conringius *de O. I. G. C.*28. *p.*169. laudans ea de re *Gloſſam Polon. ad Art. I. Iuris Weichbildici.* Aquiſgranenſes plane ſtatuti ſui originem ad Carolum M. referre ſolent. Ipſum diploma Carolingicum producitur in *Actis ſanctorum Bolland. T. II. p.* 888. fides tamen eius in medio relinquitur, quam omnino reiicit Ludewigius *in Noriberga Inſignium Imperialium Tutelari C.* 5. §. 3. *n. ii.* Confirmauit tamen illud Carolingicum diploma bona fide Fridericus I. anno 1166. idque Imperiali auctoritate renouauit, aſſerens, quod Aquiſgranenſis *Eccleſiae fratres Privilegium Sancti Caroli de fundatione et dedicatione ipſius nobiliſſimae Eccleſiae, et de Inſtitutionibus Legum humanarum et Ciuilis Iuris eiuſdem Ciuitatis ſibi in medium protulerint.* v. *Acta Sanct. Bolland. l. c.* Lunig. *Reichs-Archiu. P. Spec. Cont. IIII.* nec non de Ludolff. *Coll. Stat. p.* 424. Idem egit Innocentius IIII. S. P. an. 1248. v. Noppii *Chron. Aquiſgr. L. IIII. p.* 8. *ſq.* Ludolff. *ibid. p.* 426. Sane Rudolphus I. iam ſuo tempore Statuta Aquiſgranenſibus fuiſſe non obſcure innuit in diplomate de ann. 1273. v. Londorp. *Actor. Publ. T. IIII. L.* 15. *c.* 1. *n.* 2. *p.* 12. videatur etiam Riccius *de Statut. L. I. C.* 2. §. 15. S.

Ad §. LXXXXII.

(193) A. 1170. Friburg. cet.
(194) Statuta Goslarienſia.
(195) A. 1303. Bremenſ. cet.
(196) Otto I. Dux.

(193) In deſignanda epocha, qua Ius municipale Friburgenſium coepit, non conueniunt auctores. Chronicon Friburgenſe, quod ex Codice MSCto Argentinenſi in lucem protractum ſuis in Chronicon Koenigshouianum Commentariis ſubiunxit Schilterus, *ibidem p.* 11. Ciuitatis et Statutorum, quae ibi etiam exhibentur, initia ad annum 1118. et auctorem Berchtoldum III. Ducem Zaehringiae, Berchtoldi II. filium natu maiorem refert. Verſus Friburgenſibus familiares, quos allegat Goldaſtus *in Gloſſis ad Burkhardi Mon. S. Galli Lib. de Caſ. Monaſt. S. Galli C.* 7. *in Script. Rer. Alam. T. I. p.* 131. fere conſentiunt in vrbis conditae epocha aſſignanda, biennio tantum diſcedentes:

Source : BIU Cujas

Anno milleno, centeno, bis quoque deno,
Friburg fundatur, Bertholdus Dux dominatur.

Guillimannus *Habsburg. L. VI. c.1. p.306.* haec Berchtoldo IIII. tribuit ad annum 1179. Koenigshouius *in Chron. C. 5. §.316.* haec ad annum 1181. refert. Neminem tamen, quod fateor, vidisse memini, qui haec anno 1170. cum A. N. affigat. Vellem auctorem suum laudasset. Brunquellum *Hist. Iur. P. IIII. c. 7. §. 13.* video eundem annum 1170. notare, laudato teste Guillimanno *Rer. Heluet. L. III. c. 9.* qui tamen et hic et *l. c.* constanter annum 1179. designat. In eo tamen omnes conueniunt, quod Statutorum Friburgensium initia saeculo XII. adscribenda sint. Riccius *de Statut. L. I. c. 2. §. 19.* S.

(194) Praecipue anno 1309. consensu Senatus et Ciuium in vnum Codicem collecta, thesaurus Iuris Germanici iudicantur a Leibnitio et Hoffmanno *Spec. Coni. Pol. P. V. Sect. 5. n. (l)* in quibus multa Iuris Germanici capita, praecipue autem, quae ad Heergewettam et Geradam faciunt, optime illustrantur, quod exemplis probat *ibidem* Hoffmannus. S.

(195) Iam tamen saec. XII. Bremenses suis Iuribus gauisos esse ex Henrici V. de an. 1111. et Friderici I. de anno 1186. aliisque diplomatibus apud Lunig. *Reichs-Archiu. P. Spec. Cont. IIII. p.218.* concludit Riccius *de Statut. L. I. c. 2. §. 3.* In Statutorum an. 1303. collectorum Proemio studiose declaratur, statuta haec nihil Domini sui iuribus derogatura esse: *dasse wilkohr und desse Sattunge, de Scholen unsers Heren Recht nicht mindern.* S.

(196) Haec Iura ab Ottone I. Duce praescripta, hoc anno 1232. a Friderico II. Imp. confirmata fuerunt, vti docet inscriptio Codicis membranacei Statutorum, his verbis: *düdt ist dat Brunswicksche Stadt-Recht dat van Hartigen Otten bewilliget unde van Keiser Frederich bestediget ist* anno 1232. *dat Stadt-Recht wieset upp Keiser Otten, de den Gilden ohre Gilde gegeven heffi, dat ist hartigen Ottee vader bruder geweest cet.* quam tamen Inscriptionem recentioris manus esse, nec tamen a veritate recedere, ex verbis *Cap. 2. nu. 5.* eius Codicis: *Innighe sal stan, alse bey Keyser Otten tiden cet.* iudicat Leibnitius *in Introduct. in Tom. III. S. R. B. p. 14.* imo integrum Codicem secundae recensionis esse ab Alberto I. Ottonis I. filio institutae coniicit ex verbis *C. 1. nu. 52. Alse the Borghere van Brunswik hadden by unses Alten Heren tiden an Lande und ane watere; dat silve recht hebbe we nu van unses Herren Gnade cet.* vbi sub nominatione, *unses alten Heren*, Ottonem I. sub vocibus, *unses Herren*, qui illi opponitur, eius temporis Principem Albertum I. intelligendum arbitratur. Multa etiam in his praecipue Legibus Iurisprudentiae Germanicae antiquitatibus illustrandis apprime idonea deprehendit Hoffmannus *Spec. Coni. Polit. Per. V. Sect. V. n. (h)* Ita praesertim ex *Artic. 1. nu. 54.* patere probat, *nemini licuisse, aliquem in ius vocare ad Iudicium Vehmicum propter opinionem siue rumorem, nisi sciente Senatu;* vnde et Leibnitius arbitratur *saeculo XIII. ea iudicia fuisse sub inspectione magistratus loci*, quod maximopere etiam deducit ex *Art. 2. n. 1.* vbi prohibetur, ne quis sine venia a Iudicio Vehmico recedat. S.

Ad §. LXXXXIII.

(197) Ius Wisbyense.

(197) Wisbya vrbs olim celeberrima et commerciis inclyta, in Gothlandia, maris Balthici insula, sita, cuius recentiorem faciem ostendit Olearius *in der Reise-Beschreibung nach Muskau und Persien. L. II. c. 3.* De Iure Wisbyensi nautico

Source : BIU Cujas

nautico praecipue consulendi Kuricke *in Iure marit. Hanseat. p. 77.* Lambecius *in Mantissa L. II. Rer. Hamb. n. 247.* Leibnitius *Introd. in Tom. III. S. R. B. nu. 39. p. 28. et sq.* et *eiusdem Tom. p. 750.* Langius *Introd. in Notit. LL. Nautic. p. 38.* Hoffmannus *Spec. Coni. Pol. Per. V. Sect. 4. §. 1. n. (c).* S.

Ad §. LXXXXVI.

(198) Chronici Magni citatio: (*H. N.*)
(199) Lambecii citatio: (*H. N.*)

(198) Verba Chronici de Ruperto Rege Romanorum haec sunt; *Fundauit studium vniuersale Heydelbergense et dotauit, et priuilegiis ornauit notabiliter, erigendo ibidem venerabilem Ecclesiam Collegiatam, in qua semper tres Doctores Sacrae Theologiae, tres Doctores in Iure Canonico, vnus Doctor in Medicinis, vnus Doctor Theologiae, qui sit praedicator; tres magistri in artibus, et duodecimus eorum Decanus, (qui simul Doctor in Facultate Theologica, aut Iuris Canonici) et vt plebanus etiam Ecclesiae illius ad minus Baccalaureus formatus in Theologia esset.* Consentit Diploma de anno 1393. ad quod A. N. prouocat, quodque Schilterus *l. c.* primus produxit, et Tolnerus *l. c.* ex eo exhibuit. Quicquid vero horum sit, Professores Iuris Ciuilis ab ipsa institutione Vniuersitatis locum suum ibidem firmissime tueri poterunt, si probe considerentur, quae ipse Rupertus Senior dicit in Diplomate, quo Vniuersitati normam praescribit, eiusque formam definit anno 1386. apud Tolner. *Hist. Pal. Cod. Dipl. nu. 179. p. 123.* quod ipse A. N. etiam allegat *h. §. et in nota ad §. praeced.* vbi post verba ab A. N. *ibidem* citata haec adduntur: *videlicet, vt quatuor in ea sint Facultates: prima Sacrae Theologiae, seu Diuina: secunda Iuris Canonici et* CIVILIS, *quae propter sui propinquitatem pro vna Facultate disponimus aestimari: tertia Medicinae, quarta Facultas Artistarum s. Artium Liberalium, triplicis scilicet Philosophiae, Primae, Naturalis, et Moralis, subseruientium filiarum cet.* Cum Vniuersitas Heydelbergensis ad exemplum Vniuersitatis Parisiensis in omnibus instituta fuerit, cum etiam Ius Canonicum doceri, vt vsui forensi idoneum sit, commode non possit, nisi et Ius Ciuile, ex quo multa trahit, doceatur, non poterat in Vniuersitate Heydelbergensi omitti Iuris Ciuilis doctrina. Vnde Rupertus Ius Ciuile non negligit, sed potius eius in ipsa Vniuersitatis institutione mentionem disertis verbis facit, ita quidem, vt id propter propinquitatem cum Iure Canonico coniungat, vnamque cum illo Facultatem constituere iubeat. Quia tamen Ius Canonicum Ciuili nobilius existimat, praesertim cum *libertatem per sedem Apostolicam super studio Heydelbergensi fundando sibi concessam* ipse testetur, non potuit non praerogatiuam dignitatis Iuri Canonico prae Iure Ciuili tribuere. Quae si cum Magni Chronici Belgici et Diplomatis Germanici Rupertini de anno 1393. verbis coniungamus, facili coniectura assequimur, in Facultate Iuridica Heydelbergensi tum quidem non alios fuisse Iuris Canonici, alios Iuris Ciuilis Professores, sed eosdem et Ius Canonicum et Ius Ciuile docuisse, et hinc pleniori oratione *Iuris Canonici et Ciuilis* Professores simul dicendos fuisse, sed propter existimationem dignitatis, Iuri Canonico prae Ciuili tributae, et Magnum Chronicon Belgicum eos breuiori sermone tantum *Doctores in Iure Canonico*, et Rupertum anno 1393. *Meistern und Doctorn cet. in Geistlichen Rechten* appellasse, Ius Ciuile tacite subintelligentes. Vnde merito colligimus, non tantum, quod Ius Ciuile statim ab origine Vniuersitatis Heydelbergensis in ea a Professoribus Iuridicae Facultatis expositum

Source : BIU Cujas

quam de libertate in pascuis et lignis locutus esset, addat: *in reliquis iure fruantur Susatenſium et Lubecenſium cet.* arbitratur Richey, sub *reliquis* plane aliud genus intelligi non posse, sed potius de iuribus, quae cum iure pascuorum et lignorum sub eodem genere comprehenderentur, vnice sermonem instituit. Quis vero vocem *reliquis*, cuius laxa significatio est, ita vt cuiuisuis generis res sub se comprehendat, ad idem genus semper restringeret, praecipue eo tempore, quod tantam sermonis ἀκρίβειαν capere non videtur. Et quomodo, quaeso, pascua, ligna similiaque, ex loci situ et natura regionis vnice aestimanda, per Sosatiam, Lubecam et Hamburgum adeo aequaliter potuissent esse disposita, vt, quo Iure in his rebus vteretur Sosatia, eo non minus commode vti potuissent Lubeca et Hamburgum? Et illud male habet Richeium, quod, cum Adolphus vtatur vocibus: *iure fruantur Susatenſium* cet. illa in eum sensum trahantur, quem non nisi per *teneantur* efferri posse existimat. At ego quidem iterum iterumque precor, vt ab his criticis vocum indagationibus abstinere liceat saeculo rudi, et his quidem studiis parum imbuto. Verum nec adeo alienus est a Iure priuato huius vocabuli vsus, vt non sine scandalo Criticorum liceat dicere, *fruimur* Legibus Ciuilibus. Sane iure *fruimur* aeque ac *tenemur*. Iure Romano *fruimur, tenemur* eodem. Porro obiicitur Susati, oppidi mediterranei, ab emporiis maritimis tanta diuersitas, vt incredibile sit, Leges illius Ciuiles horum conditioni aptas censeri potuisse. Verum Reipublicae Romanae tanta omnino, si non maior, a nostris Ciuitatibus est diuersitas, quanta Susati ab Hamburgo et Lubeca. Qui vero ideo incredibile esse existimaret, Leges illius nostris Ciuitatibus aptas censeri, is ipsis rerum argumentis refelleretur. Si Leges Priuatae vnius Ciuitatis in altera recipiuntur, non videntur sane recipi etiam in iis capitibus, quibus in hac Ciuitate definiendis aptae non sunt, nec aliae Leges, his in causis Ciuitati aptiores, siue extraneae siue propriae, ideo exulare iubentur. *Ficulneum* porro Richeio videtur *argumentum, quod a nomine veterum quorundam Lubecae incolarum ducitur, qui appellati sunt de Susato.* Verumenimuero non in eum finem a quoquam hoc productum legimus argumentum, vt hoc solo probetur, Ius Susatense a Lubecensibus receptum esse et ab his ad Hamburgenses transiisse, sed tantum vt ostendatur modus facilis, quo Lubecensibus nasci potuerit desiderium Legum Susatensium. Nec de vno aut altero Susatensi, diuersis temporibus Ciuitatis iam constitutae et Legibus satis firmatae Senatoribus immixto loquimur, sed de Westphalis aliquot et duobus Susatensibus eodem tempore Ciuitatis fere nascentis et penuria Legum adhuc laborantis Curiae adscriptis sermo nobis est, adeo, vt ex his omnibus bene pensitatis nonnihil argumenti ad id, quod probandum erat, duci commode potuerit. Nec plus roboris habere videtur Richeio, *quod de vna aliqua Lege Lubecensi, forte cum quadam veteri Westphalorum Lege congruente* affertur. *Quid enim si aliam non congruentem reperiamus?* Tunc vero nos quidem responderemus, apparere, quod non totum Ius Lubecense ex Susatensi natum sit; sed non vtique, cum Richeio negaremus, quicquam ex hoc in Ius Lubecense transiisse. Responsum item Susatense in causa dubia Lubecensibus aut Hamburgensibus datum desiderat Richeius. Sed huic quidem paulo superius in hac *nota*, cum de Iure Lubecensi, tanquam Hamburgensis fonte, dissereremus, satisfecimus. Tandem dissensum veteris Susatensium Iuris Municipalis et Statutorum Lubecensium antiquorum accusat Richeius, et ipsum huius rei testem laudat Heineccium; quorum tamen neuter tantum forte discrimen reperisset, si, quod eos adhuc latuit, vetustissimum Ius Susatensium cum antiquissimo Lubecensi contulissent. Denique ad consensum aliorum prouocat Richeius, cui tamen nos, si auctoritatibus pugnandum esset, maiorem pro nobis pugnantium exercitum facile opponere possemus. S.

Ad

Source : BIU Cujas

gaſſet, parum argute rationes ſubduxiſſe videretur. Quis ideo negabit Romanos a Graecis Leges accepiſſe, quod nullas a Romanis ad Graeciae Ciuitates appellationes interiectas eſſe legamus? Quod vero dicitur, ſi Ius Lubecenſe et Hamburgenſe non diſcrepent, merito adhuc dubitari, ſitne Lubecenſe an Hamburgenſe pro exemplari habendum, id quidem nobis moram nullam faciet, cum aliquid Iuris a Lubecenſibus ad Hamburgenſes tranſiiſſe teſtes plures et olim et nunc aſſerant, nec Richey ipſe diffiteatur; aliquid vero Iuris ab Hamburgenſibus ad Lubecenſes olim deriuatum fuiſſe, a nullo vnquam proditum eſſe conſtet. Denique doctiſſimus Richey *idoneum deſiderat teſtem et temporibus illis aequalem, qui aperte doceat, Hamburgum aliquando Ius Lubecenſe, ſiue ſponte ſua, ſiue iubente aut dante aliquo Principe, adoptaſſe.* Quis vero, quaeſo, ſi Princeps ipſe loquitur, teſtem extraneum, vt fidem Principi faciat, aduocabit? Quis, vbi ipſa rerum monumenta genuina, a nullo vnquam in dubium vocata, producuntur, teſtem requiret? At vero nos, ſi cauſam, quam agimus, non niſi teſtibus probari tandem conſtitutum eſt, producimus duos, quos, ſi quos vnquam, putamus idoneos et exceptione, ſi quis adhuc harum rerum nobis ſenſus eſt, omni omnino maiores. Adolphus IIII. Comes Holſatiae in diplomate apud Lambecium, *v. ſupra* §. 88. de Hamburgenſibus diſertis verbis dicit: *iure fruantur cet. Lubecenſium.* Gerhardus, itidem Holſatiae Comes, de Hamburgenſibus *l. ſupra c.* dicit: *omnem iuſtitiam, qua Lubecenſes in Ciuitate eorum frui ſolent, praefatis noſtris ciuibus conferimus et donamus.* Si quis vero regerat, *ius* et *iuſtitiam* hic non denotare Ius Priuatum, eum ad ea, quae ſub finem *not.* (188**) §. 88. diximus, ablegamus. Nunc et ad ea diſcutienda dilabimur, quae contra Iuris Suſatenſis Priuati ad Lubecenſes et Hamburgenſes tranſitum nobis obuoluit, dubia doctiſſimus Richey. Primum iterum eſt, quod *Iuris* et *Iuſtitiae* vocabula in allegatis, quibus noſtra ſententia nititur, diplomatibus occurrentia, *cum de legitima rerum fruendarum facultate explicanda eſſent, incaute ad Legis Ciuilis et Statuti oppidani notionem pertracta ſint.* Huic autem dubio nos iam ſupra *in n.* (188**) *ad* §. 88. *in f.* ſatisfeciſſe nobis videmur. Sed plura alia obiicit elegantiſſimus Auctor, quae remouenda videntur. Ita cum Arnoldus ſcribat, petiiſſe Lubecenſes, *vt Iuſtitias, quas in priuilegiis ſcriptis habebant, ſecundum Iura Soſatiae cet. poſſiderent*, ſi per *Iuſtitias in priuilegiis ſcriptis ſecundum Iura Soſatiae* intelligeretur Ius Priuatum Suſatenſe, ſecuturum dicit id, quod abſonum arbitratur, *Principem priuilegium ſcribere ſecundum Ius Priuatum.* At vero *Priuilegii* vocem iis temporibus non ita ſtricta et ad ſollicitam Iuriſconſultorum recentiorum interpretationem redacta ſignificatione ſemper attemperatam, ſed potius pro quacunque conceſſione a Principe ſuis ſubditis indulta, acceptam ſaepius fuiſſe arbitramur. Qui vſum vocabuli ex arctioribus Grammatices et Iurisprudentiae Romanae, praecipue formulariae, regulis eo, quo allegata diplomata ſcribebantur, tempore vnice aeſtimare vellet, oppido iniquus eſſet. Quis vnquam negauerit aut abſonum duxerit, Priuilegia Principem etiam de Iure Priuato ſcribere? Si quis dubitat, euoluat *Legem 7. Cod. Theod. de Tiron.* vbi verba: *Ipſorum etiam, qui militaturi ſunt, priuilegibus accedentibus cet.* nodum ſoluent. v. Iac. Gothofr. *in Gloſſario Nomico ad Cod. Theod.* et Cangius *in Gloſſ. med. et inf. Lat. v. Priuilegium.* Imo *in L. 4. Cod. Theod. de Itin. mun.* diſertis verbis *Priuilegia Priuata* opponuntur *Priuilegiis dignitatis*, quaſi *publicis.* Senſus potius verborum Arnoldi genuinus hic eſſe videtur: Vti Henricus Leo Lubecenſi Ciuitati literis, aut publico inſtrumento hac de cauſa exarato ſ. *priuilegiis ſcriptis* conceſſit vſum Iuris Suſatenſis, ita eo et in poſterum vti liceat. Cur non conceſſionem Iuris Statutarii *Privilegium* appellare liceat, ego quidem non video. Ita cum Adolphus IIII. poſt-

Source : BIU Cujas

positum fuerit, sed et, quod Iuri Canonico praecipuus sane honos tum habitus, eique primaria cura impensa fuerit; id quod etiam in definienda, quam tum in foro prae Iure Ciuili habuit, auctoritate non nihil ponderis habebit. S.

(199) A Friderico III. Imp. anno 1471. d. 8. Aug. Vniuersitatem quandam Iuris, aliis Facultatibus non admissis, instituendi priuilegium Luneburgensi Ciuitati concessum legimus apud Sagittarium *in Hist. Ciuit. Luneb. an.* 1471. §. 90. *p.* 31. *et sq.* et Ludewigium *Differenti Iur. Rom. et Germ. Opusc. T. I. Diff.* 16. §. 14. *n.* 1. *Opusc. T. II. p.* 1036. En verba: *vt Leges Imperiales Romanas in oppido Luneburg legi, resumi et disputari, ac alii actus scholastici in eadem Facultate exerceri libere possint, per duos aut tres eiusdem Facultatis Doctores* AD INSTAR VNIVERSITATVM PARIFORMITER. *Ad gradum etiam Doctoratus Iuris promouere et ad cathedram liceat cet.* S.

Ad §. LXXXXVII.

(200) In aulâ Caroli IV. cet.
(201) Bartolus de Saxoferrato.
(202) Struuii citatio.
(203) Cuspiniani citatio.
(204) Germanis nobilioribus. (*H. N.*)

(200) Iam Ludouici Bauari temporibus *claruit Vdalricus de Augusta Imperatoris Ludouici scriba secretus, homo in vtroque Iure peritus*, vti ex Trithemii *Ann. August. ad ann.* 1333. obseruat Struvius *H. I. C. 6.* §. 40. *p.* 535. S.

(201) Plane Bartolum componendae Aureae Bullae negotium a. 1356. suscepisse, cum multis aliis tradit Culpisius *Dissert. Epist.* §. 73. *p.* 76. Quod tamen a multis refellitur, cum eo tempore Bartolus iam inter viuos esse desierit, vti docet Bucholzer *Ind. Chronol. p.* 375. v. *Einleitung in die Geschichte der Teutschen Reichs-Abschiede C.* 7. §. 6. quae praefixa est nouissimae Recessuum Imperii editioni. Cum tamen illa Constitutio vel Bartolum vel Bartolistam Auctorem spiret, et *ante verbis concepta, quam promulgata* sit, tempus, quo Bartolus obierit cum eo, quo aliquid scriptum sit, licet nondum promulgatum, conciliari posse scite iudicat Ludewigius *Praef. ad Singular. Iur. Publ.* §. 4. *p.* 37. S.

(202) Caroli IIII. temporibus etiam clarus fuit Lupoldus Babenbergensis, Ioannis Andreae, celeberrimi in Italia Icti discipulus. v. Struuius *l. c.* S.

(203) Qui solus fere est, qui hoc odio Ictos a Friderico III. exceptos fuisse, dicat, id ipsum, quod asserit, ex spuria illa Friderici III. Reformatione de anno 1441. infeliciter dediciisse visus, quae cum ipsa locum suum tueri non possit, vti paulo inferius ostendetur, parum fidei Cuspiniani dictis conciliare poterit. Sane Fridericus III. Comitialia plane negotia agenda Ictis commisit. Ita inter legatos, quos anno 1467. ad Comitia Norimbergensia misit, laudatur *Iorg Ehringer D. Kayserlicher* Fiscal. v. *Rec. Imp. P. I. p.* 224. In Comitiis Rotenburgensibus an. 1487. nomine Imperatoris comparuisse legitur *Herr Bernhard Perger*, Licentiat *und* Prothonotarius. v. *Rec. Imp. P. I. p.* 283. Honorem, quo Fridericus III. Ius Romanum eiusque Doctores prosecutus est, abunde testantur Constitutio Pacis Publicae Neostadiensis anno 1467. Ratisbonensis anno 1471. Augustana an. 1474. Decretum Friderici III. a Goldasto exhibitum *Reichs-S. T. II. p.* 168. Rec. Imp. Noricus an. 1487. Francofurtanus an. 1489. Fauorem Friderici III. erga

Source : BIU Cujas

erga Ictos impense etiam probat Christoph. *van Hagens in Dedicat. Tract. de vsu Vsurar. S.*

(204) Qui suspicabantur, se ideo ad causas suas in iudiciis disceptandas allegari, vt cum more probandi per duella, et causas diffidationibus decidendi simul ipsis ius armorum, quo hactenus vsi essent, subdole excuteretur, ipsique ad statum priuatorum, vti olim Italiae proceribus sub Friderico I. contigit, redigerentur v. Ludewigius *Praef. ad Conf. Hall. §. 26. n. 112. et sq.* Vnde etiam in Pacis Publicae sanctiones aegre semper consentiebant, ita vt omnes non nisi multa opera ab Imperatoribus perferri potuerint, et ante Maximilianum I. ad certum tempus semper restrictae fuerint, et ne ita quidem bene seruatae, imo post Maximiliani I. tempora adhuc diffidationibus aliquando vsi fuerint Germaniae viri nobiliores; quod exempla apud Dattium probant. S.

Ad §. LXXXXVIII.

(205) Interfuere loco Treuerensis, cet.
(206) Lubecensium et alior. Doctores, cet.
(207) In Ciuitatibus quibusdam cet.

(205) Et loco Moguntini, cum aliis Sifridus *Plaahal*, Decret. Doctor et Can. Eccl. Coll. Aschaffenb. S.

(206) Etiam Bambergensis, Iohannes Kieberer, Doctor. Ita per sequentia saecula Recessibus Imperii multi subscripserunt Iuris Doctores, quorum numerus fugitiuo tantum oculo computatus, quinquagenarium excedit. Ita plures etiam Doctores Iuris, Vice-Cancellariorum dignitate gauisos Recessibus subscripsisse videmus. v. R. I. August. de anno 1555. R. I. Ratisb. et Spir. 1557. Wormat. 1564. August. 1566. Spir. 1570. Edict. Monet. 1571. R. I. Ratisbon. 1576. Reform. Pol. Francof. 1577. R. I. Ratisbon. 1641. Mandat. Execut. 1648. 1649. Imo Doctores Iuris assessoribus supremorum Tribunalium sub Friderico III. et sequentibus immixtos esse debuisse, et reuera fuisse, docet sententia ab ipso an. 1472. dicta *in sachen Caspar Reiprecht, Burgmann zu Gelnhausen*, apud Goldastum *R. S. T. II. p. 168.* Fridericum III. omnes Camerae suae assessores ex Doctoribus Iuris delegisse docent Acta Comitialia Augustana anno 1474. v. *Fugger Oesterr. Ehren-Sp. L. V. C. 22. m. 8. et C. 41.* De Doctoribus Iuris Camerae admouendis v. Acta Com. Noric. 1487. apud Schilter. *Inst. Iur. Publ. L. V. §. 1.* Datt. *de P. P. L. IIII. c. 1. n. 182.* Rec. Imp. *P. I. p. 278. et sqq.* Acta Comit. Francof. 1489. apud Datt. *ibid. n. 52.* Ord. Cam. Wormat. 1495. §. 1. Rec. Imp. Constant. 1507. §. 15. Rec. Imp. 1512. §. 23. Spir. 1529. §. 36. Ord. Cam. Wormat. 1521. *Art. I.* Rec. Imp. August. 1530. §. 82. Ord. Cam. Spir. 1533. *Art. I. §. 5.* Ord. Cam. August. 1555. Rec. Imp. Spir. 1557. Inter eos, quibus Ordines Imperii negotium eligendi Assessores Camerae an. 1495. commiserunt, fuit etiam Doctor *Jorg Pfeffer, Cantzler und Schatzmeister des Gemeinen Pfennings.* v. *R. A. P. II. p. 17. et 27. edit. nou.* In Reformatione Camerae Spir. 1531. *in pr.* inter Visitatores Camerae laudantur *Caspar von Westhausen, unser Frauen Kirchen zu Erffurt Probst*, Doctor *und Maynzischer Cantzler cet. Eytel Hans Rechberger, Strasburgischer, und Hieronymus Vheus, Baadischer Cantzler*, Doctores cet. In Ordin. Camer. Spir. §. 1. iterum inter Visitatores occurrunt idem *von Westhausen cet.* nec non *Iohan König*, Ordinari *zu Tübingen, und Balthasar Stumpff*, Doctores. S.

(207) Inter Legatos, quos Argentina aliquando ad Comitia misit, occurrunt Lud. *Gremp*, D. in Spir. 1542. August. 1555. Ratisb. 1557. August. 1566. Spir. 1570.

Source : BIU Cujas

1570. B. Botzheim, D. et Aduoc. in Ratisbon. 1567. P. *Hochfelder*, L. et Synd. in August. 1582. Christ. *Kreiss*, D. et Aduoc. in Ratisb. 1594. St. *Brechtold*, D. et Aduoc. Ratisb. 1603. et 1613. Marcus Otto D. *Rath und* Aduocat. in Ratisb. 1654. Fuerunt tamen quaedam Ciuitates, quae minus videntur fauisse Doctoribus Iuris, nempe Norimbergensis et Augustana, quae eos in Senatorum ordinem recipere noluerunt, quod de illa Steph. Vin. Pighius *Hercul. Prodic. p.* 88. *et sqq.* ex ore senatoris cuiusdam, *viri docti, et facundiae singularis, linguarumque periti* se accepisse testatur; cuius rei fidem etiam facit Scheurelius, Reip. Consiliarius *in Epist. ad Staupizium c.* 8. et 25. apud Wagenseil. *in Comment. de Ciuit. Norimb. L. I. C.* 24. vbi praecipue illud notandum, quod Doctores non tantum plebeiae, sed et Patriciae originis, respuantur, adeoque non, quia plebeii, sed quia Doctores sunt. Ita enim Scheurelius *c.* 8. *Doctoratus, quantumcunque Patritius, togae incapax censetur.* Quod etiam testatur Sprengerus *Font. Iur. Publ. C.* 25. De Augustana Ciuitate, eiusque excusatione anno 1627. Ferdinando II. Imp. 14. candidatos Senatoriae dignitatis commendanti oppositа, quod quatuor eorum, quia Doctores essent, recipere non posset, ex Iohannis Marci, qui illius Reipublicae Aduocatus erat, ratione fidem facit Itterus *de Honor. et Grad. Acad. Cap. 9.* §. 22. Quod vero de Lipsiensi Ciuitate Thomasius *in Not. 26. ad Culpisii Dissert. Epist.* §. 45. et *in Annal. Obseru. ad Melchioris von Osse Testam. ad ann.* 1574. *p.* 104. *et sq.* nec non *ibid. p.* 132. et *Obseru. ad Testam. Melch. v. Osse n.* 104. *p.* 211. *et sq.* refert, quod anno 1574. Doctores Iuris Senatu et Scabinatu moti fuerint; id quidem non perpetuum, nec tam ex causis ipsam Iurisprudentiam, quam eos maxime, qui tum fuerant, Doctores, tangentibus gestum esse, apparet ex eo, quod haec tempestas non diu Doctores Iuris afflixerit. v. Thomas. *ad Culpis. l. c.* imo statim in Doctorum Iuris locum alii Doctores suffecti fuerint. v. Thomas. *Annal. p.* 134. Eaedem tamen Ciuitates adeo non ab opera Doctorum Iuris abhorruerunt, vt potius ad omnia, quae post Friderici III. tempora congregabantur, Comitia Doctores Iuris ablegauerint, quorum Catalogum satis amplum sollicite confecit diligentissimus Kuglerus *Vindiciarum Historico-Iuridicarum cet. Sect. II. c.* 2. §. 5. *p.* 68. De Iurisconsultis praecipue apud Norimbergenses et Argentinenses, honore munerum publicorum gauisis, vid. Waltherus *in Dedic. Tract. de Statu, Iur. et Priuil. Doct.* vt et *ibid. c.* 23. *p.* 507. *et sqq.* S.

Ad §. LXXXXVIIII.

(208) Iuris placita attemperabant.
(209) Reformatio politica Sigismundi.

(208) Ita in Com. Francof. 1435. §. 6. ad vtrumque prouocari videtur: *dann Geistlich und weltlich recht halten, dass die warheit uf zweyen oder me unversprochen personen ston sol.* Adde R. I. Nor. 1438. §. 13. et 16. Const. Pac. Publ. Alberti II. §. 25. S.

(209) Vbi *P. I. C.* 8. §. 4. ex Iuris Romani contemtu gratia incommoda orta esse queritur, *man richt nit nach Keyserlichen Rechten, als vor zeiten unser vordern theten: darumb gehet es übel-werden böss-Ayd geschworen. Es kommen die Leut um Erb und eigen. Solt man Kayserliche oder beschriebene Recht ansehen, es bestünd mancher, der sonst umb das seine kompt.* S.

Ad

Source : BIU Cujas

Ad §. C.

(210) Eiusmodi reformatio, cet.
(211) Petrus de Andlo.
(212) *Heineccii nota ad finem.*

(210) Non omnium est eadem de hac Reformatione sententia. Goldastus *in der Anzeigung woher die Reichs-Satzungen genommen seynd l. c. p.* 312. ab initio contendit, *dass diese Reformation nicht erdicht, sondern von Keyserlicher Maiestæt auff dem Reichstag sey den Stænden* proponirt *und fürgetragen worden cet.* mox aliquot saltem lineis interiectis constanter asserit: *dass diese Reformation weder durch den Keyser, noch aus ihrer Maiestæt befelch, sondern durch die Stædt im Reich auf einem Stættag gemacht, und hernach auff dem gemeinen Reichstag aus ihrem Rath der Keyserlichen Maiestæt für ihr bedencken und Rathschlag unterthæniglich ubergeben worden.* Satis ex his apparet, quod titubet plane sibique ipsi non constet Goldastus, adeo, vt ex eius verbis nihil certi colligi possit. Hanc quidem, sic dictam, Reformationem allegant et de ea disputant Lansius *de Academiis, lit. F. pag.* 20. Lindenmannus *de Academiis, earum Immunit. et Priuil. §.* 18. Besoldus *de Poenis, praemiis cet. C.* 8. §. 4. et *de Studios. C.* 9. Hippolythus a Lapide *in Dissert. de Rat. Status Praef. ad Lect.* Georgius Melchior Thilo *in Dissert. Iurid. de definitione et necessitate Ictli, Argentorati Cal. Dec.* 1649. *defensae §.* 72. Boeclerus *Animadu. in Hippolithi a Lapide Dissert. de Rat. Status ad Praefat. §.* 2. *p.* 3. *et sq.* Tabor *in Programm.* occasione Doctoratus Iuridici Rutgero Rulando Argentorati d. 15. Maii 1648. conferendi *conscripto*, Itterus *de Honor. et Grad. Academ. Cap.* 9. §. 9. *et sqq.* Coringius *de O. I. G. C.* 32. *p.* 196. *et sqq.* Culpisius *in Dissert. Epist. §.* 45. Strykius *in Dissert. Praelim. V. M. P. §.* 23. Thomasius *in Cautel. circa Praecogn. Iur. Eccles. C.* 21. §. 40. et *in Dissert. Historico-Iurid. X.* nec non *in nota* 27. *ad Culpisii l. c.* Ludewigius *in Praef. Consil. Hallens. §.* 35. et *in nota* 143. *et sqq.* vt et *Miscell. T. II. L. IIII. Opuscul. I. Differ.* 16. *p.* 1037. *et sq.* Struuius *Hist. Iur. C.* 6. §. 40. et *in not. ibid. p.* 535. *et sq.* Brunquellus *Hist. Iur. P. III. M. II. c.* 10. §. 21. aliique. Quorum aliqui quidem eam in Comitiis propositam, non perlatam, alii ne propositam quidem dicunt; aliqui plane Legem Imperii appellant, sed vsu non seruatam, vt Hippolithus a Lapide et Ludewigius, alii omnino eam summae iniquitatis accusant, vt plerique allegatorum; alii non adeo iniquam esse arbitrantur, vt Thomasius; est, qui plane doleat, eam non omnino seruari, Hippolithus a Lapide. Integra Dissertatione eam aggressus est, quem iam allegaui, Ioh. Reinhardus Kuglerus *in Vindiciis Historico-Iuridicis Iuris Rom. et Ictor. in Germania, contra Reformationem de an.* 1441. *Friderico III. adscribi solitam, Arg. de* 17. *Iunii* 1748. assertis, qui Sectione I. *Reformationem Goldastinam scripti publici fidem nullam mereri* et quidem Cap. 1. *eam non videri esse Legem Imperii*, Cap. 2. *non videri a Friderico III.* Cap. 3. *nec a Principibus*, Cap. 4. *nec a Ciuitatibus Imperii in Comitiis propositam*, sed potius Cap. 5. *tantum priuati cuiusdam opus esse*, additis in Cap. 6. *causis, quae Iuri Romano et Ictis odium excitarunt praecipue inter Germanos*; Sectione vero II. *eam nullum vnquam Iuris effectum habuisse*, et quidem Cap. 1. *eius Art. VII. in effectum nunquam deductum fuisse*, eamque porro Cap. 2. *quantum ad Art. V. attinet, effectum nullum habuisse*, solidis argumentis, grauibusque testimoniis ipsarum Legum Imperii, magna copia allegatarum, probat, dignitatemque Iuris Iustinianei

Source : BIU Cujas

nianei in Germania, eiusque auctoritatem firmissimis rationibus tuetur. S.

(211) Poggius Florentinus *in Conuiuali 2. p. 16. et sqq.* Germanis plane gratulatur, quod sibi ipsi Leges constituant, Romanisque abstineant. Verum huius quidem tanquam peregrini, nec rerum Germanicarum satis gnari, gratulationes vtique non moramur. Petri de Andlo dolores autem de conatibus multorum, qui progressibus Iuris Romani in Germania, audacter sese et repetitis vicibus opposuerunt, intelligimus, de quibus etiam explicandae videntur querelae Sigismundi Imperatoris *ad §. praeced. nota* (209) *allegatae.* Qui vero his duobus a Frehero *in not. ad P. de Andlo L. I. c.* 10. iungitur tanquam neglecti in Germania Iuris Romani testis, Syluius, quem etiam laudat Limnaeus *I. P. L. VIII. C. 4. n.* 10. eum merito ab horum numero excludit Ludewigius *Miscell. l. c.* cum *L. I. Epist. 311. p. 619. et sq. edit. Bas.* in quendam Iurisperitum, Poësis contemtorem; quidem acrius inuehatur, nihil autem, quod ad nostram causam faciat, in medium producat. S.

(212) Non adeo parum Ictos a Friderico dilectos fuisse, ex iis, quae vel ipse A. N. *l. c.* dixit, et quae nos *not.* (203) addidimus, colligitur. Addimus nunc tantum, quod eius temporibus plures Academiae, non sine ipsius auspiciis institutae fuerint, Friburgensis, Gryphiswaldensis, Ingolstadiensis, Tubingensis et Moguntina, v. Trithemius *in Chron. Sponh. ad ann.* 1473. et 1477. Paulus Langius *Chron. Citizens. apud Pistorium T. I. p.* 1248. 1252. Tabor. *in Programm. allegato*, Conringius *Antiq. Acad. Diss. I. §.* 46. Imo ipsum plures Iuris Doctores in Italia promouisse testatur Aeneas Sylvius *in Histor. Rer. Friderici III. p.* 81. Adde, quae de Iure Romano eiusque Consultis ex Friderici III. temporibus *ad §. 99. n.* (209) producuntur testimonia. S.

Ad §. CII.

(213) Ordinatio iudicii Cameralis.

(213) Imo in eadem Constitutione Iudices et assessores tenentur iurare, se iudicaturos *nach des Reychs gemainen Rechten cet.* Omissa quidem haec sunt in vulgaribus Ordinationis Cameralis de an. 1495. editionibus, sed quia *in erneuerter Ordnung etlicher puncten den gerichtlichen* Processus *des Kayserlichen Cammer-Gerichts betreffend* de an. 1538. sub titulo: *folgen die Ayd der Personen zum Cammer-Gericht gehörig*, primo statim loco sistitur *des Richters und der Urthailer ayd, wie der auff dem Reichstag zu Wormbs* an. 1495. *aufgerichtet cet.* ibique haec formula occurrit, merito nouissima Recessuum editio eam ordinationi Camerali de an. 1495. insertam fatetur. vid. hac. de re etiam Dattius *de P. P. L. IIII. C. 1. n. 112. et sq.* S.

Ad §. CIIII.

(213*) *Des Reichs gemeine Rechte.* (*H. N.*)
(214) Expenderunt hanc sententiam, cet. (*H. N.*)

(213*) Iura Germanica sub hac voce intelligi aliquando etiam posse, si in Constitutionibus saec. XVI. et sequentium occurrat; non posse, si in antiquioribus, ex eo colligitur, quod his quidem saeculis Constitutionum Imperii communium, de Iure Priuato loquentium, magna adhuc penuria fuerit. De Speculis Saxonico et Suenico haec verba saeculis antiquioribus intelligi non posse, probatur, quod Pac. Publ.

Source : BIU Cujas

Publ. Constitutiones, quae fere omnem eorum temporum in Germania Legislationem exhauriunt, saepe cum illis Speculis pugnent. In Constitutionibus recentioribus ea denominatio eo minus his Speculis respondet, quo magis ea iam passim in desuetudinem abierant. Sub voce hac non posse Ius Iustinianeum intelligi, Culpisius ex eo satis probatum esse credit, quod id nuper introductum fuerit; quod argumentum per ea, quae de Iuris Romani in Germania fatis ab A. N. et nobis passim dicta sunt, satis refellitur. S.

(214) De harum vocum sensu distincte etiam agit Dissertatio Kugleriana *Sect. II. c. 1. §. 6. 7. et 8. pagg. 54-60.* vbi praecipue et illud §. 8. obseruatur, quod in Constitutionibus receptione Iuris Romani generali antiquioribus per voces, *aemeiner* vel *gemeiner beschriebener Rechte* Ius Canonicum solum facile indigitari possit; quod vero post vniuersalem totius Corporis Iustinianei receptionem vix vnquam Ius Canonicum solum, sed tantum non vbique vtrumque coniunctim his vocibus comprehendatur: quod ex actis Comitialibus Noricis de an. 1438. et Caroli V. Constitutione *wider die Wiedertäuffer* de an. 1529. probatur, vbi vox generis *gemeiner Rechten* opponitur nomini speciei, Iuris Caesarei seu Romani, quod ex vocabulo *fürnemlich* colligitur, quae non vnum tantum Ius sub his vocibus intelligendum esse indicat. Additur certior adhuc probatio ex Ordin. Iud. Aul. de an. 1654. vbi assessores secundum Iura Communia iudicare iubentur, et ne, quid per haec Iura Communia intelligatur, cuiquam dubium sit, in fine tandem additur: *dass das* Corpus Iuris Ciuilis *und* Canonici, *allezeit auff der Reichs-Hoffrathstaffel seyn soll, damit man sich derselben gebrauchen kænne.* S.

Ad §. CV.

(215) Thomasius: (*H. N.*)

(215) Thomasius quidem in Dissertatione, quam A. N. allegat §. 35. editionem huius Constitutionis Bambergensis, quae anno 1510. prodiit, primam omnium esse existimauit. Verum Struuius *Hist. Iur. Cap. 9. §. 27.* et *in nota p. 811.* sententiam Thomasii erroneam esse ostendit, aliam huius Constitutionis editionem, quae iam anno 1508. prodiit, recensens. S.

Ad §. CVII.

(216) Elector Palatinus, cet.

(216) Imo et Elector Ducesque Saxoniae ea, quae in hac Constitutione Iuri Saxonico refragarentur, respuerunt, quorum protestationem sibi ex Tabulario Vinariensi a Mullero missam exhibet Kressius *l. c.* vbi et *sub fin.* ex literis b. Wenckeri, nostratis, testatur, Ducis Iuliacensis legatos contra hanc constitutionem protestatos esse. Imo et ciuitatum legatos protestationem obiecisse ex literis Wenckerianis docet Kressius *ibid. §. 20.* non quod ipsam Constitutionem respuerent, sed quod hoc negotium ipsis insciis et in consilium non vocatis actum esset, cui nomen dare sine iussu superiorum suorum non possent. Obseruat tamen Kressius Hagenoënses, Colonienses, Wetzlarienses, Nordlingenses, Mühlhusanos tandem huic Constitutioni subscripsisse, Argentinenses vero, Ratisbonenses, Norimbergenses, Augustanos, Vlmenses, Eslingenses, Memmingenses atque Constantienses a subscriptione abstinuisse. S.

Source : BIU Cujas

Ad §. CXXI.

(217) Statuta topica cet.

(217) Merito huc refertur Paroemia: *Willkuhr bricht Landrecht, Landrecht bricht gemeine Recht*, i. e. Ius Ciuile Ciuitatis alicuius praefertur Iuri Prouinciali, Prouinciale vero praefertur Iuri Communi, quam regulam huc etiam trahit Emminghausius *Memorab. Suſat. in Praef. p.* 12. et poſt multos alios, a ſe vberrime citatos, ex parte explicat Hertius *Paroemiar. Iur. Germ. L. I. Par. 9. S.*

Ad §. CXXIIII.

(218) Ius Canonicum.

(218) Quando de auctoritate Iuris Canonici per Germaniam quaeritur, primum eſt, vt tempora diſſidium Religionis praecedentia diſtinguantur ab iis, quae ſequuntur. Inde et cauſae diſtinguendae erunt, Eccleſiaſticae nimirum a Ciuilibus. In Eccleſiaſticis quidem cauſis illis temporibus Ius Canonicum in Germania omnino obſeruandum fuiſſe arbitror, non tantum propter liberae receptionis effectum, ſed et propter reuerentiam ſummi Pontificis, cui ius de rebus Eccleſiaſticis per Germaniam ſtatuendi, qui tum quidem negauerit, nullus fuit. Quod vero ad Ciuiles cauſas attinet, Ius Canonicum etiam in his, ex receptione libera tamen, auctoritatem per Germaniam obtinuiſſe, ex iis, quae ſupra dicta ſunt, abunde conſtat, adeo vt iam Speculi Sueuici Auctor C. 5. de Decreto et Decretalibus dixerit: *auſs den zweyen Büchern nimbt man all die Recht, der geiſtlichen und weltlichen Gericht bedarff cet.* Atque haec quidem certa erant, ſi Iurium in Germania obſeruandorum conſenſus aliqua in cauſa deprehendebatur. Quod ſi vero in cauſa quadam Ciuili Ius Canonicum ab aliis Iuribus vel in Germania natis, vel ab ea receptis diſſenſiſſet, quaerendum erat, quid horum reliquis praeferendum eſſet. Tunc autem aliud de Iuribus in Germania natis, et tum adhuc vſu ſeruatis, dicendum erat, aliud de Iure Ciuili Romano a Germanis libere recepto. Iura Germaniae patria ſiue ante receptionem Iuris Canonici nata eſſent, ſiue poſt eam, modo de eorum vſu conſtaret, Iuri Canonico in caſu dubio praeferenda fuiſſe, nullus dubito. Si iura patria iam ante Iuris Canonici receptionem nata fuiſſent, tum huic praeferenda fuiſſe videntur, quia Ius peregrinum, quando in vſum alicubi recipitur, in dubio ſemper cenſetur recipi in ſubſidium Iuris patrii, ſi hoc deficiat, adeoque ſub tacita conditione: *ſaluo Iure patrio.* Si iura patria Iuris Canonici receptione ſunt recentiora, tunc ſane ab eo, qui ius leges in hac cauſa ferendi habebat, lata eo fine, vt in ea nunc Ius certum conſtituerent, tanquam Leges poſteriores omnino derogabunt prioribus. Si vero Ius Canonicum a Iure Ciuili in cauſa etiam Ciuili, diſcreparet, tum quidem communis opinio aſſerebat, Ius Ciuile praeferendum fuiſſe in terris Imperii, Ius Canonicum vero in terris Eccleſiae. De his vero hic non loquimur, ſed tantum de terris Imperii, in quibus tamen regulam mox allegatam grauiſſima limitatione reſtringunt: *niſi cauſa ſit ita comparata, vt ſuſpicionem peccati inuolvat*; tunc enim Ius Canonicum Iuri Ciuili Romano, imo et Legibus patriae Ciuilibus praeferendum dicunt, et praeter cauſas, quas pro Eccleſiaſticis habent, v. g. matrimoniales, beneficiarias, bonorum Eccleſiaſticorum, Decimarumque cet. huc referunt cauſas pactorum, ſtipulationum, omniumque con-

Source : BIU Cujas

contractuum, transactionum, piarum causarum, testamentorum, omniumque vltimarum voluntatum, praescriptionum, vsurarum, processus iudiciarii cet. adeo vt ipsam, quam sistunt, regulam tot exceptionibus fere euertant. Certior videtur regula: Ius Canonicum etiam in causis Ciuilibus Iuri Ciuili Romano praeferendum fuisse. Vtrumque quidem in his causis auctoritatem suam ex libera Germanorum, vtrumque recipientium, voluntate acquisiuerat. Verum ex iis, quae supra de Iuris Canonici fatis in Germania diximus, facile apparebit, Decreti Decretaliumque Corpus integrum iam in Germania notum receptumque fuisse, altasque radices egisse, cum Ius Ciuile Romanum adhuc per lacinias et partes ibidem inclarescerent, nec iam totum eius Corpus Legem toti Germaniae communem constituerent. Ex supra dictis etiam colligimus, Ius Canonicum, toto etiam Iuris Iustinianei corpore tandem recepto, tantam tamen inter Germanos adeptum fuisse auctoritatem, vt semper Iustinianeo corpore prius, dignius, clarius, aptius et aequius Germanis visum fuerit. Vnde merito concludimus, Canonicum Ciuili, si cum ipso pugnasset, praeferendum fuisse, nisi quis in singulari quadam causa Ciuile prae Canonico receptum esse probasset. Orto Religionis inter Germanos dissidio nihil auctoritatis Iuri Canonico in terris Catholicorum decessisse, eamque potius et hodie adhuc ita ibidem, vt diximus, aestimandam esse, arbitror. Inter eos vero, qui ab Ecclesia Romana discesserunt, Lutherus quidem nihil omisit, quo Iuris Canonici vsum dissuaderet v. A. N. §. 113. de Iuris vero Romani prudentia magnifice plane sentiens, quod ipse indicat *Operum Altenburg. T. 6. f. 203. et sq. Ienensis 6. p. 156. Und was darfs viel Worte, das Kayserliche Recht nach welchem das Römische Reich noch heutiges tags geregiert, und biss an den jüngsten Tag bleiben wird, ist ja nichts anders denn heydnische Weisheit, welches die Römer, ehe denn Roma von Christo oder Gott selber ichts gehöret hat, gesetzt und geordnet haben, und ich acht wohl wann itzt alle Juristen in einen Kuchen gebacken, und alle Weisen in einen Tranck gebraut würden, sie solten nicht allein die sachen und händel unangefasset lassen, sondern auch nicht so wohl davon reden noch dencken können. Dann solche leuthe haben sich in grossen händlen müssen üben, sind darzu mit grosser Vernunft und Verstand begabet gewesst. Summa sie haben gelebt und werden nicht mehr leben, die solche Weisheit im weltlichen Regiment gehabt haben.* Sed conatibus eius impar respondit euentus, cum in ipsa Wittenbergensium Academia grauiter ipsi hac in parte resisterent ICti Henningius a Goeden et Hieronymus Schurffius, partes eius in aliis capitibus fortiter tuentes, hocque solo ab ipso dissidentes, allegatis rationibus; quod multa egregia et cum ipsorum sacris neutiquam pugnantia in Iure Canonico statuerentur; quae cum aliis a religione, quam profiterentur, alienis euertere aequum non videretur; praesertim cum alia, quae in hunc locum substituere possent, nondum condita essent iura. Addebant, quod Iudiciorum forma et processus iudiciarii regulis, quas Ius Canonicum introduxisset, iam tota Germania imbuta esset, et hinc grauissima rerum oritura videretur confusio, si Iuri Canonico repudium mittere cogerentur, maxime cum ad Ius Ciuile Romanum, quod litium formam a rebus Germaniae maximopere discrepantem doceret, in his etiam causis confugere parum opportunum videretur. Vnde vsum Iuris Canonici, in capitibus cum religione a se agnita non pugnantibus, strenue conseruantes, et discipulis suis et successoribus exemplo fuerunt, vt et illi Iuri Canonico fortiter inhaererent. Hinc Melchior Klingius, Iohannes Schneidewinus, Matthaeus Wesembecius, Ioachimus de Beust, Eberhardus a Weihe, Iohannes Zangerus vsum Iuris Canonici, quantum poterant, conseruarunt. Accedebat, quod et ipsi Electores et Duces Saxoniae Fridericus, Iohannes, Iohannes Fridericus, Mauritius, Augustus, Christianus, Fridericus Wil-

Source : BIU Cujas

Wilhelmus vsum Iuris Canonici adeo non reiicerent, vt potius eum scriptis Legibus conseruarent. Suffragabatur postea aliarum per Germaniam Academiarum consensus, v. g. Ienensis, Rostochiensis, Lipsiensis, Giessensis, Marpurgensis, Tubingensis, Gryphiswaldensis, Altorffensis, adeo vt superioris saeculi ICti celeberrimi v. g. Reinkingius, Carpzouius, atque Schilterus huius Iuris vsum tanquam per Germaniam vbique agnitum suis Operibus magna cum cura adiuuarent et illustrarent, ipsique Theologi ad horum opera confugientes Iuris Canonici placita in causis consistorialibus non raro sequerentur. Vnde tandem colligimus etiam inter Protestantes Iuris Canonici vsum, qui antea fuit, seruatum esse, nisi vel eius Decisiones cum principiis religionis Protestantium pugnarent, vel aliquis probare posset, Ius Ciuile in hac, quam ageret, causa speciatim prae Iure Canonico receptum esse. v. Thomasius *in Cautelis circa Praecogn. Iuris Eccles. C.* 21. 22. *et* 23. et Boehmerus *I. E. P. L. I. T.* 2. §. 58-76. S.

FINIS.

Source : BIU Cujas